MAGNA

# BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM,

*Et antiquorum* SCRIPTORVM *Ecclesiasticorum.*


PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE
**EX ALMA SORBONÆ SCHOLA CELEBERRIMO THEOLOGO**
Doctore Parisiensi composita,

*POSTEA STVDIO DOCTISSIMORVM COLONIENSIVM Theologorum ac Professorum aucta:*

NVNC VERO ADDITIONE DVCENTORVM
**CIRCITER** AVTHORVM, **TAM GRÆCORVM QVI IN EDITIONE**
Coloniensi, quam LATINORVM qui in Parisiensibus desiderabantur, locupletata,
Accuratissimè emendata, & in XVII. Tomos distributa:

*Nec non perfectiori ordine disposita, materiarum enim, de quibus scripserunt authores, seriem complectitur, & Historicam methodum per singula sæcula quibus vixerunt, in indice Chronologico copiosissimo continet.*

## TOMVS TERTIVS.




PARISIIS,
Sumptibus Ægidij Morelli Architypographi Regij.
M. DC. XXXXIV.
*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

# INDEX OPERVM
## QVÆ IN HOC TERTIO MAGNÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM TOMO CONTINENTVR.

SANCTI Martyris POLYCARPI, Smyrneorum Episcopi, ad Philippenses, Epistola. col. 925
S. MARTIALIS, Apostoli, Confessoris & Episcopi Lemouicensis, ad Burdegalenses & Tholosanos, Epistolæ. col. 1
S. PII, j. Pont. Maximi, & Martyris, ad fratrem Iustum, Viennensem Episcopum, Epistola. col. 15
S. CORNELII, j. Pontificis Maximi & Martyris, ad Lupicinum Viennensem Episcopum Epistola. col. 17
S. ANTONII meritò magni, Abbatis sanctissimi, ad Arsenoïtas fratres suos, Epistolæ 7. Symphoriano Camperio, Interprete. col. 18
S. LIBERII P. M. ad Constantium Augustum, Epistola. col. 35
FAVSTI, Rhegiensis Galliarum Episcopi, Epistolæ. col. 37
D. NICEPHORI, Cartophylacis, ad monachum quendam Theodosium, Corinthi inclusum; de quarumdam Quæstionum explicatione, Epistola. col. 47. Eiusdem (non admodum certum tamen, an Nicephori cuiuspiam alterius) ex Epistola, ad eundem Theodosium (vt opinor) Typographorum incuria, pene pretermissum, Fragmentum. col. 146
D. PACIANI, Barcilonensis quondam Episcopi, Epistolæ 3. col. 49. Eiusdem parenesis ad Pœnitentiam. col. 69. Eiusdem Sermo, ad Fideles & Catechumenos, de Baptismo. col. 75
D. THEOPHILI, Archiepiscopi Alexandrini, Epistolæ Paschales, D. Hieronymo interprete, Eiusdem S. Theophili aliæ quædam Epistolæ. col. 79
S. HIERONYMI, Presbyteri, ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, nuncupatoria, Latinæ suæ illarum Epistolarum interpretationis, Epistola. col. 81. Eiusdem ad eundem Theophilum, aliquot Epistolæ. col. 112
BACHIARII, qui tempore S August. vixit, ad Ianuarium, de recipiendis Lapsis, Epistola. col. 121
S. ANTONINI, Episcopi Constantiniensis; ad Arcadium, actum in exilium à Genserico Rege Vvandalorum, Epistola consolatoria. col. 135
Ecclesiarum quæ per Illyricum & Dalmatiàm constitutæ sunt, ad Symmachum Pontificem Maximum. col. 137
S. SYMMACHI Pontificis Maximi, ad Anastasium Imperatorem, Apologeticus. col. 141
AGNELLI, Episcopi Rauennatensis, ad Arminium, de ratione Fidei, Epist. col. 147
D. NICONIS, ex Epistola ad Enclistium, de iniusta excommunicatione, fragmentum. col. 149. Eiusdem de pessimorum Armeniorum, pessima Religione. ibid.
ATHANASII, Patriarchæ Constantinopolitani, de necessaria Episcoporum residentia, Epistolæ 8. col. 151
S. THEODORI Suditæ, 4. Epist. ad Naucration filium, Fragmentum. col. 161
Eiusdem, dogmaticæ, de adoratione sanctarum Imaginum. col. 163
IVONIS, S. Quintini Beluacensis Ecclesiæ Prioris, demùm Carnotensis Episcopi: ad Haymericum Abbatem Aquitinensem, de corpore Domini, vtrùm in Cœna datum sit Discipulis passibile, cùm nos illud sumamus impassibile, Epistola. col. 165

ADELMANNI, ex Scholastico Leodiensi, Episcopi Brixiensis, de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia: ad Berengarium, Epistola. col. 167

S. HILDEBERTI, Turonensis Archiepiscopi, Epistolæ, in hac scriptorum Ecclesiasticorum Bibliotheca primùm editæ, & argumentis illustratæ. col. 173. Eiusdem S. Hildeberti, Versus de Mysterio Missę. col. 257. Sermo in illud Isaię 35. *tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* col. 267. Item in illud Luc. 12. *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo:* Sermo Synodicus, ad Pastores. col. 269

Domini ALEXII Comneni, Græcorum Imperatoris, de Donarijs & rebus sacris, Rescriptum, siue Oratio, quam auream Bullam inscripsit. col. 273

D. ALDHELMI, Occidentalium Saxonum Episcopi, ad Hyldilicham, Iustinam, &c. Virgines de Laudibus virginitatis: Epistola, siue Liber. col. 275

DVRANNI Leodicensis Episcopi, de corpore & sanguine Domini: contra Brunonem Andegauensem Episcopum, & Berengarium Turonensem, ad Henricum 1. Galliarum Regem Christianissimum, Epistola. col. 319.

FERRANDI Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi Epistolæ ad Anatolium & alios ex editione Romana Franc. Zametti anno 1578. col. 321

FAVSTI Rhegiensis Episcopi Epistolæ ex editione Ingolstadiana anni 1608. erutæ ex MS Monasterij S. Galli. col. 347

RVRICII Lemouicensis Episcopi Epistolarum libri II. ex MS. Monasterij S. Galli editi ab Henrico Canisio I. C. in tomis antiquæ lectionis. col. 369

DESIDERII Episcopi Cadurcensis Epistolæ ex MS. Monasterij S. Galli & editione Ingulstadiana 1608. col. 411

FVLBERTI Carnotensis Episcopi Epistolæ ex MS. Regij Collegij Nauarræ Parisijs editæ anno 1608. col. 430.

ARNVLPHI Episcopi Lexouiensis Epistolæ ex Bibliotheca Odonis Turnebi Hadriani F. Parisijs editæ anno 1585. col. 539.

LVPI Ferrariensis apud Senonas Abbatis Epistolæ 2. Papirio Massono primùm in lucem editæ Parisijs 1588. col. 612

GERBERTI Remorum & Rauennorum Archiepiscopi Epistolæ, è Bibliotheca Papirij Massoni Parisijs editæ 1611. col. 687

STEPHANI Tornacensis Episcopi Epistolæ, è Bibliotheca Papirij Massoni editæ Parisijs 1611. col. 755

BARLAAMI Gyracensis Episcopi Epistolæ ad Græcos, ex MS. codice Bibliothecæ Bauaricæ in tomis Antiquæ lectionis H. Canisij I. C. editæ col. 857

Eiusdem Ethica secundum Stoicos. col. 905

# VETERVM PATRVM, DE DEO ET REBVS DIVINIS, EPISTOLÆ;

## SACRÆ BIBLIOTHECÆ TOMVS TERTIVS.

## S. MARTIALIS, APOSTOLI, CONFESSORIS, ET EPISCOPI LEMOVICENSIS, EPISTOLÆ.

### De S. Martiali; Ex eius vita per S. Aurelianum eius Discipulum & successorem Lemouicensem Episcopum, descripta, à Gregorio Turonensi, & aliis.

*S. Martialis, ex Tribu Beniamin, Patre Marcello, matre Elizabeta, Stephani Protomartyris consanguineus, à D. Petro, qui speciali amore consanguinitatis ei deuinctus fuit; Christo iubente baptizatus est, ætatis anno 15. cum Zacheo & Iosepho qui Dominum sepeliuit. Qua ex spirituali per Baptismum inter eos contracta cognatione, & quæ deinceps inter illos nunquàm defecit charitate Christiana, non omnino absurdum fuerit suspicari illum sumpsisse Cephæ cognomentum, quod ipse sibi tribuit, initio Epistolæ ad Tolosanos. Christo postremum cum Discipulis cœnanti inseruiuit cum Cleopha; Vidit suis ipse oculis, tremens, Iudæ proditori condiscipulo suo datum à Christo osculum; vt ait cap. 13. Epist. ad Tolosanos; eique, & cum suscitaret Lazarum & cum ascenderet in cœlum, adfuit. Apostolum anno 5. à Christi passione, Antiochiam comitatus est; deinde & Romam anno, post, septimo: Vbi annos duos commoratus, ab eo ad Lemouicenses, natus annos 31. destinatus est Episcopus; apud quos, & tota Aquitania clarus miraculis vixit in summa sanctitate. Post acquisitos verò Ecclesiæ populos, & Christi fidem per omnia dilatatam, fœlici confessione reliquit terras, & in cœlestibus cum S. Dionysio Parisiorum, Saturnnio Tolosatum coniunctus est, Pontificatus sui Anno 28.*

*Greg. Turon. Historia Francorum, 1. lib. cap. 30. & de gloria confessorum, c. 27 & 28*

### *S. MARTIALIS, APOSTOLI, CONFESSORIS & Episcopi Lemouicensis ad Burdegalenses.* A

### EPISTOLA I. CAPVT I.

MARTIALIS, seruus Dei & Apostolus Iesus Christi cum Sancto Spiritu qui repleuit corda nostra, qui subdidit sibi omnem mundum, qui alligauit Diabolum & peccatum; Burdegalensibus, iam in Christo renatis per aquam & Spiritum sanctum, filiis & B filiabus: cũ sorte & hæreditate Dei quæ data est per orationem, Pax vobis & misericordia, quia cognouistis veritatem. Manifestaui enim vobis nomen Creatoris, qui solus est Creator: cœlum enim & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, ipse creauit, & perfecit, & benedixit. Vos autem ignorabatis ipsum genus vestrum, nec vos de vno patre & vna matre creatos esse noueratis, Sed & vindictam quæ facta est per diluuiũ, nesciebatis: in quo, omni mundo punito quia contra Creatorem se erexerat in omnem superbiam; ille qui solus iustus inuentus est, cum filiis, in spirituali Ecclesia quæ nunc in vobis apparet, reseruatus est. Nam & in illo sæculo, ex quo primus homo coepit à Deo formatus de limo, congregatio filiorũ Dei, quæ iam congregatur, proclamabatur, donec pater generis nostri & Hebræorum, qui vocatus est Abraham, iustum filiũ suum dilectissimum Isaac quem vnicum susceperat, Deo super altare immolandũ, C hostiam obtulit. Vnde & fortis Deus eum non permisit occidi, quia non delectatur, sed valde magis offenditur effusione sanguinis hominum. Victima autem arietis quæ debita erat in Lege Hebræorum, pro homine cæsa est; sed Deus non sanguine arietis, sed voluntate Patris & Filij iusta delectatus est.

*Aries cæsus pro Isaac.*

### CAP. II.

Ipsa figura, fratres, videntibus oculis nostris, in Filio Dei, nostro tempore perfecta est, Deus enim qui pater est omnium gentium, vnicum suum quem solum genuit & vnicè dilexit, ad mortem venire iussit. Mori enim potuit quia homo fuit, & quia de Virgine Maria natus est homo. Filius Dei ante principium fuit; & quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem in die tertia de loco in quo eum sepeliri vidimus, & apparuit nobis, & lætificauit nos. Testes enim sumus, quia eum ascẽdere in cœlum vidimus, nec tamen à cœlis vnquam recessit. Scitote autem quia de cœlis contemplatur bonos & malos; & bonos quidem, remunerabit ineffabiliter, malos autem puniet miserabiliter. Itaque nolite retro respicere ad Idola quæ coluistis & fabricastis, sed ipsum solum quem vobis prædicaui Deum vnum colite & adorate per omnem locum. Ipse enim est cuius oculos nemo poterit effugere, cuius potestatem nemo euadere potest. Sicut autem simulachra vestra antiqua diruistis, ita subuersa sit infidelitas à cordibus vestris.

*Gen. 22.*

*D. Martialis testis Resurr. & Ascensionis Christi.*

*Dei prouidentia*

### CAP. III.

Honorabatis sacerdotes qui decipiebant vos sacris suis, qui muris & surdis statuis offerebant, quæ nec senes vos iuuare poterãt: nunc autẽ multò magis sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in Calice & viuo Pane, honorare debetis. Quem enim vobis constitui Dei iussu, iustum est à vobis conseruari. Ipse enim Sigibertus, qui ante consulebat dæmonia, seruus creaturæ, nunc in fide Domini nostri Iesu Christi perfectus, soli Creatori seruiens, pro stercore reputat ipsa dæmonia quibus ante seruiebat. Ignotum vero

*Sacerdotes honorandi; Panis viuus. Sigibertus sacerdos Burdegal.*

Deum, quem non nouerat; modo cognitum, non sanguine bestiarum sed fide sincera & iubilatione confessionis, sibi & vobis propitiabilem facit. Nam dum altaria dæmonum in puluerem redigerentur, Aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus: qua dedicata in nomine Domini Dei Israël & restis ipsius Stephani qui pro eo à Iudæis passus est, non hominis cultum, sed Dei, in ea, frequentatus. Stephanus enim non Deus, sed amicus Dei fuit; qui pro testimonio eius, animam suam posuit cuius sanguine ipsa mensa est decorata, quia suo † sanguine Iesus Christus comprobatus est esse Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora percipiet. Sacrificium enim Deo Creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo, Nec solum in ara sanctificata, sed vbique offertur Deo oblatio munda; sicut testatus est, eius corpus & sanguinem in vitam æternã offerimus, dicentes: *Spiritus est Deus; & eos qui adorant eũ, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ipse enim corpus habens & immaculatum & sine peccato, quia conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine; in ara Crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiã immolauerunt, putantes se nomẽ eius à terra abolere; nos causa salutis nostræ in ara sãctificata proponimus, sciẽtes hoc solo remedio nobis vitam præstandam & mortem effugandam; hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem. Nam de sacrificiis idolorum, notũ vobis à me factum est, quia ea maximè de causa dominabatur vobis diabolus. Et sicut communio viui Dei, est vobis vita; sic participatio mensæ simulachrorum, erat vobis æterna mors, infirmitates, & corruptiones, & nimiæ tribulationes huius sæculi.

*Ara ignoti Dei dedicata in nomine Dei & S. Stephani.*
*† eius.*
*Ara sanctificata Christianorum, corpus & sanguis Christi.*
*Ioh. 4.*

a Ipse enim Sigibertus, &c. *Narrat. S. Aurelianus in S. Martialis vita, Sigibertum hunc summum Gentilium Templorum Sacerdotem apud Burdegalenses, cum in Templum Iouis aliquando ad sacrificium venisset, multa familiariter cum Dæmone collocutum de S. Martialis in illam vrbem aduentu & sanctitate, quodque vnum Deum Cæli & Terræ conditorem adorari, Templa Dæmonum euerti iussurus & eos ist hinc profligaturus esset, quod paulo post accidit, cum à S. Martiale redisset Benedicta Sigiberti Burdegalensium Principis coniunx: Statim enim iussus ipsemet Sigibertus Pontifex Idola omnia confregit minutim, & Templa euertit, excepto Templo Dei ignoti: de quo paulo post eodem capite S. Martialis;* dum, *inquit,* Altaria Dæmonum in puluerem redigerentur, Aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus. &c.

## CAP. IV.

*Mensa diuina.*

SEd etiam postquam baptizati estis, oportet vos castos esse à malitia, vt mensa diuina digni sitis. Nolite autem vnum & idẽ putare escam humanam & diuinã, quæ nobis visibilis est; sed tamen in fide perfecta, tota cœlestis. Per vnam enim, corpus; per alteram, anima viuit. Cauete autem ab homicidiis, ne forte & vos occidamini: Est enim indignus mensa Domini, qui hominem occiderit. Nam si præsumit Eucharistiam, reus est mortis animæ & corporis sui. Reuiuiscit enim anima per baptismum, & moritur per homicidium. Corpus verò quod tanto peccato est subditum, in impiorum pœnis æternaliter excruciabitur cum anima sua, post illum diem quando verus Deus & verus homo iudicabit omnes gentes. Nolite ergo concupiscere terrena, quia iam acquisistis cœlestia, & quia per cupiditatem mundi huius exardescunt mentes in homicidia in inuicem. Vnde & animæ pereunt, & quas Christus lauerat aqua sanctificationis, hostis vitæ acquirit in perditionem suæ mortis, eo quod cum à Deo recedunt, peccatis mortis se inuoluunt.

*Homicidium vitandum fugiendã Eucharistia, Pœna æterna post iudicium.*
*Aqua sanctificationis.*

## CAP. V.

SCribere autem vobis necessarium duco, vt velut paruulis malitia, sanctificatos vos Domino præbeatis, attendentes quia gratissimum Deo hospitium est mens munda à cupiditatibus & simulatione. Nam sicut perturbationes maris videris, sic in vobismetipsis fluctus vitiorum sentietis. Deo autem claritatem suæ misericordiæ super vos extendente, non conturbabimini, sed exultabitis in tranquillitate positi. Beati vero eritis, si cum exultatione Deo seruientes, libidini restiteritis, vnde maxima corona remunerationis impertietur vobis. Nec bestiales mores oportet vlterius esse in eis qui vasa Domini munda sunt in adoptionem filiorum æternæ hæreditatis, sed honestate rationabili ad omnes homines vti. Hæc enim agentes, securi terram possidebitis, & omnia irrationabilia subiecta erunt vobis: ipsa quoque elementa quibus ante seruiebatis, seruient vobis tanquam cultoribus & magnis amicis Dei. Prædicationem autem meam nolite in vanum ducere quasi nouam, neque obliuiscamini mirabilium Dei quæ per me vidistis; quia & vos multa gratia digni eritis cum Euangelium Christi in laude & reuerentia habebitis. Itaq; sicut frequenter adorabatis opera manuum vestrarum, sic potius & multo frequentius vnum Deum qui vos creauit, vobis vitam tribuit, adorate; quia ab ipso adiutorium habebitis, nõ solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et assidue Deo gratias agite qui de tenebris mortis vos abduxit, & iam cœli ciues fecit. Sed & spiritum Dei sanctificate in cordibus vestris; per ipsum enim vobis peccatorum remissio tribuitur. Itaque spinas cordis auellite, vt in suauitate Dei requiescatis. Hæ sunt enim spinæ quæ per multas amaritudines & inuidias & dolositates non sinunt gaudium & oleum Spiritus sancti in vobis dominari.

*Corona remunerationis.*

## CAP. VI.

SEd neque metuatis eos qui necdum receperint viam salutis. Obcæcauit enim illos diabolus tenebris suis ne se facile eruant à morte. Mors namque eorum, est delectatio sæculi. In desideriis enim animæ suæ morientur, & in adinuentionibus suis peribunt, & iniquitas eorum in caput eorum descendet. Habentes enim naturalem sensum, Deum qui illos creauit, qui eis vitam & intellectum dedit, abnegant; & dũ ipsi malè agunt bene agentes impugnant; *Linguas suas, sicut serpentes exacuunt, & venenum aspidum sub labiis eorum; Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Propterea *illic trepidauerunt timore vbi non erat timor;* sicut Spiritus sanctus hæc loquutus per os vaticinantis Regis, protestatus est. Nec sentiunt se iam in abyssum demersos cum iam sint iudicati; *Qui enim non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei qui nos saluauit,* & illuminauit claritate diuinitatis suæ, apparens homo per carnem sine peccato, in similitudine carnis peccati. Nolite ergo carnales timere, sed magis vos spirituales estote, & crescite in gratia Dei, & sustinete patienter eos qui in vobis Christum persequuntur, in quem credidistis, & cuius spiritu sanctificati estis in æternam salutem.

*De non metuendis infidelibus.*
*Psal. 139.*

## CAP. VII.

NVlla sit in vobis inuidia; per hanc enim Spiritus sanctus mentem derelinquit. Recedente autem Spiritu sancto à tabernaculo mentis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine, nullusque locus ei est in cœlo, quia alienum se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum, & habitatio immũdorum spirituum. Inde ab auaritia absorbetur, & ab omni dulcedine infructuosus & sterilis contabescit, miser & derelictus. Vos autem oculos vestros assiduè ad misericordiam diuinitatis erigite, & malitiã diaboli calcate; quia & iam per trophæum Christi deuictus est, & per crucem Domini ligatus est.

*Inuidia fugienda, &c.*

## CAP. VIII.

CRucem Domini, in quem credidistis Deum verum & Dei filium, semper in mente, in ore, in signo seruete.

*Crux recolenda, in signo.*

*Signi crucis quãta sit virtus.*

nete. Crux enim Domini, armatura vestra inuicta contra satanã, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeos tela maligni repellẽs, gladius iniquitatem & angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo, cœlestis victoria data est nobis; & per crucem baptisma Dei sanctificatum est. Neque in veneficijs, neque in furtis imitemini pessimos; etenim ipsi tales à regno Dei excluduntur. In fide autem perfecti estote, pro certo scientes quia Iesus Christus ipse est filius Dei viui, qui sedet à dextris eius, & vos protegit vt regnum diaboli disperdat. Sed tamen in sua dispensatione occulta ab humano intellectu, permittit diabolum dominari in suos, & persequi bonos in diuersis tentationibus, quibus electi probantur & examinantur; examinati verò, postea coronabuntur. Qui verò eos tentãt, vltionẽ non effugient; quia *omnes oportet astare ante tribunal Christi*, qui iudicabit in iustitia orbẽ. Beati autem eritis, fratres mei, in illo die, si conscientiam vestram puram coram Deo nunc exhibueritis: Et sicut vnam fidem, vnum baptisma tenetis à Deo in vobis, sic Angelis cohæredes eritis; naturam quidem humanam, charitatem verò Angelicam habituri. Non quidem euacuabitur veritas corporis, sed nõ erit pondus & fragilitas corruptionis. Nunc morimur per Adam, & tũc resurgemus per Christum. Nunc fragilitate circundamur, tunc virtute induemur. Etsi enim morimur corpora, sed tamen nunquam moriemur spiritu. Spiritus enim sine morte creatus est à Deo.

*Baptisma Christi cruce sãctificatũ.*

*Bonorum tẽtationes.*

*Resurrectio corporum.*

## Capvt IX.

*De Christi beneficijs in homines.*

ET maximè viuimus per passionem Agni incõtaminati, qui à Iudæis in cruce pro salute mundi passus est. Ipsius sanguinis vulnera lauit nostrarum animarum; quibus, à morte fatigati; & per lignum vetitum vsque ad passionem Domini, & mortificati & consopiti, ineffabili dolore prosternebamur. Nunc autem, ex quo resurrexit à mortuis, iam viui, iã fortes, iam immortales, iam in sanitate plena & perpetua exultabimus. Superna enim Dei gratia clarificauit corda nostra, ad gloriam & illuminationem gentium. Gloria salus nostra, & illuminatio nostra. De illuminatione nostra, illuminatio vestra manat; quia, dum potentia sua Rex regum nos instruere curauit, per nos æternam vobis claritatem misit. Quæ ergo est nebula peccatorum, quæ splendorem vestrum obscurare possit? Nam si ad horam obscuret, cito tamen pertransiet. Claritas autem Domini in æternum permanebit, quæ nunc in vobis paulatim accenditur, virtute autem Dei & sapientia, quæ manet in æternum vsque ad perfectum clarescens, illuminabitur tanquam lumen perpetuum Angelorum. Ex hac enim claritate quæ illuxit in cordibus vestris per fidẽ quia in mortem Domini credidistis, consummabitur in vobis æterna beatitudo, quæ neque in Deo Patre, & Domino Iesu Christo, & Spiritu Dei Initium, nec in vobis finem operabitur.

*Sacerdotũ illuminatione, Plebs illuminatur.*

## Capvt X.

*De incõprehensibili sanctæ Trinitatis mysterio.*

SAne de mysterio Trinitatis, quàm bonus & beatus & suauis Deus Rex regum per nostram annunciationem reuelare dignatus est vobis, scitote intelligentes quia vltra omnem sensum Angelicarum potestatum & virtutum, vera diuinitas excellit, quam impossibile est etiam à Spiritibus Angelicis comprehendi. Sola enim Trinitas, in diuinitate vnitatis, seipsam nouit. Hęc enim ante sæcula in claritate suæ æternitatis permanebat, nihil in se diminutum vel quod augeri posset, intra se continens; sed vnius æternitatis, vnius voluntatis, vnius essentiæ, vnius sanctitatis, vnius puritatis; vltra omnem puritatem, vltra omnem gloriã; in charitate, in veritate, in bonitate habitauit. Nunc verò in fine temporum, propter nos ad quos bonitatis suæ magnitudinem extendit, gloriam tantæ maiestatis reuelauit sanctis suis quibus & efficaciam suæ virtutis multotiens dignanter præbuit. Vnde quidam ex nostris in amore & intelligentia magnus protestabatur populo suo, dicens: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est*. Hoc enim, vnus & solus Deus, dũ mitteret quẽ elegerat ad deducendũ populum suum de seruitute, dignatus est pandere, dicens; *Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac, Deus Iacob: hoc nomen memoriale meũ in æternum*. Rursum Trinitatem in vnitate designauit, dicens; *Ego sum qui sum. Hæc dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos*. Hæc autẽ, fratres mei, scitote, quia Verbũ quod credidistis, Filius est. Vnigenitus ante omnem substantiam, ante omne Initium. Ipse est enim Principium, quia de Principio ineffabiliter genitus est. In nostro verò tempore mirabiliter ab Angelo annunciatus, & in veritate incomprehẽsibili de Virgine Maria natus est, nihil diminutus à diuinitate maiestatis suæ; cuius nos testes sumus. Spiritus verò Dei, qui vos sanctificauit credentes in ipsum, qui filium naturalẽ & sibi secundum æternitatem coæqualem per omnia, resuscitauit tertia die à mortuis; non est genitus sicut Verbum, quia & ipse Spiritus in diuina æqualitate gloriosus processit ineffabiliter ab eo qui genuit, & ab eo quoque qui genitus est. Itaque Spiritus Domini non genitus, nõ factus, non creatus, sed procedens est à Patre & Verbo. *Verbo* autem *Domini, cæli firmati, & spiritu oris eius, omnis virtus eorum*. Itaque nil discretum in diuinitate Trinitatis sentiatis, quia vobis vnus & idem Deus quĩ cuncta creauit Pater; & vnus & idem Dominus per quem omnia facta sunt, filius eius Iesus Christus: & vnus idemque Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistũt. Et hæc, in personis, tria diuisa in diuinitate, vnus Deus indiuisus est.

*Deut. 6.*

*Matt. 22.c Mar. 12.e Exod. 3.e*

*Principium de Principio.*

*Spiritus sancti processio à Patre & Filio.*

## Capvt XI.

*De vltimis temporibus.*

HOc etenim, fratres, vobis scribere necessarium duxi, sicut & præsens vos docui per Euangelium Christi; volens vos confirmare in veritate fidei nostræ, per quam sanati estis ab infidelitate; vt firmam fidem vestram custodiatis, obseruantes immaculatam tunicam vestram in conspectu æternæ claritatis Dei; quia in nouissimis temporibus (dum in cœlo, cum Christo, quem Deum & hominem in terra adorauimus, quem ad cœlos ascendentem vidimus; erimus soluti à corpore, venturi verò post nos, in hac terrena pugna conuersabuntur) oportet multos discedere retro, dũ Deum qui illos creauit & vocauit, abnegare non timebunt. Et inimicus qui nunc à cordibus vestris proiectus est, venturus est vt superseminet populo Dei grana errorum, sed firma Ecclesia Dei & Christi, nec cadere nec dirumpi poterit vnquam. Venient autem præsumptores absque gratia Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex superbia, similes illi qui superbia cœlum præsumens habitare inde de cœlo cum Angelis suis sequacibus ruit in æternã voraginem. Hi docebunt aliam doctrinam quæ aliena est à Deo, amica autem diabolo, per quem ipse spiritus erroris animas post se trahere festinabit.

*Ecclesia non potest cadere.*

*Hæresis ex superbia.*

## Capvt XII.

*Exhortatio ad veram fidem.*

VOs itaque, filii mei, quos in Christo per Euangelium genui, solum Patrem cognoscite Deum, & solum Dominum cognoscite Iesum Christum, & solum dominantẽ viuificatorẽ cognoscite Spiritum sanctũ, & vnã fidem, vnum baptisma: vnum Deum creatorẽ omnium diligite, ipsumq; solum timete, & in mãdatis eius quæ à me audistis, vsque ad mortẽ patiẽter perseuerate expectantes aduentum eius. Sæculares fabulas declinate, quæ corda vestra possint seorsim à diuino amore deflectere.

*Fabulæ fugiẽdæ.*

## Capvt XIII.

*Officia Christiana.*

ET vt verbũ Christi habitet in vobis cũ gratia, orate assiduè, Inuicẽ vos ipsos in verbo exhortationis &

consolationis ædificate alterutrum diligentes, in synceritate ambulantes, in gratia Dei abundantes. Vigilate in operibus fructuosis, & maximè laborate propter spē remunerationis quę magna promissa est vobis in cœlis. Solum autem Deum timentes eum qui in fidelibus do-

*Remuneratio.*

A minatur. satanam nolite timere: nihil enim greg' Christi poterit nocere, quem fortem videt in fide eius qui eum emundauit vt non haberet immūnditiam, sed plenam & perpetuam gratiam. Gratia & pax vobis, fratres, cum benedictione Dei æterna. Amen.

*Satanam non timendum.*

## S. MARTIALIS, APOSTOLI, CONFESSORIS, ET EPISCOPI LEMOVICENSIS, AD TOLOSANOS EPISTOLA II.

### CAPVT I.

SERVVS Dei, Apostolus Iesu Christi, Martialis Cephas, omnibus fratribus qui sunt Tolosæ, cum sacerdotibus & ministris spiritualibus Ecclesiarum Dei: gratia vobis & veritas & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agite Deo incessanter, filij, qui eripuit vos à profunda caligine damnationis æternæ, & circumspicita diligentissimè caput vestrum, quod est Christus, qui est benedictus in sæcula, Amen. B

Vos enim estis membra eius, & corpus immaculatum, nec aliqua re coinquinatum, neq; sordibus obuolutum. Iam enim sanctificati & mundati estis aqua regenerationis. Videbo autem vos in proximo, & visitabo in Spiritu sancto, in gratia & fide castitatis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, & resurrexit in veritate resurrectionis, quem gens Hebræorum iudicans purum hominem, per inuidiam damnauit morte. Sanauerat enim videntibus oculis nostris ægrotos & languidos eorum, curauerat paralyticos, mundauerat leprosos, dæmoniacos liberauerat, & quod maius est, mortuos eorum tanquam de somno resuscitauerat. Nam & quendam iam fœtentem quatriduanum, rogantibus sororibus eius, ita de monumento facilè resuscitauit, vt ad solum eius verbum continuo de monumento resurgeret, ligatus sudario mortuorum. Cæcis etiam visum reddebat, vnde & nato cæco oculos præbuit. Et innumera alia magnalia operatus est in populo Iudæorum, sicut prædico & annuncio vobis, testificans vera esse quæ de eo à me per Euangelium veritatis audistis.

*Christo parentes.* *Lazari suscitatio.*

### CAPVT II.

HVNc enim Dominum & magistrum nostrum, qui verè Christus filius Dei est, post tanta & innumera beneficia quæ in eis operatus erat, turbæ Iudæorum, suadentibus Principibus sacerdotum & Scribis, sine aliquo reatu mortis, dum causa non inueniretur in eo, postulauerunt interimi in ligno. Propter quod magnis vocibus acclamabant Iudæi, dicentes, *Crucifige, crucifige.* Mors autem crucis eius lignum eis extitit, Vnde triumphus crucis, vita nostra est in æternum: Per crucem enim vita nobis restaurata est, & mors mortua est.

*Christus crucifixus.*

### CAPVT III.

ECCE vt vobis iam notum feci, & iterum vobis notum facio quod Christus postquàm resurrexit de sepulchro, conuersatus est nobiscum per dies quadraginta, & conuesci nobiscum non est dedignatus, vt se in veritate carnis viuum nobis demōstraret. Et præcepit nobis prædicare & testificari gentibus pœnitentiam & remissionem peccatorum, & regnum cœlorum. Ascendit autem in cœlum, & sedet à dextris Dei æternus in maiestate, in gloria Patris. Vnde iudex viuorum & mortuorum apparebit in die nouissimo, ad cuius vocem omnis caro resurget, & sancti renouabuntur in incorruptione immortalitatis æternæ.

*Christi visa post resurrectionem.*

### CAPVT IV.

ET nunc, fratres, quem impij occidere putātes morti tradidere, immortalem vos adorate Deum & Saluatorem vestrum Dominum Iesum Christum. In cuius nomine, nisi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis, saluari non potest. Ipse enim ad hoc venit in mūdum, vt omnes homines vocaret in saluationem quæ amissa erat per serpentem in primo Adam. Qui ergo iam Deo per dilectionem mandatorum ac per mysteria sacramentorum eius coniuncti estis, oculos mentis vestræ attollite in gloriam maiestatis & magnitudinis eius.

*Mysteria sacramentorum.*

### CAPVT V.

ANte omniā autem & super omnia, cœlestis sit cōuersatio vestra, nihilque terrenum, nihil diaboli-
C cum, nihilque carnale sapiatis: Gratia enim saluati estis. Nec vllo modo dubitetis, promissiones Dei æternas quas à me audistis, & quas per memetipsum olim tradidi vobis. Iis autem qui sunt increduli, nec acquiescunt veritati, tribulatio & indignatio, & ignis æternus, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Amplitudo denique & altitudo charitatis per vos diffundatur, per quā alterutrū inuicem diligatis, quia Deus & charitas & veritas est, nihilque in eo triste vel mendacium: incommutabilis enim est & virtus Dei, vltra omnem modum & omnem sensum, inæstimabilis.

*Exhortatio ad Pietatē & charitatē.*

### CAPVT VI.

BEne igitur facietis si abominamini idola quæ dudum deos esse credebatis. Hæc autem sunt opera
D hominum, non videntia, neque audientia, quia nec flatum habent, quæ nec se, nec vos quicquam iuuare possunt, quin potius cultores suos in malitiam æternæ tribulationis submerserunt, quia in ipsis manufactis, dæmones damnati, spiritus erroris, subintroierunt, qui hactenus per longa sæcula creaturam, ad imaginem Dei factam, in morte deceperunt, donec nouissimo tempore insequente virtus crucis Dei viui eos dispersidit, & ibi illusionibus quibus ante vos lædebant, coercuit.

*Contra Idola.* *Dæmones in idolis.*

### CAPVT VII.

VIdistis enim, per me, in nomine Domini, quem Iudæi crucifixerunt, & qui tertia die resurrexit à mortuis, dæmones exire coactos de statuis manufactis, in quibus responsa fallacia & plena deceptionum culto-
E ribus suis dabant, & eas iussu meo in nomine Dei per virtutem Christi in puluerem redegisse. Ecce enim tempus quo dæmonibus ablata est potestas decipiendi & nocendi, vt non dominentur hominum fidelium, & vt nihil eos, qui in Deum vnum crediderint, vltra lædere præualeant. Liberati itaque à potestate satanæ, gaudete in Domino, qui liberauit vos, & nolite extollere cornu vestrum aduersus veritatem Maiestatis, quam semel per me cognouistis, & in potentia signorum & curationum efficacem copiosè probastis. Non est enim alius Deus in cœlo & in terra, in quo oporteat vos saluos fieri, nisi Dominus Iesus Christus, quem vobis ostendi crucifixū à Iudæis, & tertia die resurrexisse à mortuis, cuius nomen glo-

*Dæmones coacti exire ex Statuis.*

gloriosum erit in sæcula: Ecce autem ipse reā noster.

### Caput VIII.

*Stephanus tyrannus à D. Martiale baptizatus. Tyrannus quidam suscitatus. Valeria virgo & Martyr.*

Stephanus *a* qui iam cognouit veritatem Dei Creatoris sui, & baptizatus est à me cum tyrannis & satellitibus suis, in gratia Dei quotidie crescit noua seges germinis viui, quā Dominus noster Iesus Christus vsque in finem sæculi per eos quos nouit & prædestinauit, sibi multiplicabit fecūdum diuitias gratiæ suæ, in cuius nomine, sicut multi vestrum videtis, tyrannum eius resuscitaui à mortuis, qui & ipse cum satrapis baptizatus à morte duplici subtractus est. Virgo autē Valeria sponsa regis terrestris, sed melius sponsa Regis cœlestis, quæ per meam prædicationem, virginitatem mentis & corporis Deo deuouerat, & gladio decollata, dum vitam temporalem contempsit, æternam inuenit, & temporalem mortem pro Christo suscipere non recusans, æternam mortem deuicit. Hæc enim per orationem meam Spiritu sancto repleta, magna effecta est in gratia Dei: & ideo prudens virgo ad cœlestia regna peruenit, & diabolum triumphauit. Hæc porrò Spiritus Dei in illa est operatus, qui omne bonum operatur in nobis in Christo Iesu, pro cuius amore & testimonio, inuincibiles semper non cunctamur ferre cum omni patientia gladios carnificum, pro cuius testimonio grata fuerunt nobis vincula, tribulationes, carceres, angustiæ, fames, diuersæque passionum acerbitates. Ipse enim locutus est nobis, dicēs; *Confidite, ego vici Mundū*. Cuius enim gratiæ debetur omnis plena victoria, nisi eius qui de morte triumphator morte sua mortem vicit, & satanam ligans infernum spolians captiuum esse fecit? Sponsus autem virginis adeò est effectus testis passionum Christi, vt in corpore suo cœlestem conuersationē iam præbeat subditis, desideria carnis suæ crucifigens, regnum diaboli minuens, nec solum Christo, qui credidit, Ecclesias per suum regnum, secundum quod Spiritui sancto & nobis visum est, disponere & fabricare gaudeat, sed antiqua templa dæmoniorum & spurcissima fana idolorum destruere, perfectus in fide, videatur. Ipsius enim iussu, idola Cadurci oppidi ac Tholosanæ vrbis & confinis eius, iam nuper diruta sunt: cui etiam obedire debetis in omnibus quia princeps à Deo vobis est constitutus, à quo omnis potestas & paternitas in cœlis & in terra originem ac fortitudinem sumpsit. Quem principem bonū, ad hoc tantum munus perduxit gramen nouellæ fidei, per quam nouus homo factus nouo homini coniunctus est, vt pro suauitate quoque præmij futuri illectus, copulam carnalium nuptiarum deuitauerit per meam prædicationem, quatenus liberior Deo famulari possit, & multas cateruas populorum subdere fonti regenerationis.

*Ioh. 16 g*

*Rex Christianus factus, ædificat Ecclesias, & casti viuit. Idola Cadurci & Tholosanorum diruta.*

a Stephanus qui iam cognouit, &c. *Habebat iste dux Stephanus principatum à fluuio Iordanis vsque ad mare Oceanum, possidens omnium circa Ligerim, regionem (sic enim habet sanctus Aurelianus siue quis alius sit author vitæ Sancti Martialis, quo loco citra controuersiam pro,* Iordanis *legendum est,* Rhodani*) omnemque Aquitaniam sin Vasconum & Gothorum gentes vsque ad montes Pyreneos, Rex tamen non vocabatur licet Rex esset potentissimus Galliarū; quia nemo alius propriè in Occidēte hoc nomen sibi tunc imponebat, nisi solùm Romæ Nero qui Romani Imperij principatum tenebat. Lemonicā verò Ciuitatem aliquando ingressus Stephanus, Valeriam virginem sponsam suam (de qua hoc eodē Capite loquitur S. Martialis) ad se euocari iussit; cumq; cœlestis Regis Sponsā factā, Terrestri non nupturā intellexisset, decollari iussit. Plura de eiusdem Stephani Regis resipiscentia & conuersione ad Christum, & S. Valeriæ Martyrio, vide in eadem Historia.*

### Caput IX.

*De Nuptijs.*

Nec ideo tamen prohibemus nubere legitimo cōnubio, cùm & hoc coniugium honestum concessum sit & constitutum à Deo ab initio mundi, in multiplicationem generis humani. In tantum enim Dominus meus & magister Iesus Christus legitimum & immaculatum thorum cōnubij approbauit, iis qui in sanctificatione & honore castitatis nubere volunt, vt ad quasdam nuptias inuitatus, eas præsentia suæ maiestatis sāctificauerit, & miraculo magnificè stupendo lætificauerit. Ibi sex hydrias plenas aqua factas, aqua in vinū mutata, visceras ostendit; & cunctos qui aderant, beneficio tanto valde lætificauit. Hebræis quoq; eum interrogantibus, *si liceat homini dimittere vxorem*: respōdit dicēs: *Non legistis, quia qui creauit ab initio hominem, masculū & fœminā creauit eos, & benedixit eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terrā, & terror vester sit super cuncta animantia terræ? Quod Deus coniūnxit, homo non separet.* Nam & pater noster Adam primus factus ex limo, vxorem cepit ex costa propria plasmatam, de qua protestatus est dicens; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Hæc vocabitur virago, quia de viro assumpta est, Quapropter relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Vnde Dominus & magister meus, Hebræis sciscitantibus, hæc quoque subintulit dicēs: *Ego autem dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, mœchatur, & qui dimissam ab alio duxerit, mœchatur.* Vltra huoc autem gradum homini licitè cōcessam, *b* Viduitatem præmio maiori constituit. Sed & tertium excellentem gradum honestatis in virginitate demonstrauit nobis perfectum, & per omnia similem Angelicæ dignitati, ad quem inuitabat nos dicens; *Non omnes capiunt verbum hoc, sed qui potest capere, capiat.*

*Iohā. 2. a*

*Mat. 19. b*

*Gen.*

*Viduitatis præmium maius quam Coniugij.*

*Mat. 19. b*

### Caput X.

*Viduitatis recōpensatio.*

Ideo prædico vobis, quicunque in vobis viduitatem propter recompensationem elegerint, non fraudabuntur munere claritatis Dei: qui verò in sublimitate excelsiori permanserint, virgines esse eligentes; centuplicatam in perpetua benedictione gloriam consequētur. Nam qui in virginitate singulari, virginitatem matris suæ elegit, qui mortuus, & resurrexit primogenitus ex mortuis, magnificētius secum qui tales esse elegerint, in benedictione & regno Patris exaltabit. Omnis autem per Ecclesiam Deo regeneratus, incorruptionem fidei possideat, ne corrūpatur perfidia serpentis, quia Ecclesia sancta & virgo effecta est, quam Christus resurgens à mortuis, sanguine suo sanctificauit, & per omnia immaculatam constituit.

### Caput XI.

*Suffocatū ne edās.*

*Dei prouidentia.*

De alijs verò admonere vos volo, vt custodiatis vos ab immolatione & suffocatis, vt sit omnis fornicatio longè à vobis. Immunditiam fugite; quia iam sanctificati estis, & in sanctitate Deo seruite. Cauete autem à furtis & rapinis, & ab omni auaritia, & nolite inuicem insidiari. Certi estote, neminem effugere posse præsentiā Dei viui, qui de cœlo respicit super filios hominum. Cui si attentius seruiatis, omnem malitiam & venenum diaboli conculcabitis.

### Caput XII.

*Regnum Dei.*

*Ordines Angelorum.*

Mementote verò sermonis mei quē sæpè dicebam vobis, quanta & qualia in cœlo præparata sunt sanctis & timentibus Deum. Omnis enim potentia & gloria in regno Dei indeficienter permanent, quæ nec augeri nec minui possunt. Ibi enim sunt thesauri sapientiæ & scientiæ perennes, in eo qui nos vocauit in regnum & gloriam suam. Ibi ordines multitudinis laudantium Deum, Angelorum & Virtutum, quæ per ipsum Verbum, per quod omnia facta sunt, creatæ, in laudibus Creatoris sui quiescunt. Ipse laus & requies eorum, & spectatio noua, *in quam sēper desiderant prospicere.* Vbi

locum habet virginitas, continentia, castitas, longanimitas, expectatio, charitas. Quò fides & spes, timor & munditia tendunt. Ibi veritas & iustitia, & pax & obedientia mandatorum Dei, locum paratum habent ab origine mundi. Multa millia illic Potestatum & Archangelorum in intima luce gloriæ Dei creatoris sui contemplari desiderant. Hæc autem vobis communia erunt, si proximi Deo fueritis, si amatores eius, si imitatores. Ille enim pastor pastorum, & rex regum vobis reliquit exemplum quod decenter ornat conscientiam vestram.

## Capvt XIII.

*De Christi benignitate, & refugienda auaritia. Osculum Iudæ datum.*

AVdistis namque à me exemplum patientiæ ipsius, quia cum malediceretur non maledixit, qui sicut agnus innocens, ante tribunal corruptibilis iudicis se iudicari permisit. Nam & discipulo suo à quo tradendum se nouerat, dulcedine suæ bonitatis, nobis trementibus & intuentibus sæuitiam eorum qui eum comprehendere venerunt, osculum dedit. Qui autem eum tradidit, condiscipulus nobis erat; sed merito auaritiæ suæ, plenus iniquitate, quia pretium Mundi vendidit, obligatus in nequitia desperationis suæ, vt etiam venia semetipsum indignum faceret, non sustinuit pœnitentiam, donec laqueo mortis semetipsum consumpsit.

*Auaritia fugienda.*

Tantam ergo iniquitatem auaritiæ execramini, filij mei amantissimi gloria mea & corona: & nolite iterum vos tradere in mortem æternam, quam iam per Dei electionem euadere meruistis. Et nolite reuerti ad pristina noxia, in quibus seducebamini secundum carnem, sapientes tantum ea quæ carnis sunt: nondum enim tunc noueratis sapere secundum spiritum.

## Capvt XIV.

*De conscientia bona retinenda, & improbis nõ metuendis.*

DE cætero itaq; gaudete quia euasistis laqueos auaritiæ, facti sinceri & irreprehensibiles coram Deo & hominibus, & sine offensa. Veritatem ex corde purissimam ostendite, vt nunquam in ipsum mentiri inueniamini. Habemus enim testem veritatis & conscientiæ nostræ Deum magnum omnipotentem, & Filium eius Saluatorem nostrum, & Paracletum Spiritum, qui charitatem Dei infudit cordibus nostris. Cui per omnia semper placẽtes, inueniamur veritatis amici, ne timeamus vllo modo filios mẽdacij, qui inuidia & multis peccatis obcæcati, indigni sunt cognoscere veritatem Dei; & si cognoscunt, non eam diligunt, quin potius persequuntur quantum in ipsis est, quorum vindicta in proximo instat, quia quod nolunt, recusant, quod volunt, approbant; quorum taciturnitas (si non eam per se persequerentur) sufficeret illis ad damnationem gehẽnæ; nunc autem quia cognitam persequuntur, centuplicatam sibi gehennam adquirunt. Ne ergo timueritis, neque formidetis, sed neq; admiremini eos. Vapor enim est nebulæ malitia eorum, quæ cito pertransibit, sicut fumus noxius oculis. Deus autem veritas in sempiternum permanet. Et veritate delectatur Dominus Deus noster, mendacio autem irritatur. Non enim est mendacium ea Deo, sed ex diabolo.

*Veritas & mendacium.*

## Capvt XV.

*De oratione pro infidelibus. 1. Thes. 5.*

ROGATE tamen pro talibus, obsecrationẽ ad Dominum facientes, vt si non cognoscunt claritatem veritatis quomodocunque, saltem ab ignorantiæ nocte resurgant, & aperiantur oculi eorum ad intelligenda diuina, & pietatis plena mysteria. Qui verò puritatem veritatis cognoscunt quidem, sed non diligunt, orate pro eis, vt purgentur à malitia & nequitia cordis sui. Pro vobis *sine intermissione orate*; vt nũquam veritas in intelligentia vestra obnubilationem aliquo modo capiat (quod absit) sed semper quotidie augmentetur ad salutem vestram in gloria Dei Patris: Oratio siquidem vobis necessaria est. Instantes itaque orationi, instate quotidie, quia aduersarius vester in circuitu quærens, vt fera pessima, quem ex ouibus Dei dilaceret; qui maximè per fidẽ stabilẽ & orationem puram atque assiduam fugit ab ouili Dei. Orate autem in gloriam Domini, & quicquid exhibetis fratribus, per gloriam Dei exhibete, non per inanem gloriã, & vosmetipsos in gloriam Dei continete. Petitiones in salutem æternam quærite, regnum Dei, & iustitiam eius petere maximè desiderate, & cuncta necessaria vobis à Deo tribuentur. Patrem omnium, Deum in cœlis regnantem, semper inuocate: vt veniat eius regnum deprecantes, fiatque eius voluntas in vobis sicut in angelis cœlorum.

*Vis orationis.*

*Orationi quid petendum.*

## Capvt XVI.

*De odio & detractione.*

VObismetipsis inuicem donate, vt sine impedimẽto fiant orationes vestræ, & odium fratribus nolite tenere, neque alicui detrahere inueniamini, & insuper aures à detractoribus auertite. In hoc enim cognoscẽt nos omnes, verè oues Christi esse, si dilectionem simplicem & sanctam habuerimus ad inuicem. Tunc autem amici Dei eritis, nec iam vos vocabit seruos, sed amicos suos, quia in dilectionem consummabitis.

## Capvt XVII.

*De nõ metuẽdis concilijs malignãtium.*

QVum verò impietatem amantes, qui sunt longè à dilectione Dei & mandatorum eius conuenticula contra vestram, imò contra gloriam Dei, vt verum eius lucidissimum in æternum obscurare in aliquo possint, inter se egerint, nolite dubitare in fide Dei, sed vosmetipsos in Spirito sancto cohortantes in laudes gratissimas Deo datori omniũ bonorum credite, qui vos gloria sua dignos efficiet & sub omni celeritate tanquam oriẽs sol in serenitate lucidissima atque placidissima post tetram noctem ad vos dignabitur per gratiam venire & caligines omnium inimicorum vestrorum in momento ad nihilum rediget. Vobis autem dabit lætitiam angelorũ, & claritatem cœlestem superabundantes quam petitis aut intelligitis. Deo enim cura est de vobis, & nouit nequitiam insidiantium vobis, vt puniat eam tempore cõgruenti. Vos autem ereptos à malitia diripientiũ, superiores illis faciet, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Vobis enim est testis scrutator renum & cordiũ. In eius obedientia nihil arroganter, nihil superbè, nihil temerè præsumere, sed tanquam pusillus grex Dei, volũtatem eius adimplere studete in verbis sanctis & operibus bonis. Etenim frequens & assidua Dei custodia super vos, qui moderatur vos in bonitate clementiæ suæ, annuet vobis secundum dignitatem & omnipotentiam magnitudinis & maiestatis suæ.

## Capvt XVIII.

*De contemptu Mundi. Retributio.*

VÆ autem illis qui præsentibus intenti Deum non diligunt, & vos persequuntur; non enim vos, sed Deum persequuntur. Patitur enim Deus in vobis qui in eum creditis, & retributionem eius expectatis cum conscientia & fide apud eum integra. Quando autem patimini propter iustitiam, gaudete, & de iis quæ in tristitia cordis vestri accidũt, nolite mirari. Est enim permissio ista, probans & examinans corda vestra, si verè diligitis. Aduenæ estis & incolæ huius mundi, velut peregrini, ideoque expectate hæreditatẽ regni Dei, quod post exilium mali huius sæculi, à Deo, cum gaudio possidendũ percipietis, & si quotidie peregrinamini in multis tẽtationibus & casibus dolorum & ærumnarum quas perfertis. Quid ad vos delectatio mundi? Mundus enim sine fide, infidelis, vos autem in fide & remuneratione gratiæ.

### Capvt XIX.

*De futura Christianorũ libertate.*

COnfido autem de vobis in Domino, quod liberabimini velotiter à Serpentibus Insidiosis, & aduersariis qui vobis propter iustitiam Dei detrahunt; qui vos volunt habere io confusionem, & in opprobrium, & in damna temporalia: de quibos etiam eripiat vos mirabiliter omnipotens Deus; qui nunc vos habent io derisum & similitudinem Improperij, qui valde torquentur io vestra bona fama, & gloriosa coram Deo & sanctis eius fiducia, dicentes vos incassum laborare propter Deum, & tanta mundi huius delectaměta, propter vim virtutis & præceptum Dei inane, contemnere. Est enim qui vobis fidem tribuit, & cui curatis placere, cuiusque voluntati concordare maloistis: & concordatis prout nostis & potestis: protector & cornu salutis vestræ, exaltatio atque refugium vestrum in die visitationis, quando cuncta discernet io veritate & æquitate, iudicaturus vonmquemque iuxta vias suas, & iuxta fructum adinuentionum suarum, vos autem adinuentionibus vestris nihil agitis: nec sapitis. Nec enim post cor vestrum ambulare debetis, sed potios in puritate Deo gratissima volontatě cõstitutionis Dei adimplere paratis: estis enim populus Dei, audientes eum & in vijs eios ambulantes. Ideò inimici oostri pto nihilo humiliabuntur à Deo, & super tribulantes vos erit manus Domini in vindictam & vltionem debitam. Qui enim mentiri suot Deo, inimici eius sunt, & erit tempus eorum io sæcula, io tormeotis secundum rectitudinem iusti iudicij Dei, quem
a expectamus vt consoletur vos, sicut & consolari dignatus est nos.

### Capvt XX.

*De futura fides Christianæ gloria.*

ECce per eum qui in me loquitur, Dominum meum & magistrum Iesum Christum anuntio vobis. Iam instat regnum eius, iam fulget supra solem oomen eius, iam prædicantur per omnem terram opera magna & mirabilia. Iam sobdidit sibi principem harum prouinciarum, & fororum vt subdat sibi principes totius Orbis. Iam excussit iugum diaboli de ceruicibus suorum fidelium, iam ea integro confirmabit gloriam regni sui in vobis. Vnde omnis Ecclesia exultatione inenarrabili replebitur, fine vlla cunctatiooe festinanter, & gaudio quod nunquam possit auferri à diligentibus claritatem & veritatem & gloriam Dei, qui est Iesus Christus Dominus noster benedictus in sæcula, Amen.

Coofracta est dénique catena diaboli, quá ligatos Dei seruos incredulitate tenebat, coius sectatores maligni in suis iniquitatibus assumětur, & supercilio suo deiicientur vsqoe ad profundum nouissimi, iu quo non est aqua, sed ariditas perpetua cum igne æterno, vnde nunquam extrahentur. Quod si resipuerint à malitia sua, liberabuntur ab eo cui nihil est impossibile: Deo enim omnia sont possibilia. Et si liberatio eorum peruenerit, & hoc donum, & victoria, & immensa gratia erunt in eis sicut & in vobis.

### Capvt XXI.

VOs eoim scitis quomodo resistant & veritati, sed gratias Deo ago qui liberauit vos à Lege peccati & mortis, qui inspirauit cordibus vestris ea velle, quæ & ipsi desiderat, atque io vnitate suæ bonitatis per gratiam adoptionis vos adunauit. Nunquam ergo deficiatis ab oratione pura, nunquam de Dei nostri largitáte desperetis; quia salubriter, quæ desideratis, adhuc differt vt accendantor multò magis desideria vestra in eum. Obseruate autem eos qui in hypocrisi loquuntur mendacium, vt vos de via veritatis quam cum Deo elegistis, auertant in semitas iocongruas iniquitatum & negligentiæ. Et quantò magis per ipsos pulsát ostium mentis vestræ Satanas volens irrumpere intro, & germen pietatis in vo-

*Orationi instandũ contra fidelium tyrãdis. Hypocrisis fugiẽda.*

A bis obruere, eo magis solidi in charitate & firmi in fide, & alacres in spe Dei gloriæ, talibus resistite viriliter, scientes quod pertrãsibunt sub omoi celeritate quæ vobis contraria sunt, Deo pro vobis pugnantě, permanebunt autem in æternum quæ per gratiam Spiritus Dei constituta sunt vobis. Est autem hæc hora nouissima, in qua oportet ab infidelibos veritatem reprobari, fabulas autem quæ ipsis placent, pro firmitate muri spiritualis extolli, quum sit citissima casura parietis eorum, quia linitus est absq; temperatura, nec sunt veraces qui liniunt eum, sed prophesantes mendacium. Sed & plantatio eorum, si aliquid etiam germinis emerserit, eradicabitur, vt non appareat vestigium laborum eorum. Vestra autem plantatio, quam in vobis pater cœlestis plãtauit,
B nullo modo eradicabitur, & vsque ad cœlos cœlorum, & ante conspectum Domini sine fine coronanda amplificabitur, in augmentatione dexteræ virtutis Dei, qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit.

### Capvt XXII.

*De tributione bonorum, & Dei gratia.*

VNde, fratres mei, vobis erit magna Dei retributio in bonis gloriæ suæ, qui ei obeditis, qui eũ imitati fuistis, cuius volũtas requieuit in vobis, qui pro eius nomine tanta ab iouidia serpentis aotiqui passi estis hucusque. Non autě vos estis qui vincitis inuidiam satanæ, sed Deus & pater omnis gloriæ, fortitudině incredulorum & aduersantium atq; iosidiantiũ vobis, in vobis deuincit. Nec enim vos estis victores, sed Deus omnis gratiæ
C io quem fideliter creditis & aspiratis, quem verè diligitis. Ideoque nihil meritis vestris ascribatis, quasi non egentes Dei gratia, *quia sine Deo nihil potestis facere.*

### Capvt XXIII.

*De fugienda murmura & metuenda gehenna.*

COmmẽdo autem vos Deo io gratia eius in qua statis, vt liberet & custodiat vos à malis omnibus, non solũ in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et valde congratulor fidei vestræ in qua Deo seruientes attentius ei placere desideratis. Porro à murmuratione custodite corda vestra, & timete torměta æterna; tormenta amara & intolerabilia, quibus peccatores, & qui Deum non nouerunt, punientur, & qui cognitum non dilexerunt. In quo
D exẽplo cruciatum gehennæ, sæpè videtis tribulationes quibusdam imminere io corporibus ardẽtibus; quas tamen qui in gratiarum actione sustinent, coronam sibi acquirunt. Non ergo admiremini, videntes igoita in ferocitate cruciari innoxios. *Quos enim diligit Dominus, flagellat.* Ipsos autem qui mei filij suot, si senrimus in contumacia proteruitatis post baptismum, nullo modo perturbamur, sed magis coodolemus illis.

*Tribulationes sũt exẽplum gehennæ. Hebr. 12. b.*

### Capvt XXIV.

*De orãdo pro infidelibus.*

VEstra autem oratiooe tales opus habent vt oretis pro eis, quatenus diabolus à cordibus eorũ auferatur, qui eos ad hoc incitat cõtra nos, vt in æternũ demergat Interitum. Quãdo autem præseos fui vobis corpore, vnanimi dilectione me habuistis in charitate Chri-
E sti, ideoq, plurimũ congratulatus sum in Domino, vestræ sanctæ fidei & dilectioni. Et hac de re oratio nostra continoa pro vobis est ad Deum, vt hic & in futuro à malis omnibus vos eripiat. Abseos verò corpore, erga vos eandem dilectionem possideo; & ideò maximè, quia scio eam vos erga memetipsum possidere. Talis enim dilectio amabilis Spiritui sancto est, per quam venietis ad gaudia claritatis Domini, vbi cuncta vobis gloria affluet, quæ nunquã minoratur in persecutionibus. Denique quia sustinetis eos à superbis huius sæculi, nolite à fiducia domini desperare, sed ad eum corda vestra conuertite, qui vos liberabit à præsenti & futura ira.

*D. Martialis Charitas erga Tholosanos, & eius pro illis orationes.*

### Capvt XXV.

*Tempora nõ obseruanda.*

OBseruationes aotem dierũ & temporum atq; astrorum nolite attẽdere, quibus Gentes idolis deditæ

*Gal. 4. b* inteodunt, & tali obseruatione à diabolo decipiuntur & à veritate relinquootur. Confide ergo in poteotia Domini Iesu Christi, cuius clementia immensurabilis est, cuius potestas ineffabilis, cuius gloria semper & in æternum desiderabilis, quia ounquam derelinquet vos, sed in omnibus vbiq; vobis aderit, sicut ipse nobis pollicitus *Mat. 28. d* est, dicẽs: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ sæculi.* Ipsi eoim omnia abscõdita pateot, & oihil sine eius voluntate potetit vobis euenire. In illius coutemplatione mentem vestram assiduè figite, & præter eum oihil diligatis, quootam ipsi cura est de vobis.

### Capvt XXVI.

*Victoriã & pacem promittit Velosianis.* Qvod vero in vestra postulatione à me petitis, sciote confidentes quia à Deo tribuetus vobis vltra quam petitis & iotelligitis. Ipse enim est pax, ipse omnia superat bella, ipse vobis victoriam de inimicis, pacem firmam & sine sanguioe dabit. Hæc est enim voluntas eius & gloria, & de vestro bono desiderio congaudet. oosque ei gratias referimus, qui sedet ad dexteram Dei patris in gloria Spiritus sancti.

### Capvt XXVII.

Salutate in perfectiooe pacis qui diligunt Dominum Iesum Christum, pro impijs vero assiduè orate, vt ad A veritatem Dei conoertantor, per quam gloriam & in qua permanemus, & cum qua sioe fine perpetuam Dei visionem cootemplabimur. Pro qua etiam millies corpus oostrum sub omnibus tormentis morti dare optamus. Est enim visio Dei qua sola angeli perfruuntor, & omnes perfecti in dilectione eius, ad quam peruenire desideramus quotidie suspirantes ad illius inæstimabilem gloriam. *Orãdum pro impijs.*

### Capvt XXVIII.

Fatigari autem vos oolo vsque ad me, quousque nuncium meum vidẽtes sine aliqua hæsitatione ad præsentiam oostram veniatis, vt præsentes inuicem in gloria B Christi gaudeamus, qui absentes eius dilectionem & præsentiam omuipoteotiæ suæ omni hora præ oculis habemus. Pax vero & omne bonum, omnisque consolatio, oro Deum vt iugiter maneat in vobis, languorem autem ac oequitiam & omne peccatum, & quicquid esse potest molestum procul faciat Dominus à vobis, vt animæ vestræ in gloriam Dei sine corruptione perueniant, & absque metu diaboli, corpora autẽ vestra sine macula peccatorum præsenteutur Domino in resurrectiooe carnis ad diem vniuersalis iudicij, Amen.

FINIS

*Hæ duæ epistolæ, his temporibus, à Domino reuelatæ sunt & repertæ in sacrario Basilicæ S. Petri, in vrbe Lemonica, vbi hactenus latuerunt defossæ in arcu saxea sub terra: quæ præ nimia vetustate vix legi potuerunt.*

## PII I. PONT. MAXIMI VITA.

Ex libro pootificali Damasi Papæ.

PIvs *natione Italus, patre Ruffino, frater Pastoris, Aquileiensis, Antonini Pij temporibus sedit annos 19. menses 4. dies 3. Sub eius Episcopatu frater ipsius Hermes scripsit librum, in quo mandatum continetur quod ei præcipit Angelus Domini cùm ad eum veniret in habitu pastoris, vt sanctum Pascha die dominico celebraretur, &c. Vixit ad annum 147.* *Hermæ Pastor.*

Ex Euseb. Ecclesiast. Hist. lib. 4. Cap. 10.

*Hygino post quartum sui Pontificatus annum defuncto, Pius Ecclesiæ Romanæ procurationem obtinet, Nonus à Petro & Paulo, Niceph. lib. 3. cap. 10.*

## PIVS EPISCOPVS ROMANVS, FRATRI IVSTO EPISCOPO.

*Titulum assignare Missas agere.* ANtequam Roma exisses, soror nostra Euptepia, sicut benè recordaris, titulũ domus suæ pauperibus assignauit, vbi nũc cum pauperibus nostris cõmemorantes. Missas agimos. De te autẽ, superbeate, postquã ad senatoriã vrbẽ Viẽnensem perrexisti, quid factum sit, nosse cupimus, & vt semeotẽ Euãgelij iam sparseris, audire multom desideramus. Presbyteri illi qui ab Apostolis educati vsque ad nos peruenerunt, cum quibus simul verbum fidei partiti sumus: à Domino vocati, in C cubilibus æternis clausi teoentur. Sanctus Timotheus & Marcus per bonum certameo transieruot. Vide frater vt illos imiteris sequendo, oeque vinculis mundi illigeris. Festina palmam perseuerabilem cum sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit, & Petrus, cui, crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutant te Soter & Eleutherus digni presbyteri: Saluta fratres qui tecum viuunt in domioo, Cherintus primarches Satanæ multos auertit à fide: Gratia Christi habitet in corde tuo. *Clausi cubilibus æternis.* *Digni presbyteri.* *Cherinthus.*

## PIVS EPISCOPVS ROMANVS, FRATRI IVSTO EPISCOPO, 2.

*Episcopi collega.* ATtalus Epistolas Martyrum portans ad nos venit, gaudium oobis inæstimabile faciens de triompho eorum: qui diait nobis sanctum Verum collegam nostrum, victorem de Mundi principe triumphasse. Tu vero apud senatoriam vrbem Viennensem eius loco à fratribus constitutus, & Colobio Episcoporũ vestitus, vide vt miuisterium quod accepisti, in Domino impleas. Cora aotem sanctorum Martyrum corpora sicut membra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum. Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide, Martyria sancta, Spiritu *Colobiũ Episcoporum.* *Martyrũ sepultura.* D sancto proba, vt perseuerent in fide, eis incitator insiste. Presbyteri & diaconi non vt maiorem, sed vt ministrum Christi te obseruent, plebs vniuersa saoctitate tua protegatur, Fratres oostri quos per Attalum recognosces, de tyraoni sæuitia iam liberati requiescunt in Domino. Presbyter Pastor titulum condidit, & dignè io domiuo obijt. Reuelatum mihi esse scias, collega beatissime, citius me finem huius vitæ facturum. Vnom flagitabo, io communione sta, & me ne obliuiscaris, Salutat te Seoatus pauper Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum, qui tecum sunt, in Domino. *Episcopi officium.* *Fratres pro christianis.* *Titulum condere.* *Stare in Communione.* *Senatus Christi Romæ.* *Collegiũ Fratrum.*

COR-

## CORNELII PAPÆ VITA

Ex D. Hieronymi Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

*COrnelius Romanæ vrbis Episcopus, ad quem octo Cypriani extant Epistolæ, scripsit Epistolam ad Flanianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica & Aphricana, & aliam de Nouatiano, & de his qui lapsi sunt, tertiam de gestis synodi: quartam, ad eundem Flauianum, valde prolixam, & Nouatianæ hæreseos causas & anathema continentem † Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo Volusiano, cui, ob Christum, martyrio coronato, successit Lucius.*

† Harum 4. Cornelij Pont. Max Epistolarũ nullam edidit R. P. D Surius in Corpore cõciliorũ. Area Domini, ventus persecutionis agitata, Missas agere.

### CORNELIVS EPISCOPVS ROMANVS,

FRATRI LVPICINO VIENNENSI EPISCOPO, S.

SCIAS frater charissime aream dominicam vento persecutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum, Christianos, vbiq; tormentis variis affici, nam in vrbe Romana, Imperator ad hoc cõstitutus est: vnde publicè neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet; A Exhortetur itaque charitas vestra omnes credentes in Christum ne timeant eos qui occidunt corpus, sed potius eum qui habet, corpus & animam, potestatem perdendi. Iam plures fratrum martyrio coronati sunt. Ora vt perficiamus cursum nostrum, nobis à Domino reuelatum. Vale frater in Domino & saluta omnes qui nos amant, in Christo.

Exhortatio ad martyrium.

### SANCTI PATRIS ANTONII MERITO MAGNI ABBATIS VITA.

Ex S. Hieronymi Catal. Scriptorum Ecclesiastic.

*ANtonius Monachus, cuius vitam Athanasius Alexandrinæ vrbis Episcopus insigni volumine prosequutus est, misit Ægyptiacè ad diuersa monasteria, Apostolici sensus sermonisque, Epistolas 7. quæ in græcam linguã translata sunt, quarum præcipua est ad Arsenoitas: floruit sub Constantino, & eius filijs regnantibus. Vixit annos. 105.*

### EX EPISTOLA SYMPHORIANI CAMPERII AD HECTOREM: DALLVM SEDIS APOSTOLICÆ PROTONOTARIVM

*VEnio igitur ad diui Antonij Epistolas, quas & Ægyptiacè scriptas, & Græcè interpretatas, nuper verò à Valerio Sarasio Latinè scriptas, ad me misisti. Quarum grauitatem ne an suauitatem plus admirer nescio. Namque aptissimè exorditur Antonius, lucidè prophetarum narrat historias, inuehit acriter, variè ornat. artificiosè complectitur, tam aptè, tam ornatè, tam copiosè, tam pulchrè in Epistolis orauit Antonius. Quid hac Antoniana oratione perfectius? Quid absolutius? Quis modus? quis ordo? Nunquã ini Hector æque delectatus sum. Huius Antonij vitam scripsit Athanasius, testatus quòd visitauerit Maximianum Imperatorem, vt martyr fieret, qui & præuidit in spiritu futurum scandalum Ecclesiæ per Iulianum apostatam, de Christiano futurum paganum. At hinc descendens per Thebaidem, visitauit Didymum Episcopum Alexandriæ, à natiuitate cæcum. Paulum primum eremitam, Deo iubente, sepeliuit, nec est idonea causa, cur aliquis Diuum Antonium theologiæ ignarum fuisse censeat. Nam si sic res haberet: Ægypti sacerdotes, Antonium, vt symbolo fidei magni Athanasii testimonium daret aduersum Arrianos, non conuocassent. Eodem argumento & Athanasius & Didymus, cæterique Ægypti qui Antonium conuocarunt, Theologi rudes dicerentur. Obijt autem hic sanctissimus pater omni præconio dignus, in Thebaide, Anno Domini, ccclx. ætatis suæ anno centesimo quinto. Cuius cùm corpus diu latuisset, postea imperante magno Imperatore, diuina reuelatione repertum fuit, & ex Thebaide Alexandriam primò delatum, postea in Galliam Allobrogum translatum prope Viennam vbi condigno honore nunc vsque requiescit. Quòd à summis pontificibus Innocentio octauo & Alexandro sexto fuit confirmatum.*

Symbolũ Athanasij.

### SANCTI ANTONII, MERITO MAGNI ABBATIS SANCTISSIMI, AD FRATRES SVOS, DE DIVINA VOCATIONE, ET MVLTIPLICI corporis motu, EPISTOLA I.

PRIMVM saluto vos in Domino Existimo autem animas quascunque apprehenderit gratia Dei vocantis ad prædicationem suam per verbum proprium, habere tres modos seu masculos seu fœminus. Quidam enim per testamentariam legem & inditum in eis semel bonum à prima sui conditione pertingere verbo Dei ad eos morati non sunt, sed perrexerunt parati cum eo, sicuti & noster progenitor Abraham, cui primò, quia porrexit indaginem Deus per testamentariam legem, apparuit dicens: Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni ad terram quam ostendero tibi. At ille in nullo hæsitans, paratus fuit in vocatione. Hic autem figura erat primæ vitæ huius institutionis, quæ nunc vsque perstitit in eis qui eius sequuntur vestigia. Vnde & iterum si animæ sic sustineant & ita egerint, facile easdem virtutes assument, eo quod B parata sunt corda earum repleri Spiritu Dei. Et hæc institutio prima. Huic verò secunda existit de iis qui audiunt scriptam legem testificantem eis vniuersa supplicia quæ peccatoribus præparantur, & annunciantem de sanctis promissionibus ad eos qui proficiunt, quibus & per testimonia inscriptæ legis sobria voluntas existit, & per hanc quæsierunt intrare in vocatione vocantis. Sic & Dauid testificatur dicẽs: *Lex Domini immaculata, cõuertens animas* Et in hoc eodẽ loco, *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorũ illuminat, & intellectum dat paruulis.* Sed & alia quàm plurima, de quibus modò non possumus enarrare porrò tertia institutio est, in quaduris C cordibus sæpè vitia & in peccati operibus permanentibus, aliquoties benignus Deus infert labores ad increpandum, donec sentiant per ærumnam, & pœnitentes ex toto, accipientes & ipsi virtutes quemadmodum & illi de quibus prædixi. Hæ igitur sunt introductiones tres in animabus quæ ad pœnitudinem veniunt, donec adipiscantur gratiam & vocationem filij Dei. Sed puto quòd

Margin notes: …ar …ico, …erbum modo. Vocatio diuina per internã inspirationem Gen. 12. a. Secunda vocationis diuinæ genus; per lectionem Scripturæ. Psal. 18. Psal. 118. 3. Vocatio per tẽtationes afflictionis. Qui nam sint vocationis primæ vocatione:

A eos primus vocet ſpiritus qui ingrediūtur ex toto corde certamen,&ordinant ſemetipſos ad ſuſtineodū in omoi luctatione aduerſari; donec deuincant eum. Præſtat verò eis & lenitate io omnibus iuoans eos ſpiritus, vt indulçentur in illis opera pœnitentiæ. Ponit eis terminos per modum quendam pœnitudinis in corpore & anima eorum, vſquequò doceat eos etiam conuerſionis modum ad Couditorem proprium, Deum. Nec non & præbet eis viulentiæ compulſionem in anima diſcurrentem & corpore, vt vtraque ſanctificari queant; vt eodem modo hæreditatē vtraq; ſumant. Corpus quidem in ieiunijs crebris & vigilijs atque ſolettia, miniſterijs quoque quæ ſacit in corpore. Conandum hoc in omni fructificatione caroali. Spiritus quoque pœnitentiæ de-

B ductor efficitor, & in iſtis tentant eum in his, ne qua ſit ioimicitia ad conuertendum ſorte rettorſum. Tum verò ille deductor ſpiritos incipit adapetire animæ oculos ad pœniteotiam exhibeudam; & vt ſanctificetur etiam ſeoſus diſtractiouem intermediam præbet incipiēs doceri à Spiritu ſanctificare corporis & animæ pœnitentiam, ſenſu edocto per ſpititum deducentem nos ad illud animæ corporiſque agendum, qui ſanctificans omnia ac diſtrictiooem præbens vt carnis miſceatur fructus ad vniuerſa corporis naturalia ea quibus tranſgreſſio fuit, & adducit vuumquodque corporum naturalium ad priorem conditionem, non habens aliquid alienum aus hoſtile ſpiritus. Corpus ſiquidem religatur ſub poteſtatem ſenſus doctum à ſpiritu ſecundùm eloquium Pauli; *Obculco corpus meū, & in ſeruitutē redigo.*

1. Co. 9. d. — C Quoniam verò ſeoſus anteà ſemetipſum ſanctificat in eſcis & potationibus à ſopore, ſemel ac ſimpliciter in cunctis motibus ſuis, quique & naturalem copulam ſegregauerunt ſanctificationi propriæ. Reor autem tres corporis motus exiſtere. In ipſo enim eſt naturale corporis concretum illi, quod tameo non operatur aut efficit aliquid ſine animæ voluotate, niſi quòd iudicat in corpore ſolū. Nam & alius motus exiſtit ex paſtu corporis multorum ciboruū ac potuum, ea quibus ad inflatio ſanguinis orta, per eſcas oppugnat totius animæ corpus epularum ſumptione per motum. Ob hoc & Apoſtolus ait: *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* Deinde Domino nunciāte diſcipulis ſuis in Euāgelio, dicitur: *Videte ne quādo grauētur corda veſtra in eſca & potu, ſiue delicijs.*

*3. Motus corporis, vnus à natura, alterà victu & rebus externis, à Damone.*

Eph. 5. d.

Luc. 21. g.

1. Cor. 9. d. *Ordo tētationū.*

D Inquirētibus præſertim meoſuram ſaoctificationis debitum eſt iſtud differre; *Caſtigo corpus meū, & in ſeruitutem redigo.* Tertius verò motus eſt Spirituū malignorū tentantium per liuorem, ac volentium flaccidiores efficere eos qui conantur ſanctificare ſemetipſos. Veruntamen ſi in iiſdem tribus modis ſuſtioeat anima ſemetipſam teſtimoniis quibus ſpiritus docuerit ſenſum, ſanctificabitur in vtroque ab illo languore triſormi. Sin verò dimiſerit ſemetipſum ſenſus à teſtimonijs quibus ſpiritus teſtificatur ei, tunc maligni ſpiritus ſuperſederunt congregationi corporis, & oppugnant illo motu vſque dum anima ſatigetur & iocipiat requirere vnde auxilium veniat; conuerſáque re apprehendat ſpiritus teſtimonia, ac ſanetur. Tunc etiam ei dat quòd vnica ſit requies poſtulanda à Deo, & quia ſic fit pax eius. Hæc au-

E tem aſſerui ad pœnitendum in corpore & anima, & qualiter oporteat mundari eam; cúmque ſumpſerit tale certamen, tunc nuncia ſpiritus adſunt, & incipit diſcernere, & iam ægritudines aoimales quæ acceduot & per proprias voluptates. Tunc ſi quidem erit participatio ſpiritus cum ſenſu, per cuſtodiam mandatorum quæ ei tradidit; & docet eum curare omnem languorem propriæ animæ, vnumquodque eorum diſcernens ei permiatione accepta in corpore naturalium ac reliquorum quæ ſunt peculiariter ei extra corpus à capite vſque ad pedes, propriam volūtatem permixtam habens in illis, & oculis quidem terminum vt rectè confidenter cōſpiciatur, nihil vltra peregrinum gerentes. Deinde vt aures audiant in pace, nec oblectentur amplioſ obtrectationem ac contumelias ſpirituales audire; ſed potiùs vt omnium

A correctionem & miſerationem inceſſutā præ omni dèſiderent poſſeſſione. Quòniam in illis ægrotabat prius, deinde rurſus vt linguā propriam doceat ſanctitatem, quoniam huiuſmodi languor inſederat ei dudum, vt quibus ægrotabat, ea ipſis ſemper aliquid loqueretur, tardans linguæ promenda organo, vt pote extanti ſibi. Hic ergo languor tardantius magnificatus eſt illi in hoc membro quod eſt lingua. Vnde & Iacobus Apoſtolus teſtificatur: *Si quis videatur religioſus eſſe non refrenans propriā linguā, ſemetipſum & fallit, & huius religio vana eſt.* Idemq; tibi ait: *Et lingua, parua pars eſt maculās totū corpus*; & alia multa quæ non poſſum adiicere cuncta. Quod ſi præualuerint ſenſus ſumere ab ſpiritu, ipſe prius ſaoctificabitur, & tandem perſcrutans ſermones, Iacob. 1.

B tradet quidem propriæ linguæ, ſed nihil habentes prauum, aut animæ voluntatium, per quæ verbum Salomonis implebitur dicentis: *Mei ſermones dicti ſūt à Deo, nec eſt in illis aliquid prauū atq; perplexū.* Idē rurſus in alio loco ait: *Lingua ſapientiū ſanat*; & alia quàm plurima. Deinde iterum manuum motus intra me ſi erant aliquando motæ in quibus non oportebar, animæ voluptatibus; ſed nunc ei ſpiritus vnus terminat ſenſū vt in ſanctitare, in orationibus & miſericordiis moueantur, huiuſmodique opera perficiant. Quin etiam io ſiis illud eloquiom compleatur orationum cauſa prolatum, *Eleuatio manuū mearum ſacrificium veſpertinum* Idē alibi Salomon: *Et quia manus fortiū ditantur.* Sicq; poſtmodum vt ipſam eſcam ventris & potom emundet, etiam ſic ad ſatietatem eis vtatur. Aut ſi aliquando illis animæ

Prou. 8. d.

Prou. 12. c.

Pſal. 140.

Prou. 10. e.

C voluptas paululum in deſideriis ſuerit, cōſiderans quod nonnulli in ſatietate eſcæ vel potus dæmonibus obtemperarint, de quibus Spiritus per Dauid ait: *Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebā.* Nā & iſti, ſi iterum Domini inquiſierint ſanctitatem; etiam ſpiritus rurſom terminat eis eadem ſanctimonia, vt moderatè & ſufficienter ad ſuſtinendum corpus vtantor, & vltra nō habeant in eo concupiſcentiam aut voluptatem Sicqoe eloquium Pauli cōplebitur dicentis: *Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia in gloriā Dei facite.* Deinde & hi quæ per cogitationē coitus ſub aluo metitur, rurſus ſēſus ab ſpiritu doctus, diſcretionem tribuit motibus eorum in ſupradictis tribos modis, & innititur ad ſanctificationē, auxiliatorem ſpiritū habēs. Extin-

Pſ. 100. b.

1. Cor. 10. g.

D guitur etiam motus ille per virtutem ſpiritus pacificantis totum corpus, & perimentis totum illum motum. Hoc eſt verum eloquium quod à Paulo prædictum eſt. *Mortificātes mēbra veſtra quæ ſūt ſuper terrā, fornicationē, immunditiam, concupiſcentiā malā*; & quæ deinceps. Sic denuo pedes, qoi licet aliquando noo erant habētes incolumem greſſum, oec ſecūdum Deum ambulabant; hos iterū ſenſus qui ſub ſpiritus fuerit voluntate ad pergendum miniſtare operibus optimis cogit, vt immutatum corpus fiat ſub ſpiritus poteſtate. Sed æſtimo quod talis habitatio iam acceperit etiam in hæc partem quādam ſpiritualis corporis, quem acceptura erat in reſorrectioue iuſtorum. Hæc verò diai propter animæ ægritudines quæ vſurpāt permixtionem inter naturalia corporis, cùm inde anima mouetur in illis ſectatrix effecta

Col. 3. a.

E malignorum ſpirituum, vt operentor in membris. Sed etiam prædixit quod habeat propriè etiam ipſa diſcretionem horom? Nam ſuperbia, lāguor eſt eiuſdem corporis, iactantia verò, ægritudo eſt ei extra corpus: item inflatio, odium, inoidia, ira atque puſillanimitas, impatientiā quoque ac reliquæ minutiæ horum. Quod ſi verò crediderit ſe Deo ex toto corde, tunc benignus Deus tribuit ei ſpiritum pœnitentiæ, & teſtificatus illi vt denuo quoqoe languore pœniteat. Propter quæ aduerſarij prohibeot eum tentantes vſurpare ſibi, nec ſinunt pœnitere. Qui ſi ſuſtinuerit, obediēs, hortantem ſe ſpiritom ad pœnitendum; Creator quoque illius, miſerationis viſceribus motos ſupra labores eius quibus in egeſtatibus corporeis, id eſt ieiuniis plurimis, in vigilijs, in meditationibus multis, in verbo Dei, ac precibus largis,

*Dæmon impedit pœnitē-tiam,*

largiris, vel in abdicatiooibus mu odanis, in humilitate, in paupertate ſpiritus; in quibus eunctis ſuſtineotem Deus benignus aſpiciens & conſiderans, & patientiam eius in tentationibus perduraotem miſerans, adiuuabit eam.

*Sancti Antonij Abbatis, ad Fratres ſuos Arſenoitas, de vitandis inſidiis Dæmonum; Epiſtola ſecunda.*

ANtonios omuibus dilectiſſimis qui ſunt in Arſenoite & in parochia eius, vel qui enm illis; io Domino ſalutem. Vniuerſos vos pararos abire ad Deum, ſaluto in Domino, chariſſimi, à minore vſque ad maximum, & à maſculis vſque ad fœminas. O filij Iſraelitæ, ſecundum ſeoſualem veſtram extantiam. Verè etenim, filioli, grandis vobis in generatione veſtra promiſſio dicebat, quippe vns propter eum qui viſitatinnem veſtri fecit, nequaquam fatigari certanres, donec vos metipſos offeretis ſacrificium Deo in omni ſanctimonia ſine qua nemo poterit hæredirare Deum. Nam pro certo chariſſimi, magnum eſt vobis iſtud vt percontemini de cognitinne ſenſualis extantiæ, in quo non eſt maſculus neque fœmina, ſed ſubſtantia rantùm immortalis exiſtit, habés quidem priocipium, finem verò nequaquam; debitumque vobis erat cognoſcere & de eo quomodò omninò deciderit in tantā humilitatem & confuſionē eximiam, quæ pertranſiens in omnibus vobis aduenit. Igitur quādo ſubſtantia immortalis exiſtit non enoſoluenda corporibus, hanc nb cauſam Deus eandem plagam aſpiciens irremediabilem effectam, & quia magnificata eſſet vehementer per ſnam indulgentiam, viſitannnem eorum faciens propter propriam bonitatem; poſt aliquantùm temporis legem pnſuit eis, vnde & operatus eſt per Moſem præbendo legem. Et Moſes quidem fundauit eis veritatis domum, curata volens eandem validā plagam; ſed perficere nequiuit ædificium domus. Inſuper autem & omnis ſanctorum chorus collectus in vnum, petiit patris bonitatem de ſalutari noſtro, vt calearet in terris pro noſtra cunctorum ſalute; ipſo vtpote extante noſtro magno & fideli pontifice ac medico vero, qui ſolus ſanare poſſet hanc eootmé plagam. Vnde & volnntate Patris exinaniuit ſemetipſum propria gloria; Deúſque exiſtens formam ſerui aſſumpſit, tradens ſe propter noſtra peccata. Et delicta quidem noſtra humiliauerunt eum, ſed *liuore eius nos omnes ſanati ſumus.* Quamobrē dilectiſſimi filioli in Domino, ſcire vos volo quod pro noſtra ſtultitia *elegit ſtulta,* & pro noſtra infirmitate formam infirmitatis aſſumpſit; ob quam noſtram panperiem effectus eſt pauper, & ob noſtram mortem figurā induit mortis. Ergo quia in his omnibus ſuſtinuit propter nos, verè dico dilectiſſimi in Domino, quia non debemus dare ſomnū oculis noſtris, neque *palpebris* noſtris *dormitationem,* poſtulantes ac perurgentes Dei Patris inæſtimabilem bonitatem, vſquequo egrediatur oobiſeum, & in hoc requiem habeamus aduentus Ieſu atque virtutis, vt obſequamur ſanctis qui nos excolere feſtinant tempore negligentiæ noſtræ, alacritatem animorum daotes ei, ad tuuandum nos in tempore tribulatioois noſtræ; tunc enim ſeminans pariter cum metente gaudebit. Noſſe etiam vos cupio, filioli, quàm plurimū doloram meum quem habeo pro vobis aſpiciens grandem illam confuſionem quæ ſuper vniuerſos aduenit, & conſiderans multum illum laborem ſanctorum omnium atque gemitū quem emittunt pro vobis ſemper ad Denm, cerneotes laborem proprij Cooditoris, omnéſque malitias paruipendentes, nec non & decipulas diaboli & Angelorum eius iofidiantium, iuges ad perditionem noſtram. Quoniam etenim portio eorum in infernum habet ire, idcirco & illi volunt noſtrum quoque ſtudium vnà ſecum attrahere. Verè igitur chariſſimi in Domino ſicut prudentibos loquor, vt cognoſcatis cunctas Opificis noſtri diſpenſationes pro nobis factas, quæ & viſitationem noſtri faciunt per manifeſta & occulta præconia,

*Moſes fundauit domum Veritatis,*

*Iſa. 53 b*

*1. Pet. 2 d*

*1. Cor 1. d*

*Pſ. 131. a.*

*Dæmonū inſidiæ.*

Nos ſumus rationabiles nuncupati, ſed gerimus irratio-
A nabilem ſenſum, dum ignoramus occultas calliditates & artes diaboli multiformes, quæ ſint, qualéſq; noſcantur. Quando enim compererint conati nos confuſionem noſtram cognoſcere, & quòd quæramus modum efficaciæ illorum; operanres in nobis; & non tantùm vt non obediamus malitiis eorū aut hortamentis quæ diſſeminant in cordibus noſtris, ſed & ne quàmplurimi noſtrorum profiteantur ſtudia eorum; ipſi quoque cognoſcentes indulgentiam Conditoris, quòd mors his fiat in terris, illis verò ſit præparatum hæreditare gehennam propter negligentiam ſuam. Scire autē vos volo filioli, quod non deſino obſecrans pro vobis Deum nocte ac die, vt ipſe aperiat oculos cordis veſtri ad prouidendū crebriùs occultam malignitatem illorum, quam per ſingula ſuper
B nos effundunt in iſto nunc tempore. Quæſo etiam vt concedat vobis ſcientię cor ac diſcretionis ſpiritum præſtet, vt poſſitis offerre proprium cor, hoſtiam ſanctam in conſpectu Patris in multa ſanctitate, & ſine querela. Verè enim, filioli; inuideot nobis per omnem horam in ſuo maligno conſilio & perſecutione quàmplurima, & malitia ſua, nec non & ſpiritibus erroris ſiue cogitationibus blaſphemis, infidelitatibus noſtris quoque quæ ſeminantur ab ipſis in cordibus, ac doloribus multis, quæ irrogant nobis per omnem horam, animi etiam defectionibus, in quibus per ſingula labefacere animum non deſiſtunt, in vniuerſis quoque iracūdiis ſuis & obtrectationibus, quas docent nos habere, & aduerſus alterutrū, & vt iuſtificemus noſmetipſos in iis quæ facimus, & cōdemnationem quæ ſeminatur ab ipſis in mentibus no-
C ſtris etiam cùm exiſtimus ſingulares, cúmque faciunt nos proximum iudicare, nec tamen ipſo extante nobiſcum; præſumptionibus ſiquidem quas ingerunt cordibus noſtris, in ſuperbia duri cordis extantes, & inuicem ſpernentes, amaritudinem habantes; omni hora vituperantes alterutrum & non noſmetipſos, opinantes laborem noſtrum & propria conſtare virtute, indices exiſteotes manifeſtorum, totum intra domum noſtrā murante latrone, & io iurgiis atque ſimultatibus aduerſúmque alterutrum affectibus, donec ſermonem proprium conſtare faciamus, vt pereamus in conſpectu noſtro iuſtificari, animoſitatem nobis præbentes ac facientes ſtudia quæ tamen impoſſibile eſt geri. Intempeſtiuè enim faciētes nos reſolui, ob id quod ſumus ex illo, quod emolumenti eſt vnbis. Propter quæ ridere nos faciuot
D tempore fletus, & flere in tempore riſus: & vt ſemel atque ſimpliciter dixerim, tranſponunt ſemper è recta via in aliis quàm plurimis erroribus, per omnia nos ipſos ſibimet in famnlos redegerunt, quorum tempus non eſt in propatulo fieri modo. Cùm verò his omnibus corda noſtra repleuerint, & inebriati fuerimos illis, tunc indulget Deus quandiu gerit malitia noſtra, ac de reliquo viſitationem noſtri facientes reſolutione grauiſſimi corporis huius relinquentibus illud, tunc maligna opera quæ gerebamus malè, reuelat nobis in corpore pœnæ expoſito quod induti fuerimus per indulgentiam conditoris: tunc etiam *fiunt nouiſſima noſtra peiora prioribus.* Propter quod nolite affligi obſecrantes benignitatem Patris, vt ſemper poſſitis habere vobiſcum adiutorium eius, doceáтque vos cogoitionem ſui, qui ſe
E benè habet. Verè etenim dico vobis, nati mei, quia vas iſtud in quo ſumus inhabitantes, in perditionem nobis exiſtit, & domus eſt plena bellis. Pro certo, filioli, dico vobis quòd omnis homo illectus in voluptatibus ſuis, & proſtratus à cogitationibus propriis, complexúſque à maligno, ſeminauit in corde; qui congaudet eis, & recipit ſenſo veluti magna exiſtentia ſacramenta in eo quod agit iuſtificans ſemetipſum: huiuſmodi anima coëxiſtit malignis ſpiritibus conſiliatrix in malum; corpus quoque illius, cuſtodia eſt horrendorum quæ occultat in ſemetipſo. Præualebunt autem aduerſus huiuſmodi, quoniam non traduxit eos coram omnibus. At nunquid & ipſi neſcitis quod non huiuſmodi captura

*Opera dæmonū.*

*Mat. 12 g. Luca 11 e.*

*Corpus humanū eſt domus plena bellis.*

habent quas cognoscentes procul dubio fugiamus? A Cæterum & si quæsieris non inuenies peccatum eorum, nec iniquitatem corporaliter manifestam. Corpus enim est animæ recipiens malignitatem eorum; quam cùm susceperit, tunc si velit in propatulo punit per corpus istud in quo sumus inhabitantes. Nunc itaque filioli, non demus ei locum vllum: alioquin nobismet Dei excitabimus iram, & illi permiscentur in domibus nostris irridentes nos, quoniam hæc nouerunt quod perditionis est nostræ, quæ tamen & ipsa de proximo consistit, sicuti & vita de prope. Quis enim vnquam Deum aspexit vt videns cōgauderat ei de re tanta apud semetipsum ne forte aufugeret eum, sed vt adiudicaret etiam velut habitanti in hoc pondere tanto? aut quis aliquando aspexit diabolum oppugnantem nos, & prohibentem beneficia adipisci, aduersantem nobis & stantem in loco corporali secretu, vt præuidens fugeret ab ipso? B Sed illi quidem habitant in occulto, nos autem propalamus eos per studia meliora. Quoniam igitur ex vno Creatore sunt omnes secundùm sensualem extantiam eorum, in fugiēdo verò eos à Deo, & multa diuersitas alt in illis effecta ob diuersas operationes ipsorum; idcircò autem omnia hæc nomina adiecta sunt istis, propter vniuscuiusque eorum operationē, ideò & nunc quidam ipsorum vocantur Archangeli, alij sedes & Dominationes & Potestates, & Cherubim. Hæc autem eis nomina sunt addita, pro eo quòd Conditoris proprij custodierunt voluntatem. Item ob crimen aliorum motum, necessarium fuit nominari etiam istos, propter malignas ad inuentiones ipsorum, diabolum, & satanam. Porrò C alij nuncupati sunt dæmones spiritusque maligni, etiam mundi, flatus erroris, principes quoque sæculi huius; aliæque complures in eis diuersitates existunt. Rursum verò & qui obuiauerunt illis in grauissimo corpore isto in quo & sumus inhabitantes, & ipsi etiam nuncupati sunt quidem, quidam Patriarchæ, alij verò Prophetæ, & Reges ac Sacerdotes, nonnulli Iudices & Apostoli, atque alij multi electi effecti propter egregium motum suum. Vniuersa autem hæc nomina adscita sunt eis, siue masculi siue fœminæ, ob diuersitates operationis eorum, & iuxta principatum ipsorum, quia ex vno sunt omnes. Propterea ergo quicunque in proximum peccauerit, in semetipsum delinquit; & qui malè fecerit proximo, semetipsum efficit malum. Itidem qui benè fecerit proximo, sibimet hoc facit. Si verò quis erit qui aliquando D peccare potuerit in Deum, vel quis est qui eum vnquam reficere queat? Quis verò erat qui ei ministrauerit aliquando, aut quis benedicat eum vnquam, vt opus habeat benedictione eius? Quis enim potuit honorare illum vt ipse honorandus existit, vel quis est qui valeat exaltare eum sicut excelsus habetur? Quamobrem dum sumus vestiti grauissimo corpore isto, alieno inuitamento suscitemus Deum in nobis, vt hoc agentes commendemus illam circa nos bonorum viscerum essentiam. Non autem simus nosmetipsos amantes; sin minùs, illorum inconstantis portionis erimus. Nam qui cognouerit semetipsum, vniuersos cognouit. Ideò & scriptum est: *Qui vocauit ex nihilo vt essent cuncta.* Hoc autē dicētes significant de sensuali natura, quę occulta est in hoc corruptibili corpore, extante in principio, increpanda ab eo. E Aut qui potuerit diligere semetipsum, nihilominus diliget omnes. Charissimi filioli mei quæso vos vt non laboretis, neque fatigemini inuicē diligantes, sed tollite corpus quod estis induti, & facite illud altare, ponentes desuper omnem deliberationem vestram, omnēmque malignum instructum relinquite in conspectu Domini. *Extollite manus* cordis vestri *ad eum*, id est, sensus agendorum; & precamini Deum vt donet vobis illum inuisibilem & magnum ignem, qui descendens cœlitus *comedat altare* & omnia quæ in eo; vniuersique Sacerdotes Baalim, qui quidem existunt operationes aduersæ timeant fugientes à facie vestra, quemadmodum Heliæ Prophetæ. Tunc demum videbitis *vestigium hominis* in mari adducens specialem imbrem quod est paracleti spiritus consolatio. A Dilectissimi mei nati in Domino, filij Israelitæ sanctissimi; non opus est beatificari corporum nostrorum vocabula transitura, nec enim ignoratis charitatem quam habeo in vobis, quia non est charitas corporalis, sed spiritualis & amans Deum. Dilecti, in hoc & repleor quod beatitudo vobis facta sit tempore isto. Sermo igitur vobis existat Iudex, ac non æstimetis perfectum vestrum institutum, quod est ergo obsequium Dei vestram tantum operationem existere; Sed est virtus quædā cooperans vobis. Certantes itaque vos ipsos offerre hostiam Deo, continuè præbete cooperanti vobis virtuti & requiem Christi Iesu. Quoniam vnica est vniuerso sanctorum choro, sed & mihi determino habitanti in hac lutea & tenebrosa domo. Quam enim ob causam differarē vobis, nisi vt requiem exhiberem? B Vnde & obsecro, vt quia omnes creati sumus vnius substantiæ inuisibilis & initium habentis sine fine, vnicè diligamus alterutrum; quotquot enim cognouerint semetipsos, cognoscent quod vnius substantiæ immortalis existant. Scire quoque vos volo quòd Iesus Christus Dominus noster ipse Patris verus est sensus, *in quo omnis plenitudo* totius naturæ rationabilis effecta est, eorum maximè qui sunt imaginis eius conformes effecti, caput totius creaturæ & corpus Ecclesiæ. Nam & idcirco nos omnes *membra sumus in alterutrum & corpus Christi: Nec potest dicere caput pedibus, non vos habeo opus: sed si patitur vnum membrum, totum corpus mouetur cum eo & patitur.* Alienatorum verò membrorum corporis quæ proprio non sunt capiti sociata, sed fœditati dabita, propter C proprias libidinum passiones irremediabilis eorum effecta est plaga, quia obliuionem acceperunt principij atque finis. In quo & creaturarum genitor, visceribus motus pro plaga nostra quæ sanari non poterat nisi per solam ipsius bonitatem, misit Vnigenitum nobis, vt per seruitutem nostram, seruitutis assumeret formam, traderétque se pro peccatis nostris. Et peccata quidem nostra humiliauerunt eum, sed *liuore eius nos omnes sanati sumus.* Hic congregauit nos ex omnibus regionibus, vsquequo resurrectionem cordium nostrorum de terra faceret, docens cunctos nos vnius esse substantiæ, & membra alterutrum. Propterea debemus diligere vehementer, quia quicunque dilexerit proximum, diliget animam propriam. Et hic sermo manifestus sit vobis, charissimi nati in Domino filij Israëlitæ sancti, qui para- D stis vosmetipsos ad Deum ire, offerre vosmetipsos hostiam Deo in omni sanctitate; quoniam nec potest hæreditatem capere quispiam sine sanctitate. Aut nunquid ignoratis dilectissimi quod aduersarij virtutis, veritati semper insidiantur? Et idcirco, charissimi, obseruate ne detis *oculis somnum, aut dormitationem palpebris,* proclamantes ad proprium Conditorem die ac nocte; si forte egrediatur vobis adiutorium ab excelso, quo protegenda sint corda vestra & cogitationes in Christo. Nam verè, ô filioli, in domo sumus latronis inhabitantes, & in vinculis mortis extamus vincti. Pro certo etiam dico vobis, quod nostra negligentia & humiliatio, et transa commotio non nobis solis est detrimento, sed Angelis labor existit, & omnibus sanctis in Christo Iesu, quia nondum vsque requierunt propter nos. E Verè, nati mei, hæc nostra humiliatio, illis omnibus tristitia est; sicut iterum salus & gloriatio nostra, lætificationem eis ac requiem omnibus præbet. Vt autem cognoscatis quia benignitas patris non cessat, à quo motio facta est beneficiis fulciens semper vsque in hodiernum, vt obnoxios faceret nos propriæ morti, quoniam in nostra sumus potestate creati; vnde & illi postulant pro nobis semper. Sed scriptum est: *Immittet se Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos.* Ergo filioli, scire vos volo: ex quo factus mundus vsque nunc, vniuersa quæcunque extra virtutē fuerunt, completa malitia ipsorum & ipsi cognoscunt se inter filios esse diaboli reputatos, propterea quòd conantur vnicunque

Marginal notes: *Angelis adiecta sunt nomina ex vniuscuiusque eorum operatione.* — *Cognitio sui ipsius.* *Sap. 1.* — *Psal. 113* — *3 Reg. 18* — *Rom. 12.* — *Rom. 8.* — *1 Cor. 6. 1 Cor. 12. Ephes. 5.* — *Gal. 4.* — *Isai 53. 1. Pet. 2.* — *Ps. 131.* — *Angelorum tristitia pro peccatoribus.* — *Liberũ arbitriũ.* *Ps. 33.*

quo

que nostrum ingerere propriam voluntatem. Nam pro certo est quòd cum sa nouerit diabolus per superbiam & inanem gloriam cœlitus fuisse deiectum; ideò & ille eos qui peruenerint in magnam mẽsurã aggreditur, in primis artifices existentes, per superbiam & inanẽ gloriam, vt sint aduarsum se alterutrum; scientes quòd per ista segregẽt nos à Deo. Et quia nouerunt quod qui dilexerint proximum diligant Deum, ideò & illic cum sint virtutis inimici, proprium seminant fomitem simulationum in corde nostro, vt possideamus inimicitiã magnam aduersus alterutrũ, ne vel de longè proximo colloquamur. In totũ verè filioli volo vos etiam istud cognoscere, esse quàm plurimos qui sustinuerint maximũ certamen in conuersationa sanctissima, sed indiscretio interfecit eos. Verè filioli, quia non est tantùm misandum si negligatis vosmetipsos, quantùm si non discernentes proprium opus incidatis in mẽsuram diaboli, arbitrantes quodiam vicini Dei sitis effecti; & expectantes forsan lucẽ, tenebris occupemini. Quid enim omnino fuerat opus vt *præcingẽs se Iesus linteo* ac ponẽs peluim, inferiorum sibi lauaret pedes? Sed exemplum istud effecit significans de conuersuris ad propriũ illud superumque principium: Initium quippe motus superbia extitit, quæ facta est in primis. Et ne si rursus post multa consistens in corde tuo, & in tota anima tua, & in toto spiritu tuo, in tota etiam anima & corpore totos nõ poteris hæreditatem capere regnum Dei. Verè filioli mei in Domino, quæso Creatorem meum die ac nocte, à quo & habeo spiritum commendatum, vt aperiat oculos cordis vestri ad cognoscendam dilectionem nostram à vobis, quam habeo erga vos; & vt patefiat auditus animæ vestræ ad conspiciandam confusionem propriam. Quisquis etenim cognouerit dedecus suum, hic demum requiret & electam gloriam suam. Et quicunque cognouerit propriam mortem, iste iterum cognoscet etiam suam æternam vitam. Quasi prudentibus loquor verò filioli, quia timeo ne forte fames nos cõprehandat in via, & in loco quo poteramus diuites fieri si velimus. Volebam ante videre vos ad faciẽ in corpore, sed iã expecto tempus quod est propè, in quo possimus ex ipso nos cõtuitu, alterutrũ peruidere cũ *aufugerit dolor, tristitia*, ac gemitus, cũque super caput exultatio extiterit vniuersorũ. Erant & alia multa quæ velim dicere, sed *si dedero occasionem sapientior erit*. Saluto omnes desideratissimos meos & natos in Domino, per nomen.

*Magnos viros sitans superbia.* — *Discordia seminatur à Damone.* — *Indiscretio.* — *Ioan. 13.* — *Cognitio sui.* — *Apoc. 7.* — *Prou. 9.*

### *BEATI ANTONII ABBATIS; AD fratres suos Arsenoitas; de Christi in nos Beneficiis.*

## EPISTOLA III.

SCitis gratiã Domini nostri Iesu Christi, quod *propter nos pauper factus est cùm diues esset*, vt nos paupertate illius ditaremur: seruitus autẽ illius liberauit nos, & infirmitas eius cõstituit validos. Stultitia illius nos sapiẽtes effecit: si tamẽ iterum, per mortem, propriam resurrectionẽ faciat nostrã, vt in hac possimus vocẽ magnam eleuare dicẽtes: *Tametsi nouimus secũdũ carnẽ, sed creatura est in Christo noua.* Vere charissimi in Domino, dico vobis quod iuxta minutias verbi liberatis, in qua cuncti liberi sumus effecti, alia habeo multa quæ dicam vobis, sed non est horum tempus dicendi modo. Saluto interim vos omnes, charissimi mei nati in Domino, filij Israëlitæ sancti secundum vestram sensualem extantiam. Verè inquam decebat, vobis quasi propinquantibus proprio Conditori ad inquirendam salutem animarum vestrarum per testamentariam legem, licet propter multitudinem malitiæ & malignitatis distinctionem ac libidinum voluptates refrixerit testamẽtaria illa lex, animæ que vestræ sẽsus officio obierint, & ideircò nequaquam potueritis animaduertere sensualem & gloriosam essentiam propter mortem qua corruerunt. Ideoque scriptum est in scriptura diuina, quòd *sicut in Adã omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ergo iste est vita totius rationabilis naturę creatæ in ipso secundum effigiem imaginis eius. Ipse etiam existit sensus verus patris. Sed imago quidã Genitoris incessabilis est, quæ assumpta est, præter illam vobis accidit malitia, in qua & vniuersi mortui sumus: extra naturam siquidem est substantiæ sensualis in Deo. Ergo omnibus, inquit, extra naturam. Acquisiuimus domum tenebrosam ac prælijs plenam. Et in hoc testificamur vobis, quòd totius vigoris scientia deficit à nobis. Ob quam etiam causam aspiciens genitor noster Deus infirmitatem nostram, quòd impossibiles simus effecti gestare veritatem, ex quo huius rei gratia bonitate propria venit visitationem facere creaturarum suarum per ministerium sanctorũ. Obsecro vos vniuersos in Domino charissimi, vt intelligatis quę scribo vobis. Quia non dilectionem corporalem habeo in vos, sed charitatem spiritus culturæ Dei. Præparate vosmetipsos ad conditorem vestrum ita. *Scindite corda vestra, & nõ vestimenta vestra.* Et scitote quid possimus restituere Domino pro cunctis donationibus quæ dedit nobis, quique & visque & hic in ista habitatione memoriam nostri facit propter immensam bonitatem suam & infinitam dilectionem non faciens nobis secundum peccata nostra; qui & solem vsque fecit ministrare nobis in tenebrosa domo, lunam quoque ac sydera cuncta iubens deseruire vanitati perituræ, propter corporum constabilitionem: aliásque virtutes multas nobis ministrare præfecit, quas neque vidimus corporis oculo. Quid ergo dicemus quasi in aliquo boni sit audemur ab eo quod ipse nõ fecit nobis? Nunquid Patriarchæ non passi sunt pro nobis, aut sacerdotes docuerunt nos? Nunquid Prophetæ pro nobis mortui non sunt, aut Apostoli persecutionem non sustinuerunt pro nobis? Nunquid Filius Dei dilectus non pro nobis omnibus mortuus est? Ob quæ vniuersa debemus & ipsi properare ad pergendum in omni sanctitate ad proprium Conditorem, qui cernens creaturam non posse curare plagam quæ facta fuerit Iudæis, proprijs videlicet membris; Pater ipse creaturarũ, sciẽs infirmitatem sensus eorum, est motus visceribus circa eos, & secundum multam dilectionem suam nõ pepercit Vnigenito filio suo, sed ad nostram omnium salutem tradidit eum propter nostra peccata. Et iniquitates quidem nostræ humiliauerunt eum, *liuore autẽ eius nos omnes sanati sumus.* Hic cõgregauit nos ex omnibus regionibus verbo virtutis suæ, donec illam sensus nostri resurrectionem effecerit, docens nos alterutrum existere membra. Docet idcirco vniuersis nobis properantibus ad proprium Cõditorem, exercere habitudines nostras ac sensus officia ad agnoscendam dignitatem, boni maliqué discrimen vt sciatis omnes illas Iesu dispensationes quas in proprio dedit affectu similis nobis factus per omnia excepto peccato. Propter multam verò malitiam nostram districtionemque malitiæ & grauedinem inconstantiæ nostræ, factus est aduẽtus eius *quibusdã quidem stultitia, alijs vero scandalum*, alteri parti emolomentum, itẽmque alijs sapientia & virtus, porrò alijs resurrectio & vita. Hoc quoque manifestum sit vobis, quòd aduentus illius factus sit omni mundo iudicium: *Ecce enim*, ait, *veniunt dies, dicit Dominus, & omnes scient me à minimo vsque ad maximum eorum, & auditum faciã vsque ad extremum terræ, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: Quia cum cognouissent Deum, vt nõ Creatorẽ proprium glorificauerunt*, & id propter vecordiã suã, per quã nec potuerit capere sapientiã eius. Sed vnusquisque nostrũ vendidit semetipsum proprijs voluptatibus in mala, & ipsis seruus dictus est. Ob quæ ipse Iesus *exinaniuit semetipsum* à gloria, *formã serui accipiẽs*, vt illius seruitus nos liberaret. Stulti fuimus, & in stultitia nostra facinus gessimus. Assũpsit ille habitus stultitiæ, vt nos faceret sapientes. Inopes eramus, & in paupertate nostra omnis defecerat vigor à nobis. Item ille hic assumpsit inopię formam, vt paupertate sua nos in

*2. Cor. 8* — *2. Cor. 5* — *Ioan. 5* — *1. Cor. 15.* — *Charitas spiritualis Ioel. 2.* — *Dei beneficia erga homines.* — *Angeli homines non sibi* — *Isa. 53 & 1 Petri 2. & d.* — *1. Cor. 1. &* — *Ier. 31.* — *Rom. 1.* — *Christus cur incarnatus Philip. 2.* — *2. Tim. 3*

omni sapientiæ & intellectu ditaret. Non solum autem hæc, sed insuper & infirmitatis nostræ figuram assumpsit, vt propria infirmitate nos robustiores efficeret, obediens factus patri in omnibus vsque ad mortē, *mortem autem crucis*. Vt in sua morte & humilitate illam cūctorum resurrectionem efficeret, eumque destrueret qui mortis habebat imperium; hoc est, diabolum. Igitur si pro certo liberabimus nosmetipsos in eius aduentum, profectò inueniemur discipuli Iesu, & diuinæ hæreditatis instituemur hæredes. Charissimi in Domino, turbor vehementer & moueor in spiritu meo, quòd nominibus amicti sumus, & sanctorum schemata baiulamus in conspectu Infidelium gloriantes. Sed metuo ne illud Pauli oraculum impleatur in nobis, quo ait: *Habentes*

*[2. Tim. 3]* *formā pietatis, virtutē autē eius negantes.* De charitate verò quam habeo in vos pro vobis ad Deū, vt consideretis vitam vestram & hæreditate capiatis ea quæ non videntur. Nam verum est, filioli, quòd etiā demus nosipsos ex tota virtute inquirere Deum, nec sic quidem condigna gratia erit. Id enim inquirimus quod nostrū

*[Rō. 12. c.]* existit, & quod naturale est substatiæ nostræ. Verè etiam charissimi in Domino qui in omni sanctitate parastis vosmetipsos offerre hostiam Deo, qui nihil de his quæ expediebant celabimus vobis, sed perspicua faciētes testificabimur ea quæ aduersarij virtutis subripiunt veritati. Hoc quoque cognoscite sciētes quòd hic *qui secun-*

*[Gal. 4. d. Carnalis semper insesti spiritualibus.]* *dū carnem est semper insectetur eum qui secundum spiritū; & quod omnes qui voluerit piè viuere in Christo, persecutionē patitur.* Propter quod Iesus cognoscēs tribulationes omnes ac tentamēta, veniens in mūdo ad Apostolos, & sciens quòd per patientiā suā resolueret vniuersā inimici virtutem, id est, idololatriam, consolabatur dicēs: *Vos tribulationē habebitis in mundo, sed cōstātes estote,*

*[Ioan. 16]* *quia ego vici mundum.* Docebātque eos dicēs. Nolite timere mundum, quia omnes afflictiones mundi condignæ non sunt ad eam quæ expectatur gloriam. Nam *si eos qui ante vos fuerunt Prophetas insecuti sunt, & vos persequentur; & si me oderunt, & vos oderunt.* Sed confidētes estote, quia vestra sapientia soluetis omnē inimici virtutē. De minutia verò verbi libertatis in qua liberati sumus, habeo alia multa dicere vobis, sed si dedero occasionem sapienti, sapiētior erit. Opus tamen habemus consolari inuicem exiguis quibusque sermonibus, quos si verè perspexerit mēs, iam nequaquam egebit loquelæ corporalis mendacio. Gaudeo autem in omnibus vobis dilecti in Domino viri Israelitæ sancti secundū propriam sensualem exantiam. Quia primùm quidem docebat rationalem virum cognoscere semetipsum, deinde vt cognoscat ea quæ sunt Dei, & vniuersas ipsius gratias quascunque semper cum eo facit. Ac deinceps nouerit quod omne peccatum & eorum

*[Arbitriū liberale.]* quicquid querulosum existit, extra naturā est sensualis exantię. Denique videns Conditor noster nos hæc extra naturam possidere arbitrio liberali in quo hic moriebamur; horū causa visceribus pro nobis motus, propria bonitate voluit conuertere nos ad illud sine fine principium, visitationem fecit creaturarum, nō parcens sibimetipsi ob nostram vniuersorum salutem. Tradidit quippe se pro peccatis nostris, & iniquitates quidem nostræ humiliauerunt eum, sed liuore eius nos omnes sanati sumus. Verbo etiam virtutis suæ congregauit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ vsq; ad vltimum orbis, docens quod essemus alterutrum membra. Quamobrem, si pro certo parauimus nosmetipsos liberos facere eius aduentu, scrutetur semetipsum rationabilis homo quid nam possit retribuere Deo pro cunctis donis quæ fecit nobis. Vnde & ego quoque deterrimus qui hanc descripsi Epistolam, expergefactus à dormitione mortis, plurimum illud temporis quod mihi fuit super terram, factum existimo luctū & fletum, lugens quidnam possum retribuere Domino pro omnibus quæ fecit mihi. In nullo enim frustrati sumus eorū quæ non perfecerit nobis in humilitate nostra. Angelos etenim suos nobis ministrare fecit, Prophetasque proprios vaticinari præcepit. Apostolos etiam suos nobis Euangelizare iussit. Insuper verò illud omniū insigne est præceptorum, quod Vnigenitum suum formam serui fecit assumere pro nobis. Obsecro itaque charissimi in Domino vos, qui sanctorum existitis cohæredes, vt excitare velitis proprias mentes in timore Dei. Sermo

*[Baptismus Ioannis.]* enim vobis iste sit manifestus, quod Ioannes quidem præcursor Iesu baptizauerit in remissionem peccatorū propter nos, spiritu autem sanctificati fuerimus in Christo. Præparemus nosipsos nunc in omni sanctitate ad purgandam sensualem mentem nostram, vt simus mūdi in baptismate Iesu ad offerēdū nosmetipsos hostiam Deo. Hic verò paracletus Spiritus qui consolatur nos, conuertit rursus ad principium nostrum ad recuperandas hæreditates proprias, & magisteriis eiusdē spiritus

*[Roman. 6. a Galat. 3. d.]* cōsolantis. Huiusce gratia *quotquot in Christo baptizati sunt Christum induunt;* nec est masculus aut fœmina; non est seruus aut liber. Omnia etiam lingua corporum destruūtur apud illos, accipiētibus eis doctrinam sancti Spiritus in tempore quo sument hæreditatem sanctam,

*[Ioan. 4]* & adorabūt Patrem sicut oportet *in Spiritu & veritate.* Manifestus siquidem sit vobis sermo iste, ne expectare velitis iudicium futurum in illa præsentia Iesu; iam etenim aduentus illius omnibus nobis iudicium existit. Scitote etiam quòd omnes in se gestantes spiritum, respicientur & vestiētur vestimento illo quo sumus exuti, iuxta sensualem nostram exantiam. Nam & sæpè fit vox veniēs semper à Deo patre ad omnes illos qui in seipsum gerunt, dicens eis: *Consolamini, consolamini populus meus dicit Dominus, & Sacerdotes loquimini in corde Hierusalem.* Deus quippe visitationem continuò fecit creaturarū suarum manifestans propriam bonitatē. Et verè, charissimi, secundùm minutias verbi libertatis, in qua liberati sumus, sunt & alia quam plurima quæ dicantur vobis. Sed si dedero occasionem sapienti, sapiētior erit. Deus autem pacis det vobis gratiam discretionis, vt cognoscatis quæcunque scribo vobis, quòd mādatum sit Domini. Custodiat vos idem totius gratiæ Deus sanctos in Domino vsque ad nouissimum flamen. Oro autem Deum semper pro omnium vestrûm salute in Domini dilectissimi. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

## *BEATI ANTONII ABBATIS, AD Fratres suos Arsenoitas, de duobus Christi Præcursoribus, & eius Aduentu in carnem.*

## EPISTOLA 4.

CHarissimis & honorabilibus in Domino salutem. Verè dilectissimi in Domino quis non in vno tempore tantùm visitationem facit Deus creaturarum suarum, sed à constitutione mundi quotquot venerant ad opificem Deum per testamentariam Legem, ijs coadest Deus singulis in simplicitate, secundum gratiam per Spiritum suum. De rationalibus autem naturis in quibus illud Testamentum refriguit, & officia animorum illorum mortificata sunt, ita vt vltra non inquirant cognoscere semetipsas secundùm suam priorem conditionem; aliæ irrationabiles omnino effectæ, seruierunt creaturæ potius quàm Creatori. Idem verò Conditor, propria bonitate nostri visitationē effecit per testamentariam legem, quoniam substantia immortalis existit. Quotquot igitur digni habiti sunt gratia, & concreuerunt per suam cardinalem legē, & edocti sunt per Spiritum sanctum capientes filiorum adoptionis Spiritū, his etiam præualuerunt adorare Conditorem propriū

*[Hebr. 11. g.]* sicut oportet. De quibus & Paulus ait, *quia non perceperunt repromissiones propter nos.* In sua verò impartibili dilectione volēs ipse cunctorū Deus visitationem facere

*[Ecclesia Catholica domus veritatis.]* refrigidationis nostræ ac dispensationis, excitauit Mosē doctorem Legis, qui daret nobis legem in litera. Et fundauit ipse nobis veritatis domum quæ est Ecclesia Catholica, quā creauit volēs cōuertere Deus ad primū initiū. Et quis Moses quidē ædificauit vt præcedēs, idcircò

non timebimus aſſerere eundem latorem Legis vnum eſſe ex præcurſoribus; & quia ſpiritus qui fuerit cum A Moſe, idem ſit operatus & in choro ſanctorum, omneſque perierunt de Vnigenito Dei. Item Ioannes *Luc. 11. b* vnus de præcurſoribus extat, & ideo *lex atque Propheta vſque ad Ioannẽ: Regnum cœlorum vim patitur & violẽti diripiunt illud.* Prævidentes autem ij qui ſpiritu ferebãtur, quòd nulla creatura poſſit curare illam grandiſſimam plagam, niſi ſola benignitudo Dei, qui eſt Vnigenitus eius, quemque & deſtinauit ad ſalutem totius orbis, qui & eſt medicus magnus potens curare ingentem plagã ſua bonitate; Pater creaturarum nõ pepercit Vnigenito propter nos, eum pro noſtra vniuerſorum ſalute tradens pro peccatis noſtris & pro iniquitatibus. Et ipſe quidẽ ſemetipſum humiliauit, ſed illius liuore nos omnes ſanati ſumus, verbóque virtutis ſuæ congregauit B nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ vſque ad vltimum. Orbis faciens reſurrectionem cordium noſtrorum a terra, docuitque nos alterutrum exiſtere *Chriſti incarnati myſteria ſæpe conſideranda.* membra. Obſecro ergo vos chariſſimi in Domino, vt intelligatis ſcripta, quia Dei mandata ſunt. Magnum quippe nobis eſt hoc, vt aduertamus mentẽ ad formam quam aſſumpſit Ieſus propter nos, eò quòd per omnia nobis ſimilis fuerit excepto peccato. Decet etiam vt & nosipſi liberemus ipſos nos in eius aduentum, & illius ſtultitia nos ſapientes efficiat, paupertas ipſius ditet, & infirmitas robuſtos oſtendat, & vt ipſe omnium reſurrectio fiat, deſtruens eum qui mortis habet imperium. Tunc enim ceſſabimus opus habere ſecundum carnẽ in Ieſu aduentu. Namque Ieſus cooperatur nobis in bono ſeruitio vſquequo deſtruamus malitiam omnem. C Tunc quoque dicet nobis Ieſus; *Iã non vocabo vos ſer-* *Io. 15. b* *uos, at fratres.* Quando igitur ſic eos vocauit Deus vt acciperent ſpiritũ filiorum adoptionis, tunc & Spiritus ſanctus docuit eos adorare Patrem ſicut oportebat. Vnde & mihi quoque deterrimo, iuncto Ieſu, tẽpus iſtud in quo aduenimus, factum eſt lætificatio & luctus, & fletus. Quoniam & multi de genere noſtro induerunt *Lugendi peccatores.* indumenta pietatis, virtutem verò negauerunt. Quamobrem & ego in his quidem lætificor qui præparauerunt ſemetipſos liberare in aduentu Ieſu, in illis verò lugeo, qui interpellant nomen Ieſu, & faciunt volunta- *Ioan. 18.* tes cordis & carnis. Nec non & eos defleo, qui intuentes lõgitudinẽ tẽporis, puſillanimes effecti ſunt, & ſpoliauerunt ſe pietatis amictu, facti ſicut beſtiæ. Agnoſcãt *2 Cor. 5. c* verò huiuſmodi dicentes: *Quia iam non vocabo vos ſer-* D *Rom. 8. c* *uos ſed & amicos; & fratres, quia quæcũque nota fecit mihi Pater, manifeſtaui vobis.* Cõtitẽtes igitur mẽte quod agnouerũt ſemetipſos ſecundùm ſenſualẽ ſuam ſubſtantiam, dederunt vocem dicentes: *Quia & ſi cognouimus te aliquando ſecundum carnẽ, ſed nunc iã non nouimus.* Quique accipientes filiorum adoptionis ſpiritũ, exclamauerũt dicentes: *Non enim accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepimus ſpiritum adoptionis in quo clamamus, Abba pater.* Nunc ergo Deus, cognouimus quæcunque donaſti nobis, & ſcimus quoniã filij ſumus, *præparatio propriæ emundationis.* & hæredes erimus; *Hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi.* Manifeſtus igitur ſit vobis iſte ſermo, quod niſi quis præparauerit emundationem propriam, nec conatus fuerit ex tota virtute, quod huic aduẽtus Saluatoris E in iudicium fiet. Quibuſdã enim eſt *odor mortis in mortẽ,* *2 Cor. 2. d* *quibuſdam autem odor vitæ in vitam,* proptereà quod in *Pœnitẽdum non veſtibus.* ruinam & in reſurrectionem multorum poſitus ſit in Iſraël, & in ſignum contradictionis. Quapropter obſecro vos, ne negligatis ſalutem propriam, ſed vnuſquiſque veſtrum ſcindat cor, & non veſtimenta: ne fortè amicti habitu inuſlo paremus nobis iudicium. Ecce enim iam appropinquabit tempus, in quo probentur vniuſcuiuſque veſtrum opera. De minutia vero verbi, etant alia quæ ſcriberentur vobis, ſed ſcriptum eſt: *Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit.* Saluto vos omnes in Domino à minimo vſque ad magnum, Deus autem pacis cuſtodiat vos vniuerſos, charìſſimi.



A *BEATI ANTONII ABBATIS, AD fratres ſuos Arſenoitas, de Angelorum gaudio & luctu propter nos, & ne vitam noſtram negligamus.*

## EPISTOLA V.

ANtonius dilectiſſimis natis, filiis Iſraelitis ſecundùm ſenſualem ipſorum exiſtantiam, non enim neceſſe eſt nominati vocabula quæ tranſeunt, qui filij eſtis Iſrael. Adhuc verè nati mei, dilectio quam habeo in vos *Dilectio ſpiritualis.* non eſt dilectio corporalis, ſed eſt charitas ſpiritus cultutæ Dei. Proptereà autem nec defatigor obſecrans Deum die ac nocte pro vobis, vt poſſitis cognoſcere gratiam quæ conceſſa eſt vobis. Quia non in vno tem- *Dei prouidẽtia.* B pore viſitationem facit creaturarum ſuarum, ſed à conſtitutione mundi moderatur Deus proprias creaturas, per generationes ſingulas, expergefaciẽs quemque occaſionibus quibuſdam & gratia. Nunc itaque filioli nolite negligere proclamantes ad Dominum die & nocte, compellantes benignitatem Patris vt hoc donet vobis adiutorium de cœlo, donec vos vſquequo cognoſcatis quid in ſe habeat. Nam verè filioli qui in propria nece *Homo nũ corpus, eſt domus latronis.* conſiſtimus, habitatores & in latronis domo & manentes, non & mortis vinculis obligamur nunc. Quapropter ne dederitis ſomnum oculis veſtris, nec palpebris dormitationem, offerentes voſmetipſos ſacrificiũ Deo in omni ſanctitate, quam nemo hæreditare poteſt ſine ſanctimonia. Verè chariſſimi in Domino manifeſtus ſit vobis iſte ſermo, & id quod bonum eſt facietis: in quo C & vniuerſos reficietis ſanctos, alacritatem animorum præbentes, obſequium Angelorum, & lætificationem Ieſu, quoniam necdum requiem habuerunt propter nos vſque ad hanc horam. Sed & mihi deterrimo, hac habitanti in luteæ domo eandem lætitiam in ſpiritu meo. Verè etenim filioli quia noſtra incommoditas & inutilitas dolorem eis omnibus præbet, vtũtur lachrymis atque gemitibus pro nobis in conſpectu Condito- *Angelorum lachrymæ gaudiũ pro hominibus.* ris & ob hoc cunctorum etiam Deus iraſcitur ſuper opera noſtra maligna propter gemitum Sanctorum; ſicuti iterum profectus & emundatio noſtrorum animorum, alacritatem præbet choro ſanctorum. Et vtuntur prece multa atque lætitia in exultatione coram Creatore noſtro. Ipſe quoque cunctorum opifex lætatur in operibus noſtris, & propter teſtimonium ſanctorum D donat nobis charismata immenſa. Igitur vt cognoſcatis quòd Deus diligat ſemper propriam creaturã, eo quod ſit immortalis exiſtantiæ, non eſt reſoluenda corporibus, aſpiciens ſenſualem naturam ipſe quod mortua omnino perrexiſſet in abyſſum, & illud teſtamentariũ reliquiſſet. Tum idem Deus propria bonitate eandẽ viſitat, ex morte per Moſen ædificare volens, & magnam curate plagam, geſtiens conuertere eam ad priſtinam concordiam; ſed potens diſceſſit ab eis. Adhuc inſuper & omnis Prophetarum chorus ædificauerũt ſupra fundamentum Moſis: ſed nec iſti valuerunt mederi ingentem *Prophetæ ſuperædificauerũt Moſi.* plagam membrorum ſuorum: cernenteſque quod ceſſaſſet virtus eorum, iterato adhuc vniuerſus Sanctorum chorus collectus in vnum, orationes refert in conſpectu E proprij Cõditoris, dicẽs: *Nunquid reſina nõ eſt in Galaad, aut medicus ibi: Quare ergo nõ aſcendit ſanitas filiæ populi mei? Domine curauimus Babylonem, & non eſt ſanata?* *Hier. 8.* *Nunc fugiemus ab ea.* Petentibus cunctis benignitatem Patris de Vnigenito, quod niſi ipſe in terris calcaret, nulla creatura curare poſſit ingẽtẽ plagã: huius rei cauſa, bonitate propria vocẽ dedit dicẽs: *Fili hominis facito tibi vaſa captiuitatis.* Volũtas itaque Patris vnigenito nõ pepercit pro noſtra omniũ ſalute, ſed tradidit eum pro peccatis noſtris. Et iniquitates quidẽ noſtræ humiliaue- *Ezech. 12. a* rũt eũ, ſed liuore eius nos omnes ſanati ſum⁹. Cõgregãs ipſe nos ex omnibus regionibus à ſũmo terræ vſq; ad extremũ orbis, faciens reſurrectionẽ ſenſuũ noſtrorum de terra, & quod alterutrũ membra ſumus. Attendite ergo

filioli, ne forte illud oraculum Pauli impleatur in vobis: *Habentes quidem formã pietatis, virtutẽ autẽ eius negantes*, Quamobrẽ vnusquisque vestrum scindat proprium cor dilectos in conspectu eius dicens, *Quid retribuã Domino pro omnib⁹ bonis quæ retribuit mihi?* Formido iterũ filioli, ne fortè illud eloquium impleatur in vobis; *Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionẽ?* verè filioli, quia sicut prudẽtibus loquor, vt intelligatis quæ dico vobis; quod nisi vnusquisque vestrum exuerit omnem puluerem naturæ huiusmodi materiæ, & abrenunciauerit, & omni operationi eius ex toto corde; expanderitque manus cordis rursum ad vniuersorum Patrem, & ipse visceribus moueatur circa laborẽ eius, & donet ei inuisibilem ignem, qui comburat omnem immunditiam ab eo, ac principalem ipsum expurgãs, tunc Spiritum suum sanctum faciat habitare nobiscũ, & sic possimus habitare apud Patrem sicut oportet. Nam quamdiu fatiscim⁹ naturali materiæ, velũt inimici existimus Angelorum Dei, atque Sanctorũ eius. Nunc ergo obsecro vos, dilectissimi, in nomine Domini nostri Iesu Christi vt ne velitis negligere propriam vitam, nec confundat exiguitas tẽporis illud sine fine tẽpus, ne pellicula carnis corruptibilis obfuscet regnũ ineffabilis lucis, neque eõdem nationibus locus exitialis in Angelis exterminet sedes. Verè filioli, quia anima mea phãtasma patitur, & spiritus meus in pauore consistit quòd vniuersi nos velut gurgite immersi sumus, & velut ebrij musto cõsistimus cùm vnusquisque nostrum propria distrahitur voluntate, huius dominio subiugatur nolẽte attollere oculos nostros ad cœli gloriam inquirendam, & illam Sãctorum omnium operationem illustrem, ipsorum vestigijs inhærentes. Vt ergo sciatis quod cœli sancti Angeli siue Sedes, siue Dominationes, siue Cherubim, siue Seraphim, siue Sol, siue Luna, siue Astra, siue Patriarchæ, siue Prophetæ, siue Apostoli, siue diabolus, siue Satanas, siue spiritus maligni, siue principes aeris huius, & (ne plura dicetim) siue masculus, siue fœmina secũdùm principium creaturæ suæ ex vno sunt omnes, excepta sola perfecta ac beata Trinitate Patris & Filij & Spiritus sancti. Propter bonum verò quorundam motum, opus fuit vt Deus horum nomina vocitaret; & secundùm studia ipsorum, his qui ampliùs profecerunt attribuit super excellentem gloriam dignitatis.

[margin: 1 Tim. 3 — Psal. 115. a — Psal. 29. b. — Homines voluntate propria ebrij — Beata Trinitas et nulli alio.]

*BEATI ANTONII ABBATIS, AD fratres suos Arsenoitas, de Christi Aduentu, & vt nos ipsos cognoscamus.*

## EPISTOLA VI.

DEbet rationabilis homo paratus esse vt liberet semetipsum in aduentu filij Dei cognoscens se esse secundùm sensualem suam extantiam. Quia quicunque cognouerit semetipsum, cognoscet dispẽsationem proprij Cõditoris, vel quæcunque facit in proprijs creaturis. Dilectissimi nobis in Domino, mẽbra nostra & cohæredes Sanctorum; obsecro vos in nomine Iesu Christi facere vt præstet ipse vobis omnibus discretionis spiritum ad discẽdum & sciendum dilectionem quam habeo in vobis, quia nõ est corporalis dilectio, sed est spiritualis charitas diuinæ culturæ. De nominibus verò corporum nostrorum non opus est nominari ea; pertrãseunt enim. Cognoscat autem homo id quod verum est nomen. Propter quod & Iacob luctante per totam noctem cum Angelo, nomen illi erat Iacob. Mane autem facto vocauit nomen ipsius Israël; quod est, mens vidẽs Deum. Puto etenim non ignorare vos, quòd Aduersatij virtutis obsideant veritatem. Vnde nec vno tantùm tempore Deus visitat proprias creaturas, sed ab exordio Mundi. Non nulli etenim putauerunt se venire ad proprium Conditorem per testamentariam ipsius legem, edocti ab illo adorare opificem suum sicut oportet. Quoniam verò ob passionem infirmitatis, & grauedinem corporis ac distinctionem malignam refriguit testamentarium illud, & officia sensus animæ lassauerunt idircò non potuerunt exquirere, proprie secundùm suam creationem quod esset substantia immortalia non resoluenda corporibus, vnde nec præualuit semetipsum liberare, nisi iustitia. Huius rei gratia aggressus est eos Deus per scriptam legem, vt doceret eos adorare Patrem sicut oportet. Sed quoniam Deus vnus existit, & secundùm sensualem essentiam in idipsum est Vnitas; sit iste vobis sermo manifestus, quòd omnis locus in quocunque non fuerit consonantia; illic bella congerunt sibi, & iudicia faciunt oriri apud semetipsos. Vidẽs autem Conditor quod plaga eorum magnificata fuerit vehementer, & opus haberet remedium Iesu medici veri (ipse enim Vnigenitus, creator illorum existit & ipse curat eos) misit ante se instructorem domus, ac ille nequaquam proficisceos abiit sibi. Itemque Deus excitauit Prophetarum choros per Spiritum suum, quique edificauerũt quidem supra fundamentum Mosi, veruntamen nec isti quidem potuerunt, sed eodem modo derelinquentes abierunt sibi. Et ipsi cuncti spiritum in se gerentes perviderũt plagam quod insanabilis esset, & quia per nullam creaturam curari posset, nisi per Vnigenitum qui sensus est Patris, & imago eius existit. Cuius etiam imaginis effigie tota facta est creatura. Agnoscentes liquidò quòd hic Saluator & medicus existeret magnus, collecti sunt in idipsum omnes, & retulerunt orationes pro commembris suis, qui sumus nos proclamantes ac dicentes: *Nunquid resina non est in Galaad aut medic⁹ nõ est ibi? Quare ergo nõ ascendit sanitas filiæ populi mei quia curauimus eam, & non est sanata; Nunc ergo ibimus ab ipsis.* At ipse Deus supereminẽti & non simulata dilectione affuit nobis per sanctos suos, dicẽs: *Fili hominis facito tibi captiuitatis vasa.* Ipse quoq; *in forma Dei existẽs nõ rapinã arbitrat⁹ esse se æqualẽ Deo, semetipsũ exinaniuit formã serui accipiẽs, & obediẽs factus est vsque ad mortẽ, mortẽ autẽ Crucis; Propter quod & De⁹ illum exaltauit, & donauit illi nomẽ quod est super omne nomẽ. vt in nomine Iesu Christi omne genu curuetur, cælestiũ, terrestriũ, & infernorum, omnisque lingua cõfiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Nunc ergo charissimi, sermo iste sit vobis manifestus, quòd benignitas Patris non pepercit Vnigenito propter nos, sed tradidit eum propter nostram omnium salutem, tradẽs ipse semetipsum propter peccata nostra. Et iniquitates quidẽ nostræ humiliauerunt eum: sed *liuore eius* nos *sanati sumus*. Ipse quoque verbo virtutis suæ cõgregauit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ vsque ad vltimum orbis, faciens resurrectionẽ sensuum nostrorum & remissionem peccatorum, docens nos alterutrũ existere membra. Quapropter fratres obsecro in nomine Iesu Christi, vt cognoscatis hãc tàm magnam dispẽsationem, quòd similis nobis per omnia fuerit, excepto peccato. Debet autẽ vniuersa rationabilis natura, propter quam maximè Saluator aduenit, vt diiudicet habitudinem suã & ignorãtiam proprij sensus, distinctionẽque dare inter medium mali ac boni, liberari quærens per eius aduentum. Et enim quotquot liberi facti sunt per illius dispẽsationem, ij vocati sunt serui Dei. Quod tamen necdum perfectum est, nisi quod tantùm in tempore suo iustum existit, & deducet ad filiorum adoptionem. Nam is Saluator noster sciens quòd appropinquaret accipere spiritum filiorum adoptionis, dedit vt etiã cognoscerent eum docti à Spiritusancto, quòd aduentus Iesu factus sit hominibus iudicium. Vnde & vos charissimi in Domino, cognoscite vosmetipsos, vt ad hæc & tẽpus possitis cognoscere, & parati sitis offerre vosmetipsos sacrificium Deo. Verè charissimi in Domino quod tanquam rationabilibus vobis scribo, & qui potuistis cognoscere vosmetipsos. Scio enim quòd quicunque cognouerit semetipsum, agnoscet & Deum. Qui verò cognouerit Deum, agnoscet & dispensationes illius, quas efficit in proprijs creaturis. Manifestus quoque sit vobis iste sermo, quòd non corpoream

[margin: cognitio sui ipsius — Gen. 32. f — Veterum ætate vocauit homines ad suum Creatorem — Concordia — Hominis plaga ab homine sanari non potuit — Hier. 8 — Ezech. 12 — Philip. 2 — cognitio Dei.]

poream dilectionem habeo io vobis; sed charitatẽ spiritus culturæ Dei, eius videlicet Dei qui gloriatur in cõsilio iustorũ. Parate ergo vosipsos dum habetis qui pro vobis eaosent, & postulantes pro vestra salute, vt *ignem quem venit ipse mittere super terram* immittat cordibus vestris, vt possitis exercere habitudines vestras. Et det sensuum officia ad cognosceodum discernere malignũ à bono, à sioistra deateram, à substantia insubstantiam. Sciens enim Iesus quòd imperium diaboli materia facit, aduocans discipulos dixit eis: *Nolite thesaurizare vobis super terram: nec solliciti sitis de crastino; crastinus enim dies sollicitus erit de se.* Verè fratres scitis quod tempore ventorum prosperitatis, omnis gubernator plaudit sibi; io contraria verò quæque ventorum, omnis gubernator manifestatur. Intelligite ergo tempus in quod aduenimus, quale sit. De mioutia autem verbi libertatis, erant plurima quæ dicerentur vobis; sed si dedero *occasionem sapienti sapientior erit.* Saluto vos à minimo vsque ad maximum.

(Luc. 12. f. — Mat. 6. c. — Gubernator in tempestate probatur.)

## *SANCTI ANTONII ABBATIS, AD fratres suos Arsenoitas; de cognitione sui ipsius, & de Arrio.*

### EPISTOLA. 7.

ANtonius, omnibus dilectissimis fratribus in Domino, salutem: Non deficio memorans vestri qui estis Catholicæ membra. Agnoscere autem vos volo dilectionem quam habeo in vobis, qnia non est corporea, sed est dilectio spiritus culturæ Dei. Corporum quippe nostrorum amicitia, in insubstantia & inconstantia est, quæ mouetur sæpè ab extraneis ventis. Cuncti verò qui timent Dominum, & custodiunt mandata eius, serui sunt Dei; Sed non est in ipsa seruitute perfectio, nisi quòd tantum iusta tenet, seducens filiorum adoptionem. Propter quod & Prophetæ & Apostoli, omnisque sanctorum chorus Deo suscepti, vt crederetur ei Apostolica prædicatione per voluntatem Patris, vincti Christi effecti sunt. Denique Paulus ait: *Vinctus Iesu Christi vocatus Apostolus.* Scripta itaq; lex cooperatrix fiat vobis in hoc seruitio, vsquequo dominari possimus omni vitio, & perficiamus in optimo ministerio virtutis per Apostolicum mandatum. Quia si propè fuerimus effecti ad accipiendum, tunc dicet vobis Iesus; *Quia iam nõ vocabo vos seruos meos, sed amicos & fratres; quia quæcunq; nota fecit mihi Pater, reuelaui vobis.* Quotquot enim proposuerũt, edocti sũt per Spiritũ sanctum, hi cognoueruot semetipsos secundùm sensualem suam extantiam: in ipsa verò sui cognitione proclamaueruot dicentes: *Non enim accepimus spiritum seruitutis iterũ in timore; sed accepimus spiritũ filiorũ adoptionis, in quo clamamus Abba, pater,* vt cognoscamus quãta nobis donauerit Deus, *Quia & filij sumus & heredes: Hæredes quidẽ Dei, cohæredes sanctorũ.* Fratres dilectissimi & cohæredes sanctorum, omnis virtus noo est aliena vobis, sed vestra existit, si tamẽ inculpabiles sitis à mala vita, Deo autẽ manifesti. *In malã enim animam non intrabit spiritus Dei, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* Sãcta quippe est virtus, fugiẽs ab omni dolo. Verè dilectissimi, quia sicut rationabilib. scribo vobis & quasi poteotibus cognoscere vosmetipsos: quia qui semetipsum cognouerit, Deum cognouerit? Qui verò cognouerit Deum, hunc adorare debet sicut oportet. Et Charissimi in domino cognoscite vosmetipsos, quia qui semetipsos cognoscunt, & tempus cognouerunt; qui verò cognouerunt tempus, ij poterunt statuere semetipsos immobiles à diuersitate linguarum. De Arrio verò qui in Alexandria surrexit & loquitur aliena verba de Vnigenito; cui, qui est & qui sine tempore est, tempus non adsciuit, & ineffabilis, finem inter creaturas non dedit, immobilis, immobilitatem noo affixit.

(Corporea charitas mon... — Eph. 3. a. Philip. 1. c. — Rom. 8. b. — Cognitio sui ipsius. — Arrius.)

FINIS.

# LIBERII P. M. AD CONSTANTIVM AVGVSTVM, EPISTOLA.

*Gloriosissimo Constantio Augusto;* LIBERIVS *Episcopus.*

A OPTO, tranquillissime Imperator: vt mihi benignas aures clementia tua tribuat; quo possim, mansuetudini tuæ, mentis meæ propositum aperire. De Christiano etenim Imperatore, & sanctæ memoriæ Constantini filio; hoc ipsum sine cunctatione me reor impetrare: sed in eo me laborare intelligo, qui repetita satisfactione placabilē etiam circa seos animū tuum in gratiam meam reuocare non possunt. Sermo enim pietatis tuæ iamdudum ad populum missus, me quidem (quem patienter omnia ferre necesse est) plurimū lacerat: sed animum tuū qui lenitati semper vacat, qui nunquam (vt scriptum est) in occasum diei iracundiam seruat; retinere circa me indignationē, mira- B culo mihi est. Ego enim, religiosissime Imperator, tecū veram pacem requiro; quæ non sit verbis composita interna dispositione fallaciæ, sed præceptis Euangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasij tantùm negotium, sed multa alia in medium venerant propter quæ Concilium fieri, mānsuetudinem tuam fueram deprecatus, vt ante omnia (quod specialiter optat mentis tuæ erga Deū sincera deuotio) cùm fidei causa, in qua prima nobis spes est, ad Deum diligenter fuisset tractata; nec eorum qui nostram circa Deum obseruantiam mirari debent possent finiri. Et dignum fuerat Dei cultore, dignum imperio tuo quod Christi pietate regitur & au- C getur; specialiter hoc ipsum (reuerentia sanctæ religionis cui prudenter intentus es) clementiam tuā nobis ad hæc impetranda præstare. Sed multi Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confixerunt me literas suppressisse, ne crimina eius quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent: † quas illas literas Episcoporum Orientalium & Aegyptiorum, quibus in omnibus eadem in Athanasium crimina continebantur. At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium literas intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse Cōcilio; atque ad hæc etiam Orientalibus respondisse, qui fidem & sententiam non commodauimus nostram, Quod eodem tempore LXXV. Episcoporum Aegyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter D recitauimus atque insinuauimus Episcopis Italis. Vnde contra diuinam legem visum est etiam, cùm Episcoporū numerus pro Athanasio maior existeret; in parte aliqua commodare consensum. Hæc scripta, si Deo fidem debet Theosebius, qui missus fuerat festinās ad Africam, nobis reliquit, quæ tamen posteà omnia scripta, ne ad impetrandum fortè concilium deessent, Vincentius qui cum cæteris legatus missus fuerat, Arelatum permisit. Videt igitur prudentia tua nihil in animum meum introisse, quod Deo seruientibus non dignum fuerat cogitare. Testis autem est mihi Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia: me, fide, & me, in Deum meum, cun- E cta mundana (ita vt Euangelica & Apostolica ratio præcepit) calcare atque calcasse, non furore temerario, sed constituto atque obseruato iure diuino: atque in alio ministerio Ecclesiasticus viuens, nihil per gloriæ cupiditatem quod ad legē pertinebat impleui, atque ad istud officiū, testis est mihi Deus meus, inuitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei (quā diu in seculo fuero) permanere, & nunquàm mea statuta, sed Apostolica vt essent semper firmata & custodita perfeci: sequutus morem ordinemque Maiorum: nihil addidi episcopatui vrbis Romæ, nihil minui passus sum, & illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum Episcoporū cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto. Denique iam perire meam causam, pietati tuæ, sollicitudo Ecclesiastica atque ipsa deuotio persuadet. Significant Orientales paci etiam nostræ velle coniungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cùm sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demofilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius: qui ante annos octo, cùm apud Mediolanum Arrij hæreticam sententiam voluissent damnare; de Concilio, iratis animis exierunt: horum, si fas est, sententijs, quale sit, aut quid habeat, commodare consensum, æquitas & clementia tua poterit æstimare. Non est nouum; quod nunc subtiliter & sub occasione nominis Athanasij attentatur. Manent literæ Alexandri Episcopi, olim ad Syluestrum sanctæ memoriæ, destinatæ, quibus significat, ante ordinationem Athanasij, vndecim tam presbyteros quàm etiam Diaconos. quod Arrij hæresim sequerentur, se Ecclesia eiecisse: ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam Catholicam foris positi dicuntur sibi conciliabula inuenisse: quibus asseueratur etiam Georgius, in Alexandria, per literas communicare. Quæ ergo potest pax esse, tranquillissime Imperator, si Episcopi (vt nunc per Italiam factum est) cogantur talium sententiis obedire? Accipe aliud, quia tranquillitas tua patienter admittit. Manent Legatorum literæ qui ad clementiam tuam fuerūt destinati, quæ nuper venerūt, quibus significant, propter turbationem quidem omnium Ecclesiarum, se quidem antè succumbere sententijs Orientaliū voluisse, proposuisse tamen conditionem, vt si iidem Arij hæresim condemnassent, hoc genere se inclinari & eorum sententijs obedire. Placitum, vt ipsi significant, scriptura teste firmatur: Itur in concilium, accipiunt cum deliberatione responsa, Arrij doctrinam se damnare non posse, Athanasium, quod solùm exigebant, Communione esse priuandum. Hinc iam clementia tua hoc quoque consideret, rectè Catholicæ religionis iure seruato, an hominis causa debeat diligenter excussēque tractari. Vnde iterum atque iterum mansuetudinem tuam, animum tuum Deo deditum rogo per eius virtutem qui se in defensione tua quātus sit vniuersis mortalibus approbauit, habens ante oculos eius beneficia qui imperium tuum in omnibus regit. Hæc in cœtu Episcoporum diligenter facit omni cum consideratione tractari, vt pacatis per te, Deo fauente, temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, vt quæ fuerint iudicio Sacerdotum Dei confirmata, cùm constituerint omnes in expositione Fidei quæ inter tantos Episcopos apud Niceiam præsente sanctæ memoriæ patre tuo confirmata est, vniuersos consensisse, cùm exemplo possent in posterùm custodiri, vt ipse Saluator qui desuper mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei & pacis, etiam Reipublicæ necessitatibus non immeritò præposuisse. Ad exorādam igitur mānsuetudinem tuam, vt beneuolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & Coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio Compresbytero meo & Hilario Diacono placuit proficisci, quos credimus, de clementia tua, ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum: non difficulter posse Concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissime ac religiosissime Auguste.

*† melius; illas, nūquam literas.*

*Liberius inuitus ad Pontificatum accessit.*

FAVSTI

## FAVSTI RHEGIENSIS GALLIARVM, EPISCOPI EPISTOLÆ.

## EX GENNADII LIBRO DE SCRIPTVRIS ECCLESIASTICIS.

*FAVSTVS, ex abbate Lerinensis monasterij apud Regium Galliæ Episcopus factus, vir in diuinis scripturis intentus satis ex traditione Symboli occasione accepta, composuit librum de Spiritu sancto, in quo ostendit eum iuxta fidem patrum & consubstantialem & coæternalem esse Patri & Filio, ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque opus egregium de gratia Dei, qua saluamur. In quo opere docet gratiam Dei semper & inuitare & præcedere & adiuuare voluntatem nostram, & quicquid ipsa libertas arbitrij de labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed esse gratiæ donum. Legi eius & aduersus Arrianos & Macedonianos paruum libellum, in quo coëssentialem prædicat Trinitatem; & alium aduersus eos, qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum, in quo & diuinis testimonijs & Patrum confirmat sententijs, nihil credendum incorporeum præter Deum. est & eius epistola in modum libelli, ad Diaconum quendam Græcum nomine edita, qui à fide Catholica discedens ad Nestorianam abijt impietatem: In qua epistola admonet eum credere, S. Mariam Virginem non hominem purum genuisse, qui postea diuinitatem susciperet, sed Deum verum in homine vero. Sunt verè eius & alia scripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui. Viua tamen voce egregius doctor & creditur & probatur: scripsit postea & ad Felicem præfectum prætorij, & Patriciæ dignitatis virum, filium Magni Consulis iam religiosum, epistolam ad timorem Domini hortatoriam, conuenientem personis, pleno animo pœnitentiam agere disponentium.*

Gennadius, & Faustum, & eius opera laudat; sed nulla fides in his ei adhibenda, quod eo tempore quo ista scribebat, nimium Pelagianis addictus, eorum encomia celebrabat, Notissimum autem est Faustum erroris Semipelagianorum antesignanum, & eius scripta à S. Romana Ecclesia repudiari, vt tom. 4. initio operum eiusdē annotabimus.

## S. PAVLINI EPISCOPI NOLANI, AD FAVSTVM, RHEGIENSEM GALLIARVM, EPISCOPVM, DE varijs Quæstionibus Epistola.

Ex stylo, ex doctrina, ex ratione temporum tantū non certa accipitur coniectura hanc epistolam neutiquam à S. Paulino Nolano Episcopo conscriptam. Faustus creatus est Episcopus Rhegiensis anno Domini 4-2. at S. Paulinus obijt anno salutis 431. vt ex recta temporum ratione in annalibus Eccles. demonstratur: procul dubio scripta videtur à quodam Benedicto Paulino, ad quem sequens Fausti data dicitur quæ responsionem ad eandem continet.

*DOMINO Patri & Patrono Fausto Papæ, Paulinus. Scribere vobis, hinc retinet metus, inde compellit affectus, atque inter vtrumque ita mens incerta iactatur, veluti cùm temerarius nauta dubia committit vela fortunæ. Sed ego qui in te certum habeo portum, assumo mihi sæpe incerti cursus euentum: Elegi tamen vt potius fastidium generem, quam reatum. Agnoui enim optimè quòd epistolas meas, sine fastu Dominus meus Faustus excipiat. Sed quia Dominus meus Marinus Heremita vir sanctus & nimia districtione metuendus, tanta mihi indixit, grandi seueritate & timore percunctator, omnia quæcunque potest criminosus exerceo. Cùm diem humanæ sortis impleuero, pœnitentium subitam sum consecutus! si excludat pro parte peccatum. an ad integrum cupio cognoscere, aut si vnitam credentes Trinitatem perpetuis pœnis atque cruciatibus, flammis tormentisque omnibus, pro corporalibus vitijs, non peccantes in spiritu, torqueantur. Mea hæc sententia est, quòd si omnia hæc Christianus excipiat, nihil suscipere valet Arrianus: aut vtrum anima vinculo seclusa corporeo, custodia alia quam mancipetur, an carcere clausa teneatur, aut vtrum in aura iactetur incerta. Et quia scio quòd in ea hora omnis cogitatio perit, si admittitis, dignanter interrogo, vtrum & bona & mala cogitatio de anima quæ probatur immortalis esse, discedat, an aliquis sensus intellectusque seruetur, aut vtrum aliquid de honestum sentit affectum. Et quia bonis scimus vniuersa concedi, vt etiam ampliora viuis possint præstare post mortem, malis quid aut datur aut dabitur agnoscam, aut ipsa anima corporea melius vocetur, edoceat.* Et quia caro infirma est, spiritus autem promptus, *quam peccati communionem anima pro corporali errore suscipiat, scire ignarus exopto; aut quæ est immortalis, quomodo pro mortalibus vitijs torqueatur; vel vtrum anima & spiritus idem sint; aut quemodò segregentur, agnoscam. Nam prædictus ita me sub sacramenti etiam interpositione conterruit; quod qui corporalibus vitijs occumberet nullam posset veniam promereri, sed in ijsdem seruatur ipsa resurrectione supplicijs, nec possit expiare infernalibus tormentis, quod corporalibus vitijs concreta contraxerat. Tamen ita miserrimus credo, quod qui semel susceptum signum diuini nominis & infixum fronti caracterem Domini nostri, nunquam mali sibi conscius vel subdolus falsator infregit, susceptis leniter pro expiando errore tormentis, parum aereum sensum & simplicis animæ ignem dies consumpta producat. Nam si vniuersa hæc quæ interminatur Dominus meus Marinus, excipimus peccatores, quid magis impij mereantur, ignoro. Da veniam quod pietati vestræ iniuriam moueo, dum doceri à magistro veteri, nouus quandoque discipulus futurus exopto.*

Fronti infixus, Christi caracter.

## *RHEGIENSIS GALLIARVM Episcopi Fausti, ad Benedictum Paulinum.*

## EPISTOLA. I.

*Hæc epistola & sequētia quæ subijciūtur Fausti opuscula caute legenda vt post. opera recte & damnata à Romana Ecclesia*

Sera pœnitētia, an vtilis sit.

*Cum iudicio lege quæ hic Faustus differit, nam etsi extrema necessitate momētanea vera pœnitētia difficile habeatur, verā tamen & legitimam interdum posse tūc contingere nullus vnquam Orthodoxus dubitauit. Vide Dominic. Sot. 4. sēt. distinct. 19 q. 2. artic.*

Fides sola non proficit ad salutem.

ADmiranda mihi semper tuarum pagina literarum nunc abundantius gemina eloquij & fidei luce præfulsit, dum super statu animæ cogitans, timore sollicito iudicia futura suspirat. Ait quodam loco sermo diuinus: Rectè interroganti sapientia reputabitur. Quædam. n. scientiæ portio est, scire quod nescias, & ea quæ ignoranter non intelligis, prudenter inquirere, Primo loco inquirendum putasti; si incumbentibus extremæ necessitatis angustijs momentanea pœnitentia capitalis inimica persuasione mentitur, qui maculas longa ætate contractas subitis etiam inutilibus abolendas gemtiibus arbitratur: quo tempore confessio esse potest, satisfactio esse non potest. Nam quia *Deus non irridetur,* ipse se decepit qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam viam iam semi viuus adsurgit; vt tunc officiosus appareat, quando dominicæ seruituti omnia corporis & animæ subtrahuntur officia. Circa exequendā interioris hominis sanitatem; non solùm accipiendi voluntas, sed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus; Si (inquit) *peccator pœnitentiam egerit pro peccatis suis* (*egerit*, memorauit, non solum dixit, *acceperit*) *in sua*, inquit, *iustitia quā operatus est, viuit.* Aduertis quòd huiusmodi medicina, sicut ore poscenda, ita opere consummanda est? Insultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit, & illo, tunc incipit velle, quo non potest. Opus itaque est, vt quàm in peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intētio, tanta sit in vulnerum curatione deuotio. Secundo quæsisti loco, vtrum sola proficiat ad salutem vnicæ scientia Trinitatis: In rebus diuinis non solùm credendi ratio requiritur, sed placendi. Fides ergo nuda meritis, inanis & vacua est, sicut Apostolus dicit; *Quid prodest si fidē quis se dicat habere, opera autē non habeat?* nunquid potest seruare eum? Sequitur. n. *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa; Sed dicit quis, tu fidem habes & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuā sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam!* Secundum hæc, sufficere per se solam credulitatem non probatur. Nam dum scire & credere etiam diabolus inuenitur, sicut idem Apostolus dicit: *Tu credis quod vnus est Deus! bene facis, nā & dæmones credūt & cōtremiscunt, vis autem scire ô homo inanis, quod fides sine operibus mortua est? Abraham pater nonne ex operibus iustificatus est?* Et ne spē nostrā in sola fidei parte ponamus, ita cōclusit: *Sicut corpus sine spiritu mortuū est, ita & fides sine operibus mortua est*, sine quibus inanē esse hominē dixit. Multùm similiū testimoniorū, studio breuitatis omittam. Apostolus Paulus, de cuius pectore quasi de templo suo Dominus loquebatur, nunquid solam fidē sibi iudicauit ad superanda Mundi mala posse competere, ita dicēs: *corpus meum castigo & in seruitutē redigo, ne forte cùm alijs prædicauero ipse reprobus efficiar.* Ecce, per vitia corporis, reprobus fieri pertimescit, iam probatus, per mortifera carnaliū contagia passionū, vas cōtumeliæ fieri metuit qui iam vas electionis effectus est! Videamus si vitæ suæ prodigiū fides sola defendat, & baptizatus (vt dicis) iam perire non possit. Agnosce quomodo mala carnalia, alienum à Deo faciant obscœnarum mancipium voluptatum. Ad Galatas ait Apostolus: *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, homicidiū, ebrietates, cōmessationes, & his similia, qui talia faciunt, regnū Dei non consequentur.* Itē ad Ephes. *Omnis fornicator aut immūdus, aut auarus, (quod est idolorum seruitus) non habebit hereditatē in regno Christi & Dei.* Sine dubio, exclusus à regno

A inferno & morti est mācipandus: Multos autē baptizatos, salua fide, diuersis generibus in æternū perire manifestū est. Arguit sermo diuinus nō trāsgressores fidei, nō baptismi violatores, sed eos qui misericordes esse neglexerint; dicēs *iudicari sine misericordia eū qui nō fecit misericordiā.* Et iterū, *Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere, hospes eram & nō collegistis, nudus & non operuistis me.* Si hic sinistri gregis numerus donū baptismatis ignotasset, infidelitatem eis & impietatē primitùs obiecisset: sed, baptizatos licet, ab operibus tamē bonis vacuos, morti deputat & flāmis perēnibus derelinquit, & seueritatē sententiæ ita concludit: *Discedite,* inquit, *maledicti à me in ignē æternum qui paratus est diabolo & angelis eius*: Et rursū, *triticū congre-*
B *gauit in horreū suum, paleas autē combussit igne inextinguibili: Similiter,* inquā, *ibunt in vitam æternā, illi verò in supplicium æternum.* Inter hæc videat quisq; ne mēdacem arguat Deū de pollicitatione præmij, qui dubitat de æternitate supplicij, Nō ita est, nam qui nouit punire peccata. Tria itaq; hæc capitalia, sacrilegiū, adulteriū, homicidiū, nisi hic perfectæ pœnitentiæ fuerint expiata remedijs, perennibus illic concremabuntur incendijs. Hos itaq; immisericordes, à fide & baptismo non legis declinasse, sed perpetuam mortem diuina cognoscis auctoritate meruisse, Et hoc etiam animum tuum prouida in futurum cura sollicitat, vtrum animæ exutæ corpore, sentiendi & intelligendi vigorem affectúmq; nō exuāt. Interrogemus Diuitem illum ex Euangelio non in terris aureis, vt poëtarum delirамēta adserunt, oberran-
C tem, sed in Inferni carcere, ex illorū numero qui inclusi pœnam expectant, inter flammas cōscientiæ ante diem Iudicij constitutum, pro fratrum qui adhuc in hoc mundo erant emendatione sollicitum colloqui cum Abraham, per interiectum Chaos vastissimum sedulam obsecrationem miscentem, & viuaci germanorum recordatione pulsatum, ita pro viuentibus supplicasse: *Rogo te,* inquam, *pater Abrahā, vt mittas Lazarum in domū patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testificetur ille, nē & ipsi veniāt in hunc locum tormentorū, & si qui ex mortuis ierint ad eos, pœnitentiā agent.* Ecce in Inferni angustia dānatus, nullum iā de se remediū habens, tamē antiquū in fratres seruat affectū, & dum dānatus pro peccatoribus rogat, magnā, inter paradisi nemora respirātibus Iustis, pro charorū suorum commodis curam esse
D demonstrat. Quod autem requiris: quid mali post finem aut detur aut adimatur iniquis, de quibus legimus, *Desiderium peccatorum peribit,* Terrenorū cupiditate bonorum & ambitione submota, solum reddendæ rationis pondus, & metus intolerandi examinis nec auferentur sensus, sed cognitionem alterius sæculi magis expediti alacresque reddent. Quod autem de ipsa anima, vtrum corporea an incorporea sit, postulas edoceri: Itaq; quod temporibus non includitur, nec locorum terminis coërcetur (quod soli Deo competit) hoc tantum incorporeum esse cognosce. Sicut vnus doctor eximius diserte cuidam sciscitanti vbi esset Deus, respondit ita: Deus nō alicubi est, quod alicubi est, continetur loco, quod continetur loco corpus est. Quæ cùm ita sint, omnis caro, corpus, non omne corpus est caro. Et quia non solum
E anima, sed etiam Angelorū inuisibilis cælestisque substantia, sicut localibus spatijs continetur, ita Auctore suo corporea esse † & comprehensibilis approbatur. Quid est enim nisi corporeū, quòd de supernis sedibus perturbatum loco cessit? quid est quod sensit ruinam: quid est quod æternæ flāmæ obnoxium præparatur ad pœnam: sed & ipse beatus Lazarus post linguas famulantium canum susceptus manibus Angelorum, de quo legimus. *factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ,* corporeā esse docuit animā suam, dum in sinum Abrahæ (id est, in remotum beatumque secretum) angelicis infertur obsequijs. De anima autem sua sanctus propheta pronūciat, *educ de carcere animā meam,* id est, de hospitij corporalis angustijs. Ideò

Flammę Conscietiæ.

Luc. 16.

Psal. 111. 110.

*Caue ista omnia quæ hoc loco affert Faustus absurda illa prorsus & errorea, cum ostendere nititur animas humanas esse corporeas.*

† Aduersus hanc sententiā scripsit Claudianus Mamertus Viennēsis presbyter. libr. 111. de statu animæ, quibus, qui præponitur in veteribus exēplaribus li-

bellus, videtur ex Gennadio esse Fausti huius Biblioth. Tom. 4. Psal. 101

Ideò factura eius, quæ vel peccatorum iaculis vulneratur, vel vſque ad diuinæ Imaginis decus per qualitates mutata prouehetur; abſque dubio, & Deo & angelis à quibus comprehendi & transferri poteſt, corporea eſſe euidenter oſtendetur. Requirẽdum eſt autem inter iſta quid illud ſit quòd cum vterque homo (id eſt, anima & corpus) adhuc in paradiſi regione diabolo perſuadente deliqoerit, ſola caro per cõditionem mortis mulctam transgreſſionis exceperit, & circa vnius pœnam, remanſerit culpa communis. Sciendum ergo eſt quod ideò mors ad animam non peruenerit, quia in ea Dominus imaginẽ ſuam & ſimilitudinẽ collocauit. Nam ſicut Deus immortalis, miſericors, iuſtus & patiens eſt, ita harum dona virtutum in faciem noſtram interiorem infudit: vt quantò quiſque magis iuſtus & magis miſericors extitiſſet, tãtò magis diuinæ participationis munere prædit⁹ in interiore homine appareret habitare Chriſtum per fidem. Interrogas etiam cur animæ cum carne ſua, aliquid pro corporali errore commune ſit, ſicut originale peccatũ, pro vnitate corporalis hoſpitij, vtrumque complectimur par, modò vterque in peccatorum ſocietate cõſtringatur: Ita enim in criminum participatione vna cauſa eſt, ſicut in virtutum remuneratione par gloria eſt. Nunquam enim exterior in baratrum luxuriæ caderet, niſi ei conſenſum præberet interior. Nos ipſos interrogemus, & inter nos poterimus agnoſcere, quòd mens dominica exercet imperium, & caro ſubiecta famulatum, hæc exhibet miniſterium, illa conſilium: obedientia à ſeruitute ceſſaret, niſi voluntas à iubente procederet. Similem neceſſe eſt conditionem in damnatione cognoſcant, qui contra ſimul in retributione gaudebũt. Dicis adhuc, quæ eſt immortalis, quomodò pro mortalibus vitijs torquetur? Mortalia quidem mala ſunt, ſed immortalis erat & delictorum cruciatus, vitijs deficientibus malorum, permanebunt. Meliorem materiam ita inferior tradituta iudicio eſt, ſicut conflari aurum, plumbi compellit admixtio. Homo ergo pro mortalibus malis moriturus eſt Deo, & victurus Inferno; hæc erit illius mors, vt mori ei in dolore non liceat. Extendis io hoc quoque ſollicitudinem tuam, vtrùm anima & ſpiritus idem ſint, aut quomodò ſegregentur. Duas tantùm in homine, animæ & corporis nouerimus eſſe ſubſtantias. Spiritus autem nunc naturalis probatur, nunc accedens inuenitur, aliquando virtute intelligitur appetitus & ſpiritalis affectus. Hoc genere, vnus atque idem homo nunc carnalis nũc etiã & ſpiritalis eſt. Carnales ſunt de quibus ait Dominus, *non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſũt*, & Apoſtolus, *qui autẽ in carne ſunt, Deo placere nõ poſſunt*. Carnalis eſt, qui vẽtri & gutturi, edẽdi & bibendi

Gen. 3. b. Rom. 8. Homo carnalis, quis ſit.

nimietate deſeruit, & vitæ bonũ, in gulæ ingluuie & voracitate conſtituit, quando manducandi & bibendi nimietate vitam computat, quando ei ventris dominatur ingluuies. At verò animalis efficitur, quando adhuc purum Deum cogitans, ſecundùm animam ſæculari prudentia ad aliquarum rerum ſciẽtiam promouetur; quãdo inueſtigandis rerum latentium cauſis; aut philoſophiæ delectatur ſtudijs: vnde & Apoſtolus dicit, *animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei*. Spiritualis eſſe incipit, quãdo honeſta & ſpiritualia cõcupiſcit, quando ad diuini timoris cultum, vigore cordis aſcendit, quãdo ad ſe, ſpiritum per mundiciem corporis & per cuſtodiam caſtitatis inuitat, vt de ea illud Apoſtoli dici poſſit, *vos eſtis tẽplum Dei & ſpiritus Dei habitat in vobis*. Quæ homini non inſita per naturam, ſed ita ſunt adiũcta per gratiam vt ſeparari poſſit deſidia intercedente per culpam. Vnde idem Apoſtolus dicit, *qui autem tẽplum Dei violauerit, diſperdet eum Deus*. Ecce, per fidem, nõ ſolùm baptizatus, ſed & Dei templum eſſe videtur, & tamen

Animalis homo quis dicatur. 1. Cor. 2. 14. 1. Cor. 6. 16. 1. Cor. 3. 17.

A per diuerſa flagitia, Dei ſeueritate diſperdetur. Hoc loco perditionis vocabulũ, æternũ perditæ animæ nouerimus eſſe interitum. In baptizatorum numero abſque dubitatione cenſentur, & membra Chriſti eſſe dicũtur, & vide quomodò perditis comparantur, quomodo à generoſitate filiorum, flagitio operante degenerant, dicẽte Apoſtolo: *tollã ergo membra Chriſti, & faciã membra meretricis?* Et illi quoque manifeſtiſſimè dona ſecũdæ natiuitatis acceperant, qui etiam chariſmatum diuerſitate pollebãt; de quibus Dominus in Euangelio dicit: *multi dicent mihi in illa die, Domine Domine nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tũc dicet illis, quia nõ noui vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem*. Quis abdicator nõ intelliget à ſalute, qui à cõſpectu Patris iubẽtur abſcedere? in ſortẽ eos ſua mors in-

1. Cor. 6. b. Matt. 7. 22.

B dubitanter accipiet, quos vita quæ Chriſtus eſt ignorabit. Baptizatos perditioni tradi pro iniquitatibus ſuis dubitas, cùm baptiſma ipſũ per multa ſcelera perire cognoſcas? Quod autẽ, ſicut pagina cõtinet, ſermo tuus de propheta mutuatus ignẽ animæ ſimplicis æſtimant, de ſola hoc diuinitatis ſubſtantia dicere cõuenit, cui nihil appoſitum, nihil à ſuperiore collatum, nihil conſtat adiunctum. Iuſtus pariter & iuſtitia viuens & vita, ſapiens atque ſapientia eſt, virtus & origo virtutum: In principalibus enim bonis ſuis, hoc eſt ipſe quod poſſidet. Homo verò duplex intelligi poteſt, qui viuens & iuſtus & ſapiens dici poteſt: vita autem & iuſtitia dici nõ poteſt, quia ita his induitur, vt aliquoties exuatur. Quod homini datum eſt, Deo inſitum eſt. Homo (verbi gratia)

C deauratus eſt, Deus aurum eſt, in quo, hoc eſt potentia & gloria quod natura. Nam quod ſubtiliter indicaſti, ſi omnia hæc quæ dominus Marinus interminatur, excipiunt peccatores, quid magis impij mercantur ignoro? Habent ſub perennibus malis, & ſupplicia gradus ſuos, & grauibus obnoxius peccatis, infinitis (licet tamen vtcunque tolerandis) impius verò, inauditis cruciatibus torquetur. Tunc autem baptiſmi gratiam habetis, nec poſſet morte aliquẽ vindicare, niſi in aliquibus eius integritas & dignitas non periret. Graue crimen eſt, quòd hæreticus accipere noluit, non minus illud graue, quòd Chriſtianus accipit & perdit: Nam & ille qui fiducia baptiſmi, nuptiale conuiuiũ, ſacri concilij temerator irrumperat nitore puritatis amiſſo, de illuſtri iuſtorũ cõuentu expellitur, & in exteriores tenebras perturbatur. Non

Matt. 22. a.

D credendus eſt niueum ſanctæ Generationis poſſidere candorem, qui inter inceſtos, veneficos & cruentos, vel præcipitio aut ſuſpendio vitam præcidens, in partem tranſijt impiorum. Legimus inextinguibiles flammas factis capitalibus præparatas, hominem verò in malis ſuis viuentem, ſolo baptiſmate ſaluatum eſſe non legimus. Periculoſa ſibi, quod cæleſtis Scriptura non legitur, inimica ſecuritas pollicetur, multò periculoſior, illa nõ credere quæ veritas cõminatur. Aliqua (vt dicitis) beatiſſimus vir Marinus cum interminatione diſſeruit: ſed ſicut illud quod promiſit Dominus diligẽtibus ſe, etiam teſtimonio Apoſtoli pro rei magnitudine in cor hominis nõ aſcendit, ita futurorum immẽſitas cruciatuũ, anguſtias humanæ mentis excedet, quę mala momentanea

Facta, ſeu peccata Capitalia.

E pœnitentiæ vmbra non remouet, quæ fidem ſine operibus non repellet, quibus terminum ſæculorum labentium curſus in flammis inextinguibilibus ſtatuere non valebit, inter quos inexhauſtos vapores tardè ſe anima corpores & ſentiet & videbit. Et ideò, iuſtis, caſtis, & pijs operibus diem vltimum præcurramus: & hic timendo ea quæ illic timere nihil proderit, nos declinemus. Hic finem infinitis contentionibus imponamus, & intolerãda incendia nunc ſalubriter cogitando, ex ipſis ignibus æterna nobis refrigeria comparemus.

Ignis æternorũ cogitatione præparata ſibi æterna refrigeria.

# FAVSTI RHEGIENSIS GALLIARVM, EPISCOPI, DE POENITENTIA AD FELICEM P.P. & Patricium. Epistola. 2.

*Domino piissimo & specialibus officijs excolendo, vt confido, in æternum Fratri & per omnia dono Fœlici, Faustus.*

MAGNVM pietatis & fidei testimonium, quòd per tantarum vasta interualla regionum, & per tot rerum interiecta discrimina, ad vos vsque latitudinem vestræ charitatis extenditis. In hac relegatione nostra, artifex Dei nostri misericordia, gemina exercet officia, nostrâ excutit paterna sedulitate rubiginē, & vestram circa nos dilucidat, fidem, vestrámque ad probat pietatem. Nos elimat benigna solertia, vos producit, nos coāgustat salubriter, vos dilatat. Nos arguimur, vos proficitis, detrimenta nostra in vestra transeunt cómoda. Cum fœneratores nostri sitis, incipitis nostri esse debitores, si quidē causa vestræ deuotionis, & mercedis vestra materia sumus Opera vestra, de nobis capiunt lucrum, merita vestra, de flagellis nostris mutuantur augmentum. Vestræ sollicitudinis, ad nos, affectus ad Deū, peruenit fructus: ac sic duplici modo, & de nostra castigatione, & de vestra retributione, diuinis beneficijs obligamur. Pœnè autē mihi respōdēdi silentiū, perfectio vestræ cōsultationis indixerat, Nam ipsa sollicitudo interrogandi videtur forma viuendi, quam quotidie de domini mei patris vestri sancti Episcopi Leonij efficacibus doctrinis & præsentibus documentis sufficienter attrabitis. Non autem mirur si & meum (quamlibet ex superfluo) requiritis institutum, cuius circa vos singularem nostra affectum. Creditis, in adiutorium fidei vestræ, magisterium meum tam perfectum esse, quàm votum est: sed, licet sermo mens (quē lenuiorem etiam præsens reddit infirmitas) vestro sufficere vix possit ardori, tamen paucis cōuersationem vestram non tam instruam, quàm reuoluam. Magnā sollicitis perhibet curationem agnitio peccati, metus Iudicij, terror Ignis æterni. Itaque ad immolanda orationum sacrificia, amica sunt feruentibus nocturna silentis, quibus, vsque ad horam tertiā lectio moderata succedat, vt exercitiū spiritale non desinat desiderare, & semper possit augeri. Vtinam prouideat Dominus vel duo fida solatia, cum quibus diurnas & nocturnas exigas functiones, & vel biduo in sempiterna salutamiū fructis officijs. Ardua sunt quæ pro interrogantis feruore colloquimur: sed ille laborantiū benignus adiutor, tam leue tibi faciat iugum suum, quàm iucundum erit præmium suum. Igitur si trepida parum ampliùs rudimēta permittunt, alternis hiemales dies ieiunijs trāsigantur: quæ sicut moderari conuenit, ita necesse est duplicari: duplicari, inquam; duo enim sunt abstinentiæ genera: Vnum est, incontinentiæ appetitum, à cibo & potu & à diuersis carnalium suauitatum illecebris coercere; & vomere Crucis, terram subiecti exterioris edomare, & necessitati potiùs quàm voluptati tēperata moderatione seruire paulum, si permittat infirmitas, vel alternis diebus donec vis longæ consuetudinis sensim dissuescatur accipere. De vsu verò indumentorum, paulatim se grauitas ad inferiora submittat, ne ipsa nouitas subitæ mediocritatis offendat. Obseruandum est etiam, ne elatio de nimia humilitate generetur, & vitium de virtute nascatur; quæ tamen facilè superabitur, si confusibilis illa præteritæ conuersationis historia ante oculos adducatur, & rea conscientia trepidis sensibus præsentetur. Ita fiet, vt dum per recordationem præteritorum malorum à diabolo ingesta præsumptio castigatur, dúmque iactātia validis culparū armis victa propellitur: crimina quæ generauerant mortem, militare incipiant ad salutem; inque remedium delicta proficiant, & medicina de vulneribus producatur, & sicut dixit Apostolus, de peccato elaboremus damnare peccatum. Alterum abstinentiæ genus est multo sublimius multóque preciosius; motus animi regere; irrationabiles perturbationes & cogitationū inter se colluctantium rebelles tumultus mentis imperio subiugare; malitiæ virus, tanquam funestum aliquod maleficium, de penetralibus cordis expuere, & animam contra diuersarum fluctus tentationum, constantiæ moderamine gubernare, & contra passiones occultas velut contra domesticos inimicos, rixam quādā, irascentis fidei auctoritate conserere, inanes curas lōgè repellere, & à noxijs colloquijs ac desiderijs quibus diabolus pascitur abstinere, & per mansuetudinem, patientiam, tranquillitatem Dei in vultu exteriore excolere vitum spiritualia & diuina cogitantem, vt tristitia non frangat, lætitia non resoluat, stabilitum in timore Dei pectus ostendat magnanimitatis æqualitas, vt nobis coaptari possit Libelli illius insigne principium, *Erat vir vnus abstinens se ab omni re mala. Vir*, inquit, *vnus*; hoc est, semper idē: quia nihil erat in eo dubiū, nihil duplex, nihil accidens, nihil varium vel diuersum, sed eum in statu virtutum suarum, æquali ordine permanentem, tempora non mutabant, nec eum (vt maximis fluctibus mos est) in alternas partes diuersa ventorum flabra versabant. Ita & sollicitus Dei famulus, inconcussa fidei mole fundatus, in hoc tantùm (Christo in se operante) mutetur, vt nouis semper virtutibus induatur. Ante omnia, inquantum Deo adiuuante possumus, illas in nobis quinque sensuum expugnemus illecebras. Quicquid enim pulchrescit visu; quicquid lenocinatur odoratu, quicquid mollescit attactu, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur auditu, hæc omnia si his abutamur, intentionem de spiritalibus ad terrena deuoluūt. Et ideò sicut pater fidei Abraham; quinque illos Reges, in trecentis decem & octo, mysterio intra literam latente, deuicit: ita & nos contra hos principales vitiorū duces, in Iesu nomine & Crucis signo (hoc enim vtraque æta exprimunt) dimicemus, vt audire mereamur à Domino: *Vincenti dabo coronā vitæ, & qui vicerit non lædetur à morte secunda: Et quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Vim enim sibi factura est anima, vt carnales affectiones spiritui subdat, vt crucem delicijs præferat, vt vigilias somnis dulcib⁹ anteponat, vt aduersarium in membris suis vincat: vt ex alio alter effectus homo ad illam Domini præceptionem idoneus inueniatur: *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum sibi.* Si quis ex iracundo, patiens efficietur: continens, ex luxurioso: placidus, ex cruento: benignus, ex inuido: largus, ex cupido, toties nos negamus, quoties nos ad meliora conuertimus. Et ideò, vt ad hoc assurgamus quod esse debemus, priùs studeamus odisse, quod fuimus. Oportet vt hic priùs mutetur ad vitam, qui illic mutari optat ad gloriam.

*Leonius Episcopus.*

*Remedium triplex castrapeccato, nocturna silentio lectione orationi amica.*

*Ieiunia moderāda sed tamen duplicāda.*

*Abstinentiæ duo sunt genera.*

*Vita, vestis in melius commutanda.*

*Remedium contra animi motus, Leniendaque ex Virtute nascitur.*

*Medicina ex Peccatorū vulneribus. Rom 8.*

*Iob 1.*

*5. Sensuū illecebræ expugnandæ.*

*Gen.*

*Apoc. 2. 11. Matth. 11. 12.*

*Abnegare se ipsum, quid sit. Matth 16. 24.*

FAVSTI

# FAVSTI RHEGIENSIS GALLIARVM, EPISCOPI, CONTRA NESTORII ERROREM, AD. G. DIACONVM. EPI. 3.

*Domino sancto & in Christo deuinctissimo fratri GRECO Diac. Faustus.*

*Alias Gregorio*

HONORATVS officio tuo, honoratus iudicio, prouocatus affectu; loquar tecum in humilitate sincera, in libertate beneuola, in charitate non ficta, in verbo veritatis. Et licet mihi tacendi causam indicere potueris, dum benigno ac nimis credulo animo tantum pœnæ mihi quantùm tibi peritiæ & eruditionis indulges: tamen per interrogandi sollicitudinem, imposuisti mihi respondendi necessitatem; quàm cum absente, non sine trepidatione, mihi æstimo colloquendum: quia de rebus tam profundis, & meas ac tuas vires excedentibus: non minus periculi est, respondere, quàm incondito stilo ingentia sacramenta committere: & ideò charum meum, in his quæ nimis temerè potulit, tacendo magis castigare debuissẽ. In tantę autem rei consultatione, in qua longè viam regiam reliquisti; aliquos expertæ scientiæ viros, eruditione atque ætate seniores, quibus credere facilius possis, interrogare debueras, secundùm illud Propheticum; *Interroga patrem tuum, & indicabit tibi; seniores tuos, & dicent tibi.* Deinde in his quæ agimus, vel quæ dicimus, atque ad extremum scriptis mandare præsumimus, fructum profectúmque operis expectare debemus. In hac autem scriptiuncula quam ad me dirigere dignatus es, non eloquentia, non scientia, non ratio, non ædificatio aliqua ordinati aut compuncti sermonis apparet, sed testimonia confusissimè pro memoriæ facilitate, congesta, temeritatem incauti cordis accusant. Nouit Dominus, quia stupefactus præ studio tuæ salutis hæc colloquor sic, & te, interrogasse, & me, respondisse, ad bonum cõmune proficiat. In scriptis sancti Pontificis Augustini, etiã si quid putatur apud doctissimos viros esse suspectum, ex his quæ damnanda iudicasti, nihil noueris reprehensum: sed Fidei sensum, maximè de duabus substantijs vel naturis Dei & hominis Domini ac Redemptoris nostri, scitu apud Catholicam, non solòm Patrũ auctoritate susceptum, sed etiam Apostolicis oraculis consecratum. Proinde verbũ hoc, quod more Prophetico ad te factum dicis, vt certum est, non Dei spiritu; & apud Deum & apud homines valde damnabile est, nisi prior ipse damnaueris. Ergo vtalijs prætermissis hunc duplicem errorem & de hæresi natum, & in pericula hæresis pertrahentem, breui (quantum absentem possum) sermone constringam; cùm sanctæ sinceritati tuæ, multorum (non, qualis ego sum) necessaria esset præsentia magistrorum: primo loco ignorãter & satis periculosè, non dicam, scribitur, sed, cogitatur: suscipi non debere vt homo mater Dei sit: quod de Nestorianæ hæresis impietate descendit: qui prophano ausu disputare non timuit, beatam Mariam tantùm matrem fuisse hominis, non etiam Dei: & ideò, pro hoc, Catholicæ per omnẽ mundum Ecclesiæ districtione damnatus est. Nõ debet (inquit) suscipi, vt homo mater Dei sit, sed vbi est illud propheticum vel euangelicũ; *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filiũ, & vocabũt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Et iterum in Euãgelio: *Quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei.* Vbi etiã illud est, quod suscepta per omnes insulas & Ecclesias, Patrũ signat auctoritas contra Nestoriũ loquens; Maledictus, inquit, qui filium Dei, Deum verum de Maria nõ nuper natum pro nostra salute non confitetur? Secutum est vt diceres Dei & hominis vnam esse naturam, hoc modo, vnam Dei esse substantiam. Rectè dixerasti de sola Trinitate dixisses; vbi vna atque eadem est, sub trium Personarum distinctione, natura. Cæterum cum ad hominis assumpti incarnationem venitur: sicut hominis & Dei vnam confitemur esse personam; ita duplicem nescimus esse substantiam. Qui autem vnius naturæ asserit Deum redemptorem; aut hominem in diuinitate, aut Deum negauit in corpore; cum redemptio nostra non ex alterutro, sed ex vtroq; perfecta sit. Hoc autem loco vnum sine alio erroris periculo nostræ fidei solius nostri esse naturam. Ergo in substantia maiestatis suæ, diuinitas crucifixa est! Si vnam Dei solius naturam dicis: in substantia sua, maiestas mortua vel sepulta est! quæ omnia Deus, non in se sed in natura suscepti hominis excepit. Nihil enim Deus sensit eum patiẽtis sensu; sed sensit cum patientis affectu: nihil sensit pro diuersitate substantiæ, sed sensit pro vnitate Personæ. Vnitate coniunxit, & consequenter adiecit; nos vnum eundémque verũ hominem & verum Deum intelligimus: Et iterum: nos, verum Deum & verum hominem nullo modo ambigimus confitendum. Accipe etiam in hymno sancti Antistitis & confessoris Ambrosij, quem in natali Dominico, Catholica per omnes Italiæ & Galliæ regiones persultat Ecclesia: *Procede de thalamo tuo geminæ gigas substantiæ.* Refuge ergo inter hæc, sãcte frater: alterutræ partis errorẽ: si tantum Dei naturam dixeris: imposuisti Deo conditionẽ passionis & mortis: si verò tantũ hominis naturam dixeris: substraxisti Deo gloriam redemptionis, substraxisti auctori potentiam Reparatoris. Audi quomodò sacra eloquia, per vnam personam explicãt vtramque substantiam. Iuxta diuinam Naturam loquitur: *Ego & Pater vnum sumus:* secundum humanã naturã cõfitetur, quia *Pater maior me est.* Iuxta cœlestẽ naturam pronunciat omnia quæ Pater habet, mea sunt: Iuxta terrenæ naturæ infirmitatem dicit, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Quasi homo indicabat. *tristis est anima mea vsque ad mortẽ.* Quasi Deus cõtestabatur, *potestatẽ habeo ponendi eam, & potestatẽ habeo iterum sumendi eam.* Secundum carnis naturã in cruce pendebat, secundum diuinitatis substantiã, paradisum & regnum cœleste donabat. Hoc Arriani, obscurato corde, penitus non videntes, quia præsumptio & elatio suffundit mẽtis intuitum, ad Deum, quæ erant hominis retulerunt credentes quòd minor loqueretur diuinitas, vbi sola hominis demonstrabatur infirmitas. Nullam ponentes inter cœlestia & terrena rationem, dum naturas in Deo & homine duas recipere nolunt, Dei substãtiam diuiserunt: & dũ ad sola hominis verba respiciũt, Deum, qui gloriæ plenitudo est, intellectus lumine perdiderunt. Ac sic, qui Deum filium hominis credendum denegat, Nestorii impietate maculatur: qui duas substãtias in Redemptore non credit, Arrij laqueo deceptus inuoluitur. Nos vero, mi frater carissime, in Christum Deũ, ita perfecta & inseparabili distinctione credamus, vt Dei & hominis simplicem personam & duplicem nouerimus esse substantiam. Sicut anima & corpus, hominem facit, ita diuinitas & humanitas, vnus est Christus. Tu autem quòd gemino errore præuentus scribendum putasti, sub duarum Naturarum conuentu suscipi non debere, vt Deus, pater hominis sit, vt homo, mater Dei sit: nos, vnã Dei hominisque personam fiducialiter & salubriter asserentes in eo qui erat in principio, & qui sub redẽptionis nostræ tẽpore factus est in similitudinẽ carnis peccati, id est, in veritate hominis, & similitudine peccatoris: Nos (inquam) ita, Deum, patrẽ hominis sub personæ vnitate testamur, sicut sub eiusdẽ vnitatis amplexu, Matrem Dei hominẽ confitemur, iuxta symboli auctoritatem (vt alia prætermittam) qua dicimus: Credo & in filium Dei Iesum Christum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Quid sit ...

*Deut. 32.7.* · *Isa. 7.14.* · *Matt. 1.23.* · *Ioh. 10.30.* · *Matt. 26.38.* · *Ioan. 10.18.* · *Christus quomodò passus sit.* · *Elatio excæcabit Arrianorum mentes.*

A · B · C · E

lis error est, in Domino Saluatore vnam & simplicem credidisse substātiam, qualis error est, duplicē asseruisse Personam? Nam si in societate carnis assumptæ, formam famuli Deus induit, duæ substantiæ non fuerunt. Ergo in homine Deus non fuit, & separata à Deo, persona hominis fuit: ac sic subtali sensu videbis subitò quartam nescio vndè accreuisse personam: & in hunc intellectum, prauitatis consequentia præcipitaberis, vt iam non Trinitatem necesse sit confiteri. Audi potius quemadmodum beatus Isaias, distincto ordine coniunctoque discrimine, Domini nostri ac redemptoris natiuitatē disponat *Paruulus* (inquit) *natus est nobis, filius datus est nobis*. Accipe, Filium Dei in extrema parte sæculorum, ex innupta matre, natura ignorante & fide maritāte progenitum, superueniente in Virginem sancto Spiritu hominem Deo mirabiliter impletum, & Deum, in hominem misericorditer cōmutatum, nec exinanisse gloriæ magnitudinem; sed per susceptam serui conditionem Domini ostendisse pietatē: *Paruulus natus est nobis, Filius datus est nobis!* Natus est nobis qui sibi erat. Datus ergo ex diuinitate, natus ex Virgine; natus qui sentiret occasum, datus qui nesciret exordium. Natus qui & matre esset iunior; datus & quo nec pater esset antiquior. Natus qui moreretur; datus per quem vita renasceretur. Illic dominatur, hîc humilitatur; sibi regnat, & mihi militat. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis; & factus est principatus super humerū eius.* Manifestū hominē demonstrat humerus; latentem Deum loquitur Principatus. Agnosce duplicem sub personæ vnitate substantiam. De nostro est, quod appendit, de suo est quod donauit. De nostro habuit vnde caderet, de suo vnde consurgeret. De nostro habuit vnde pro nobis solueret; de suo, vnde penitus in nullo debitor appareret. De nostro vnde crucifigeretur; de suo vnde glorificaretur. De nostro dedit peccati hostiam; de suo indulgentiæ tribuit gratiam. De nostro itaque humiliatio; de suo esse probatur Ascensio. De nostro obtulit sacrificium; de suo contulit præmium. Duarum ergo naturarum capax homo, infirmitatibus agnoscitur. Deus virtutibus approbatur.

*Isa 9. 6.* *Natura ignorāte & fide maritāte natus est christus.* *Natura duæ in Christo*

Piget, sermonem tam manifestæ rei assertione producere. Scio quòd hæc ipsa breuiter strictimque commemorata, temerè cōmitto vel meis epistolis vel sensibus tuis. Sed dum te ad interrogationis salubritatem sollicita humilitate submittis; multū mihi de erroris huius remedio polliceris. Reuoca quæso ab hoc discrimine pedem tuum, priusquam in Profundum irreuocabile, elationis Torrente rapiāris: rectum animi sensum, qui multæ elationis pondus non sustinet, nec nouit thesaurum scientiæ dispensare, magis laboris occupatione castiga. Tempera immoderatum abstinentiæ rigōrem, qui etiam menti generat infirmitatem; quem puto inde nasci, vnde scribendi præsumptionem. Regredere ad vitam regiam; nutricem elationis refuge Solicitudinem: & quia legimus; *Mãducare mel multũ, non est bonũ* (magis enim inflat parùm fundatum sensum, scientia, quàm ædificat) ita caue nimiam lectionē; vt cordi parum capaci tanquam sumpti immoderatius vini periculosam noueris ebrietatem. Nunquam cogitationibus tuis credas, sed magis imitanda legas, quàm legenda conscribas: & in mente tua loquaris ad Dominum. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt nō peccem tibi.* Et si euadere pericula non de foris ingruentia, sed intus cōcepta desideras, nihil tibi vtilius scias, quàm vt sub alio quocunque probatissimo abbate vitam tuam munias, ac voluntates tuas senioris legibus tradas. Et vt aduersarij insidias possis superare, te scripturulam ipsam retinendam, imò supprimendā putaui: ne vltra in alterius alicuius catholici qui te minus diligeret, manum & conscientiam veniret. Ex hoc autem poteris agnoscere sana esse intima cordis tui, si adhucquasi liber me cultorem tuum humiliter & amabiliter commonentem sollicitè & libenter audieris Ante interrogationem incauta videbitur fuisse persuasio, post responsionem inexcusabilis apparebit intentio. quod si inter hęc aliquid mihi, qui austeris magis quàm dulcibus sanari animam tuam cupio, credideris imputandum; memento osculis, malè blandientis præponi vulnera charitatis.

*Animus elatus, labore castigandus.* *Abstinētia rigor mētē debilitat.* *Prou. 25* *Nimia lectio infirmis periculosa est.* *Psal. 119*

# NICEPHORI CHARTOPHYLACIS EPISTOLA AD MONACHVM QVENDAM THEODOSIVM ET INCLVSVM

Corinthi, continens quarundam quæstionum solutionem.

DE quibus interrogasti, venerande pater, nostrum non est respondere, Antistitibus enim talium dispensatio permissa est. Nos autem qui inferioris ordinis ministerij sortiri sumus (licet indigni) dignitatem; offendere videmur Canonicas constitutiones, si cùm de his non sit nobis permissum dicere, sed ea à regionis Antistite discere oporteat, dispiciamus omninò de his, & dicamus. Æquum enim & iustum est, vt præsulem tuum Corinthiæ Ecclesiæ Pontificem interroges, & ab eo discas, nihil que sine eius sententia circa salutem animarum facias, sed nec ratiocinijs † suscipias, aut gratiam concilies pœnitentibus, nisi accepta ab eo venia: hoc enim vult Apostolica & paterna Ecclesiæ constitutio. Quoniam autem voluisti etiam à me discere quidpiam; dicam non à meipso, nec vt potestatem habens in his quicquam statuendi, sed quatenus ex Canonicis libris hausimus. Binubos, aut scortantes, aut eos qui vel semel tantum scortati sunt, neutiquā sacra celebrare vult Canonica disciplina: sed nec scortatores mūdanos diuinorum Sacramentorum fieri participes, nisi à malo abstineant: quin & competenti pœna subijcientur, & seruitutis nexum subibūt. Monachi autē non sacerdotes, qui aliquorū confessiones suscipiunt, ligantes & soluentes, sciant se id contra Canones facere. Sancti enim Patres, nec sacerdotes volunt sine iussu Antistitis regionis conciliare pœnitentibus gratiam, vt 6. & 42. Canon Synodi Carthaginensis declarant: nunc verò nescio quomodò ea spernitur constitutio, verùm nos quæ scripta extant referimus. Compaternitates autem vel Fraternitates Monachi facere vetantur, idque grauiter Prioribus sui Præfectis monasteriorū Ecclesia iniungit: neque enim vllo modo lex admittit eas quæ vocātur Fratrificationes. Eas autem mulieres, quæ fœtū enecant, homicidij pœnis subijci, extra dubitationē est, vt secundus magni Basilij Canon latè persequitur. Quod autē ad Infantes attinet, qui mortui inueniuntur in parentū cubili, prudentia magna opus est; nam si ex eundem culpa (inebriatorum videlicet genitorum aut aliquo modo negligētiū facinus admissum est, homicidium esse videtur: sin autē ex cooperatione & insidijs Aduersarij, cùm nulla eorum sit culpa, res veniam meretur. De seruis autem qui sine sacra benedictione cū ancillis coniuncti sunt; scito, nisi benedictione initientur, non debere diuinorū sacramentorum fieri participes, sed vt scortantes ab ijs prohiberi. Hæc secundùm diuinas sanctorum Patrum sententias & constitutiones, tuæ reuerentiæ scribimus. Antistitibus autē tributa licentia est, dispensationes in his faciēdis iuxta ijs datum diuinum spiritum & gratiā, ob eamque rem dicimus & pronūciamus consentanrū esse locorum Magistratus seu Antistites de his interrogare, & eos adiutores habere. Illi enim potius de sibi credito grege rationē Deo reddēt. Dicere, autē, eos qui peccant non ferre Canonum seueritatem, nihil ad nos.

*Monachis, circa salutē animarū nihil agendū inconsultis Episcopis.* *† vernicē tribratio-cinia appellat.* *Peccatorum exomologesim.* *Fornicatorij, quomodo ad communionem Sacramentorū admittēdi.* *Monachi ne faciāt cōpaternitates vel Fraternitates.* *Parentū pœnæ, ex tinctis eorum culpa infantibus.* *Seruis sine sacra benedictione, seri habendi vt scortatores.* *Antistitū dispēsationes in his quæ ad matrimonia pertinēt*

Ait

Ait enim cœlitos resplendens Basilius in 84. Canone, fructus poenitentiæ probari oportere; non enim ad têpus, sed ad modum omnino attendimus Si difficulter à suis moribus euellantur, & carnis voluptatibus seruire malint quàm Domino, & Euangelicam non excipiant vitam; nulla nobis cum iis communis ratio. Et perlege, pater, ad finem vsque, Canonem; vt pote causæ conuenientem. Habes reliquum, in primis venerande pater; quod petiisti, iuxta notitiam nostram; veruntamē si eos qui te adeunt, vis ad exactā & rectā dirigere normam; percurre diligenter Canones à sacris præconibus diuinisque Apostolis & diuinitus afflatis Patribus editos: & de quibus dubitas, cum humilitate & precibus ad Metropolitanum tuum referas gratias, eius vtere consilio; Deum toto ex animo rogans, vt tibi peritiæ iudiciique gratiam largiatur. Re vera enim valdè periculosum est, audacter ligare & soluere eos qui delicti conuicti sunt; & morbis non idonea præparare medicamenta.

*Delinquētes ligare aut soluere periculosū est.*

## *EIVSDEM AD EVNDEM.*

INterrogasti nos, in primis venerāde pater; scripto tuo nō prolixè nec inconcinnè, sed cōsideratè & ad amussim, de quibus ipse dubitasti; quæ hodie dubitaoter & multi alii quærunt. Quæ igitur illis qui coram nobiscū colloquuntur, Deo dante, dicimus; ea nos ad integritatem tuam enunciamus Primum Canones Ecclesiasticos à numine afflatis Patribus editos & cōfirmatos; illos esse dicimos quos sancti Apostoli, quiq; in septē magnis & Oecumenicis Syoodis cōuenerunt sancti Patres, edi-

*Ecclesiastici Canones, quinam pro diuinis habenda.*

A derūt. Adhæc & qui à Prouincialibus Synodis facti sūt & ab iis quæ per varia tempora claruerunt Ecclesiæ luminaribus, magnisq; Pōtificibus fuēre promulgati, quos in initio 6. Synodi nominatim percensitos cōperies; & præter hos nihil aliud Ecclesia admittit Declarato sigitur omnes Canones, si diligenter cōsideres; à scopo nō oberrabis. Quòd autem ad editos à Ioanne Ieiunatore, consuetudinem recepimus, iuxta vniuscuiusque vires, correctionum moderādarū: eo excepto quod dicimus, quæ non secundum Canonum disciplinam visa sunt à Ioanne Ieiunatore dicta esse, si quis cordatus cōsiderauerit; ex Patrum sententia depēdere. Cum enim magn⁹ Basilius in vltimo suo Canone perspicuè moneat, cuiB cunq; animarū cura credita est, potestatem dari angēdi minuendiq; delictū (ex affectu videlicet Cōfitentium) & omnino personas ac res obseruandi procurandique cum iudicio vtilitatéque animarum: non mirum certè si Ioannes Ieiunator, Canonis huius persuasione, iuxta datam sibi spiritalem gratiam, quidpiam innouarit; id quod dispensatur, ad vtilitatem prorsus administrans. Adhærendum ergo est iis quæ Synodicè promulgata & confirmata sunt; deinde etiam ex personarum & têporum morumque qualitate correctionis dispensatio facienda, magno Basilio, id (quemadmodum dictum est) permittente. Cæterum tua virtute illud indignum est quòd dicis: homines, ne audita quidem, canonica pręcepta ferre: qui enim ea non admittunt, nullo modo sunt Christianorum partium; ob eámque causam non C seuerè & sine consolatione his tibi erit vtendum: sed benignè & facili disciplina, nam velut dulcia & iucunda ęgrotantibus exhibent.

*Curionibus augendorū minuendorumque delictorū potestas data.*

*Qui canonibus non obediunt non sunt Christianarum partiū.*

# S. PACIANI BARCILONÆ INTEGERRIMI QVONDAM EPISCOPI,

*Epistolæ tres ad Sympronianum Nouatianum, Eiusdem, Paranesis ad Poenitentiam, Altera, eiusdem, de Baptismo.*

(:) (:)

## S. PACIANI VITA.

### Ex S. Hieronymi Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo.

*Pacianus, in Pyrrhinæi iugis, Barcilonæ episcopus castitate & eloquentia, & tam vita quam sermone clarus; scripsit varia opuscula, de quibus est, Δἰ[illegible]σις & contra Nouatianos. Sub Theodosio principe, vltima senectute mortuus est.*

## S. PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI, AD SYMPRONIANVM Nouatianum, de Catholico nomine, Epistola, 1.

PACIANVS Semproniano fratri, S. Si non carnalis intentio, sed, vt, ego arbitror, vocatio spiritualis est (Domine) quod ex nobis fidem Catholicæ veritatis examinas: tu potissimum quæ vel quam diuersa sequereris indicare debueras, qui à riuulo procul in quantum apparet exorsus, fontem atque originem principalis Ecclesiæ non tenebas: te, vt quæ causa potissimum de vnitate corporis nostri soluisset, aperires: nudari enim eas partes oportet, quibus medicina deposcitur. Nunc clauso (vt ita dixerim) literarum sinu, quæ membra nobis potissimum curanda sint, non videmus. Tantę enim à Capite Christiano hæreses extiterunt, vt nominum ipsorum sit volumen immensum. Nam vt Iudæorum hæreticos prætermittam, Dositheum Samaritanum, Sadducæos & Pharisæos: quanti Apostolorum temporibus emerserint, dinumerare perlongum est, Simon magus, & Menander, & Nicolaus, & cæteri quos fama recondit obscura. Quid posterioribus temporibus Ebion, & Appelles, & Marcion, & Valentinus & Cerdon: nec longè post eos, Ca-

*Hæreses eo numerosæ fuerunt.*

D taphryges, & Nouatiani, vt examina nouella prætercam? Quis ergo mihi primum per litteras refutandus est? Ipsa (si voles) nomina omnium charta non capiet: nisi quòd scriptis tuis, poenitentiam vsquequaque damnantibus, secundum Phrygas te assensisse pronuncias. Verum his ipsis, Domine charissime, tam multiplex & diuersus est error, vt nō hoc vnum in illis quòd contra poenitentiam sapiunt, sed quasi quędam capita Lernæa cædenda sint. Et primum hi plurimis nituntur authoribus: nam puto, & Græcus Blastus ipsorum est: Theodotus quoque & Praxeas, vestros aliquando docuēre: ipsi illi Phryges nobiliores qui se animatos mentiuntur à Leucio, se institutos à Proculo gloriātur. Montanum & Maximillam & Priscillam sequuti, quam multiplices controuersias excitarunt de Paschali die, de Paracleto, de Apostolis, de Prophetis: multaque alia, sicut & hoc de Catholico nomine, de venia poenitētiæ. Quare si omnia ista discutere velimus, docili præ- E sentia opus est: si hæc sola quæ scribis non satis instruerē, tamen quia quoquomodo admirantibus seruiendum est, informandi tui gratia, summatim ad ea de quibus scribere dignatus es conloquimur. Si quid scire plenius de nostro voles; oportet vt de tuo profitear

*Hæretici vt doceri possint.*

*Hæretici primum deponat opinionẽ subtilitatis.*

re simplicius; ne obscurius cõsulendo, non scire nos facias, vtrũ interroges an lacessas. Interea quod ad præsentes pertinebit, ante omnia te rogatũ volo, ne ob hoc ipsum authoritatem muneris errori, quod (sicut ais) per orbem totum nullus intus sit qui te reuinceret, aut persuadere tibi posset contra quam crederes. Nam & si nos imperiti, peritissimus Dei Spiritus: & si nos infideles, fidelis Deus, qui negare se non potest. Tùm porrò, quod obtinendo, sacerdotibus Dei diu contendere nõ licebat: *Nos* (inquit Apostolus) *talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Post vnam correptionem.* sicut scis ipse, contentiosus omittitur. Persuadere autem quis aliquid possit inuito: Tua ergo frater non illorum culpa est, si tibi quod erat optimũ nemo persuasit. Nã & hodie in potestate tua est vt nostra etiã scripta contemnas, si ea mauis vincere quã probare. Cæterũ & ipsi Domino & Apostolis eius plurimi restiterunt, nec persuaderi veritas cuiquã potuit, nisi ei propria religione cõsensit. Itaque domine, & nos non ea fiducia scripsimus, qua repugnanti aliquid persuadere possimus; sed ea fide qua, volenti, bonæ pacis aditum non negemus; quæ si animo tuo & cordi est, de Catholico nomine nullũ habet esse luctamen. Si enim per Deũ id populus noster adipiscitur; nec interrogandum est, præcedente authoritate diuina. Si per hominem: quando vsurpatũ, detegendum. Tunc si bonũ nomen est, nõ recipit odiũ; si malum, caret inuidia. Nouatianos audio de Nouato aut Nouatiano vocari: sectam tamen in his, non nomẽ accuso: nec Montano aliquis aut Phrygibus nomẽ obiecit. Sed sub Apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur: Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post Apostolos, hæreses extitissent: diuersisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes & scindere niterentur: nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret vnitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam vrbẽ hodie cum Marcionitas, cũ Appollinariacos, Cataphrygas, Nouatianos & cæteros eiusmodi comperissem qui se Christianos vocarẽt: quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? Agè, quis cæteris plebibus nomina tanta largitus est? Cur tot vrbibus, tot nationibus sua quæque descriptio est? Ipse ille qui Catholicum nomen interrogat, causam sui nominis nesciet, si requiram vnde mihi traditũ est? Certè non est ab homine mutuatũ quod per sæcula tanta nõ cecidit, Catholicũ istud: nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores. Multos nos Spiritus sanctus edocuit, quem paracletum Apostolis & magistrum Deus misit è cælis; Multa ratio, sicut dicit Paulus, & honestas, & (vt ait) ipsa natura. quid? Parua nobis de Apostolicis viris, parua de primis sacerdotibus, parua de beatissimo Cypriano martyre atque doctore currit authoritas? An volumus docere doctorem? An sapientiores illo sumus, & spiritu carnis inflamur aduersus eum, quem æterni Dei testẽ, nobilis cruor, & clarissimæ passionis corona produxit? Quid tot earũ partium sacerdotes, quos per totum orbem cum eodẽ Cypriano pax vna solidauit? Quid tot annosi Episcopi, tot martyres, tot Confessores? Age: si illi, vsurpando nomini huic, authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et nostrã potius authoritatẽ patres sequentur, & emendanda Sanctorũ cedet antiquitas, & iã putrescentia vitiis tẽpora, Canones Apostolicæ antiquitatis eradent? Nec tamen æstues frater: Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat. istud ostendit: hoc probor, inde significor. Et si reddenda postremò Catholici vocabuli ratio est; & exprimenda de græca interpretatione Romana: Catholicus, vbi vnũ, vel (vt doctiores putãt) obedientia omnium nuncupatur mandatorũ scilicet Dei. Vnde Apostolus; *Si in omnibus obedientes estis.*

*I. Cor. 11 Tit. 3. c. — Veritas inuito persuaderi non potest. — Ecclesia cur dicta Catholica. — Patrum authoritas. — Tempora nostris putrescentia. — καθολικὸς, vniuersalis. Rom. 5.*

A Et iterũ: *Sicut enim per inobedientiã vnius, peccatores constituti sunt multi: sic per dicto audientiam vnius, iusti constituentur multi.* Ergo, qui Catholicus; idẽ, iusti obediens. Qui obediens, idẽ est Christianus, ita Catholicus, Christianus est. Quare ab hæretico nomine noster populus hac appellatione diuiditur cum Catholicus nuncupatur: sed & si Catholicus vbiq; vnũ est, sicut superiores putãt, idipsum Dauid indicat dicẽs: *Astitit regina in veste aurata & varietate*; hoc est, vna in omnibus. Et in Cãtico cãticorum Spõsus hæc loquitur: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa est genitrici suæ.* Et iterũ: *Adducentur Regi virgines post eã.* Et adhuc: *Adolescentulæ, quarum non est numerus.* Ergo in omnibus vna, & vna super omnia. Si rationẽ nominis quæris, apparet. De pœnitentia verò, B Deus præstet vt nullis fidelibus necessaria sit, nemo post sacri fõtis auxilium, foueã mortis incurrat: nec tarda solamina ingerere, sacerdotes, aut docere cogãtur, ne peccãdi iter aperiãt, dum peccãti remediis blãdiuntur. Sed nos hãc indulgẽtiã Dei nostri, miseris, nõ beatis; nec ante peccatum, † sed peccata detegimus: nec sanis medicinã, sed malè habẽtibus nunciamus. Si nihil in baptizatos possunt nequitiæ spirituales nihil fraus illa serpẽtis, quæ primum subuertit hominẽ, quæ posteris eius tot titulos dãnationis impressit; si recessit à Mundo, si regnare iã cœpimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum mẽtibus nostris crimen obrepit: abiiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla Exomologesis, nulli gemitus audiãtur; contẽnat omne remedium superba iustitia. Quod si hæc homini suo Dominus prouidit, si idẽ, stãtibus præmia, qui iacẽtibus remedia largitus est: C desinite diuinã accusare pietatẽ, aut tot cœlestis clemẽtiæ titulos obiectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere. Nõ largimur ista de nostro. *Conuertimini ad me*, dicit Dominus, *simulque ieiunio, & fletu, & planctu scindite corda vestra.* Et iterũ: *Relinquat impias vias suas, & vir facinorosus cogitationes suas, & conuertatur ad Dominum, & misericordiã consequetur.* Itéque Propheta in hunc modum clamat: *Quoniã Deus pius, & mitis & patiens est, & qui reflectat sententiam aduersus malitias irrogatam.* Habet ne tã diutinum, Serpens, venenũ; & Christus nõ habet medicinã? Diabolus in mundo interficit, Christus hic non potest subuenire? Pigeat sanè peccare, sed pœnitere non pigeat. Pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. D Quis naufrago tabulã, ne euadat, eripiet? Quis sanãdis vulneribus inuidebit? An nõ Dauid dicit: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo.* Et iterum: *Peccatum meum ego agnosco, & facinus meum non texi.* Et adhuc: *Dixi, prosequar aduersum me delictum meum Deo meo, & tu remisisti impietatem cordis?* Nõne ille post cædis & adulterii reatum, pro Bethsabee pœnitẽti, Propheta respondit, *Dominus abstulit à te peccatum tuũ?* Nũ Babyloniũ regẽ post tot idololatriæ facinora dãnatum, Exomologesis nõ liberauit? Et quid est quod ait Dominus: *Nonne qui ceciderit, resurget & qui auersus fuerit cõuertetur.* Quid illa tot similitudinũ dominicarum argumẽta respõdẽt? Quòd drachmã inuenit mulier & gratulatur inuẽtã; Quòd pastor ouẽ reportat erraticã; E Quòd filio reuertenti, post † prodacta omnia bona, & cũ meretricibus & fornicariis nepotata, pater blãdus occurrit, & inuidum fratrem ostẽsa ratione castigat? *Filius* (inquiẽs) *meus hic mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Quid ille in via vulneratus, à Leuita & Sacerdote præteritus? Nõne curatur? Reuolue quæ Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertæ dilectionis accusat, Stuprũ Tiathyrenis imputat, Sardos in opere cessantes, Pergamenos docẽtes diuersa reprehẽdit, Laodicenorum diuitias inurit; & tamẽ omnes ad pœnitẽtiã satisfactione inuitat. Quid apostolus, ad Corinthios, cum ita dicit, *Ne cum venero, lugeam multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ex his quæ ante gesserunt in fornicatione & immunditiis suis?*

*Catholicus nomẽ quid significet. — Ps 44. — Cant 6 Ps 44. — † Non enim morbus est medico valentibus. Mat 9 b Marc 2. c — Exomologesis. — Ioel 2. Prou. Ionæ — Psal 6. — Psal 31 ibidem. — Exomologesis. Ezec 18 b Luc 15 Ibid. — † à prodigo est prodacta iuxta ea tonis dictũ proteruiam facere — Apoc. 1 ibidem. — Satisfactio Cor 2.*

Quid

Gal. 6. Quid cum rursus ad Galatas? *Si quis præuentus fuerit in ali-*
*quo delicto*; id est, quocunq; *vos qui spirituales estis, instruite*
*eiusmodi in spiritu mansuetudinis, cauens ne & tu tenteris.* At,
nunquid paterfamilias, in magna domo, argêtea tantum
& aurea vasa custodit? Nonne & fictilia & lignea, & com-
posita quædam & refecta dignatur? *Nunc gaudeo*, inquit,
Chron. 7 Apostolus, *quia contristati estis ad pœnitentiam.* Et iterum:
*Quia secundum Deum tristitia, pœnitentiã, in salutem, stabi-*
*lem operatur.* Sed pœnitere non licuit. Nemo sine fructu
impetat laborem; *Dignus est enim mercenarius mercede sua.*
Mat. 10. Luc 10. Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur; nisi ig-
nosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit.
Verum est: sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius
Sacerdo-tum po-testas. potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit; *Quæ*
*ligaueritis in terris, ligata erunt & in cælis: Et quæcunq; sol-*
Matt. 16 *ueritis in terris, soluta erunt & in cælis.* Cur hoc, si ligare ho-
minibus ac soluere non licebat? An tantum hoc solis Apo-
stolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum san-
ctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia
totum hoc, non aliis quam Apostolis imperatum est.
Quòd si vno in loco, & resolutio vinculorum & sacra-
menti potestas datur; aut totum ad nos, ex Apostolorum
1 Cor. 3. forma & potestate, deductum est; aut nec illud ex decre-
tis relaxatum est. *Ego* inquit, *fundamentum posui, alius*
*autem superædificat.* Hoc ergo superædificãtes, quod Apo-
Phil. 2. d stolorũ doctrina fundauit. Denique & Episcopi, Apostoli
nominantur; sicut de Epaphrodito Paulus edisserit. *Fra-*
Chrisma *trem & commilitonem*, inquit, *meum; vestrum autem A-*
*postolum.* Si ergo & Lauacri & Chrismatis potestas, maio-
rum & longè charismatum ad Episcopos inde descendit;
& ligandi quoq; ius adfuit, atque soluendi. Quod etsi nos
ob nostra peccata, temerariè vindicamus; Deus tamen il-
Apostolorum cathedra lud, vt sanctis & Apostolorum cathedram tenentibus, non
negabit; qui Episcopis, etiam vnici sui nomen indulsit.
Plura scriberem frater, ni & celeritate pueri reuertentis
1 Pet 2. d vrgerer, & vel præsenti tibi, vel de omni proposito confi-
tenti, copiosiora seruarem. Nemo Episcopum hominis
contemplatione despiciat. Recordemur, quod Petrus A-
postolus Dominum nostrum Episcopum nominarit; *Sed*
Episcopi vindociis ergo dignos *conuersi*, inquit, *modo ad Episcopum & pastorem animarum*
*vestrarum.* Quid Episcopo negabitur, in quo Dei nomen
operatur? Reddet quidem illi ratione si quid perperam
fecerit, vel si corruptè & impiè iudicarit. Nec præiudica-
tur Deo quominus mali ædificatoris opera rescindat: in-
terea si pia illa administratio est, adiutor Dei operum per-
2. Cor 2 Laici seuerat. Ecce Apostolus ad Laïcos scribit; *Si cui quid dona-*
*tis, & ego: Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter*
*vos in persona Christi, vt non possideatur à satana, non enim*
Chrisma Innouatio Corporis *versutias eius ignoramus.* Si autẽ quod Laici donãt, Apo-
stolus donasse se dicit; quod Episcopus fecerit qualiter
respuetur? Ergo nec Chrisma, nec Baptisma, nec criminũ
remissio, nec innouatio Corporis, sanctæ potestati eius
indulta est; quia nihil propria vsurpatione mandatum est,
totumq; id ex Apostolico iure defluxit? Scio, frater, hanc
ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari; nec
ante quam aut interpretatio diuinæ voluntatis, aut forsi-
tan visitatio fuerit; relaxari: magno pondere magnoq; li-
bramine post multos gemitus effusionemq; lachrymarum
post totius Ecclesiæ preces: ita veniam veræ pœnitentiæ
non negari, vt iudicaturo Christo, nemo præiudicet. Si
apertius, quid tu sentias, scripseris frater; plenius in-
struêris.

a Catholicus vbiq; vnum. *Ecclesiam Catholicam appellari Græca dictione quod vbiq; terrarum diffundatur, interpretatur. D. Aug. Epist. 170. ad Seuerinum. Et in Breuiculo contra Donatistas, Collationis 3. diei, cap. 3. narrat dixisse Catholicos merito se tales esse & vocari, quod Ecclesiæ toto Orbe diffusæ communicarent: respondisse vero Donatistas, non, Catholicum nomen, ex vniuersitate gentium, sed ex plenitudine Sacramẽtorum institutum. Alioqui epist. 48. cum reprehendit Vincentium ex Hæresi Rogatiana, quod acutum aliquid dicere sibi videretur, cum Catholica nomen non ex totius Orbis communione, sed ex obseruatione omnium præceptorum diuinorum,*



A *& omnium Sacramentorum interpretaretur, non tam illam reprehendit nominis interpretationem, (quam hoc loco doctiorum esse dicit D. Pacianus) quam quod ex ea persuadere nitebantur Rogatianistæ se remansisse solos qui ex diuinorum Præceptorum obseruatione Catholici rectè appellarentur, Mihi enim multo potius videtur illam probare cum Enarratione in Psal. 65.* Ecclesia, *inquit*, totum tenet, hæretici in parte sunt: *illa enim eadem Epist. 48. non negat forte appellari Catholicam non à toto Orbe terrarum, sed à toto quod veraciter tenet*; cuius veritatis, *inquit*, nonnullæ particulæ in diuersis etiam hæresibus inueniuntur.

## S. PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI, *ad Sympronianum, de eius litteris*

### EPISTOLA II.

B PAcianus Episcopus Sympromiano fratri salutem. In quæstione prolixa,
quantum potero breuitatem sequar.
Neq; tibi frater sub interrogationis
bonæ specie, occulta verborum tela
iaculanti atq; obiicienti, quæ ipse
machinare, aliquam vicem malitiæ
repensabo. *Orare pro persequentibus* Matt. 5 Hæreticorum fraudes.
*iubemur, maledicentibusque benedicere.* Fraus enim quasi
vulpeculæ, vis autem leonis est: vtrumq; ab homine alie-
nissimum, sed fraus odio digna maiore. Nam cum plus
nocere credas, quasi ignarus interrogas, cum docere te
putes, simulas erudiri. *Rabbi*, Dominum vocabant veteres
Pharisæi cum ænigmata legis opponerent, magistrum
appellabant, cum sibi omne magisterium vindicarent.
C Quidlibet agas, frater, totum ex me simpliciter recognos-
ces. Malo imperitus, quã malitiosus, intelligi: malo fatuus
quam callidus, iudicari. Quare priusquam rationem fidei
nostræ (de qua moueris) assignem, accipe pauca de literis
tuis, quas tractatui prætulisti. Refectum esse te dicis prio-
ribus Epistolis meis, & statim addis me cum amaritudine
respondisse quæ scripserim. Si amara reficiunt, quid dul-
cia operentur ignoro; nisi quia, vt in medicinæ poculis Amara magis salubria
solet amarum magis quam dulce medicari. Sed quæso,
litteras meas repetas, an aliquo felle resperssæ sint, quid
superbum, quid insuaue responderim. Plures me, ais, hæ-
reses nominasse, de quibus nemo quæsierit. Age, quid tua
si hæreticus non eras? Qui cum de fide nostra moueres
quæstionem, & doceri velle te diceres; scripsi ignorantiæ
D causas esse multiplices, quæ vos potissimum haberet, vt
aperires, ne retexendis pluribus æstuarem. De Catholico
nomine multa respondi placidè. Dixi enim, nihil alte-
rius interesse quid alius vocaretur. Ac si vim nominis po-
stulares, quodcunque illud esse mirificum, seu vnum in
omnibus, seu vnum super omnia, seu quod antè non
dixi, filius regis, id est populus Christianus. Adeò certè
non inditum nobis quod per sæcula tanta non caderet.
Et sanè gratulor quòd licet alios anteposueris, etiam circa
nos assentiare de nomine. Quid si negares? Natura cla-
maret. Aut si adhuc dubitas, taceamus. Ambo, quod
vocabimur, hoc erimus teste nominis vetustate. Cæte- Iudic. 13.
rum si pertinacius flagitaueris, vide ne tibi vir ille virtu-
tis exclamet. *Quid interrogas nomen meum? Et ipsum est*
*mirabile.* Tunc addidisti sanè, vnde Catholicè nomẽ hoc Fingit cõuicia imploBrõ Catholicam Arbitrabit ingenuũ cuiu-Bam: est autẽ conuiciũ à Conciliis nomine ductũ in inuidiã Cypriani.
E traherent, non esse reputandum; quia nec Valentinis si à
Valentino, nec Phrygibus si à Phrygia: nec Nouatianis,
si à Nouatiano vocarentur, imputari solere. Hic tu gra-
uiter commoueris, & quasi aculeo fixus erigeris, nam sic
iratus exclamas: Nunquid Cypriano sancto viro hoc
obest, quod populus eius Apostaticum nomen habet, vel
Capitolinum, vel † Syndreum? Conuitiaris; & ecce non
moueor. Horum-ne aliquid appellati sumus; Interroga
sæculum, frater, totosque ex ordine annos; an nobis no-
men hoc hæserit, an Cypriani populus aliud quam Ca-
tholicus nominatus sit. Nunquam nomen vllum ex his
audiui. Iam vide, si vocari aliquis eo nomine potuit, quod
sibi nescit impositum, Quid ergo? Maledicta sunt ista, non

nomina; & maledicta irascentium, maledicta petulantium. Quotuis & ego vos possum appellare nominibus, si liceat irasci. Cyprianum sanctum vocas, & populum eius Apostaticum? Quomodo? *Si initium sanctum, & farina; & si radix sancta, & rami.* [Rom. 11.] Ego ne Apostaticus, an Nouatus? Nouatus, inquam patre prodito, Ecclesia derelicta, partu vxoris effuso? Ego ne Apostaticus, an Nouatianus, quem absentem epistola Episcopum finxit; quem consecrante nullo, linteata sedes accepit? verum ista posterius: interim ipsi vos dicite quid vocemini. Negatisne Nouatianos à Nouatiano vocari? Quodlibet nomen imponas, semper istud hærebit. Scrutare totos (si videtur) Annales, & crede tot sæculis; respondebis Christianum. Inquirente me genus sectæ; Nouatianũ non inficiaberis. Nec tamen ego Nouatiani tui nomen accuso, quod toties requisitũ circum loquentibus lineis, & operto quodam sinu claudis. Fatere simpliciter, nihil est sceleris in nomine. Quid te toties interrogatus abscondis? quid causam nominis erubescis? Cum primum scripseras, Cataphrygem putabam. Tune secundis quidem literis confiteris? Meo inuides nomini, & tuũ vitas? Vide quid sit pudoris in causa quæ refugit quod vocatur. Quæ castigas & agis? Quasi ad Rhetorem venerimus aut ars sit tractanda, aut de versibus Virgilij, versus enarrarem? Cum plures hæreticos nominassem, addidi: *Et quos fama recondit obscura.* Et vnde tu hoc de Virgilij versu tractum putas, si Virgilium omnino non noueras? Atqui nego, non ex ordine versum posui. Dixi enim; *Quos fama recondit obscura*; vt loquentibus moris est, ex copia sermonis humani dicere aliquid quod antè dictum sit. Tu verò versum suo ordine, sua cõpage repetisti. Adeò Virgilium plus amasti vt ne fas fieri putares si versum eius infringeres? Et tamen ego à paruulo didiceram. Quid mirũ si in ea inridi quæ sciebam? In ta, frater, tantus est labor, vt ea nunc demũ legas quæ lecta quondam ab aliis erubescebas? Latinis institutum, Latinè loquentem tam accusare debebis, quam Græcè Græcum, quam Parthicè Parthum, quam Punicè Pœnum: Medis, Ægyptiis, Hebræis sua lingua est secundum copiam Domini qui eam in centum viginti ora modulatus est. Poëticũ versum Episcopus dixit. quid Paulus Apostolus? Erubescit, cum Atheniensem illũ versum & dixit & comprobat? Nam in Actis Apostolorum ita ponit; *Quidam etiam secundum vos dixerunt; Huius nãque genus sumus: cum igitur genus simus Dei.* [Linguæ 120.] Et rursus ad Titum dixit: *Dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta. † Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* [Paulus ex Arato Solensi id mutuatus est. † id est Epimenide.] Et addidit: *Testimonium hoc verum est.* Sic peccamus exemplo: nec rethores sumus, sed quamcunque vocem, copiam Dei credimus. Latium, Ægyptus, Athenæ, Thraces, Arabes, Hispani Deũ confitentur, omnes linguas Spiritus sanctus intelligit. Tu ipse enr ais, Literas tuas viuaci cedro perlinã propter cariosos hostes musarũ? Quarum oro musarum? An quæ inuenerint literas & scripserint chartas quas tineæ persequentur? Dic oro, frater, musæ literas repererunt? nonne per Dominũ omnia, & à Deo omnia? Præter illas centum & viginti linguas, fuit adbuc alia musarum? [Linguæ 120.] Hesiodus istud in Helicone mentitus est, sed Atheniensium studio, quibus vt Apostolus ait, nihil vacabat nisi loqui. [Act.] Nos teste Apostolo, omnium vocũ modos, omniũ genera linguarum à Deo inspirata retinemus. Ignosco tamen, frater, si quid & tu de tuo authore præsumis, & Nouatiani philosophiam, per quã ille in naufragiũ religionis incurrit, cum Hesiodi authoritate cõiungis. [Nouati Philosophia. Col. 2.] Veruntamen Apostoli meminisse debueras, qui ait; *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem.* Iã quale illud est quod Catholicis imputandum putas, si quando vos Reges aut imperia persecuta sunt? Ergo è cõtrario vobis debuit imputari quoties regum † & persecutionem Catholici pertulerunt: atque nostros, pagani principes, persecuti sunt. [† impietatem.] Vos Christianorum odia pertulistis? Sed nostri magis † questi sunt. [† Queri debuerunt.] Viderit qui hoc fecit, qua mente, quo spiritu; pacemne an discordiã procurauit. *Verum & si quidam eorum deliquerunt*, inquit, *nunquid fidem Dei destruunt?* [Rom. 3 a] Nec tamẽ tu querelã putes fuisse nostrorũ.

Sed cum per nostrã fidem Christiani principes esse cœpissent; A ipsi principes Catholicæ, hoc est suæ parti fauentes proprio dolore cõmoti sunt; nisi fortè Danieli imputabitur quòd à Dario vindicatus est; aut Hesteri sanctissimæ fœminæ, cũ pro ea Dux Regis occiditur; aut tribus pueris, quòd propter eos post experimenta flammarũ, prophanis & incredulis Rex Babylonius comminatur! [Dan. 6 f. Hest. 7 d. Dan. 3 g.] Nonne Simonẽ, Petrus, iudice adstipulãte, contundit? Num Helimã fauente Sergio Paulus excæcat? † Vindicatus esset & Hierosolymis, si quid fidei ligatus habuisset. [† Locus hic obscurior.] Nescis seruire ipsas innocẽtibus potestates, & in bonũ sanctis patribus ministrare? Sicut Apostolus dicit; *Principes non sunt timori bono operi sed malo: Vis autem non timere potestatem? Bonum fac & habebis laudem ex ea per Dominum: Minister enim est tibi in bonum.* [Rom. 13.] Et tamen ego de nullo questus sum, de nomine vindicatus Nec † impedire mihi Nouatianos puto, quotã B paruitate si vellem atque defectu poteram gloriari. [† pro, impedimento esse.] Ecce plebem tuam imperatori nullus accusat, & solus es. *Oportet nos tamen omnes stare ante Tribunal Dei*: quod vnũ scio quererentur Nouatiani, si causa eorum esset vllis grata principalibus. Vtilius esset, ais, vincere quã placere At qui vincendi ardore ducuntur, contentione proficiunt: Apostolus verò ait; *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Contra de studio placendi: *Omnibus*, inquit, *per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis, vt saluentur.* [1. Cor. 11. 1. Cor. 10.] Vos autem dum vestra, non fratrũ commoda cogitatis, vincendo mauultis elidere, quam placendo recreare. Malum bono vicisse, rationis est; cæterum, in quacunque causa velle superare, præsumptionis insanæ est. [Nõ igitur hodie primũ contentiosi hæretico.] Non de Apostolico C iura, sed de Græce; apud quos scriptum putatur, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi. Sus quoque ille lutulentus, & insana tygris, quid aliud velint nisi vincere quam placere? Vacare tibi scribis, & ideo te contentiosa delectant. Mihi verò Catholicis negociis occupato, post triginta fermè dies literæ tuæ traditæ sunt, post alios quadraginta repertæ. Irasci me ais; Absit. Stimulari vt apem, credo, quæ interdum aculeo mella defendit. Verum recole vtrinque literas, iam videbit spiculisne an floribus paginã conseramus De similibus quidem Apostolus, quos oportet † indentari Sed attende. [† Nouũ, pro in quod oportet dentem infringi.] Nos tecũ quasi columbæ, ore potius quã dente, confligimus. Vtinam verum esset quod doceri velle te dicis, iam ipsa tibi manibus meis sancti Spiritus vnguenta suggererem, Amas me? Non læsi, scio. Sed tunc demum amares, D si non diuersa sentires, atque operi meo blandus accederes. Cypriani epistolas mihi placere miraris? Quid nĩ beati martyris & catholici sacerdotis? [D. Cypriani epistola.] Nouatianum mihi ingeris? Philosophum sæculi fuisse audio, nec satis miror ab Ecclesia Dei viui deganerasse. Cognosco, radicem legit antiquæ, fontem veteris populi reliquisse, Cornelio inuidentem, Nouati insaniæ commodatum, sine consecratione legitima episcopum factum. ideoque nec factum per epistolam eorum qui se Confessores esse simularent, qui matris vnius membra diuellerent. Hæc ego tibi, frater, confessione vestrorum, literis approbabo. Ita tuus iste philosophus, *sapientiam suam quærens statuere*, sicut Apostolus ait, sapientiæ Dei non est subiectus, quoniam per sapientiam suam mundus non recognouit sapientiam Dei. [1. Cor. 1.] Nam quòd, antè passum Nouatianum, putas, & Cy E prianum dixisse subiungis; *Præcessit me aduersarius meus*; vide quam manifestè respõdeam. Nouatianus martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatissimi Cypriani auditum istud, aut lectum est. [Cyprianũ falso citabat Sempronianus.] Habes eius epistolas quibus Cornelium vrbis Episcopum, cui tunc Nouatianus inuiderat, inimicis principibus resistentem, sæpe confessum, sæpe vexatum refert; plurimis Confessoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, & cum plurimis gloriosissimà coronatum viuente tunc Nouatiano, & tamque secuto. [Cornelius Papa martyr.] Nam & ideo ab Ecclesia Christi recesserat, ne illum labor confessionis vrgeret. [Nouatiano schismatis causa.] Qui primum stimulatus inuidia, episcopatum Cornelij non ferebat; inde se, Nouato, paucorum Epistolis derisus addixerat. Hæc

*Notate Luthe. rani.* rat. Hæc te omnie de Nouariano Cypriani literæ perdocebūt. Porrò etiam si passus est aliquid Nouatianus nō tamen etiam occisus. Etiam si occisus oon tamen coronatus. Quid ni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiā extra eam matrem coius portio debet esse qui martyr est, Audi Apostolū: (*1. Cor. 13*) *Et si habuero omnē fidem ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil sum Et si in cibos pauperum dimisero omnem substantiam meam, & si tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* Cyprianos aotem in (*Cyprianus mar.*) concordia omnium, in pace communi, in Confesso ū grege passus est, & sæpe confessus iteratis persecutionibus, & multa lacetatione vexatus. & nouissimè salatati calice propinatus est: Hoc fuit coronari. Quare sibi habeat Nouatianus epistolas suas, sibi tumorem, sibi superbiā, qua dum io altum leoetur, elisus est; dum nemini pareit, effusus. Eo qoi salutis viā ftetribus inexorabili religione præcludat! En qui se † palam ferre, & (*† Alias, paleam auferre.*) aream Domini purgare eunfidat! Miserete tui, Sympronianæ frater, ne te Nouatienus sub hac fronte decipiat, vt ideo iustior putetur qoia reliquos sui comperatione despeait Sæpe fiduciam mentitur audacia; & desperatis quibusque peccatoribus, falsa bonæ cooscientiæ imago blanditur. Contra verò omois humilitas innocentia est, etiam illa debitrix, etiam illa peccattix, etiam illa quæ animam suam eum peccatore blanditur. (*Exod. 32. Bildiror palpat. Rom. 9.*) *Dele me*, inquit Moyses, *de libro quem scripsisti*; oec peccetores pereant. *Optaueram*, inquit Apostolus, *anathema esse ipse ego in Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem.* Vtique ambo pro peccatoribus deprecantur; & propter hoc, Deum nec Moyses oec Paulus offendit. (*1. Cor. 12 a*) Nouatiaous his melior? Emendator Propheterum Doctor Apostolorum? Item cum Christo videtur vt idem Moyses? Iam vt Paulus io tertium cœlum sublimis euehitur? Iam neglectis omnibus solus auditur? Hæc ad literas roas respodisse suffecerit. Sed quia de pœniteotia non agenda, vel ante baptismum agēda latius disputasti, multisq; capitulis exemplorū, tractatus ipsius paginam refersisti, respoodebo ad siogula ex abondanti: quæ fides verior habeat, oō racebo. To, vt auditoi nostro largiter imperate dignatus es, benigoā rursus vicem præbeto Tractatui. Præstabit fortasse Domiou, vt qoi oos tibi patienter obruimus, fructū aliquem de tua etiam patieotia reportemus. Dominus te in æternum custodire & protegere dignetur, & Christianum atque Catholicum viuere faciat, & cooeotdare nobiscom, Ameo.

### *S. PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI ad eundem, contra tractatus Nouatianorum.*

### EPISTOLA III.

(*Capitula Nouatianorum.*) PAciaous Episcopus; Semproniano fratri, selotem. Tractatus omnis Nouatianotum, quem ed me confertis vndiq; propositionibus destinasti, Semproniane frater, hoc cootinet. Quod post baptismum pœnitere non liceat; quod mortale peccatom Ecclesia donare oō possit, immò quòd ipsa pereat recipiēdo peccātes. Præclarus bonos, singularis authoritas, magne coostantia; (*Exod. 32. g*) reiicere nocentes, ertactus peccantium fogere, innocentiæ suæ malè coofidere. Quis hoc vindicat frater Moyses, an Paulus, an Christus? At Moyses deleri è libro (*Rom. 9.*) pro blasphematoribus optat, Et Paul⁹ *anathema esse pro fratribus*; & ipse Dominus pro iniustis pati maouit Nullus horum, inquies Quis ego? Nouatianos hoc præcepit. (*Nouatianus non idē qui Nouatus Verus Episcopus Hæretici nouatores.*) Immaculatus aliquis & purus qui Nouarum oō audierit, qui ounquē Ecclesiam deseruerit, qui ab Episcopis Episcopus factus sit, qui iure ordinatio consecratus, qui vacantem cathedrā in Ecclesia consequutus? Quid ad re; inquies; Nouatianus hoc doeuit. At vel quando frater, qoibusue tēporibus: Statim post Domini passionem: Post Decij priocipatum, id est, post trecētos propè ennos domioicæ passionis. Quid ergo tunc; Prophetes sequutus est vt Cataphryges, an † Philomenem aliqoam, vt Apelles; (*† Ergo Philomenem.*) A en ipse tantom authoritatis accepit! Linguis loquutus est? Prophetauit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat vt euangelium noui iuris induceret. Et si cōtreclamet Apostolus; (*Gal. 1.*) *Licet nos, aut Angelus de cœlo euāgelizauerit præterquā quod euangelizauimus vobis anathema sit.* Nouatianus sic intellexit, inquies: sed Christus hoc docuit. Ergo à Christo † vsque Decij principatum nullus intelligens? (*† subaudi Aduentu.*) Post Decium denique omnis Episcopus impatiēs; omnes alij dissoluti, qui se miscere perditis mallēt, qui perire cō miseris, qui alieno vulnere vulnerati? Nouatiano vindice, iustitia liberatur, authore, corrigitur quicquid erraoit, (*Ecclesia feriet.*) Age, inquies, certemus exēplis & ratioue pugnemus. At ego huc vsq; securus: ipsa Ecclesiæ serie, B congregationis antiquæ pace contētus: nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsiui: (*Studens hæretici post schisma.*) Tu postquā à reliquo corpore segregatus es, & à matre diuisus vt rationem facti tui redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta quæq; sollicitas, quicquid eainde securū est, inquietas. Nostri nihil vltrò disputauere maiores, nuda est apud nos ipsa securitas: (*Veritas inermis.*) quid attuleris de tua parte, munitum. Ego nescio quid Nouatianus egerit, quid Nouatus admiserit, quid Euaristus tumuerit, quid Nicostratus nonciauerit: arma (*1. Tim. 3. d*) vestra dū despicio, nō noui; vide si cū inermi veritate cōfligis. Expectemus tamen quid obiicias, quid loqueris. Poterat ne vel oude veritas, innocētiáve imperita subsistere? Proponis, & rectè quidem, Ecclesiam esse populum ex aque & Spiritu sancto renouatum, sine negatio C ne oominis Christi, templū & domum Dei, columnam & stabilimentū veritatis, virginem sanctam castissimis sensibus, sponsā Christi ex ossibus eius & carne, (*Ephes. 5 f*) *non habentem maculam neq; rugam*, iotegra Euangeliorū iura feruentem. Quis hoc oostrum oegat: Quinetiam addi (*Ps. 44. d*) mus, Ecclesiā esse *Reginam in veste aurata & variegata*, (*Ps. 127. a*) *fœcundā vitem in lateribus domus Domini*; Matrē adolescentularū, quarum noo est oumerus; Vnam speciosam (*Cant. 6. b*) columbam matris suæ, atq; perfectam: (*Ephes. 2 d*) Ipsam omnium matrem ædificatem in fundamentis Prophetarum & Apostolorū, *& ipso angulari lapide Iesu Christo*; Domum magnam vasorū omniū diuersitate locupletatam. Sed hæc noste posterius, interim tua illa videamus (*SS non adest hæreticis.*) *Ecclesia est populus ex aqua & Spiritu sancto renatus.* Agè Quis fontem Dei clausit: Quis spiritū rapuit: Quinimò apud D oos aqua viua est, ipsa quæ salit à Christo: tu à fōte perpetuo separatus, vnde generaris: Spiritus quoque sanctus à principali matre oon abiit: (*Sacerdos vnctus innouationi.*) Ad te vnde peruenit; nisi fortè discordantem sequotus est, tot sacerdotibus derelictis ooo cooseerate sede contentus, detritum lacū adulterini fontis adamauit? Vestræ plebi vnde spiritū, quam noo coosignat vnctus sacerdos: Vnde aquam quæ à matrice discessit: Vnde innouationē, quæ cunabula proouba pacis amisit: *Ecclesia est populus sine negatione nominis Christi*. Nullme apud nos cōfessores, quos carceræ, quos ignes, qoos gladij probauerūt: Fuere, inquies, sed negatores recipiendo, perierūt. (*Nouatianus aliquando Catholicus.*) Taceo, ne hæc quidē collegio, quòd libellū de Negatoribus, vel lapsis recipiēdis Nouatianus vester, cū adhuc io Ecclesia degeret, & scripsit, & suasit, & legit. Interim, cui persuadere E poteris qoòd lapsis receptis Ecclesie tote conciderit: Quòd admissis pœnitētibus, admittētium populus negator effectos sit: Qoòd si & remissior plebs aliqua fuit, (*Hier. 31.*) etiam cæteræ, qoæ oon factū eius probarint, sed consuetudinem & pacem sequutæ sint, Christianū ne nomen amiserunt: Accipe Hieremiæ vocē: In diebus illis nō dicēt: *Patres manducauerunt vuam acerbam & dentes* (*Ezech. 18.*) *filiorum stupuerunt. sed vnusquisque in suo peccato morietur.* Nec apud Ezechielem tacet Dominus, *Quomodo anima patris, ita & anima filij. mea sunt: Vnusquisque in suo peccato morietur.* Item infra. *Filius non accipiet facinus patris, neque pater accipiet facinus filij. Iustitia iusti* (*Ibidem*) *super eum erit.* Ipse tu illud ponis exemplum: *Et si fue-*

*rint tres hi in medio, Noe, Iob & Daniel, non liberabunt filios neque filias, ipsi soli salui erunt.* Ecce (A) salui sunt ipsi qui in medio peccantium constituti sunt, qui alios liberare non possunt. Tu totum orbem paucorum vinculis alligas, tu totam Ecclesiam exiguæ portionis infirmitate condemnas. Quid apud te sancti omnes, quos Nouatus erudit, quos Euaristus elegit, quos Nicostratus docuit, quos Nouatianus instituit? Tu spinas & tribulos refugisti, tu nō habes in tua fruge zizania, tibi iam grana purgata sunt, ad te sine vētilabro purgator ille vēturus est, tu solus ex omnibus paleas nō habebis? Agè, dic reliqua: *Ecclesia est corpus Christi.* Corpus vtiq; non mēbrorum: corpus multis in vnū partibus membrisq; collectum, sicut ait Apostolus; *Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Ergo ecclesia plenum est corpus, & corpus & solidū, & toto iam orbe diffusum. (B) Sicut ciuitas, in quā, cuius partes in vnum, non vt vos estis Nouatiani quædam insolens portiuncula tuberque collectum, & reliquo corpore separatū. *Ecclesia est templum Dei,* templum certè amplificū, domus magna, habens quidē *vasa aurea & argentea*, sed & linea & fictilia, *quædam in honorem,* multa verò magnifica in multiplices vsus variorū operum destinata. *Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus, sponsa Christi.* Virgo, verum est, sed & mater. *Sponsa,* manifestum est; sed & vxor & coniunx de viro suo sumpta. Ideoq; *os de ossibus eius, & caro de carne.* Nam de hac Dauid dixit, *Vxor tua sicut vitis fœcunda in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, qua totus orbis impletur, qua circūfluis sēper alueatibus, (C) populosū feruet examē. Magna in filios cura matris istius, & mollis affectus: honorātur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit, nemo despicitur, securi fœtus sub indulgētia matris retinētur. *Ecclesia est nō habens maculam neque rugam,* hoc est, hæreses nō habens, non Valentinos, nō Cataphrygas, non Nouatianos. † In his sunt enim quidam sinus maculosi atq; rugosi preciosarum vestium ornatibus inuidētes. Cæterum, peccator & pœnitens, non est Ecclesiæ macula, quia quandiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est. Vbi desinit peccare, iam sanus est. Hæreticus verò vestem Domini, Ecclesiā Christi, scindit, intercipit, vitiat, irrugat, *Cum enim schismata,* inquit, *& contentiones in vobis sint, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* (D) Sed &, *sermo eorum quasi cancer serpit:* hæc est macula vnitatis, hæc ruga. Denique vbi super his Apostolus loquitur: de amore Christi & dilectione proponit. *Sicut Christus,* inquit, *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea;* vt hæreticos summoueret, quia diligere non nouerunt. Cæterum, cur hæc misero pœnitenti? quia & amare optat & amari. *Ecclesia est, integra Euangeliorū cura custodiēs.* Integra vtiq; quia tota, quia plena. Vbi præmiū fidelibus datur, vbi miseris lachrymæ non negātur, vbi curātur ægroti, vbi nihil sibi vendicat insolens sanitas, & superba iustitia, vbi sollicita, in omnibus charitas perseuerat omnia credēs, omnia sperās, omnia sustinens. Vnde illud Apostoli; *Quis infirmus est, & non ego infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Vbi onera sua sustinet tota fraternitas cōmuniter dolens, (E) mutua pietate secura. Cuncti inuicē sustinentes in dilectione, satis agentes seruare vnitatē Spiritus in cōiunctione pacis. Hoc erit Ecclesia, Sympronianе frater; hoc erit populus ex aqua & Spiritu sancto renatus in Christo. Nescio, ais, an remitti peccatum ab Episcopis possit, cū dixerit Dominus; *Qui me negauerit coram hominibus negabo eum corā patre meo qui in cœlis est.* Cur igitur Nouatianus tuus, ne falso quidē adhuc Episcopatu sacerdos, longè antequam Cornelius Romæ Episcopus fieret, antequam sacerdotio illius inuideret, hæc suasit? Habes Cypriani testimoniū; Cypriani quem nec vos vn-

[Margin: 1. Cor. 12 — 1. Tit. 2. c — Rom. 5. d — Genes. 2 — Psa. 127 — Ecclesiæ Catholicæ disciplina. — Ephes. 5. f — † Dicat præsens Ecclesia non de eo que Luteranos † — 1. Cor. 3. a — 2. Tim. 2. c — Ephes. 5. — 1. Cor. 11 — Fraternitas communiter dicens. — Ephes. 4. — Matt. 10 — Nouatianus. Episcopus non sacerdos inuidus — Epist. 52]

† *Locus videtur à Nouatiano corruptus nisi forte loquatur de peccatoribus in hæresim lapsis, vt annotauit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 9. ad septimum argumentum.*

quam Infamare potuistis. Nam quodā in loco, ad Antonianum, hoc modo scripsit: (A) *Additum est etiam Nouatiano tunc scribente; & quod scripserat, sua voce recitante; & Moyse, tunc Confessore nunc iam martyre subscribente; vt lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax daretur; quæ literæ per totum mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus prælatæ sunt.* Quid ais Sympronianе frater? Nouatianus hæc scripsit, & vt obsequium meræ volūtatis adiungeret, etiam scripta recitauit. Testis est eius dextra, testis quæ scripsit, manus; testis lingua, quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc vestra erupit inuidia, episcopus non erat. Longè posterius cum plurimis Coëpiscopis, cum plurimis Cōfessoribus, statimque Martyribus, vt idem Cyprianus scribit, assensus est senum consilio, licere dare pacem. Si pœnitētiæ (B) negandus est aditus, Nouatianus in crimine est, qui hęc scripsit, suasit, & legit. Vbi tunc impatiens rigor? vbi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium prætulisset, maneret illa scribentis authoritas. Nunc displicet tota sententia, nunc in nos tela iaciuntur, his ipsis subministrantibus, quorum authoritate conualuit causa telorum. At in hāc ipsam hæresim, Nouatiani quādo † cœperunt? Audite quæso, & totum ordinem vestri erroris aduertite. Cornelius iam Romæ Episcopus à sedecim episcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat, & in illa qua fuit præditus castimonia virginali, crebras persecutiones irati Principis sustinebat. Tum fortè quidam presbyter Nouatus † ex Aphrica, fraudatis in Carthaginensi ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecunia Ecclesiæ denegata, proiecto extra domū patre, & eodē (C) fame mortuo nec sepulto, vxoris grauidæ vtero calce percusso, partuq; eius effuso, Romā venit. Et cum apud Carthaginem, vrgentibus in ecclesia Fratribus, dies cognitionis ipsius immineret, & hic latitauit: nec multò post, Nouatianū istum episcopatu Cornelij anxium (nā sibi sperauerat) cum aliquantis, vt in tali re solet, ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fouet; vt magnum aliquid speret, hortatur. Inuenit aliquos ex eorū numero qui tempestatem persecutionis illius euaserunt; apud quos, hāc ipsam de lapsis receptis, Cornelio conflaret inuidiā; dat eorum epistolas ad Nouatianum. Ille ex authoritate epistolarum, sedente iā Romæ Episcopo aduersū fas sacerdotij singularis; alterius Episcopi sibi nomen assumit: Cornelium lapsis communicasse arguit, se vendicat innocentē. Contra hunc mi- (D) hi reddēda ratio est, contra hunc asserendus pudor, cōtra hunc vita purgāda. Sed & vos, inquies, Episcopi, talia cur probatis. Dicat hoc alius; tu, Nouatianū defende. Inexcusabilis videatur hæc cæteris causa tibi licet grata sit. Tibi innocēs sit quisquis est pro te nocēs. Ne accusaueris aliū eo crimine, quo tu non potes liberari. Agè, iā totū pudorē nos Episcopi debeamus, quia & Apostolorū nomen accepimus, quia Christi appellatione signamur. Negantē, inquis, Dominus negat; tu, negātē, nolo fatearis. Quis eū negantē confitetur: qui ad pœnitētiā cogit, obiurgat, crimē ostēdit, vulnera aperit, supplicia æterna cōmemorat, interitu carnis emendat: Hoc castigare est, nō fateri. Ait nobis Dominus: *Vos estis sal terræ.* Rectè ergo psallimus ista dicendo, nec ad nihilū valebit quisquis audierit. Vides non proculcari à nobis (E) sententiam Domini, sed probari; non abiici seueritatē, sed voluntatē eius aperiri. Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis; cùm tantū in baptismate tibi liceat relaxare peccatū. Non mihi planè, sed Deo soli, qui & in baptismate donat admissum, & pœnitentiū lachrymas non repellit. Cæterū quod ego facio, id non meo iure, sed Domini, *Dei sumus adiutores,* inquit, *Dei ædificatio est.* Et iterum: *Ego plantaui, Apollo irrigauit, sed Deus incrementum dedit: Ergo neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Quare siue baptizamus, siue ad pœnitentiam cogimus, seu veniā pœnitentibus relaxemus; Christo, id, authore tractamus. Tibi videndum est an Christus hoc possit, an Christus

[Margin: Nouatianus varius in religione — † Subaudiendum rectè prolabi. — † Nouatus quis fuerit, vide apud Ep. 49. ad Cornelium de Nouati sceleribus. — Matt. 5. — 1. Cor. 3. — 1. Cor. 14 — Christo authore, peccata remittunt Sacerdotes.]

*Meritũ confitentis Baptismus est donũ, pœnitentia autẽ labor.* Christus hoc fecerit. Si pœnitẽtibus remissio peccatorũ dari potuit (ais) baptisma nõ fuit necessariũ: insulsissima cõparatio! Baptismus enim, sacramẽtũ est dominicæ passionis. Pœnitentiũ venia, meritũ confitẽtis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ Dei donũ est; id est, gratuita donatio; Labor verò iste, paucorũ est qui post casũ resurgunt, qui post vulnera cõualescunt, qui lachrymosis vocibus adiuuantur, qui carnis interitu reuiuiscũt. Frustra me posuisse asseris illud exẽplũ quod Deus dixerit; *Ezec. 18. F.* *Malo pœnitentiã peccatoris, quàm mortẽ:* Quid si adiecissẽ illud Esaiæ: *Cum conuersus ingemueris, tunc saluaberis, & scies vbi fueris?* *Apoc. 2. a* Quid si id Apocalypsis: *Meniẽto vnde cecideris, & age pœnitentiã, & fac priora opera.* Hæc (inquies) *Rom. 3. a* gẽtibus sunt ante baptismũ: Audi Apostolũ; *Scimus autem, quoniã quæcunque lex dicit, iis qui in Lege sunt, dicit, & loquitur.* Ergo eos qui sine Lege vixerunt, pœnitendi cõditio nõ tenebit. Qui & si pœnituissent, libera id fide fecerant nõ imposito per legẽ vinculo pœnitendi. Ergo & vel Iudæi (inquies) qui ante baptismũ pœnituerunt, post baptismũ pœnitere nõ possunt. Quis hoc te docuit frater Semproniane? Quis suasit, vt qui ante pœnituerit, posteà pœnitere non debeat? Sed posteriùs hoc videbimus. Interim, si Iudæis post baptismũ præclusa est pœnitentia, quia illã ante persoluerint; cõcede vel gẽtes quæ pœnitentiæ legẽ ante nescierint, posteriùs pœnitere debere. Sed & de Iudæis, dolo, fallaris. Illi enim propterea priùs pœnituerũt, quia vetus baptisma corruperant, & quasi post fidẽ fide prodita, pœnitebãt. Audi Apostolũ: *1. Cor. 10* *Nolo enim ignorare vos, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt & in nube & in mari: & omnes eundẽ cibũ spiritalẽ ederunt, & omnes eundẽ potũ spiritalẽ biberunt. Bibebant autẽ de spiritali petra sequenti? Petra autem erat Christus.* Hoc ergo baptisma violauerãt, & ideo pœnitebãt. Videamus deinde quid dicas. *Si Deus sæpius iubes hominẽ pœnitere* (inquis) *sæpius peccare permittit.* Quid ais? Ergo qui sæpius remediũ criminis monstrat, crimen ostẽdit. Et medicus ille cũ curat, assiduè vulnerari docet, Deus nec peccare volt hominẽ semel, & tamen liberat à peccato. Nec vtique cũ liberat, peccatũ docet; sicut nec *Pœnitẽtia non sunt deliciæ.* qui ab incẽdio liberat, incẽdiũ mõstrat, nec qui naufragũ eripit scopulis, in saxa cõpellit. Aliud est de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortasse pateret hoc credi, si pœnitẽtia, deliciæ putarẽtur; cuius labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui iuges lachrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus *Ioan. 5. † mihi videtur vitare illud.* iterum se secari, rursus exuri? Volet peccare iterum, & iterũ pœnitere cum scriptum sit; *Noli adsitere peccatum, ne quid tibi deterius cõtingat?* Et adhuc † *assiduè peccãti nõ misereor.* Quod si (vt ais) ad peccatũ cogitur, cui pœni- *Eccl. 12. non est ei bene qui assiduus est in peccatis.* tentiæ medicina mõstratur; quid tandẽ ille facturus est, cui pœnitentia ipsa præcluditur; cui desperato remedio, totũ vulnus aperitur; cui prorsus ex integro, vitæ aditus denegatur? In baptismo (inquies) semel morimur, sicut ait Apostolus; *Rom. 6.* *An nescitis quoniã quicũq; baptizati estis in Christo Iesu, in morte eius baptizati estis? Cõsepulti ergo estis ei per baptismum in mortem, vt sicut Christus resurrexit ex mortuis, sic & vos in nouitate vitæ ambuletis.* Quid mirũ? Docebat Apostolus quod essemus noui; vt nemo peccaret: sequebatur tamẽ vt qui peccauerat, pœniteret. Hic integer, ille curatus viueret: Innocẽs coronã, pœnitens veniã subiret: Ille præmium, iste medicinam acciperet. *Rom. 5.* Denique idẽ Apostolus dicit, *Nam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis iustificati nũc in sanguine eius, salui erimus* per eũ ab ira. Ab ira vtique, quæ peccatoribus debebatur. Quod si Gentilẽ populum non passus est mori; multo magis redemptum non patietur extingui. Nec abiiciet, quos magno redemit; nec enim leuis illi est iactura famulorum. Non. Sed *Rom. 14.* morietur quidem amplius qui resurgit, vt scriptum est. Ipse est aduocatus apud Patrem; sed ipse interpellat pro peccatis nostris, haud despicabilis miserorum patronus, parumve idoneus deprecator. Responde frater, an fa-



mulos Dei diabolus possit opprimere, an nõ possit Christus absoluere? A Petri pœnitentiã dicis ante Domini passionẽ fuisse: Hoc tibi nemo proposuit. Et tamen Petrus iam baptizatus erat: huic enim dixerat Dominus; *Qui lotus est semel, non necesse habet iterum lauari.* *Ioan. 13.* Accepit tamen postea remediũ Christi, sed ante pœnituit; & ante sanctus est habitus, quam ad remedium perueniret. Nec pœnitentia eius in memoriam scriberetur, ni profuisset aliquid pœnitenti. *Fleuit*, inquit, *amarissimè.* *Matth. 26.* Non vis facere, fidelem, quod Petrus fecit? non vis prodesse nobis, quod Petro profuit? Age, Thomas meus nonne post Domini resurrectionẽ de resurrectione dubitauit? Nonne perfidiæ reus notatur à Domino, cùm illi clauorũ notæ, cum perfossæ manus, cum lateris vulnus ostenditur, *Ioan. 20* cum sic ad eũ ait Dominus; *Noli esse incredulus, sed fidelis?* B Quid ergo? erubuit pœnitere? nonne humiliatus est? *Exomologesis B Thomæ.* Nonne Deũ & Dominũ suum illico cõfitetur? Nunquid non illum Exomologesis ista cõmendat? Iam quàm argute caput illud absoluis, quod ego posui; datã Episcopis potestate, vt quæ ligassent in terra, ligata essent & in cœlis. Dicis, hoc non ad Fideles, sed ad Cathecumenos pertinere; vt baptizandis adhuc scilicet populis, solui liceret crimina, vel teneri. Duorũ denique Euangelistarũ Capitula coniungis, vt vnum esse videantur; & adiicis, *Matth. 28.* quod Matthæus minus integrè prosequutus sit, complesse Ioannẽ: vt quia apud Matthæũ dixerat Dominus; *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; apud Ioannem impleuerit dicens: *Si cuius dimiseritis peccata, dimittẽtur illi; cuius retinueritis, & tenebuntur.* Vt hoc dimittere vel ligare ad gẽ- C tes quæ baptizãdæ erant, pertinuisse videatur, quia prior Euãgelista de gentibus præloquutus sit, de soluẽdo autẽ & ligando posterior impleuerit. Quid ais? Euangelistæ duo dimidiatos inuicẽ sensus, & semi integros retulerunt? *Euangelistarum integros & non dimidiatos esse sensus.* Verba his inuicem, ratio ve deerat; aut non in omnibus totum Spiritus sanctus implebat, propositos perferens sensus, & ad plenum dicta definiens? Hominis confirmatũ testamentũ nemo super ordinat: Dei, tabulã, tabula diuersa mutabit? Quænã in vobis hæc vincendi cupido est, vt tale aliquid audeatis? Quid, quod apud Matthæũ ipsum ante Passionem suam dixerat Dominus: *Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis in terra erunt soluta & in cœlo?* *Matt. 18* Apud Matthæũ hoc prædixerat Dominus, & nullã ibi gentiũ fecerat mentionẽ: Cur ergo illi capitulum Ioannis ad- D iungis, vbi suum posuit; & ita posuit vt à gẽtibus separaret, quod vtique si ad gentes pertinere voluisset, potuit ipse cõiũgere quod ipse ponebat. Totũ ergo quod quæris, apud Matthæũ habes. Cur non vniuersa legisti, qui Episcopũ doces? Primũ præcepti istius caput repete. Ipso referẽte Matthæo, paulò superius ad Petrũ loquutus est Dominus; ad vnũ, ideo vt vnitatem fundaret ex vno; mox idipsum in cõmune præcipiens, qualiter tamen ad Petrũ incipit; *Et ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus & super istam Petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non conualescent aduersus eam, & tibi dabo claues cœlorũ, & quæcũque ligaueris super terrã, ligata erunt & in cœlis; & quæcunque solueris super terrã, erunt soluta & in cœlis.* *Matt. 16* Dic frater; de solis gẽtibus hoc loquutus est, *Super hanc petrã ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam?* Ecclesiam, E non baptizatas gentes, vocat? homo necdum renatus, corpus est Christi: quid soluo gẽtibus, quod nõ est ligatum? Nam si non reputatũ est, nec ligatum. Quid alligo, quod nullo iure cõstringo? Gentilis homo, liber est Legi. Vide nunc econtrario, an in baptizatũ vtraque conueniant. Soluitur venia, quia peccato tenebatur; ligatur anathemate, quia solutus fuerat fide & per gratiã liberatus. Quod si ad gentes hanc soluendi licentiam vel ligandi spectasse concedam; multo magis ad baptizatos pertinuisse conuincam. Nam si is solui potuit vel ligari qui non habuit vinculum, quanto magis ille quem fidei iura tenuerunt? Ais posuisse Matthæũ: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ solus, cũ solo*; ac statim sub-

Matth. 18. iunxisse Dominum: *Quæcunque solueris in terra, soluta erunt, & in cælis*; vt ad fratris offensã pertinere videatur. Age non vides quod supra dicit; *Si in te peccauerit frater tuus*. hic verò addit; *Amen dico vobis, Quæcunque solueritis in terra, &c.* illud vni iussit, hoc pluribus relaxauit: illud ipse soluit in quẽ admittitur, hoc verò, Ecclesia. illud, sine sacerdote, sine fratribus, hoc ab omnibus impetratur. *Quæcunque solueritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quæcunque*, inquit: vel magna, vel modica. Attende quod ad Petrũ dicat inferius, id quod peccatur in hominẽ, septuagies & septies relaxandũ, vt ostẽdat, alias vel 1.Reg 8. a. semel posse. Tamen qui in Petrũ peccat, Dominũ lædit: sicut ad Samuël ipse significat: *Nõ te nullius momenti fecerunt, sed me*. Conceditur ergo vel semel Ecclesiæ, quod nobis ipsis toties imperatur. Nũc ad erraticã ouẽ drachmã illam, & adolescentiorẽ filium reuertamur: quæ ego exẽpla cũ strictim scripto priore tetigissem, tu plena reperisti, edocens & ostendens drachmã & ouem & filiũ minorẽ ad publicanos & peccatores; hoc est, humilẽ populũ; non ad Christianæ plebis imaginẽ, nec ad formam fideliũ pertinere. Gratulor me doceri, intellectũ vero nõ † esse, molestè fero. Nam quid asseram? Ea quæcunque † For. Adesse lex dicat, his qui sub lege sũt, dicere vtique & hoc principaliter ad priores dictum esse consentio, sed in forma Rom.3. 1.Cor.10 fideliũ, sed in imagine futurorũ, sicut Apostolus dicit: *Hæc autem in figura contingebant illis: Scripta sunt autẽ ad correptionẽ nostram, in quos, fines sæculorum deuenerunt*. Et iterum: *Quæ omnia illis vmbræ erant futurorum bonorum*. Certè ipse adnuis, ad publicanos & peccatores, hoc est, humilem populum, & ideo iuniorẽ, illa dictata. Dic ergo: an populus Christianus ipse est iunior: an in radicẽ Ephes.2. cohæserit? an illa mẽbra compegerit *ædificatus* (vt scriptũ est) *in fundamentis Apostolorum & Prophetarum, &* Rom 3. *ipso angulari lapide Christo Iesu. An Iudæorũ Deus tantũ? Nonne & gent[illegible] gentiũ*. Siquidẽ vnus Deus, † Deest pars sententiolæ exolescẽs has literas. qui iustificat impium ex [illegible], & per fidem †. Certè ille humilis populus, quem Deus drachmæ, filio minori, & ouiculæ conferebat, Ecclesia fuit vnde Apostoli, vnde omnis turba Credẽtiũ, vnde populus Christianus. Huic corpori, nostra etiam membra coniuncta sunt, & totæ credentium portiones, vt in bonam oliuam, ex oleastro gentiũ, cõuenirent, sicut Apostolus dicit: *Participes pin-* Rom.11. b *guedinis eius effectæ*; atque ita vnum omnes essemus in Christo, Iudæus & Græcus, seruus & liber. Si ergo cũ illis humilibus, vnum corpus sumus, dicta sunt, & ad nos, quæ veterũ homines audierunt: atque ita omni corpori nunciatũ est, quicquid de corporis parte prædicatũ est. Dicam planius: Ille posterior populus, ille pauper, ille mediocris, imago Ecclesiæ fuit anima humilis & modesta, anima liberata per Christum. Hanc venit Dominus saluam facere, hanc apud inferos non reliquit: hæc est ouis illa quę humeris reportatur: id est, nisu & vigore patiẽtiæ. Hæc est drachma, quæ quæritur: & viciuus inuẽta monstratur. Vides formã eius similitudini pœnitentiũ conuenire? Vides misericordiam vsque ad hoc tempus extendi? Vides quæcunque Ecclesiæ nascenti dicta sunt, ad plenitudinẽ Ecclesiæ pertinere? Inde ibi Dominus adiecit: *Sic erit gaudiũ in cælo super vnum peccatorem pœnitentiam agentem, quã super nonaginta nouẽ iustis, qui-* Luc.15. *bus non fuit opus pœnitentia*. Nam si omnia illa ad cõmonendos nos scripta sunt, cui tandem populus ille peccator humilis comparabitur, nisi populo pœnitenti? Ac si figuris in ordinẽ recurrentibus, nonaginta nouem sanè omnis Ecclesia est, vna vero erratica, delinquentiũ portiuncula est: ac drachma quę periit, miser ille peccator est. Rediẽs post mala sua filius, redẽpto illi similis æstimatur. Iam rectè à me positum vides, cum de pœnitentiũ curatione tractarẽ, dixisse Dominũ: *Non est opus sanis medi-* Matth.2. *co, sed male habentibus*. Rectè & illud: *Beati lugentes, quoniã ipsi consolabuntur*. Quicquid de publicanis & pecca-

A toribus dictũ est, ad ægros omnes & omnes miseros pertinebit. De solis, ais, scriptũ esse martyribus: *Beati lugẽtes*. Luc.6. Matth.5 Nemo ergo præter illos, peccata sua plãgit. Non Dauid clamat: *Lauabo per singulas noctes lectum meũ?* Et iterũ: *Quoniã cinerẽ, sicut panẽ edi, & potu meũ cum fletu miscebã*. Nõ Iacob dicit, *Anni vitæ meæ durissimi?* Nõ Apostolus ad Psal.6. & 101. Timotheũ, *Desiderãs te videre, memor lachrymarũ tuarũ*. Nec tamẽ hoc de Martyre loquebatur. Quid nũc miseri Gen 47 2.Tim.1. pœnitẽtes siccos habẽt oculos? Et qui peccasse se dolent flere nõ norũt? Ipsi Cõmunicãtes, ij fideles, lachrymas Cõmunicantes. nõ habemus. Quempiã nostrũ, gaudere mũdo, gaudere delectat? Vos Nouatiani, *iã saturati estis, diuites facti estis,* 1.Cor.4. b *sine nobis regnare cœpistis*. nõ ergo † quisq, miserabilis est, † Vt. ita incipit esse miserandus. Post hæc proponis, & dicis scriptũ esse per Dominũ: *Omne peccatum & blasphemia* B *remittetur hominibus; Qui autẽ in Spiritum sãctum peccauerit, nõ dimittetur ei neq; hic, neq; in futuro*. Aut ego fal- Matth.12 lor, aut istud exẽplũ contra te valet. Nã si omne peccatũ & blasphemia relaxabitur, vides veniã pœnitẽtibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoq; blasphemia. Habes additũ secundũ Lucã: *Et in filium hominis peccauerit, remittetur ei*. Quid hoc amplius de misericordia Dei, de clemẽtia iudicãris? An nõ inuidet oculus tuus Luc.12 quia bonus est paterfamilias; non licet illi facere, quod vult? Quinimò, *tu quis es qui iudicas seruum? Domino suo* Rom 14 *stat, aut cadit. Potens est autẽ Deus statuere illum. Sed qui in* † *Spiritu sãcto blasphemauerit*, ait, *non remittetur ei*. Soles, † Id est in Ecclesia habet Spiritũ sanctũ totas percurrere lectiones: cur hîc non legisti, quid sit istud, *In Spiritu?* Habes supra, scriptũ, cum Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas speciali vigore cõpleret, dixisse Pharisæos: *Hic nõ expellit dæmonia nisi in* C *Beelzebub principe dæmoniorum*: hoc est, in Spiritũ sanctũ Matth. 12. deliquisse, in ea blasphemasse quæ per sanctũ Spiritũ gerebãtur. In cæteris quippe peccatis, aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Hæc cæcitas est nõ videre quod videas, & sãcti Spiritus Peccare in SS quid sit. opera diabolo deputare, eãq; gloriã Domini qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutẽ. Hoc est ergo quod nõ dimittetur; reliqua, bonis pœnitẽtibus, frater Semproniane, donãtur. † Post hæc, de sarmẽtis & vite Ioan.15 proponis sic; ait Dominus apud Ioãnẽ; *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricultor est: Omne sarmentũ in me quod nõ affert fructum, tollet illud; & omne fructiferum, purga-* *bit illud*. Vides igitur in sarmẽtis fructũ requiri, id est bo- Matth.3 na opera pœnitẽtiæ, sicut Ioãnes ait; *Facite ergo fructum dignũ pœnitentiæ*. Vides sarmẽta purgari, quæ sunt detrimẽta carnis, dãna lætitiæ, dãna patrimonij, vitæ labores; D qui actus propriè pœnitẽtiũ sunt. Vides etiã agriculturã Domini, qui ipsa etiã sarmẽta non perdat, sed purget 1.Reg. 14. & colligat aliqua planè in ignẽ, aliqua nouellãdis pastinãdisq; vineis. Eli sacerdos, ais, loquitur & dicit: *Si vir in virũ peccauerit, orabunt pro eo, si autẽ in Deũ peccauerit, quis orabit pro eo?* Ioãnes idẽ; *Si quis scit peccare fratrem suum peccatũ nõ vtiq; ad mortẽ, postulabit pro eo, & dabit illi vitã Deus. Est autẽ peccatum quod ad mortẽ ducit, nõ pro illo dico vt depreceris*. Vides hoc totũ ad peccata maneoria pertinere, nõ ad eos qui aliquãdo peccauerint, & cœperint pœnitere antequã quisquã pro illis roget. Longũ est, vt exempla replicemus. Attende vniuersa peccata quibus Dominus cõminatur, iã videbis esse præsẽtia. Quod si nõ Ezech.18. f. proderit iusto, in tẽpore iniquitatis suę preterita iustitia, nõ oberit impio; in tẽpore iustitię suę iniquitas derelicta, cũ scriptũ sit; *Relinquat impius vias suas, & vir facinorosus cogitationes suas; & conuertatur ad Deũ, & misericordiã* Isai 55. 6. *cõsequetur*. Quod si Deus etiã peccata præterita puniuit, de quo translactis & prætermissis pœnã suppliciũq; cõ- Iosu 6. Dan. 4. stituit, agè, nõ habet in sua potestate mutare sententiã? Iob 9. Non Raab, nõ Nabuchodonosor regẽ, non Gabaonitas, Ioan 3. Non Niniuitas, nõ Segor à prædicto interitu liberauit? Gen 19. Non per ipsum, Iohel vates, hæc intulit; *Conuertimini* Ioel 2.

† *Rite intellige Lector, verba S. Paciani, reliqua peccata dimitti bonis pœnitentibus, non vero blasphemiam in Spiritum sanctum quia ordinarie & vt plurimum peccatum eiusmodi non curatur per veram pœnitentiam, iusto iudicio, deserente Deo, ac in reprobum sensum tradente eos, qui ita peccant. Vide Bellarminum lib. 2, de pœnitentia cap. 16.*

ad Domi-

*ad Dominum Deum vestrum, simulque ieiunio, & fletu, & planctu; quia misericors est, patiens, & longanimus, & multa miserationis, & pœnitens in malitiis;* [† mith. passiua voce dimit. pœnitebitur.] Et quis scit si reuersus † pœnitebitur, & relinquet post se benedictionem? Quare sicubi constitutam peccantibus pœnam probaueris, hoc tenebris, aut peccatis perseuerantibus constitutam, aut libertatem Deo relictam mutandæ, si pœniteas, ad meliora sententiæ. [Matt. 5. Deut. 13.] Ais adhuc, scriptum: *Quod si manus tua vel pes tuus scandalizauerit te, abiice eum abs te.* Quid sit hoc? Moyses, Deuteronomio testificante, prædixit: *Si autem precatus fuerit te frater tuus* (hi sunt enim oculi & manus nostræ) *aut filia tua, aut uxor tua quæ est in sinu tuo, aut æqualis animæ tuæ, dicens; Eamus & seruiamus Diis, quos non noueras:* Deinde adiecit inferius; *Deferes eum, & manus tua erit super ipsum ad occidendum eum.* Vides ergo, non de pœnitentibus dictum, sed de his, qui non solum ipsi in facinore perseuerant, verum etiam nos scandalizare non desinunt? Hi quamlibet chari sint relinquendi: quamlibet viles deferendi sunt. Proponis adhuc dixisse Apostolum Paulum, [1 Cor. 5.] *Auferte malum ex vobis ipsis:* malum vtique, perseuerans. [Psal. 91.] Cæterum, pœnitentia malum non est, cum Dauid dicat, *Bonum est* [† Confiteri Exomologesis] † *Exomologesim facere Deo.* Nec tamen mecum est ille quem pœnitet, nec parte sanctorum, nec pace coniungitur. Sed dicit Apostolus [Ephes. 5.] *Si quis frater nominatur, & sit aut fornicator, aut simulachris seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Vides non sine causa esse positum, *& sit.* id est, qui necdum pœniteat, qui necdum improbus esse desierit. Et certè de auaris, & ebriosis, & maledicis, simul dictum est. Responde frater, an nullus, eiusmodi, vestra pace teneatur. Ergo inde est, & quod per Esaiam Deus clamat, *Simul iniqui & peccatores peribunt;* non pœnitentes, non misericordiæ opera procurantes, quibus apud eundem rursus Esaiam [Isai. 1.] Deus dicit: *Et si fuerint peccata vestra vt phœniceum, vt niuem dealbabo.* Et si vt coccum, vt lanam candidam, ea efficiam. Attamen, vt ais, Apostolus condemnauit errantem. [1 Cor. 1.] Nam ad Corinthios prima ita dicit: *Ipse ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu: Iam iudicaui eum qui tale facinus admisit: In nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere eiusmodi Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* Nota, frater, primum, quod non damnat eos cum quibus iste communicat: solus ipse qui tale facinus admiserat, Satanæ traditur, solus excluditur, salua pace sanctorum: Vos, omnes Ecclesias pro vno peccatore damnatis? Deinde vides, quod hic ipse peccator incestus, non morti traditur, sed Satanę, ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. [Tradi Satanæ quid sit.] Denique ait, *Ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritus: sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum, sicut alibi de intemperantibus dicit. *Tribulationem autem carnis patientur eiusmodi.* Vis hoc scire? in secunda Corinthiorum, hunc ipsum impium, idem Paulus absoluit, [2. Cor. 2.] Nam de ipso ait? *Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio ea quæ fit à pluribus, vt è contrario magis donetis & consolemini, ne forte maiore tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est: Propter quod obsecro vos, vt constituatis in eum charitatem.* Item infra: *Si cui autem aliquid donastis, & ego; Nam & ego quod donaui, propter vos in persona Christi vt non possideatur à Satana.* Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem longè à vestro supercilio separatam? Longè à Nouatiani fronte dissimilem, communi verò vitæ ac saluti omnium consulentem? At etiam in nos seuerus censor inuehetis. Dicis, ex lege cœlesti, vnum ex mandatis soluere non licere, nec communicare lupis agnos, & quod omnis consensus in crimine sit, & ideo qui picem tetigerit, inquinetur, nec sit vlla societas luci ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut conuentio Christi ad Belial. [Ps. 49.] Ideoque Dauid dicit, *Furem videbas, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* An tandem, quia nos Domini mandata rescindimus. Nos, vnum apicem Legis inflectimus? Nouatiani, quia tota Ecclesiæ, [A] tota concordiæ; an potius iura violarunt, qui post tot pacis annos, tot fœdera sanctitatis, nouas sibi leges, noua instituta, nouos ritus pepererunt, arcanum iustitiæ, inexorabili fronte simulantes? [Catholicorum & Nouatianorum comparatio.] Nos in Ecclesiam lupos recepimus, qui Hæreticorum ora vitamus, an potius Nouatiani, qui cum ipsi sint rapaces lupi, paulò miseriores oniculas reformidant? Nos consentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos Idolo & Belial iungimur; aut illi qui Euaristum, qui Nicostratum receperunt, cæterosque ab Ecclesia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos? [Nouati scelera.] Nos cum adulteris & furibus conuenimus; an illi qui Nouatum, vitæ suæ & capiti prætulerunt; post interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum; miseri parentis & partus vxoris parricidam, non modò non pœnitentem, verum [B] etiam gloriantem? Verum Paulus Apostolus dixit; [1. Tim. 5.] *Manus cito nemini imponas.* Docet idem; vel tardè, vel post pœnitentiam non negandas. Sed perdita Hierico [† Achã filius Charmi. Iof. 7. & Act. 5. & Deut. 9.] † Ahar filius Carmi, propter furtum vestis, occisus est. Age; vos, totos fures interficite pecuniarum nostratum atque librorum; & in Nouati ossa sæuite. Iugum illud rursus accipite, *quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt.* quid cessatis, Nouatiani, *oculum pro oculo, dentem pro dente,* deposcere, animam postulare, Circuncisionis & Sabbati [Ioan. 8.] redintegrare commercium? Necate fures, lapidate petulantes. [Ioan. 12.] Nolite in Euangelio legere quod pepercerit Dominus etiam adulteræ confitenti, quam nemo damnarat: quod peccatricē, quæ lachrymis pedes eius lauabat, absoluerit: quod Raab, apud ipsam Hierico vrbem Phœniceam, liberauit: quod Thamarem à sententia Patriarchæ absol[C]uerit: quod, Sodomis quoque pereuntibus, Lothi filias non extinxerit; [Ps. 119. Prou. 18. Galat. 6. Rom. 9.] liberaturus & generos, si futurum exedium credidissent. Agè; non tenes dicere, apud Dauid, Dominum; *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Salomonis quoque sententiam non tacere; *frater fratrem adiuuans, exaltabitur?* Quid Apostolus? [1. Cor. 9. Prou. 20.] *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerātes vosmetipsos ne tentemini: Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et illud quod ante iam retuli. *Optabam enim anathema esse in Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem* Et iterū: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem*: hoc est; cum vulneratis, gemitus; cum ægrotantibus, laborem; mortem cum moriente partiri, [D] casum fractum, cum statu suo posse miscere, aliquid de sua sanitate decidere, & deficientibus adhibere medicinam. Quid vobis prodest superba & aspera fronte durari, altis regere ceruicibus, vultus torquere: à miseris auditus oculosque præcludere? Nunquam (vos oro) cecidistis? Nulla in vestris menibus macula est? Nulla in oculis (oro) festuca; Quis gloriabitur castum se habere, cor, aut mundum se esse à peccatis? Credo, vos iusti, beneuoli, temperātes, quibus membra omnia sana sunt, quibus omne corpus intactum, quibus medicus necessarius non est, nec medicina languorum. Intrate iam cœlum, paradisi aditus, romphea cedente, penetrate, tot nostrorum populis, Deum vnicum confitentibus, dona vestra præcludite. Quæ si se longè aliter habent quam implacabilis rigor rerum & † vestra mentitur, iam in[E]telligitis Nouatiani, [† simulat vitas.] Deum posse misereri, iam, miseris Fratribus de præterito confitentibus, vel seram parere medicinam; [Luc. 10.] iam vulneratum illum à Leuita & Sacerdote præteritum, per Christum posse curari; iam, Ecclesiæ preces humilibus non negandas, iam, manus Sacerdotum miserandis fratribus exhibendas. Nos autem intelligimus, vt exprobras, Ecclesiam Dei, columbam non felle amaram, non vnguium laceratione violentam, paruulis quoque plumis exiguisque. † Scimus etiam vt eum aquæ viuæ, fontemque signatum, nulla hæretici gurgitis labe sordere, [† candentem. Cant. 4.] hortumque conclusum plenum oleribus magnis pariter & paruulis, vilibus atque pretiosis. [Gen. 7.] Octo quoque animas ex Arca, sed inter quas, & Cham fuerit,

& millia illa volncrum atque ferarum bina etque septena, munda patiter & immunda: fontes verò siccos, & nebulas turhinibus excitatas, hæreticorum sterilitatem, & insanarum vocum impetus arbitramur. Nec promittimus libertatem, cum ipsi serui simus pœnæ, sed crimina nostre confessi, reliquos etiam vt fateantur hortamur, credantque in eum qui iustificat impium ex fide,

*Deus reflectit sententiam.*

qui reflectit sententiam, aduersus malitiam, irrogatam. Attendimus quoque à falsis Prophetis & lupis rapacibus, cum cauemus à vobis. Iamnem vero & Mambrem sic restitisse Moysi, sicut vos, Catholicis, arbitramur. Inde sic ponit Apostolus:

*2.Tim.3*

*Quia sicut Ioannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati: homines mente corrupti & à Deo reprobi, sed vltra non proficient*: Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut illorum fuit. Quod in vos dictum esse manifestum est, qui neque proficere amplius, neque insipientiam vestram celare potuistis.

*Eccl. 34. d*

*Qui baptizatur à mortuo, nihil proficit*; vtique qui hæretico fonte dilutus, sic & qui peccatoris oleo vngitur, id est, qui spiritu satiatur immundo. Ergo & filij sanguinum vos eritis. Non enim pacem Fratrum, sed sanguinem concupiscitis. Fides Falsa, est vestre credulitas.

*Adulteram mulier, hæresis.*

Adultere mulier, hæretica congregatio est: Catholice enim, ab initio, de viri sui thoro & thalamo non recessit, nec alienos amatores aut extraneos concupiuit. Vos, exulem formam nouo colore pinxistis, vos, thorum vestrum à coniugio separastis en quo, vos, à matris vnicubæ corpore recessistis, nouo placendi genere, nouis corruptelarum inlecebris expoliti.

*Nouatianum testem Cyprianum citant.*

Nam quod Cyprianum beatissimum, mihi, pro contrario teste proponis quia in Epistola quæ de lapsis est, Moysem & Danielem & Iob oresse pro peccatoribus dicat, nec impetrasse, dicente Domino:

*Ezec. 14*

*Et si tres in medio eorum fuerint Noe, Iob, & Daniel, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli saluierunt.* Vtinam, vtinam Cypriano teste nitaris, vtinam tam salubribus sententiis acquiescas. Ille enim, cum lapsos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant dicentes à Confessoribus siue Martyribus accepisse se pacem, docuit & ostendit, quod nec Patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarent. Etenim quis liberare possit inuitum? quis pro superbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod vtique cum diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia.

*Exomologesis.*

Nec contra se locutus est aliquid vir illius grauitatis & meriti, sed fundendas à peccatoribus preces docuit, & Exomologesim diligendam. Ipsa tamen Cypriani exempla te permouent,

*Exod. 32 d*

quibus & Moysen & cæteros sanctos, non impetrasse commemorat, qui pro peccatoribus postulabant. Ain? Non vides Moysen, pro quibus non impetrauerit? Reuersus ad populum, quid audit in castris? Voces ebriorum & cantus idolothiti personebant. Adhuc perseuerabat in nequitia populus, adhuc in ipso crimine permanebat, ac pœnitere non nouerat. Attamen quis tibi nostrum dixit, quod Moyses non impetrauerit?

*† Si quis.*

Dixerat quidem illi Deus; † *Deliquit ante me, delebo eum de libro.* Dixerat tamen authoritate iudicis, & Domini potestate; sed vide quam cito reflexerit sententiam, aduersus populi malitiam irrogatam. Ausculta. Propheta statim, ibidem:

*Exo 32. g*

*Et precatus est*, inquit, *Moyses in conspectu Domini Dei sui; Quare Domine irasceris ita in populum tuum: & reliqua.* Item infrà. *Et propitius factus est Dominus de malignitate quam dixerat facere populo suo.*

*Ezech. 14.*

Vides lenitam esse iram Dei? Vides offensam esse placatam? Et pro populo non roganit, nec quod fecerat pœnitenti. Sed Noë (inquis) & Deniel, & Iob, filios & filias liberare non potuerunt. Et hoc tale est:

*Gen. 7. Iob. 42. Gen 19. Act 27. d*

Si pro non rogantibus petant; si pro perseueranti in crimine, deprecentur; si non singulos, si non paucos, sed millia multa defendat. Cæterùm Noë, domum suam à ruina publica liberauit; & Iob recepit cuncta quæ perdidit; & Daniel, anstantem illum sapientibus Babyloniæ gladium, oratione decussit. Loth certè pro salute oppidi, Paulus pro vectoribus nauis orat. Sic absoluuntur à Iustis, qui pœnitere nouerunt. Postremò vel

A

illud aspicio quod scriptum ait; *Ipsi soli salui erunt.* Qui

*Ezech. 14.*

illi? Ipsi vtique qui pro peccatoribus deprecantur, impunè pro talibus postulabunt. Et cur Ecclesiam damnas? cur pro pœnitentibus prohibea deprecari; si etiam pro his petere licet, pro quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum meum. Lege totam de Lapsis Epistolam:

*Ep. 52. inter Epistlas D. Cypriani Psal. 44*

*b* Lege aliam, quam ad Antonianum dedit; vbi, exemplis omnibus, Nouatianus vrgetur, iam scies quid de pœnitentium curatione pronuntiet. Cyprianum loquor, vestra oppugnantem & Catholica iura retinentem. Tertullianus post hæresim (nam multa inde sumpsistis) Ipsum, epistola sua, & ea ipsa quam Catholicus edidit; audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere. Vides ergo Ecclesiam esse Reginam

B

*in veste aurata & variegata*; multorum vtique corporum; multorumque populorum varietate compositam. Non est coloris vnius, ista Pictura; nec in vno habitu emicat tanta diuersitas. Pars ille indumenti, tegit; ista, componit. Nonnulla pectori adhæret, aliqua vltimo sinu trahitur, & inter vestigie ipsa sordescit. Quædam, purpuræ martyrum comparatur: aliqua, serico virginali; nonnulla, sinu plicante, subsuitur, aut acu inserente reparatur. *Alius enim sic, alius autem sic*, & tamen vna, in omnibus, Regina componitur.

*Ecclesia est vitis.*

Ergo eadem fœcunda vitis & locuples, plurea habens ramos, multo palmitum crine distentior; nihil ne ex istis hyberno frigore laborauit? nihil asperas grandines pertulit? nihil torridas incusamt æstates? Asperior est hæc gemma palmitibus, ista fortior, illa syncerior;

C

*Cant. 6. e*

hæc se diffundit in fructus, hæc in solas exuberat frondes. Vitis tamen vbique formosa. Mater hæc adolescentulerum *quarum non est numerus.* Calculare denique si potes Catholicos greges, & duc in digitos, nostræ plebis examina. Nec illa modò quæ toto orbe diffusa sunt cunctis plena regionibus, sed hæ, frater Symproniane, quæ tecum in proximis finibus & vicina vrbe consistunt.

*Catholicorum numerus maior quã hæreticorũ.*

Contemplate, quot nostros vnus aspicias, quot meorum populis, solus occurras. Nonne vt stillicidia, fontibus magnis, nonne, vt ab Oceano quædam gutta, sorberis? Dic, dic an istæ adolescentulæ ex vestra plebe generentur, en tu solus hoc parias. Nostra est (inquam) ista Regina *electa matri sua* atque perfecta.

*Ecclesia electa & perfecta.*

Nihil quippe electum, nisi melius & maius ex alio, nihil perfectum potest esse, nisi plenum. Iam & illud attendite,

D

*Ephes. A*

an hæc potissimum ædificata sit *in fundamentis Prophetarum & Apostolorum ex ipso angulari lapide Iesu Christo.*

*Hæretica congregationis signa.*

Si ante te cœpit, si ante te credidit, si à fundamentis prioribus non recessit, si non illa migrauit, si non à reliquo corpore separata suos sibi magistros & propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid noui iuris inuenit, si corpori suo repudium pacis indixit: planè tunc à Christo recessisse videatur, tunc extra Prophetas & Apostolos constitisse. Hæc igitur erit domus magna, locuples omnium diuersitate vasorum, in qua purum refulget aurum, in que ductile lucet argentum;

*2. Tim*

verum, quæ etiem lignea (sicut scriptum est) & fictilia vasa dignatur. Magna enim domus, multos mouet vsus, opera diuersa solicitat. Non solum quærit argentum, nec aureo tantum delectatur ornatu.

E

Subinde plus decer magna, contemptus, & inter nobiles ambitus, exigua quoque iocnoda sunt. Nullus artifex opere sua despicit, nec vilia sibi putat esse quæ fecit. Et vnde pro peccatoribus passum putas Christum,

*Christus cur passus.*

nisi quod perdere noluit quicquid ipse formauit? Vnde illum putas, hodieque, interpellare pro miseris, nisi quod modicum, eumque & despectissimum, non repellit; Neminem, ex his quos acceperit, perditurus; ligneo licet ac fictili compatentur, atque ita in domo sua omnia vasa componit? Tandem, frater Symproniane, non pigeat

*Exhortatio ad hæreticũ vt resipiscat.*

esse cum multis, tandem libeat exuuias Nouatianorum, & præsegmina vestra contemnere, tandem Catholicos greges & tam latè patentes Ecclesiæ populos intueri.

Vbi

Vbi vnus (inquies) ibi & ego, & vbi duo, ibi Ecclesia: vbi vnus, tamé concors, vbi duo, pacifici. Vbi vnus, & Ecclesia, quanto magis vbi plures? *Meliores*, inquit, *duo quã vnus: & spartum triplex non rumpitur*. Audi Dauid: *Psallã nomini tuo in Ecclesia multa*. Et iterũ: *In populo graui laudabo te*. Et; *Deus Deorum loquutus est, & vocauit terrã ab ortu Solis vsque ad occasum*. Quid semẽ Abrahæ, secundum stellarum modos & numerus arenarũ, vestra paupertate contentum; *Benedicẽtur in te*, inquit, *omnes tribus terræ*. Dic, Nouatianus has impleat? Nõ tam paruum, sanguine suo redemit Deus, nec tã pauper est Christus. Cognosce iam, frater, Ecclesiam Dei dilatantem tabernacula sua, & aulæorum palos dextra sinistraque figentem intellige, ab ortu Solis vsque ad occasum laudabile nomen Domini. Vide, vide quæso, Nouatianis in verba luctantibus, Catholicas agi toto orbe diuitias. Super omnibus, quibus à te sum consultus, instruxi. Nullum, ex propositis, caput sententiamve præterii. Ad ipsos apices & verba respondi. Si consulentis animo requisisti, amanter ostensum est. Si lacessentis, haud segniter disputatum. Subiungam, cum vacuum erit, & aliam Epistolam, in qua non vestra redarguam, sed nostra proponam: quæ, si benigne & sine fastidio legetis, fortasse non lædet. interim, in ista peto vt singula quæq; percenseas. Omnia cito lecta prætereunt, si charismata meliora desideras, & bonæ eruditionis animam geris, non facilè tam vera cõtemnis. Dominus te in æternum custodire & protegere dignetur, & Christianum viuere faciat ad concordiam spiritualem. Amen.

Psa. 49.

Gen. 44. d

Psalm. 112 Hæretici in verbo luctantur.

Anima bonæ eruditio.

a Quidam presbyter Nouatus. *De hoc Nouatiani Pseudo-episcopatu, Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ;* Hi, *inquit*, sunt qui se vltro apud temerarios cõuenas sine diuina dispositione præficiunt; qui se præpositos sine vlla Ordinationis Lege constituunt; qui nemine Episcopatum dante, Episcopi nomen sibi assumant, &c.

b Lege totam de Lapsis Epistolam. *Extant plures D. Cypriani Epistolæ de Lapsis; videlicet 10. ad Presbyteros & Diaconos; de iis qui temeraria festinatione præcipites Lapsis communicauerant: 11 eiusdem prope argumenti ad Martyres & Confessores: 13. ad Clerum de Lapsis Cathecumenis ne vacui communione exeant.*

## *PARÆNESIS SIVE EXHORTATORIUS libellus Sancti Paciani Barcilonensis Episcopi; ad Pœnitentiam.*

ET si aliquoties, tumultuosè licet, de pœnitentium curatione non tacui; memor tamé Dominicæ solicitudinis, quæ propter vnius ouiculæ detrimentum ceruicibus etiam suis & humeris non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam: conabor (vt potero) tantæ virtutis exẽplum etiam stylo condere, ac Dominici laboris industriam, mediocritate (qua dignum est) seruus imitabor. Vnũ illud vereor, dilectissimi, ne solitæ contrarietatis aduersis, inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata quàm reprimam: meliusque fuerit, Attici Solonis exemplo, tacere de magnis sceleribus, quàm cauere: eousque progressis nostratium moribus, vt admonitos se existiment cum vetãtur. Hoc enim (puto) proximè. Ceruulus ille profecit, vt eo diligentior fieret, quo impressius notabatur. Et tota illa reprehẽsio dedecoris expressi ac sæpe repetiti, non compressisse videatur, sed erudisse luxuriam. Me miserum. Quid ego facinoris admisi? Puto, nescierant Ceruulum facere, nisi illis, reprehendendo, monstrassem. Verum sit illud. Dei refugæ, aut extra Ecclesiam constituti, etiam exasperati sunt castigationis iniuria, indignati scilicet mores suos ab aliquo posse reprehẽdi. Atq; vt cœnum solet tum maximè fœtere cum moueas, & incendium tum magis ardere, si vertas; & rabies tum vehementius sæuire, si prouoces: ita illi obiurgationis necessariæ stimulos, contrario calce spegerunt non sine suo quidem malo & vulnere repugnantes. Vos tamen dilectissimi, à Domino memoratore positum: *Argue sapientem, & amabit te: atque stultum, & odio te habebit*. Et iterũ; *Ego, quos dil go, redarguo, & castigo*: atque ideò blandam huius mei operis ac sollicitam diligentiam, & secundùm Domini voluntatem à meipso fratre vestro ac sacerdote susceptã, amorem potius credite quàm rigorem, sequendo amabiliter, nõ pertinaciter repugnando. Præterea nullus existimet hunc ipsum de pœnitentiæ institutione sermonem, solis tãtummodo pœnitentibus ordinatum, ne propter hoc, quisquis extra hunc gradum positus est, ea quæcunque dicentur, velut in alios destinata fastidiat, cum in hanc quasi fibulam, totius Ecclesiæ disciplina † notetur, quando, & Cathecumenia ne in hoc transeant; & fidelibus, ne in hoc redeant, prouidendum sit; ipsis verò pœnitentibus, vt celeriter ad huius operis fructum perueniant, laborandũ. Sermonum tamen meorũ si hic ordo seruabitur. Primum vt de modo criminũ edisseram, ne quis existimet omnibus omnino peccatis summum discrimen impositum. Tum de his fidelibus dicam qui remediũ suum erubescentes male verecundi sint, & inquinato corpore ac polluta mente communicant. In conspectu hominum timidissimi, ante Dominum verò impudentissimi, prophanis manibus, & polluto ore contaminant, sanctis quoque & Angelis altare metuendum. Tertio, de his erit sermo, qui confessis bene apertisque criminibus remedia pœnitentiæ, actusque ipsos Exomologesis administrandæ, aut nesciũt aut recusant. Postremo illud apertissimum enitemur ostendere, quæ pœna sit aut non agentibus pœnitentiam, aut etiam negligentibus, atque ideo in vulnere suo ac tumore morientibus: quæ rursus sit corona, quod præmium, conscientiæ maculas, recta & ordinaria confessione purgantibus. Primum igitur, vt diximus, de modo peccantium retractemus, sedulo requirentes quæ sint peccata, quæ crimina: ne quis existimet, propter innumera delicta quorũ fraudibus nullus immunis est, me, omne hominum genus, indiscreta pœnitendi lege constringere. Apud Mosen & Veteres, minimi quoque peccati, & quadrantis vnius (vt ita dixerim) rei, in eodẽ infœlicitatis æstuario voluti sunt. Et qui Sabbata violauerant, & qui immunda contigerant, & qui escarum vetita præsumpserant, & qui murmurabant, & qui pariete corrupto, & qui veste maculata in Templum summi Regis intrauerant, & qui altaria his obnoxij manu contrectauerãt, aut veste contigerãt, vt in cœlũ ascendere citius fuerit, aut emori satius quàm hæc vniuersa seruare. His igitur nos omnibus multisque præterea carnalibus vitiis, vt cinus ad destinata quisque perueniat, sanguis Domini liberauit redemptos à seruitute legis, & libertate fidei emancipatos. Ideoq; Apostolus Paulus; *Vos autẽ*, inquit, *in libertatẽ vocati estis*. Hæc illa libertas, quod non omnibus adstringimur quibus veteres tenebãtur; sed donata (vt ita dixerim) sylua delictorum, & remediorum indulgentia destinata, in pauca conclusi sumus & necessaria; quæ & seruare facillimum esset credentibus, & cauere: vt meritissimo Tartarum nõ recusaret qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca seruasset. Quæ sint autem ista videamus. Post Domini passionem; Apostoli, tractatis omnibus atq; discussis epistolã tradiderunt, his qui ex gentibus crediderant, perferendã. Cuius epistolæ sentẽtia hæc fuit: *Apostoli & presbyteri fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ, & Cylicia fratribus qui sunt ex Gentibus, salutẽ. Quoniã audiuimus quosdã ex nobis exiisse, & conturbasse vos verbis*. Itẽ infrà: *Visum est enim sancto spiritui & nobis, nullũ amplius imponi vobis pondus præter quàm: Necesse est vt abstineatis vos ab idolo thytis, & sãguine, & fornicatione à quibus obseruãtes, bene agetis, Valete*. Hæc est noui Testamenti tota cõclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus, hæc nobis, capitalis periculi conditione, legauit. Reliqua pec-

Eccl. 15.

Depeccatis dicere ad plebem non semper est cõmodũ. Solon Ceruulus.

Impii, reprehẽsione exasperantur.

Prou. 9.

Apoc. 3. d Hebr. 15 ba

De sacerdotalis reprehensione

Quod plebs sentire debeat.

† Alias coarctetur.

Sermo de materia, omnibus necessarius.

Vera capita mala vere. Sordi.

Altare Angelis & bonis hominibus metuẽdũ Exomologesis.

Christi sanguis soluit nos à iugo Ceremonialium Gal. 5.

Act. 5.

Noui Testam. tempore et piorum Summa

cata, melinrum operum compensatione curantur: hæc verò tria crimina, vt Basilici alicuius afflatus, vt veneni calix, vt letalis arundo, metuenda sunt: non enim viriate animam, sed intercipere nouerunt. Quare, tenacitas humanitate redimetur; conuitium satisfactione pensabitur; tristitia iucunditate; asperitas lenitate, grauitate leuitas, [illegible] citate peruersitas, & quæcunque, contrariis emendata, proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Nunquid aut placare Domioum desertor ipsius poterit; aut conseruare sanguinem suum, qui fudit alienum; aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violauit? Ista sunt capitalia, fratres; ista mortalia. Nunc audite Ioannem, & confidite si potestis. *Si quis scit*, inquit, *fratrem suum peccare peccatum non vsque ad mortem, petat pro eo, & dabit illi vitã Dominus si quis deliquit peccatum non ad mortẽ. Est autẽ peccatũ quod ad mortem ducit, nõ pro eo dico vt deprecetur.* Sed si placet, etiam separatim audite de singulis. Mosem pro blasphematore populo deprecantẽ, sic appellat Deus: *Si quis* (inquit) *deliquerit ante me, delebo illũ de libro meo*. Et de homicida, Dominus hoc iudicat: *Si quis* (inquit) *gladio occiderit gladio morietur*. Et de fornicatore Apostolus dicit: *Ne violaueritis* (inquit) *templum Dei quod estis vos: Qui autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Scripta sunt hæc. † DD FF & perpetuis cæsa monumentis; scripta & incisa non dico ceris & charta & ære vel calamo, sed libro Dei viui. *Cælũ & terra trãsibunt, iota vnũ* (inquit) *aut apex non poterunt trãsire priusquàm omnia compleantur.* Quid ergo? moriendũ est? Multi etiam animo in hæc peccata ceciderunt. Multi sanguinis rei, multi idolis mãcipati, multi adulteri. Addo etiam non solas manus in homicidio plecti, sed & omne consiliũ quod alterius animã impegit in mortẽ; nec eos tãtum qui thura mẽsis adoleuere prophanis, sed omnem prorsus libidinẽ extra vxorium thorũ & cõplexus licitos euagãtẽ, reatu mortis adstringi. Hæc quicunque post fidẽ fecerit Dei faciẽ non videbit. Desperauere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Nunquid non fuit in potestate ne fieret? Nullusne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Ecclesia? Nihil Euangelia dixerunt? Nihil Apostoli comminati sunt? Nihil rogauit sacerdos? Quid quæritis sera solatia? Tunc decuit cum licebat. Dura ista vox est; sed qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum conturbant. Paciniorτis viam mnnstrat innoxiis, qui nocentibus post scelera blanditur. Ergo (inquiet aliquis) perituri sumus? & vbi misericors Deus, qui mortem non inuenit, nec lætatur in perditione viuorum? Moriemurne in peccatis nostris? Et quid facies tu sacerdos? Quibus emolumẽtis tot Ecclesiæ detrimẽta pensabis? Accipite remedium si desperate cœpistis; si miseros vos agnoscitis, si timetis. Qui nimium confidit, indignus est. *Super quem* (inquit Dominus) *respiciam, nisi supra humilem & quietum, & trementem verba mea?* Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiã timidos, post peccata verecundos: qui peccare non erubescitis & erubescitis confiteri: qui cum mala cõsciẽtia, Dei sancta cõtingitis, & altare Domini non timetis. qui ad manus sacerdotis, qui in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis: qui diuinæ patientiæ insultatis; qui tacenti Deo, veluti nescienti, pollutam animam & prophanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus; tum deinde, quid dixerit. Cum populus Hebræorum, Hierosolymis Arcam Domini reportaret, & ex domo Aminadab Israëlitis; Ozas, qui non explorata conscientia, latus Areæ attigerat, occisus est; & tamen ille, non vt aliquid ex ea sumeret; sed vt declinantẽ ad lapsum vituli, contineret, accesserat. Tanta in fuit cura diuinæ reuerentiæ, vt audaces manus, nec ob auxilium, sustineret. Clamat idem Dominus & dicit: *Omnis mundus mãducabit carnẽ, & anima quæcunq; contigerit de carne sacrificij salutaris, & immunditia super illa est pereat anima illa de populo.* Antiquane ista sunt, & modo non fiunt? Quid ergo desiit Deus nostra curare? an vltra conspectũ mũdi recessit, & neminem spectat è cœlo? An patientia illius, ignorantia est? Absit, inquies. Videt ergo quæ facimus, sed vtique expectat & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Christo suo præstat vt differat, ne cito pereant quos redemit. Benè, tu peccator, intellige: spectaris à Domino, potes illum placare si velis. Sed antiquum sit istud quod ad mensam Dei accedere non licuit immundis, euoluite Apostolos, & nouella cognoscite. In prima Corinthiorum, Paulus hæc intulit: *Quicunque*, inquit, *manducauerit, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Item infrà: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit, nõ discernens corpus Domini. Propterea*, inquit, *inter vos, multi infirmi & ægri, & dormiunt multi: Quod si nosipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur; Cũ iudicamur autẽ à Domino corripimur, vt non cum hoc mũdo damnemur.* Intremuistis, an non? *Reus erit*, inquit, *Corporis & Sãguinis Domini.* Humanæ animæ reus non posset absolui Dominici corporis violator euadit: *Qui mãducat*, inquit, *& bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit.* Euigila peccator; time in visceribus tuis præsẽs iudicium, si quid tale fecisti. *Propterea*, inquit, *inter vos, multi infirmi & ægri, & dormiunt multi.* Iam si quis futura nõ metuit, vel præsentẽ ægritudinẽ præsentemq; obitum reformidet. *Cum iudicamur*, inquit, *à Domino corripimur, vt non cum hoc Mundo damnemur.* Lætare peccator si in hoc sæculo aut morte interciperis aut lãguore consumeris, ne puniaris post sæculum. Intellige quãtum sceleris admittat qui ad altare venit indignus; cui pro remedio cõputatur, cũ aut morbis laborat, aut morte dissoluitur. Quod si vestra vobis vilis est anima; parcite populo, parcite sacerdotibus. Clamat Apostolus. *Exiguum fermentum, totam massam fermentat.* Quid facies tu propter quẽ omnis massa corrumpitur; propter quem laboratura est tota Fraternitas? Viuestor animarum reus? Excusaberis cum tibi communionem suam imputauerint innocentes, cum te Ecclesia dixerit suæ cladis authorem? Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem: *Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis.* Quid facies tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum, scientem probandi difficultate confundis? Rògo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam † tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiã secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam, semota etiam & verecunda membrorum non erubescentes, in ferrõ & cauterio, & grauissima illa pulueris mordacitate durasse. Et quantum est illud quod homines præstiterunt? Peccator timebit? Peccator erubescet, perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus domino, vulnera malè tecta subducet? Et habet aliquid quod in illo erubescat, qui Dominum læsit? An sic illi melius est perire, ne tu pudore timidus sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras cui pro te melius est perire? Quod si Fratrum oculos erubescitis; consortes casuum vestrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum suorum vexatione lætatur; pariter dolet, & ad remedium conlaborat. In vno & altero, Ecclesia est; in Ecclesia verò, Christus. Atque ideo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lachrymis adiutus, Christi precibus absoluitur. Nunc ad eos sermo sit, qui benè ac sapienter vulnera sua, pœnitentiæ nomine, confitentes; nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, nouerunt, similesque sunt illis qui plagas quidẽ aperiunt ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur; sed admoniti,

*Peccata leuiora quomodo redimantur.* — *Peccata mortalia.* — *1. Ioh. 5.* — *Exod. 32* — *Exod. 21 & Mat. 26.* — *1. Cor. 3.* — *† Dil. fratres si gnificari arbitror.* — *Matth. 5* — *Cogitatio punitur lege Christiana.* — *Hoc à fœlicis patre iã cõ nominatione de clãm. dicat, quod paulo post sub iungit. Accipite remediũ si desperate cœpistis, &c.* — *Isa. 3. 6* — *Isa. 66* — *Contra impœnitentes.* — *Ozas. 2. Reg. 6* — *Leuit. 7. & 2.* — *Dei longanimitas ad pœnitẽtiam nos adducit. Rom. 2.* — *Quomodo cibat D Petrus Petr 3, & Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini sicut frater noster Paulus scripsit, &c.* — *1 Cor. 11* — *Præparatione opus est ante sacram communionem* — *A grandi quo est pro indignis communione.* — *1. Cor. 5.* — *Fraternitas pro Ecclesia.* — *Ecclesia clades, vel de minuit dignum communionem* — *1 Tim. 5.* — *Cõm perfectione confitentis peccata esse comenmendo.* — *† legendum, tegere.* — *Digna cautione est ad syncera pœnitentia.* — *Decet quo peccata quidem cõfiteantur, & non solum satisfaciant.* — *Negligo forè pro neglige.*

admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt; & quæ bibenda, fastidiunt. Quod tale est ac si dicat aliquis: Ecce ego æger, ecce ego vulneratus sum, sed nolo curari stomachum. Hoc erat, sed videte quid stultius. Additur etiam morbus ad causam, & vulnus adiungitur, & contraria quæque imponuntur, perniciosa potantur. Quo maximè malo Fraternitas hæc laborat, delictis veteribus noua insuper adiungendo peccata. Ergo grauius erupit in vitium, & perniciosissima iam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc sacerdos qui curare compellor? Serum est in eiusmodi. Veruntamen si quis est vestrû qui secari & exuri sustineat, adhuc possum. Ecce scapellum propheticum: *Conuertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, simulq; ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* Nolite hanc secturam timere, dulcissimi. Sustinuit illam Dauid, iacuit in cinere sordens, sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gemmis assuetus & purpuris, texit in ieiunio animam suam; cui maria, cui syluæ, cui flumina seruiebant, promissasque diuitias terra parturiens; madidus lachrymis cõsumpsit oculos illos quibus gloriam Dei viderat, & infelicem se, miserumque confessus est pater Mariæ, Iudææ etiam dominator Imperij. Rex ille Babylonius, Exomologesio desertus operatur, & septenni squalore decoquitur. Leonum in illo iubas, impexa cæsaries & barbarus horror exuperat; & longè incuruis vnguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur cum fœnum in morem bouis ederet pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate felicem. Ecce sectio, quam spopondi; qui potuerit tolerare sanabitur. Admouebo adhuc ignes de cauterio Apostolico; videamus an ferre possitis. *Iudicaui*, inquit, *congregatis vobis & spiritu meo, in virtute domini Iesu Christi, tradere eiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in diem Domini.* Quid dicitis pœnitentes? Vbi est vestræ carnis interitus? An quod in ipsa pœniténa lautiores semper inceditis, conuiuio farti, balneis expoliti, veste compositi? Ecce aliquẽ video aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica sordulentum: nunc benè cultus & locuples, & decorus est, quasi imputet Deo quod illi seruire non potuit, & morientem animam reficeret voluptate membrorum. Benè quod mediocres sumus, cæterùm & illa faceremus quod quosdam & quasdam non pudet lautiores, marmoribus tegi, auro opprimi, serico fluere, cocco rubescere. Si quid ferruginei pulueris in supercilio fulgeret, aut ficti nitoris in genas rutilet, aut coacti ruboris in labia desudet: ista forsitan non habetis. Non desunt tamen vobis hortulani maritimive secessus, & exquisitius vinũ, & lautiora conuiuia, & defæcatio senectutis. Sic agite, sic credite, quando viueris? Non sustineo iam, fratres, Danielus cũ sodalibus suis sacco tectus & cinere, ieiunio etiam exãguis, hæc loquitur; *Peccauimus, facinus admisimus, impie gessimus, transgressi sumus præcepta & iudicia tua.* De Azaria itidem scriptura diuina; *Stans* (inquit) *Azarias precatus est, & aperiens os suum Exomologesim faciebat Deo simul cum sodalibus suis.* Dauid ipse, *Lauabo* (inquit) *per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo.* Nos vero, quid tale, quid simile? Non dico illa quæ cõgregamus ad cumulum, cauponãdo, mercãdo, rapiẽdo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo simpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne hæc quidem quæ videri etiã à sacerdote possunt, & Episcopo teste laudari; ne hæc quidem quotidiana seruamus; flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, ieiunare, orare, prouolui: si quis ad balneum vocet: recusare delicias si quis ad conuiuium roget, dicere; Ista fœlicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire, quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenete præterea pauperum ma-

*Fraternitas.* — *Ioel 2.* — *Pœnitentia Ozeæ, Dauidis.* — *Maria ex stirpe Dauidis.* — *Daniel. 4. Exomologesis Nabuchodonosor.* — *1. Cor. 5.* — *Lautitia in pœnitentia.* — *Plebs superat, vel imitatur saltem quantum potest magnatum luxus.* — *Dan. 6.* — *Dan. 3. Azariæ Exomologesis.* — *Psalm. 6* — *Ne vulgares quidem pœnitentiæ ceremonias obseruant.*



nus, viduas obsecrate, presbyteris aduolui, exoratricem A Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare quam pereat. Scio quosdam ex Fratribus & Sororibus vestris cilicio pectus inuoluere, cineri incubare, ieiunia sera meditari; & non talia, fortasse, peccaruot. Quid de Fratribus loquar? Capræ feræ, vt dicunt, remedia sita nouerunt: cõfixas quippe, audio, venenatis sagittis, saltus peragrare Dictæos, quoad Dictami caule detonso, salutarium virulento latice succorum, pulsa decutiant tela corporibus. Nos, ignita diaboli spicula, nullo pœnitentiæ succo, nullo Exomologesis gramine repellimus. Excæcatos, hirundo, pullos nouit † oculare de sua Chelidonia: nos, lumina mentis amissa, nulla malæ tractationis radice curabimus; Ecce nec capreis, nec hirundini homo similis, cæcitati suæ inuidet & dolori. Cõsiderate nunc, B fratres, quid in fine promisimus: quis fructus, hæc opera, vel contrà, quis exitus consequatur. Peccatoribus delicatis & pœnitentiam non agentibus, spiritus Domini comminatur & dicit. Dilectum veritatis non receperunt vt salui fierent, ac propterea mittet illis operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in iniustitiam. Item Apocalypsis de meretrice sic loquitur: *Inquantum clarificauit se & delicias exercuit: tantum date ei tormentum & luctum.* Et Apostolus Paulus: *An ignoras quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te perducit? Tu autem secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Timete igitur, dilectissimi iusta iudicia: omittite errorem, damnate delicias: properat iam tempus extre- C mum; Tartarus & gehenna laxatos impiis sinus pandunt. Post animarum tempestiua supplicia, rediuiuis quoque perpetua corporibus pœna seruatur. Nemo Tytii iecur credat, & Vulturem poëtarum. Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, si non creditis; aquarum impetus qui ignibus furit, supplicio nutriente reparabitur. Si de cruciatu Exomologesis, retractis, gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguet. Vincius, & de præsentibus æstimate; cuius fumariola quædam, maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Æstuans indefessis flammarum globis Æthna, & Lisaniculus, & Vesuuius Campanus: & quo nobis iudicium perpetuitatem probent, dissiliunt, deuorantur, nec vllis tamen sæculis finiuntur. Attendite in D Euangelio, Diuitem solius adhuc animæ suppliciis laborantem: Qualis tandem illa redituris, pœna corporibus? quis in illa stridor dentium? quis fletus oculorum? Mementote, fratres, quia apud Inferos Exomologesis non est; nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi. Festinate, dum in vita estis, dum cum aduersario iter facitis. Seculares, ecce ignes timemus; & carnificum vngulas expauescimus: comparate eum bis æternas torquentium manus, apicésque flammarum nulla ætate morientium. Per rogo vos Ecclesiæ fidem, Fratres: per solicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor & deprecor: ne pudeat in hoc opere; ne pigeat, opportuna, quam, primum remedia salutis inuadere, deiicere mœroribus animum, sacco corpus inuoluere, cinere perfundere, E macerati ieiunio, mœrore conficere, multorum precibus adiuuari. Inquantum pœnæ vestræ non peperci-stis, in tantum vobis Deus parcet. Est enim mitis & patiens, & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitias irrogatam. Ecce promitto, polliceor si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil vlterius errando, nihil pristinis adiiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid & flebile; Peccauimus in conspectu tuo Pater; iam non sumus digni nomine filiorum: continuò de vobis & pecus illud recedet immũdum, & siliquarum esca de formis. Continuo reuertẽtes, & stola † vestiri, & annulus honorabit, & pater nus iterũ cõplexus accipiet, ecce ipse loquitur: *Nolo mor-*

*Capræ Dictamo plagis suis medentur.* — *Exomologesis.* — *Hirũdo pullorũ oculis medetur Chelidonia.* — *† Ocularem, vel bonum ocul positum la translatio pro affictione corporis.* — *2. Thes. 2.* — *Apoc. 18* — *Rom. 2.* — *Corpora in Gehenna cruciantur.* — *Contra vim sit Confessionis pudorem.* — *Aethna & Gehẽnæ ignibus ardere* — *Luc. 16. f* — *Matth. 8. b. 13. e.* — *Luc. 13. f* — *Pœnitentiæ vllus locus locus in Gehẽna* — *Matth. 2. d* — *Obtestatio vt Pœnitentiam agant.* — *Deus mutat sententiam.* — *Vers. fatisf. Chri. Luc. 15. d. e.* — *† stolæ vestiri.* — *Ezech. 33.*

D

*tem peccatoris, quantum vt reuertatur & viuat.* Et iterũ,
*Nonne (ait) qui ceciderit, resurget: & qui auersatus fue-*
*Rom. 14* *rit conuertetur?* Et Apostolus dicit, *Potens est Deus statue-*
*re illum.* Apocalypsis, etiã septẽ Ecclesiis, nisi pœniten-
tiam egerint, comminatur. Nec vtique, non pœnitenti-
bus comminaretur, nisi ignosceret pœnitentibus. Etiã
*Apoc. 2.* ipse Deus dicit, *Memento ecco vnde cecideris, & age pœ-*
*nitentiam.* Et iterum *cum conuersus ingemueris, tunc sal-*
*uaberis, & scies vbi fueris.* Nec quisquã adeo peccatri-
cis animæ vilitate desperet, vt se iã nõ necessarium Deo
credat. Neminẽ nostrum perire vult Dominus, etiã mo-
*Luc. 15.* dici & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini,
ecce in Euangelio Drachma requiritur, & vicinis inuẽta
monstratur Ouicula, suppositis reportanda ceruicibus,
non est onerosa pastori. Super vnum peccatorem pœ-
nitentiam agentem in cœlis Angeli gaudent, & choros
cœlestis exultat. Heus tu peccator, rogare ne desinas:
Vides vbi de tuo reditu gaudeatur; Amen.

## SANCTI PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI, SERMO AD FIDELES & Catechumenos, de Baptismo.

*Non dubitauit, Titulo huius Operis verba hac adiicere;*
Sermo ad fideles & Catechumenos, *quod præsenti-*
*bus Catechumenis habitum fuisse ab Episcopo hunc Ser-*
*monem perspicue indicet quod statim initio;* Vestri me
totum cura sollicitat, *inquit*, & horum maximè
Competentium: *Quippe Catechumeni olim Competen-*
*tes dicebantur.*

*Oratio-* APerire desidero qualiter in baptismo nasca-
*nis initiũ qua* mut, & qualiter innouemur. Verbis sanè
*le decet* ipsius loquar, fratres, ne fortè me ob nito-
*verum* rem sententiarum, stylo exultasse credatis,
*sanctis-* & vt rem mysticam intelligere possitis; atque vtinam in-
*simum* culcare possim, gloriam non requiro, Deo enim soliua
*Compe-* gloria est. Vestri me tantum cura solicitat, & horum ma-
*tentes.* ximè Competentium, si quomodo possim intelligere
tantæ fœlicitatis examen. Aperiam igitur quid fuerit
ante, Gentilitas, quid Fides præstet, quid Baptismus in-
dulgeat. Quod si ita (vt ego sentio) vestra corda pene-
trauerit, iudicabitis, fratres nullam nobis adhuc prædi-
cationem amplius præstitisse. Accipite ergo, dulcissimi,
homo, ante Baptismum, in qua morte sit positus. Scitis
certè illud antiquum, quod Adam terrenæ origini præ-
stitutus sit, quæ vtique damnatio, legẽ illi æternæ mor-
tis imposuit; & omnibus ab eo posteris quos lex vna te-
nebat, hæc mors in genus omne dominata est, *ab Adã*
*Rom. 5. c* *vsque ad Moysen.* Per Moysen verò, vnus tãtum populus
electus est, semen scilicet Abrahæ, si mandata iustitiæ
*Luc. 15.* seruare potuisset. Interea nos omnes sub peccato tene-
*Seruire* bamur, vt fructus essemus mortis: siliquarum escis &
*Dæmo-* pecorum custodiæ destinati, id est, operibus immun-
*nibus,* dis, per malos angelos, quibus dominantibus, nec facere
*miserri-* licuit nec scire iustitiam: parêre enim talibus dominis,
*mũ est.* res ipsa cogebat. Ab his potestatibus & ab hac morte
*Genes. 3.* qualiter liberati simus, attendite. Adam postquàm pec-
† cauit (vt retuli) dicente tunc Domino, *Terra es, & † in*
*† Alias,* *terrã ibis;* addictus est morti. Hæc addictio, in genus
*in ter-* omne defluxit: Omnes enim peccauerũt, ipsa iã vrgente
*ram.* natura, sicut Apostolus dicit; *Quia per vnum hominem †*
*† In* *peccatum introiuit, & per delictum mors, & sic in omnes ho-*
*Mun-* *mines deuenit, in quo omnes peccauerunt.* Dominatũ ester-
*dum.* go peccati eiuus vinculis quasi captiui, trahebamur ad
*Rom. 5.* mortem; mortem scilicet sempiternam. Hoc verò pec-
*De pec-* catum, ante Legis tẽpora, nec intelligebatur sicut Apo-
*cato Ori-* stolus dicit: Donec enim Lex poneretur, peccatum in
*ginali lo-* mundo non habebatur, hoc est non videbatur, ad Legis
*quitur.* aduentum reuixit. Apertum est enim vt videretur, ve-
*Rom. 5. c. 7 b* rùm frustra, quia id prope nemo seruabat, dicebat enim
*Exod. 10*
*† Pecca-*
*ti ratio*
*ante &*
*post legẽ.*

† *Non loquitur de absoluta conditione, sed de necessitate conditionata, & ex suppositione.*

A Lex: *Non mœchaberis, non occides, non concupisces,* tamen
cõcupiscentia cũ vitiis omnibus permanebat: ita pecca-
tum istud ante Legem occulto gladio interfecit homi-
nem, Lege districto. Quæ igitur spes homini? sine Lege
ideo perit, quia peccatũ videre non potuit, & in Lege,
ideo quia in idipsum quod videbat, incurrit. Quis eum
ab interitu potuit liberare? Audite Apostolũ: *Miserrimus*
*† ergo homo! Quis me liberabit à corpore mortis huius? Gra-* *† Alias, ego.*
*tia* (inquit) *per Dominum nostrum Iesum Christum.* Quid *Rom. 7.*
est gratia? peccati remissio: id est, donũ. Gratia enim do- *Christus*
num est: Ergo Christus adueniens hominémque susci- *peccati*
piens, ipsum illum hominẽ de potestate peccati purum *seruitu-*
& innocentem Deo primus exhibuit. Dicit Esaias: *Ecce* *te homi-*
*virgo* (inquit) *in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis* *nẽ libe-*
*nomen eius Emmanuel, butyrum & mel manducabit, prius-* *rauit.*
*quã sciat aut proferre malum, aut eligere bonum.* Et de ipso *Isa. 7.*
B iterũ: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore* *1. Pet. 2.*
*eius.* Sub hoc innocentiæ patrocinio, vt primùm defen-
sionem nominis aggressus est Christus in ipsa carne pec-
cati, cõtinuò ille peccati inobediẽtiæ Parens, qui primos
homines aliquãdo deceperat; festinare incepit, æstuare,
trepidare: Vincẽdus n. erat soluta Lege peccati, qua sola
hominem vel obtinuerat, vel poterat obtinere. Arma- *Christus*
tur ergo in aciem spiritualem, aduersus immaculatum; *quã ten-*
ac primùm, eo artificio quo in Paradiso Adam vicerat; *a Da-*
specie dignitatis aggreditur; & velut sollicitus de pote- *mone ti-*
state cœlesti, *Si filius Dei es* (inquit) *dic vt lapides isti fiãt* *tatus.*
*panes:* vt dũ erubescit, aut non vult dissimulare se Filium *Matt. 4.*
Dei; tentantis iussa compleret. Ecce adhuc non tacet,
suggerens vt si se misisset ex alto, acciperetur manibus
C Angelorum, quibus mandasset Pater vt humeris eum
ferrent, ne fortè offenderet ad lapidem pedem suũ, dum
probare vult Dominus se esse de quo Pater istud man-
dasset facere quod Tentator vrget. Elisus nouissimè
coluber, quasi iam cederet, ipsa illa quæ primo homini
eripuerat, Mundi regna promittit; vt dum vicisse se cre-
dit hominis Aduocatũ, recepto (quod defendebat) im-
perio, inclinaret ad dictam ab Impio dignitatem, ac sic
aliquando peccaret. Verum in his omnibus superatur
Inimicus, & cœlesti virtute dissoluitur, sicut Vates ad
Dominũ, *vt † resoluas* (inquit) *Inimicum & vindicatorẽ,* *Psal. 8.*
*quoniam videbo cælos opus digitorum tuorum.* Debuerat ce- *† Inimi-*
dere Diabolus; necdum tamen desinit. Scribas & Pha- *cus*
risæos & omnem illam impiorũ cateruam, nouis subor- *pro in-*
nat insidiis, furoribus agitat. Igitur illi post varias artes *felix &*
D & corda mendacia, quibus Dominum more serpentis *destru.*
obsequentia decipere cogitarunt; postquã nihil profi-
ciebant, nouissimè enim aperto latrocinio & crudelissi- *Christus*
mo genere passionis aggressi sunt: vt vel indignitate re- *in pas-*
rum, vel dolore pœnarũ aliquid iniustum aut faceret, aut *sione ten-*
diceret, atque ita perderet hominẽ, quem gerebat, & re- *tatus.*
linqueretur anima eius apud Inferos; quibus vna Lex fuit
vt peccatorẽ tenerent *Aculeus enim mortis peccatum* Per- *1 Cor. 15*
stitit ergo Christus, *& peccatum non fecit, nec dolus inuen-* *Isa. 53*
*tus est in ore eius,* vt diximus, nec tum quidẽ cum ad victi-
mam duceretur. Hoc fuit vincere, sine peccato condẽ-
nati. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatẽ,
quam sibi ille super immaculatum vindicauit; ac sic ipse
superatus est id decernens super Iustũ quod illi per legẽ
E quam acceperat non licebat. Vnde propheta ad Domi- *Psal. 50.*
num; *Vt iustificeris,* inquit, *in sermonibus tuis, & vincas* *Col. 2.*
*cum iudicaris.* Atque ita, sicut Apostolus dicit, *transductis*
*potestatibus Christus condemnauit peccatum in carne affi-*
*gens illud cruci, & chirographum mortis absoluens.* Inde
est quòd non *dereliquit Deus animã eius apud inferos, ne-*
*que dedit Sanctum suum videre interitum:* inde quòd cal-
catis mortis aculeis, die tertia resultauit in carne, recon-
cilians illam Deo & restituens æternitati, victo eraso-
que peccato. Sed si solus ille vicit, quid cæteris contu-
lit? Breuiter audite. Peccatum Adæ, in genus omne
transierat: *Per vnum enim hominem* (sicut Apostolus di-
cit) *delictum introiuit, & per delictũ, mors;* sic & in omnes *Rom. 5.*
homines deuenit. Ergo & iustitia Christi, necesse est vt

in Genus tranſeat : ac ſicut ille per peccatum ſtirpem A ſuam perdidit; ita Chriſtus, per iuſtitiam, Genus ſuum (Ibidem.) omne viuificet. Hoc vrget Apoſtolus dicens : *Vt ſicut per inobaudientiam vnius, peccatores conſtituti ſunt multi, ſic per dicto audientiã vnius, iuſti conſtituantur multi: Ac ſicut regnauit delictum in mortem, ſimiliter & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam.* Dicet mihi aliquis; Sed peccatum Adæ meritò tranſiuit in poſteros, quia ex ipſo geniti erant: Et nunquid nos à Chriſto geniti ſumus, vt propter ipſum ſalui eſſe poſſimus? Carnalia cogitare nolite; iam videbitis qualiter Chriſto parente generemur. Nouiſſimis temporibus animam vtique cum carne accepit Chriſtus ex Maria, hanc venit ſaluam facere, hanc (Genes. 2. Chriſtianorũ generatio in Eccleſia.) apud Inferos non reliquit, hanc ſpiritui ſuo coniunxit, & ſuam fecit. Et hæ ſunt nuptiæ Domini, vbi carni coniunctæ, vt ſecundùm illud magnum ſacramentum, fie- B rent duo in carne vna, Chriſtus & Eccleſia. Ex his nuptiis Chriſtiana plebs naſcitur, veniente deſuper Spiritu Domini; noſtrarúmque animarum ſubſtantiæ, ſuperfuſo & admixto protinus ſemente cœleſti, viſceribus matris inoleſcimus, aluóque eius effuſi viuificamur in (1. Cor. 15) Chriſto. Vnde Apoſtolus: *Primus Adam, in animam viuentem, nouiſſimus Adam, in ſpiritum viuificantem.* Sic generat Chriſtus in Eccleſia, per ſuos ſacerdotes, vt idem (1. Cor. 14 e) Apoſtolus; *in Chriſto autem ego vos genui.* Atque ita, Chriſti ſemen, id eſt, Dei ſpiritus nouum hominem aluo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus ſacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut inſertus in Eccleſiam videbitur, qui non credidit, aut (Athor. 8. e Ioan. 1. Chriſma in Baptiſmo.) genitus à Chriſto, qui ſpiritum ipſe non recepit. Credendum eſt igitur poſſe nos naſci. Sic enim ait Philippus: *Si credis, potes.* Recipiendus eſt Chriſtus vt generet, quia ſic Ioãnes Apoſtolus dicit, *Quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Hæc autem compleri aliàs nequeunt, niſi Lauacri & Chariſmatis & Antiſtitis ſacramẽto. Lauacro enim peccata purgantur, Chariſ- (Rom. 6.) mate ſanctus Spiritus ſuperfunditur, vtraque verò iſta, manu & ore Antiſtitis impetramus; atque ita totus homo renaſcitur & innouatur in Chriſto; vt ſicut reſurrexit Chriſtus à mortuis, ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus, id eſt, vt depoſitis vitæ veteris erroribus, idolorum ſeruitute, crudelitate, fornicatione, luxuria, cæteriſque vitiis carnis & ſanguinis, nouos, per Spiritum, mores ſequamur in Chriſto, fidem, pudicitiam, innocentiam, caſtitatem. Ac ſicut portauimus imaginem terre- (1. Cor. 15) ni hominis, portemus & eius qui de cœlo eſt; *Quia primus homo de terra, terrenus; ſecundus à cælo, cæleſtis.* Quod agẽtes, dilectiſſimi, iam non moriemur amplius. Etiam ſi (Ioan. 11.) in hoc corpore reſoluamur, viuemus in Chriſto, ſicut ait ipſe; *Qui in me crediderit, licet moriatur, viuet.* Certi denique ſumus, ipſo teſte Domino; & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes ſanctos, Deo viuere. Denique de his (Matt. 22. c Marc. 12. c Luc. 20. f) ipſis ait Dominus, *omnes autẽ illi viuunt, Deus enim viuorum eſt, non mortuorum.* Et Apoſtolus de ſe dicit: *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum: optarem diſſolui & cum Chriſto eſſe.* Adhuc: *Nos autem dum in corpore hoc ſumus, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per* (Philip. 1. Cor. 5. b) *ſpeciem.* Hoc eſt quod credimus, dilectiſſimi fratres. Cæterũ ſi in hoc ſæculo ſperantes ſumus; miſerabiliores omnibus hominibus ſumus. Vita Mundi, & pecudibus, & feris, & alitibus, vt videtis ipſi, aut nobiſcũ eſt cõmunis, aut longior. Et illud, homini proprium, quod per Spiritum ſuum dedit Chriſtus; id eſt, vita perpetua; ſed ſi iam non peccemus ampliùs. Quia ſicut mora ſcelere acquiritur, virtute vitatur, ita vita ſceleribus amittitur, vir- B tute retinetur. *Stipendia ergo peccati mors, donum Dei, vita* (Rom. 6.) *æterna per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ante omnia vos retinete, paruuli; omnes aliquando gentes (ſicut ſuprà diximus) Principibus tenebrarum & poteſtatibus traditas; nunc per Ieſu Chriſti Domini noſtri victoriam liberatas. Ille eſt, ille qui redimit, donans nobis omnia peccata, ſicut Apoſtolus dicit, *& delens quod aduerſus nos* (Coloſ. 2.) *erat chirographum inobauditionis, quia & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, exuens ſe carnem, traduxit poteſtates libere triumphans eas in ſemetipſe.* Soluit compeditos, & vincula noſtra diſrupit, ſicut Dauid dixerat, *Dominus eri-* (Pſal. 145) *git eliſos, Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæ-* (Pſal. 115) *cos.* Et iterum: *Diruptiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Soluti itaque de vinculis, vbi per baptiſmi (Signum Domini.) ſacramentum ad ſignum Domini conuenimus, diabolo & omnibus angelis eius renunciamus, quibus antè ſeruiuimus, ne iam illis vlteriùs ſeruiamus, ſanguine Chriſti & nomine liberati. Quòd ſi quis poſthac oblitus ſui & redemptionis ignarus, rurſus ad Angelorum ſerui- C tutes & infirma illa & egena Mundi elementa tranſie- (Luc. 11.) rit, antiquis illis compedibus & catenis, id eſt peccati vinculis alligabitur, *& fient nouiſſima eius deteriora prioribus,* quia & diabolus eum quaſi per fugam victum ve- (Rom. 6.) hementiùs inligabit, & Chriſtus pro eo iam pati non poterit, *quia qui reſurrexit à mortuis, iã non morietur amplius.* Igitur, dilectiſſimi, ſemel abluimur, ſemel libera- (Hebr. 6. a) mur, ſemel in regnum immortale ſuſcipimur: *ſemel fœlices ſunt, quorum remiſſa ſunt facinora, & quorum tecta* (Pſal. 31.) *ſunt peccata.* Tenete fortiter quod accepiſtis, ſeruate fœliciter, ampliùs peccare nolite. Puros vos, ex eo, & immaculatos in diem Domini reſeruate. Grandia & infinita ſunt præmia fidelibus præſtituta, *quæ nec oculus vidit*, in- (1. Cor. 2.) quit, *nec auris audiuit, nec ſuper cor hominis ingreſſa ſunt.* (Iuſtitiæ labores.) Hæc vti accipere poſſitis, iuſtitiæ laboribus & votis ſpiritalibus obtinete; Amen.

# S. THEOPHILI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPVSCVLA.

## EX GENNADII SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM CATALOGO.

*THEOPHILVS Alexandrinæ ciuitatis Episcopus scripsit aduersum Origenem, vnum & grande volumen, in quo, omnia penè eius dicta, & ipsum pariter, damnat: ac simul edocet, non à se eum, primùm; sed ab antiquis Patribus, & maximè, Heracla, fuisse & à Presbyterio eiectum, & de Ecclesia pulsum, & de ciuitate fugatum. Sed & aduersum Antropomorphitas hæreticos, qui dicunt Deum humana figura & membris constare, disputatione longissima confutans, & diuinarum scripturarum testimoniјs arguens & conuincens eos; ostendit, Deum incorruptibilem & incorporeum iuxta Patrum fidem credendum, neque vllis membrorum lineamentis omninò compositum: & ob id, nihil ei in Creaturis simile per substantiam, nec cuiquam, incorruptibilitatem aut immutabilitatem, aut incorporalitatem suæ dedisse naturæ, sed esse omnes intellectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles, omnes mutabiles, vt ille solus corruptibilitati & mutabilitati non subiaceat, qui solus habet immortalitatem. Paschalem etiam recursum quod magna apud Nicæam Synodus post nonaginta & quinque annos agi in tempore & die & Luna, secundùm statum suum inuenerat additis quibusdam ipsius festiuitati rationibus & Expositionibus, Theodosio Principi obtulit. Legi & tres de fide Libros sub nomine eius titulatos, sed quia lingua inconsonans est, non valde credidi.*

### Ex Trithemij lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

*THeophilus Alexandrinæ Ecclesiæ, 21. Episcopus; vir in scripturis studiosus, & Origenistarum expugnator acerrimus, & qui magna discordia cum S. Ioanne Chrysostomo arserit, eumque insidiis Episcopatu pulsum, in exilio mori coegerit, sicut in veterum † historiis plenius continetur, scripsisse fertur quædam opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt.*

† Socrat. Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 15 Sozom. lib. 8. c. 18. Nicephor. lib. 13. c. 14. & 17.

*Extat eius ad diuersos de variis negotiis, Epistolarum.*
*Ad Epiphanium, de hæresibus.*
*De Paschate.*

*Alia quoque multa edidit, sicut ex Epistola beati Hieronymi ad eum directa colligitur, quæ sibi vel legenda vel vertenda postulat destinari. Claruit sub Theodosio & Valentiniano Princip. Anno 390.*

### Index Operum Theophili Alexandrini Archiepiscopi, quæ, hoc Opere, tibi (ô Lector) exhibemus.

*THeophili Archiepiscopi Alexandrini Epist. 3. Paschales,*
*Eiusdē, Edictū cum Theophania die Dominico instarent.*
*Eiusdem, commonitorium quod accepit Ammon propter Lyco.*
*Eiusdem, Expositio de iis qui dicuntur Cathari.*
*Eiusdem, Agathoni Episcopo.*
*Eiusdem, Menæ Episcopo.*

## S. THEOPHILI ALEXANDRINI EPISCOPI PASCHALIVM Epistolarum, ex Libro Collationum Cassiani Scythæ, Argumentum.

Natiuitatis Christi, & Epiphaniorum dies apud Ægyptios. Paschatis indicendi mos.

*INTRA Ægypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracta Epiphaniorum die (quam prouinciæ illius sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt, & idcirco vtriusque sacramenti solemnitatem non bifariè, vt in occiduis Prouinciis, sed sub vna die, huius festiuitatem celebrant) Epistolæ pontificis Alexandrini per vniuersas Ægypti Ecclesias dirigantur, quibus initium Quadragesimæ, & dies Paschæ, non solum per ciuitates omnes, sed etiam per vniuersa monasteria designentur. Secundum hunc igitur, post dies admodum paucos quàm superior cum Patre Isaac fuerat agitata collatio; Theophili prædictæ vrbis Episcopi, solennes Epistolæ commearunt, quibus, cum denuntiatione Paschali, contra ineptam quoque Antropomorphitarum Hæresim longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab vniuerso propemodum genere Monachorum, qui per totum Prouinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, vt econtrario memoratum Pontificem velut hæresi grauissima deprauatum, pars maxima Seniorum ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandum, quod scilicet impugnare scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum, humanæ figuræ compositione formatum, cum ad eius imaginem creatum Adam, Scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab iis qui ibi aut in eremo Scythiæ commorabantur (quippe perfectione ac scientia, omnibus qui erant in Ægypti monasteriis, præeminebant) ita est hæc Epistola refutata, vt præter Abbatem Paphnutium nostræ congregationis presbyterum, nullus cæterorum, Presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, eam ne legi quidem aut recitari in suis conuentionibus prorsus admitterer.*

# INCIPIT EPISTOLA S. HIERONYMI presbyteri, ad Theophilum Episcopum.

*DILECTISSIMO atque amantissimo Papæ Theophilo Episcopo, Hieronymus in Domino salutem. Paucis in exordio placet iudicium veritatis: dicente autem Domino per Prophetam, Et iudicium meum quasi lux egredietur, qui tenebrarum horrore circumdati sunt, nec naturam rerum clara mente perspiciunt, pudore operiuntur æterno, cassos se habuisse conatus ipso fine cognoscunt. Vnde & nos Ioannem, qui dudum Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, Deo placere semper optauimus, & caussas perditionis eius in quas ferebatur improuidus, nequaquam credere voluimus. Sed ille, vt cætera flagitia eius taceam, Origenistas in suam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos in sacerdotium prouehens, atque ob hoc scelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Episcop. clarum in orbe sidus effulsit, non paruo mærore contristans meruit audire: Cecidit, cecidit Babylon. Scientes ergo dictum à Saluatore, Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate: ne quoquam tardiùs beatitudini tuæ Latino sermone translatum librum tuum remitterem, multa in medio impedimenta fecerunt, Isaurorum repentina irruptio, Phœnicis Galilææque vastitas, terror Palæstinæ præcipuè vrbis Hierosolymæ, & nequaquam librorum, sed murorum extructio, ad hoc asperitas hiemis, fames intolerabilis, nobis præsertim quibus multorum fratrum cura imposita est. Inter quas difficultates lucratiuis, & vt ita dicam, furtiuis per noctem operis crescebat interpretatio, etiam in scedulis tenebatur: cùm diebus sanctæ quadragesimæ scripta ad purum collatione tantùm indigerent, grauissimo languore correptus & mortis limen ingrediens, Domini misericordia & tuis orationibus reseruatus sum, ad hoc forsitan vt implerem præceptum tuum & volumen disertissimum, quod scripturarum floribus texuisti eadem qua à te scriptum est gratia verterem, licet imbecillitas corporis & animi mæror, ingenij quoque acumen obtunderit, & verba prono cursu labentia velut quibusdam obicibus retardarit. Mirati sumus in opere tuo vtilitatem omnium Ecclesiarum, vt discant qui ignorant, erudiri testimoniis scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrósque calices & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia, sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini, eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda. Suscipe igitur librum tuum, imò meum, & vt veriùs dicam, nostrum: cúmque mihi faueris, tuus fautor eris; tibi enim meum sudauit ingenium, & facundiam Græcam Latinæ linguæ volui paupertate pensare. Neque verò vt diserti interpretes faciunt, verbum verbo reddidi: nec adnumeraui pecuniam, quam mihi per partes dederas, sed pariter appendi, vt nihil desit ex sensibus, cùm aliquid desit ex verbis. Epistolam autem tuam idcircò in Latinum verti, & huic volumini præposui, vt omnes qui legerint, sciant me non temeritate & iactantia, sed præceptis beatitudinis tuæ suscepisse onus vltra vires meas. Quod an consecutus sim, tuo iudicio derelinquo: certè si imbecillitatem reprehenderis, voluntati veniam commodabis. Vale.*

## *THEOPHILI ALEXANDRINÆ VRBIS Episcopi, ad totius Ægypti Episcopos, Epistola Paschalis prima, D. Hieronymo interprete.*

A PRIMVM solennitatis Augustæ sermo diuinus de cœlorum regionibus micans, & splendore suo iubar solis exuperans, clarissimum animabus se desiderantium lumen infundit. Cúmque pleno cordis intuitu radios eius quieuerint sustinere, ad ipsa cœlestis Hierusalem interiora penetralia; atque, vt ita dicam, Sancta sanctorum eas pertrahit. Vnde si volumus salutis esse participes & adhærentes studio virtutum,
B animarum vitia purgare, & quicquid in nobis sordium est, iugi Scripturarum meditatione diluere, quasi subsudo apertam doctrinarum scientiam contemplantes; festinemus supernæ lætitiæ festa celebrare, & iungere nos Angelorum choris, vbi coronæ & præmia & certa victoria est, & desiderata triumphantibus palma proponitur. Nec differamus, tumentibus carnis fluctibus liberati, inter diuersa voluptatum hinc inde naufragia, clauum tenere virtutum, & post grandia maris pericula, tutissimum cœlorum intrare portum. Quamobrem, & eos quos cassa vitæ huius cura sollicitat, & instat fre-
C mentium gurgitum perturbationum profunda circum sonant, quasi de somno graui excitantes, ad sapientiæ prouocemus lucra, ostendamúsque eis veras diuinorum sensuũ diuitias, & inspirata sanctæ Celebritatis gaudia: eóque omnis impræsentiarum adsumatur labor, vt & eos qui paululùm negligentes sunt, & nosmetipsos æternæ gloriæ præparemus. Vnde & in Prouerbiis, indi-

*Thesauri diuini sensuum.*

*Prou. 9.*

A gentes sensu, ad conuiuium suum Sapientia prouocans, clamitat: *Venite, comedite de panibus meis, & bibite vinum quod miscui vobis.* Non enim sic cœlum hoc quod suscipimus stellarum illustratur choris, nec in tantùm Sol & Luna, duo mundi (vt ita dicam) clarissimi oculi, quorum cursu, annus euoluitur, & vicissitudine tempora commutantur, clarum terris lumen infundunt, vt nostra solennitas virtutum choro fulget & radiat. Cuius thesauros & diuitias qui expetunt, consona cum Dauid voce decantant: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Exultantésque, & quondam tripudio gestientes, & iuxa quod scriptũ est, Gaudio ineffabili
B corda perfusi, rursũ clamitant; *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futurã inquirimus, cuius artifex & fabricator est Deus.* Sicut enim sciunt, omniũ laborum suorum quibus in hoc Mundo pugnatur & curritur, hanc esse repositam spem, & hæc in futuro præmia constituta, pro quibus nulla pericula formidantes, quotidie vitæ suæ cursum dirigunt, Hæreticorum vel maximè impietatem & tendiculas declinantes, quibus cæci cæcus ducunt in foueam, & quasi quadam veternosa & immundissima carie deceptorum corda commaculant; nec hac calce contenti, intimas scripturarum medullas bibunt;
C veritatem dogmatum falsi nominis scientia condemnantes. Quod intelligens & patriarcha Iacob, scalam cernit in somnis, cuius caput pertingebat vsque ad cœlum; per quam diuersis virtutum gradibus ad superna conscenditur, & homines prouocantur (terrarum humilia deserentes) cum Ecclesia primitiuorum, Dominicæ passionis festa celebrare. *Non est*, inquit, *hoc nisi domus Dei, & hæc est porta cœli.* Quam Dauid acutius intuens, &

*Duo mundi oculi.*

*Psal. 54.*

*Hebr. 13.*

*Scala Iacob conf[...] modis.*

*Gen. 28.*

tota cupidine mentis inquirens, rationésque huius itineris cogitationibus tractans, & quasi preciosa pigmenta fortiùs terens atque comminuens; vt suauissimi odoris fragrantiam latè spargerent, ad solennitatem prouocat festinantes, dicens; *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino, hæc est porta Domini iusti intrabunt per eam.* Non est ergo, non est Hæreticorum vlla solennitas; nec, qui errore decepti sunt, illius possunt communione lætari. Scriptum est enim: *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Neque cœlestium possunt recipere sacramenta verborum, qui diuinis Ecclesiæ dogmatibus contradicunt. Totis itaque viribus animas nostras ab omni contagione purgantes, dignas, celebritati quæ imminet, præparemus, vt possimus cum sanctis canere: *Deus Dominus, & inluxit nobis.* De qua & alius Propheta conscius futurorum, mystica voce testatur: *Apparebit Dominus in eis, & disperdet omnes Deos Gêtium.* Quando verba in opera commutata sunt, & ambigentium oculis rerum veritas demonstratur, vt per efficientiam eorum quæ prædicta sunt verborum veritas comprobaretur, victoriæ suæ nos Deo faciente participes: & solennitatis possimus cum sanctis habera consortium, & inlustris eius aduentus præconia frequentare. Etenim quod omnis terra variis fuerat illecebris deprauata, virtutes æstimans vitia, & econtrario vitia virtutes, dum inolescente tempore, consuetudinem, legem putat esse naturæ, & tyrannica superbia iniqui præcesserant, & mendacium tempore roborarent, patres & magistri veritatis putabantur: vnde acciderat vt hominum error incresceret, & in ritum brutorum animalium, vtilia nescientes, despicerent verum pastorem, Dominum; ac furore rapti, tyrannos & principes colerent quasi Deos, imbecillitatem suam in eiusdem naturæ hominibus consecrantes. Per quæ eueniebat, vt præsens periculum mortis effugerent, & conciliarent sibi eos, quorum clementia crudelitate sæuior erat. Idcircò omnibus errore seductis, viuens sermo Dei in auxilium nostrum venit ad terras quæ ignorabant cultum Dei, & veritatis solitudinem sustinebant. Cuius rei testis est ille qui loquitur: *Omnes deliquerunt, simul inutiles facti.* Et Prophetæ, Christi auxilium deprecantes, *Domine inclina tuos cælos, & descende.* Non vt mutaret loca, in quo omnia sunt; sed vt propter salutem nostram, carnem humanæ fragilitatis adsumeret, Paulo eadem concinente, *Cùm esset diues, pro nobis pauper factus est, vt nos illius paupertate diuites essemus.* Venitque in terrâ, & de virginali vtero, quê sanctificauit, egressus homo (interpretatione nominis sui Emmanuel, id est, nobiscum Deus, dispensatione confirmans) mirum in modum cœpit esse quod nos sumus, & non desiit esse quod fuerat, sic adsumens naturam humanam, vt quod erat ipse, non perderet. Quanquam enim Ioannes scribat, *Verbum caro factum est*, id est aliis verbis, homo: tamen non est versus in carnem, quia nunquam Deus esse cessauit, ad quem & Sanctus loquitur: *Tu autem ipse es.* Et pater de cœlo côtestatur, & dicit: *Tu es Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Vt & homo factus, nostra confessione permanere dicatur quod fuit priusquàm homo fieret; Paulo nobiscum eadem prædicante *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in æternum.* In eo enim quod ait, *ipse*, ostendit illum pristinam non mutasse naturam, nec diuinitatis suæ imminuisse diuitias, qui propter nos pauper effectus plenam similitudinem nostræ conditionis adsumpserat. Ex tantis & talibus adsumpsit hominem, duntaxat absque peccato, ex quantis & qualibus nos omnes creati sumus: nô ex parte, sed totus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, nulloque, quod nostræ similitudinis est, caruit, nisi solo peccato, quod substantiam non habet inanimem sine anima: neque enim inanimem carnem habuit, & pro anima rationali, ipse, in ea, Deus verbum, non fuit, sicut dormitantes Apollinaris discipuli suspicantur. Nec dicens illud in Euangelio; *Nunc anima mea turbata est*; Diuinitatem suam perturbationi subiacuisse testatur, quod

*Ps. 117.* — *Hæreticorum nulla festa.* — *Exod. 19.* — *Hebr. 12.* — *Ps. 117.* — *Idololatriæ origo.* — *Rom. 3.* — *Ps. 143.* — *2. Cor. 8.* — *Ioan. 1.* — *Ps. 101.* — *Luc. 3.* — *Hebr. 13.* — *Omnia humana Christus præter peccatum habuit.* — *Apollinaristarum hæresis.*

A consequens est eos dicere, qui pro anima, diuinitatem, in corpore eius fuisse contendunt: Nec rursum, solam animam sibi socians, susceptum impleuit hominem; ne ex similitudine carnis & ex dissimilitudine animæ, mediæ adsumptionis dispensationem implesse credatur, in carne, nostri similis existens; & in anima, irrationabilium iumentorum; si tamen secundùm illos, irrationabilis & absque mente ac sensu est anima Saluatoris, quod impium est credere, & procul ab Ecclesiastica fide, ne protinùs illo percutiatur elogio quo Propheta corripit delinquentê, dicens; *Ephraim sicut columba insensata non habens cor.* Et quasi irrationalis audiat, *Côparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Nulli enim dubium, quin irrationabilis & sine sensu ac mente, anima iumentis irrationalibus compararetur, vnde & Moyses B scribit; *Bouem triturâtem non infrenabis.* Et Paulus scriptû edisserens ait: *Numquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtiq; dicit?* Propter nos igitur homo, Saluator, est factus; non propter bruta & irrationabilia iumenta, vt similitudinem animæ iumentorum, absque sensu & ratione, susciperet. Sed ne illud quod eiusdem hæreseos peccatores† cauillâtur & garriunt, Ecclesia suscepit, vt prudentiam carnis appellari putet animam Saluatoris, cùm perspicuè Apostolus prudentiam carnis inimicam Deo appellet, & mortem. Quod de Domino dicere nefas est, vt anima eius, mors & Dei inimica credatur. Si enim nobis præcipit, *Nolite timere eos qui possunt occidere corpus, & animâ non valent*; cogentur stulta disputatione suscipere, meliores esse nostras animas anima Saluatoris, dum illa, prudentia carnis adseritur, quæ mors & inimica est Dei; C nostra autem mori non potest. Quod nequaquam ita intelligendum est, Fratres charissimi, cum etiam prudentia animæ non possit anima nuncupari, & multum inter se differant: licet enim prudentia animæ, in ea sit cuius prudentia est; tamen alterum habet, alterum habetur. Et prius, anima est, sequens, versatur in anima. Quod si prudentia animæ non est anima, quantò magis carnis prudentia, anima non potest appellari? Tendât quantumlibet syllogismorum suorum retia, & sophismatum decipulas, proponentes, seipsos innectant laqueis, ne id quidem scientes cuius vana scientia gloriantur, & discant à nobis (quos gratis cogunt huiuscemodi disputationem adsumere) aliud esse quod sapit, aliud sapientiam, aliud quoque quod sapitur; & hæc non solum verbis inter se, sed & sensibus discrepare. Quæ enim sapit, rationalis D est anima: porrò quæ ex ipsa est, & ipsius, & non ipsa quæ sapit, appellatur sapientia: quod autem sapitur, res est quam respicit; eáque gignitur ex sapiente sapientia; & non sapiens ipse, nec ipsa sapientia. Tandémque desinant dialecticæ artis strophis, simplicia Ecclesiasticæ fidei decreta peruertere, vt animam Saluatoris, prudentiam carnis appellent; quam Apostolus, mortem & inimicam adserit Dei. Sed & hoc modo nobis contra illos differendum videtur. Scriptum est de verbo Dei: *Omnia per ipsum facta sunt.* Num credibile est, & sapientiam vel prudentiam carnis, quam illi animam Saluatoris intelligunt, à Verbo Dei conditam; vt mortis & inimicitiæ contra Deum, ipse operator existeret, sibique eos, quod dictu nefas est, copularet; Quod si nefarium est credere, & anima Saluatoris cunctis virtutibus pollet: E ergo prudentia carnis non erit anima eius, ne ipse mortem & inimicitiam contra Deum subiunxisse credatur. Cessent Apollinaris discipuli, ea quæ contra Ecclesiasticas regulas est locutus, propter alia eius scripta defendere: licet enim aduersus Arrianos & Eunomianos scripserit, & Origenem aliosque hæreticos sua disputatione subuerterit, tamen qui memor est illius præcepti, *Non accipies personam in iudicio*, veritatem semper debet diligere, non personas: & scire quod in dispensatione hominis, quam pro salute nostra vnigenitus Filius Dei dignatus est adsumere, non sit alienus à culpa, qui super animabus peruersa & intellexit & scripsit. Si enim Apostolus ait, *Si expendero omnem*

*Christus humanæ naturæ habuit diuinitatê pro Anima.* — *Osee 7.* — *Psal. 48.* — *Deut. 25.* — *1. Cor. 9.* — *† Iuliani tamen Prudentiâ carnis pro animâ Saluatoris confitentur.* — *Matt. 10.* — *Hæreticorum contra Catholicos ad disputationem.* — *Ars Dialectica.* — *Ioan. 1.* — *Apollinaris contra hæreses quædam scripsit.* — *Deut. 16.* — *1. Cor. 13.*

*omnem substantiam meam, & tradidero corpus meũ vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi proderit*, ita siue iste de quo nunc sermo est, siue Origenes & alij Hæretici scripserint aliqua quæ Ecclesiasticæ Fidei non repugnent, tamen non erunt absque crimine. Et in iis, quæ principalia sunt, & ad salutem credentium pertinent, Ecclesiasticæ fidei repugnantes. Neque enim, vt ipse cum sectatoribus suis nititur adprobare, Dominus noster atque Saluator animam sine sensu adsumpsit & mente, aut mediam partem eius, duásque de tribus, siue tertiam, vt imperfectè hominem saluaret adsumptum, quia nec media, nec reliquæ portiones, perfecti nomen accipient. Et sicut quod perfectum est caret imperfecti vitio, sic quod imperfectum est, perfectum non potest dici. Et si imperfectè similitudinem nostram, vel ex parte susceperat, quomodo in Euangelio loquebatur; *Nemo tollit animã meam à me, potestatem habeo ponendi eã, & potestatem habeo sumendi eam?* Quæ autem tollitur atque deponitur, nec irrationalis, nec absque mente & intelligentia dici potest, sed è contrario, rationalis & intelligibilis, & mentem habens ac sentiens. Atque ita ipse disputationis ordo conuincit, nihil à Domino imperfectum esse susceptum, sed adsumptum ab eo hominem plenè perfectéque, saluatum. Nulli enim dubiũ, quin irrationabilium iumentorum animæ non ponantur & resumantur, sed cum corporibus pereant, & in puluerem dissoluantur. Porrò Saluator, tollens animam, & separans à corpore suo, tempore passionis, rursum eam in Resurrectione suscepit. Et multò antequàm faceret, loquebatur in Psalmo; *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nec credibile est quod ad Inferos caro eius descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit animæ, inferis apparuerit: sed quod corpus eius positum in sepulchro sit, & ipse nec de corpore & sapientia carnis, nec de diuinitate sua dixerit, *nõ derelinques animam meam in Inferno*, sed verè, de nostræ naturæ anima, vt perfectam ac rationalem & intelligibilem atque sensibilem ad Inferos animam descendisse monstraret. Hortamur eos, qui talia sapiunt, vt errores hæreticos relinquentes, adquiescant Ecclesiasticæ veritati, & festiuitatem Dominicæ Passionis non faciant imperfectam, ne principalem & maiorem hominis partem in Saluatore negent, absque anima & mente corpus illius adserẽtes. Si enim ita erat, quid de se volens intelligi loquebatur; *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus?* Et si tantùm carnem hominis adsumpserat, cur in passione dicebat; *Spiritus promptus, caro autem infirma?* Vnde sciendum est, quòd omni parte temperatũ humanæ conditionis exhibens sacramentum, perfectam similitudinem nostræ conditionis adsumpserit: nec carnem tantùm, nec animam irrationalem & sine sensu, sed totum corpus, totámque animam sibi socians, perfectum in se hominem demonstrauit, vt perfectam cunctis hominibus in se & per se largiretur salutem: habénsque nostri consortium, qui de terra conditi sumus, nec carnem deduxit de cœlo, nec animam quæ priùs substiterat & ante carnem eius condita erat suo corpori copulauit, sicut Origenis nituntur docere discipuli. Si enim anima Saluatoris, antequam ille humanum corpus adsumeret, in cœlorum regionibus morabatur, & nec dum erat anima illius, impiissimum est dicere, ante corpus, eam fuisse Domini, agentem aliquid & vigentem, & postea in animam illius commutatam. Aliud est, si possunt de Scripturis docere, antequam nasceretur ex Maria habuisse hanc animam Deum Verbum, & ante carnis adsumptionem, animam illius nuncupatam. Quod si & authoritate Scripturarum, & ipsa suscipere ratione coguntur, Christum non habuisse animam antequam de Maria nasceretur, in adsumptione enim hominis, & anima eius adsumpta est, perspicuè conuincuntur, eandem animam & illius & non illius fuisse dicentes. Sed cessent illi à nouorum dogmatum impietate furibundi: nos Scripturarum normam sequentes, tota cordis audacia prædicemus, quòd nec caro illius, nec anima fuerint priusquã de Maria nasceretur: nec antè anima in cœlis sit commorata, quàm postea iunxerit: nihil enim nostræ conditionis, è cœlo veniens, secum Dominus deportauit. Vnde quicquid contrarium est veritati, Euangelica falce succidens loquitur; *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, Verbum opere, comminationem fine consummans, & dictorum potentiam expletione rerum probans, vt quicquid sermo pollicitus est, gestorum veritas exhiberet. Sciant igitur se, huius solennitatis alienos, non posse nobiscum celebrare dominicam Passionem, qui Origenem, vt loquar aliquid de fabulis Poëtarum, Hydram omnium sequuntur hæreseon, & erroris se habere magistrum & principem gloriantur. Quamuis enim innumerabiles texuit libros, & garrulitatis suæ, quasi damnosæ possessionis, mundo reliquerit hæreditatem, tamen scimus lege præceptum, *Non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus.* Qui enim diuerso tramite ab Apostolorũ regulis aberrauit, quasi indignus & profanus choro Christi & consortio mysteriorum eius, de solennitate Christi ejicitur, & à Patribus maioribúsque natu qui Saluatoris Ecclesiam fundauerunt, procul pellitur, Philosophorum pannos, nitens, nouo & firmissimo Ecclesiæ consuere vestimento, & veris falsa sociare, vt ex illorum vicinitate fortior probetur infirmitas; & huius pulcritudo violetur. Quæ enim illum ratio? quis disputationum ordo perduxit, vt allegoriæ vmbris & cassis imaginibus, Scripturarum tolleret veritatem? Quis Propheta sentire docuit, propter ruinam & lapsus de cœlis animarum, Deum esse compulsum corpora fabricare? Quis iuxta beatum Lucam, eorum, qui viderunt & ministri fuerunt sermonis Dei, huic tradidit ad docendum, negligentia, & motu, & fluxu de altioribus rationabilium creaturarum, prouocatum Deum, mundi huius condere diuersitatem cur? creationem eius Moyses explicans dixerit, nec iudicauerit propter aliquas causas præcedentes, de rationabilibus sensibilia, de inuisibilibus visibilia, de melioribus peiora prolata, quod apertissimè Origenes prædicat? Dicit enim, propter peccata Intelligibiliũ creaturarum, Mundum esse cœpisse, nolens Pascha celebrare cum sanctis, neque cũ Paulo dicere, *Inuisibilia Dei, à creatura Mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* Nec cum Propheta vociferari, *Consideraui opera tua & obstupui.* Aliter enim Mundi pulcritudo subsistere non valebat, nisi eum varius creaturarũ implesset ornatus. Denique Sol & Luna, duo magna luminaria, & stellæ reliquæ, antequã hoc essent in quod eas creatas quotidiani cursus testatur officium, non erant absque corporibus, nec propter aliquas causas simplicitatem pristinam relinquentes, corporibus circundatæ sunt, vt ille somniat contra fidei dogmata struens; nec animæ in cœlorum regionibus aliquid peccauerunt, & idcircò in corpora relegatæ sunt. Si enim hoc ita esset, oportuerat Saluatorem, nec ipsum corpus adsumere, & animas de corporibus liberare: debebat eo tempore, quãdo in baptismate peccata dimittit, statim, baptizatum de corporis vinculis soluere, quæ propter peccata in condẽnatione peccati facta commemorat. Sed & resurrectionem corporum frustra pollicetur, si expedit animabus absque grauitate corporum ad cœlum leuiùs subuolare. Ipse quoque resurgens, carnẽ suam suscitare non debuit, sed solam diuinitati animam copulare, si meliùs est absque corporibus quàm cum corporibus viuere. Quid sibi autem vult, crebrò animas & vinciri corporibus & ab eis diuidi, prædicare, & multas nobis inferre mortes, ignorans Christum idcircò venisse, non vt post resurrectionem corporibus animas solueret, aut liberatas rursus aliis corporibus indueret, & de cœlorũ regionibus descendẽtes sanguine & carne vestiret, sed vt semel cor-

*Hæretici quædam sana scripserunt.* — *Ioan. 10.* — *A Christo nihil imperfectum assumptum est.* — *Psal. 15.* — *Anima Christi apud Inferos.* — *Ioan. 10.* — *Matth. 26* — *Perfectum hominem à Christo assumptum.* — *Matth. 15 b* — *Origenes, hydra hæreseon.* — *Deut. 17* — *Origenis hæreses, & allegoriæ Actores.* — *Rom. 1.* — *Siderum creatio.*

pora suscitata incorruptione & æternitate donaret? Sicut enim Christus *semel mortuus, vltra non moritur, nec mors ei dominabitur,* ita nec corpora suscitata, post resurrectionẽ, secundò vel frequenter intereunt, nec mors eis vltra dominabitur, neque in nihilum resoluentur, quia totum hominem Christi saluauit aduentus. Sed & illud à solennitate Christi Origenem alienum facit, quod Principatus, Potestates, Fortitudines, Thronos, Dominationes, non ab initio in hoc conditas refert, sed post creationem aliquo honore dignas factas, & aliis earum similibus propter negligentiam ad inferiora delapsis, has inclytis nominibus appellatas, vt iuxta errorẽ eius, non eas condiderit Deus, Principatus, & Potestates, &c. sed aliorum peccata illis materiem tribuerit gloriarum.

*Origenis error de Angelorum creatione & merito.*

Et quomodo Paulus Apostolus scribit, *In Christo creata sũt omnia in cœlis & in terra, visibilia, inuisibilia, siue Thronis, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per illũ, & in illo creata sunt, & ipse est ante omnia.* Si intelligeret vim verbi, per quem dicitur, creata sunt omnia; nosset ab initio ita eas conditas; & non aliorum socordiam, & in inferiora prolapsum, occasionem dedisse Deo; vt illas, Principatus, & Potestates, & Fortitudines reliquas nominaret; maximè cùm creaturarum pulchritudo consistat in ordine dignitatum. Si enim de Sole & Luna, & stellis scriptũ est, *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti; & stellas posuit in firmamento cœli, vt lucerẽt super terram,* nec premium bonorum operũ reciperent; vt post conditionem sui, in Firmamento cœli lucerent, & diebus siue noctibus succederent: sic Principatus & Potestates, quæ in cœlorum regionibus conditæ sunt, non post bona opera in hæc profecisse sentimus, sed sic ab initio conditas: neque enim Origenis & discipulorum eius imitamur errorem, qui putant in similitudine dæmonũ & diaboli, qui propria voluntate talia nomina officiáque sortiti sunt Principatus, & Potestates, Virtutes, & Thronos, & Dominationes post conditionem sui, boni aliquid perpetrasse, vt aliis ad inferiora dilapsis ad excelsa conscenderent, & iis nominibus insignirentur, habentes posteà quod priùs non habuerant. Quæ, dicentes, non intelligunt, Pauli se sententiæ contra ire; in Christo creatos Principatus, & Potestates, & Thronos, & Dominationes, loquentis. Quod autem dicit creatos; nulli dubium est, quin sic ab exordio conditi sint, & non postea istiusmodi acceperint dignitates. Verùm hæc breuiter sanxisse sufficiat; ad aliam eius veniamus impietatem, quã velut de profundissimis tenebris eructans loquitur, & blasphemiarum suarum pessimam mundo reliquit memoriam. Dicit enim Spiritum sanctum non operari ea quæ in anima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod asserans non recogitat aquas in baptismata mysticas, aduentu sancti Spiritus consecrari, panemque dominicum, quo Saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri; & sacrum calicem; quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, & vtique inanima sunt; per inuocationem & aduentum sancti Spiritus sanctificari. Si ad irrationabilia, & ad ea quæ absque anima sunt, sancti Spiritus fortitudo non perueniens; cur Dauid canit: *quo abibo à spiritu tuo?* quod dicens; ostendit, sancto Spiritu omnia contineri, & illius maiestate circumdari, si omnia in omnibus, vtique & irrationabilia, & inanima sunt. Et alibi legimus: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Quod nunquã Scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque & inanima, illius numine compleretur. Verùm non est contentus hoc fine blasphemiæ, sed in morem lunaticorum, qui furorem suum illisione dentium, & spumantium saliuarum eiectione testantur, rursum eructat & dicit; Filium Dei; id est, rationem & sermonem ac virtutem eius, ad ea tantũ quæ rationabilia sunt, peruenire. Quod audiens, miror vnde sumpserit, aut quomodo legisse se nesciat, *Omnia per ipsum facta sunt!* Ex quo adprobatur, ad cuncta, Verbi Dei fortitudinem peruenire.

*Coloss.* — *Genes. 1.* — *Origenis error de Spiritu sancto.* — *Ps. 138.* — *Origenis error de filio Dei.* — *Ioan. 1.*

A Forsitan oblitus & illius historiæ, quando virtute Christi Lazarus suscitatus est, cuius vtique corpus, eo tẽpore quo de morte surgebat in vitã, vt anima, ita & ratione caruit. Ignorauit & illud quod de quinque panibus quinque millia saturata sunt hominum, exceptis mulieribus & infantibus; & super fuerunt duodecim cophini fragmentorum: Quod vtique Christi fortitudo perfecit. Arbitror, eum, nec illius miraculi recordatum, quando irrationabiles maris fluctus, diuino calcans pede, tranquillitati nauigantium reddidit: quæ Christi virtus, & non alterius patrauit imperium. Quomodo ergo non toto corde & animo & corpore perhorrescit, dicens, fortitudinem Verbi Dei, irrationabiles creaturas non posse pertingere? Et qui iactat se inscietia Scripturarum, & putat tanta legisse, quanta nullus hominum legerit, sciat scriptum, quòd ægrotantes in lectulis B deferebant, & ponebant in triuiis & plateis, vt eos Petri vmbra contingeret, & sanaret, quod sacra Apostolorum Acta testantur, arguentia Origenis stultitiam; per quæ id, Apostolorum vmbra fecisse conuincitur, quod ille filium Dei, Verbum Dei non potuisse testatur. Simili errore deceptus, & nesciens quid loquatur, † eorum qui nolunt Dei prouidentiã vsque ad omnes creaturas & Mundi inferiora descendere, sed tantùm in cœlorum regionibus commorari, vt scilicet id vmbra fecerit Petri, quod implere Saluatoris fortitudo non quiuerit. Sed & ad † illa veniamus; Apostolo enim de primogenito Filio Dei perspicuè proclamante: *Hoc intelligat vnusquisque in nobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed* C *seipsum exinaniuit, formã serui accipiens.* Ille ausus est dicere, quòd anima Saluatoris se euacuauerit, & formam serui acceperit, vt Ioannes mẽtitus esse credatur, qui ait: *Verbũ caro factum est:* similẽ nostræ conditioni ingerens Saluatorem, dum non ipse qui se euacuauit & formam serui accepit, sed animam illius & fidem quæ omnium confessione firmata est, sua impietate dissoluit. Si enim anima Saluatoris est, quæ fuit in forma Dei, & æqualis Deo, iuxta Origenis insaniam; æqualis autem Deo filius Dei est, & quod æquale Deo est, eiusdem conuincitur esse substantiæ: ipse nos disputationis ordo perducit, vt vnius naturæ, animam, & Deum esse credamus. Quod cum dicat, sequitur vt nostras quoque animas, non alterius à Deo naturæ esse contendat, nullique dubiũ, nostras animas & animam Saluatoris, vnius esse substan- D tiæ, vt iam, factor atque factura, vnius naturæ sint. Et quomodo in Christo creata sint omnia, si animæ hominum, eiusdem cum Creatore substantiæ sint? Verum non est ita, Fratres, nec anima Saluatoris sed ipse filius Dei cum esset in forma Dei, & æqualis Deo, se exinaniuit, formam serui accipiens. At Origenes in profundum impietatis demersus cœnum, non intelligit se Gentilium esse participem; qui Idola pro Deo venerantes, *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerũt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,* quod & iste incurrens, simili errore deceptus est: in forma enim & æqualitate Dei animam Saluatoris adfirmans, sicut superior sermo memorauit, impietati ethnicæ æqualis est. Vt enim illi immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem E imaginis corruptibilis hominis, dicentes, Deos esse qui non erant: sic iste immutauit gloriam incorruptibilis Dei, in forma illius & æqualitate animã Saluatoris adserens, quæ creata est, & hanc se euacuasse, & non Verbum Dei, ad terrena venisse, sicut Apostoli adfirmat authoritas. Nec erubescit, ex multiloquio immemor sui, & animam hominis nolens à conditionis exordio sic vocatam, sed ex eo quod, quæ prius mens & sensus erat, frigus negligentiæ & infidelitatis adsumpserit: *Quæ etymologia, magis Græcæ quàm Latinæ linguæ cõuenit.* † Si autem, æqualem Deo, & in forma illius constitutã animam adserit Saluatoris, ergo & illa ex frigore charitatis sortita vocabulum est, & prioris nominis perdidit dignitatem.

*Ioan. 11.* — *Matt. 14.* — *Act. 5.* — *† Est dogma sequentium.* — *† Alia Origenis error de primogenito Dei.* — *Philip. 2.* — *Ioan. 1.* — *Anima Saluatoris non exinaniuit se.* — *Rom. 1.* — *† ψυχή, à ψύχω, quod est refrigerare, significat.*

tatem: Generalis enim illius disputatio est, animas hominum appellatas ex eo quod calorem pristini feruoris amiserint. Igitur si omniumanimæ, recepto frigore sunt vocatæ, & confitetur animam habuisse Saluatorem, sequitur, vt & ipsam, de mente & sensu, dicat ad huiusmodi vocabulum commigrasse. Quod licet sermo nec taceat, apertaque impietas illius insaniam reprimat: tamen ipsa dicere necessitate compellitur, quæ prioribus dictis, † ordine nectit sequentia. Aut enim negare debet habuisse animam, Saluatorem, vt apertissimè contra Euangeliorum veniat auctoritatem: aut si nō potest sibi contraria loqui, etiam hanc ex frigore charitatis, † de mente & sensu, confitebitur animam nuncupatam: omnium quippe animas, qui recesserint à Deo, & calorē diuinæ charitatis amiserint, ex frigore æstimat appellatas. Quis non credat, eum, hoc sacrilegij fine cōtentum? † Aliam rursus Filio Dei nectit calumniā, & ijs verbis loquitur: Si sicut Pater & Filius vnum sunt, ita & anima quam adsumpsit Filius, & ipse Filius Dei vnum sunt. Nec intelligit, Patrem & Filium, vnum esse propter communionem substantiæ & eandem diuinitatem, filium autem & animam eius, diuersæ & multum inter se distantis esse naturæ. Etenim si sicut Pater & Filius vnum sunt, & anima Filij, & ipse Filius vnum sunt: vnum erit pater cum anima Saluatoris, & ipsa dicere poterit: *Qui videt me, videt & Patrem.* Sed non est ita, absit hoc ab Ecclesiastica fide: Filius enim & Pater vnum sunt, quia non est inter eos diuersa natura; Anima autem & Filius Dei, & natura inter se discrepant & substantia, eò quòd & ipsa à Filio condita sit, nostræ conditionis atque naturæ. Si enim sicut Pater & filius vnum sunt, sic anima Filij Dei, & ipse Filius vnum sunt, vnum erit (vt iam diximus) anima & Deus Pater; & anima Saluatoris, splendor gloriæ & forma substantiæ eius esse credetur. Verùm, hoc dicere, impium est atque blasphemum. Eiusdem igitur impietatis est, Filium & animam illius, vnum dicere; cuius, Patrem & Filium, vnum negare. Rursum immemor sui, contraria sibi loquitur, ait enim: Anima quæ turbata est, & tristis effecta, non erat ipsa Vnigenitus & primogenitus omnis creaturæ, nec Verbum Dei, quòd conditionem animæ superans, & verè Filius Dei, in Euangelio loquebatur: *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi illam.* Ergo si melior est & potentior Filius Dei anima sua (quod nulli dubium est) quomodo anima illius in forma Dei esse poterat & æqualis Deo, quam cùm dicat, se euacuasse & serui adsumpsisse formam, omnes Hæreticos magnitudine blasphemiæ superat. Si enim in forma Dei & æqualis Deo, Verbum Dei est, in forma autem Dei & æqualitate eius, anima Saluatoris est, quomodò poterit, inter æqualia, aliud esse maius, aliud minus? Ea enim quæ inferioris naturæ sunt, sublimiorem naturam atque substantiam, sui deiectione, testantur. Non ei sufficit ista blasphemia, sed trans flumina Æthiopiæ currum † stultitiæ suæ dirigens, iterum furibundus exultat, tot, dicens, voluntate sua Deum condidisse rationabiles creaturas, quot poterat gubernare: vt virtutem Dei, imbecillitati hominum & cæteris quæ creata sunt, comparet. Nam in humano corpore, tot fortitudo eius membra sustentat & regit, quot potest ex eis infusa vegetare, & eam nobis tribuit temperantiam, quam valet sua præsentia regere, tantúmque virtute sustentat, quantum possunt membra hominum sustinere. Deus autem maior iis quæ ipse fabricatus est, cùm illis mensuram in creatione præstiterit, quam rerum ordo poscebat, & quo amplius sustinere non poterat: plus potest quàm ea quæ facta sunt, capiunt. At ille columen veritatis, terminabilem Dei adserit fortitudinem, & minorem artibus hominum: cæmentarij quippe, & ij qui struendarum domorum callent scientiam, maiora possunt ædificare quàm fecerunt, si tamen queant fundamenta sustinere quæ super ædificanda sunt, nec fabricatio, cogitationis artium, finis est. Cumque opera tanta perfecerint, quanta rerum necessitas flagitabat, habeantque mensuram vltra quam si fuisset aliquid extructum, indecens & inutile probaretur, ars ipsa plus mente continet quàm opere demonstrauit: nec fine rerum, finis imponitur scientiæ; si tamen, vt dixi, quicquid mens conceperit, & magnitudine operum cogitatio dilatarit, possint ea quæ subiecta sunt sustinere. Et quomodò non impium est humanæ arti finem non imponere, nec operibus suis artificum scientiam coæquare, & Deum tanta fecisse dicere rationabilium creaturarum, quanta facere poterat? Audiat ergo & discat impius, quòd non tanta est virtus Dei, quantas fecisse dicitur rationabiles creaturas, sed imponens mensuram operibus, vltra quam esse non poterant, & rerum numerum, dispositionis suæ arte concludens, ipse mensura & numero non tenetur. Ex quibus liquidò apparet, non eum tanta fecisse, quanta *poterat, sed quantum* rerum necessitas expetebat, tantum eius fecisse virtutem. Ponamus exemplum, vt quod dicimus manifestius fiat: Si quis opulentus paterfamilias, conuiuas ad cœnam voluerit inuitare, & tantas offerre dapes quæ implere possint auiditatem cœnantium, non statim quantum illi comederint, & quantum eis fuerit præparatum, tantùm diues Dominus habere poterat, sed præbuit eis quantùm conuiuij dignitas exposcebat: sic & omnipotens Deus, vincens comparationis exemplum, non tantas fecit creaturas quantas poterat, sed tantæ ab eo factæ sunt, quantæ debebant fieri. At ille, verbositatis seminarium contexit & replicat, & ait: Tanta fecit Deus, quanta poterat comprehendere, & sibi habere subiecta, suáque prouidentia gubernare. Nec audit Prophetam dicentem: *Si omnes gentes vt stilla de situla, & sicut momentum statera computata sunt, & quasi saliua deputabuntur, cui adsimilastis Deum?* Et rursum: *Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & omnem terram pugillo?* Si ad cōparationem fortitudinis Dei, aqua mensuratur manu, & cœlum palmo, & omnis terra pugillo: hæc autem per metaphoram dicuntur, vt eorum, quæ facta sunt, vtilitas ex factoris magnificentia comprobetur (neque enim diuersitate membrorum compositus est Deus) quomodo tanta fecisse dicitur, quanta poterat sua virtute comprehendere? Calcemus quod cœpimus, & sensum nostrum pleniùs explicemus. Si omnes gentes quasi stilla de situla, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi saliua reputabuntur (per quæ verba, omnium creaturarum vilitas, & parua substantia demonstratur, vt appareat incomparabilis sublimitas Dei) ergo & fortitudo eius sicut stilla de situla, & sicut momentum stateræ, & saliua hominis reputabitur, si iuxta Origenem tanta fabricatus est quanta poterat sua virtute comprehendere; & necesse est, numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coæquari; si tamen nōn potuit facere maiora quàm fecit. Verùm non puto quempiam; non dico hominum, sed ne dæmonum quidem, hæc de eo audere confingere, quæ ille & sensit, & scripsit; tantam, Deum, fecisse materiam, quantam ornare poterat & in rerum formas diuidere. Quæ sentiens, rursum discat à nobis; non quanta fecit Deus, tanta facere poterat; sed quantam mensuram rerum ordo poscebat, tanta fabricatus Deus, multò maiorem habens & artem & fortitudinem; quàm, ea quæ facta sunt; numerum atque mensuram. Et hoc sciat Prophetarum testimoniis cōprobari, è quibus ait: *Operuit cœlos virtus eius.* Et alter clamitat. *Terram autem sicut nihili fecit;* vt maiorem Dei esse virtutem, iis quæ facta sunt, prædicarent. Porrò quod dixit; *terram sicut nihili fecit;* de vniuersis creaturis, Apostolus interpretans loquitur: *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint.* Vt & per hæc verba discamus, maiorem esse fortitudinem Dei, quàm ea quæ ab illa facta sunt. Et non erubescit, contra Dei fortitudinem disputans, dicere; quòd tantùm possit Deus, quantùm ei ad operandum materia ministrarit: nec intelligit aliam na-

totam esse factorum, & aliam eius qui factor est Deus; neque posse tantum illam de qua aliquid fit, quantùm is potest qui ex ea aliquid fabricatur: diuersarũ enim substantiarum, diuersa est virtus atque conditio. Quapropter, si volunt cũ Ecclesia Dominicum Pascha celebrare, qui auctoritati Scripturarum, Origenis præferunt deliramenta; audiant inclamantem Deum: *Et non ostendi illa tibi vt ambulares post ea.* Ac Prophetam lachrymabiliter cõmonentem: *O ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quia à quatuor ventis cõgregabo vos, in Sion saluamini, qui habitatis filiã Babylonis.* (*Zach. 2. 6.*) Vt erroris tenebras frigusque ignorantiæ relinquentes, ad ortum Solis iustitiæ, iuncti Magorum studiis, conuertantur; & inhabitantes calidissimam plagam cœli, quæ in Scripturarum feruore sentitur, pastores Ecclesiasticos, spreta Origenis amentia, sciscitẽtur, & dicant: *Vbi est qui natus est rex Iudæorum?* (*Matt. 2.*) Cùm illum inuenerint iacentem in præsepi; humili videlicet eloquio Scripturarum; offerunt ei aurum, & thus, & myrrham, id est, fidem probatam & omni veritatis splendore fulgentem, conuersationis bene-olentis fragrantiam, & continentiam; luxum voluptatis, & fluitantia carnis incentiua siccantem. (*Præsepe Christi. Magorũ munera.*) Qui enim post crebras commonitiones, Ecclesiasticæ fidei contradicunt; duplici languore retinentur; nequitia & imperitia, & in morem serpentium toti ad terrena conuersi adhærentesque humo, bonis mala præferunt; nec nouerunt quæ sit differentia vitiorum atque virtutum, & de sanctis Scripturis, in correptionem, & sanitatem sui, medicamenta contemnunt, in morem prægnantium mulierum, veritatis fastidia sustinentes, quæ solitos cibos respuunt, & noxia quæque sectantur, nec valent contra veritatis radios, clarum animæ lumen intendere, despicientes Ecclesiasticam disciplinam, quasi porci volutantur in cœno, & vnguenta contemnunt. (*Hæreticorum morbi.*) Sed iustum est, vt saltem de exemplis, quæ inferimus, recipiant sanitatem: sicut enim oculo officit lippitudo, & totum corpus populatur febris, æs quoque & ferrum paulatim rubigo consumit; ita dogmatum peruersorum perniciosa contagio, animarum negligentium pulchritudinem violat, & deformi eos mendaciorum pallore perfundit. (*Errores animæ sunt pro rubigine.*) Obsecro, Fratres, vt ignoscatis dolori meo, sceleratas doctrinas in medium proferenti: Licet enim per Babyloniæ flumina transierimus, vt captiuos ibidem commorantes ad festiuitatem Hierusalem pergere suaderemus, tamen misericordia Dei, ipsi captiuitatem non sensimus, prosperis ventis Scripturarum vela pandentes. Nec obruerunt nos doctrinæ hæreticæ gurgites intumescentes, nec mendaciorum tempestas terruit, neque torrentes iniquitatis in medio eorum pelago pertraxerunt, vbi iuxta Psalmistam canentem, *reptilia quorum non est numerus*, & Draco, diabolus commorantur, venenatissimum animal sanctorum lusibus patens: nec, vt cuncta breui sermone concludam, ex omni parte ventorum flabra consurgentia, Ecclesiasticam nauem subuertere potuerunt, & studiorum nostrorum, sæuo turbine, operire remigium. Et cum Saluatore Domino, instar discipulorum illius, nauigantes transfretauimus, (*Matt. 6.*) & portum quietis intrantes, pulcherrimum diuinorum voluminum litus amplectimur, varios carpentes flores scientiæ, & niuea membra sapientiæ pressis figentes oculis, in eius hæremus amplexibus, & si Dominus concesserit, viuentes cum ea, & in illius perseuerantes amore cantamus; *Amator sui pulchritudinis eius.* (*Sap. 8.*) Quotquot enim diligentius Scripturas sanctas legunt, & per picta sermonum cœlestium prata discurrunt, hac beatitudine perfruentur. Qui autem relinquentes dominicæ Solennitatis virorem, ad deserta transcendunt, in morem vrbium, quæ absque muro sunt, hostiles dæmonum impetus sustinent. Quapropter imminentia festa celebrantes, intelligamus & nosmetipsos, & vniuersa quæ nostra sunt, scientiamque & rationalem animam nostram, quasi matrem cunctis studiis amplectamur, habentes radicem sermonis atque rationis, scientiæ notionem, sermonem autem, vt ita dicam, operis vestibulum. (*Sermo debet esse vestibulum Operis.*)

A Porrò: Opus, sermonis & scientiæ, ædificij tecta perfecta, † & firmissimum domus culmen impositum: Sermo enim & ratio & scientia & fides, absque opere, cassa sunt & instabilia. (*† Forte melius, perfectũ, vt & paulò post impositum pro impositum, nisi forte mutuo adiectũ verbum est.*) Et vt aliquid propter eos qui Dialecticis artibus instituti sunt, ea illa doctrina videamur adsumere, quomodò, si Verbum Nomini coniungamus, perfectus sensus efficitur, Verbumque si solùm fuerit, aut nomen sine verbo, nihil est omnino quod dicitur: sic scientia absque opere, & opus sine fide infirma sunt & caduca: & econtrario scientia operi copulata, perfectæ virtutis indicium est. Tacita quippe animi cogitatio, arcanus eius est sermo, qui, per linguam, forinsecus resonans, profert mentis sententiam. Cùmque sermo fuerit opere consummatus, scientiæ & cogitationi nostræ, finis imponitur. (*Scientia & fides absque Opere irrita est.*) B Atqui cogitationis, & sermonis, & operis reddemus rationẽ in iudicio, *accusantibus se inuicem cogitationibus nostris, siue defendẽtibus in die qua iudicaturus est Deus abscondita hominũ per Iesum Christum*, sicut Paulus Apostolus scribit. (*Rom. 2. 6*) Quòd cùm ita sit; adpropinquante festiuitate Domini; dicamus ad eos quos Origenis error inuoluit, & fraudulentia captiuos tenet: *fugite de medio Babylonis, & resaluate vnusquisque animã suam.* Quamuis enim, iuxta vaticinium Prophetæ, Babylon, calix aureus esse dicatur; & compositione ac lepôre verborum, veritatis pulchritudinẽ præferat, & *transfiguret se in Angelum lucis*; tamen sciendum, quòd quicunque bibunt de vino illius, mouentur & corruunt; & contra, lamentatione sunt digni. (*Ierem. 51. Babylon calix aureus.*) Nos autem mortiferis perturbationibus resistentes, muro continentiæ vallemus animam; C & libertatem illius, quotidiana virtutum exercitatione, tueamur. (*Muro continentiæ Animæ libertas.*) Sicut enim venditi serui, eorum qui pro eis dedere precium, & famuli & verberones vocantur; ita qui animas suas variis vendidere desideriis, horum quibus se tradiderint, famuli nuncupantur, & quasi crudelibus obediunt dominis. Cùmque & emendatores erroris sui, rigida fronte, contemnant, temeritate stultitiam defendentes; ignorant quòd audacia nihil sit aliud, vt mihi quidem videtur, nisi absque sensu & cogitatione sententia, procul à se fugans gubernatorem perturbationum, animum. (*Stultitiæ defensio. Audacia quid sit.*) Cumque tali fuerit spoliata præsidio, præceps in profundum fertur impietatis, & quasi quodam amarissimo reumate lumen mẽtis obscurat; oculumque eius secundum eloquium Scripturarum, intractabili tenebrarum nocte circumdat. Vnde D qui Origenis erroribus delectantur, festiuitatis Dominicæ non sperent præconia; nec vnguenta, aurum, & margaritas quærant in luto; neque matrem suam, Ecclesiam, quæ eos genuit & nutriuit, in magnis vrbibus lacerent; qui aliquando nostri, nunc propter illum & discipulos eius, Gentilium in nos odia superant, & in dilectione eorum, in nos maledicta congeminant; diuitúmque obsident fores, nec audire metuunt cum Iudæis; *Filios genui & exaltaui, ipsi autẽ me spreuerunt.* (*Esaiæ 1.*) Qui mihi videntur nescire; omne verbum, veritatis non habens fundamentum (Et si ad horam, audientem illaeserit vt putet verum esse quod non est) paulatim dissolui & in nihilum redigi; vniuersamque sententiam, quæ in morem Torrentis de pessima mente profertur, obruere authorem suum: & literas syllabasque, quibus erat con- E textа, perdentem; absque sensu & sono & vlla imagine derelinqui: & instar venenatissimi colubri percutere prolatorem suum, statimque retrahere caput; & quasi in foramine mentis, tabescere atque consumi: nam mendaciorum finis, interitus est. (*Verbum non habens fundamentũ veritatis paulatim dissoluitur.*) Illi qui quondam iactabant se solitudinis amatores; saltem patulam, ad occultanda maledicta, super labia furoris sui ædificent cellulam; nõ de sanctis Hierusalem lapidibus, sed informibus Babylonis saxis, quæ indolata & inæqualis, ruituræ domus parietes fulciant. Quanquam effœminatis auribus & Gentilium odiis, se, nostri detractione commendent, carpentes Ecclesiasticam disciplinam: & patientia nostra, quasi quodam temeritatis fomite, abutentes: tamen

men aliquando taceant & quiescant, & audiant Prophetam dicentem; *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum.* Desiderentque ea sapere, quæ digna sunt vita solitaria, & Ecclesiæ principem ac magistrum non contristent Deum.

*Psal. 33. & Hier. 9. Orandū pro hæreticis.*

Vos autē obsecro, Fratres, vt in commune oremus pro eis, & prophetali voce dicamus; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Explorabo die ac nocte vulneratos filiæ populi mei:* Dei misericordiam deprecantes, vt liberet eos errore quo vincti sunt: & odiū quo aduersum nos frustrà insaniunt, amore commutent. Vnde & nos obliti iniuriarum, indulgentissimo eos cupimus recipere sinu; & illorum sanitatem & conuersionem ad Deum, propriam sanitatem & gloriam computamus. Et si aliter non possunt curari nisi nostra humilitate, vltro eis satisfacimus: nihil eis tulimus, nihil nocuimus, tametsi indignantur & sæuiunt contra Ecclesiæ medicamina, quibus vulneratis sanitas redditur. Nos, quæ scimus loquimur, & quæ didicimus, prædicamus, orantes vt qui Ecclesiasticas despiciunt regulas, normam recipiant veritatis, nec propter hominum confusionem, per quam difficulter errantes corrigi solent, perdant vtilitatem pœnitentiæ. Et nunc dicimus, & idem frequenter ingesimus, vagari eos nolumus, nec per alienas errare prouincias; sed ad extorres & furibundos cum Propheta clamamus, & loquimur: *Saluamini de terra, & reuertimini, & nolite stare, recordamini, qui procul estis à Domino, & Hierusalem ascendat super cor vestrum.*

*Hier. 51.*

Forsitā hæc audientes, Ecclesiasticæ cōgregationis amor subeat, & recordētur fraternæ in cōmune lætitiæ: hymnorum, quibus, cum cæteris, Dominū concinebant; frigusque odiorum, dilectionis calore commutent: & intelligant, nos medicos, non inimicos, indulgentissimos patres, non hostili tumentes superbia. Neque enim fieri potest, vt quos saluari volumus, perire cupiamus, & non eis, Ecclesiasticam virgam, conuerti in baculum, si tamen relinquentes errorem, veritatem sequi velint, & omittere temeritatem lasciuientium puerorum. Sin autem respuunt eam, & cōtemnentes Ecclesiasticam disciplinam, eleuant cornu suum contra regulas eius, & salutaria spernentes consilia, proiiciunt retrorsum, audiant Dominū comminantem: *Homo qui fecerit in superbia, vt non audiat sacerdotē qui stat ad ministrandū in nomine Dei sui, vel iudicem, quicūque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel, & omnis populus audiens timebit, & nō impiè aget vltra.* Verū ne occupati circa vulneratorū curationem, nostri immemores simus, & propria negligamus, ac iuxta quod scriptum est, *Aliis prædicantes, ipsi reprobi inueniamur*, commonemus, Stātes, vt caueant ne dum iacentibus manum porrigunt, ipsi corruant; & vt secuantes Ecclesiasticam disciplinam, futurum iudicium reformidēt. Igitur Dominicum Pascha celebrantes, sanctis Scripturarum purificemur eloquiis, & ad trophæa Saluatoris respicientes, cuncta offendicula, quibus vitæ nostræ curriculum retardatur, auferamus è medio: Auaritiam, quasi fœneratorem pessimum, declinantes, vanæ gloriæ cupiditatem, vt insatiabilem iugulemus feram, & fornicationis blandum ac lubricum colubrum, sollicitamente vitemus. Si quando nobis prosperior rerum aura successerit, humilitate & mansuetudine, tumorem animi temperemus. Si aduersi venti flauerint; † fortitudine, pressum & iacentem animum, suscitemus: ipsique, nostri peccati accusatores simus; † vt scientes, nosmetipsos corripiamus: & iugi meditatione virtutum, libertatem animæ, quæ vitiis oppressa est, recuperemus. Quapropter positi in certamine & sudore ac labore præsentium, futuram nobis Solennitatis cœlestis gloriam præparantes, priusquam stemus ante tribunal Christi, præterita peccata, pœnitentia corrigamus, præsenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conscientiæ in morem apium, noxios peccatorū fucos repellamus, plena cetis ac melle aluearia reseruantes. Curemus diuersa vitiorum vulnera; & rapi-

*Deut. 17.*

*1 Cor. 9.*

*Pascha quo pacto rectè celebretur.*

*† Alias fortitudinem præsumentes excitētē, &c.*

*† Alias, & scientes nos hos ita hœre principium.*

*Impossibile esse omnia solennitatis Dominicæ indignos fieri assistentes, &c.*

*Diuites repulsi.*

nas diuinum, quibus vel maximè hoc hominum capitis genus, crebris commonitionibus reprimamus: & sic poterimus imminentium ieiuniorum iter carpere, incipientes Quadragesimam à tricesima die mensis Mechir: & hebdomadam salutaris Paschæ, quinta die Mensis Phamuthi; finientésque ieiunia, secundum Euangelicas traditiones, vespere sabbati, decima die Phamuthi: & illucescente statim Dominica, festa celebremus vndecima die eiusdem Mensis; iungentes & septē reliquas hebdomadas sanctæ Pentecostes, vt cum iis qui Trinitatis vnam confitentur diuinitatem, in cœlis præmia recipiamus in Christo Iesu Domino nostro; per quem & cum quo, Deo Patri gloria & imperium, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum, Amen.

*Quadragesima obseruatio. Hebdomada Paschæ. 7. Hebdomadæ Pentecostes.*

Salutate inuicem in osculo sancto: Salutant vos omnes qui mecum sunt fratres. Et hoc necessario scribimus, vt sciatis pro sanctis & beatis Episcopis, qui in Domino dormierunt ordinatos esse; in Lemnado, † pro Hesone, Nasceam: in Erythro, pro Sabatio, Paulum: In Omboes, pro Syluano, Verrem. † His ergo scribite, & ab iis accipite Pacificas iuxta Ecclesiasticum morem, literas.

*Osculū sanctum.*

*† Limnado.*

*† Versus Pacificæ Episcoporum.*

à Nulli enim dubium. *Hæc citat Theodoritus Cyrensis, in Eraniste, Dialogo 3. ex Theophylacti Episcopi Alexandrini festiuo Tomo: Quo loco, proinde, non dubium est quin pro* Theophilo *perperam legatur* Theophylacto: *Insuper Epistolam hanc, festiuum Tomum nominari; quod de Paschali festo, ex proprio instituto agat.*

*Theophili, Alexandrinæ vrbis Episcopi, ad totius Ægypti Episcopos, Epistola Paschalis secunda, D. Hieronymo interprete.*

CHristum Iesum Dominum gloriæ, Fratres charissimi rursum consona voce laudemus, & alacres adsurgentes, Prophetæ verba complentes, qui dicit; *Cantate Domino hymnum nouum*, quotquot fidei perducentis ad regna cœlorum participes sumus, sanctæ solennitatis suscipiamus aduentum; & imminentia festa, totius nobiscum vrbis festiuitate celebremus: clamante vno de sapientibus. *Veni, comede in lætitia panem tuū, & bibe in corde bono vinum tuum, quoniam cōplacuerunt Deo opera tua.* Qui enim bonorum operum sunt; & lacte infantiæ derelicto, solidioris cibi alimenta suscipiunt; diuinos sensus altius intuentur, & saturati spiritali cibo, laudatorem & testem vitæ suæ habent Deum: & ad istiusmodi cōuiuas Ecclesiastes loquitur: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Vt virtutum veste circundati, splendorem Solis imitemur, & quotidiana lectio sanctarum Scripturarum, infundat oleum sensui suo, & paret mentis lucernam, quæ iuxta præceptū Euangelij, *luceat omnibus qui in domo sunt.* Igitur conuiuas tales, & qui sic passionis dominicæ festa concelebrent, æmulantes; cum Sancto dicamus; *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.* Festinemusque ad Angelorū metropolim, quæ libera est, & nulla malitiæ sorde maculatur: in qua nec dissensiones sunt, nec ruinæ, & de altero ad alterum transmigratio: omnique voluptate calcata, & compressis luxuriæ fluctibus, qui aduersum nos crebrius intumescunt, cœlestibus misceamur choris; vt iam nunc, illuc mente translati, & augustiora videntes loca, simus quod futuri sumus. Qua beatitudine indignos se fecere Iudæi, qui scripturæ sanctæ opibus derelictis, & † paupertati intelligentiæ adquiescentes; magis vsque hodie audiunt: *Semper errant corde.* Et nolunt præsente Christo dicere, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* Præsertim cū, omni voce, opera clariora, Deum illum esse testentur; & nequaquam dicere; *hæc dicit Dominus; sed ego dico vobis:* Per quæ ostendit se latorem legum, & Dominum Deum verum, & non esse vnum quemlibet Prophetarum; neque enim diuinitatem eius, quæ nullis locorum spatiis circumscribitur, adsumptio seruilis formæ

*Exhortatio ad festum & gaudium Paschale.*

*Eccl. 9.*

*Matth. 5.*

*Ps. 103.*

*† Paupertati intelligentiæ, qui se tenuem grossioremque ingesserunt vsque, &c.*

*Psal. 94. Psalmo 117.*

poterat obscurare: nec angustia humani corporis, ineffabilem maiestatis terminare virtutem, eius quem operum magnitudo Dei filium comprobat. Nam cùm frementis maris elatos gurgites & instar montium intumescentes, tranquillitati subitæ reddidisset (Apostolorum nauicula de naufragio liberata) & imperium præsentis Domini, aquarum profunda sensissent: cumque colluctantibus ventis, & ex omni parte fluctibus excitatis, tanta discrimina Saluatoris iussione cessissent; quasi diuino spiritu afflati qui pariter nauigabant; *Vere*, inquiunt, *filius Dei es*: non ambigentes de diuinitate, cuius magnitudinem opera loquebantur. De illo enim propheticum vaticinium est; *Tu dominaris fortitudini maris, & motum fluctuum eius tu comprimis.* Et ipse Propheta canticum signat, vt non solùm in verbo, sed & in virtute Deus verus, qui visus est, crederetur; excellentia operum, quod latebat, ostendente. Perfectus Deus propria voluntate quicquid humanæ fuit & naturæ & conditionis adsumens (absque peccato duntaxat, & malitia quæ nullam habet substantiam) infans nascitur, Emanuel adoratur; Magi de Oriente veniunt, Deum Dei filium genu posito confitentur: tempore passionis pendens in cruce, Solis obscurat radios, nouo inauditoque miraculo, diuinitatis suæ exprimens magnitudinem. at indiuisus & inseparabilis, nec in duos Saluatores quorundam errore seiunctus. Vnde & ad discipulos loquebatur: *Nolite vocare magistrũ super terrã, vnus est enim magister vester.* Christus. Neque enim cum hæc Apostolis diceret, à corpore, quod patebat aspectui, diuinitatis excellentiam separabat. Nec quando vnum se Christum Dei filium testabatur, animam diuidebat & carnẽ: non alter & alter, sed vnus atque idem vtrunque subsistens; Deus & homo, dum seruus videtur & Dominus adoratur: siquidem in humani corporis vilitate, ineffabilem celabat Deum, & rursum fragilitatem carnis, diuinis operibus excedebat. Et ne vnus quilibet sanctorum, vt à plerisq; æstimatum est, crederetur; sed ille quem & Paulus ostendere volens, scribit: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Et iterum: *Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est.* Quia vnus filius Patris, nostrique mediator, nec æqualitatem eius amisit, nec à nostro consortio separatus est, inuisibilis Deus, & visibilis homo: forma serui absconditus est; & Dominus gloriæ, confessione credentium comprobatur. Neque enim priuauit eum Pater, naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo & pauper effectus est, nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo; sed Filium vnigenitum: *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nec similitudo nostra in diuinitatis est mutata naturam; nec diuinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem; sed manens quod à principio erat, Deus verbum; & in se nos glorificans, non venit, vt iuxta Hieremiam diceret: *Heu mihi mater, vt quid me genuisti virum qui* † *iudicaret omni terra?* non profuit mihi quisquam qui libertatem damnaturus aduenerat. Nec iuxta Esayam vociferabatur, *Væ mihi, quia cum sim homo, & immũda labia habẽs, & in medio populi immũda labia habentis habitẽ, Regem Dominum sabaoth vidi oculis meis.* Ipse enim erat rex gloriæ, vt in vicesimo tertio Psalmo scriptum est: In patibulo victor existens, & hostilia bella compescens; vt hominem fictum ex humo, cœlorum habitatorem faceret, & trophæi sui communione donaret. Igitur quanquàm hoc nolint qui eum putant in alium commutatum, Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in æternũ, nunquàm habiturus regni sui finem, iuxta sceleratum Origenis errorem; ne cessante regno etiam æternitate priuetur, sed coram omnibus loquens: *Ego in Patre, & Pater in me*: Et docere nos cupiens, quòd & Pater in Filio, & Filius in Patre creaturis omnibus imperaret, & hoc ipsum roborans inferebat, *Ego & Pater vnum sumus*: ne quis, vnum suum patrisque regnum, humanæ carnis occasione diuideret. Quòd si iuxta Origenis insaniam aliquando amissurus est regnum Christus vnigenitus fi-

*Matth. 14.* *Ps. 88.* *Matth. 2.* *Matt. 23.* *1. Tim. 2.* *Luc. 3.* *Hiere 15.* † *Qui iudicet & discernat, omnes terra non profui, neque profuit mihi.* *Esaia, 6.* *Christi regnum esse perpetuum.*

A lius Dei: quomodo ipse Apostolis loquebatur: *Ego & Pater vnum sumus*: non vnum postea habiturus imperium? vt scilicet hic habeat gloriam, quam ibi depositurus est. Et vbi erit quod semper Filius in Patre; & Pater in Filio est, si regnum Filij non erit certum? Verùm qui ita se habere contendunt; si tamen non egerint pœnitentiam, pereant, & ad hos, zelo fidei pietatisque commotus loquatur Moyses: *Maledictus in ciuitate, & maledictus in agro*: Psalmista pariter increpante: *Deficiant peccatores de terra, & iniqui vt vltra non subsistant.* Equidem scire non possum, qua temeritate, Origenes tanta confingens, & non Scripturarum auctoritatem, sed suum errorem sequens, ausus sit cunctis in medium noxitura proferre, nec æstimauerit vnquàm vllum hominum fore, qui suis adsertionibus contrairet. Si Philosophorum argutias propriis tractatibus miscuisset, & malo exordio in fabulas B quasdam & deliramenta procedens, Christianum dogma ludum & iocum faceret, nequaquam diuinæ doctrinæ veritate vtens, sed humanæ mentis arbitrio; & in tantum seipso magistro intumescens superbia, vt non imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus Spiritu sancto contulit cum prioribus Apostolis Euangelium, *ne forti in vacuum curreret, aut cucurrisset*: sed ignorans quòd dæmoniaci spiritus esset instinctus, sophismata humanarũ mentium sequi, & aliquid extra Scripturarum authoritatem putare diuinum. Quiescant ergo aliquando, qui regni Christi finem somniantes, verbositatis Origenis cupiunt esse parasiti, nec, cum Fidelibus ambulantes, fidem quam non habent simulent: quin potiùs discant, quòd omnis fraudulentia aliud, & aliud ostendat, vt sub virtutis specie vitia celare nitatur. Etenim C cum crucis ignominiis, quam pro nobis passus est, non amiserit Christus esse Dominus gloriæ, iuxta beatum Apostolum, clamantibus, contrà, Iudæis: *Qui destruis Templum, & in triduo ædificas, saluum te ipsum fac; si filius Dei es, descende de cruce.* Et carne patiens, pendénsque in patibulo, fortitudinẽ propriæ maiestatis ostendit, Solem de cursu quiescere faciens: & signorum magnitudine, plenam fidei vocem, Latroni extorquens; *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Nunquam post resurrectionis gloriam perditurus est regnum, licet innumeros contra eum Origenes, blasphemiarum lapides iactet. Aut cuius est consequentiæ, perpetuitatem regni discipulis polliceri, & dicere, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione* D *Mundi*: & ipsum carere eo quod aliis tribuit; Vel quomodo scribente Paulo ad Corinthios, *Absque nobis regnatis, & vtinam regnaretis, vt & nos regnaremus vobiscum*: intelligi poterit, regnum Christi, post multa tempora terminandum? præsertim cùm Ioannes clamet: *Et qui desursum venit; super omnes est.* Et Apostolus scribat: *Quorum patres, & ex quibus iuxta carnẽ Christus, qui est super omnia Deus benedictus in æternum.* Itaque nulli dubium est, quin qui Deus permanet in æternum, simul habeat & regnum, & super ipsos quoque, quos regni possessione donauit, rex perpetuus appelletur, congruum, habens diuinitatis imperium, nec quicquam in se rude & nouum nisi adsumptionem fragilitatis humanæ. Si enim iuxta Origenis insaniam, post multorum circulos sæculorum, Christi regnum est finiendum, consequens imE pietatis eius est dicere, vt & Deus esse aliquando desistat: & qui regni terminos ponit, cogitur idem de diuinitate sentire, quæ perpetuitatem imperij naturaliter possidet. Quod si regnat Sermo Dei, vtique Deus est, & hac ratione colligitur, quicunque tentauerit finem regno eius imponere, ad id eum deuolui vt Christum credere compellatur, & Deum esse desinere. Sed hæc garriat magister indoctus cum peccatoribus impiis, nos Christi regnum credamus æternum, & in solenni die cantemus cum Angelo, atque dicamus; *Regni eius non erit finis*: si enim vnum cum Patre est; nunquam ex eo quod vnum est, cessaturus est: & vnio Patris & Filij nunquam diuidetur in partes: nec quod dicitur

*Deut. Psalm.* *Ludum humana quæ fecit Origenes ex Christo.* *Prædicat regnũ. Matth. 27.* *Luc. 23.* *Matth. 25.* *1. Cor. 4.* *Luc. æternum Christi regnum.*

vnum

vnum sunt, eliquando vnum esse desistent. Facessant igitur stulissimi mortalium, immò *descendant in infernum viuentes*, sicut Psalmista testatur, & præceptorem impietatis suæ ibi esse cerneores clamitent: *Et tu captus es, sicut & nos reputatus es; descendit in Infernum gloria tua &c.* Talis pastor gregis morbidi Christum vbique suggillat iniuriis, & diabolum bonore sustollit, dum illum edserit, porgatum vitiis atque peccatis pristinam aliquando gloriam recepturum; & hunc regnare desistere, simúlque cum diabolo sub Patris imperio redigendum, vt magis ad Origenis blasphemias quàm ad vociferationem Iudæorum Propheta mirabundus exclamet: *Obstupuit cœlum super hoc, & horruit valdè, dicit Dominus, eo quod duo mala fecerit* Origenes; Christũ adserens regnare desinere, & diabolum ad culmen, de quo ceciderat, ascensurum. Talē sceleris sui profundum lacum fodiens, qui aquas continere non possit; æqualem (quantum in se est) diabolum facit filio Dei; dum illi detrahit regni gloriam sempiternam, & imperio Patris eum subiicit cum dæmonibus. Verum istiusmodi vox impie proteratur, vt sciamus regnum Christi esse perpetuum, ipso loquente ad Discipulos suos, *Vos perseuerastis mecum in tentationibus meis, & ego statuo vobis testamentum æternum, vt bibatis & comedatis semper super mensam meam in regno meo.* Quomodò enim impleri potest hoc quod dicitur, *semper*, nisi perpetuum regnum sit & nullo fine claudendum? Quod & Magi intelligentes, vel si ad pœnitentiam studiosiùs percunctabantur: *Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus vt adoremus eum.* Magi fatentur Christum regem; & Origenes negat, dicens eum non perpetuò regnaturum, nec animaduertit se Iudæorum blasphemiis similem. Legimus in Euangelio, cùm Dominus atque Saluator, fortitudinis suæ & patientiæ exemplar ostendens, crucem scanderet; Pilatus inscripsit titulum, & posuit super caputeius.

*Damones saluandos asserit Origenes.*

*Luc. 22.*

*Matt. 2.*

*Ioan. 19.* IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. *Istum titulum multi legerunt Iudæorum, qui erat scriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato principes sacerdotum & Iudæorum, Noli scribere quod rex Iudæorum sit, sed quod ille se dixerit regem Iudæorum. Respondit Pilatus quod scripsi, scripsi.* Cùm ergo Pilatus nec seditione, nec precibus ad hoc potuerit adduci, vt regnum Christi de Titulo tolleret, sciat Origenes, absque vlla necessitate se hoc facere quod fecerunt Iudæi, vt regnum Christi æstimet terminandum. Illi quidem in terra positum, regem negebant, hic regnantē in cœlo, (quantùm in se est) detrahere nititur; vt accusatorē sceleris sui habeat Pilatum, qui Iudæis respōdit; *quod scripsi, scripsi.* Veniet & propbetalis sermo in medium, ac regnum Christi tota prædicet libertate: *Gaude filia Sion, prædica filia Hierusalem, lætare & exulta de toto corde tuo filia Israel, abstulit Dominus iniquitates tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum, Rex Israel in medio tui, non videbis vltrà mala.* Neque enim quos semel saluos fecit, iterùm præcipitabit è cœlo: & dimittet iuxta Origenis deliramenta & fabulas, vt rursum de sublimibus corruant. Et hoc quod dicitur; *non videbitis vltra mala*, æternæ securitatis iudiciũ est: quod qui semel fuerint liberati, & regni cœlorum possessione perfruitur, nequequàm vitiis trahentur ad terram, nec Dei priuentur auxilio, qui eis, iuxta eloquiũ propheticale, *ponet murum & circa murale*, sue eos virtute circundans. Vnde & Psalmista canit: *Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Et Dominus protestatur: *Non te dimittam, nec deseram.* Frustràque somniet ascēdere animas in cœlum, & descendere, & nunc proficere, nunc ad inferiora delabi? vt per ruinas innumerabiles sæpe moriantur, & Christi passio irrita fiat. Qui enim semel pro nobis mortuus est, æternam nobis victoriæ suæ lætitiam dedit, quæ nulla vitiorum mole tenetur. Nec quisquam hominum crebriùs moritur, quod Origenes ausus est scribere. Stoicorum impiissimum dogma, diuinarum, cupiens, Scripturarum auctoritate, firmare. Ve-

*Origenes Pilato deterior est.*

*Psal. 124*

*Origenes Stoicorum dogmata cõfirmauit per sacram Scripturam.*

A rùm quid ista memoramus, cùm in tantam irruperit victoriam, immò dementiam, vt aliud Saluatori crimen impinget; dicens, eum & pro dæmonibus ac Spiritalibus Nequitiis, apud Superos adfigendum cruci? Ne intelligit in quàm profundum impietatis corruet barathrum. Si enim Christus pro hominibus passus, homo factus est, vt scripturarum tollentur eloquia; consequens erit vt dicat Origenes; *& pro dæmonibus passurus dæmon futurus est*: hoc enim necessitate cogetur vt inferat; ne ab eo quod cœpit, discrepare videatur imitator, & illi enim Christo similiter loquebãtur; *Dæmonium habes: Et in Beelzebub principe dæmoniorum eiicis dæmonia.* Sed absit vt pro dæmonibus Christus passurus sit, † ne & ipse dæmon fiat. Et qui hoc credunt, rursum crucifigunt, & ostentui habent filium Dei; qui, nequaquam,

*Christũ pro dæmonibus passurũ Origenes fingit.*

*† Non valet consequentia.*

B *vt semen Abraham apprehendit*, ita adsumet & dæmonum, vt pro illis quoque crucifigatur. Nec dæmones, pro se, Deum in passione cernentes, cum Prophete clamabunt: *Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet.* Neque cum Esaia dicent: *Liuore eius sanati sumus.* Nec pro dæmonibus, sicut pro hominum genere, *quasi ouis* Christus ducetur ad victimam: Nec, pro eorum salute; dicetur: *proprio filio non pepercit*, quia nec dæmones clamabunt; *traditus est pro peccatis nostris, & resurrexit pro iustificatione nostra.* Paulus quidè scribit: *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas*: Illas, in testimonium, vocans; & volens, earum authoritate, firmare quod dubium est. Origenes autem, absque vllo diuinæ vocis testimonio, vim facere nititur veritati; & ex-

*Esa. 53.*

*Hier. 11.*

*1. Cor 15.*

C tincta lucerna inuenire eam, fautor dæmonum & non hominum. Crebris calumniis lacessit filium Dei, & denuò crucifigit, non intelligens in quàm profundam & horribilem impietatis voraginem detrahetur. † Consequens enim est, vt qui priore susceperit, suscipiat & quæ sequuntur: & qui pro dæmonibus Christum dixerit crucifigi, ad ipsos quoque dictum esse suscipiat: *Hoc est corpus meum*, Et, *Accipite, & bibite, hic est Sanguis meus.* Si enim & pro dæmonibus crucifigetur, vt nouorum dogmatum adsertor adfirmat; quod erit priuilegium aut quæ ratio; vt soli homines corpori eius sanguinique communicent; & non dæmones quoque, pro quibus in passione sanguinem fuderit? Sed nec dæmones audient: *Accipite, & edite*: Et; *Accipite, & bibite*; Nec Dominus sua præcepta dissoluet, qui discipulis ait:

*† Vid. est veri similiter consequens.*

D *Nolite dare sanctum canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Nam & Apostolus, *Nolo vos participes dæmonum fieri, non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participari, & mensæ dæmoniorum*: impossibile esse demonstrat, dæmones de calice Domini bibere, & de mensa eius participari. Cibus diaboli; negatores Dei sunt, Abacuc loquente: *Esca eius electa*, cibus ausem impiorum omnium execrabilis ipse diabolus. Prophetæ vaticinio concrepante: *dedisti eum escam populis Æthiopibus.* Ex quibus omnibus adprobatur, Christum pro dæmonibus non posse crucifigi; ne dæmones, Corporis & Sanguinis eius participes fierent. Cùm ergo & Apostolus de Saluatore significet quòd hoc fecit, *semel*,

*Matt. 7.*

*1. Cor. 10*

*Cibus diaboli. Abac. 1.*

E seipsum offerens: & Origenes tam audaciter illius sententiæ contradicat, tempus est illud inferre: *Terra, terra audi verbum Domini, scribe virum istum abdicatum.* Quis enim infernus hæc mala suscipere potest? Qui Tartarus, de rebus istiusmodi cogitare? Quæ Gigantum insania tam rebellis exitit, & turrim impietatis extruxit? Quæ libido lasciuiens & dæmonum amore deperiens, sic vniuerso dogmati transeunti diuaricauit crura mentis suæ? Quis in tantum de Sodomitice vinea bibit, vt inebriatus vino furoris eius, toto corde conciderit? Quis Babyloniorum, ita, fluminum gurgitibus irrigatus, viuos Israël fontes reliquit? Quis egrediens de Hierusalem, & Hieroboam filij Nabath imitator ex-

*Hier. 22*

stens, tot errorum altaria fabricatus est, & ararum profana thura succendit? Cur Dathan & Abiron, qui minora peccarunt, non veniant ante tribunal Christi; & sui comparatione condemnent eum, qui extra Ecclesiam Saluatoris variarum doctrinarum thuribula diabolico igne compleuit? *Acerbe contra Origen.* Neque enim Dominus qui loquitur per Prophetam; *Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum adsimilatus sum,* adulterinas eũ docuit proferre doctrinas: nec qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt verbi Dei; nec Prophetarum chorus, qui olim vocabantur Videntes; hæc eum instituit: sed ipso, suæ mentis arbitrio, furori dæmonum seruiens, & blando cogitationum errore deceptus; gregem, &, vt ita dicam, examen dogmatum peruersorum, per totum orbem immisit mentibus indoctorum. Iste est qui Assyriis, Babylonisque fluminibus aperuit os suum; qui nauem Ecclesiæ, bonarum mercium plenam & doctrinæ salutis, fluctibus operire conatus est, *Nauis Ecclesiæ.* dum Imperatorum laude sustollitur, & scripturarum sensum aliter quàm se habet veritas, edisserens, gloriatur in confusione sua. Quis enim tam innumerabiles, & garrulos, & verbositatis atque imperitiæ plenos conscripsit libros, & infatigabili studio dies noctesque coniunxit, vt errorum monimenta dimittẽs, mereretur audire: *Origenis studia.* *Multis itineribus tuis deceptus es?* Vsus est enim duce pessimo, Aura populari; & plurimis falsę scientiæ voluminibus exaratus, ac rebelli contra Deum mente pugnans; vnguento cælestium doctrinarum, saniem quandam & pedorem sui fœtoris immiscuit, vt rursum ad suam animam diceretur: *Immunda & famosa, & nimia iniquitatibus.* *Psal. 4.* Neque enim Prophetam audire voluit commonentem: *Quare diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Qui pro dæmonibus Christum adfigit cruci, vt non solùm Dei & hominum, sed dæmonum quoque mediator fiat. Verùm absit tam immane nefas de Saluatore credere, vt templum corporis sui, quod pro nobis suscitare dignatus est, amissurus; aliud sibi templum dæmoniacæ conditionis adfigat; vt illorum quoque recepta similitudine, pro ipsis patibulum subeat. Obsecro, Fratres charissimi, vt ignoscatis dolori meo, doctrinis impiis resistenti: dum enim impudentiam sectatorum eius repercutere nitimur, compagem loricæ ipsius, & venenati pectoris fraudulentias in medium protulimus; vt illud quoque compleretur in eo: *Reuelabo ignominiã tuam, & ostendam eam amatoribus tuis.* Nam inter cętera, etiam Resurrectionem à mortuis; quæ spes salutis nostræ est; ita corrumpit & violat, vt audeat dicere, corpora nostra rursum corruptioni & morti subiacentia suscitari. *Error Origenis de corruptione corporũ suscitatorum.* Responde mihi, ô impietatis caput, quomodo iuxta Apostolum Paulum vicerit Christus, eum qui mortis habebat imperium; hoc est, diabolum: si corruptibilia & mortalia iterùm corpora surrectura sunt? Quid nobis profuit Christi passio, si mors atque corruptio denuò nostra corpora possessura est? Aut quid sibi vult Apostolus, scribens; *1. Cor. 15.* *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur;* si resurgentibus, mors sæua dominabitur? Vel quomodo, qui ista credunt, possunt ex animo dicere; *Christus Dei virtus, & Dei sapientia;* volentes illo fortiorem esse mortem; quæ, suscitata ab eo corpora, delesura est, nec probetur ex omni parte superata? Verum & Origenem tam impiè resistentem, Christus Dominus noster, & mortem vicit; & diabolum, qui habebat mortis imperium, sua virtute destruxit, parans nobis in cœlo victoriarum suarum triumpho. Nec idcircò corpora suscitabit, vt rursum perirent; sed, illorum incorruptione, perpetuam mortem corruptionemque delevit. Vnde liberati à cunctis malis, passionis Dominicæ festa celebremus: & iuxta Euangelij parabolam, cernentes à sapientia immolari *tauros & altilia,* *Matth. 22.* vescamur fortioribus, plenisque neruorum, & pinguioribus doctrinarum cibis; vt lac infantiæ deserentes, solidiora capiamus alimenta, causamque malorum omnium fugiamus, imperitiam: quæ cum multorum, diuersis hæresibus,

A vinxerit pedes, Origene maximè sui fruitur amatore, qui inter cætera ausus est dicere. Non esse orandum Filium, neque cum Filio Patrem; ac post multa sæcula, Pharaonis instaurabit blasphemiam, dicentis; *Origenis error de non orando Filium.* *Quis est vt audiam vocem eius? nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Nec est aliud dicere, *nescio Dominum*: quàm hoc quod Origenes, non est orandus Filius quem certè Dominum confitetur. Et quanquam ille in tam apertam proruperit blasphemiam, tamen orandus est; de quo, Propheta testatur dicẽs: *Nescio domin.* *Et adorabunt te, & in te deprecabuntur, quia in te est Deus, & absque te non est Deus.* Et rursũ: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Et Paulus disputãs, *Quomodo,* inquit, *inuocabunt, in quem non crediderunt.* Oportet primùm credere, quod Filius Dei sit; vt recta & consequens fiat eius inuocatio. *Rom. 10.* Et quomodo orandus nõ B est, qui non est Deus; sic econtrario, quem Deum esse constiterit, adorandus. Vnde & Stephanus positis genibus, & obsecrans pro his qui se lapidibus obruebant, dicebat ad filium: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* *Act. 7.* *In nomine,* quoq; *Iesu Christi omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quod autẽ dicitur *genu flectetur*, sollicitæ & humillimæ orationis indicium est. Itaque nec Deum credit Origenes, Filium Dei; quem non putat adorandum, & lacerat eum conuiciis: *Genu flexio in Oratione quid indicet.* cumque sibi in Scripturarum memoria blandiatur, & putet se eas intelligere; non audit contra se loquentem Moysen: *Homo qui maledixerit Deum, peccatum habebit: & qui nominauerit nomen Domini, morte morietur; lapidibus obruet eum omnis multitudo.* *Leuit. 24.* At quis tantis Christũ adficit contumeliis, vt hic, qui ausus est dicere, non debet orari: cassum tan- C tum ei diuinitatis nomen indulgens? Verùm quid necesse est in tam impiis immorari? ad alium eius transeamus errorem. Dicit, corpora quæ resurgunt, post multa sæcula in nihilum dissoluenda, nec futura aliquid, nisi cùm de cœlorum mansionibus, animæ ad inferiora dilapsæ indiguerint nobis; quæ alia rursum fiant, prioribus omnino deletis. *Origenes credit nouũ corpus indignis resurgentes.* Quis ista audiens, non & mente & corpore pertremiscat; Si enim post resurrectionem corpora redigentur in nihilum; fortior erit mors secunda quàm prima, quæ delere omninò poterit substantiam corporalem. Cur Paulus scribit sic. *Rom. 6.* *Mors non dominabitur illius, quod enim mortuum est peccato, mortuum est semel;* si corpora delenda sunt penitus? Aut quomodo hoc quod dicitur; *semel;* firmum erit, cùm caro, ab animæ consortio separata, redigenda sit in nihilum? Qua ratione *1. Cor. 15.* D rursus adiunxit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur in ignobilitate, resurget in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale?* Si enim incorruptio in nihilum redigit, consequens fuerat dicere, corruptioni ea in perpetuum reseruari, essetque fortior incorrupto corruptio. Sed absit, Paulum contraria sibi scribere, & incorruptionis eandem esse naturam. Quòd si, vt falsò putat Origenes, non solùm corruptibile, sed & mortale corpus est suscitandum, ergo vnum atque idem, corruptio & incorruptio, mors & vita dicentur, & eandem habebunt in suscitatis corporibus potestatem; & nequaquam rebus, sed tantùm nominibus corruptio & incorruptio, mors & vita separabuntur: sin autem corruptibile & mortale corpus resurrecturum est, con- E sequentius fuerat Apostolũ dicere: *Seminatur in corruptione, surget in corruptione. seminatur in infirmitate, surget in infirmitate: seminatur in ignobilitate, surget in ignobilitate, seminatur corpus animale, surget corpus animale.* Quòd si corruptionem & infirmitatem & ignobilitatem amouet à corporibus suscitatis: & dicit econtrario, incorruptione; & fortitudine & gloria, corpora vestienda, & pro animali, spiritale corpus esse reddendum, soluta erit mors, & in corporibus suscitatis, pro morte & corruptione, immortalitas incorruptioque regnabunt: quia & ipsum corpus immortale & incorruptum resurget, vt possit permanere animæ coæternum. Igitur & *Christi Resurrectio.* Saluator pignus salutis, nostris corporibus, in resurrectione

rectione sui corporis tribuens, non potest credi vltra moriturus, Apostolo in hanc sententiam congruente: A *Christus resurgẽs ex mortuis, vltra nõ moritur, mors nequaquàm dominabitur.* Nisi illius fuerit dominata, nec dominabitur nostri. Confundatur Origenes, inter cætera flagitiorum genera quæ confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, quod in Tractatibus suis, his locutus est verbis: Ars magica non mihi videtur alicuius Dei subsistentis vocabulum: sed & si sit, non est operis mali, ne quid habere possit contemptui. Hæc dicens vtique fautorem se esse demonstrat Elymæ Magi, qui Apostolis repugnauit, & Iamnæ atque Mambræ, qui Moysi, magicis artibus, restiterunt. Sed nullas, Origenis patrocinium, habebit vires, quia Christus Magorum præstigias suo deleuit aduentu. Respondeat nouæ impietatis adsertor, immò apertè audiat. Si non est malum ars magica, non erit malum, & idololatria quæ artis magicæ viribus nititur. Quòd si malum est idololatria, malum erit & ars magica, ex qua subsistit idololatria. Cùm autem idololatria Christi maiestate deleta sit, indicat, & patentem suam artem magicam, secùm pariter dissolutam, Propheta super hoc liquido proclamante: *Sta nunc in incantationibus tuis, & multis veneficiis tuis, quæ didicisti ab adolescentia tua, si potuerint prodesse tibi.* Cũ igitur hæc Prophetarũ scripta testentur, & nullus vnquam ausus sit memoriæ prodere, magorum artes inter optima quæque numerandas, Leges quoque publicæ, Magos & maleficos puniant: scire non possum, qua ratione impulsus Origenes, qui Christianum se iactat; Sedechiæ Pseudoprophetæ æmulator existens, cornua sibi ferrea fecerit, quibus contra dogmata veritatis armatus incedat, nec C sapiat quicquam de cœlesti Hierusalem, neque imitetur Moysen, & Danielem, Petrumque, & alios Sanctos, qui contra Magos & incantatores, quasi in acie stãtes indefesso certamine dimicarunt. Cum quibus Festæ diei ducamus choros, quòd per media Babylonis pericula transeuntes, Origenis venena vitauimus, & obediuimus Prophetæ sermonibus, imperantis: *Egredere de Babylone, qui fugis de terra Chaldæorum*, vt ingrederemur Hierusalẽ, in qua prædicatio veritatis est. Quanquàm, mẽdacio resistentes, passi sumus aliquid trium puerorum, qui in camino æstuantis incendij, flammarum vicere naturam: tamen non præualuit contra nos ignis Babylonius, nec capilli nostri adusti sunt, extrema videlicet Ecclesiasticæ dogmata veritatis, nec sataballa mutata, quæ in D protectionem animarum, testimoniis Scripturę sanctæ, nobis sapientia texuit, nec odor ignis in nobis est peruersæ scientiæ flamma discurrens: non enim acquieuimus doctrinæ eius, qui propter lapsus rationabilium creaturarum, corpora fieri suspicatur, & dicit, iuxta græci sermonis etymologiã, animas idcircò vocitatas, quòd calorem mentis, & in Deum feruentissimæ charitatis, amiserint, vt ex frigore nomen acceperint: ne & Saluatoris animam, iisdem subiacere nænis sentiremus. Solis quoque & lunæ ac stellarũ cursus, & totius mundi pulcherrimam in diuersitate consonantiam, non adserimus, ex causis præcedentibus, variisque peccatis & animarum vitiis accidisse: nec bonitatem Dei multo tempore præstolatam, vt non ante faceret visibiles creaturas, nisi inuisibiles deliquissent. Nec vanitatem appellamus, sub- E stantiã corporalem, vt ille æstimat, aliis verbis in Manichæi scita cõcideos, ne & Christi corpus subiaceat vanitati, cuius edulio satiati, ruminamus quotidie verba, dicentis: *Nisi quis comederit carnem meum, & biberit sanguinem meum, non habebit partem mecum.* Nam si natura corporea vana est & futilis, iuxta Origenis errorem, cur Christus resurrexit à mortuis? quare nostra corpora suscitabit? Quid sibi vult Paulus scribens; *Si mortui non resurgent, nec Christus resurrexit, si autem Christus non resurrexerit, vana est fides nostra?* Ex quo perspicuum est, non corporum naturã esse vanam, sed eos credere vanitatem qui non putant eam resurgere & manere perpetuam. Honorabiles quoque condemnat nuptias, negãs subsistere corpora, nisi prius animæ in cœlo peccauerint; vt A inde præcipitatæ, quasi quibusdã ergastulis, corporũ vinctæ fuerint. Et ille quidẽ sentiat vt vult, loquatur vt non timet; audiat nos, cum Paulo, suis auribus inclamantes; *Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum.* Et quomodo immaculatũ? si anima, vitiis sordidata carne circundatur? Et culpæ subiacebit Anna vxor Helcanæ, semen virorũ postulans; vt propter desideriũ mulierculę, animæ in cœlis periclitẽtur; & vna earum, peccato grauata labatur in terrã, ac pristinam beatitudinem deserat. Nec Moyses imprecans & dicens: *Dominus Deus vester multiplicet vos, & ecce estis hodie sicut stellæ cœli in multitudine. Dominus Deus patrum vestrorum addat vobis sicut estis millies, & benedicat vt locutus est.* Hoc petebat; vt animarũ in cœlo, cateruæ peccãres, Israëlitici populi gentẽ cõ- B derẽt. Quod esse discrepãs, apertissimè patet; vt qui pro delicto populi precabatur: *Si dimittas peccatum hoc, populo dimitte; sin autem dele me de libro quem scripsisti.* Postulet multiplicari filios Israel, quos nouerat animarum ruinis crescere: & nõ ecõtrario precaretur, ne propter vitia melioris substantiæ, natura vilior cõderetur. Cur Dauid imprecatur in Psalmo; *Benedicat te Dominus ex Siõ, & videas quæ bona sunt in Hierusalem omnib. diebus vitæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum,* si animarum per caro, iusti viri augetur genus? Et audet dicere: *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum,* cũ sciat, animas delinquẽtes, corporũ vinculis alligari, & in huiuscemodi carcere, iudicio Dei pœnas luere peccatorũ? Quomodo Deus loquitur per Prophetã: *Si audisses præcepta mea, fuisset vtiq; quasi fluuius pax tua, & iustitia tua sicut fluctus maris, &* C *sicut arena semen tuum, & soboles vteri tui vt puluis terræ?* Qui enim Dei præcepta conseruant, non debent accipere præmiũ, animarũ de cælo ruinas; quæ ligatæ corporibus, sobolis eorũ incremẽta multiplicent. Si autẽ volunt discere, quæ sunt humani generis exordia; audiant dicentẽ Moysem, *Tulit Deus de terra, & finxit hominem, & insufflauit in faciem eius spiritũ vitæ, factus est homo in animã viuentem,* id est, immortalẽ. Deus quoque benedicẽs Adam, & Euæ, ait; *Crescite & multiplicamini, & replete terrã.* Si animæ post peccatũ mittuntur in terras, vt nascantur in corporibus, non erat rationis, benedici Adã & Euę; cùm, causa peccati, maledictionẽ potiùs mereretur. Deniq; postquàm blasphemauit eos, benedictionis vocibus prosecutus est, quos posteà, voluntate peccantes, maledictione percussit. Ex quibus colligitur, nequaquã D propter animarũ peccata, corporũ substitisse naturã. Audiant rursũ dicentẽ, *Ego feci terrã, & hominem in ea.* Et Dauid *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Et cessent vltra cogitationũ suarũ errores sequi, & Scripturarũ magis auctoritate ducantur. Sicut enim qui voluptatibus eneruati sunt, & quorũ in pectore libido dominatur; contemplantes corporum venustatem, non quærunt morum pulchritudinem, sed membrorũ, sensusque eorum prægrauatus fæce terrena, nihil altius intuetur: sic qui structa verborũ compositione ducuntur, & capti eloquentiæ sono non intuentur dogmatum veritatem, erubescunt errorẽ pristinum confiteri, & arrogantiæ tumore cæcari, nolunt esse discipuli, ne postquã correcti fuerint, prius errasse videantur. Abiectis itaque Origenis malis, & Scripturarum, quæ vocantur apocry- E pha, id est abscondita, decipulis prætermissis (*non enim in abscondito locutus sum*, ait Dominus) iterũ atque iterũ Fratres charissimi, Dominicæ passionis festa celebremus fidẽ conuersatione decorãtes: misericordia in pauperes, imitemur Deum cui nulla corporalium naturarũ forma consimilis est. Habeamus in cunctos imaginem bonitatis eius, pœnitentia emendemus errores, oremus pro inimicis, pro detractoribus obsecremus, æmulantes Moysen, qui Sororis contra se loquentis culpam oratione deleuit. Oleo eleemosynæ, peccatorum sordes lauemus, Captiuorum vincula nos videantur adstringere, & propitium illis imprecemur Deum. Clausos carcere, humanitas diurna sustentet; & his quorum cor-

*Origenis sententia de magia.* — *Act. 13.* — *Idololatria ex auctoritatis dicibus artis magicæ.* — *Leges publicæ mergos & veneficos puniunt.* — *Dan.* — *Animæ vnde nominatæ iuxta Origenem.* — *Ioan. 6.* — *1. Cor. 15.* — *Origenes corpora humana, ergastula quædam animarũ fincit.* — *1. Reg. 1.* — *Psal. 127.* — *Anima viuens qua intelligatur.* — *Genesis 1.* — *Hier. 27.* — *Ps. 113.* — *Apocrypha digna Paschatis celebratio Misericordia in pauperes.*

tem peccatoris, quantum vt reuertatur & viuas. Et iterũ, A
*Rom. 14* Nonne (ait) qui ceciderit, resurget: & qui auersatus fue-
rit conuertetur? Et Apostolus dicit, *Potens est Deus statue-
re illum*. Apocalypsis, etiã septẽ Ecclesiis, nisi pœniten-
tiam egerint, comminatur. Nec vtique, non pœnitenti-
bus comminaretur, nisi ignosceret pœnitentibus. Etiã
*Apoc. 2.* ipse Deus dicit, *Memento ecce vnde cecideris, & age pœ-
nitentiam*. Et iterum *cum conuersus ingemueris, tunc sal-
uaberis, & scies vbi fueris*. Nec quisquã adeo peccatri-
cis animæ vilitate desperet, vt se iã nõ necessarium Deo
credat. Neminẽ nostrum perire vult Dominus, etiã mo-
*Luc. 15.* dici & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini,
ecce in Euangelio Drachma requiritur, & vicinis inuẽta
monstratur Ouicula, suppositis reportanda ceruicibus,
non est onerosa pastori. Super vnum peccatorem pœ-
nitentiam agentem in cœlis Angeli gaudent, & chorus B
cœlestis exultat. Heus tu peccator, rogare ne desinas:
Vides vbi de tuo reditu gaudeatur; Amen.

## SANCTI PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI, SERMO AD FIDELES & Catechumenos, de Baptismo.

*Non dubitauit, Titulo huius Operis verba hæc adijcere;* Sermo ad fideles & Catechumenos, *quod præsenti-
bus Catechumenis habitum fuisse ab Episcopo hunc Ser-
monem, perspicue indicet quod statim initio;* Vestri me
tantum cura sollicitat, *inquit*, & horum maximè
Competentium: *Quippe Catechumeni olim Competen-
tes dicebantur.*

*Orationis initiũ quale decet virum sanctissimum Competentes.* APerire desidero qualiter in baptismo nasca-
mur, & qualiter innouemur. Verbis sanè
ipsius loquar, fratres, ne fortè me ob nito-
rem sententiarum, stylo exultasse credatis, C
& vt rem mysticam intelligere possitis, atque vnicam in-
culcare possim, gloriam non requiro, Dei enim solius
gloria est. Vestri me tantum cura solicitat, & horum ma-
ximè Competentium, si quomodo possim intelligere
tantæ fœlicitatis examen. Aperiam igitur quid fuerit
ante, Gentilitas, quid Fides præstet, quid Baptismus in-
dulgeat, Quod si ita (vt ego sentio) vestra corda pene-
trauerit, iudicabitis, fratres nullam nobis adhuc prædi-
cationem amplius præstitisse. Accipite ergo, dulcissimi,
homo, ante Baptismum, in qua morte sit positus. Scitis
certè illud antiquum, quod Adam terrenæ origini præ- D
stitutus sit, quæ vtique damnatio, legẽ illi æternæ mor-
tis imposuit; & omnibus ab eo posteris quos lex vna re-
tinebat, hæc mors in genus omne dominata est, *ab Adã
*Rom. 5.* vsque ad Moysen*. Per Moysen verò, vnus tãtum populus
electus est, semen scilicet Abrahæ, si mandata iustitiæ
*Luc. 15.* seruare potuisset. Interea nos omnes sub peccato tene-
*Seruiens Dæmonibus, miserrimũ est.* bamur, vt fructus essemus mortis: siliquarum escis &
pecorum custodiæ destinati, id est, operibus immun-
dis, per malos angelos, quibus dominantibus, nec facere
licuit nec scire iustitiam: parère enim talibus dominis,
*Genes. 3.* res ipsa cogebat. Ab his potestatibus & ab hac morte
† qualiter liberati simus, attendite. Adam postquàm pec-
cauit (vt retuli) dicente tunc Domino, *Terra es, & † in
*† Alias, in terram.* terrã ibis*; addictus est morti. Hæc addictio, in genus E
omne defluxit: Omnes enim peccauerũt, ipsa iã vrgente
*† In Mundum.* natura, sicut Apostolus dicit; *Quia per vnum hominem †
peccatum introiuit, & per delictum mors, & sic in omnes ho-
*Rom. 5.* mines deuenit, in quo omnes peccauerunt*. Dominatũ est er-
*De peccato Originis loquitur.* go peccati cuius vinculis quasi captiui, trahebamur ad
mortem; mortem scilicet sempiternam. Hoc verò pec-
catum, ante Legis tẽpora, nec intelligebatur sicut Apo-
*Rom. 3. &* stolus dicit: Donec enim Lex poneretur, peccatum in
*7. b* mundo non habebatur, hoc est non videbatur, ad Legis
*Exod. 20.* aduentum reuixit. Apertum est enim vt videretur, ve-
*† Peccatũ ratione ante & post legẽ.* rùm frustra, quia id prope nemo seruabat, dicebat enim

† *Non loquitur de absoluta coactione sed de necessitate conditionata, & ex suppositione.*

Lex: *Non mœchaberis, non occides, non concupisces*, tamen
A cõcupiscentia cũ vitiis omnibus permanebat, ita pecca-
tum istud ante Legem occulto gladio interfecit homi-
nem, Lege districto. Quæ igitur spes homini? sine Lege
ideo periit, quia peccatũ videre non potuit, & in Lege,
ideo quia in idipsum quod videbat, incurrit. Quis eum
ab interitu potuit liberare? Audite Apostolũ: *Miserrimus
† ergo homo! Quis me liberabit à corpore mortis huius? Gra- *† Alias, ego.*
tia* (inquit) *per Dominum nostrum Iesum Christum*. Quid
est gratia? peccati remissio; id est, donũ. Gratia enim do- *Rom. 7.*
num est: Ergo Christus adueniens hominẽmque susci- *Christus peccati seruitute hominẽ liberauit.*
piens, ipsum illum hominẽ de potestate peccati purum
& innocentem Deo primus exhibuit. Dicit Esaias: *Ecce
virgo* (inquit) *in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis
nomen eius Emmanuel, butyrum & mel manducabit, prius- *Isa. 7.*
B quã sciat aut proferre malum, aut eligere bonum*. Et de ipso
iterũ: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore *1. Pet. 2.*
eius*. Sub hoc innocentiæ patrocinio, vt primùm defen-
sionem hominis aggressus est Christus in ipsa carne pec-
cati, cõtinuò ille peccati inobediẽtiæ Parens, qui primos
homines aliquãdo deceperat; festinare incepit, æstuare,
trepidare: Vincẽdus enim erat soluta Lege peccati, qua sola
hominem vel obtinuerat, vel poterat obtinere. Arma- *Christus quarto a Dæmone tentatus.*
tur ergo in aciem spiritualem, aduersus immaculatum;
ac primùm, eo artificio quo in Paradiso Adam vicerat;
specie dignitatis aggreditur; & velut sollicitus de pote-
state cœlesti, *Si filius Dei es* (inquit) *dic vt lapides isti fiãt *Matt. 4.*
panes*: vt dũ erubescit, aut non vult dissimulare se Filium
Dei; tentantis iussa compleret. Ecce adhuc non tacet,
suggerens vt si se misisset ex alto, acciperetur manibus
C Angelorum, quibus mandasset Pater vt humeris eum
ferrent, ne fortè offenderet ad lapidem pedem suũ, dum
probare vult Dominus se esse de quo Pater istud man-
dasset facere quod Tentator vrget. Elisus nouissimè
coluber, quasi iam cederet, ipsa illa quæ primo homini
eripuerat, Mundi regna promittit; vt dum vicisse se cre-
dit hominis Aduocatũ, recepto (quod defendebat) im-
perio, inclinaret ad dictam ab Impio dignitatem, ac sic
aliquando peccaret. Verum in his omnibus superatur
Inimicus, & cœlesti virtute dissoluitur, sicut Vates ad
Dominũ, *vt † resoluas* (inquit) *Inimicum & vindicatorẽ, *Psal. 8.*
quoniam videbo cœlos opus digitorum tuorum*. Debuerat ce- *† καταλῦσαι pro resolue & destrue.*
dere Diabolus; necdum tamen desinit. Scribas & Pha-
risæos & omnem illam impiorũ cateruam, notis subor-
nat insidijs, furoribus agitat. Igitur illi post varias artes
D & corda mendacia, quibus Dominum more serpentis
obsequentia decipere cogitarunt; postquã nihil profi-
ciebant, nouissimè eum aperto latrocinio & crudelissi- *Christus in passione irritatus.*
mo genere passionis aggressi sunt: vt vel indignitate re-
rum, vel dolore pœnarũ aliquid iniustum aut faceret, aut
diceret, atque ita perderet hominẽ, quem gerebat, & re-
linqueretur anima eius apud Inferos, quibus vna Lex fuit
vt peccatorẽ tenerent *Aculeus enim mortis peccatum* Per- *1 Cor. 15*
stitit ergo Christus, *& peccatum non fecit, nec dolus inuen- *& Isa. 53.*
tus est in ore eius*, vt diximus, nec tum quidẽ cum ad victi-
mam duceretur. Hoc fuit vincere, sine peccato condẽ-
nari. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatẽ,
quam sibi ille super immaculatum vindicauit; ac sic ipse
superatus est id decernens super Iustũ quod illi per legẽ
quam acceperat non licebat. Vnde prophetes ad Domi- *Psal. 50.*
E num; *Vt iustificeris*, inquit, *in sermonibus tuis, & vincas *Col. 2.*
cum iudicaris*. Atque ita, sicut Apostolus dicit, *transductis
potestatibus Christus condemnauit peccatum in carne affi-
gens illud cruci, & chirographum mortis absoluens*. Inde
est quòd non *dereliquit Deus animã eius apud inferos, ne-
que dedit Sanctum suum videre interitum* inde quòd cal- *Psal. 15.*
catis mortis aculeis, die tertia resultauit in carne, recon-
cilians illam Deo & restituens æternitati, victo erasò-
que peccato. Sed si solus ille vicit, quid cæteris contu-
lit? Breuiter audite. Peccatum Adæ, in genus omne
transierat: *Per vnum enim hominem* (sicut Apostolus di-
cit) *delictum introiuit, & per delictũ, mors; sic & in omnes *Rom. 5.*
homines deuenit*. Ergo & iustitia Christi, necesse est vt

Io Genus

in Genus transeat: ac sicut ille per peccatum stirpem A suam perdidit; ita Christus, per iustitiam, Genus suum omne viuificet. *Ibidem.* Hoc vrget Apostolus dicens: *Vt sicut per inobedientiam vnius, peccatores constituti sunt multi, sic per dicto audientiã vnius, iusti constituantur multi: Ac sicut regnauit delictum in mortem, similiter & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Dicet mihi aliquis; Sed peccatum Adæ meritò transiuit in posteros, quia ex ipso geniti erant: Et nunquid nos à Christo geniti sumus, vt propter ipsum salui esse possimus? Carnalia cogitare nolite; iam videbitis qualiter Christo parente generemur. Nouissimis temporibus animam vtique cum carne accepit Christus ex Maria, hanc venit saluam facere, hanc apud inferos non reliquit, hanc spiritui suo coniunxit, & suam fecit. *Genes. 2. Christianorum generatio in Ecclesia.* Et hæ sunt nuptiæ Domini, vni carni coniunctæ, vt secundùm illud magnum sacramentum, fierent duo in carne vna, Christus & Ecclesia. B Ex his nuptiis Christiana plebs nascitur, veniente desuper Spiritu Domini; nostrarúmque animarum substantiæ, superfuso & admixto protinus semente cœlesti, visceribus matris inolescimus, aluóque eius effusi viuificamur in Christo. *1. Cor. 15* Vnde Apostolus: *Primus Adam, in animam viuentem, nouissimus Adam, in spiritum viuificantem.* Sic generat Christus in Ecclesia, per suos sacerdotes, vt idem Apostolus; *1. Cor. 14 e* *in Christo autem ego vos genui.* Atque ita, Christi semen, id est Dei spiritus nouum hominem aluo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur, qui non credidit, aut genitus à Christo, qui spiritum ipse non recepit. *Actor. 8. e* Credendum est igitur posse nos nasci. Sic enim ait Philippus: *Si credis, potes.* *Ioan. 1.* Recipiendus est Christus vt generet, quia sic Ioãnes Apostolus dicit, *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* *Chrisma in Baptismo.* Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi Lauacri & Charismatis & Antistitis sacramẽto. Lauacro enim peccata purgantur, Charismate sanctus Spiritus superfunditur, vtraque verò ista, manu & ore Antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur & innouatur in Christo; *Rom. 6.* vt sicut resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus, id est, vt depositis vitæ veteris erroribus, idolorum seruitute, crudelitate, fornicatione, luxuria, cæterisque vitiis carnis & sanguinis, nouos, per Spiritum, mores sequamur in Christo, fidem, pudicitiam, innocentiam, castitatem. Ac sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus & eius qui de cœlo est; *1. Cor. 15* *Quia primus homo de terra, terrenus; secundus à cælo, cælestis.* Quod agentes, dilectissimi, iam non moriemur amplius. Etiam si in hoc corpore resoluamur, viuemus in Christo, sicut ait ipse; *Ioan. 11.* *Qui in me crediderit, licet moriatur, viuet.* Certi denique sumus, ipso teste Domino; & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes sanctos, Deo viuere. Denique de his ipsis ait Dominus, *Matt. 22. e* *omnes ante illũ viuunt, Deus enim viuorum est, non mortuorum.* *Marc. 12. e* Et Apostolus de se dicit: *Mihi viuere Christus est, & mors lucrum: optarem dissolui & cum Christo esse.* *Luc. 20. f* Adhuc: *Nos autem dum in corpore hoc sumus, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* *Philip. 1. Cor. 5. b* Hoc est quod credimus, dilectissimi fratres. Cæterũ si in hoc sæculo speratores sumus; miserabiliores omnibus hominibus sumus. Vita Mundi, & pecudibus, & feris, & alitibus, vt videtis ipsi, aut nobiscũ est cõmunis, aut longior. Et illud, hominis proprium, quod per Spiritum suum dedit Christus; id est, vita perpetua; sed si iam non peccemus ampliùs. Quia sicut mors scelere acquiritur, virtute vitatur, ita vita sceleribus amittitur, virtute retinetur. B *Stipendia ergo peccati mors, donum Dei, vita æterna per Iesum Christum Dominum nostrum.* *Rom. 6.* Ante omnia vos tenete, paruuli, omnes aliquando gentes (sicut suprà diximus) Principibus tenebrarum & potestatibus traditas; nunc per Iesu Christi Domini nostri victoriam liberatas. Ille est, ille qui redimit, donans nobis omnia peccata, sicut Apostolus dicit, *& delens quod aduersus nos erat chirographum inobauditionis, quia & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exuens se carnem, traduxit potestates libere triumphans eas in semetipso.* *Colos. 2.* Soluit compeditos, & vincula nostra disrupit, sicut Dauid dixerat, *Dominus erigit elisos, Dominus soluit compeditos. Dominus illuminat cæcos.* *Psal. 145* *Psal. 115* Et iterum: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Soluti itaque de vinculis, vbi per baptismi sacramentum ad signum Domini conuenimus, *Signum Domini.* diabolo & omnibus angelis eius renunciamus, quibus antè seruiuimus, ne iam illis vlteriùs seruiamus, sanguine Christi & nomine liberati. Quòd si quis posthac oblitus sui & redemptionis ignarus, rursus ad Angelorum serui- C tutes & infirma illa & egena Mundi elementa transierit, *Luc. 11.* antiquis illis compedibus & catenis, id est peccati vinculis alligabitur, *& fient nouissima eius deteriora prioribus,* *Rom. 6.* quia & diabolus eum quasi per fugam victum vehementiùs inligabit, & Christus pro eo iam pati non poterit, *quia qui resurrexit à mortuis, iã non morietur amplius.* Igitur, dilectissimi, semel abluimur, semel liberamur, *Hebr. 6. a* semel in regnum immortale suscipimur: semel *fœlices sunt, quorum remissa sunt facinora, & quorum tecta sunt peccata.* *Psal. 31.* Tenete fortiter quod accepistis, seruate fœliciter, ampliùs peccare nolite. Puros vos, ex eo, & immaculatos in diem Domini reseruate. Grandia & infinita sunt præmia fidelibus præstituta, *quæ nec oculus vidit,* inquit, *nec auris audiuit, nec super cor hominis ingressa sunt.* *1. Cor. 2. Iustitiæ labores.* Hæc vt accipere possitis, iustitiæ laboribus & votis spiritalibus obtinete; Amen.

# S. THEOPHILI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPVSCVLA.

## EX GENNADII SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM CATALOGO.

*THEOPHILVS Alexandrinæ ciuitatis Episcopus scripsit aduersum Origenem, vnum & grande volumen, in quo, omnia pene eius dicta, & ipsum pariter, damnat: ac simul edocet, non à se eum, primum; sed ab antiquis Patribus, & maxime, Heracla, fuisse & à Presbyterio eiectum, & de Ecclesia pulsum, & de ciuitate fugatum. Sed & aduersum Antropomorphitas hæreticos, qui dicunt Deum humana figura & membris constare, disputatione longissima confutans, & diuinarum scripturarum testimonijs Arguens & conuincens eos; ostendit, Deum incorruptibilem & incorporeum iuxta Patrum fidem credendum, neque vllis membrorum lineamentis omninò compositum: & ob id, nihil ei in Creaturis simile per substantiam, nec cuiquam, incorruptibilitatem aut immutabilitatem, aut incorporalitatem suæ dedisse naturæ, sed esse omnes intellectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles, omnes mutabiles, vt ille solus corruptibilitati & mutabilitati non subiaceat, qui solus habet immortalitatem. Paschalem etiam recursum quod magna apud Nicæam Synodus post nonaginta & quinque annos agi in tempore & die & Luna, secundum statum suum inuenerat additis quibusdam ipsius festiuitati rationibus & Expositionibus, Theodosio Principi obtulit. Legi & tres de fide Libros sub nomine eius titulatos, sed quia lingua inconsonans est, non valde credidi.*

Ex Trithemij lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

*THeophilus Alexandrinæ Ecclesiæ, 22. Episcopus; vir in scripturis studiosus, & Origenistarum expugnator acerrimus, & qui magna discordia cum S. Ioanne Chrysostomo arserit, eumque insidiis Episcopatu pulsum, in exilio mori coegerit, sicut in veterum † historiis plenius continetur, scripsisse fertur quædam opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt. Extat eius ad diuersos de variis negotiis, Epistolarum.*
*Ad Epiphanium, de hæresibus.*
*De Paschate.*
*Alia quoque multa edidit, sicut ex Epistola beati Hieronymi ad eum directa colligitur, quæ sibi vel legenda vel vertenda postulat destinari. Claruit sub Theodosio & Valentiniano Princip. Anno 390.*

† Socrat. Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 15 Sozom. lib. 8. c. 18. Nicephor. lib. 13. c. 14. & 17.

Index Operum Theophili Alexandrini Archiepiscopi, quæ, hoc Opere, tibi (ô Lector) exhibemus.

*THeophili Archiepiscopi Alexandrini Epist. 3. Paschales,*
*Eiusdē, Edictū cum Theophania die Dominico instarent.*
*Eiusdem, commonitorium quod accepit Ammon propter Lyco.*
*Eiusdem, Expositio de iis qui dicuntur Cathari.*
*Eiusdem, Agathoni Episcopo.*
*Eiusdem, Menæ Episcopo.*

## S. THEOPHILI ALEXANDRINI EPISCOPI PASCHALIVM Epistolarum, ex Libro Collationum Cassiani Scythæ, Argumentum.

*INTRA Ægypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracta Epiphaniorum die (quam prouinciæ illius sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt, & idcirco vtriusque sacramenti solemnitatem non bifariè, vt in occiduis Prouinciis, sed sub vna die, huius festiuitatem celebrant) Epistolæ pontificis Alexandrini per vniuersas Ægypti Ecclesias dirigantur, quibus initium Quadragesimæ, & dies Paschæ, non solum per ciuitates omnes, sed etiam per vniuersa monasteria designentur. Secundum hunc igitur, post dies admodum paucos quàm superior cum Patre Isaac fuerat agitata collatio; Theophili prædictæ vrbis Episcopi, solennes Epistolæ commearunt, quibus, cum denuntiatione Paschali, contra ineptam quoque Antropomorphitarum Hæresim longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab vniuerso propemodum genere Monachorum, qui per totam Prouinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, vt econtrario memoratum Pontificem velut hæresi grauissima deprauatum, pars maxima Seniorum ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandum, quod scilicet impugnare scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum, humanæ figuræ compositione formatum, cum ad eius imaginem creatum Adam, Scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab iis qui ibi aut in eremo Scythia commorabantur (quippe perfectione ac scientia, omnibus qui erant in Ægypti monasteriis, præeminebant) ita est hæc Epistola refutata, vt præter Abbatem Paphnutium nostræ congregationis presbyterum, nullus cæterorum, Presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, eam ne legi quidem aut recitari in suis conuentionibus prorsus admitteret.*

Natiuitatis Christi, & Epiphaniorum dies apud Ægyptios. Paschatis indicendi mos.

INCIPIT

## INCIPIT EPISTOLA S. HIERONYMI presbyteri, ad Theophilum Episcopum.

*DILECTISSIMO atque amantissimo Papæ Theophilo Episcopo, Hieronymus in Domino salutem. Paucis in exordio placet iudicium veritatis: dicente autem Domino per Prophetam, Et iudicium meum quasi lux egreditur, qui tenebrarum horrore circundati sunt, nec naturam rerum clara mente perspiciunt, pudore operiuntur æterno, cassos se habuisse conatus ipso fine cognoscunt. Vnde & nos Ioannem, qui dudum Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, Deo placere semper optauimus, & caussas perditionis eius in quas ferebatur improuidus, nequaquam credere voluimus. Sed ille, vt cætera flagitia eius taceam, Origenistas in suam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos in sacerdotium prouehens, atque ob hoc scelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Episcop. clarum in orbe sidus effulsit, non paruo mærore contristans meruit audire: Cecidit, cecidit Babylon. Scientes ergo dictum à Saluatore, Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate: ne quoquam tardius beatitudini tuæ Latino sermone translatum librum tuum remitterem, multa in medio impedimenta fecerunt, Isaurorum repentina irruptio, Phœnicis Galilææque vastitas, terror Palæstinæ præcipuæ vrbis Hierosolymæ, & nequaquam librorum, sed murorum exeructio, ad hoc asperitas hiemis, fames intolerabilis, nobis præsertim quibus multorum fratrum cura imposita est. Inter quas difficultates lucratiuis, & vt ita dicam, furtiuis per noctem operis crescebat interpretatio, etiam in scedulis tenebatur: cùm diebus sanctæ quadragesimæ scripta ad purum conlatione tantùm indigerent, grauissimo languore correptus & mortis limen ingrediens, Domini misericordia & tuis orationibus reseruatus sum, ad hoc forsitan vt implerem præceptum tuum & volumen disertissimum, quod scripturarum floribus texuisti eadem qua à te scriptum est gratia verterem, licet imbecillitas corporis & animi mæror, Ingenij quoque acumen obtunderit, & verba prono cursu labentia velut quibusdam obicibus retardarit. Mirati sumus in opere tuo vtilitatem omnium Ecclesiarum, vt discant qui ignorant, erudiri testimoniis scripturarum, quæ debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrósque calices & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia, sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini, eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda. Suscipe igitur librum tuum, imò meum, & vt veriùs dicam, nostrum: cúmque mihi faueris, tuus fautor eris; tibi enim meum sudauit ingenium, & facundiam Græcam Latinæ linguæ volui paupertate pensare. Neque verò vt diserti interpretes faciunt, verbum verbo reddidi: nec adnumeraui pecuniam, quam mihi per partes dederas, sed pariter appendi, vt nihil desit ex sensibus, cùm aliquid desit ex verbis. Epistolam autem tuam idcircò in Latinum verti, & huic volumini præposui, vt omnes qui legerint, sciant me non temeritate & iactantia, sed præceptis beatitudinis tuæ suscepisse onus vltra vires meas. Quod an consecutus sim, tuo iudicio derelinquo: certè si imbecillitatem reprehenderis, voluntati veniam commodabis. Vale.*

### *THEOPHILI ALEXANDRINÆ VRBIS Episcopi, ad totius Ægypti Episcopos, Epistola Paschalis prima, D. Hieronymo interprete.*

A

PRIMVM solennitatis Augustæ sermo diuinus de cœlorum regionibus micans, & splendore suo iubar solis exuperans, clarissimum animabus se desiderantium lumen infundit. Cúmque pleno cordis intuitu radios eius quieuerint sustinere, ad ipsa cœlestis Hierusalem interiora penetralia; atque, vt ita dicam, Sancta sanctorum eas pertrahit. Vnde si volumus salutis esse participes & adhærentes studio virtutum, animarum vitia purgare, & quicquid in nobis sordium est, iugi Scripturarum meditatione diluere, quasi subsudo apertam doctrinarum scientiam contemplantes; festinemus supernæ lætitiæ festa celebrare, & iungere nos Angelorum choris, vbi coronæ & præmia & certa victoria est, & desiderata triumphantibus palma proponitur. Nec differamus, tumentibus carnis fluctibus liberati, inter diuersa voluptatum hinc inde naufragia, clauum tenere virtutum, & post grandia maris pericula, tutissimum cœlorum intrare portum. Quamobrem, & eos quos cassa vitæ huius cura sollicitat, & instar frementium gurgitum perturbationum profunda circum sonant, quasi de somno graui excitantes, ad sapientiæ prouocemus lucra, ostendamúsque eis veras diuinorum sensuũ diuitias, & inspirata sanctæ Celebritatis gaudia: eóque omnis in præsentiarum adsumatur labor, vt & eos qui paululùm negligentes sunt, & nosmetipsos æternæ gloriæ præparemus. Vnde & in Prouerbiis, indi- *Infinit. diuitiæ. Prou. 9.*

B

C

gentes sensu, ad conuiuium suum Sapientia prouocans, clamitat: *Venite, comedite de panibus meis, & bibite vinum quod miscui vobis.* Non enim sic cœlum hoc quod suscipimus stellarum illustratur choris, nec in tantùm Sol & Luna, duo mundi (vt ita dicam) clarissimi oculi, *Duo mundi oculi.* quorum cursu, annus euoluitur, & vicissitudine tempora commutantur, clarum terris lumen infundunt, vt nostra solennitas virtutum choro fulget & radiat. Cuius thesauros & diuitias qui expetunt, consona cum Dauid voce decantant: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Exultantésque, & quondam tripudio gestientes, & iuxta quod scriptũ est, Gaudio ineffabili corda perfusi, rursũ clamitant; *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futurã inquirimus, cuius artifex & fabricator est Deus.* Sicut enim sciunt, omniũ laborum suorum quibus in hoc Mundo pugnatur & curritur, hanc esse repositam spem, & hæc in futuro præmia constituta, pro quibus nulla pericula formidantes, quotidie vitæ suæ cursum dirigunt, Hæreticorum vel maximè impietatem & tendiculas declinantes, quibus cæci cæcos ducunt in foueam, & quasi quadam veternosa & immundissima carie deceptorum corda commaculant; nec hac calce contenti, intimas scripturarum medullas bibunt; veritatem dogmatum falsi nominis scientia condemnantes. Quod intelligens & patriarcha Iacob, scalam cernit in somnis, cuius caput pertingebat vsque ad cœlum; per quam diuersis virtutum gradibus ad superna conscenditur, & homines prouocantur (terrarum humilia deserentes) cum Ecclesia primitiuorum, Dominicæ passionis festa celebrare. *Non est*, inquit, *hoc nisi domus Dei, & hæc est porta cœli.* Quam Dauid acutiùs intuens, &

*Psal. 54.* *Hebr. 13.* *Scala Iacob consideratur.* *Gen. 28.*

tota cupidine mentis inquirens, rationésque huius itineris cogitationibus tractans, & quasi preciosa pigmenta fortiùs terens atque comminuens; vt suauissimi odoris fragrantiam latè spargeret, ad solennitatem prouocat festinantes, dicens; *Ps. 117.* *Aperite mihi portas iustitia, & ingressus in eas confitebor Domino, hæc est porta Domini iusti intrabunt per eam.* *Hæreticorum nulla festa.* Non est ergo, non est Hæreticorum vlla solennitas; nec, qui errore decepti sunt, illius possunt communione lætari. Scriptum est enim: *Exod. 19. Hebr. 12.* *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Neque cœlestium possunt recipere sacramenta verborum, qui diuinis Ecclesiæ dogmatibus contradicunt. Totis itaque viribus animas nostras ab omni contagione purgantes, dignas, celebritati quæ imminet, præparemus, vt possimus cum sanctis canere: *Ps. 117.* *Deus Dominus, & inluxit nobis.* De qua & alius Propheta conscius futurorum, mystica voce testatur: *Apparebit Dominus in eis, & disperdet omnes Deos Gētium.* Quando verba in opera commutata sunt, & ambigentium oculis rerum veritas demonstratur, vt per efficientiam eorum quæ prædicta sunt verborum veritas comprobaretur, victoriæ suæ nos Deo facienta participes; & solennitatis possimus cum sanctis habere consortium, & inlustris eius aduentus præconia frequentare. Etenim quod omnis terra variis fuerat illecebris deprauata, virtutes æstimans vitia, & econtrario vitia virtutes, dum inolescente tempore, consuetudinem, legem putat esse naturæ, & tyrannica superbia iniqui præcesserant, & *Idololatriæ origo.* mendacium tempore roborarent, patres & magistri veritatis putabantur: vnde acciderat vt hominum error increscerer, & in ritum brutorum animalium, vtilia nascientes, despicarent verum pastorem, Dominum; ac furore raptari, tyrannos & principes colerent quasi Deos, imbecillitatem suam in eiusdem naturæ hominibus consecrantes. Per quæ eueniebat, vt præsens periculum mortis effugerent, & conciliarant sibi eos, quorum clementia crudelitate sæuior erat. Idcircò omnibus errore seductis, viuens sermo Dei in auxilium nostrum venit ad terras quæ ignorabant cultum Dei, & veritatis solitudinem sustinebant. Cuius rei testis est ille qui loquitur: *Rom. 3.* *Omnes deliquerunt, simul inutiles facti.* Et Prophetæ, Christi *Ps. 143.* auxilium deprecantes, *Domine inclina tuos cœlos, & descende.* Non vt mutaret loca, in quo omnia sunt; sed vt propter salutem nostram, carnem humanæ fragilitatis *2. Cor. 8.* adsumeret, Paulo eadem concinente, *Cùm esset diues, pro nobis pauper factus est, vt nos illius paupertate diuites essemus.* Venitque in terrā, & de virginali vtero, quā sanctificauit, egressus homo (interpretatione nominis sui Emmanuel, id est, nobiscum Deus, dispensatione confirmans) mirum in modum cœpit esse quod nos sumus, & non desiit esse quod fuerat, sic adsumens naturam humanam, vt quod erat ipse, non perderet. Quanquam *Ioan. 1.* enim Ioannes scribat, *Verbum caro factum est*, id est aliis verbis, homo: tamen non est versus in carnem, quia nunquam Deus esse cessauit, ad quem & Sanctus loquitur: *Ps. 101.* *Tu autem ipse es.* Et pater de cœlo cōtestatur, & dicit: *Luc. 3.* *Tu es Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Vt & homo factus, nostra confessione permanere dicatur quod fuit priusquàm homo fieret; Paulo nobiscum eadem *Hebr. 13.* prædicante: *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in æternum.* In eo enim quod ait, *ipse*, ostendit illum pristinam non mutasse naturam, nec diuinitatis suæ imminuisse diuitias, qui propter nos pauper effectus plenam similitudinem nostræ conditionis adsumpserat. *Omnia humana Christus præter peccatū habuit.* Ex tantis & talibus adsumpsit hominem, duntaxat absque peccato, ex quantis & qualibus nos omnes creati sumus: nō ex parte, sed totus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, nulloque, quod nostræ similitudinis est, caruit, nisi solo peccato, quod substantiam non habet inanimem sine anima: neque enim inanimem carnem habuit, & pro anima rationali, ipse, in ea, Deus verbum, non fuit, sicut *Apollinaristarum hæresis.* dormitantes Apollinaris discipuli suspicantur. Nec dicens illud in Euangelio; *Nunc anima mea turbata est*; Diuinitatem suam perturbationi subiacuisse testatur, quod

A consequens est eos dicere, qui pro anima, diuinitatem, in corpore eius fuisse contendunt: Nec rursum, solam animam sibi socians, susceptum impleuit hominem; ne ex similitudine carnis & ex dissimilitudine animæ, mediæ adsumptionis dispensationem implesse credatur, in carne, nostri similis existens; & in anima, irrationabilium *Christi humanitas nō habuit diuinitatē pro Anima.* iumentorum; si tamen secundùm illos, irrationabilis & absque mente ac sensu est anima Saluatoris, quod impium est credere, & procul ab Ecclesiastica fide, ne protinùs illo percutiatur elogio quo Propheta corripit delinquentē, dicens; *Ose. 7.* *Ephraim sicut columba insensata non habens cor.* Et quasi irrationalis audiat, *Psal. 48.* *Cōparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Nulli enim dubium, quin irrationabilis & sine sensu ac mente, anima; iumentis irrationalibus compararetur, vnde & Moyses *Deut. 25.* B scribit; *Bouem triturātem non infrenabis.* Et Paulus scriptū *1. Cor. 9.* edisserens ait: *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtiq; dicit?* Propter nos igitur homo, Saluator, est factus; non propter bruta & irrationabilia iumenta, vt similitudinem animæ iumentorum, absque sensu & ratione, susciperet. Sed ne illud quod eiusdem hereseos peccatores † cauillātur & garriunt, Ecclesia suscepit, vt prudentiam carnis appellari putet animam Saluatoris, eùm perspicuè Apostolus prudentiam carnis inimicam Deo appellet, & mortem. *† Sectatores. Prudentiā carnis quidā animā Saluatoris confingunt.* Quod de Domino dicere nefas est, vt anima eius, mors & Dei inimica credatur. Si enim nobis *Matt. 10.* præcipit, *Nolite timere eos qui possunt occidere corpus, & animā non valent*; cogentur stulta disputatione suscipere, meliores esse nostras animas anima Saluatoris, dum illa, prudentia carnis adseritur, quæ mors & inimica est Dei; C nostra autem mori non potest. Quod nequaquam ita intelligendum est, Fratres charissimi, cum etiam prudentia animæ non possit anima nuncupari, & multum inter se differant. licet enim prudentia animæ, in ea sit cuius prudentia est; tamen alterum habet, alterum habetur. Et prius, anima est, sequens, versatur in anima. Quod si prudentia animæ non est anima, quantò magis carnis prudentia, anima non potest appellari? Tendāt quantumlibet syllogismorum suorum retia, & sophismatum decipulas, proponentes, seipsos innectant laqueis, ne id quidem scientes cuius vana scientia gloriantur, & discant à nobis (quos gratis cogunt huiuscemodi disputationem adsumere) aliud esse quod sapit, aliud sapientiam, aliud quoque quod sapitur; & hæc non solum verbis inter se, sed & sensibus discrepare. *Hæretici gratis cogunt Catholicos ad disputationem.* Quæ enim sapit, rationalis D est anima: porrò quæ ex ipsa est, & ipsius, & non ipsa quæ sapit, appellatur sapientia: quod autem sapitur, res est quam respicit; eáque gignitur ex sapiente sapientia; & non sapiens ipse, nec ipsa sapientia. Tandémque desinant dialecticæ artis strophis, simplicia Ecclesiasticæ fidei decreta peruertere, vt animam Saluatoris, prudentiam carnis appellent; quam Apostolus, mortem & inimicam adserit Dei. *Ars Dialectica.* Sed & hoc modo nobis contra illos disserendum videtur. Scriptum est de verbo Dei: *Ioan. 1.* *Omnia per ipsum facta sunt.* Num credibile est, & sapientiam vel prudentiam carnis, quam illi animam Saluatoris intelligunt, à Verbo Dei conditam; vt mortis & inimicitiæ contra Deum, ipse operator existeret, sibique eos, quod dictu nefas est, copularet; Quod si nefarium est credere, & anima Saluatoris cunctis virtutibus polE let; ergo prudentia carnis non est anima eius, ne ipse mortem & inimicitiam contra Deum subiunxisse credatur. Cessent Apollinaris discipuli, ea quæ contra Ecclesiasticas regulas est locutus, propter alia eius scripta defendere: licet enim aduersus Arrianos & Eunomianos scripserit, & Origenem aliosque hæreticos sua disputatione subuerterit, tamen qui memor est illius præcepti, *Apollinaris contra hæreses quasdā scripsit.* *Non accipies personam in iudicio*, *Deut. 16.* veritatem semper debet diligere, non personas: & scire quod in dispensatione hominis, quam pro salute nostra vnigenitus Filius Dei dignatus est adsumere, non sit alienus à culpa, qui super animabus peruersa & intellexit & scripsit. Si enim Apostolus ait, *1. Cor. 13.* *Si expendero*

*omnem substantiam meam, & tradidero corpus meũ vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi proderit*, ita
A siue iste de quo nunc sermo est, siue Origenes & alij Hæretici scripserint aliqua quæ Ecclesiasticæ Fidei non repugnent, tamen non erunt absque crimine. Et in iis, quæ principalia sunt, & ad salutem credentium pertinent, Ecclesiasticæ fidei repugnantes. Neque enim, vt ipse cum sectatoribus suis nititur adprobare, Dominus noster atque Saluator animam sine sensu adsumpsit & mente, aut mediam partem eius, duásque de tribus, siue tertiam, vt imperfectè hominem saluaret adsumptum, quia nec media, nec reliquæ portiones, perfecti nomen accipient. Et sicut quod perfectum est caret imperfecti vitio, sic quod imperfectum est, perfectum non potest dici. Et si imperfectè similitudinem nostram, vel ex parte susceperat, quomodo in Euangelio loquebatur; *Nemo tollit animã meam à me, potestatem habeo ponendi eã, & potestatem habeo sumendi eam?* Quæ autem tollitur atque deponitur, nec irrationalis, nec absque mente & intelligentia dici potest, sed è contrario, rationalis & intelligibilis, & mentem habens ac sentiens. Atque ita ipse disputationis ordo conuincit, nihil à Domino imperfectum esse susceptum, sed adsumptum ab eo hominem plenè perfectéque, saluatum. Nulli enim dubiũ, quin irrationabilium iumentorum animæ non ponantur & resumantur, sed cum corporibus pereant, & in puluerem dissoluantur. Porrò Saluator, tollens animam, & separans à corpore suo, tempore passionis, rursum eam in Resurrectione suscepit. Et multò antequàm faceret, loquebatur in Psalmo; *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nec credibile est quod ad Inferos caro eius descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit anima, inferis apparuerit: sed quod corpus eius positum in sepulchro sit, & ipse nec de corpore & sapientia carnis, nec de diuinitate sua dixerit, *nõ derelinques animam meam in Inferno*, sed verè, de nostræ naturæ anima, vt perfectam ac rationalem & intelligibilem atque sensibilem ad Inferos animam descendisse monstraret. Hortamur eos, qui talia sapiunt, vt errores hæreticos relinquentes, adquiescant Ecclesiasticæ veritati, & festiuitatem Dominicæ Passionis non faciant imperfectam, ne principalem & maiorem hominis partem in Saluatore negent, absque anima & mente corpus illius adserẽtes. Si enim ita erat, quid de se volens intelligi loquebatur; *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus?* Et si tantùm carnem hominis adsumpserat, cur in passione dicebat; *Spiritus promptus, caro autem infirma?* Vnde sciendum est, quòd omni parte temperatũ humanæ conditionis exhibens sacramentum, perfectam similitudinem nostræ conditionis adsumpserit: nec carnem tantùm, nec animam irrationalem & sine sensu, sed totum corpus, totámque animam sibi socians, perfectum in se hominem demonstrauit, vt perfectam cunctis hominibus in se & per se largiretur salutem: habénsque nostri consortium, qui de terra conditi sumus, nec carnem deduxit de cœlo, nec animam quæ priùs subsisterat & ante carnem eius condita erat suo corpori copulauit, sicut Origenis nituntur docere discipuli. Si enim anima Saluatoris, antequam ille humanum corpus adsumeret, in cœlorum regionibus morabatur, & nec dum erat anima illius, impiissimum est dicere, ante corpus, eam fuisse Domini, agentem aliquid & vigentem, & postea in animam illius commutatam. Aliud est, si possunt de Scripturis docere, antequam nasceretur ex Maria habuisse hanc animam Deum Verbum, & ante carnis adsumptionem, animam illius nuncupatam. Quod si & authoritate Scripturarum, & ipsa suscipere ratione coguntur, Christum non habuisse animam antequam de Maria nasceretur, in adsumptione enim hominis, & anima eius adsumpta est, perspicuè conuincuntur, eandem animam & illius & non illius fuisse dicentes. Sed cessent illi à nouorum dogmatum impietate furibundi: nos Scripturarum normam sequentes, tota cordis audacia prædicemus, quòd nec caro illius, nec anima fuerint priusquã de Maria nasceretur: nec antè anima in cœlis sit commorata, quàm postea nouerit: nihil enim nostræ conditionis, è cœlo veniens, secum Dominus deportauit. Vnde quicquid contrarium est veritati, Euangelica falce succidens loquitur; *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, Verbum opere, comminationem fine consummans, & dictorum potentiam expletione rerum probans, vt quicquid sermo pollicitus est, gestorum veritas exhiberet. Sciant igitur se, huius solennitatis alienos, non posse nobiscum celebrare dominicam Passionem, qui Origenem, vt loquar aliquid de fabulis Poëtarum, Hydram omnium sequuntur hæreseon, & erroris se habere magistrum & principem gloriantur.
B Quamuis enim innumerabiles texuit libros, & garrulitatis suæ, quasi damnosæ possessionis, mundo reliquerit hæreditatem, tamen scimus lege præceptum, *Non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus.* Qui enim diuerso tramite ab Apostolorũ regulis aberrauit, quasi indignus & profanus choro Christi & consortio mysteriorum eius, de solemnitate Christi eijcitur, & à Patribus maioribúsque natu qui Saluatoris Ecclesiam fundauerunt, procul pellitur, Philosophorum pannos, oriens, nouo & firmissimo Ecclesiæ consuere vestimento, & veris falsa sociare, vt ex illorum vicinitate fortior proberetur infirmitas; & huius pulchritudo violetur. Quæ enim illum ratio? quis disputationum ordo perduxit, vt allegoriæ vmbris &
C cassis imaginibus, Scripturarum tolleret veritatem? Quis Propheta sentire docuit, propter ruinam & lapsus de cœlis animarum, Deum esse compulsum corpora fabricare? Quis iuxta beatum Lucam, eorum, qui viderunt & ministri fuerunt sermonis Dei, huic tradidit ad docendum, negligentia, & motu, & fluxu de altioribus rationabilium creaturarum, prouocatum Deum, mundi huius condere diuersitatem cur? creationem eius Moyses explicans dixerit, nec iudicauerit propter aliquas causas præcedentes, de rationabilibus sensibilia, de inuisibilibus visibilia, de melioribus peiora prolata, quod apertissimè Origenes prædicat? Dicit enim, propter peccata Intelligibiliũ creaturarum, Mundum esse cœpisse, nolens Pascha celebrare cum sanctis, neque cũ Paulo dicere, *Inuisibilia Dei, à creatura Mun-*
D *di per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* Nec cum Propheta vociferari, *Considerani opera tua & obstupui.* Aliter enim Mundi pulchritudo subsistere non valebat, nisi eum varius creaturarũ implesset ornatus. Denique Sol & Luna, duo magna luminaria, & stellæ reliquæ, antequã hoc essent in quod eas creatas quotidiani cursus testatur officium, non erant absque corporibus, nec propter aliquas causas simplicitatem pristinam relinquentes, corporibus circundatæ sunt, vt ille somniat contra fidei dogmata struens; nec animæ in cœlorum regionibus aliquid peccauerunt, & idcircò in corpora relegatæ sunt. Si enim hoc ita esset, oportuerat Saluatorem, nec ipsum corpus adsumere, & animas de corporibus liberare: debebat eo tempore, quãdo in baptis-
E mate peccata dimittit, statim, baptizatum de corporis vinculis soluere, quæ propter peccata in condẽnationem peccati facta commemorat. Sed & resurrectionem corporum frustra pollicetur, si expedit animabus absque grauitate corporum ad cœlum leuiùs subuolare. Ipse quoque resurgens, carnẽ suam suscitare non debuit, sed solam diuinitati animam copulare, si meliùs est absque corporibus quàm cum corporibus viuere. Quid sibi autem vult, crebrò animas & vinciri corporibus & ab eis diuidi, prædicare, & multas nobis inferre mortes, ignorans Christum idcircò venisse, non vt post resurrectionem corporibus animas solueret, aut liberatas rursus aliis corporibus indueret, & de cœlorũ regionibus descendẽtes sanguine & carne vestiret, sed vt semel cor-

Margin notes (left): Hæretici quædam etiam sana sic proponunt. — Ioan. 10. — A Christo nihil imperfectum assumptum est. — Psal. 15. — Anima Christi apud Inferos. — Ioan. 10. — Matth. 26 — Perfectus homo à Christo assumptus.

Margin notes (right): Matth. 15 b — Origenes, hydra hæreseon. — Deut. 17 — Origenis hæreses, & allegoriæ. — Actor. — Rom. 1. — Siderum creatio.

pora suscitata incorruptione & æternitate donaret? Sicut enim Christus *semel mortuus, vltra non moritur, nec* A *mors ei dominabitur*, ita nec corpora suscitata, post resurrectioné, secundò vel frequenter intereunt, nec mors eis vltra dominabitur, neque in nihilum resoluentur, quia totum hominem Christi saluauit aduentus. Sed & illud à solennitate Christi Origenem alienum facit, quod Principatus, Potestates, Fortitudines, Thronos, Dominationes, non ab initio in hoc conditas refert, sed post creationem aliquo honore dignas factas, & aliis earum similibus propter negligentiam ad inferiora delapsis, has inclytis nominibus appellatas, vt iuxta errorē eius, non eas condiderit Deus, Principatus, & Potestates, &c. sed aliorum peccata illis materiem tribuerit gloriarum.

*Origenis error de Angelorum creatione & merito.*

*Coloss.* Et quomodo Paulus Apostolus scribit, *In Christo creata sūt omnia in cœlis & in terra, visibilia, inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per illū, & in illo creata sunt, & ipse est ante omnia.* Si intel- B ligeret vim verbi, per quem dicitur, creata sunt omnia; nosset ab initio ita eas conditas; & non aliorum socordiam, & in inferiora prolapsum, occasionem dedisse Deo; vt illas, Principatus, & Potestates, & Fortitudines reliquas nominaret; maximè cùm creaturarum pulchritudo consistat in ordine dignitatum. Si enim de Sole & *Genes. 1.* Luna, & stellis scriptū est, *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei; & luminare minus, vt praeesset nocti; & stellas posuit in firmamento cœli, vt lucerēt super terram*, nec præmium bonorum operū reciperent: vt post conditionem sui, in Firmamento cœli lucerent, & diebus siue noctibus succederent: sic Principatus & Potestates, quæ in cœlorum regionibus conditæ sunt, C non post bona opera in hæc profecisse sentimus, sed sic ab initio conditas: neque enim Origenis & discipulorum eius imitamur errorem, qui putant in similitudine dæmonū & diaboli, qui propria voluntate talia nomina officiáque sortiti sunt Principatus, & Potestates, Virtutes, & Thronos, & Dominationes post conditionem sui, boni aliquid perpetrasse, vt aliis ad inferiora dilapsis ad excelsa conscenderent, & iis nominibus insignirentur, habentes posteà quod priùs non habuerant. Quæ, dicentes, non intelligunt, Pauli se sententiæ contraire; in Christo creatos Principatus, & Potestates, & Thronos, & Dominationes, loquentis. Quod autem dicit creatos; nulli dubium est, quin sic ab exordio conditi sint, & non postea istiusmodi acceperint dignitates. Verùm hæc breuiter sensisse sufficiat; ad aliam eius venia- D mus impietatem, quā velut de profundissimis tenebris eructans loquitur, & blasphemiarum suarum pessimam mundo reliquit memoriam. Dicit enim Spiritum sanctum non operari ea quæ in anima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. quod adserans non recogitat aquas in baptismate mysticas, aduentu sancti Spiritus consecrari, panemque dominicum, quo Saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri; & sacrum calicem; quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, & vtique inanima sunt; per inuocationem & aduentum sancti Spiritus sanctificari. Si ad irrationabilia, & ad ea quæ absque anima sunt, sancti Spiritus fortitudo non peruenit; cur Dauid canit: *quo abibo à spiritu tuo?*

*Origenis error de Spiritu sancto.*

*Ps. 138.* quod dicens; ostendit, sancto Spiritu omnia contineri, E & illius maiestate circundari, si omnia in omnibus, vtique & irrationabilia, & inanima sunt. Et alibi legimus: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Quod nunquā Scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque & inanima, illius numine complerentur. Verùm non est contentus hoc fine blasphemiæ, sed in morem lunaticorum, qui furorem suum illisione dentium, & spumantium saliuarum eiectione testantur, sursum erectus & dicit; Filium Dei; id est, rationem & sermonem ac virtutem eius, ad ea tantū quæ rationabilia sunt, peruenire. Quod audiens, miror vnde sumpserit, aut quomodo legisse se nesciat, *Omnia per ipsum facta sunt!* Ex quo adprobatur, ad cuncta, Verbi Dei fortitudinem peruenire.

*Origenis error de filio Dei.* *Ioan. 1.*

Forsitan oblitus & illius historiæ, quando virtute Christi Lazarus suscitatus est, cuius vtique corpus, eo tēpore quo de morte surgebat in vitā, vt anima, ita & ratione caruit. Ignorauit & illud quod de quinque panibus quinque millia saturata sunt hominum, exceptis mulieribus & infantibus; & super fuerunt duodecim cophini fragmentorum: Quod vtique Christi fortitudo perfecit. Arbitror, eum, nec illius miraculi recordatum, quando irrationabiles maris fluctus, diuino calcans pede, tranquillitati nauigantium reddidit: quæ Christi virtus, & non alterius patrauit imperium. Quomodo ergo non toto corde & animo & corpore perhorrescit, dicens, fortitudinem Verbi Dei, irrationabiles creaturas non posse pertingere? Et qui iactat se in sciētia Scripturarum, & putat tanta legisse, quanta nullus hominum legerit, sciat scriptum, quòd ægrotantes in lectulis deferebant, & ponebant in triuiis & plateis, vt eos Petri vmbra contingeret, & sanaret, quod sacra Apostolorum Acta testantur, arguentia Origenis stultitiam; per quæ id, Apostolorum vmbra fecisse conuincitur, quod ille filium Dei, Verbum Dei non potuisse testatur. Simili errore deceptus, & nesciens quid loquatur, † eorum qui nolunt Dei prouidentiā vsque ad omnes creaturas & Mundi inferiora descendere, sed tantùm in cœlorum regionibus commorari, vt scilicet id vmbra fecerit Petri, quod implere Saluatoris fortitudo non quiuerit. Sed & ad † illa veniamus; Apostolo enim de primogenito Filio Dei perspicuè proclamante: *Hoc intelligat vnusquisque in nobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualē Deo, sed seipsum exinaniuit, formā serui accipiens.* Ille ausus est dicere, quòd anima Saluatoris se euacuauerit, & formam serui acceperit, vt Ioannes méritus esse credatur, qui ait: *Verbū caro factum est*: similē nostræ conditioni ingerens Saluatorem, dum non ipse qui se euacuauit & formam serui accepit, sed animam illius & fidem quæ omnium confessione firmata est, sua impietate dissoluit. Si enim anima Saluatoris est, quæ fuit in forma Dei, & æqualis Deo, iuxta Origenis insaniam; æqualis autem Deo filius Dei est, & quod æquale Deo est, eiusdem conuincitur esse substantiæ: ipse nos disputationis ordo perducit, vt vnius naturæ, animam, & Deum esse credamus. Quod cum dicat, sequitur vt nostras quoque animas, non alterius à Deo naturæ esse contendat, nullique dubiū, nostras animas & animam Saluatoris, vnius esse substantiæ, vt iam, factor atque factura, vnius naturæ sint. Et quomodo in Christo creata sint omnia; si animæ hominum, eiusdem cum Creatore substantiæ sint? Verum non est ita, Fratres, nec anima Saluatoris sed ipse filius Dei cum esset in forma Dei, & æqualis Deo, se exinaniuit, formam serui accipiens. At Origenes in profundum impietatis demersus cœnum, non intelligit se Gentilium esse participem; qui Idola pro Deo venerantes, *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerūt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, quod & iste incurrens, simili errore deceptus est: in forma enim & æqualitate Dei animam Saluatoris adfirmans, sicut superior sermo memorauit, impietati ethnicæ æqualis est. Vt enim illi immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, dicentes, Deos esse qui non erant: sic iste immutauit gloriam incorruptibilis Dei, in forma illius & æqualitate animā Saluatoris adserens, quæ creata est, & hanc se euacuasse, & non Verbum Dei, ad terrena venisse, sicut Apostoli adfirmat authoritas. Nec erubescit, ex multiloquio immemor sui, & animam hominis nolens à conditionis exordio sic vocatam, sed ex eo quod, quæ prius mens & sensus erat, frigus negligentiæ & infidelitatis adsumpserit: *Quæ etymologia, magis Græcæ quàm Latinæ linguæ cōuenit.* † Si autem, æqualem Deo, & in forma illius constitutā animam adserit Saluatoris, ergo & illa ex frigore charitatis sortita vocabulum est, & prioris omnis perdidit dignitatem.

*Ioan. 11.* *Matt. 14.* *Act. 5.* *† Hic deest sequitur error.* *† Alius Origenis error de prouidentia Dei.* *Philip. 2.* *Ioan. 1.* *Animā Saluatoris non exinanisse.* *Rom. 1.* *† ψυχή, à ψύχω, quod est refrigerare, & frigus significat.*

tatem: Generalis enim illius disputatio est, animas hominum appellatas ex eo quod calorem pristini feruoris amiserint. Igitur si omnium animæ, recepto frigore sunt vocatæ, & confitetur animam habuisse Saluatorem, sequitur, vt & ipsam, de mente & sensu, dicat ad huiusmodi vocabulum commigrasse. Quod licet sermo nec taceat, apertaque impietas illius insaniam reprimat: tamen ipsa dicere necessitate compellitur, quæ prioribus dictis, † ordine nectit sequentia. Aut enim negare debet habuisse animam, Saluatorem, vt apertissimè contra Euangeliorum veniat auctoritatem: aut si nō potest sibi contraria loqui, etiam hanc ex frigore charitatis, † de mente & sensu, confitebitur animam nuncupatam: omnium quippe animas, qui recesserint à Deo, & calorē diuinæ charitatis amiserint, ex frigore æstimat appellatas. Quis non credat, eum, hoc sacrilegij fine cōtentum? † Aliam rursus Filio Dei nectit calumniā, & ijs verbis loquitur: Si sicut Pater & Filius vnum sunt, ita & anima quam adsumpsit Filius, & ipse Filius Dei vnum sunt. Nec intelligit, Patrem & Filium, vnum esse propter communionem substantiæ & eandem diuinitatem, filium autem & animam eius, diuersæ & multum inter se distantis esse naturæ. Etenim si sicut Pater & Filius vnum sunt, & anima Filij, & ipse Filius vnum sunt: vnum erit pater cum anima Saluatoris, & ipsa dicere poterit: *Qui videt me, videt & Patrem.* Sed non est ita, absit hoc ab Ecclesiastica fide: Filius enim & Pater vnum sunt, quia non est inter eos diuersa natura; Anima autem & Filius Dei, & natura inter se discrepant & substantia, eò quòd & ipsa à Filio condita sit, nostræ conditionis atque naturæ. Si enim sicut Pater & filius vnum sunt, sic anima Filij Dei, & ipse Filius vnum sunt, vnum erit (vt iam diximus) anima & Deus Pater; & anima Saluatoris, splendor gloriæ & forma substantiæ eius esse credetur. Verùm, hoc dicere, impium est atque blasphemum. Eiusdem igitur impietatis est, Filium & animam illius, vnum dicere; cuius, Patrem & Filium, vnum negare. Rursum immemor sui, contraria sibi loquitur, ait enim: Anima quæ turbata est, & tristis effecta, non erat ipsa Vnigenitus & primogenitus omnis creaturæ, nec Verbum Dei, quòd conditionem animæ superans, & verè Filius Dei, in Euangelio loquebatur: *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi illam.* Ergo si melior est & potentior Filius Dei anima sua (quod nulli dubium est) quomodo anima illius in forma Dei esse poterat & æqualis Deo, quam cùm dicat, se euacuasse & serui adsumpsisse formam, omnes Hæreticos magnitudine blasphemiæ superat. Si enim in forma Dei & æqualis Deo, Verbum Dei est, in forma autem Dei & æqualitate eius, anima Saluatoris est, quomodò poterit, inter æqualia, aliud esse maius, aliud minus? Ea enim quæ inferioris naturæ sunt, sublimiorem naturam atque substantiam, sui defectione, testantur. Non ei sufficit ista blasphemia, sed trans flumina Æthiopiæ currum † stultitiæ suæ dirigens, iterum furibundus exultat, tot, dicens, voluntate sua Deum condidisse rationabiles creaturas, quot poterat gubernare: vt virtutem Dei, imbecillitati hominum & cæteris quæ creata sunt, comparet. Nam in humano corpore, tot fortitudo eius membra substentat & regit, quot potest ex eis infusa vegetare, & eam nobis tribuit temperantiam, quam valet sua præsentia regere, tantùmque virtute sustentat, quantum possunt membra hominum sustinere. Deus autem maior iis quæ ipse fabricatus est, cùm illis mensuram in creatione præstiterit, quam rerum ordo poscebat, & quo amplius sustinere non poterat: plus potest quàm ea quæ facta sunt, capiunt. At ille columen veritatis, terminabilem Dei adserit fortitudinem, & minorem artibus hominum: cæmentarij quippe, & ij qui struendarum domorum callent scientiam, maiora possunt ædificare quàm fecerunt, si tamen queant fundamenta sustinere quæ super ædificanda sunt, nec fabricatio, cogitationis artium, finis est. Cumque opera tanta perfecerint, quanta rerum necessitas flagitabat, habeantque mensuram vltra quam si fuisset aliquid extructum, indecens & inutile probaretur, ars ipsa plus mente continet quàm opere demonstrauit: nec fine rerum, finis imponitur scientiæ; si tamen, vt dixi, quicquid mens conceperit, & magnitudine operum cogitatio dilatarit, possint ea quæ subiecta sunt sustinere. Et quomodò non impium est humanæ arti finem non imponere, nec operibus suis artificum scientiam coæquare, & Deum tanta fecisse dicere rationabilium creaturarum, quanta facere poterat? Audiat ergo & discat impius, quòd non tanta est virtus Dei, quantas fecisse dicitur rationabiles creaturas, sed imponens mensuram operibus, vltra quam esse non poterant, & rerum numerum, dispositionis suæ arte concludens, ipse mensura & numero non tenetur. Ex quibus liquidò apparet, non eum tanta fecisse, quanta *poterat, sed quantum* rerum necessitas expetebat, tantum eius fecisse virtutem. Ponamus exemplum, vt quod dicimus manifestius fiat: Si quis opulentus paterfamilias, conuiuas ad cœnam voluerit inuitare, & tantas offerre dapes quæ implere possint auiditatem cœnantium, non statim quantum illi comederint, & quantum eis fuerit præparatum, tantùm diues Dominus habere poterat, sed præbuit eis quantùm conuiuij dignitas exposcebat: sic & omnipotens Deus, vincens comparationis exemplum, non tantas fecit creaturas quantas poterat, sed tantæ ab eo factæ sunt, quantæ debebant fieri. At ille, verbositatis seminarium contexit & replicat, & ait: Tanta fecit Deus, quanta poterat comprehendere, & sibi habere subiecta, suáque prouidentia gubernare. Nec audit Prophetam dicentem: *Si omnes gentes vt stilla de situla, & sicut momentum stateræ computatæ sunt, & quasi saliua deputabuntur, cui adsimilastis Deum?* Et rursum: *Quis mensus est manu aquam, & cælum palmo, & omnem terram pugillo?* Si ad cōparationem fortitudinis Dei, aqua mensuratur manu, & cœlum palmo, & omnis terra pugillo: hæc autem per metaphoram dicuntur, vt eorum, quæ facta sunt, vtilitas ex factoris magnificentia comprobetur (neque enim diuersitate membrorum compositus est Deus) quomodo tanta fecisse dicitur, quanta poterat sua virtute comprehendere? Calcemus quod cœpimus, & sensum nostrum pleniùs explicemus. Si omnes gentes quasi stilla de situla, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi saliua reputabuntur (per quæ verba, omnium creaturarum vilitas, & parua substantia demonstratur, vt appareat incomparabilis sublimitas Dei) ergo & fortitudo eius sicut stilla de situla, & sicut momentum stateræ, & saliua hominis reputabitur, si iuxta Origenem tanta fabricatus est quanta poterat sua virtute comprehendere; & necesse est, numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coæquari; si tamen non potuit facere maiora quàm fecit. Verùm non puto quempiam; non dico hominum, sed ne dæmonum quidem, hæc de eo audere confingere, quæ ille & sensit, & scripsit; tantam, Deum, fecisse materiam, quantam ornare poterat & in rerum formas diuidere. Quæ sentiens, rursum discat à nobis; non quanta fecit Deus, tanta facere poterat; sed quantam mensuram rerum ordo poscebat, tanta fabricatus Deus, multò maiorem habens & artem & fortitudinem; quàm, ea quæ facta sunt; numerum atque mensuram. Et hoc sciat Prophetarum testimoniis cōprobari, è quibus ait: *Operuit cælos virtus eius.* Et alter clamitat. *Terram autem sicut nihili fecit;* vt maiorem Dei esse virtutem, iis quæ facta sunt, prædicarent. Porrò quod dixit; *terram sicut nihili fecit;* de vniuersis creaturis, Apostolus interpretans loquitur: *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint.* Vt & per hæc verba discamus, maiorem esse fortitudinem Dei, quàm ea quæ ab illa facta sunt. Et non erubescit, contra Dei fortitudinem disputans, dicere; quòd tantùm possit Deus, quantùm ei ad operandum materia ministrarit: nec intelligit aliam na-

Margin notes: † Dath. — † Vel vt paulò supra, quæ primi mentis & sensus erat. — † Hæc citat Theodoritus Cyprensis in Eranistæ, Dialogo 1. — Animā & Filiū Dei vnū esse Origenes affirmat. — Ioan. 14. — Ioan. 10. — Origenes omnes Hæreticos vincit. — † Cursū. — Derogatione error Origenis. — Dei potentia limitata. — Artifices maior sunt. — Elegans comparatio. — Origenes sermonaris loquacitatis. — Isa. 40. — Origenis error de Materiā creatione. — Roman. 4.

tetam esse factorum, & aliam eius qui factor est Deus; neque posse tantum illam de qua aliquid fit, quantùm is potest qui ea ea aliquid fabricatur: diuersarũ enim substantiarum, diuersa est virtus atque conditio. Quapropter, si volunt cũ Ecclesia Dominicum Pascha celebrare, qui auctoritati Scripturarum, Origenis præferunt deliramenta; audiant inclamantem Deum: *Et non ostendi illa tibi vt ambulares post ea.* *Zach. 2. 6.* Ac Prophetam lachrymabiliter cõmonentem: *O ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quia à quatuor ventis cõgregabo vos, in Sion saluamini, qui habitatis filiã Babylonis.* Vt erroris tenebras frigusque ignorantiæ relinquentes, ad ortum Solis iustitiæ, iuncti Magorum studiis, conuertantur; & inhabitantes calidissimam plagam cœli, quæ in Scripturarum feruore sentitur, pastores Ecclesiasticos, spreta Origenis amentia, sciscitẽtur, & dicant: *Vbi est qui natus est rex Iudæorum?* *Matt. 2.* Cùm illum inuenerint iacentem in præsepi; humili videlicet eloquio Scripturarum; offerunt ei aurum, & thus, & myrrham, id est, fidem probatam & omni veritatis splendore fulgentem, conuersationis bene-olentis fragrantiam, & continentiam; luxum voluptatis, & fluitantia carnis incentiua siccantem. *Præsepe Christi Magorũ munera.* Qui enim post crebras commonitiones, Ecclesiasticæ fidei contradicunt; duplici languore retinentur; nequitia & imperitia, & in morem serpentium toti ad terrena conuersi adhærentesque humo, bonis mala præferunt; nec nouerunt quæ sit differentia vitiorum atque virtutum, & de sanctis Scripturis, in correptionem, & sanitatem sui, medicamenta contemnunt, in morem prægnantium mulierum, veritatis fastidia sustinentes, quæ solitos cibos respuunt, & noxia quæque sectantur, nec valent contra veritatis radios, clarum animæ lumen intendere, despicientes Ecclesiasticam disciplinam, quasi porci volutantur in cœno, & vnguenta contemnunt. *Hæreticorum morbi.* Sed iustum est, vt saltem de exemplis, quæ inferimus, recipiant sanitatem: sicut enim osculo officit lippitudo, & totum corpus populatur febris, æs quoque & ferrum paulatim rubigo consumit; ita dogmatum peruersorum perniciosa contagio, animarum negligentium pulchritudinem violat, & deformes eos mendaciorum pallore perfundit. *Errores animæ sunt pro rubigine.* Obsecro, Fratres, vt ignoscatis dolori meo, sceleratas doctrinas in medium proferenti: Licet enim per Babyloniæ flumina transierimus, vt captiuos ibidem commorantes ad festiuitatem Hierusalem pergere suaderemus, tamen misericordia Dei, ipsi captiuitatem non sensimus, prosperis ventis Scripturarum vela pandentes, Nec obruerunt nos doctrinæ hæreticæ gurgites intumescentes, nec mendaciorum tempestas terruit, neque torrentes iniquitatis in medio eorum pelago pertraxerunt, vbi iuxta Psalmistam canentem, *reptilia quorum non est numerus*, & Draco, diabolus commorantur, venenatissimum animal sanctorum lusibus patens: nec, vt cuncta breui sermone concludam, ex omni parte ventorum flabra consurgentia, Ecclesiasticam nauem subuertere potuerunt, & studiorum nostrorum, sæuo turbine, operire remigium. Et cum Saluatore Domino, *Marc 6.* instar discipulorum illius, nauigantes transfretauimus, & portum quietis intrantes; pulcherrimum diuinorum voluminum litus amplectimur, varios carpentes flores scientiæ, & niuea membra sapientiæ pressis figentes oculis, in eius hæremus amplexibus, & si Dominus concesserit, viuentes cum ea, & in illius perseuerantes amore cantamus; *Amator fui pulchritudinis eius.* *Sap. 8.* Quotquot enim diligentius Scripturas sanctas legunt, & per picta sermonum cœlestium prata discurrunt, hac beatitudine perfruentur. Qui autem relinquentes dominicæ Solennitatis virorem, ad deserta transcendunt, in morem vrbium, quæ absque muro sunt, hostiles dæmonum impetus sustinent. Quapropter imminentia festa celebrantes, intelligamus & nosmetipsos, & vniuersa quæ nostra sunt, scientiamque & rationalem animam nostram, quasi matrem cunctis studiis amplectemur, habentes radicem sermonis atque rationis, scientiæ notionem, sermonem autem, vt ita dicam, operis vestibulum. *Sermo debet vestibulum esse Operis vestibulum.* A Porrò: Opus, sermonis & scientiæ, ædificij tecta perfecta, † & sublimissimum domus culmen impositum: Sermo enim & ratio & scientia & fides, absque opere, cassa sunt & instabilia. Et vt aliquid propter eos qui Dialecticis artibus instituti sunt, ea illa doctrina videamur adsumere, quomodò, si Verbum Nomini coniungamus, perfectus sensus efficitur, Verbumque si solùm fuerit, aut nomen sine verbo, nihil est omnino quod dicitur: sic scientia absque opere, & opus sine fide infirma sunt & caduca: & econtrario scientia operi copulata, perfectæ virtutis indicium est. *† Forte melius, perfecti, vt & paulò post imponitur pro imposuim, nisi forte malis adducere verbum est.* Tacita quippe animi cogitatio, arcanus eius est sermo, qui, per linguam, forinsecus resonans, profert mentis sententiam. Cùmque sermo fuerit opere consummatus, scientiæ & cogitationi nostræ, *Scientia & fides absque Opere irrita est.* B finis imponitur. Atqui cogitationis, & sermonis, & operis reddemus rationẽ in iudicio, *accusantibus se inuicem cogitationibus nostris, siue defendẽtibus in die qua iudicaturus est Deus abscondita hominũ per Iesum Christum*, sicut Paulus Apostolus scribit. *Rom. 2.* Quòd cùm ita sit; adpropinquante festiuitate Domini; dicamus ad eos quos Origenis error inuoluit, & fraudulentia captiuos tenet: *fugite de medio Babylonis, & resaluate vnusquisque animã suam.* Quamuis enim, iuxta vaticinium Prophetæ, Babylon, calix aureus esse dicatur; & compositione ac lepôre verborum, veritatis pulchritudinẽ præferat, & *transfiguret se in Angelum lucis*; tamen sciendum, quòd quicunque bibunt de vino illius, mouentur & corruunt; & contritu, lamentatione sunt digni. *Ierem. 51. Babylon calix aureus.* Nos autem mortiferis perturbationibus resistentes, muro continentiæ vallemus C animam; & libertatem illius, quotidiana virtutum exercitatione, tueamur. *Murus continentiæ. Animæ libertas.* Sicut enim vendiri serui, eorum qui pro eis dedere precium, & famuli & verberones vocantur; ita qui animas suas variis vendidere desideriis, horum quibus se tradiderint, famuli nuncupantur, & quasi crudelibus obediunt dominis. Cùmque & emendatores erroris sui, rigida fronte, contemnant, temeritate stultitiam defendentes; ignorant quòd audacia nihil sit aliud, vt mihi quidem videtur, nisi absque sensu & cogitationa sententia, procul à se fugans gubernatorem perturbationum, animum. *Stultitiæ defensio audacia quid sit.* Cumque tali fuerit spoliata præsidio, præceps in profundum fertur impietatis, & quasi quodam amarissimo reumate lumen mẽtis obscurat; oculumque eius secundum eloquium Scripturarum, intractabili tenebrarum nocte circumdat. Vnde D qui Origenis erroribus delectantur, festiuitatis Dominicæ non spernent præconia; nec vnguenta, aurum, & margaritas quærant in luto; neque matrem suam, Ecclesiam, quæ eos genuit & nutriuit, in magnis vrbibus lacerent; qui aliquando nostri, nunc propter illum & discipulos eius, Gentilium in nos odia superant, & in dilectione eorum, in nos maledicta congeminant; diuitúmque obsident fores, nec audire metuunt cum Iudæis; *Filios genui & exaltaui, ipsi autẽ me spreuerunt.* *Esaiæ 1.* Qui mihi videntur nescire; omne verbum, veritatis non habens fundamentum (Et si ad horam, audientem illaqueasit vt putet verum esse quod non est) paulatim dissolui & in nihilum redigi; vninersamque sententiam, quæ in morem Torrentis de pessima mente profertur, obruere authorem suum: & literas syllabasque, quibus erat con E texta, perdentem; absque sensu & sono & vlla imagine derelinqui: & instar venenatissimi colubri percutere prolatorem suum, statimque retrahere caput; & quasi in foramine mentis, tabescere atque consumi: nam mendaciorum finis, interitus est. *Verbum non habens fundamentum veritatis paulatim dissoluitur.* Illi qui quondam iactabant se solitudinis amatores; saltem paruulam, ad occultanda maledicta, super labia furoris sui ædificent cellulam; nõ de sanctis Hierusalem lapidibus, sed informibus Babylonis saxis, quæ indolata & inæqualis, ruituræ domus parietes fulciant. Quanquam effœminatis auribus & Gentilium odiis, se, nostri detractione commendent, carpentes Ecclesiasticam disciplinam: & patientia nostra, quasi quodam temeritatis fomite, abutentes: tamen

men aliquando taceant & quieſcant, & audiant Prophetam dicentem; *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua,* A *ne loquantur dolum.* Deſiderentque ea ſapere, quæ digna ſunt vita ſolitaria, & Eccleſiæ principem ac magiſtrum non contriſtent Deum.

*Pſal. 33. & Hier. 9. Orandũ pro hæreticis.* Vos autẽ obſecro, Fratres, vt in commune oremus pro eis, & prophetali voce dicamus; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte vulneratos filiæ populi mei:* Dei miſericordiam deprecantes, vt liberet eos errore quo vincti ſunt: & odiũ quo aduerſum nos fruſtrà inſaniunt, amore commutent. Vnde & nos obliti iniuriarum, indulgentiſſimo eos cupimus recipere ſinu; & illorum ſanitatem & conuerſionem ad Deum, propriam ſanitatem & gloriam computamus. Et ſi aliter non poſſunt curari niſi noſtra humilitate, vltro eis ſatisfacimus: nihil eis tulimus, nihil nocuimus, tametſi indignantur & ſæuiunt contra Eccleſiæ medicamina, quibus vulneratis ſanitas redditur. B Nos, quæ ſcimus loquimur, & quæ didicimus, prædicamus, orantes vt qui Eccleſiaſticas deſpiciunt regulas, normam recipiant veritatis, nec propter hominum confuſionem, per quam difficulter errantes corrigi ſolent, perdant vtilitatem pœnitentiæ. Et nunc dicimus, & idem frequenter ingerimus, vagari eos nolumus, nec per alienas errare prouincias; ſed ad extorres & furibun-

*Hier. 31.* dos cum Propheta clamamus, & loquimur: *Saluamini de terra, & reuertimini, & nolite ſtare, recordamini, qui procul eſtis à Domino, & Hieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.*

*Frigus odiorũ.* Forſitã hæc audientes, Eccleſiaſticæ cõgregationis amor ſubeat, & recordẽtur fraternæ in cõmune lætitiæ: hymnorum, quibus, cum cæteris, Dominũ concinebant; C frigusque odiorum, dilectionis calore commutent: & intelligant; nos medicos, non inimicos, indulgentiſſimos partes, non hoſtili tumentes ſuperbia. Neque enim fieri poteſt, vt quos ſaluari volumus, perire cupiamus, & non eis, Eccleſiaſticam virgam, conuerti in baculum, ſi tamen relinquentes errorem, veritatem ſequi velint, & omittere temeritatem laſciuientium puerorum. Sin autem reſpuunt eam, & cõtemnentes Eccleſiaſticam diſciplinam, eleuant cornu ſuum contra regulas eius, & ſalu-

*Deut. 17.* taria ſpernentes conſilia, proiiciunt retrorſum, audiant Dominũ comminantem: *Homo qui fecerit in ſuperbia, vt non audiat ſacerdotẽ qui ſtat ad miniſtrandũ in nomine Dei ſui, vel iudicem, quicũque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, & omnis populus audiens timebit, & nõ impiè aget vltra.* Verũ ne occupati circa vulneratorũ curationem, noſtri immemores ſimus, &

*1 Cor. 9.* propria negligamus, ac iuxta quod ſcriptum eſt, *Aliis prædicantes, ipſi reprobi inueniamur,* commonemus, Stãtes,

*Paſcha quo pacto rectè celebretur.* vt caueant ne dum iacentibus manum porrigunt, ipſi corruant; & vt ſeruantes Eccleſiaſticam diſciplinam, futurum iudicium reformidẽt. Igitur Dominicum Paſcha celebrantes, ſanctis Scripturarum purificemur eloquiis,

*† Alias fortitudinem præſumentes iacentẽ, &c.* & ad trophæa Saluatoris reſpicientes, cuncta offendicula, quibus vitæ noſtræ curriculum retardatur, auferamus è medio: Auaritiam, quaſi fœneratorem peſſimum, declinantes, vanæ gloriæ cupiditatem, vt inſatiabilem iugulemus feram, & fornicationis blandum ac lubricum colubrum, ſollicita mente vitemus. Si quando no-

*† Alias, & ſcientes nos hoc ſibi lubricæ principium.* bis proſperitat rerum aura ſucceſſerit, humilitate & E manſuetudine, tumorem animi temperemus. Si aduerſi venti flauerint; † fortitudine, preſſum & iacentem animum, ſuſcitemus: ipſique, noſtri peccati accuſatores ſimus; † vt ſcientes, noſmetipſos corripiamus: & iugi meditatione virtutum, libertatem animæ, quæ vitiis oppreſſa eſt, recuperemus. Quapropter poſiti in certami-

*Impoſſibile eſt autem Solennitatem Domini dignos fieri niſi ſcientes, &c. Diuites tapetes.* ne & ſudore ac labore præſentium, futuram nobis Solennitatis cœleſtis gloriam præparantes, priuſquam ſtemus ante tribunal Chriſti, præterita peccata, pœnitentia corrigimus, præſenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conſcientiæ in morem apium, noxios peccatorũ fucos repellamus, plena ceris ac melle aluearia reſeruantes. Curemus diuerſa vitiorum vulnera; & rapinas diuitum, quibus vel maximè hoc hominum capitur

A genus, crebris commonitionibus reprimamus: & ſic poterimus imminentium ieiuniorum iter carpere, inci-

*Quadrageſima obſeruatio.* pientes Quadrageſimam à triceſima die menſis Mechir: & hebdomadam ſalutaris Paſchæ, quinta die Menſis

*Hebdomada Paſchæ; 7. Hebdomadæ Pentecoſtes.* Pharmuthi; finientẽſque ieiunia, ſecundum Euangelicas traditiones, veſpere ſabbati, decima die Pharmuthi: & illuceſcente ſtatim Dominica, feſta celebremus vndecima die eiuſdem Menſis; iungentes & ſeptẽ reliquas hebdomadas ſanctæ Pentecoſtes, vt cum iis qui Trinitatis vnam confitentur diuinitatem, in cœlis præmia recipiamus in Chriſto Ieſu Domino noſtro; per quem & cum quo, Deo Patri gloria & imperium, cum ſancto Spiritu, in ſæcula ſæculorum, Amen.

*Oſculũ ſanctum.* Salutate inuicem in oſculo ſancto: Salutant vos omnes qui mecum ſunt fratres. Et hoc neceſſario ſcribi- B mus, vt ſciatis pro ſanctis & beatis Epiſcopis, qui in Domino dormierunt ordinatos eſſe; in Lemnado, † pro Heronc, Naſeam: in Erythro, pro Sabatio, Paulum: In Omboes, pro Syluano, Verrem. † His ergo ſcribite, & ab iis accipite Pacificas iuxta Eccleſiaſticum morem, literas.

*† Limnado.*

*† Verſio Pacificæ Epiſcoporum.*

à Nulli enim dubium. *Hæc citat Theodoritus Cyrenſis, in Eraniſte, Dialogo 3. ex Theophylacti Epiſcopi Alexandrini feſtiuo Tomo: Quo loco, proinde, non dubium eſt quin pro* Theophilo *perperam legatur* Theophylacto: *Inſuper Epiſtolam hanc, feſtiuum Tomum nominari; quod de Paſchali feſto, ex proprio inſtituto agat.*

*Theophili, Alexandrinæ vrbis Epiſcopi, ad totius Ægypti Epiſcopos, Epiſtola Paſchalis ſecunda, D. Hieronymo interprete.* C

*Exhortatio ad feſtum & gaudium Paſchale.* CHriſtum Ieſum Dominum gloriæ, Fratres chariſſimi ruſum conſona voce laudemus, & alacres adorantes, Prophetæ verba complentes, qui dicit: *Cantate Domino hymnum nouum,* quotquot fidei perducentis ad regna cœlorum participes ſumus, ſanctæ ſolennitatis ſuſcipiamus aduentum; & imminentia feſta, totius nobiſcum vrbis feſtiuitate celebremus: clamante vno de ſapientibus. *Veni, comede in lætitia panem tuũ, & bibe in corde bono vinum tuum, quoniam cõplacuerunt Deo opera tua.* Qui enim bonorum operum ſunt; & lacte infantiæ derelicto, ſolidioris cibi alimenta ſuſcipiunt; diuinos ſenſus altius intuentur, & ſaturati ſpiritali cibo, laudato- D rem & teſtem vitæ ſuæ habent Deum: & ad iſtiuſmodi cõuiuas Eccleſiaſtes loquitur: *Omni tempore ſint veſtimenta*

*Eccl. 9.* *tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Vt virtutum veſte circundati, ſplendorem Solis imitemur, & quotidiana lectio ſanctarum Scripturarum, infundat oleum ſenſui ſuo, & paternæ mentis lucernam, quæ iuxta

*Matth. 5.* præceptũ Euangelii, *luceat omnibus qui in domo ſunt.* Igitur conuiuas tales, & qui ſic paſſionis dominicæ feſta concelebrent, æmulantes; cum Sancto dicamus; *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum.* Feſtinemuſque ad Angelorũ metropolim, quæ libera eſt,

*Pſ. 103.* & nulla malitiæ ſorde maculatur: in qua nec diſſenſiones ſunt, nec ruinæ, & de altero ad alterum tranſmigratio: omnique voluptate calcata, & compreſſis luxuriæ fluctibus, qui aduerſum nos crebrius intumeſcunt, cœ- E leſtibus miſceamur choris; vt iam nunc, illuc mente tranſlati, & auguſtiora videntes loca; ſimus quod futuri ſumus. Qua beatitudine indignos ſe fecere Iudæi, qui

*† Pauperes intelligentiæ acquieſcentes magiſtris, vſque &c. Pſal. 94. Pſalmo 117.* ſcripturæ ſanctæ opibus derelictis, & † paupertati intelligentiæ adquieſcentes; magis vſque hodie audiunt: *Semper errant corde.* Et nolunt præſente Chriſto dicere, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* Præſertim cũ, omni voce, opera clariora, Deum illum eſſe teſtentur; & nequaquam dicere; *hæc dicit Dominus;* ſed *ego dico vobis:* Per quæ oſtendit ſe latorem legum, & Dominum Deum verum, & non eſſe vnum quemlibet Prophetarum; neque enim diuinitatem eius, quæ nullis locorum ſpatiis circumſcribitur, adſumptio ſeruilis formæ

poterat obscurare: nec angustia humani corporis, ineffabilem maiestatis terminare virturem, eius quem operum magnitudo Dei filium comprobat. Nam cùm frementis maris elatos gurgites & instar montium intumescentes, tranquillitati subitæ reddidisset (Apostolorum nauicula de naufragio liberata) & imperium præsentis Domini, aquarum profunda sensissent: cumque collluctantibus ventis, & ex omni parte fluctibus excitatis, tanta discrimina Saluatoris iussione cessassent; quasi diuino spiritu afflati qui pariter nauigabant; *Vere*, inquiunt, *filius Dei es*: non ambigentes de diuinitate, cuius magnitudinem opera loquebantur. De illo enim prophetale vaticinium est; *Tu dominaris fortitudini maris, & motuum fluctuum eius tu comprimis.* Et ipse Propheta canticum signat, vt non solùm in verbo, sed & in virtute Deus verus, qui visus est, crederetur; excellentia operum, quod latebat, ostendente. Perfectus Deus propria voluntate quicquid humanæ fuit & naturæ & conditionis adsumens (absque peccato duntaxat, & malitia quæ nullam habet substantiam) infans nascitur, Emanuel adoratur; Magi de Oriente veniunt, Deum Dei filium genu posito confitentur: tempore passionis pendens in cruce, Solis obscurat radios, nouo inauditoque miraculo, diuinitatis suæ exprimens magnitudinem. Et indiuisus & inseparabilis, nec in duos Saluatores quorundam errore seiunctus. Vnde & ad discipulos loquebatur: *Nolite vocare magistrũ super terrã, vnus est enim magister vester.* Christus. Neque enim cum hæc Apostolis diceret, à corpore, quod patebat aspectui, diuinitatis excellentiam separabat. Nec quando vnum se Christum Dei filium testabatur, animam diuidebat & carnẽ: non alter & alter, sed vnus atque idem vtrunque subsistens; Deus & homo, dum seruus videtur & Dominus adoratur: siquidem in humani corporis vilitate, ineffabilem celabat Deum, & rursum fragilitatem carnis, diuinis operibus excedabat. Et ne vnus quilibet sanctorum, vt à plerisq; æstimatum est, crederetur; sed ille quem & Paulus ostendere volens, scribit: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Et iterum: *Mediator autem vnus non est, Deus autem vnus est.* Quia vnus filius Patris, nostrique mediator, nec æqualitatem eius amisit, nec à nostro consortio separatus est, inuisibilis Deus, & visibilis homo: forma serui absconditus est; & Dominus gloriæ, confessione credentium comprobatur. Neque enim priuauit eum Pater, naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo & pauper effectus est, nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo; sed Filium vnigenitum: *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nec similitudo nostra indiuitatis est mutata naturam; nec diuinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem; sed manens quod à principio erat, Deus verbum; & in se nos glorificans, non venit, vt iuxta Hieremiam diceret: *Heu mihi mater, vt quid me genuisti virum qui* † *iudicaret omnis terra?* non profuit mihi quisquam qui libertatem damnaturus aduenerat. Nec iuxta Esayam vociferabatur, *Væ mihi, quia cum sim homo, & immũda labia habẽs, & in medio populi immũda labia habentis habitẽ, Regem Dominum sabaoth vidi oculis meis.* Ipse enim erat rex gloriæ, vt in vicesimo tertio Psalmo scriptum est: In patibulo victor existens, & hostilia bella compescens; vt hominem fictum ex humo, cœlorum habitatorem faceret, & trophæi sui communione donaret. Igitur quanquàm hoc nolint qui eum putant in alium commutatum, Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in æternũ, nunquàm habiturus regni sui finem, iuxta sceleratum Origenis errorem; ne cessante regno etiam æternitate priuetur, sed coram omnibus loquens: *Ego in Patre, & Pater in me:* Et docere nos cupiens, quòd & Pater in Filio, & Filius in Patre creaturis omnibus imperaret, & hoc ipsum roborans inferebat, *Ego & Pater vnum sumus:* ne quis, vnum suum patrisque regnum, humanæ carnis occasione diuideret. Quòd si iuxta Origenis insaniam aliquando amissurus est regnum Christus vnigenitus filius Dei: quomodo ipse Apostolis loquebatur: *Ego & Pater vnum sumus:* non vnum postea habiturus imperium? vt scilicet hic habeat gloriam, quam ibi depositurus est. Et vbi erit quod semper Filius in Patre, & Pater in Filio est, si regnum Filij non erit certum? Verùm qui ita se habere contendunt; si tamen non egerint pœnitentiam, pereant, & ad hos, zelo fidei pietatisque commotus loquatur Moyses: *Maledictus in ciuitate, & maledictus in agro:* Psalmista pariter increpante: *Deficiant peccatores de terra, & iniqui vt vltra non subsistant.* Equidem scire non possum, qua temeritate, Origenes tanta confingens, & non Scripturarum auctoritatem, sed suum errorem sequens, ausus sit cunctis in medium nocitura proferre, nec æstimauerit vnquàm vllum hominum fore, qui suis adsertionibus contrairet. Si Philosophorum argutias propriis tractatibus miscuisset, & malo exordio in fabulas quasdam & deliramenta procedens, Christianum dogma ludum & iocum faceret; nequaquam diuinæ doctrinæ veritate vtens, sed humanæ mentis arbitrio; & in tantùm seipso magistro intumescens superbia, vt non imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus Spiritu sancto contulit cum prioribus Apostolis Euangelium, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset:* sed ignorans quòd dæmoniaci spiritus esset instinctu, sophismata humanarũ mentium sequi, & aliquid extra Scripturarum authoritatem putare diuinum. Quiescant ergo aliquando, qui regni Christi finem somniantes, verbositatis Origenis cupiunt esse parasiti, nec, cum Fidelibus ambulantes, fidem quam non habent simulent: quin potiùs discant, quòd omnis fraudulentia aliud, & aliud ostendat, vt sub virtutis specie vitia celare nitatur. Etenim cum crucis ignominia, quam pro nobis passus est, non amiserit Christus esse Dominus gloriæ, iuxta beatum Apostolum, clamantibus, contrà, Iudæis: *Qui destruis Templum, & in triduo ædificas, saluum te ipsum fac; si filius Dei es, descende de cruce.* Et carne patiens, pendénsque in patibulo, fortitudinẽ propriæ maiestatis ostendit, Solem de cursu quiescere faciens: & signorum magnitudine, plenam fidei vocem, Latroni extorquens; *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Nunquam post resurrectionis gloriam perditurus est regnum, licet innumeros contra eum Origenes, blasphemiarum lapides iactet. Aut cuius est consequentiæ, perpetuitatem regni discipulis polliceri, & dicere, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi:* & ipsum carere eo quod aliis tribuit; Vel quomodo scribente Paulo ad Corinthios, *Absque nobis regnatis, & vtinam regnaretis, vt & nos regnaremus vobiscum:* intelligi poterit, regnum Christi, post multa tempora terminandum? præsertim cùm Ioannes clamet: *Et qui desursum venit, super omnes est:* Et Apostolus scribat: *Quorum patres, & ex quibus iuxta carnẽ Christus, qui est super omnia Deus benedictus in æternum.* Itaque nulli dubium est, quin qui Deus permanet in æternum, simul habeat & regnum, & super ipsos quoque, quos regni possessione donauit, rex perpetuus appelletur, congruum habens diuinitatis imperium, nec quicquam in se rude & nouum nisi adsumptionem fragilitatis humanæ. Si enim iuxta Origenis insaniam, post multorum circulos sæculorum, Christi regnum est finiendum, consequens impietatis eius est dicere, vt & Deus esse aliquando desistat: & qui regni terminos ponit, cogitur idem de diuinitate sentire, quæ perpetuitatem imperij naturaliter possidet. Quod si regnat Sermo Dei, vtique Deus est, & hac ratione colligitur, quicunque tentauerit finem regno eius imponere, ad id eum deuolui vt Christum credere compellatur, & Deum esse desinere. Sed hæc garriat magister indoctus cum peccatoribus impiis, nos Christi regnum credamus æternum, & in solenni die cantemus cum Angelo, atque dicamus; *Regni eius non erit finis:* si enim vnum cum Patre est; nunquam ex eo quod vnum est, cessaturus est: & vnio Patris & Filij nunquam diuidetur in partes: nec quod dicitur

vnum

Marginal notes: Matth. 14. — Psal. 88. — Matth. 2. — Matt. 23. — 1. Tim. 2. — Luc. 3. — Hiere. 15. — † Qui iudicetur & discernatur omni terra non profui, neque profuerunt. — Esaia. 6. — Christi regnum esse perpetuum. — Deut. 28. — Psalm. 103. — Ludum hominũ fecit Origenes Christianismum. — Praedicti regnum Math. 27. — Luc. 23. — Matth. 25. — 1. Cor. 4. — Luc. 1. Æternum Christi regnum.

vnum ſunt, aliquando vnum eſſe deſiſtent. Faceſſant igitur ſtultiſſimi mortalium, immò *deſcendant in infernum viuentes*, ſicut Pſalmiſta teſtatur, & præcepro[r]eni impietatis ſuæ ibi eſſe cernentes clamitent: *Et tu captus es, ſicut & nos reputatus es; deſcendit in Infernum gloria tua: &c.* Talis paſtor gregis morbidi Chriſtum vbique ſuggillat iniuriis, & diabolum honore ſuſtollit, dum illum adſerit, purgatum vitiis atque peccatis priſtinam aliquando gloriam recepturum; & hunc regnare deſiſtere, ſimúlque cum diabolo ſub Patris imperio redigendum, vt magis ad Origenis blaſphemias quàm ad vociferationem Iudæorum Propheta mirabundus exclamet: *Obſtupuit cœlum ſuper hoc, & horruit valdè, dicit Dominus, eo quod duo mala fecerit* Origenes; Chriſtũ adſerens regnare deſinere, & diabolum ad culmen, de quo ceciderat, aſcenſurum. Talẽ ſceleris ſui profundum lacum fodiens, qui aquas continere non poſſit; æqualem (quantum in ſe eſt) diabolum facit filio Dei; dum illi detrahit regni gloriam ſempiternam, & imperio Patris eum ſubiicit cum dæmonibus.

*Dæmones ſaluandos aſſerit Origenes.*

Verùm iſtiuſmodi vox impia proteratur, vt ſciamus regnum Chriſti eſſe perpetuum, ipſo loquente ad Diſcipulos ſuos, *Vos perſeueraſtis mecum in tentationibus meis, & ego ſtatuo vobis teſtamentum æternum, vt bibatis & comedatis ſemper ſuper menſam meam in regno meo.* Quomodò enim impleri poteſt hoc quod dicitur, *ſemper*, niſi perpetuum regnum ſit & nullo fine claudendum? Quod & Magi intelligentes; verſi ad pœnitentiam ſtudioſiùs percunctabantur: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus vt adoremus eum.* Magi fatentur Chriſtum regem; & Origenes negat, dicens eum non perpetuò regnaturum, nec animaduertit ſe Iudæorum blaſphemiis ſimilem. Legimus in Euangelio, cùm Dominus atque Saluator, fortitudinis ſuæ & patientiæ exemplar oſtendens, crucem ſcanderet; Pilatus inſcripſit titulum, & poſuit ſuper caput eius.

*Luc. 22.* *Matt. 2.*

*Ioan. 19.* IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

*Iſtum titulum multi legerunt Iudæorum, qui erat ſcriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato principes ſacerdotum & Iudæorum, Noli ſcribere quod rex Iudæorum ſit, ſed quod ille ſe dixerit regem Iudæorum. Reſpondit Pilatus quod ſcripſi, ſcripſi* Cùm ergo Pilatus nec ſeditione, nec precibus ad hoc potuerit adduci, vt regnum Chriſti de Titulo tolleret, ſciat Origenes, abſque vlla neceſſitate ſe hoc facere quod fecerunt Iudæi, vt regnum Chriſti æſtimet terminandum. Illi quidem in terra poſitum, regem negabant, hic regnantẽ in cœlo, (quantùm in ſe eſt) detrahere nititur; vt accuſatorẽ ſceleris ſui habeat Pilatum, qui Iudæis reſpõdit; *quod ſcripſi, ſcripſi.*

*Origenes Pilato deterior eſt.*

Veniat & prophetalis ſermo in medium, ac regnum Chriſti tota prædicet libertate: *Gaude filia Sion, prædica filia Hieruſalem, lætare & exulta de toto corde tuo filia Iſrael, abſtulit Dominus iniquitates tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum, Rex Iſrael in medio tui, non videbis vltrà mala.* Neque enim quos ſemel ſaluos fecit, iterùm præcipitabit è cœlo: & dimittet iuxta Origenis deliramenta & fabulas, vt rurſum de ſublimibus corruant. Et hoc quod dicitur; *non videbitis vltra mala*, æternæ ſecuritatis iudiciũ eſt: quod qui ſemel fuerint liberati, & regni cœlorum poſſeſſione perfruiti, nequaquàm vitiis trahantur ad terram, nec Dei priuentur auxilio, qui eis, iuxta eloquiũ prophetale, *ponet murum & circa murale*, ſua eos virtute circundans. Vnde & Pſalmiſta canit: *Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.* Et Dominus proteſtatur: *Non te dimittam, nec deſeram.* Fruſtráque ſomniat aſcẽdere animas in cœlum, & deſcendere, & nunc proficere, nunc ad inferiora delabi? vt per ruinas innumerabiles ſæpe moriantur, & Chriſti paſſio irrita fiat. Qui enim ſemel pro nobis mortuus eſt, æternam nobis victoriæ ſuæ lætitiam dedit, quæ nulla vitiorum mole tenetur. Nec quiſquam hominum crebriùs moritur, quod Origenes auſus eſt ſcribere. Stoicorum impiiſſimum dogma, diuinatum, cupiens, Scripturarum auctoritate, firmare.

*Pſal. 124*

*Origenes Stoicorum dogmata confirmauit per ſacram Scripturam.*

Verùm quid iſta memoramus, cùm in tantam irruperit

A victoriam, immò dementiam, vt aliud Saluatori crimen impingat; dicens, eum & pro dæmonibus ac ſpiritalibus Nequitiis, apud Superos adfigendum cruci? Nec intelligit in quàm profundum impietatis corruat barathrum. Si enim Chriſtus pro hominibus paſſus, homo factus eſt, vt ſcripturarum teſtantur eloquia; conſequens erit vt dicat Origenes; *& pro dæmonibus paſſurus dæmon futurus eſt*: hoc enim neceſſitate cogetur vt inferat; ne ab eo quod cœpit, diſcrepare videatur imitator, & illi enim Chriſto ſimiliter loquebãtur; *Dæmonium habes: Et in Beelzebub principe dæmoniorum eiicis dæmonia.* Sed abſit vt pro dæmonibus Chriſtus paſſurus ſit, † ne & ipſe dæmon fiat. Et qui hoc credunt, rurſum crucifigunt, & oſtentui habent filium Dei; qui, nequaquam,

*Chriſtũ pro dæmonibus paſſurũ Origenes fingit.*

*† Non valet conſequentia.*

B *vt ſemen Abraham apprehendit*, ita adſumet & dæmonum, vt pro illis quoque crucifigatur. Nec dæmones, pro ſe, Deum in paſſione cernentes, cum Propheta clamabunt: *Hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet.* Neque cum Eſaia dicent: *Liuore eius ſanati ſumus*: Nec pro dæmonibus, ſicut pro hominum genere, *quaſi ouis* Chriſtus ducetur ad victimam: Nec, pro eorum ſalute; dicetur: *proprio filio non pepercit*, quia nec dæmones clamabunt; *traditus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit pro iuſtificatione noſtra.* Paulus quidẽ ſcribit: *Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quia Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas*: Illas, in teſtimonium, vocans; & volens, earum authoritate, firmare quod dubium eſt. Origenes autem, abſque vllo diuinæ vocis teſtimonio, vim facere nititur veritati; & ex-

*Eſa. 53.* *Hebr. 11.* *1. Cor. 15.*

C tincta lucerna inuenire eam, fautor dæmonum & non hominum. Crebris calumniis laceſſit filium Dei, & denuò crucifigit, non intelligens in quàm profundam & horribilem impietatis voraginem detrahatur. † Conſequens enim eſt, vt qui priora ſuſceperit, ſuſcipiat & quæ ſequuntur: & qui pro dæmonibus Chriſtum dixerit crucifigi, ad ipſos quoque dictum eſſe ſuſcipiat: *Hoc eſt corpus meum*, Et, *Accipite, & bibite; hic eſt Sanguis meus.* Si enim & pro dæmonibus crucifigetur, vt nouorum dogmatum adſertor adfirmat; quod erit priuilegium aut quæ ratio; vt ſoli homines corpori eius ſanguinique communicent; & non dæmones quoque, pro quibus in paſſione ſanguinem fuderit? Sed nec dæmones audient: *Accipite, & edite*: Et; *Accipite, & bibite*; Nec Dominus ſua præcepta diſſoluet, qui diſcipulis ait:

*† Vis eſt verè ſimiliter conſequens.*

*Matt. 7.*

D *Nolite dare ſanctum canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos, nè forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.* Nam & Apoſtolus, *Nolo vos participes dæmonum fieri, non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participari, & menſæ dæmoniorum*: impoſſibile eſſe demonſtrat, dæmones de calice Domini bibere, & de menſa eius participari. Cibus diaboli; negatores Dei ſunt, Abacuc loquente: *Eſca eius electa*, cibus autem impiorum omnium execrabilis ipſe diabolus. Prophetæ vaticinio concrepante: *dediſti eum eſcam populis Æthiopibus.* Ex quibus omnibus adprobatur, Chriſtum pro dæmonibus non poſſe crucifigi; ne dæmones, Corporis & Sanguinis eius participes fiant. Cùm ergo & Apoſtolus de Saluatore ſignificet quòd hoc fecit, *ſemel*,

*1. Cor. 10* *Cibus diaboli. Abac. 1.*

E ſeipſum offerens: & Origenes tam audaciter illius ſententiæ contradicat, tempus eſt illud inferre; *Terra, terra audi verbum Domini, ſcribe virum iſtum abdicatum.* Quis enim infernus hæc mala ſuſcipere poteſt? Qui Tartarus, de rebus iſtiuſmodi cogitare? Quæ Gigantum inſania tam rebellis extitit, & turrim impietatis extruxit? Quæ libido laſciuiens & dæmonum amore deperiens, ſic vniuerſo dogmati tranſeunti diuaricauit crura mentis ſuæ? Quis in tantum de Sodomitica vinea bibit, vt inebriatus vino furoris eius, toto corde conciderit? Quis Babyloniorum, ita, fluminum gurgitibus irrigatus, viuos Iſraël fontes reliquit? Quis egrediens de Hieruſalem, & Hieroboam filij Nabath imitator exi-

*Hier. 22*

ſtens, tot errorum altaria fabricatus eſt, & ararum profana thura ſuccendit? Cur Dathan & Abiron, qui minora peccarunt, non veniant ante tribunal Christi; & ſui comparatione condemnent eum, qui extra Eccleſiam Saluatoris variarum doctrinarum thoribula diabolico igne complenit? Neque enim Dominus qui loquitur per Prophetam; *Ego viſiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum adſimilatus ſum*, adulterinas cũ docuit proferre doctrinas: nec qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt verbi Dei; nec Prophetarum chorus, qui olim vocabantur Videntes; hæc eum inſtruit: ſed ipſe, ſuæ mentis arbitrio, furori dæmonum ſeruiens, & blando cogitationum errore deceptus; gregem, &, vt ita dicam, examen dogmatum peruerſorum, per totum orbem immiſit mentibus indoctorum. Iſte eſt qui Aſſyrus, Babyloniiſque fluminibus aperuit os ſuum; qui nauem Eccleſiæ, bonarum mercium plenam & doctrinæ ſalutis, fluctibus operire conatus eſt, dum Imperatorum laude ſuſtollitur, & ſcripturarum ſenſum aliter quàm ſe habet veritas, ediſſerens, gloriatur in confuſione ſua. Quis enim tam innumerabiles, & garrulos, & verboſitatis atque imperitiæ plenos conſcripſit libros, & infatigabili ſtudio dies noctéſque coniunxit, vt errorum monimenta dimittẽs, mereretur audire: *Multis itineribus tuis deceptus es!* Vſus eſt enim duce peſſimo, Aura populari; & plurimis falſę ſcientiæ voluminibus exaratis, ac rebelli contra Deum mente pugnans; vnguento cæleſtium doctrinarum, ſaniem quandam & pedorem ſui fœtoris immiſcuit, vt rurſum ad ſuam animam dicerent: *Immunda & famoſa, & nimia iniquitatibus.* Neque enim Prophetam audire voluit commonentem: *Quare diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Qui pro dæmonibus Christum adfigit cruci, vt non ſolùm Dei & hominum, ſed dæmonum quoque mediator fiat. Verùm abſit tam immane nefas de Saluatore credere, vt templum corporis ſui, quod pro nobis ſuſcitare dignatus eſt, amiſſurus; aliud ſibi templum dæmoniacæ conditionis adfigat; vt illorum quoque recepta ſimilitudine, pro ipſis patibulum ſubeat. Obſecro, Fratres chariſſimi, vt ignoſcatis dolori meo, doctrinis impiis reſiſtenti: dum enim impudentiam ſectatorum eius repercutere nitimur, compagem loricæ ipſius, & venenati pectoris fraudulentias in medium protulimus; vt illud quoque compleretur in eo: *Reuelabo ignominiã tuam, & oſtendam eam amatoribus tuis.* Nam inter cętera, etiam Reſurrectionem à mortuis; quæ ſpes ſalutis noſtræ eſt; ita corrumpit & violat, vt audeat dicere, corpora noſtra rurſum corruptioni & morti ſubiacentiã ſuſcitari. Reſponde mihi, ô impietatis caput, quomodo iuxta Apoſtolum Paulum vicerit Chriſtus, eum qui mortis habebat imperium; hoc eſt, diabolum: ſi corruptibilia & mortalia iterùm corpora ſurrectura ſunt? Quid nobis profuit Chriſti paſſio, ſi mors atque corruptio denuò noſtra corpora poſſeſſura eſt? Aut quid ſibi vult Apoſtolus, ſcribens; *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur*; ſi reſurgentibus, mors ſæua dominabitur? Vel quomodo, qui iſta credunt, poſſunt ex animo dicere; *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia*; volentes illo fortiorem eſſe mortem; quæ, ſuſcitata ab eo corpora, deletura eſt, nec proberut ex omni parte ſuperata? Verum & Origenem tam impiè reſiſtentem, Chriſtus Dominus noſter, & mortem vicit; & diabolum, qui habebat mortis imperium, ſua virtute deſtruxit, parato nobis in cœlo victoriarum ſuarum triumpho. Nec idcircò corpora ſuſcitabit, vt rurſum pereant; ſed, illorum incorruptione, perpetuam mortem corruptionemque deleuit. Vnde liberati à cunctis malis, paſſionis Dominicæ feſta celebremus: & iuxta Euangelij parabolam, cernentes à ſapientia immolati *tauros & altilia*, veſcamur fortioribus, pleniſque neruorum, & pinguioribus doctrinarum cibis; vt lac infantiæ deſerentes, ſolidiora capiamus alimenta, cauſamque malorum omnium fugiamus, imperitiam: quæ cum multorum, diuerſis hæreſibus,

*Acerbe contra Origen.* — *Nauis Eccleſia.* — *Origenis ſcondita.* — *Pſal. 4.* — *Error Origenis de corruptione corporũ ſuſcitatorum.* — *1. Cor. 15.* — *Matt. 22.*

A vinxerit pedes, Origene maximè ſui fruitur amatore, qui inter cætera auſus eſt dicere, Non eſſe orandum Filium, neque cum Filio Patrem; ac poſt multa ſæcula, Pharaonis inſtaurabit blaſphemiam, dicentis; *Quis eſt vt audiam vocem eius? neſcio Dominum. & Iſrael non dimittam.* Nec eſt aliud dicere, *neſcio Dominum*: quàm hoc quod Origenes, non eſt orandus Filius quem certè Dominum confitetur. Et quanquam ille in tam apertam prorupetit blaſphemiam, tamen orandus eſt; de quo, Propheta teſtatur dicẽs: *Et adorabunt te, & in te deprecabuntur; quia in te eſt Deus, & abſque te non eſt Deus.* Et rurſũ: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Et Paulus diſputãs, *Quomodo*, inquit, *inuocabunt, in quem non crediderunt.* Oportet primùm credere, quod Filius Dei ſit; vt recta & conſequens fiat eius inuocatio. Et quomodo orandus nõ B eſt, qui non eſt Deus; ſic econtrario, quem Deum eſſe conſtiterit, adorandus. Vnde & Stephanus poſitis genibus, & obſecrans pro his qui ſe lapidibus obruebant, dicebat ad filium: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. In nomine*, quoq; *Ieſu Chriſti omne genu flectetur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Quod autẽ dicitur; *genu flectetur*, ſolicitæ & humillimæ orationis indicium eſt. Itaque nec Deum credit Origenes, Filium Dei; quem non putat adorandum, & lacerat eum conuiciis: cumque ſibi in Scripturarum memoria blandiatur, & putet ſe eas intelligere; non audit contra ſe loquentem Moyſen: *Homo qui maledixerit Deum, peccatum habebit: & qui nominauerit nomen Domini, morte morietur; lapidibus obruet eum omnis multitudo.* At quis tantis Chriſtũ adficit contumeliis, vt hic, qui auſus eſt dicere, non debet orari: caſſum tan- C tum ei diuinitatis nomen indulgens? Verùm quid neceſſe eſt in tam impiis immorari? ad alium eius tranſeamos errorem. Dicit, corpora quæ reſurgunt, poſt multa ſæcula in nihilum diſſoluenda, nec futura aliquid, niſi cùm de cœlorum manſionibus, animæ ad inferiora dilapſæ indiguerint nobis; quæ alia rurſum fiant, prioribus omnino deletis. quis iſta audiens, non & mente & corpore pertremiſcat; Si enim poſt reſurrectionem corpora redigentur in nihilum; fortior erit mors ſecunda quàm prima, quæ delere omninò poterit ſubſtantiam corporalem. Cur Paulus ſcribit ſic, *Mors non dominabitur illius, quod enim mortuum eſt peccato, mortuum eſt ſemel*; ſi corpora delenda ſunt penitus? Aut quomodo hoc quod dicitur; *ſemel*; firmum erit, cùm caro, ab animæ conſortio ſeparata, redigenda ſit in nihilum? Qua ratione D rurſus adiunxit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur in ignobilitate, reſurget in gloria: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale?* Si enim incorruptio in nihilum redigit, conſequens fuerat dicere, corruptioni ea in perpetuum reſeruari, eſſetque fortior incorrupto corruptio. Sed abſit, Paulum contraria ſibi ſcribere, & incorruptionis eandem eſſe naturam. Quòd ſi, vt falsò putat Origenes, non ſolùm corruptibile, ſed & mortale corpus eſt ſuſcitandum, ergo vnum atque idem, corruptio & incorruptio, mors & vita dicentur, & eandem habebunt in ſuſcitatis corporibus poteſtatem; & nequaquam rebus, ſed tantùm nominibus corruptio & incorruptio, mors & vita ſeparabuntur: ſin autem corruptibile & mortale corpus reſurrecturum eſt, conſe- E quentius fuerat Apoſtolũ dicere: *Seminatur in corruptione, ſurget in corruptione. ſeminatur in infirmitate, ſurget in infirmitate: ſeminatur in ignobilitate. ſurget in ignobilitate, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus animale.* Quòd ſi corruptionem & infirmitatem & ignobilitatem amouet à corporibus ſuſcitatis: & dicit econtrario, incorruptione, & fortitudine & gloria, corpora veſtienda, & pro animali, ſpiritale corpus eſſe reddendum, ſoluta erit mors, & in corporibus ſuſcitatis, pro morte & corruptione, immortalitas incorruptioque regnabunt: quia & ipſum corpus immortale & incorruptum reſurget, vt poſſit permanere animæ coæternum. Igitur & Saluator pignus ſalutis, noſtris corporibus, in reſurrectione

*Origenes error de non orando Filium.* — *Neſcio dominũ.* — *Rom. 10.* — *Act. 7.* — *Genu flexio in Oratione quid indicat.* — *Leuit. 24.* — *Origenes credit corporũ abolendos reſurgentes.* — *Rom. 6.* — *1. Cor. 15.* — *Chriſti Reſurrectio.*

rectiunc sui corporis tribuens, non potest credi vltra moriturus, Apostolo in hanc sententiam congruente: A *Christus resurgēs ex mortuis, vltra nō moritur, mors nequaquàm dominabitur.* Nisi illius fuerit dominata, nec dominabitur nostri. *Origenis sententia de magia.* Confundatur Origenes, inter cætera flaginorum genera quæ confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, quod in Tractatibus suis, his locutus est verbis: Ars magica non mihi videtur alicuius Dei subsistentis vocabulum: sed & si sit, non est operis mali, ne quid habere possit contemptui. *Act. 13.* Hæc dicens vtique fautorem se esse demonstrat Elymæ Magi, qui Apostolis repugnauit, & Iamnæ atque Mambræ, qui Moysi, magicis artibus, restiterunt. Sed nullas, Origenis patrocinium, habebit vires, quia Christus Magorum præstigias suo deleuit aduentu. Respondeat nouæ impietatis adsertor, immò apertè audiat. *Idololatria nititura diabus artis magicæ.* Si non est malum ars magica, non erit malum, & idololatria quæ artis magicæ viribus nititur. Quòd si malum est idololatria, malum erit & ars magica, ex qua subsistit idololatria. Cùm autem idololatria Christi maiestate deleta sit, indicat, & patentem suam artem magicam, secùm pariter dissolutam, Propheta super hoc liquido proclamante: *Sta nunc in incantationibus tuis, & multis veneficiis tuis, quæ didicisti ab adolescentia tua, si potuerint prodesse tibi.* Cū igitur hæc Prophetarū scripta restentur, & nullus vnquam ausus sit memoriæ prodere, magorum artes inter optima quæque numerandas, *Leges publicæ magos & veneficos puniunt.* Leges quoque publicæ, Magos & maleficos puniant: scire non possum, qua ratione impulsus Origenes, qui Christianum se iactat; Sedechiæ Pseudoprophetæ æmulator existens, cornua sibi ferrea fecerit, quibus contra dogmata veritatis armatus incedat, nec sapiat quicquam de cœlesti Hierusalem, neque imitetur Moysen, & Danielem, Petrumque, & alios Sanctos, qui contra Magos & incantatores, quasi in acie stāres indefesso certamine dimicarunt. Cum quibus Festæ diei ducamus choros, quòd per media Babylonis pericula transeuntes, Origenis venena vitauimus, & obediuimus *Dan.* Prophetæ sermonibus, imperantis: *Egredere de Babylone, qui fugis de terra Chaldæorum*, vt ingrederemur Hierusalē, in qua prædicatio veritatis est. Quanquàm, mēdacio resistentes, passi sumus aliquid trium puerorum, qui in camino æstuantis incendij, flammarum vicere naturam: tamen non præualuit contra nos ignis Babylonius, nec capilli nostri adusti sunt, extrema videlicet Ecclesiasticæ dogmata veritatis, nec sataballa mutata, quæ in protectionem animarum, testimoniis Scripturę sanctæ, nobis sapientia texuit, nec odor ignis in nobis est peruersæ scientiæ flamma discutiens: non enim acquieuimus doctrinæ eius, qui propter lapsus rationabilium *Animas vnde nominatas dixerit Origenes.* creaturarum, corpora fieri suspicatur, & dicit, iuxta græci sermonis etymologiā, animas idcircò vocitatas, quòd calorem mentis, & in Deum feruentissimæ charitatis, amiserint, vt ex frigore nomen acceperint: ne & Saluatoris animam, iisdem subiacere næniis sentiremus. Solis quoque & lunæ ac stellarū cursus, & totius mundi pulcherrimam in diuersitate consonantiam, non adserimus, ex causis præcedentibus, variisque peccatis & animarum vitiis accidisse: nec bonitatem Dei multo tempore præstolatam, vt non ante faceret visibiles creaturas, nisi inuisibiles deliquissent. Nec vanitatem appellamus, substantiā corporalem, vt ille æstimat, aliis verbis in Manichæi scita cōcidens, ne & Christi corpus subiaceat vanitati, cuius edulio saturati, ruminamus quotidie verba, *Ioan. 6.* dicentis: *Nisi quis comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit partem mecum.* Nam si natura corporea vana est & futilis, iuxta Origenis errorem, cur Christus resurrexit à mortuis? quare nostra corpora suscitabit? *1. Cor. 15* Quid sibi vult Paulus scribens; *Si mortui non resurgent, nec Christus resurrexit, si autem Christus non resurrexerit, vana est fides nostra?* Ex quo perspicuum est, non corporum naturā esse vanam, sed eos credere vanitatem qui non putant eam resurgere & manere perpetuam. Honorabiles quoque condemnat nuptias, negās subsistere corpora, nisi prius animæ in cœlo peccauerint; vt A inde præcipitatæ, quasi quibusdā ergastulis, corporū vinctæ fuerint. Et ille quidē sentiat vt vult, loquatur vt non *Origenes corpora humana, ergastula quædam animarum finxit.* timet; audiat nos, cum Paulo, suis auribus inclamantes; *Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum.* Et quomodo immaculatū? si anima, vinis sordidata carne circundatur? Et culpæ subiacebit Anna vxor Helcanæ, semen virorū postulans; vt propter desideriū mulierculę, animæ in cœlis periclitētur; & vna earum, peccato graui *1. Reg. 1.* labatur in terrā, ac pristinam beatitudinem deserat. Nec Moyses imprecans & dicens: *Dominus Deus vester multiplicet vos, & ecce estis hodie sicut stellæ cœli in multitudine. Dominus Deus patrum vestrorum addat vobis sicut estis millies, & benedicat vt locutus est.* Hoc petebat; vt animarū in cœlo, cateruæ peccātes, Israëlitici populi genus cōderēt. Quod esse discrepās, apertissimè patet; vt qui pro B delicto populi precabatur: *Si dimittas peccatum hoc, populo dimitte; sin autem dele me de libro quem scripsisti.* Postulet multiplicari filios Israël, quos nouerat animarum ruinis crescere: & nō ecōtrario precaretur, ne propter vitia melioris substantiæ, natura vilior cōderetur. Cur Dauid imprecatur in Psalmo; *Psal. 127* *Benedicat te Dominus ex Siō, & videas quæ bona sunt in Hierusalem omnib. diebus vitæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum;* si animarum peccato, iusti viri augetur genus? Et audet dicere. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum*, cū sciat, animas delinquētes, corporū vinculis alligari; & in huiuscemodi carcere, iudicio Dei pœnas luere peccatorū? Quomodo Deus loquitur per Prophetā: *Si audisses præcepta mea, fuisset vtiq; quasi flumen pax tua, & iustitia tua sicut fluctus maris, & sicut arena semen tuum, & soboles vteri tui vt puluis terræ?* C Qui enim Dei præcepta conseruant, non debent accipere præmiū, animarū de cælo ruinas; quæ ligatæ corporibus, sobolis eorū incremēta multiplicent. Si autē volunt discere, quæ sunt humani generis exordia; audiant dicentē Moysem; *Tulit Deus de terra, & finxit hominem, & insufflauit in faciem eius spiritū vitæ, factus est homo in animā viuentem;* id est, immortalē. *Anima viuens quæ intelligatur Genesis 1.* Deus quoque benedicēs Adam, & Euæ, ait; *Crescite & multiplicamini, & replete terrā.* Si animæ post peccatū mittuntur in terras, vt nascantur in corporibus, non erat rationis, benedici Adā & Euę; cùm, causa peccati, maledictione potiùs mererentur. Deniq; postquàm blasphemauit eos; benedictionis vocibus prosecutus est, quos posteà, voluntate peccantes, maledictione percussit. Ex quibus colligitur, nequaquā D propter animarū peccata, corporū substitisse naturā. Audiant rursū dicentē; *Ego feci terrā, & hominem in ea.* Et *Hier. 27 Ps. 113.* Dauid *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Et cessent vltra cogitationū suarū errores sequi, & Scripturarū magis auctoritate ducantur. Sicut enim qui voluptatibus eneruati sunt, & quorū in pectore libido dominatur, contemplantes corporum venustatem, non quærunt morum pulchritudinem, sed membrorū, sensusque eorum prægrauatus fæce terrena, nihil altius intuetur: sic qui structa verborū compositione ducuntur, & capti eloquentiæ sono non intuentur dogmatum veritatem, erubescunt errorē pristinum confiteri; & arrogantiæ tumore cæcati, nolunt esse discipuli, ne postquā correcti fuerint, prius errasse videantur. Abiectis itaque Origenis malis, & Scripturarum, quæ vocantur apocrypha, id est abscondita, decipulis prætermissis (*non enim in abscondito locutus sum*, ait Dominus) iterū atque iterū Fratres charissimi, Dominicæ passionis festa celebremus fidē conuersatione decorātes: *Apocrypha dogma Paschatis celebratio Misericordia impangetur.* misericordia in pauperes, imitemur Deum cui nulla corporalium naturarū forma consimilis est. Habeamus in cunctos imaginem bonitatis eius, pœnitentia emendemus errores, oremus pro inimicis, pro detractoribus obsecremus, æmulantes Moysen, qui Sororis contra se loquentis culpam oratione deleuit. Oleo eleemosynæ, peccatorum sordes lauemus, Captiuorum vincula nos videantur adstringere, & propitium illis imprecemur Deum. Clausos carcere, humanitas diurna sustentet; & his quorum cor-

pora morbus Regius occupatur, & iugi tabe membra soluuntur, propter repositam in cœlis mercedem sollicito ministerio seruiamus. Si quando potestas iudicij nobis data fuerit, & inter animum ad nos fratrum caúsa delata; non sit personarum consideratio, sed rerum: corruentibus & in tribulatione positis, nos quoque tuamus affectu, leges normā teneāt veritatis, Charitas prona sit ad misericordiam; nō insultans peccantibus, sed condolens: facilis est enim lapsus ad vitia; & fragilitas cōditionis humanæ quicquid cernit in alio, in se debet pertimescere. Cumque alius fuerit pro errore correptus; illius emendatio, nostra sit cautio. & super omnia, quasi cúlmen & corona virtutum; pietas in Deum, toto cordis timore seruetur: execrantesque Deorum numerum, Patris & Filij & Spiritus sancti vnam confiteamur indiscretámque substantiam, in qua & baptizati, vitam æternam suscipimus. Et, si Dei tribuerit clementia; cū Angelis merebimur Dominicum Pascha celebrare; habentes Quadragesimæ exordium, ab octauo die Mensis, qui secundum Ægyptios vocatur Phamenoth. Et ipso prębente vires, attentiùs ieiunemus: hebdomadæ maioris; id est, Paschæ venerabilis, die tertia decima Mēsis Parmuthi fundamenta iacientes; ita dumtaxat, vt iuxta Euangelicas traditiones finiamus ieiunia, intempesta nocte, octauodecimo die supradicti mensis Pharmuthi. Et altero die, qui Dominicæ resurrectionis est symbolum; id est, nono decimo eiusdem Mensis; verum Pascha celebremus: adiungentes his septem reliquas hebdomadas, in quibus Pentecostes festiuitas texitur: & præbentes nos dignos cōmunione Corporis & sanguinis Christi. Sic enim merebimur accipere regna cœlorum, in Christo Iesu Domino nostro, per quem, & cum quo, Deo patri gloria & imperium, cum Spiritu sancto, & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum: Amen. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos qui mecum sunt fratres.

*Regius morbus cōmendatur homini misericordia.*

*Pietas, est virtutū caput.*

*Maior Hebdomada.*

*Ieiuniorū Quadragesimaliū finis.*

*Pentecoste. Communio corporis Christi.*

*Osculū sanctū.*

*Theophili, Alexandrinæ vrbis Episcopi, ad totius Ægypti Episcopos, Epistola Paschalis tertia. D. Hieron. interprete.*

NVnc quoque Dei viua sapientia, nos ad sanctum prouocat Pascha celebrandum, omnes cupientes eius esse participes: vnde propero ad illud currentes gradu; ieiuniis & continentia; omnique afflictione corporis pugnantes contra vitiorum industriam, voluptates redigamus ad nihilū, fulti Saluatoris auxilio: & peccata nostra Deo, qui sanare potest, simpliciter cōfitentes, verum conscientiæ iudicium formidemus, vt cum Dauid vociferātes atque dicentes, *Peccata adolescentiæ meæ & ignorantias ne memineris, secundum misericordiā tuam memor esto mei;* terrore ignis æterni, crescentia vitia consummemus quorum finis est, alia vltra non facere, & exordium salutis, præteritorum obliuio. Sicut enim principiū viæ bonæ, facere iusta: sic exordium cessantium peccatorum eorum impetus cohibere, dum aut ratione frænantur, aut metu ad præcipitia non veniunt. Cumque Legis fuerit in animo recordatio, illico fugiunt, & cessantes vltra procedere, in triumphantiū virtutum castra concedūt: paulatimque, pœnitendo, referentes pedem, & sapientum iudicium declinantes, instar fumi, resoluuntur in nihilum. Difficile sanantur mala quæ non statim, vt crescere cœperunt, opprimuntur: facilis est eorum eradicatio, cùm, qui dudum peccauerunt, per pœnitentiam ad prudentiam conuertuntur, & fine peccandi, emolumētum inuenerint pœnitendi. Neque enim possumus opprimere incentiua vitiorum, nisi virtutes facere cœperimus; nec cessabunt vetera, priusquam nouorum operibus excludantur. Et quomodo, si contra superuenientes voluptates firmo animo resistamus, præterita peccata delentur, ita perseuerans si fuerit præteritorum obliuio, sopita delicta vltra crescere non valebunt. Malorum quippe operatores, quasi in ditionem suam redigentes, eos qui possunt prohibere nec prohibent, tota ad peccandum debacchantur insania, & silentium,

*Confessio iniquitatum Psalm. Peccādo, quis sit finis.*

*Peccatorū, initio facilis cura.*

*Peccatorū curā durā ratio.*

A in sensum trahentes, quicquid animo libido suggesserit, opere explere nituntur. Libertas præsentium vitiorum futura germinat vitia, &, si priora neglexeris, fons & seminarium futurorum est. Quæ cùm ita sint, qui possunt prohibere peccatores, & laboris fuga inertique silentio dissimulant, & crescere patiuntur mala, participes eorum, rectissime iudicabuntur, qui auctores scelerum sunt, & negligentiæ pœnas luent, dum irrationabile otium sudori vlciscentium prætulerunt, malentes quietem culpabilem, quàm seueritatem vitia succidentem. Si enim recedamus à vitiis, penitus interibunt, & eorum fraudulenta dulcedo siccabitur; omnisque impetus voluptatis quodam, vt ita dicam, languore torpescit, quando mens nostra fuerit virtutis hospitium. Et Legis recordatio non sinit peccata generari, nec ea crescere patitur: cumque futurum Tri-

B bunal & formidolosum Iudicij diem cogitauerint, tam principium quàm medium finemque peccati prohibebit, & amaros illius fluctus atque intumescentes gurgites vsque ad ipsum fontem venasque siccabit. Virtus Lege comitata, vitiorum opprimit semina, & animum de humilibus ad excelsa sustollit. E contrario vitia, nisi coërceantur, superbiunt, & obedientes sibi, ad inferna detrudunt: cumque semel possederint animas, opprimunt eas illecebris voluptatum; nec sinunt, iuxta humani corporis statum, in sublime erectumque suspicere, sed instar pecudum ad terrena declinant. De quibus Psalmista testatur, dicens: Vocauerunt nomina sua in terris suis. Dicat aliquis, quòd si tantam habent vitia fortitudinem, & tam plurimos

C blanda persuasione supplantant, quid debent agere, qui peccare se sentientes, cupiūt mutare peccata virtutibus, & amore meliorum, peiora contemnunt? Audiant huiuscemodi, loquentem Moysen: *Peccasti, desine,* fine peccati priora subuertens; & efficacissimo medicamine vitia emendans cessatione vitiorum: dulces malæ vitæ illecebras, & blandientes corporis voluptates, quasi noxia venena, declina; nec per lubricam & mollem delitiarum ingrediaris semitam, quia ieiuniis & continentia Solennitas apprehenditur: & vix laborantes atque sudantes, mala bonis possumus immutare, & repugnantes opprimere voluptates, paucique sunt qui calcatis vitiis tramitem teneant veritatis, dum malitia innumeris nocendi vtitur artibus, & vinci non potest, nisi sapientiæ desuper fulciamur auxilio, clamantis nobis atque dicē-

D tis: *Noli timere, quia tecum sum.* Mali interitus est, mala vltra non facere: radix vitiorum, Legis scita contemnere. Vt peccata germinat negligentia, ita solicitudo virtutes parit. Lex custodita, fugat ignominiam; neglecta, parturit pœnas: & quantò magis si despiciatur, seueri iudicis imitatur truculentiam, tanto magis si seruetur, clementissimi Patris exhibet mansuetudinem. Igitur peccati cessatio, virtutis principium est. Medicina præteritorum ac præsentiū futurorumque vitiorum, Legis indefessa meditatio, quæ cum possessoris sui habuerit securitatem, cunctis perturbationibus caret: Sapientia quippe in nobis operatur bonum, postquam ei mundum cordis præbuerimus habitaculum, & cogitationes in opera verterimus. Nec ambigitur, quin in vtramque

E partem, vel faciendi vel non faciendi bona, habeamus liberam facultatem, & oppressis prauis, recta nascantur: túncque virtutum inter se concinit chorus, cum vitiorū in animis fuerit solitudo, Sicut enim continentia, in corporibus nostris obtinens principatū, infirmitates nasci prohibet & amarores sui nec debilitat nec occidit, præteritósque languores in pristinam restituit sanitatem, & expellens quod contra naturam est, reuocat ea quæ naturæ congrua sunt, vt æquali temperamento vitæ huius ratio conseruetur: sic anima, Legū iussa conseruans quārū recipere potest humana natura, à malorū contagione secernitur, & ex omni parte solicita, seque conspiciens, nihil ad se introire permittit quod contrarium sit præclaris cogitationibus. Quin potius in templum versa

*Extremi iudicij recordatio non relinquit locū peccato.*

*Vitiosi tyranni. Psal. 48.*

*Radix vitiorū omniū.*

*Legis meditatio medetur vitiis.*

*Liberū arbitrium. Cōtinētia bonum.*

Dei

Dei, cœlesti iugiter solennitate perfruitur, habens diuitias, obseruantiã Legis quæ iaceotes suscitat, malosque

*Hier. 8.*

puuiens, alios corrigit, & sępet clamãt, *Nũquid qui cecidit non resurget? aut qui auersus est, nõ reuertetur?* Spem salutis largitur pœnitentibus, dum monet vt prosit, corripit vt emẽdet, pudoremq; pristinorũ inijciẽs peccatorum, facit meliora sectari. Qoæ appetere uon possunt, nisi prius couscieotiæ vulnera condemnarint. Verum

*Lex norma operũ.*

quia Lex, negligentes sui & in errorẽ demersos, cõsiliis optimis ad meliora reuocare festinat, qoasi Norma prauorum operum, eos autẽ qui sibi obediunt absque præmio esse ooo patitur, neque æteruis angustiis premi: quotquot sanctum Pascha celebramus, continentia atqoe ieiunijs, laiorẽ Legis, amicum nobis esse faciamus, Propheta, his qoi Pascha celebrãt, promitteor: *Eris corona decoris in manu Domini, diadema regni in manu Dei tui.* Opuleorũ virtotũ coouiuium requiramus; ornãtes

*Sancta oscula.*

nos scientia Scripturarum quasi soleouibus vestimẽtis: Sancta, lætantibus uobiscom Aogelis in cœlo, oscula præparemus, fugantes omnem negligentiam; & rum-

*Mat. 26.*

pentes moram, vt alacri cum discipulis ad Saluatorem pergamos incessu, dicamusqoe ei; *Vbi vis paremus tibi Pascha?* Atque io cœlorũ cœnaculo cõstitui, ac mysticũ

*Psal. 83.*

Pascha faciẽtes, possimus cãtare, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutũ.* Ibi eoim Angelorũ reperimus choros, & cum eis festa celebrantes, habebimus eos socios mysteriorũ Dei; & exultatione ineffabili gestiemus, sapientiæ cum illis sacramẽta disceutes; vbi nulla fraudis deceptio est; vbi, qui vestem nou habet uuptialem, conuiuium intrare prohibetur, licet iu præsenti sæculo iustum esse se iactet. Omuia sũt ibi, senescentis ac prouectæ plena prudentiæ: nullusque ibi, iuxta Prophetam,

*Isaia. 66*

immaturæ sapiẽtiæ reperietur: *Erit eam, inquit, iauenis centũ annorũ*: magnitudine numeri, perfectioẽ eruditionis ostendẽs. Vnde, Fratres, sãctæ cœlestisq; vocationis participes, Saluatorẽ per Prophetã audiamus clamãtẽ; *Veniã congregare omnes gentes, & venient, & videbũt*

*Gal. 6.*

*gloriã meã, & dimittã super eos signum Mundi.* Ad solẽnitatẽ properemus atque dicamus; *Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Christi.* Dabit, inquã, dabit laborãtibus gaudiũ & ieiunãtibus beuedicens loquetur: *Erũt domus*

*Solẽnitas domus Iudæ.*

*Iuda in gaudiũ & lætitiã, & in solennitates bonas, & lætabimini* Veritatem ac pacem diligite: nouest enim omnium soleonitas, sed domui Iudæ, id est, Ecclesiæ Christi. Igitur quia secundũ Psalmistã, *tempus faciendi Domino*: Et Paulus scribit: *Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus, nõ in comessationibus & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitijs, nõ in contẽtione & æmulatione, sed induitẽ Dominũ Iesum Christum, & carnis curã ne feceritis in desiderijs.* Iustũ est, cunctos Domini timore purgatos, dignã solenuitatẽ coutinẽtiis & ieiuniis redimere: castitatẽ & dormientem sensũ vigili suscitare fide, imitariq; sapientissimũ Danielem, de quo

*Dan.*

scribitur: *Est vir in regno tuo, in quo est spiritus Dei, & in diebus patris tui vigilantia & sapientia inuenta sunt in eo.* Qui enim curã sui gerũt, vt ad meliora proficiãt, haben-

*Legi parendum tanquam duci.*

tes Legẽ quasi fortissimom ducem, pareut imperiis eius, & venientia coutra se peccata subuertũt, splẽdore operum illostraures Paschæ festiuitatem, & securitate conscieotiæ perturbationum iacula negligeutes, spe auticipant victoriam. Qui autem borum imitarores suot, antequam ineant prælium, desiderio virtutis palmã occupant triumphorum; coronamque, victores lubricæ voluptatis, in cœlestibus possident: reuelata facie, animo contemplautes vociferabũtur & dicent: *Dominus Deus*

*Psalm.*

*fortitudo mea, & ponet pedes meos in cõsummationẽ, super excelsa statuens me, vt vincã in cantico eius.* Nec putem°, fratres charissimi, certamen esse perpetuum, vt idcirco lassemur, sed sciamus fiuem huius, coronã esse iustitiæ, quam nulla sæculorum corrumpit ætas. Studium vitæ istios & certaminis temporale est, qui aotem in offenso cucurrerunt gradu, & ad calcem veoerũt, præmiorum

nouas inoenient mansiones, victoriã canticis demon-

A

strantes. Itaqoe gratia Domioi, triumphos nobis de sceleratissimis dęmonibus pollicente, ieiuoia rite celebremus, vt solennitatis quoque rite participes simus. Neququam diebus quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites

*Quadragesima, qualis fuerit antiquitus.*

solent, vini poculum, suspiremus, neque in procinctu & prælio, vbi labor & sudor est necessarius, carnium edolio delectemur. Crapula quippe & ebrietas & cæteræ huius vitæ illecebræ, opuleotissimũ animarum thesaurum exhauriunt, & sementem scieotiæ doctrinæque vberrimã, sui admixtione suffocant. Quamobrẽ Dominus atque Saluator prouocans discipulos suos ad rigorẽ cootinẽtiæ, loqoebatur: *Attendite vobis, ne fortè grauẽtur corda*

*Luc. 21.*

*vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, ne superueniat in vos repentina dies illa; tanquã laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciẽ omnis terræ. Surgite, abeamus hinc,* quos ob negligentiã sui pœnæ illico

B

*Carnium esus interdicitur, & vini, diebus ieiunij.*

cõsequentur. Qui autẽ legũ præcepta custodiũt, ignorãt viuũ in ieiunijs, carniũ esum repudiãt, & insatiabilẽ auaritiã Dei timore cõpescunt. Vnde ad courioentes, Scriptura quotidie clamitat: *Vinum & sicerã non bibent.* Et econtrario Iudæi ob culpã audiuot. *Dabatis bibere sãctis vinum, & Prophetis, & præcipiebatis*, dicẽtes. Nõ possunt suscipere correctionẽ qui luxuriæ oblectatione capiuntur, neque ventris ingluuiem, ratione & consilijs refrænare, amore ieiunij, qui desideria & peritura cito voluptate studiũ virtutis infamant, non erubescentes viuũ

*Contra Hypocrisim ieiunij.*

clam bibere, & auidis faucibus arbitros declinantes in cubiculis mulsa potare, vt inediam & ieiunia quæ vltro adpetere debebant, ieiuniorum tempore, luxuria & ebrietate commutent: nescientes quod etiam si homi-

C

num conscientiam fugiant, & clausis parietibus vescantur carnibus, atque aues altiles diebus quadragesimæ, & propinquante Pascha immundis manibus lacerent, tristi vultu foris ieiunia promittentes, corripiat huiuscemodi Dominus, & dicat: *Iniquitates magnas faciunt isti, vt recedãt à sãctis meis.* Nõ decet ieiunantes, tẽpore agonis & prælij, vesci carnibus, monẽte scriptura: *Adfligetis animas vestras*: neq; phasides aues, solicito labore perquirere, & garrulas volucres; earumque pinguediuẽ hianti

*Quadragesima sermonis sit procul à delicijs.*

ingerere gulæ: Nec inuestigare magni pretij coquos, qui ventris rabiem, iure multiplici, & carnibus confusione mutatis, diuersoque ciborum sapore demulceant: fumantibus patinis; & nidore sui, fusori gutturis, blandiẽtibus, cum iniuria coutinentiæ, diuersi saporis & co-

D

loris vina quærãntur. Docet nos sancti Danielis historia & trium pueiorum virtus, cõsona appetere & honorare ieiunia, qui (vt longum sermonem breui compendio concludam) in seruitutem libertate mutata, cùm captiui debuerunt desiderare delitias, contempserunt Babylonias dapes, & simplicem cibum, regali mensæ prætulerunt. Præceperat quippe rex Nabuchodonosor Eunuchorum principi, vt de filiis captiuitatis Israël & de regio semine pueros, in quibus nulla esset macula, pulchros corpore, & aptos ad sapientiam perdiscendam introduceret in palatium, & essent iu aula Regis, discerẽt literas ac linguam Chaldæorum, & de reliquiis mensæ eius viuerent, atque inde accepta vina potarent. Eliguntur itaque de tribu Iuda; Daniel, Azarias, Misaël, & genere cõ-

E

cordes & fide; quorum nobilitatem, dura non mutauerat seruitus. Quibus Daniel, sicut scriptura testatur, po-

*Daniel captiui seruant generis nobilitatem.*

suit in corde suo non coinquinari de mensa Regis. Tres quoque pueri, nõ minus religione quam propinquitate sociati, suscipiunt viri consilium, & approbant sapiẽtiam; simulque Eunuchorum principẽ deprecantes, Dei opitulante clementia, impetrant quod desiderant, & in terra captiuitatis seruant generis nobilitatem: nam timentem Præpositum ne aliorom puerorũ vultus hilarior, capitali se pœnæ addiceret; ratione & consilio leniuut, iis verbis loquẽtes: *Tenta pueros tuos diebus decem, & detur nobis de seminibus & comedemus, & aquam bibemus, & appareant in conspectu tuo vultus nostri & vultus puerorum qui comedunt de mensa Regis, & sic vt*

*ti leris, ita facies cum seruis tuis.* Videbât enim, & quod virtutis desideriû, Dei clementia sustentatum, pulcbra A & fortia corpora conseruaret, & omnem deformitatem, fides vinceret; & nitorem pulchritudinis, nulla macies commutaret. Hæc idcircò, Fratres charissimi replicauimus, vt Pauli Apostoli, de sanctorum virtutibus, prædicantis, verba noscentes, in quibus ait: *Quorum considerãtes exitû conuersationis: imitamini fidẽ*: suadeamus eis

Heb. 13. a

qui, tẽpore ieiuniorum, esu carnium delectãtur; imitari sanctorum continentiam, qui nulla vi superari potuerunt vt rigorem virtutis amitterent; vt Babyloniorum imperia formidantes, captiuam in se ostenderent voluptatem: sed mãserunt liberi; ventrisque desideria ratione superarunt; & titillantem gulæ vicere luxuriam: nobisque suæ fortitudinis exemplaria reliquerunt habitantes in Babylone, corporibus; sed sensu & fide, cum B Angelis in cœlesti Hierusalem morantes: vt omnem deinceps ætatem docerent, ieiuniorum tempore à vino & carnibus abstinendum† sumere de terra semina, & potãdam aquam, quibus comitibus vtitur pudicitia. Quid memorem insignes Machabæorum victorias; qui ne illicitis carnibus vescerentur & communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusque Orbis, in Ecclesiis Christi, laudibus prædicantur, fortiores pœnis, ardentiores quibus comburebantur ignibus? Victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia; & quicquid ita Persecutoris inuenerat, patientium fortitudo superauit. Inter pœnas, magis paternæ Legis, quàm dolorum memores. Lacerabantur viscera, tabo & sanie artus diffluebant, & tamẽ sententia perseuerabat immobilis. Liber erat animus, & mala præsentia futurorum spe despiciebãt. Las- C sabant Tortores, & non lassabatur fides: frangebantur ossa &; volubili rota omnis compago neruorum atquẽ artuum soluebatur: & in immensum spirantia mortem incendia cõsurgebant: plenæ erant feruentis olei sartagines; & ad frigenda sanctorum corpora, errore incredibili personabant: & tamen inter hæc omnia, paradisum animo deambulantes non sentiebant quod patiebantur, sed quod videre cupiebãt. mens enim Dei timore vallata flammas superat, varios tormẽtorum spernit dolores. Cumque semel virtuti se tradiderit; quicquid aduersi euenerit, calcat & despicit: Qualis fuit Paulus scribẽs; *In ijs omnibus superamus, per eũ qui nos dilexit.* Quod enim sustinere nõ potest carnis fragilitas; naturali infirmitate superata, vincit animus, fide colloquens

Ieiunij tempore abstinẽdũ à vino & carnibus.

† Forte melius, quærenda terra semina.

Pudicitiæ comites.

Machabæorum laus in Christi Ecclesiis.

Machabæorum abstinentia & virtutes.

Mens timore Dei vallata, omnia superat.

Rom. 14.

Ieiunij fructus.

D Deo. Ergo qui ieiunia, id est, cõuersationem Angelicam, imitãtur in terris: meminerunt illius dicti, *Regnum Dei non est cibus & potus sed iustitia & gaudium, & pax*, & lætitia, qua per continentiã, breui & paruo labore, magna sibi & æterna conciliant præmia. Et multo plus accipiunt quàm offerunt; & futuri temporis gloria, præsentes angustias mitigant: quia in hoc stadio, pro virtute pugnantibus, finis erit aliquando certaminis: qui autem pugnã ineunt cõtra vitia, & sapiẽtiæ disciplinis suas animas dedicarunt; quamuisque pariter humana conditio, scientiam appetunt futurorum; per speculum & imaginem, sensu & fide cœlorum regna cernentes; consequentur æterna præmia, & nullo temporum fine claudenda. Dies & nox, certis horarum sibi succedunt spatiis, paulatimque decrescentes, quod amittunt recipiunt, & quod re- E cipiunt tribuunt: ad eandem mensurã bis in anno conuenientes, nec manent in eodem statu, sed breuitate & longitudine, horarum momẽta discriminant, vt vtilem Mundo faciant temporum diuersitatem. Namque dies ordine & circulo suo, de noctis temporibus mutuatur; & rursum nox recipit quod largita est: dumque vicissim & tribuunt & accipiunt, & orbe quodam, quod paulatim omiserant decrescentes, sensim crescentes recipiũt; creatoris Dei interpretantur sapientiam. Atque ex hac vicissitudine spatiorum, vel menstruus Lunæ orbis efficitur, vel solis sua per vestigia reuertentis annus impletur; dum crescunt atque decrescunt, & lapsu præteritorum futura succedunt, eadem semper atque alia tẽpora

Dies & noctis vices.

commutantur. Vnde & luna, prudentissimo Dei artificio condita, & formarum mutans varietates, ad plenitudinem tendit, & festinat ad diminutionem, vt quicquid crescens acquisierat, perdat amittatque decrescens: nec stat in eodem statu, sed quibusdam gradibus ascendens atque descendens, de paupertate pergit ad diuitias, & de diuitiis redit ad paupertatem, ipsa diuersitate formarum, mutabilem & conditam se esse demonstrans. Quis verò possit digno sermone exprĩmere Solis cursum, & anni circulum rationi menstruæ congruentem, dum per quatuor voluitur tempora, & in se semper reuertitur, eademque mensura cõscendit atque descendit, & æterno ordine labitur: vt quod lunare spatium triginta diebus implet ac noctibus, hoc solis cursus, spatiis anni vertentis reficiat? Cumq; ad æqualitatem diei noctisque peruenerit, & parumper in libra iusti cursus steterit, festinat ad inæqualitatem, deserens ad quod peruenerat. Quod puto Ecclesiasten, ne de alienis, nostra fontibus hauriamus, in volumine suo dicere: *Girans girando vadit spiritus, & in circulos suos reuertitur spiritus*: annuũ Solis cursum significantem, eadem temporum rota in semet reuertitur, rediens ad ea vnde profectus fuerat. Sancta verò cœlestisque solẽnitas, radios nobis sui splẽdoris emittẽs, nullis spatiis terminatur: cumque sanctorum certamina, & præsentis sæculi labor finem acceperint, succedet perpetuum gaudium, & æterna festiuitas. Vnde perfecti viri animas suas ab omni errorũ caligine separantes, iam nunc festa decãtant: *Introeamus portas eius in confessione, atria eius in hymnis*, Saluatoris aduentũ lætis vocibus personantes. Cũ enim in toto orbe regnaret malitia, & tenebras humanis oculis dæmones offudissent, neq; posset eis vllus opitulari, iuxta illud quod scriptũ est, *Respexi, & nõ erat qui auxiliaretur: consideraui, & nullus qui susciperet*: vt finẽ haberet aliquando impietas, & destrueretur idololatriæ fraudulẽtia: viuẽs Sermo Dei, nihil de nostra relinquens similitudine, absque solo peccato (quod substantiã nõ habet) nouo modo ad nos venire dignatus est, vt fieret Filius hominis, & permaneret filius Dei. Natus quippe ex virgine, hoc tantum stultis mẽtibus credebatur, quod oculi demõstrabãt. Ex operibus verò & signorum magnitudine, Deus inuisibilis à prudentibus cernebatur; quemq; facies hominem demonstrabat, hunc virtutes significabant Deum, seruilis formæ vilitate coopertũ. Quanquam etenim tradiderint eum Iudæi, & crucifigendũ vocibus impiis conclamarint, interfectione corporis eius Dominũ blasphemantes, immò occisione carnis Dominicæ, serui impietatis effecti: tamen ad mortem intrepidus accedens, vt nobis virtutis præberet exemplum. Dominus gloriæ in ipsa passione monstratus est, impassibilis diuinitatis permanens in maiestate, & carne passibilis iuxta beati Petri repertus eloquium. Et ideo, pro nobis patiens, nõ fugit mortem, ne nos, timore mortis eius, pro pietate bellantes, victoriã perderemus. Nam si timuisset crucẽ, contraria iis quæ docuerat gerẽs, quis Discipulorũ eius, libens, pro religione pugnasset? Irridetur itaque à stultis & incredulis, qui orbem terrarũ suæ subiecit fidei, & nominis Christiani, sanctis, largitus est dignitatem. Cumque magnitudo virtutum eius omnibus clareat, blasphemare non cessant. ille vero qui irridetur, Deus, operibus demonstratus est, vt dæmonum templa subuerteret, vt Origenistarũ impietatem argueret versipellem, quorum Author Origenes, ita aures simpliciũ & leuiorum sua persuasione decepit, vt solent in litora, ex alto venientes illidi gurgites, & in semet spumanti mole cõfringi. Nos ergo ad eum qui ausus est scribere, ruinam rationabilium creaturarum esse corpora fabricata, zelo fidei concitati loquamur: si tibi huiuscemodi impietas placet, quomodo Paulus Apostolus scribit, *Volo adolescentulas nubere, filios procreare?* Vtrum idcirco præcepit nuptias, vt ex mulieribus nascentia corpora, ruentibus de cœlo Angelis, & versis, iuxta te, in animas, carceres præpararent? An vt in coniunctione maritali,

Lunæ defectus.

Solis & lunæ cursus, quatuor tẽpora perficiuntur.

Eccles. 1.

Psal. 99.

Christus non timuit crucem & cur.

Origenistarum author Origenes.

1. Tim. 5. b.

Dei

Dei sententiæ seruiēs cōseruet bumanū genus? Si enim vult adolescentulas nubere, & filios procreare, per quas nascuntur corpora bumana: corporibus autem, propter pœnas atque supplicia, errantes animæ: nulli dubium, quin propter pœnar animarum, & non propter generationis ordinem, nuptiarum, adolescentulis, vincla tribuantur. *Corpora nō fabricata propter ruinam animarum.* Verum, absit vt ita esse credamus, & mariti vaorisque fœdera, non ob benedictionem, sed ob peccatum, iuncta credamus. Nec Adam & Euam plasmans Deus, propter animas de cœlo ruentes & lapsas, rationabiliū creaturarum benedictione vocauit, *Gen. 1.* *Crescite & multiplicamini*, dicēs, *replete terram.* Si enim propter peccata in cœlis præcedentia ad terras missæ sūt animæ *Hebr. 13.* vt corporibus illigarentur, mentitur Paulus scribēs, *Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum.* Sed nequaquā ille mentitur. Igitur non propter ruinam animarum corpora fabricantur, sed vt Mundus *successione nascentium, morientium damna compenset, & breuitatē humanæ vitæ vincat* successione perpetua. Nā si ruentes iūctæq; corporibus, benedicuntur à Deo, melioris conditionis erunt, postquàm corpora susceperint: quod si idcirco dicuntur, vt in vltionem peccatorum corpora accipiant, quomodo benedicūtur in corporibus, ad quæ ob peccata venerunt? E duobus enim alterum erit. Aut ante ruinam fuisse eas in benedictione, aut post ruinam, iunctas corporibus, nequaquam posse benedici. Si enim illam vitam benedictio sequitur, istam deserit: si ad istā transfertur, in illa non fuisse conuincitur. Quod si & antequàm ruerent, necdumq; humanis corporibus vestirentur, fuerunt in benedictione; & ruentes, habentesque corpora, rursus benedictæ sunt: similis erit iuxta benedictionis conditionem, & prior vita & posterior: quod nequaquam consequens est; quia peccatrices, supplicia; non peccantes, benedictionem merentur: quicquid è duobus verum esse responderint, vitio subiacebit, nolentes Ecclesiasticæ doctrinæ regulam custodire. Siue enim propter peccata, de cœlo, animæ corruentes, instar carceris & catenarum, corporibus illigatæ sunt, respondeant, quomodo Adam & Eua, masculus & fœmina, vi- *Nulla anima nō dicitur vir.* nenter in corporibus benedicti sunt? (Neq; enim iuxta deliramenta eorum, nudæ animæ vir & mulier appellātur, sed corpora quæ sexum vtrumque distinguunt.) Si verò, ante corpora, in cœlestibus morabantur, & beata eis tunc erat, dignaque benedictione absque corporibus conuersatio: qua ratione, aut priusquam ruerent benedictæ sunt, aut postquam corruerunt, in pœnam ruinæ, crassis corporibus copulatæ sunt & rursus benedictione donantur. Neque enim idipsum est benedictio atque suppliciū, quæ & nominibus & operibus procul distant, nec possunt vllo modo inter se sociari, quas tanta diuidit repugnantia. Quomodo autem, & iustis multitudo liberorum pro benedictione promittitur, Propheta dicente *Qui minimus est, erit in millia: & qui minimus, in gentem magnā.* Ergo & qui volunt Domini festa celebrare, Origenis simulachra contēnant, & turpitudinem dogmatum illius, ratione superent. Sicut enim *Imagines Deorum.* Ethnicorum impiissimi, errorem & consuetudinē præferunt veritati, fabricàntes in hominum similitudinem idola, & inuisibilem blasphemantes Deum, dum formā *Rom. 1.* & membra & organa genitalia in eo esse confingunt, nunc virum, nunc fœminam confitentes, *& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, variarumq; formarum: ita Origenes, facilitate & impietate credentiū, quasi delubra idolorū, *† Alias, monumenta aedificasti.* tractatuum suorum † monimentis demisit, quæ nos authoritate Scripturarum & zelo fidei subuertentes, vtamur illa similitudine. Etenim cæmentarij, quadram volēter ædificare domum, æquales ex omni parte parietes metiuntur: eosque, norma & perpendiculo dirigentes, quod animo depinxerint, opere extruunt, & eiusdem mensuræ, per quadrum, latera quatuor iungunt angulis sursum ac deorsum cœptam æqualitatem, paulatim per incremēta seruātes, vt materiæ diuersitatem iūgat ope-



ris pulcbritudo, & angulares lineas artifex structura cu-
A stodiat. Sic ecclesiæ præceptores, habentes testimonia Scripturarum, firma doctrinæ faciunt fundamenta, & intrepidi permanent offerentes opera sua Christo, atque dicentes; *Confirma me in verbis tuis.* Ipse enim de quo *Matt. 21.* scriptū est, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, nos, & eos qui sursum sunt, vna solēnitate consocians: ad quē, † cursu celeri, nauigantes; *† aliàs quam Arrianorum in tempestate.* rabiē contra nos Hæreticorū fluctuū velociter dissoluēdā minimè formidemus. Sicut enim gubernatores magnarum nauiū, cum viderint immensum ex alto venire gurgitem quasi venatores, ferocissimā bestiā, spumātes fluctus suscipiunt, eosque proræ obiectione sustentant, flectentes in diuersum gubernacula, & prout ventorum flatus & necessitas imperarit, stringētes funiculos vel la-
B xantes. Cumq; vnda subsederit, ex vtroque nauis latere laborantia clauorū vincla dimittunt, vt parum perquiescentia venturo gurgiti præparentur: qui cum rursus aduenerit, stringunt clauorum capita, & palmulas dilatāt, vt huc atque illuc scissis flatibus, æqualis sit vtriusq; lateris labor: & quod simul non poterat sustineri, diuisim tolerabilius fiat. Qui sui curā gerunt, imitantur exempli similitudinem; & diuinorum dispensatione verborum, quasi gubernaculo vtentes, occurrunt Hæreticorū tempestati & fluctibus, Legē Dei pro arte retinentes, vt qui corruerant, suscitentur, qui stant, firmo perseuerēt gradu; & omnes in cōmune, doctrinæ opitulatione seruentur. Quod enim gubernatori clauus, hoc animo est lex Dei. In qua Dominicum Pascha facientes, charitati Dei *Constans sit proximi dilectio.* & proximi in Mundo nihil aliud præferamus; neq; pro
C varietate humanorum casuū, qui huc illucque vertuntur, sententiā commutemus: vt quibus dudum, pro potentia, turpi adulatione seruiuimus (si fortè seruiamus) si fortè reflauerint venti, & paupertate, diuitiæ, humilitate, sublimitas: ignominia, gloria fuerint immutata; in hostes repentè vertamur: testātes eis in faciē, quos veneratione dignos ducebamus, tēporibus nō fide necessitudinem ponderantes. Immò latētes inimicitias necessitatis tempore mōstrantes, & in similitudinem serpen- *Tempore pōderanda non est amicitia.* tum procedentes de foueis; vt nō solùm ingratissimi simus in eos, quorum beneficiis sustētabamur, gaudētes si nomina clientiū possederimus; sed quasi perduelles, eos vsque ad sanguinem persequamur, deiectos prostratosque calcantes, quos dudum propter diuitias suspiciebamus pessimos omnium conclamantes, postquam opes
D paupertate mutauerint, laudātes potentiam, & infelicitatem calumniantes; nec pro rerum natura, sed pro varietate casuum honorantes aliquem vel contemnētes; vt quos prius dominos & patronos vocabamus, eosdem quasi verberones & seruos nequissimos appellemus: atque ex omni parte appareat nostra iniquitas, dum indignos laude aut obtrectatione persequimur, imitantes illud quod ad beatum Iob exprobrātes loquebātur: *Pauca pro quibus peccasti verberatus es.* Nequaquā *Homines diligēdi, nō fortuna hominum.* igitur dubias opes, sed virtutem firmissimam diligamus; non nos duritia humiliet paupertatis, non extollāt diuitiæ, quæ stultissimos hominum deprimere & eleuare consueuerunt: sed vtrunque pro rerum honestate moderemur; & tristia, & læta, æquali animo sustinentes. Di- *Contra Auaros.*
E uitiarum cura somnos interrūpit dulcissimos, innoxiis calumnias struit; & cum infinitas opes congregauerit, materiam æternis ignibus parat. Postquàm verò insatiabilis furor quæsitis opibus incubuerit, non expletur auaritia; sed contemnit leges, gehennæ flammas despicit, futurum iudicii tribunal habet pro nihilo. Nec tantum aduersarij contra hostes suos, quantum diuitiæ contra virtutes dimicant: nisi ratione, & in proximos misericordia temperentur. Hæ, in vrbibus, nobilitati præferuntur, hæ, nouis hominibus, antiquam donant familiam: numquam diuitiarum desideriū vllis diuitiis *Noui homines.* satiari potest. Eget semper qui auarus est, nescit mensuram, cui tantum deest quod habet, quantum quod non habet Infernus, mortuis non expletur, sed quanto

*Auaritia inferno comparatur.*

plures susceperit, tanto plures desiderat. Imitatur ergo A eum auaritia, nec satiari potest; sed quicquid habuerit plus requiret: minus putat ab eo quod cupit, omne quod possidet; semper immensa, semper immodica; ardorem peccatoris, opum magnitudine non restinguens in conuiuijs non cibos vorat, sed iniustitiam: in iudiciis iurgia miscet atque discordias; inuidiam parturit, per quam ad homicidium peruenitur: non est compos mentis, sed quasi ebria fluctuat; voam habens mẽsuram, extra mensuram semper inquirere. Mare littoribus clauditur; venientes ex alto fluctus & rabiem intumescentium gurgitum; portus vel manufacti vel natura firmissimi prohibent: diuitiarum cupidinem, nisi ratione frænetur: nec consilium temperat, nec lea mitigare potest, nec vlla satiat abundantia. Non erubescit, non futurorum iudicium reformidat, sed desiderio plus habendi, vt B luxuriosi dediti voluptatibus solent gestire in amplexus & insanire ad libidinem, ita calumniarum & dissensionum vrbes ac viculos villasque complet: insulas, maria, terras, littora viar, transitus, studia possident auaritiæ, dum desiderio plus habendi, negotiatione, merces huc illucque commutat, & fraodibus atque periuriis, diuitiarum iacit inexplebilia fundamẽta. Itaque huiuscemodi rabiem contemnentes, diuitias, cultum Dei, & firmissimas possessiones, castitatis sanctimoniam requiramus; adorantes Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam diuinitatem, Resurrectionem mortuorũ incorruptibilem, & iugiter permanentem esse credentes: Nec eoim fieri potest, vt eam mors superet, quæ Christi passione firmata est, suscitans incorruptum & in æternum permanens templum corporis sui. Oremus pro piissimis Imperato- C ribus: & obseruatione Legis Dei, ieiuniorum præcepta decoremus: quia virtus absque vlla necessitate custodit sectatores suos, & seorsum, in cogitationes varias fluctuãtem, de terrenis ad excelsa sublimat: nequaquam pulchritudinem corporum, sed conuersationis ac morum ordinem contemplans: ostendens ei lætantium in cœlo Angelorum choros, & docens splendentium disciplinarum fulgura: vt in præsenti sæculo quasi athleta fortissimos illatas sustineat plagas, & futuram pro iis gloriam præstoletur: nequaquam vitiis subiacens, sed interiorem hominem desiderio sui ad æterna sustollens, atque omnes impetus voluptatis ratione compescens, illud cogitet quod futurum est, & qoantum potest sustinere humana fragilitas, recedat à corporalium rerum solicitudine, præferens carnalibus spiritalia; vt etiã ipsum corpus despiciens, & præsentium voluptatum duriorem, sed meliorem vitam inire persuadeat: vt qui tum † libidini seruiebat, libertate boua seruiat castitati; & retractur à præcipitiis mollia ieiuniorum fræna suscipiat. Etenim si absque rectore fuerit ac magistro, corporum infirma natura, nec imperanti animo voluerit obedire; & sibi & rectori concitat infinita naufragia, & pertrahit eum ad turpissimas libidines ac barathrum voluptatũ; vt nequaquam honesta consideret, sed fugiens bona, in cœoo ac sordibus commoretur. Virtus verò cum in aurigæ modo animum rexerit; & quasi in curru stans, impetus eius & varios appetitus, doctrinæ habenis cõposuerit: de humilibus eum ad excelsa subleuat, inuisibilia æternaque pro visibilibus ostendens, mãsionem in cœlis parat, & amicos illi efficit eos qui Dei ministerio seruientes, spiritalibus delitiis perfruontur; vt quod hic cernebat in imagine, ibi in veritate perspiciat, & maiorem solis radiis videat claritatẽ, quæ nobis huc ex parte descendit, vt de minoribus ad maiora tẽdamus, & quasi per literas ac syllabas ad legendum proficiamus: quia & illa, iis, & hæc, illis indiget, ibi cum fuerimus beatorum iuncti consortio, audiemus; *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

*Periuriis fundamenta iaciuntur diuitiarum.*

*Vna mensura auaritiæ mensuram nõ nouisse.*

*† Alias. dudum*

*Corporis naufragia si rectorem animum abiecerit.*

*† Alias Incipient. † Hebdomada Passionis † Alias.*

† Incipient sanctæ quadragesimæ ieiunia, ab vndecima die mensis Phamenoth, & hebdomadæ Dominicæ passionis, sexta decima die mẽsis † Pharmuthi. Et finiamus ieiunia vespere sabbati, vicesima prima die eiusdẽ A mensis Pharmuthi, & sequenti die Dominica, Pascha celebremus vicesima & secunda die eiusdem mensis. Post quæ iungamus septem hebdomadas sanctæ Pẽtecostes: Pauperum memores, amantes Deum & proximum, orantes pro inimicis, persecutoribus blandientes, infirmorum ruinas consolatione & misericordia subleuantes: vt lingua semper in Dei laudibus personet, vt Ecclesiæ iusta iudicia nequaquam irrationabili clementia destruãtur, ne Legi Dei arbitria præferãtur humana: cuius desiderauimus amicitias, cœlestẽ gloriã consequemur in Christo Iesu Domino nostro, per quem & cum qoo, Deo Patri claritas & imperium cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

*Pharmuthi finiamus &c.*

*Clementia irrationabilis.*

Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos fra- B tres qui nobiscum sunt. Et hoc nosse debetis: Pro *defunctis Episcopis, in locis* singulorum constitutis. In vrbe Nichio pro † *Heopempio* Theodosium: In Terenuthide Arsinthium: In oppido Geras pro Eudemone Pirozum: In Achæir pro Apolline Museum: In Athriudi pro Isidoro Athanasium: In Cleopatride Offel'um: In oppido Laton pro Timotheo Appellem. Iis ergo scribite, & ab eis iuxta morem Ecclesiasticas suscipite literas.

*† Osculũ sanctum.*

*† fortè Theopempio.*

*Ecclesiastica litera.*

## THEOPHILI ALEXANDRINI EPISCOPI, EPISTOLA IV.

### ARGVMENTVM.

C *Theophilus Alexandrinus Episcopus exemplo eius quod à se in Ægypto factũ est, Epiphanium, Salaminæ Cypri præsulẽ, hortatur, vt congregata Synodo in Cypri insula Origenem damnet, eiusque rei litteras ad vicinas prouincias, & Constantinopolim postea mittat.*

### THEOPHILVS EPIPHANIO.

DOMINVS, qui locutus est ad Prophetã: Ecce cõstitui te hodie super gẽtes & regna, eradicare, & suffodere, & disperdere, & rursum, ædificare ac plãtare, singulis tẽporibus eandẽ Ecclesiæ suæ largitur gratiam: vt integrum corpus cõseruetur, & D in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant. Quod quidẽ nunc videmur expletũ. Nam Ecclesia Christi quæ non habet maculam, neque rugam, aut aliquid istiusmodi, egredientes de cauernis suis, Origenis colubros Euangelico ense truncauit, & secundum Nitriæ monachorum agmen, contagione pestifera liberauit. Pauca ergo ex iis, quæ gesta sunt, in generali Epistola, quam ad omnes in commune direxi, prout patiebatur angustia temporis, comprehendi. Dignationis tuæ est, quæ in huiuscemodi certaminibus sæpe ante nos pugnauit, & positos prælio consolari, & congregare totius insulæ Episcopos, ac synodicas litteras tam ad nos, quam ad Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, & si quos alios putaueris, mittere: vt consensu omnium, & E ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur. Didici enim, qood calũniatores veræ fidei, Ammonius, Eusebius, & Euthimius, nouo pro hæresi furore bacchantes, Constantinopolim nauigarint, vt & nouos, si quos voluerint, decipiant, & veteribus suæ impietatis sociis coniungantur. Curæ igitur tuæ sit, vt cũctis Episcopis per Isauriam, atque Pamphiliam, & ceterarum prouinciarum, quæ in vicino sunt, rei ordinem pandas, & nostram, si dignum putas, Epistolã subiicias: vt omnes vno spiritu congregati cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradamus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ possidet eos. Et vt celerius nostra Constantinopolim scripta perueniant, mitte industrium virum; & aliquem de clericis, sicut & nos de ipsis Nitriæ monasteriis

*Hier. 1.*

*Ephes. 5.*

sterilis Patres monachorum, cum aliis sanctis & continentissimis viris misimus, qui possunt cūctos in præsenti docere, quæ gesta sunt: & super omnia quæ sumus, vt impensas ad Dominum fundas preces, quo possimus etiā in isto certamine victoriam consequi. A Non enim parua lætitia & in Alexandria, & per totam Ægyptum populorū corda peruasit: ex quo pauci homines eiecti sunt, vt purum corpus Ecclesiæ permaneret. Saluto fratres, qui tecum sunt. Te plebs, quæ nobiscum est, in Domino salutat.

### Scholia In Epistolam IV.

a Et secundum Nitriæ monachorum agmen contagione pestifera liberauit. *Nitriæ aliquos monachos Origenis hæresium labe infectos, & propterea Alexandrino Episcopo inimicos fuisse, late Nicephorus in historia persequitur.* B *Ruffinus, quem ibi fuisse Hieronymus alibi scribit, excitatum, vt reor, ignem magis succendit. Erat autem Nitria Aegypti mons. Vocat hic autem Theophilus secundum agmen, quod hoc, vt primum, Origenistarum morbo non laborarit.*

### Epistolæ V. Argumentum.

*Nunciat Hieronymo Epiphanius, opera Theophili Alexandrini Origenistarum hæresim damnatam: exemplar Epistola, quam de hac re à Theophilo acceperat, mitti: & si quid Latinè Hieronymus contra eam hæresim scripsit, vt edat, hortatur.*

### EPIPHANIVS HIERONYMO.

GENERALIS epistola, quæ ad omnes Catholicos scripta est, ad te propriè pertinet. qui zelum fidei aduersus cunctas hæreses habens, C Origenis proprie, & Apollinarij discipulis aduersaris: quorum venenatas radices, & in altum defixam impietatem, omnipotens Deus protraxit in medium; vt in Alexādria proditæ, in toto orbe arescerent. *a* Scito enim, fili charissime, Amalech vsque ad stirpem esse deletum, & in monte Raphidim erectum tropheum crucis. Etenim quomodo, porrectis in altum Moysi manibus, vincebat Israel, sic Dominus confortauit famulum suum Theophilum: vt su- D per altare Ecclesiæ Alexandriæ contra Origenem vexillum poneret: & impleretur in eo, quod dicitur: Scribe signum hoc: quia delebo funditus Origenis hæresim à facie terræ cum ipso Amalech. Et ne videar eadem rursus iterare, & prolixiorem epistolam texere; ipsā ad vos scriptam direxi: vt scire possitis, quæ nobis scripserit; & quorum boni vltimæ ætati meæ concesserit Dominus; vt, quod semper clamabam, tanti Pontificis testimonio probaretur. Iam autem puto & te aliquid operis edidisse, & iuxta prioré Epistolam, qua te super hac re fueram cohortatus, elimasse librum, quem tuæ linguæ homines legant. Audio enim & ad Occidentem quorundam hominum naufragia peruenisse: qui non contenti perditione sua, volunt plures mortis habere participes: E quasi multitudo peccantium scelus minuat: & non numerositate lignorum, maior gehennæ flamma succrescat. Sanctos fratres, qui tecum sunt in monasterio Domino seruientes, & tecum, & per te plurimum salutamus.

### Scholia In Epistolam V.

a Scito enim fili charissime, Amalech vsque ad stirpem esse deletum, & in mōte Raphidim erectum trophæum crucis. *Origenem vocat Amalech & Nitriā montē Raphidim. Historiā autē ab Exodo accipit, quando in montē Raphidim orāte Moyse, Iosue Amalech Regē superauit dictūq; à Domino est. Delebo memoriā Amalech sub cœlo.* רפידים *autē remissa manus, aut medicina manuū interpretatur.*



### Epistolæ VI. Argumentum.

A *Theophilo respondens Hieronymus, quod canonum obseruantiam monuerit, gratias agit: illos præcipueque Romanam fidem sibi cordi esse ait: & sicut, quod olim contra Origenistas tacuerit, non reprehendit, ita quod nimia eos corrigi nunc lenitate putet, non laudat.*

### HIERONYMVS THEOPHILO.

MEMINIT beatitudo tua, quod eo tempore, quo tacebas, nunquam ab officiis meus sermo cessauerit; B nec cōsiderauerim, quid tu pro dispensatione tunc faceres, sed quid me facere conueniret: & nunc, sumptis dignationis tuæ epistolis, fructum aliquem cepisse me video Euangelicæ lectionis. (Luc. 18.) Si enim durū iudicis sententiam crebra mulieris inflexit petitio: quanto magis paterna viscera interpellatione sedula molliuntur? Quod de canonibus Ecclesiasticis mones, gratias agimur. Quem enim diligit Dominus, corripit; & flagellat omnem filium, quem recipit. (Hebr. 12.) *b* Sed tu scito. Nobis nihil esse antiquius, quam Christi iura seruare, nec patrum transferre terminos, semperque meminisse, Romanam fidem Apostolico ore laudatam: cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur. *c* Super nefaria hæresi, (Rom. 1.) quod multam patientiam geris, & putas Ecclesiæ visce- C ribus incubātes tua posse corrigi lenitate, multis sanctis displicet: ne dum paucorum pœnitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robustior fiat. Vale in Christo.

### Scholia in Epistolam VI.

a Meminit beatitudo tua, quod eo tēpore, quo tacebas, numquam ab officijs meus sermo cessauerit. *Quo tacebas, habent quinque manuscripta exemplaria, tria scilicet ex Florentia & duo ex Brixia: sensusque congruit cum epistola, tacuisse enim olim Epiphanium, & Origenis errores vt postea fecit non confutasse, epist. 8. ipsemet prodit: alia exemplaria vulgatis consentiunt codicibus, quod eo tempore, quo nobiscum manebas, nunquam ab officiis,* D *&c. Verum quia cum Hieronymo mansisse Theophilum, vt alibi diximus, non satis constat, & de silentio ipsum loqui, ex epistola liquet, hanc potius lectionem amplexi nos sumus; monemus autem propterea lectorem, vt quisque, quod magis placet, sequatur.*

b Sed tu scito nobis nihil esse antiquius, quam Christi iura seruare, nec patrum transferre terminos. *Olim, transire terminos, verum trāsferre habet maior exemplarium pars, & congruit cum scriptura, Deut. 19. Non transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua.*

c Super nefaria hæresi quod multam patiētiam geris, & putas Ecclesiæ visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, multis sanctis displicet. *Olim, quam in mul-* E *ta patientia geris: sed falso, sensus enim patet.*

### Epistolæ VII. Argumentum.

*Quod victi explosiq; ex Aegypto, & Nitriæ monasterijs Origenistæ sint, Theophilus Hieronymum certiorē reddit.*

### THEOPHILVS HIERONYMO.

SANCTVS Episcopus Agatho, cum dilectissimo diacono Athanasio in Ecclesiastica directus est causa; quam cum didiceris, non ambigo quin nostrum studium probes, & in Ecclesiæ victoria glorieris. *a* Namque Origenis

hæresim in monasteriis Nitriæ quidā nequam & furiosi homines serere & fundere cupientes, prophetica falce succisi sunt, quia recordati sumus commonentis Apostoli: Argue eos seuere. Festina igitur & tu, partem huius præmij recepturus, deceptos quosque emēdare sermonibus. Optamus, si fieri potest, in diebus nostris Catholicam fidem, & Ecclesiæ regulas cum subiectis nobis populis custodire, & omnes nouas sopire doctrinas.

Tit. 1.

Scholia in Epistolam VII.

a Namque Origenis hæresim in monasterijs Nitriæ quidam naquam, & furiosi homines serere, & fundere cupientes, prophetica falce succisi sunt. *Olim, fundare cupientes, ut vox fundere, quam habent emendatiora exemplaria, magis congruit.*

EPISTOLÆ VIII. ARGVMENTVM.

*Respondens Theophilo Hieronymus, quod Origenistarum factio ex Aegypto eius opera expulsa sit, suique vsque in Palæstinam hæreticos sint persecuti, maximè lætatur.*

HIERONYMVS THEOPHILO,

NVPER tuæ beatitudinis percepi scripta, emendantia vetus silentium, & me ad solitum officium prouocantia. Vnde licet per sanctos fratres, Priscum, & Eubulum, tuus ad nos sermo cessauerit; tamen, quia vidimus illos zelo fidei concitatos; raptim Palestinæ lustrasse regiones, a & dispersos regulos vsque ad suas latebras persecutos; breuiter scribimus, quod totus mūdus exultet, & in tuis victoriis glorietur; erectumq; Alexandriæ vexillum crucis, & aduersus hæresim trophæa fulgentia, gaudens populorū turba prospectet. Macte virtute, macte zelo fidei, ostendisti, quod hucusque taciturnitas dispēsatio fuit, nō consensus. Libere enim reuerentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimium esse patientem, & ignorātes magistri gubernacula, gestiebamus in interitū perditorum. Sed, vt video, exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, vt ferires fortius. Super susceptione cuiusdā non debes contra vrbis huius dolere pontificem; quia nihil tuis litteris præcepisti: & temerarium fuit de eo quod nesciebat, ferre sententiam: tamen reor illum nec audere, nec velle te in aliquo lædere.

Scholia in Epistolam VIII.

a Et dispersos regulos vsque ad suas latebras persecutos. *Olim, dispersas, impressorum, vt reor, incuria. Serpentis autem genus Regulus est; Basiliscum Græci nominant.*

EPISTOLÆ IX. ARGVMENTVM.

*Quòd Theophili Alexādrini opera, Synodica auctoritate, Origenistarū factio ex Aegypto expulsa, eoq; exemplo, ex Syria, & Italia explosa, summusque ea de re Pontifex certior factus sit, laudat. Synodica, si quæ sunt, postulat, & vt ad cæteros occidentales Episcopos eadē scribat, hortatur.*

HIERONYMVS THEOPHILO.

DVPLICEM mihi gratiam beatitudinis tuæ litteræ præstiterūt, quod & sanctos & venerabiles Agathonem Episcopū, & Diaconum Athanasiū habuerint portitores, & aduersum sceleratissimā hæresim, zelum fidei demōstrarint. Vox beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit, & cūctis Christi
A Ecclesiis lætātibus, diaboli venena siluere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat, sed contortus & euisceratus, in cauernarum tenebris delitescens, solem clarum ferre non sustinet. Qui quidem super hac re, & antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram, ex parte hæreticorum strophas meæ linguæ hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, vt eo in tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, & nostram dum ignoras sententiam roborares. Verum à te nunc admoniti, magis studium accōmodabimus, vt hic & procul simplices ab errore reuocemus b Nec timeamus subire odia quorumdā. Nō enim debemus hominibus placere, sed Deo: quāquā ardētius ab illis defendatur hæresis, quam à nobis oppugnetur. Simulq; obsecro, vt si qua synodica habes, ad me dirigas; quo possim, tanti Pōtificis auctoritate firmatus, libetius & cōfi-
B dētius pro Christo ora reserare. Vincētius presbyter ante biduum, quā hanc Epistolā darem, de Vrbe venit, & suppliciter te salutat, crebroque sermone concelebrat Romam, & totam Italiā, tuis post Christum epistolis liberatam. Adnitere ergo Papa amātissime, atque beatissime; & per omnem occasionem ad Occidentales Episcopos scribe, vt mala germina acuta, vt ipse significas, succidere falce non cessent.

Scholia in Epistolam IX.

b Nec timeamus subire odia quorundam. Non enim debemus hominibus placere, sed Deo. *Olim, Nec enim debemus.*

C

EPISTOLÆ X. ARGVMENTVM.

*Monet, vt, explosis Origenistis, eos etiam, qui clam Origenem sequuntur, eyciat.*

THEOPHILVS HIERONYMO.

DIDICI, quod & sanctitas tua nouerit Theodorum monachum, cuiusque studium comprobaui, c quia, cum à nobis Romā nauigaturus exiret, noluit ante proficisci, nisi te, & sanctos fratres, qui tecum sunt in monasterio, quasi sua viscera amplexaretur, & inuiseret. Quem cum susce-
D peris; pro Ecclesiæ tranquillitate lætare. Vidit enim cuncta Nitriæ monasteria, & referre potest continentiam & mansuetudinem monachorum, quo modo, extinctis & fugatis Origenis sectatoribus, pax Ecclesiæ reddita sit & disciplina Domini conseruetur. Atque vtinam apud vos quoq; deponerent hypocrisim, qui occultè dicuntur subruere veritatem. De quibus non benè sentiētes, in iis regionibus fratres, hæc me scribere prouocarunt. Quamobrem caue, & effugita huiuscemodi homines, iuxta quod scriptum est: Si quis non affert ad vos Ecclesiasticā fidem, huic nec Aue dixeritis. Quamquam ex superfluo faciam hæc tibi scribere, qui errantes potes ab errorē reuocare: tamen nihil nocet & prudentes & eruditos viros pro solicitudine fidei commo-
E neri. Omnes fratres; qui tecum sunt, nomine meo salutari volo.

Scholia in Epistolam X.

c Quod cum à nobis Romam nauigaturus exiret. *Etsi Theophilus Alexandrinus esset Episcopus, Romam tamen, vti ad communem matrem, confugiebat. sic Theophili prædecessores Petrus & Athanasius, sic cæteri omnium Ecclesiarum fecere Episcopi.*

*THEOPHILI ARCHIEPISCOPI Alexandrini Edictum, cum Theophania in die Dominico inſtarent.*

*Iudæorum Credo eſſe Natalem Domini. Dies Dominicus. Præfeſto die qui incidit in Dominicum, diſpenſari à ieiunio.*

ET mos & honeſtas à nobis exigit, vt omnem diem Dominicum honoremus, eumq. celebremus; quoniam Chriſtus Dominus noſter præclarum in ea ſuæ Reſurrectionis munus obiit. Et ideò in ſacris Scripturis ipſe & primus appellatus eſt, vt qui ſit nobis vitæ principium; & octauus, vt qui Iudæorum ſabbatiſmum exuperauerit. Quia ergo accidit vt ſanctorū Theophaniorum ſit hic præfeſtus dies, & à ieiunando tamen diſpenſemus; ad vtrumque ſcientes procedamus: vt paucos dactylos ſumentes; ſimul & hæreſes vitemus, quæ Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem non honorant, & diei ieiunij, quod debetur, reddamus, veſpertinam congregationem expectantes, quæ hîc Deo dante peragetur. Congregamur ergo hîc ab hora nona.

*Einſdem Commonitorium quod accepit Ammon dni ἐν Αὔω propter Lyco.*

*Can. 1. Parrochorum, hæreticis communicantiū, caſtigatio.*

DE iis qui Arrianis communicauerunt, & Eccleſias huc vſque detinent; vt ſe habet cōſuetudo, fiat, ita tamen vt alij conſtituantur qui in orthodoxia teſtificētur, & alij permaneant: his quoque ita diſpenſatis vt alij in Thebaide fecerunt orthodoxi Epiſcopi, qui ab Epiſcopo Apolline conſtituti ſunt. Et qui communicarūt cum Arrianis Eccleſias habentibus, puniantur, ſi quidem ipſorum voluntate hoc fecerunt: ſin autem proprio Epiſcopo obedierunt, permaneant; & ſi quod iuſtum eſt non nouerint. Et ſi omnes quidem populi eos cum alijs † reiiciant, alij ordinentur; ſin autem eos retinent cum illis quibus communicarunt, ij quoque eam conſuetudinem experiantur, qua vſi ſunt omnes orthodoxi in Thebaide Epiſcopi.

*† ἐκκλησιάζειν.*

*Can. 2. Presbyteri fornicatoris diſciplina.*

De Biſte qui in Ereba conſtitutus eſt presbyter, quærendum eſt; &, ſi alicui quidem mulieri ſeparatæ, viuēte marito vim attulit, non ſinatur eſſe presbyter. Nam nec vt laicus quidem debet cōmunicare, cum, eos qui tales ſunt, ſeparare conſueuerit Eccleſia. Hoc autem nullum affert Epiſcopo Apollini præiudicium, ſi eum per ignorantiam conſtituit, cum ſancta Synodus iuſſerit, eos qui propter crimen indigni eſſe conuincuntur, expelli.

Bals. *Biſtes, ab Apolline Epiſcopo Presbyter conſtitutus fuerat. Eſt autem ea regio, Aegypti, ſicut & Lyco. Is autem dicebatur mulieri ſeparatæ vim attuliſſe, viuo marito. De eo interrogatus Theophilus, inquit, Quæratur an ſit verum, eum mulieri vim attuliſſe. Et, ſi ita ſit, ne ei eſſe presbyterum permittatur. Quomodo enim fuerit is presbyter, cui nec in Eccleſiam quidem permittitur ingredi, cum ſit, propter peccatum, ſegregatus? Eos enim qui ſunt eiuſmodi, extrudit Eccleſia, & ſeparat à Fidelibus. Hoc autē à Theophilo nequaquā canonicè dictum eſt, quandoquidem ſanctorum Apoſtolorum xxv. canon, & magni Baſilij tertius & xxxij. & Carth. xxij. Clericos qui peccarunt & depoſiti fuerunt, à Communione non arcent. Quod autem ordinatus ſit, id non afferre damnum Epiſcopo qui eum peccatum ignorans, ordinauit: ſtatuit enim Synodus, vt qui peccatorum conuicti fuerunt, etiam poſt ordinationem eijciantur. Id autem eſt primæ ſynodi Nicænæ Can. ix. Illud autem,* Separatæ, viuo marito: *factū eſt, & ideo adiectum eſt,* Alicui *ſicut &* vim attulit: *licet enim ſimpliciter cum muliere aliqua rē habuerit licet nō ſeparata, ſic quoque in eum depoſitio introducta eſt, & ſi ei vim non attulerit.*

*Can. 3.*

De Sur autem, qui Apollo Epiſcopus affirmauit; ſe, & eum amandaſſe & ab Eccleſia alienum feciſſe: ita ſit vt pronunciauit Epiſcopus, vtente illo ſuis defenſionibus ſi vult & de Epiſcopi ſententia conquerītur.

Bals. *Erat quidam Sur clericus Epiſcopi Apollinis; qui Epiſcopus, ſe, eum à Clero amandaſſe, pro eo quod eſt, expuliſſe, affirmauit.* Sit ergo ſecundum Epiſcopi iudicium quod in ipſum prolatum eſt, à clero alienus: Sin autem Epiſcopi *ſententiam accuſat, vtatur ſuis defenſionibus, apud ſynodum ſcilicet, ex qua eſt etiam Epiſcopus.*

DePanuph. qui in Lyco a diaconus cōſtitutus eſt, quærere oportet, & ſi is quidem inuentus fuerit, cùm eſſet Catechumenus, fratris ſui filiam in matrimonij ſocietatem accepiſſe, poſt baptiſmum in clerum promotus, in clero maneat, ſi iſ adormierit & poſt baptiſmum cum ea rem non habuerit. Sin autem cum eſſet Fidelis, eandem fratris ſui filiam in matrimonij ſocietatem duxit, ſit à clero alienus. Non eſt enim Epiſcopo Apollini præiudicium, ſi eum per ignorantiam conſtituit.



A

*Can. 4.*

Bals. *Dicebatur Panuph. antequam eſſet baptizatus, fratris ſui filiā vxorem duxiſſe: Baptizatus autem, ordinatus fuerat. Dicit ergo Theophilus, quòd ſi mulier è vita exceſſerit, & poſt baptiſmum ea non vſus ſit, maneat Diaconus: nempe cum ſanctus Baptiſmus omnia peccata præcedentia deleat. Sin autem cum eſſet fidelis, ſeu poſt baptiſmum, eam habuit, clero eijciatur. Ei autem qui eum inſciens ordinauit, præiudicium non afferetur. Illud autem,* B Si mulier dormierit, *dicit, vtpote quoniam ita eueniſſe dicitur. Nam etſi etiam poſt baptiſmum vixiſſet, nec eam Panuph cognouiſſet, ſed ipſam etiam amandaſſet, potuiſſet ſic quoque eſſe Diaconus.*

a De Panuph. qui in Lyco, &c. *Meletius, à quo Meletiani, fuit Epiſcopus Ciuitatis Lycôn: Videbatur autem præeminere inter Epiſcopos Ægypti, vt qui ſecundum locum habebat poſt Petrum in Archiepiſcopatu Alexandrino, vel ut adiuuandi eius gratia, ſub ipſo exiſtens, & ſub ipſo Eccleſiaſtica curans, tanquam ſecundus ab eo. Exceſſurus autem è viuis Ioannem quendam è ſuis familiaribus præter Nicænæ Synodi ſtatutum, ſibi in Lycôn Epiſcopatu ſucceſſorem conſtituit Epiph. in Panario Lib. 2. To. 2. Hæreſi 68. Nicetas, Theſauri lib. 4 Hæreſi 44.*

*Can. 5.*

C De Iacob quærere oportet: ſi enim Lector erat, & criminis fornicationis fuiſſe eum obnoxium, & à presbyteris eiectum fuiſſe oſtenſum ſit, deinde is ordinatus eſt: eiiciatur, accurata examinatione facta, non autem, ex ſuſurris vel maledictis orta ſuſpicione. Sin autem non fuerit inuentus crimini obnoxius, maneat in clero, neque enim vanis calumniis animum adbibere oportet.

Bals. *Iacob quidem, Lector fuiſſe dicebatur, & clero eſſe eiectus, & deinde ad maiorem gradū fuiſſe ordinatus. Scribit ergo Theophilus, quod, diligenti examinatione facta, ſi eum peccaſſe compertum fuerit, Clero eijciatur. Nō enim oportet ex ſuſurris, ſeu clandeſtinis ſermonibus, vel maledictis ſeu apertis conuiciis orta ſuſpicione condemnari aliquem. Quòd ſi, cauſa examinata, inſons compertus fuerit, maneat in Clero.*

*Can. 6. Forma ordinationum.*

D De iis qui ordinandi ſunt, hæc erit forma, vt quicquid eſt ſacerdotalis ordinis, conſentiat & eligat, & tunc Epiſcopus examinet; vel ei etiā aſſentiente ſacerdotali ordine, in media Eccleſia ordinet præſēte populo, & Epiſcopo alloquēte, an etiā poſſit ei populus ferre teſtimoniū. Ordinatio autē non fiat clanculum. Eccleſia enim pacē habēte decet præſentibus ſanctis ordinationes fieri in Eccleſia. In regione autem, ſi qui ſint qui eorū qui communicarunt, animis communicauerint; non aliter ordinentur, quàm iis qui ſunt orthodoxi clerici, examinantibus, præſente rurſus Epiſcopo, & præſente populo alloquente; ſolummodò ne fiat aliqua ſubreptio.

Bals. *De iis qui in clero ordinandi ſunt, dat typum, & dicit, quod oportet eum qui eſt ordinandus, à toto ordine ſacerdotali eligi: pro eo quod eſt: conſentiēter ab eis antea iudicari, & cum eiuſmodi præiudiciū de eo factū fuerit, tunc* E *ipſum ab Epiſcopo ordinari: & quādo ille homo viſus fuerit aptus vt ordinetur, tunc eum ordinet conſenſu ſacerdotalis ordinis præſentis, & populi. Cur autem dixit eum ordinādum conſenſu ſacerdotalis ordinis? Nam cū à ſacerdotali Ordine electus eſt, ad ordinationem, cōſenſus non videtur eſſe neceſſarius: ſed eſt veriſimile poſſe, poſt electionē, aliquid temporis præteriiſſe, & eos qui ordinādum præiudicant, reſciuiſſe aliquid quod eius ordinationē prohibeat. Et ideò dicit ipſos cōſentire. & dum ordinatur, populū quoq; ab Epiſcopo interrogari debere, an dignus ſit cui teſtimoniū ferant ad Ordinationē. Diſſuadet autē ne fiat Ordinationes clādeſtinæ: Cū enim, inquit, pax eſt in Eccleſia, ſcilicet cum*

*nunc non est diuisus populus, cessantibus hæresibus, sed sunt omnes orthodoxæ partis: omnino erunt vnius sententia, & oportet in præsentia sanctorum, seu Fidelium, ordinationes fieri in Ecclesia. Sanctos autem, Fideles appellauit: ex sancto hoc Paulo assumens: Ille enim sic Fideles in suis Epistolis appellat. Hæc itaq; de ijs qui in vrbibus habitant videtur dicere: de ijs autem qui sunt in regione, seu in vicis, dicit quòd quoniam multi etiam inuiti communicabãt hæreticis, eorum autem multi, fidelium animis communicabant, & assentiebantur: Si quis eorum sit ordinandus in Clerum, eum non aliàs ordinandum quam cum ordinatione clericorum, quos constat esse orthodoxos; præsente etiam Episcopo & alloquente populum, vt superius dictum est. Hæc autem dicit fieri, ne intercedat aliqua circumuentio, seu fraus & obreptio, & arripiatur & ordinetur aliquis qui non rectè sentit de fide.*

Can 7. Oblatio ad rationem sacrificij. Quæ in sacrificij rationem offeruntur, post ea quæ in sanctorum vsum consumuntur, clerici diuidant: & nec Catechumenus ea iis bibat vel comedat, sed solùm clerici & qui cum eis sunt fideles Fratres.

Bals. *Si qua eorum quæ à Fidelibus ad sacrificium offeruntur superabundant, post ea quæ in diuina mysteria consummuntur ea inquit, oportet clericis diuidere, vt ab ipsis comedantur ac bibantur, & etiam à fidelibus Laicis. Catechumenis autem nihil ab eis detur. Quia enim altari oblata sunt & ad diuina dona, ex illis, partes sumpta sũt, illaque sanctificatæ sunt: quomodò ijs qui sunt imperfectiores dabuntur consumenda? Quæ autem ad Sacrificium offeruntur, ea sunt panis & vinum, nihil enim aliud ad altare offerri permittitur. Lege iij. can. Apost. & syn. in Trullo quæ dicitur sexta. can. xxviij.*

Can. 8. Quoniam Hierax dicit eum non debere esse in clero, vt qui sit fornicationis delatus: Apollo autem Episcopus affirmauit, nullum accusatorem aduersus eum in medium processisse; hic quoque examinetur: & si aliquis quidem accusator fide dignus exoritur, & crimen probatur; productis fide dignis testibus, Ecclesia eiciatur: Sin autem dignus est clero, & de eius continentia testimonium feratur: in eo maneat.

Bals. *Quidam ordinatus est, Clericus, deinde tanquam qui fornicatus esset, accusatus est. Dicebat ergo quidã Hierax nõ oportere eum esse in clero: is autem qui eum ordinauerat, affirmabat, seu instabat, eum non esse ab aliquo accusatũ: Dixit ergo Theophilus: Homo examinetur, & si inueniatur quidẽ aliquis accusator fide dignus, seu qui sit ad accusandũ admittendus (non enim cuiuis permittitur accusare eos qui sunt in Sacris, vt vult ij. cap. ij. syn. œcumenica, & xxi. iiij. vniuersalis syn.) Ecclesia eiciatur post probationem: Sin autẽ nihil tale probatur, maneat in clero.*

Can. 9. Vt totius sacerdotalis ordinis sententia, alius renuncietur Oeconomus; in quo, Apollo quoq; Episcopus consensit, vt bona Ecclesiæ, vt debent, insumantur.

Bals. *Idem tulit sententiam, totius sacerdotalis ordinis iudicio fieri debere Episcopatus Oeconomum, si etiam Episcopus assentiatur cleri iudicio. Fieri autem Oeconomum vt bona Ecclesiæ, vt par est, consumantur illius cura & solicitudine. Quid sit autem*, in ea quæ oportet impẽdere: *sequens docet caput quod est, impendere in viduas, hospites, & pauperes; Nemini enim permittitur bona Ecclesiæ in proprios vsus transferre. Oportet enim Dei ministrum, esse ab auaritia alienum, & nec ad vsum proprium vti rebus Episcopatus, nisi ad ea quæ sunt necessaria, & tunc demum quando eis domi desunt facultates, secundum xli. can sanctorum Apost. Quære quæ in eo scripta sunt, & xxiv. can. syn. Antioch.*

Can. 10. Viduæ, & pauperes, & peregrinantes hospites omni quiete fruantur; & nemo, ea quæ sunt Ecclesiæ, vt sua vsurpet.

## EIVSDEM EXPOSITIO DE IIS *qui dicuntur Cathari.*

Declarauit mihi tua pietas, quòd quidam eorum qui se Catharos nominant; volunt ad Ecclesiam accedere. Quoniam ergo magna synodus quæ Nicææ habita est à
A sanctis patribus, statuit vt ordinentur qui accedunt, velis, iuxta hanc formam, eos qui ad Ecclesiam accedant, ordinare; si quidem vita eorum recta est, & nihil eis aduersatur.

Bals. *De Nouatianis interrogatus est: Hi enim sunt qui etiam Puri dicuntur: & responsum est, quod si ad Dei Ecclesiam accedunt, quia magna & prima Nicæna synodus statuit vt ij ordinentur; fac tu quoque secundum hãc formam, & ordina eos qui accedunt: nisi aliquod impedimentum ex vita eorum aduersetur. De Nouatianis autem Canon est octauus primæ synodi.*

## EIVSDEM AGATHONI EPISCOPO.

Maximus asseruit se Ecclesiæ leges ignorantem, illi-
B cito matrimonio coniunctum esse: & quia hoc eum malè habet quod non rectè & ex ordine agat, affirmauit, quia contra leges fecit per ignorãtiam, se ab illicita vitæ societate ex consensu abstenturum, illa etiam hoc volente. Si ergo probaueris quòd hoc ea consensu faciant, & non fallant, quia est tempus decennale, si consideres eos debere versari cum Catechumenis, nunc eos sic dispensa. Sin autem vides quod velit decipere, & acerbitate adhuc in eos opus sit, fac id quod Deus tibi suggesserit, id semper sequens quod in vsu est, vimque obtinet. Nam cum sis iis locis, potes eorum mentem magis nosse.

Bals. *Maximus quidã, vt illicito matrimonio mulieri coniunctus segregatus fuerat, & congregatione cum Fide-*
C *libus prohibebatur. Is verò dicebat se per ignorãtiã fecisse contra leges, & paratum esse ab hoc matrimonio recedere, muliere etiã volente: & petebat, vt ab ea abscedens admitteretur. Ad hæc ergo dicit Theophilus, quòd si inquirens inueneris eos* ea consensu *hoc est, communi consilio à matrimonio absistere, & non fallere, cum decem annos simul cohabitarint. Cohabitationis autem tempus adiecit, declarans, quòd quoniam tantum tempus simul vixerunt, difficilius existimari posset à se inuicem disiunctio, & ne fallãt. Si consideras ergo, hoc est, si iudicas eos stare debere cum Catechumenis,* nunc, *id est in præsentia,* sic eos dispensa: *vel quia per fraudem hæc dicunt, & quod adhuc acerbitate indigent, seu acerbioribus pœnis,* fac quod Deus tibi suggesserit: *hoc est, tuæ rationi inspirauerit in mentem vel immiserit;* semper, id quod est in vsu & quod vires obti-
D net *sequens, id est, quod magis est ratum ac validum.*

## EIVSDEM, MENÆ EPISCOPO.

Rem iustam fecerunt presbyteri in Gemino pago, si verum dicit quæ defert literas Eustathij. Dicit enim quòd Cyradium facientem iniuriam, nec ab eo desistere volentem, à Communione separauerunt. Quia ergo inueni quòd suo malo curam adhibens vult communicare; fac, ea ita se comparet vt iniuriam primum deponat, & pœnitentiam agere in animum inducat; vt si sic intellexeris, quòd lege Dei accedit Synaxin desiderans, per- Synaxis.
mittas ei vt cum populis communicet.

Bals. *Mulierem quãdam, quæ Cyradium appellabatur; iniuriam autem cuipiam faciebat: qui erant in Gemino*
E *presbyteri ab Ecclesia separauerant, cum ab iniuria non abstineret. Illa verè propter segregationem pollicebatur se iniuriæ remedium allaturam, seu satisfacturam, & ad communionem admitti volebat. Scribit ergo Theophilus ad Episcopum regionis:* Fac vt ea primum deponat iniu- Satisfactio.
*tiã, hoc est, reddat ea quæ iniustè acquisiuit, & pœnitentiã agat, hoc est, se iniuriam fecisse ægrè ferat, & Deum oret vt sibi peccata condonentur. Et cum hæc fecerit,* si intellexeris: *hoc est, si cognoueris quod Lege Dei accedit, seu bona conscientia non ferens, se à Fidelium Communione esse separatam, propter Deum, & non propter hominum pudorem: tunc ei permittes cum fidelibus populis communicare, & in hymnis consistere.*

EX

## EX GENNADII SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM CATALOGO.

*Peregrinatio Dei causa.*

*BAcchiarius vir Philosophiæ Christianæ nudus & expeditus, vacare Deo disponens; etiã peregrinationem pro conseruanda proposita integritate elegit. Edidisse dicitur grata Opuscula: sed & ego ex illis vnum de fide librum legi, in quo satisfacit Pontifici Vrbis aduersum querulos, & Infamatores peregrinationis suæ; indicans, se non timore hominum, sed Dei causa peregrinationem suscepisse; vt exiens de terra sua & cogitatione sua, cohæres fieret Abrahæ Patriarchæ.*

## ARGVMENTVM IN EPISTOLAM BACHIARII.

*FRatrum quispiam (Monachus scilicet, dæmone tentatus) Monialem virginem adulterauerat, & ob illud flagitium, ita erat ab Ecclesia eiectus, vt Ianuarius siue presbyter siue Episcopus, nullo pacto vellet eum, ne in pœnitentium quidem ordinem, recipere: Quin & alij quidam (non dubium quin Dæmone afflati) suadebant illi vt de venia desperans, crimen illud nuptiis emendaret: Coniugium enim, Religiosi nominis esse vocabulum; quoniam Deo authore sit concessum: Ridebant interea (vt nunc ferè fit) & Laici & Dæmones, religiosi hominis lapsum & perturbationem. Bachiarius itaque hac Epistola, primum grauissimè admonet Ianuarium, vt lapsum illum Pœnitentem Monachum recipiat: omne enim peccatum esse remißibile: & Testamenti veteris quemque præstantissimum, pœnitentia salutem consequutum. Deinde fratrem illum lapsum dulcissimè hortatur ad pœnitentiam, nec metuat Sanctos in hoc negotio intercessores, oportunè aduocare, ingredi Monasterij carcerem, cilicium quod incestu sordidauerat rursum assumat, missamque faciat virginem illam adulteratam, quæ semel nupta Christo cum velaretur, alteri non possit (æternùm viuente sponso suo) nubere. Caueat porrò sedulò & Pœnitentiæ procrastinationem, & desperationem. M. D. L. B.*

## BACHIARII, QVI TEMPORE AVGVSTINI VIXIT, AD IANVARIVM, DE RECIPIENDIS LAPSIS, EPISTOLA.

*BENEDICTO IN CHRISTO FRATRI,* A
*omni mihi fide & dilectione venerabili Ianuario,*
*Bachiarius peccator, salutem optat.*

NIsi vererer, beatissime frater, ne inter simulatos amicos Iob, mihi portio poneretur; qui videntes plagam eius, veluti qui non haberet solatium, iugi silentio quieuerunt; propè fuerat vt & ego superposita manu ori, & obturato linguæ sibilo, ianuas labiorum meorum taciturnitate concluderem. *Iob. 2. d* Sed absit hoc à fide mea, vt aliquam dicam plagam esse quæ non habeat consolationem; cum mihi Propheta proclamet? *Nunquid medicus non est in Galaad, aut resina non est illis? Quare non ascendit sanitas filiæ plebis meæ?* Galaad enim interpretatur *aceruus testis*: & hunc Aceruum testem, totum Canonem diuinorum Librorum esse sentimus; vbi indissolubilium cumulus testimoniorum, velut quidam congestus est lapidum: in quo cumulo, medicus verus noster Dominus Iesus Christus, si quæsitus fuerit, inuenitur. B *Omne peccatum remissibile. Hier. 8. g Gen. 31.* Resina autem quid est, nisi continentiæ virtus, quæ dissoluta coniungit, & scissa conglutinat? Quod nos scientes, non dubitamus ad consolationem ipsius plagæ quæ contigit, oris nostri lamenta miscere. Audiuimus enim horrendæ cladis excidum; audiuimus exultantem de ruina militis Christi Satanam; & iubilatio vocis, quam in triumpho suo Diabolicus dedit exercitus, ad aures nostras vsque peruenit. C Et testem Deum inuoco super animam meam, quòd ita sunt mota viscera mea, & ita commouerunt se ossa mea, vt omnem partem corporis mei sentirem eadem plaga torqueri. *1 Cor. 12. d* Nec enim absque damno meo hoc accidisse dixerim malum, vbi membrum corporis mei diabolica sagitta percussit, cùm Apostolus dicat: *Si patitur vnum membrum cõpatiuntur omnia membra.* *Sepulturæ honor.* Sed non admittitur in totum animus meus lamentationi vacare vel fletui; quia aduersus vos, mihi locus est irascendi. Ecce enim contra communes inimicos processit frater nobiscum in prælio: & subitò prostratus casu, hunc vos nec sepulturę dignum honore iudicastis, sed reliquistis eum feris & alitibus deuorandum. *Hos. 6. c Matt. 9. b 12. a* A Vbi est misericordia Christianæ religionis, quam Magister noster sacrificio docuit esse meliorem? Ecce iacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitat, & vos quia sine vulnere estis, conuertimini, & non solationem plagæ ipsius deferri tentastis. Nolite esse sine formidine, beatissimi fratres, fortiorem percussit inimicus, vt celerior ei postmodũ fieret aditus ad reliquos. Vt quid enim spernitis vulneratum, aut sic putatis eum mortuum? Melior fuit concubina Saulis filia Ressa, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eo vsque accincta sacro, hoc est, cilicio, custodiuit, donec eis roraret aqua de cælo: id est, donec pro venia eorum, misericordiæ cœlestis stilla deflueret. *2. Reg. 21 b. c* Melior est ille Iudas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos futura de † Lamyrni ciuitate, idolorum dona prostrauerunt. *2. Mach. 12. g* *† Aliàs. Iamma;* B Vt quid, rogo, Medicus noster inter librorum suorum loculos tot cõstituit genera pigmentorum, si nihil est ex omnibus emplastris eius quo sanari possit vulnus, quod inflixit inimicus? Ita ne fuit quod lateret Architectum, cui nequaquam artis suæ peritia prouideret. Etsi placet, aperiamus scholam medici nostri, & à principio canonis, vulnerum ac medicaminum species perquiramus. Ecce in ipsius introitu scholæ occurrunt illi duo authores seminis carnalis Adam & Eua, qui venenato Serpentis dente percussi, non statim pœnæ mortis addicti sunt, sed deiecti de Paradisi deliciis, id est Ecclesiæ libertate, & sacri communione Mysterij. C Ideò temporariè, sub typo mœroris tribulationisque damnati sunt, vt malagmate pœnitentiæ sanarentur: & eò vsque de ligno vitæ, id est Christi participio † exules fierent, donec ad eum per romphæam flammeam, id est, ignitam martyrii passionem, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur multitudo scientiæ, remearent: de quibus nunc per singula non est temporis loqui. *† Forte, participatione. Genes. 3 d* Quid verò ille fratricida, cui, ob hoc, signum Dominus mandat imponi, ne ab aliquo possit occidi. *Genes. 4. b.* *Non vult enim Deus mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat.* *Ezech. 18 b.* Nec lõgè ab his distat ille princeps patrũ, qui primus *credidit & reputatum est ei ad iustitiam*: *Gẽ. 14. a Gẽ. 13. c 19. a* qui captum ab hostili legione Filium fratris, assumpta vernaculorũ turba, eripuit: *Orationis Abrahæ merita Ignis.* quem postmodum de Sodomæ plaga: id est, de

*futuri iudicij.*

iudicio Gehennæ, habito cum diuina maiestate colloquio, hoc est orationis suæ meritis liberauit. Et tu ergo assume vernaculorum turbam pro isto, id est, opere tuo non alieno, fratri auxiliũ præsta captiuo. Loquere cum Domino, id est, ora ad Christum, ne eum futuri iudicij ignis exurat: Imitare Patriarcharum opus, qui stuprum sororis suæ in alienigenarum manibus incidentis non solum horruerunt, sed etiam vindicauerũt. Require tamen qui vltores fuère peccati, nonne Simeon atque Leui? Et tu ex tribu Leui es, qui Ecclesiastico seruis officio; Simeon autem, Obauditio, interpretatur. Et tu ergo, qui obediens fuisti Deo, inobediẽtem animam liberare aut vindicare cur cessas? Anima autem Fratris tui soror tua est, quam si passus fueris inter alienigenas seruire, peccabis. Sed dicis fortasse, Leuita est iste qui cecidit, nec ei remedij potest medicina conferri. Erras frater, recurre ad scholam medici. Ecce in secundo loco, id est, in Exodi libro, vbi totius plaga populi vulnusque describitur, etiam Leuitæ peccasse referuntur, † qui priores ad correptionem Legislatoris emendati esse perhibentur, & non tam in eis peccati crimen arguitur, quam velox conuersio in pœnitentiæ celeritate laudatur. Cuius rei etiam in Ezechiele meminit Dominus noster, cum dicit de Leuitis: *Qui primi exierunt ad me cum errasset Israel.* Ipse quoq; pontifex, ad suggestionem populi, idolũ fabricauit: pro quo orationem fecit Moyses, hoc est, fraterno liberatus est auxilio. Sed dicis fortasse beatissime: Adhuc nec Leuitæ sanctificati erant, nec pontifex consecratus erat, cum istius mali crimen admissum est. Non contradico perspicaciæ tuæ, quam ex Scripturarum voluminibus concepisti, tamen respondissem tibi (si possem respondere) secundum Apostolicam sententiam, qua loquitur ad Hebræos, qui Abrahæ lumbis latens, Leui decimas à Melchisedech accepit & dedit. Aut ipsi Aaron, qui tibi minus videtur fuisse de pontificali honore vel gradu cum Ægyptum signis percussit horrẽdis, & egrediens nocte cũ Populo sancto celebrauit Pascha. Scimus autem, quòd sine sacerdote Pascha non poterat celebrari. Sed intermissis his interrogare te volo: Quid erat Aaron cum aduersum Moysen, inuidiæ liuore percussus, iuncta sibi Maria murmurauit? Ac dicas fortasse, minus est inuidia quam fornicatio. Lege ergo beatum Apostolum, qui dicit; *Neq; fornicarij, neque inuidi, neque detractores regnum Dei consequentur.* Vides vbi velut æqualia sibi similiaq; iungũtur, quæ ad cœlorũ regna non subeunt! Aduerte, cuius pœnæ sentẽtiam mereatur inuidia, per quam, prophetissa Maria, lepra percutitur! Cuius nam auaritia, pro qua † Ezechiel Elisæi minister simili sorte damnatur. Et tu ergo cur auarum non detestaris, cur inuidum non refugis, cur detractorem, raptoremque non deuitas, fornicatorem, ad tempus, fratrem reuersurum, æternæ mortis pœna condemnas: Nec ideo hoc dicimus, vt peccandi fræna laxemus. Aduertat quisquis hoc legerit, quia non viuentibus loquimur, sed mortuum consolamur. Denique resurgat, & videbit, quia statim ei tradimus Psalmistæ versum dicẽtis: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Accipiet virgam correptionis; & baculum, qui sustẽtare possit infirmum. Ita autẽ intelligimus Apostoli dictum, *quod neque inuidi, neq; fornicatores, neque aliena appetẽtes regnum Dei possidebunt*, Id est, si quem in hoc vitio tempus accersionis inuenerit; quod alibi Dominus dicit: *Vnũquemque in vijs suis iudicabo.* Et ipse Apostolus ait: *Qualis fuerit, nihil mea interest.* In Epistola sua beatus Ioãnes orare mandat pro fratre, *qui non habet peccatũ vsque ad mortem*; id est, qui non vsq; ad extremũ vitæ suæ finem peccatorum suorum mala fuerit sequutus. Nam de Leuitis, quod superius dixeras, non eos fuisse sanctificatos, cum peccatis fuere polluti. Quid tibi videtur illud, quod scriptum est in beati Esdræ libris, vbi dicuntur reuersi de captiuitate Babyloniæ, & restructis templi Dominici fundamentis, non solum plebs vulgi, verum etiam sacerdotalis familia lustratione illius Iesu

*Gen. 34.*

*† Facile apparet, Ex 32. f. nonnullos etiam ex Leuitis peccasse in conflatione vituli, ac proinde merito occisos à patribus & fratribus quibus ob hãc causã ait Moyses. consecrastis hodie manus vestras vnus quisque in filio & fratre suo videtur vobis benedictio*

*Heb. 7. a Aaronem sacerdotẽ fuisse antequam consecraretur.*

*Aaron iã sacerdos, murmurauit cõtra Mosen. Num. 12. & 15. a*

*1. Cor. 6. b Nũ. 12. c † Giezi. 4. Reg. 5. Psal. 22. b*

*1. Cor. 6. b*

*Ezec. 33. c Gal. 2. a 1. Ioan. 5. c. d*

*3. Esd. 8. f. g. 9. c*

A magni, in mulieribus alienigenis, hoc est, Syris, & Idumæis; & Moabitis, & Ammonitis esse permixti: qui tamen omni peccato eodem, accipientes cõsilium Esdræ, & recedentes à mulierum alienigenarum consortiis, caruerunt? Vnde vides, quòd sicut peccati contagione maculamur, ita expulsione eius abluimur. Ne quæso, beatissime, fratrem nostrum in profundo putei sub iniqui principis potestate demersum, lapidibus desperationis obruamus. Imitemur illum Æthiopem, qui sanctum Ieremiam in lacum ab iniquo rege demersum; assumptis xxx. hominum auxiliis, & demissis ad eum pannis ac funibus veteribus, liberauit. Ecce frater in lacu est, assumamus xxx homines; id est, siue beatæ auxilium Trinitatis; siue, cum labore animi carnisque & spiritus, demersum in profundo putei liberemus. Mit-

B tamus ei pannos veteres; reducamus in memoriam eius exempla antiquorum, qui per peccatum collapsi, postmodum de profundis malorum per pœnitẽtiam ad superna relati sunt; quæ cum ei antè oculos posita fuerint, desperare non poterit. Solet percussus miles in primo certamine, in secundo fortius dimicare, & contra percussorem suum magis iratus insurgere. Ecce in sæculi fine consistimus: instant pro Christi nomine prælia passionum. Quid mirum, si ille quem fornicationis hasta percussit, in passionis congressione superauerit; quid, si victor fuerit in martyrio, quem vicerat incontinẽtia & libido? Nonne sic fecit ille Nazaræus ex repromissione natus, quem, cum in perniciem sui, mulieris blandimẽta vicissent; postmodum in fine obitus sui, sub martyrii passionem, maiorẽ inimicorum exercitum prostrauisse

C quam antè, quando Nazaræus, hoc est, immaculatus, fuerat reperitur. Sicut enim illa sacerdotalis familia, de Heli cognatione descendens, cui iurauerat Dominus vt nullus de ipsis ante faciem eius assisteret, eò quod grauibus peccatis Dominum prouocasset, nonne omnis illa cognatio, pro Dauide, à Saüle refertur occisa? Et quid est hoc nisi forma martyrij; vt quos graue peccati crimen inuoluerat, mors pro Christo illata liberaret. Hæc sunt beatorum Voluminum sacra mysteria. Sic vasa nequaquam figulus ille patitur interire, qui etiam ea cõfracta & in lapidibus illisa redintegrare posse se dicit. Ne spernas quæso fratrem defunctum; filius est Sunamitis sterilis; id est, Ecclesiæ: ex repromissione natus est iste qui mortuus est. Quondam enim natiuitatem eius, secũdò, Abrahæ Dominus in Isaac semine spopõdit atq; pollicitus est, cuius caput, in messe, calore percussum est, id

D est principale mentis eius inter ipsam spei libidinis flãmam concaluit. Currat ad Helisæum mater eius, id est, solicitè plangat Ecclesia. Resurget enim, si fideliter sperauerimus hoc à Christo. Et tu beatissime, in defuncto fratre opus imitare Helisæi; manus manibus, pedes pedibus, os ori componi primum, vti compatiaris ei qui mortuus iacet. Neque elatus integritatis tuæ triumpho, super excrescas eum aut superextendas ei quẽ repentina mors rapuit: sed imitare Apostolum, qui dicit: *Timeo, ne humiliet me Dominus Deus meus apud vos, & lugeã multos ex eis qui antè peccauerunt.* Appone præterea oculos tuos oculis ipsius, manus manibus, pedes pedibus: custodi oculos ipsius, ne in perditionẽ sui vlterius

E euagentur; Os illius, ne confabuletur iniqua: manus illius, ne operentur aduersa, pedes illius, ne vagentur in turpibus. Et sic, cum pro custodia sui, membris membra tua fuerint copulata, non solum peccandi vlterius spatium non habuerit, vèrum etiam spem capiet resurgendi, vt qui per peccati frigus emortuus est, consolationis tuæ tepore reuocetur ad vitam. Memento autẽ vt omnes à conspectu eius eiicias, nullus videat, nullus in medio sit, nec quisquam sibi visionem eius, de propinquitate, præsumat. Quid dico propinquum? sit mater illa carnalis, nec ei ad illum aditus detur intrandi: nam sic Helisæum in Sunamitis filio, sic Dominum nostrum in principis filia, sic beatum Petrum in Dorca vidua fecisse cognoscis; valde enim debet secretus & solitarius locus mortuo

*Peccati remissio.*

*Hier. 38.*

*Etiã vel. Clau de nouo pugnabit. Iud. 16. e Samsonis Martyriũ & fortitudo.*

*1. Reg. 3. c 1. Reg. 22. d Martyriũ sacerdotũ in Nobe pro Dauide*

*Hier. 18. a 4. Reg. 4. c Gen. 21. b Heb. 11. d*

*2. Cor. 12. g*

*Peccatori Monasterio sit carcer pro Medicina.*

*4. Reg. 4. e Matt. 5. d Act. 9. g.*

mortuo in peccatis homini præparari vbi nihil capiatur amplius quam medicus & cadauer. Ne quæso, beatissime, impercussum fratrem & aliquando nobis placitum relinquamus, inermem quem inuenit inimicus. Defuit ei lorica iustitiæ, & galea spei ac salutis, & gladius spiritus, quibus armantur milites Christi. Curetur, rogo, quia adhuc palpitat, & reuertatur ad pugnam. Nonne ille egregius fortis Dauid, qui in adolescentia sua gigantem miræ magnitudinis superauit, postea mulieris inepta nuditate superatus, mox vt Prophetę vocibus, quod peccasset, agnouit, statim ad pœnitentiæ malagma confugiens, cicatrices criminum, cõfessionis satisfactione sanauit? Sed nec sic quoq; eum impugnare destitit inimicus. Nam & postea eum populum numerando, peccare persuasit, & penè eum telo Gigantis occidit, nisi eum Ioab princeps militiæ interposita auxilij sui tuitione liberasset. Vnde etiã credo ipse in Psal. 72. dicit: *Mei autem penè moti sunt pedes.* Et alibi, *Sæpe impugnauerunt me à iuuentute mea.* Sed quid dicis? Non fiat eius memoria, quia turpi peccato seipsum iugulauit. Require primũ, frater, vtrum iste qui cecidit, in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus, quia plus misericordiæ meretur qui in certamine hostis percussit, quam ille quem dormientem latro confoderit. Ego illũ certè in prælio vidi constitutũ, pugnabat cũ scuto ieiunij aduersus illecebras gulæ, pugnabat cum taciturnitatis lorica contra detractionis iacula, & reliqua tela maledicta; sed in eo loco, in quo securiorem se arbitrabatur esse, percussus est. Sicut etiam Asahel frater ille Ioab principis militiæ Dauid, qui velox sicut ceruus à scriptura esse perhibetur ob hoc credo quod incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis indulserat (*Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animã*) ab eo quem persequitur, Abner, cuspide lanceæ † in renibus refertur esse percussus. In quo, loco membri, vitium fornicationis poni, nullum puto esse qui dubitet. Sic etiam ipse Abner à Ioab fratre eius, postmodum in inguine percussus esse perhibetur; quia fornicationis forma, non alibi quam inguine merebatur interfici. Et tamen nunquid Asahel consolationem fratrum non meruit, quem ita totus Dauidis planxit exercitus? aut de libro vitæ deletus est; id est, de memoria Dominicæ lectionis? sic scriptura non obliuiscitur, vt etiam velocitatis eius quam ante mortem habebat, non faciat mentionem, cum dicit: *Velox erat sicut ceruus:* id est, qui non solùm perspicacia mentis, inimici laqueos euitabat: verum etiam serpentum, id est aduersariarum virtutum interfector existit. Memento, frater, quòd caro sumus: mare illud (id est forma baptismi) quod beatus Ioannes in Apocalypsi vidisse se dicit, vitreum fuisse descripsit; & ideo in nobis citò periclitatur aut frangitur. Lubrica via est sæculi huius glaciali iniquitate constricta, quam cum immodicæ concupiscentiæ calor soluerit, facilis est ad lapsum ruinamq; miserorum. Porrige manum tuam iacenti fratri, qui confusus pudore peccati, nec erigere se, nec oculos audet attollere. Cõple legem Moysi; *Si cecidit asinus fratris tui, sub pondere*, hoc est, caro victa peccato, *acclina te, & humilia te, & subleua de ruina.* Quid erubescis cõiungi homini peccatori? respice illum qui dicit: *Noli nimium esse iustus.* Magister noster, à latronibus vulneratum, nõ solum cura dignum iudicat, verum etiam ad stabulum suum & ouile restituit: ac datis stabulario duobus denariis, hoc est, vtriusque diuini Canonis Testamenti: maius ei præmium pollicetur, si diligentia sua percussum hominem ad pristinum statum reduxisset. Et tu ergo collige fratrem, quem diabolus latro cum satellitum suorũ turba percussit: adsigna stabulario, id est, B. Episcopo, qui si quid in eo impenderit, amplius à Domino consequitur. Sed dicis: Fortè ille vulneratus erat, hic mortuus est. Et tu ergo si mortuum dicis, vel iuxta Helisæi illum ossa constitue. Nolo vt eum longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum erubescet, & resurget ad vitam. Nonne emendationis paruum putas esse tormentum, si peccator asciscitur in consortium beatorũ, qui illorum præmia, sua sentit esse tormenta? Si quis laudatur, erubescit, si quis vituperatur, agnoscit. Inter hæc flagella verborum constitutus, satisfactioni emendationique semper approximat. Iam verò illud quale est, quod à quibusdam audiuimus dici, vt illa & ille, qui criminis peccatique consortes sunt, velut in matrimonio, coniugio iungantur? Absit hoc à Christi oris eloquio, serpentis ista suggestio est, vt illius quem occidit, etiam cadauer adsumat. Nonne simile est, si quis percussus grauiter, extremò anhelet in fine, & hunc terrenus medicus si fortè visitauerit, quia non posse viuere suspicetur, hortetur occidi? Simile est sine dubio quod dicitur: Inuentus est frater aut soror, concupiscentiæ telo grauiter vulneratus: huic cum ipsius nuptiæ suadentur, quid aliud dicitur, nisi occidatur quia viuere aut euadere non poterit de hac plaga? nescis fortasse quia pœna manet desperantem. Ille nuncius Saulis mortis, cum ad Dauidem venisset, & referret ei inimicum suum esse prostratum: Dauid, causam mortis inquirens, audiuit ab eo, quia ipse nuncius illum suo gladio peremit, addẽs & dicẽs, *quia videbã quod iste illati in se vulneris non erat victurus:* quem Dauid statim morte damnauit, cum percussum ab hostibus, desperasset esse victurum, & eum sublata spei fiducia iugulasset. Quin immò more Dauidico scindantur vestimenta cordis ac pectoris, flebilis vox tollatur in planctum, vocetur in lamentum Israëliticus populus, id est, plebs Ecclesiastica, & dicat: *Subleua lapides tuos super altitudines tuas, & cogita de interfectis tuis, quomodò ceciderunt potentes in prælio. Ne nuncietur in Geth hoc, neq; prædicetur in vijs Ascalonis, ne fortè lætentur filij alienigenarum, & exhilarentur filij incircumcisorum*, & reliqua, quæ cõtinentur lamẽti ipsius edicto. Et dicat aut loquatur: Ecce prohibetur ne in terminis Geth, neq; in finibus Ascalonis, hoc est, in notitiã sæcularium siue hominum mundanorum, casus fratris vel ruina seminetur: & nos passi sumus, non solum ipsam quam incolit ciuitatem, sed etiam totum orbem, famæ ipsius desperatione, compleri? Nonne huic præcepto cohæret etiam ille Euangelicus sermo, qui dicit: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum solus, quòd si te audierit, lucratus es eum. si autem non te audierit, adhibe tecum duos vel tres testes*, & reliqua quæ continet sermo præcepti. Vides ergo quid dicit: *Ne exhilarentur filij incircumcisorum.* Me miserũ qui ista cognosco! Filij enim incircũcisorum, qui sunt, nisi homines huius sæculi in peccati sui errore & gentilitate viuentes? Hi ergo exhilarentur cũ audiunt ruinam militis Christi, vel ex illius consolãtur opere dicentes: Ecce qui nobis exprobratur à cæteris, ad cuius exemplũ cogebamur viuere: qui cũ nostro emersisset è corpore, tamen ad confusionem nostram vita eius dicebatur esse dissimilis; nunquid non melius erat nec inchoare quod bonum est, quam tam turpiter cadere, aut non posse complere quod cœperis? nescientes quod iudicio Dei maiorem forsitan excusationem habitura sit anima, quæ bonum voluisse, & ab insidiatore supplantata esse noscitur, quàm ea quæ rebellis in Domino, ex seruili desperatione formidinis magis elegerit iugo captiuitatis addici, quam periculum certaminis experiri. Nonne apud regem suum miles excusatur proprijs vulneribus, & plerunque strenuum bellatorem, cicatricum suarum plaga commẽdat? Sed prætermissis his plangatur defunctus, sepeliatur mortuus; id est, partim nostro labore, partim verecundiæ suæ confusione peccatum eius celetur, & auferatur è medio: nos autem consolationis linteamina, & cœlestis spei pigmẽta tribuamus. Ipse autem intra sepulchrum secreti sui confusus peccati pudore, contineatur: ibi conscientiæ suæ verme laceretur, qui tot in eo putredines obligat peccatorum, donec nullum ex se fœtorem famæ turpis emittat. Nonne sic beatus Tobias veniam misericordiæ cælestis emeruit, mortuis in captiuitate fratribus tribuens sepulturam? credo, lapsis sub mundialis principis

Margin notes (left column): Ephes. 6. c. — 1. Thes. 5. b. — 1. Reg. 17. f. — Mulieris inepta nuditas — 2. Reg. 11. — 2. Reg. 12. — 2. Reg. 24. a. — Satisfactio & Confessionis. — Psal. 128. a. — Lapsus in prælio veniã meretur Spiritualis pugna. — 2. Reg. 2. c — Sap. 9. d — † in inguine. — 2. Reg. 3. a — Apoc. 15. a — Hier. 18. c — Exod. 23. a. — Deut. 75. a. — Eccl. 7. c. — Luc. 10. e — 4. Reg. 13. — Peccator nõ omnino (abijciendus).

Margin notes (right column): Proijciendus ab Ecclesia. — Satisfactio. — 2. Reg. 1. — Ibidem. — Ecclesiasticorum vitia nõ dissimulanda apud laicos. — Mat. 18. b. — 2. Reg. 1. — Laicorũ insolẽtia in ecclesiasticorum peccatis. — Peccatũ fratris sepeliẽdũ. — Tob. 1. b. 2. d.

dominatione suadens insinuansque pœnitentiam. Et nos ergo, secundum quòd meretus corpus illius, cótingam*. *Ecce exyt Propheta de Hierosolyma*, hoc est, de domo Domini, *aduersus Bethel*, quæ fornicabatur à Domino, id est mūdi istius ciuitatē, cui præceperat Domin*, ne de cibo eius gustaret aut potu. Sed qui per Pseudoprophetā id est, per spiritū fornicationis, deceptus est ab iniquo, cecidit in potestatem Leonis ac fortem, qui *rugiens circuit quærens quē trāsuoret*. Qui tum iuxta cadauer eius assistit, vt si non fuerit ad Ecclesiæ sinum & sepulchrum portatum, in cibum ei escamque proficeret. Sed not vel Pseudoprophetæ imitemur officiū; & eum quem percussit diabolus, debito omnibus honore tumulemur. Sulet Christus de tali sepulchro mortuos suscitare: tantum ne cadauer eius deourandum feris aut alitibus: id est, vitiis siue hominibus sæculi relinquamus. Qualiter, rogo, de misericordia Domini possumus desperare; qui etiā Pharaonem arguit, quare nequaquam pœnitere dignatus sit, dicens in Prophetia Pharaonis: *Brachia Regis Ægypti contriui, & non est deprecatus vt daretur in eo sanitas, & redderetur ei virtus ad comprehēdendum gladium*. Salomō ille mirabilis, qui meruit adsistrici Dei; hoc est, sapientiæ copulari, in alienigenarū mulierum incurrit amplexus; & vinculo libidinis illaqueatus, etiam sacrilegij errore se polluit, quia simulachrum, Chamos Moabitico Idolo fabricauit: sed qui per Prophetā culpam erroris agnouit, nūquid misericordiæ cœlestis extorris est? Ac forsitan dicas, nusquam eum in Canone lego pœnituisse, neque misericordiam cōsecutum. Audi ergo, frater: pœnitentia eius, quæ non inscribitur publicis legibus, fortasse ideò acceptabilior iudicatur, quia nō ad faciē populi, sed in secreto conscientiæ Deo teste pœnituit: veniam autem, ex hoc, consecutom esse agnoscimus, quia cum solutus fuisset à corpore, sepultum illum inter regum Israelitarum corpora Scriptura commemorat. quod tamē, alibi, peccatoribus regibus abnegatum esse cognoscimus, qui vsque in finem vitæ suæ in propositi peruersitate manserunt: & ideo quia inter Reges iustos meruit sepeliri, nō fuit alienus à venia: veniam autem ipsam sine pœnitentia nō potuit promereri. Synagoga illa Chore, cum pro ausus sui temeritate, terræ hiatu, viua fuisset absorpta, arulæ tantum eorum, in quibus ignem succendebant alienum, à Domino circumdari iubentur altario, ob hoc quia sanctificatæ fuisse dicuntur: quas, nos, animas eorum esse sentimus, in quibus adulterinæ flammæ calorem præsumpta libertate susceperant; & ideò viui deglutiuntur, arulæ verò eorum perire prohibentur. Sic etiam Apostolus dicit; *Dedi huiusmodi hominē Satanæ in interitū carnis, vt spiritus saluus fiat in diem Domini nostri Iesu Christi*. Cōsidera ergo, frater, quia paucis tribuitur vt de amphitheatro mundi istius; vbi cum feris, hoc est, vitiis, depugnatur, immaculati à peccati morsu mēbra sua habeant. Quod e apertus ille dicebat; *Ne tradas bestiis cōfitentes tibi*: sed quia iamdudum est quod te cū sermocinamur, cauendum est nobis, ne offendat ta nostra verbositas, † Vnde etiam ad te, paululum, cuius causa hæc diximus, stylum vertimus. Quid me refugis frater? quid te magis consortio mundialium hominum credis? Illi fortasse † vident culpam tuām, ego plango; & si commori necesse erit, optabo. Quid erubescis præsentiam nostram? similis nobis causa est. Quia & ego in tuo negotio pudore confundor, † rasit, vt video, Ammonitius rex; militibus Dauidis, hoc est, ministris Christi, dimidium barbæ, & tunicas eorum vsque ad inguina præcidit; id est, sustulit ab eis, in dimidietate barbæ, virilem speciem; & effœminatos eos, per delectabilem nouaculam vitiorum, fecisse monstratur. Dimidia autem barba tibi rasa est, quia vno vitio si quid boni Dei virtutibus gesseras perdideras, dimidia rasus est barba, si volueris reliquo vitæ tuæ tempore, quod tibi superest, laborare. Præcidit verò tunicas vsque ad inguina; cum turpia facta, quæ ipse persuaserat, in oculis hominū reuelauit,

*3. Reg. 13. a* — *1. Pet. 5. a* — *Ezec. 30. c. d.* — *3. Reg. 3. b* — *3. Reg. 11. b* — *Salomonis pœnitentia & salus.* — *3. Reg. 11. Reges peccatores non sepulti cū patribus.* — *1. Tim. 5. d* — *Psal. 73. d* — *† alloquitur, non Ianuariū sed Fratrem lapsum.* — *† Rident.* — *† Legendum est Hanon, &c.* — *2. Reg. 10. a. Nuncij Dauidis, à Damone male tractati.* — *Hortatur lapsū ad pœnitentiam.*

Sed est super hoc spes: sedeamus in Hiericho, donec (A) crescant barbæ nostræ: id est, simus opprobrium & ignominia meliorum, & efficiamur anathema omnium; sicut in Hiericho, Israelitico populo fuerunt: donec barbatum species nobis: hoc est, virtutum incrementa nascantur. Crede mihi, quia Regi nostro dolebit iniuria; vlciscetur nos milites suos, quibus, in dehonestatione sua fecit ista inimicus. Absuit paulisper à cōspectu nostro Rex noster Dauid: & ideo victi ab inimicis, partem agri plenam lenticula rubicunda: quæ est, verecundiæ nostræ & delicatæ castitatis forma; confregimus. Sed etiam vbi recordationem peccati rex noster oculis nostri cordis aperuit, stemus vt vel illud quod residuum est; id est, reliquum vitæ nostræ tempus defendamus vt saluum sit. Ne, quæso te, persuadeat quisquis ille dicat (B) tibi vt scelus hoc in cōiugium vertas, ac de crimine matrimonium voces; Nolo offensam Dei prouoces atque multiplices. Si enim id vocatur in culpam quia furtiue ac cum timore persuasit tibi inimicus; quomodò merebitur veniam, qui velut insultans Deo & eius iudicio, publicè tibi ceperis illam vxorem vendicare? Imitare illū Ammon Dauidis filium, qui cum in furoris suæ stuprum illicita flamma caluisset, postmodū eam magis exosus est, quam amauerat ante, & pro hoc facto occisus est à fratre, quia agnita culpa erroris non mansit in crimine, sed materiā ipsius peccati vehementer exosus est. vnde etiam suspicamur, Dauidem ei non fuisse commotum, quia citò vidit eum in pœnitentiam rediisse, † & id per quod vnius horæ spacio deceptus est, statim cum impatientia odisse, & virtute pœnitentiæ disrupisse eius laqueus. (C) Qui verò captus est in rete vitiorum, & patiēter inimicis suis, hoc est, venatoribus acquiescit, donec etiam recludatur in cauea, & ibi longo temporis spatio saginetur ad pompam; tunc maximè principalibus sæculi cum occisus fuerit, placiturus est. Donec, etiam si muscipulam fornicationis euaseris, non te ebrietatis laqueis credas; per quos, animos irati Absalonis incurras: quia luxuria atque ebrietas, quædam sibi in vitiorū natiuitate germanitas est. Attolle ergo animos, frater, erige oculos quos conscientiæ pudor inclinarat, nec te inimica desperatio confringat. Ecce Absalon qui fratrem occiderat, per amicorum suffragia, Regis veniam promeretur, ita vt etiam osculum pacis & præsentiam vultus Christi non desperet exposcere. Et tu ergo quos amicos Dauidis esse nosti, qui quondam pater tuus, (D) quando non peccaueras, fuit: humilis esto & acclinis, vt quod à te non poteris, per illorum suffragia merearis: Ac, si fortè duri fuerint in audiendo, opportunè importunè non desinas supplicare, quia Absalon per iniuriam meruit, quod per amicitiam impetrare non potuit, & quod non meruit per iniuriam obtinuit. Vis scire quòd plerumque per occasionem iniuriæ, Sancti pro peccatoribus deprecantur? Beatus ille vnus ex quatuor Confessorum, caput & Martyrū; cum ab insano populo lapidibus vrgeretur, *in ipso exitu Israel de Ægypto*, id est, animæ de corpore discedentis, genu flexo, Patri pro peccatoribus supplicauit: Magistri nostri in hoc secutus exemplum, qui persequenti sematipsum populo veniam postulabat. Ecce vides vbi occasio precum nascitur ex in- (E) iuria & pœna sanctorum. Nec hoc ideò dicimus vt tu, per contumeliam, beatorum suffragia merearis; sed cōsilium damus, vt si pro magnitudine sceleris tui supplicare non ausi sunt in opportunitate tuam iniuriam patienter, facilius pro eo à quo læsi sunt audiantur. *Incende hordeum finitimū tibi, quod est in agro*; quia lingua, ignis est; ager autem est hic mundus: sic quòd cū cœperis vitæ bonæ fructibus derogare, & dicere; Ecce quales sunt Sancti, qui pro peccatoribus non audent rogare, vbi est quotidiana merces operis? Tunc incensa per linguam tuam Sanctorum spes, incitabimr ad fiduciam deprecandi; quia agnoscent te ad hanc necessitatem, vtilitatis tuæ causa non vitio detractionis, impactum: sicut Absalon non ob hoc segetem Ioab incendit, quòd nocere vellet

*† Dauid non succensuit Ammon ob stuprū sororis, quia statim respuit. ac tamen scriptura tā non consentit, sororem suam scelus quantum diligebat ante quam præmeditatum est.* — *2. Reg. 13. d* — *Ammon, luxuria & ebrietate permixta.* — *Absalonis homicida pœnitentia.* — *Sancti supplicant pœnitentibus.* — *2. Reg. 14. g* — *Absalon primum pro ipsa seruitute Ioab illic consensit, quia tum bene consulebat.* — *Psal. 113.* — *S. Stephani preces pro inimicis.* — *2. Reg. 14. g* — *Sanctorum preces pro pœnitentibus.*

veilet ei tanquam inimico, sed vt vel sic ad detrahentem sibi respiceret, quem non audierat blandientem; & ita eius præsentiam mereretus, qui Christi erat prosimus vel amicus. Fructus enim sanctorum, qui secundum homines est; in hordeo, non io congruenter accipitur. Qui vero secundum Deum in tritico poterit æstimari; quia non dubium est, sanctos vtrumque seminate secundum Apostolum, *prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et ideo Absalon, hordeum finitimum sibi; id est, cônersationem, quæ inter homines agebatur, inceudit: ad illud verò, quod coram Deo est, peruenire non potuit, quia illud solus Pater agnouit. Sed forsitã dicas: Pessuasio tua quietum requirit hominem vel securum, me autẽ necesse est quotidie persecutoré sęculi formidare, qui in me dedecus proximè suum optat vlcisci. Si ergo tale aliquod pertimescis; ecce sex refugij ciuitates, quas si placet ingredere; ac si fortè, pro conscientia peccatorum, illas quæ sunt in terra sepromissionis; hoc est, in Ecclesia, iotrare non audeas, est Bosor citra Iordanem in solitudine, quæ interpretatur angustia, id est, cellula monasterij parua vel modica: & optimè tibi conueniet, quia de sorte Ruben est, & ipse thorũ patris sui maculauis illicitè. Est & Ramoth de sorte Gaiaad; quæ interpretatus, excelsa mors, vel visio mortis. Verè enim, excelsa mors, pœnitentia esse dicenda est; cum mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cælorum, vnde fuerat dilapsus antè: siue iuxta istam humilem mortem, quæ generaliter omni carni imminet; illa ad comparationem eius rationabiliter excelsa nominatur; quia multo oobilius est per pœnitentiam mori, quam communi hac morte dissolui. Si autem visioné mostis sentire velimus, ita potest intelligi, quia cùm sumus in pœnitentia constituti, & ante oculos oobis ponimus gehennæ losernique tormenta, videmus ipsam speciem mortis, de qua pœnitentiæ beneficio liberamur: donec memineris, te in ancillæ filij ciuitate agere pœnitẽtiam; quia *omnis qui peccat, seruus est peccati, & formam serui accipiens, necesse est humiliet seipsum vsque ad mortem.* Est Gaulõ in finibus Manasse, quod interpretatur volutatio; vt tu memineris tibi in cilicio & cinere esse volutandũ; & hoc in finibus Manasse, qui interpretatur obliuio, vt obliuiscẽs ea quæ ante gessisti, *in priora te extendas.* Hic ergo inhabita: vt per angustias, mortem, & volutationem, iram persecutoris euadas, & spem salutis inuenias. Tum deinde in his si aliquid vtiliter egetis, etiã ad Cades in terra repromissionis, quæ est in Galilæa, poteris peruenire, quæ interpretatur sancta, vt tu cum in tribulatione opus corruptionis abieceris, etiam ad sanctam tibi Ecclesiã tribuatur accessus, & in sorte Nephtalim, qui dicitur vitis remissã, vt de Sacramento Dominici sanguinis participare merearis. Sed nec Hebron tibi aditus claudatur, quæ interpretatur coniunctio sine coniugium; Reuertitur enim anima tua ad virum suum, id est, ad spiritum Dei, a quo pro tempore peccaminum fuerat iudicata. Sicque etiam sacratam ciuitatem Sichem, quam Ioseph noster in hæreditatem consequitur, propter quod ibi sepultus est, valebis intrare, quæ interpretatur humerus siue labor, vt ostendas te, per laborem pœnitentiæ ab errore tuo, Christi humeris reportatum & adiunctum nonaginta nouem ouibus, effectumque centesimum; quia ipsa Sichem ab alianigenis, centum agnis scribitur comparata. Sed cur, frater, adhuc iacendi torpor te delectat? Surge, quia medicus venit, qui dicit secandas esse putredines peccatorum, & post hoc curandam plagam ipsius cicatricis. Quid expauescis, quid refugis curam? qui hastam Zaboiticã, quæ sexcentorum Siclorum pondere prægrauatur, nequaquam veritus es; cur subterfugis cultellos Euangelici sermenti? Qui ignem inimici flammasque perpessus es: cur ignem Domini hunc quem venit *mittere in terram*, qui consumet *fœnum, & stipulam & ligna, formidas?* Abscinde à te patrẽ consuetudinis voluntatem: Vre renes tuos & cor tuum,

*Fructus sanctorũ.* *Rõ. 12. d.* *Mysteria ciuitatũ refugij proponitentibus.* *Deut. 4. g.* *Monasterium maximo vtile pœnitẽtibus fornicatoribus.* *Pœnitẽtia, est mors excelsa.* *Ioa. 8. d.* *Gaulon.* *Cilicium necessarium pœnitẽtibus.* *Cades.* *Pœnitentium accessus ad Ecclesiã, & cõmunionem sacramẽtorum.* *Nephtalim.* *Hebron.* *Sichem.* *Iosũ. 4. a.* *Luc. 15. a.* *Gene. 33.* *Iosu. 24. g.* *2. Reg. 21. a.* *Luc. 12. f.* *1. Cor. 3. c.*



damna inimicã tuam corporis speciẽ, per quam aut ipse deceptus es, aut alios decepisti. Horreant eainanita mẽbra ieiunio, & cilic um quod sordida satinne pollueras, pro tegmine habere côtuescas, vt cũ attactu eius atque asperitate cõpungeris, semper peccatorũ tuorũ stimulos recorderis. Timet in te vitulũ suum Moyses per quẽ luxuriatus es in eremo, id est carnẽ tuã, Legis ac ieiunij disciplina cõficiat, vt ad nihilũ redacta teneatur. Legisti credo: *Irascimini, & nolite peccare:* ita & tu irascere peccatis tuis, vt vltrà nõ pecces, præueni vitricis gehẽnæ sæua torméta, & ipsi tibi tortor existe: vt cũ venerit, nihil inueniat quod in te possit punire inimicus. Si venerit passionis occasio, meméto qualiter tibi sub regis tui præsentia dimicandũ sit, vt culpã emendare possis desertoris & refugi: si vero forsitã defuerit huius fœlicitatis occasio tibi iste, ipse tuus poteris esse persecutor, vt sicut Apostolus dixit, *per omnem mortem,* cõstituas te Deo. Ingredere monasterij tui carcerem, & tenebras solitudinis, quibus ad lucem perditam reuocaris, exquire. Sit tibi fames pro gula, sitisque pro flamma: vt mann carnificis voluntatis, per abstinentiæ pœnam, costarum compago nudata visceribus sit, & pro supplicio ignis, internas ossium medullas, duræ sitis depascat incendium. Sit tibi vigilia velut officiorum custodia publicorum, ac sicut catena rigentis ferri, sic duriori consuetudine & lege constrictus sub imagine martyrij, veniam misericordiæ cœlestis expecta. Eia eia quid dubitas? Scalam illam Iacob, vnde delapsus es, dum velis ascendere, adhuc posita nondúmque subtracta est: & licét, in ruina tua, omnia membra tua colliseris, tamen iterum conare ascẽdere, donec, vt cùm veneris ad illum gradum vnde cecidisti, fortiter te serues atque custodias, quia licet lubricus sit omnis ascensus, tamen ille cito vergit ac deiicit in profundum. Sed fortasse dicas, quia ego more Pharisæorum imponam grauia onera super humeros hominũ, & ipse digito meo nolim cõtingere ea. Ecce, frater, quia nobis iurandi licentia prohibetur, si quid infœlicitati meæ credis, spondeo secundum misericordiam Domini, huius me laboris, quem suadeo, velle esse participem: consortium vero meum, cupidus salutis tuæ non solum ingero, sed etiam offero. Ac si forte tu ad nos venire confunderis, manda, & ego ad adducendum te sine dilatione properabo. Horreas consortium tuum velut Ruth de agro Moabitico, hoc est, qui tantum de ebrietate sua animæ & fornicatione venientis quærit, & minimè nescius de Israelitici sibi solum stirpe gloriatur. Ego vero, licet Booz similis non sim, tamen animã tuam cupio sociari mihi, ne arguat meæ quisquam esse præsumptionis, quia licitum est mihi, semen de fratris defuncti vidua suscitare ne perdam calceaméta Paschalia, & exhæres Christi passionis efficiar, ac proverbo sponsi velut cæcus effectus, saliuam ieiuni oris, quæ in terram proijcitur & conculcatur, ne accipiam, donec effuso semine ad viduam animam defuncti fratris, id est, mortui per desperationem, introeam. Sed quæsita multitudine seminis, cõgregata de Scripturis copiositate verborum huic viduæ cõiungar proximè, vt auditis his possit sine difficultate cõcipere, & salutis spiritum parturire. Memini enim Apostolici præcepti verba, vbi dicit, *& quosdam quidẽ eripite de igne, dubios verò cõsolamini.* Et alibi, *Qui reuocauerit peccatorẽ ab errore vitæ suæ, saluabit animã suã de morte.* Nõ est minimum si extremam aut summam auriculam de leonis faucibus extrahamus, tametsi beatissimum Põtificem, qui in iisdem locis cum sacerdotibus suis diuino assistit altario, non aliud reor quàm Dauidicum opus imitari, vt quãdo, de grege, leo aut vrsus ouem rapuerit, insurgat aduersus eum, & præstrangulatis faucibus prædam ex gutture eius eripiat, aut velut pastor bonus vagantem reuocet, alligetque attritã, errantemque conuertat. Tu tamen frater nequaquam scelerato acquiescas impudicoque coniugio, cuius iram sustentare non poteris. Quinimo & illa quam tibi fecit sceleris culpa consortem, reuertatur ad virum suum.

*Cilicium incestu sordidatum.* *Ps. 4. a.* *Peccatũ irascendum.* *Monasterij carcer.* *Vita munditia pœnitentiũ.* *Genes. 28. c.* *Matt. 23. a.* *Luc. 11. f.* *Ruth. 4. a.* *1. Thess. 5. c.* *Iac. 5. d.* *1. Reg. 17. d.* *Luc. 15. a.* *Adultera ad virũ reuertatur.* *Dina nõ nupsit post peccatum.*

F

Nunquid patriarcharum soror posteaquam peccauit, nupsisse perscribitur? Legis lator præcepit vt qui vxorē alterius macularet, cum ipsa lapidaretur pariter, & ideò non permittit coniugium; sed sub nomine lapidum, dura sententia emendat corrigitque peccatum. Aspice prophetam, qui dicat. *Et dixi, postquā meretricata es, ad me reuertere.* Licet templi Domini vasa rea captiuauerit Assyrius, tamē reuertātur ad templū, ne ea in perpetuū Babylon immunda possideat. Licet per flāmā turpis concupiscentiæ incenderit templum Domini princeps cocorum, qui domino suo, id est, principi mundi, escas nostrorum parat peccatorum; tamen veniat Zorobabel, hoc est, spiritus sapientiæ, qui iam intellexit mulierum potentiam malis hominibus principari, & totus in veritate confidit. Veniat Esdras bibliotheca Legis & memoria lectionis, qui pro restructione patriæ, principis potentiam non veritus, ac dispositis per singula Hierusalem loca, id est, membra corporis; Angelicis patriarcharūque virtutibus collapsa restruantur, vt perstructa custodias, & vna manu seruiat fabricæ, alia vero custodiæ, quia Adam positus est in Paradiso operari & custodire. Reædificentur ergo per tropologias nominum, claustra portarum. Restruatur imprimis porta probarica, quam nos esse suspicamur auditum, per quē, vtrum bona sint aut mala quæ extrinsecus ad nos introeunt comprobamus, quia *fides ex auditu est*. Faciamus quod Apostolus dicit: *Si in fide, ipsi vos probate.* Restruatur porta Piscatoria; id est visuum nostrorum vaga semper natura, ac per semitas maris, hoc est, vias mundi istius, oculorum velox ac fugitiuus semper aspectus, quia ipse visus pro sagena poterit æstimari: quicquid aspexerit, statim capit, & captum, ad cordis cellaria interiora trāsmittit. Restruatur porta in Anathoth, quæ interpretatur respondens signum quod suspicamur esse frontis paribulum, vbi signum salutis nostræ & Dominicæ sanctitatis accipimus, quod est aurea lamina, vbi pontifex, nomen Domini scriptum mandatur accipere, tetragrammaton. Vis scire quia non incongruè portam in Anathoth, quæ interpretatur respondens signum, pro paribulo frontis accipimus? Iungit propheta huic portæ, vnguentariorum loca, quæ, per tropologias nominum, ab alijs virtutibus dicuntur esse restructa. Vnguentariorum autem loca quæ sunt, nisi illa quæ Chrismatis sanctificatione tanguntur? Sequitur post hæc, porta frugis, quam nos suspicamur esse oris ac saporis officium, per quam, omnium seminum, hoc est, verborū Dei fructus egreditur. Restruatur & porta Stercorea, quam nos suspicamur esse narium siue odoratus introitū, per quem nos turpis decepit illecebra, & æstimauimus lucra esse quæ erant † stercora. Restruatur & fortis porta, credo, manuum nostrarum siue tactus officium esse quia non fortiter tenuimus quod tenebamus, & alter tulit coronam nostram. Restruantur & muri Natatoriæ: id est, forma Baptismi nostri, & mystici fontis disrupta munimenta, quæ sunt castitatis insignia; quia soluto per luxuriam continentiæ pariete, velut abruptis obicibus facti, laticis fōtis vndam effudimus atque perdidimus. Cuius muri præterea dicuntur restrui, vt cognoscamus tantam esse misericordiam Domini, vt etiam interruptæ castitatis tempora possint perstructa ad priorem similitudinem continentiæ virtute reuocari: sicut & tu, per vocabula nominum ac tropologias locorum, hæc quæ dicūtur restrui, officia intelligas esse membrorū, donec opus Babylonis regis imiteris, vt in phiolis Tēpli Dominici vinum perditionis potare debere te credas, & hoc corā diis tuis, Venere & Marte atque Mercurio, id est, fornicatione vel auaritia, vel furore: quia scriptum est, *Furor hominis incōtinens est.* Et alibi, *Auaritia, quod est idololatria:* nō enim potestis solā in pecunia auaritiam computare, quia maximè auaritia vel in libidine esse sētitur, cui nunquam finis imponitur. Quod vero phiolæ in tēplo Domini virgines nuncupentur, Propheta nos docet dicēdo, *Triticum iuuenimus, & vinū suaue olēs virginibus.*

A Ac si cui vini liquor infunditur, quid nisi phiola nuncupetur? Velim siquidem à peritioribus edoceri, ex qua Scripturarum auctoritate nubere corrupta suadetur, cum beatus Dauid nec concubinas suas, quas filius eius turpi coitu maculauit, postea nubere aut viros habere permiserit. Nonne enim, viduas eas, præstans illis substantiam vsque in finem, seruauit? Non vult Dauid; hoc est, Dominus Christus, vt in conspectu eius, ab alio viro habeatur vxor eius. Denique illam filiam Saulis, quam ad tempus in persecutione perdiderat, postmodum sibi poposcit reddi atque restitui, & licet etiam fuisset alteri copulata, tamen ei aufertur, & illi, cuius prius erat, destinatur. Polluisti vxorem Dauid: ne vlterius hoc præsumas: sed sicut ille fecit, qui eam acceperat, flens ac lugēs B redde atque restitue. At forsitan suggesserat tibi ille Sapientior omnibus bestijs † & consiliator antiquus, quia possis istam pœnitentiam quam suademus tibi, in senectute tua agere, & nunc famem desiderij tui, sub coniugij nomine satiare: sed tu ne extinguas Euangelicam scintillam humore vitiorū, quæ de illo totius libri igne procedit, vbi ait, *Stulte, hac nocte exposcetur anima tua à te.* Si enim apud quos honesta coniugia sunt, diuturna esse non possūt: apud te, vbi cū crimine copulant, qualiter permanebunt? veniat ille qui dicit, Crimē hoc emēdandum nuptijs, & de sceleris tanti nomine coniugium esse vocandum. Coniugium enim religiosi nominis vocabulum est, quoniam Deo authore concessum est. Ecce honestis coniugijs Apostolus clamat: *habentes tanquam non habētes:* & quis dicit, adulter habeat, vtatur, & exerceat? C sed video, ad quid, se, pro sui defensione cōuertat: scriptum est enim, inquit, *melius est nubere, quā vri.* Hoc de virgine dictum est vel vidua ista: iam virgo non est: tunc vrebatur & nupsit, nunc iam refrigeratur vt viuat. Virgo non est, quia corrupta est, vidua non est, quia eius vir viuit in æternum, vt quid ergo ei nuptias suadetis. Vis scire quæ sit Apostolica sententia de hoc errore? ait in Epistola sua: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gētes quidē, ita vt vxorem patris quis habueris.* Ecce quiddā factū simile, vxor Patris erat hæc iuuencula quæ deliquit, illius Patris qui nos genuit in verbo veritatis. Tunc, credo, in coniugium copulata est, quando secundum exemplum Rebeccæ, ad Isaac de Mesopotamia venientis, pallium quo velaretur caput, accepit. De hoc facto Apostolus dicit: *Dedi huiusD modi hominem Satanæ in interitū carnis, vt spiritus saluus fiat.* Nunquid dixit, Iussi vt ei quam corruperat, nubat? sed *dedi eū Satanæ in interitum carnis:* Satanas enim interpretatur cōtrarius, per quod, credo, significat, vt quicquid contrariū delitiis, quicquid contrariū volūtati est, totum caro sētiat quæ deliquit; *vt spiritus saluus fiat in diem Domini nostri Iesu Christi.* Sed & tu, frater, quisquis tibi hoc suaserit, execrare, aspice enim quod nusquam in sacrificiis pecora senio confecta ingulātur, † sed vbique aut agnus, aut vitulus, aut hircus, aut hœdus immolatur, id est tenera adhuc & parua, vel modica peccata. In vno tamen loco, Heliam, bouem legimus obtulisse, sed hoc semel tantum. Hoc vni licuit Saluatori, qui inueterata totius populi peccata iugulauit: sed nec tu putes adhuc, hœdum tenerum, esse tuum peccatum, mihi E crede, hircus est. Ecce per quot terrarum tractus, fœtoris tui, hoc est, famæ turpis opinio peragrauit. Qualiter ergo quod ita fœtet, non hircus esse dicitur; Propheta beatum dicit esse eum qui tenet paruulos Babylonis, *allidetque ad petrā:* & tu expectas donec Gigas tuus inimicus efficiatur; sed si vis scire, iam gigas est: mox enim vt *cupierunt filij Dei filias hominum*, nati sunt inter gigantes & petram, vel quod enormis nimium & vltra staturam peccaminum reliquorum, gigantis forma est: Ac si quis est fortasse qui dicat, quod Dauid eam quam adulterauit, etiam in coniugium suæ societatis adsciuerit non est causa consimilis: hæc enim coniunx Regis, illa autem, vxor militis fuit. Ille, vt pote homo terrenus, potuit factione subdolæ artis interficir Rex autem iste cælestis

Marginal notes (left column): 1. Esd. 1. e. — 1. Esd. 4. d. — Gene. 2. — Genes. 2. c. — Rō. 10. d. — 2. Cor. 13. b. — Mysteria portarū. — Signum nostræ salutis in fronte accipimus. — Exod. 28. f. — Chrismate frōs sanctificatur. — † detrimenta. — Philip. 3. b. — Apoc. 3. c. — Dan. 5. b. — Galat. 5. d. — Ephes. 5. d. — 2. Reg. 16. d.

Marginal notes (right column): Concubinarū Dauidis viduitas. Christi vxor alteri non nubat. — Michol 1. Reg. 18. f. 25. g. 2. Reg. 3. c. — Virginē Christo, nemo teneat. — † Serpens callidior cunctis animantibus. — Genes. 3. a. — Dæmon suadet procrastinare pœnitentiam. — Luc. 12. — Contra fornicatores. — 1. Cor. 7. — & 1. Cor. 7. b. — Monialis adulterata ne nubat. — 1. Cor. 5. a. — Genes. 24. — Monialis tūc Christo desponsatur. — 1. Cor. 5. — Exo. 12. a. — 1. Reg. 18. — † Iuuenes, & David, 1. Reg. 3. d. obtulit boues. — Atramē in holocaustum plaustrū vero & iuga consciditur in vsum lignorum, & Helis. 3 Reg. 19. d. vocatus ab Helia. mactauit par boum & coxit lignis aratri. — Ps. 136. b. — Genes. 6. a.

lestis est, cuius vxor corrupta est atque violata, nequaquam ei passio mortis ad proximat qui non est temporalis, sed æternus: & tamen Dauid non præsente Vria ex Heth, quamuis milite suo, quanquam homine terreno, *[David, præsente Vria, nō dormiuit cum Bethsabee.]* præsumpsit sibi concubitum Bethsabee. Nonne non solum in gerere ei, sed etiam extorquere conatus est, vt post cibum potumque; quem ei, subdolæ artis factione, largius iusserat ministrari, domi suæ, thoroque cubitaret? Tu qualiter viuente viro ac præsente simul & Rege (quod his magis est, immortali atque perpetuo, *[Isa 50. a]* concubitum tibi adulteræ vindicabis? sed forsisse dicas; *[Ps. 30 b]* Agnita stupri causa, vir eius eam deiecit ac repulit! *[Hier. 8. b]* falliste, frater, quia per Prophetam ipse proclamat: *Qui liber repudij matris vestræ quo eam dimisi?* Et alibi: *Nunquid qui cadit non resurget, aut auertens non conuertetur? Quare non pœnitet populus meus à malitiis suis,* *[Osa. 1. a]* *& detenti in propositione sua maligna, noluerunt reuerti ad me?* Ecce, Propheta, ex præcepto Domini, meretricem duxit vxorem; & tu dicis, animam ad perditionem a Deo esse profectam? Sed nec ego contradico huic coniugio, si potes talem fructum ex hoc matrimonio procreare, qualis processit de Bethsabee atque Dauid; quem Dominus, prophetam per igiam; hoc est, *in verbo Domini*, *[Salomon Pœnitentiæ fructus & filij.]* nuncupauit: qui inter homines dictus est Salomon; hoc est pacificus; & vniuersi orbis; id est, totius hominis tenuit principatum. Talis filius nascitur ex pœnitentia, talem parturiunt gemitus & lamenta plangentium. Denique ipse B. Dauid cum in adolescentia sua cum adultera deprehensus sit, in senectute cum virgine inuenitur: vt intelligamus quod, post peccatum longa castitas imitatrix est virginitatis. Sed & tu imitare Dauidem; vt quam habuisti in corruptelæ vitium collegam, habeas in pœnitentiæ labore consortem: non vt coniuncti pœnitentis, sed vt separati ab alterutrum, vnum opus agendo, iungamini; quia fumantem adhuc de incendio titionem, citò vorax flamma comprehendit. Ante omnia, igitur, frater, nequaquam in te desperatio inimica crescat, eo quod asserat ille infidelis lapsum non posse reparari, cum Dominus dicat *[Matth. 12. d]* *Quia omnia peccata & blasphemiæ remittentur hominib. qui autem peccauerit in Spiritum, non remittetur ei.* *[Desperatio est peccatum in Spiritum sanctum]* Egò autem dico etiam hoc ipsum desperare de Domino, in spiritum esse peccare, quia Dominus spiritus est, & ideo non remittitur ei, quia non crediderit Dominum reddere sibi posse quod perdidit: quid est enim quod nobis obsister de venia; *[Contra desperationem.]* Dominus noster omnipotens est: nunquid omnipotenti impossibile est delere peccatum? Dominus noster bonus est; *[Matth. 19. c, Mar. 10. b, Luc. 18. d, Ps. 11.]* *quia nemo bonus nisi vnus Deus*: nunquid in illa præcipua bonitate & perfecta, potest hoc vitium cadere, vt non audiat deprecantem? Age ergo, amice, consurge; & perdita inter fluctus seculi mercede atque substantia, velut

A naufragus imam tabulam, hoc est, scientiam diuini Canonis tene, quæ te adducat ad littus, vbi ait: *Si dereliquerint filij eius legem meam. & in iudicijs meis non ambulauerint, si iustificationes meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberib. peccata eorum; Misericordiam autem meam non dispergam ab eis, neq; nocebo in veritate mea.* De cuius hoc filiis dicitur? Nonne Domini nostri Iesu Christi, quos Ecclesiastici fontis vterus, & secreti ac perplexi vulua mysterii parturiuit, quos natos, crucis cuna suscepit, Euangelii mammilla lactauit? *[Ioa 15 b]* Vis scire, quia Baptizati, non autem Catechumeni, filii appellantur? Aspice quod ipse Apostolis suis dicit: *Iam non dicam vos seruos, sed filios.* Et, ergo, tu, filium fuisse te nosti: hoc est, si Apostolicum in te aliquid habuisti; nec

B si desperare, permitteris. Si vero serui; hoc est peccatoris vsus es semper officio, maior tibi detur ad consurgendum audacia, quia eius qui de humili labitur, leuior est ruina. Et minoris iracundiæ pondere prægrauatur is, qui semper in errore versatus, rectam se aliquando conuertit ad vitam, quam is qui post sanctos actus turpiter *[Humilior est ruina]* vixerit, & *veterum pannum rudi adsuerit vestimento.* *[Matt. 9. b, Mar. 2. 8]* Quid vero illud, quod dicit ad Ecclesias suas, in Apocalypsi, quæ inter fidelium numerum septiformibus candelabris sub custodia Angelica comparantur: *Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam, & priora opera tua fac; alioquin venio tibi cito, & amouebo candelabrum tuum?* Et in priore parte libri, innumerum populum vi-

C disse se dicit, qui in tribulatione lauerunt stolas suas, & *[Apo. 1. b]* candidas eas fecerunt in sanguine Agni, quos dicit, quia agnus Dei deducat ad vitæ fontes. Quem tamen nos numerum pœnitentium esse sentimus, qui nisi per tribulationem planctumque saluati non sunt. Et tu ergo laua *[Apo. 7. b]* stolam tuam in fonte lachrymarum. Quod si donauerit tibi purpuram, & vt pro nomine eius, succum tui cruoris effundas, fortasse poteris byssum castitatis imitari. Coccum autem abundare tibi poterit, si erubueris in iis quæ ante gessisti: nec deerit tibi hyacinthus, si liuore obcalueris corpus tuum, & in seruitutem redegeris: ac sic cum his coloribus, fortasse in tabernaculum Domini *[Coccum, purpura, & Byssum mystice quid.]* misceri quandoque. Hoc dilectissime frater, tuis amore & dolore compulsus; etiam supra vires meas possibilitatemque tentaui. Tu habebis in die Iudicii duplicem

D pœnam si, velut Aspides surdæ, incantationis nostræ verba respueris; aut aspernandum credideris, aut rogantis verbum, aut monentis consilium, aut dolentis affectum. Iesus Christus filius Dei, sublata tibi per inuidiam diaboli, in duplum, tua bona restituat, sicque reconcilieris *[Ps 57. a]* Domino, vt etiam pro nobis, qui amici tui sumus, interuenire merearis in Domino nostro Iesu Christo. Amen.

# ANTONINI EPISCOPI CONSTANTINIENSIS, AD ARCADIVM ACTVM IN EXILIVM A GENSERICO REGE *Vuandalorum, Epistola consolatoria.*

*Act. 5. f. Exhortatio ad martyrium & patientiam.*

PErge fidelis anima, perge, & confessor vnitatis, gaude, quia pro nomine Christi pati meruisti contumeliam, sicut Apostoli cùm flagellati sunt. Ecce iam Serpens ille sub pedibus tuis iacet, ipse confligere potuit, sed ipse cecidit, quia te elidere non potuit. Rogo te, preme caput eius, non surgat isto in agone martyrii, nemo te commoueat. Ecce gaudet Christus, & inspicit te: lætantur Angeli, & adiuuant te: turba dæmonum calcaneum tuum obseruat, ne deficias, vt dæmones, qui nunc lugent, gaudeant. Tecum est omnis chorus martyrum præcessorum tuorum, expectant te martyres & defendunt & coronam extendunt. Rogo te, *tene quod tenes, ne alter accipiat coronam tuam.* Quantum temporis est, quo pugnaturus eris, & quantum temporis erit, quo in æternum victurus eris? Iam cœpisti, perfice, hodie apparet cur pateris, Dominum nihil latet, nō te fallat diabolus in causa cùm tibi ingerit nebulam, hoc vult ne charissimus patians, Verum, frater, habes certamen, integra est ista confessio: si mortuus fueris, certus esto, martyr eris. Iob non attendit vxorem, & ideo vicit: non familias, non diuitias, non amicos, & merito superauit. Adam, mulierem suam plus satis dilexit, & ideo tam lachrymabiliter cecidit. Sic dicit Dominus: *Qui non dimiserit patrem, aut matrem aut vxorem, aut filios, aut familias propter me: non est meus discipulus?* Quid, si conditione vitæ, mortuus esses, vxor, te, aut familia habuit reuocare? Nam quem tenuisti, ipsum attende, ipsi hære, tene eum fortiter, ne dimittas, ne respexeris retro ad vxorem aut familiam: sursum cor, perfectam inchoasti pugnam. Ipse tecum Archangelus qui cecidit, dimicat, ipse tecum luctatur, sed tecum est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Vide ne timeas, adiuuat te vt coronet te. Septem filios Machabæa mater pro Christo misit ad mortem, ante eam cruciabantur, & ipsa magis eos hortabatur vt morerentur: ipsa autem, post filios occisos, ecce iam exultat cum filiis coronata. Respice quia in vtero matris, Deus te fecit, ipse tibi spiritum & animam dedit, ipse te ornauit ratione & sapientia. Ipse cœlum fecit & terram, & omnia quæ in eis sunt. Sic te vult suscipere pro fide morientem, vt tibi plenam exhibeat maiestatem. Respice mundum, periturus est. Respice solem & lunam & stellas, & ipsa soluenda sunt. Conflige fortiter pro anima tua, quæ aut semper viuit aut semper perit. Ecce dimissa sunt tibi peccata tua, & omnes iniquitates tuas Deus pro hac pugna delebit, quascunque vsque hodie committere potuisti. Audi de hac re Ezechielem Prophetam dicentem: *Quacunque die iniquus conuersus fuerit ab iniquitate sua, & fecerit iustitiam, omnes iniquitates eius non memorabor vltra, dicit Dominus* Iustitia tua, fides tua (*quia iustus ex fide viuit*) tribulatio, expoliatio, exilium, remissionem tibi contulit peccatorum: mors autem aperit tibi regna cœlorū. Qualis eris cùm te cum sancto Stephano videris? Qualis eris cùm Petrum & Paulum, quos rogare solebas vt patronos, habebis amicos? Christum mox tua anima videbit, & corpus tuum erit in refrigerio Resurrectionis, vt & ipsa caro videat quod tua anima cùm exierit mox videbit. Fremit diabolus, gaudet Christus. Roga, plora, posce auxilium, & mox accipies in mente solatium. Time pœnas æternas, vbi semper ardetur, vbi semper in

*Angeli adiuuant martyrē.*
*Apoc. 3. e*
*Iob. 2. c*
*Gen. 3. d*
*Adam, plus satis dilexit vxorem.*
*Matt. 10. d*
*Dæmonus luctatur cum Martyre.*
*Mach. 7. a*
*Machabæi passi pro Christo*
*Anima immortalis.*
*Martyrium extinguit præterita peccata*
*Ezech. 3*
*Rom. 1. b*
*Heb. 10. d*
*Petrus & Paulus inuocantur vt patroni.*

A tenebris & corpus & anima cruciatur, vbi cum diabolo, anima & corpus in æternum exuritur. Gehennas expauesce, & Christum modò tene; modò est vt aut viuas aut pereas. Nemo te recuperabit, si in ista pugna defeceris. Et quid tibi prodest, si diabolo consenseris, & mox corpus amiseris? Aut nescis quia vita corporis tui in potestate est Dei tui, qui tibi confestim auferre potest carnem, si dereliqueris fidem? Quidam Christianus dum pro fide in eculeo torqueretur, retulit adstitisse sibi Angelum splendido vultu, cum linteo, aqua perfuso, qui ei aquam in faciem spargeret, & linteo detergeret? Donec tortus est iste, Angelus non recessit: consolans eum & refrigerans eum. Confessor autem Christi, pœnas quas sustinet, penitùs non sentiebat. Minus tor-
B menta sentiuntur quando pro Christo pugnatur, quia virtus animi superat dolores mundi: & cum inuocata fuerit diuinitas, mitigatur tormentorum acerbitas. Ecce pro homine tentus es, & afflictus non perdes fidem, etiam si amiseris carnem. Exhibe Deo hanc perseuerantiam, & ne valde timeas pœnam: aut enim grandis erit, & cito finietur, aut leuis erit, & non valde cruciabitur anima. Tu tamen exora, quia luctari cœpisti, nec defecisti: martyrium inchoasti, custodi animam tuam: Adiuro te per Trinitatis vnitatem, pro qua pateris mortem, serua cor tuum, & confirma per Spiritum sanctum, quem in te exufflare voluisti, & quem in te honorasti. Conflige fortiter per puritatem baptismi: quod contemnere noluisti. Securus esto de corona, securus pugna donec voluerit tibi Dominus terminare victoriam.
C Probat modo Deus animum tuum, ibi est oculus Dei: contemplatur te de hora in horam, quid agas, quid cogites, quomodo pugnes, quomodo stes. Si firmum te viderit, gaudet & adiuuat; si infirmum, succurrit & subleuat. Tu tamen certa pro veritate vsque ad mortem, & eris non solùm tibi, sed & cæteris in salutem: alioquin a te Deus exiget & tuam animam & alienas. Signifer es Christi, in acie primus ambulas: si tu cecideris, ab aliorum morte non eris immunis. Hæc time, nam, etsi viceris, pro multorum salute pugnasti & coronam multiplicem accepisti. Deus vnus est, Deus non potest esse minor, Deus non potest immutari: Scis ista, tene fortiter veritatem: Audi autem breuiter quod præmisi. Deus vnus est; Pater & Filius & Spiritus sanctus, & ta-
D men ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud ratio, & tamen in anima est ratio. Et vna est anima, sed aliud anima agit, aliud ratio, anima viuit, ratio sapit. Ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia: & tamen nec anima est sine ratione, nec ratio sine anima: & cùm vnum sint, anima sola suscepit vitam, ratio sola suscepit sapientiam. Sic Pater & Filius, licet vnum sint, & vnus Deus sit, tamen ad solum Christum pertinet caro, sicut ad solam rationem pertinet sapientia, licet non recedat ab anima. Ecce igitur in sole calor & splendor, in vno radio sunt, sed calor exsiccat, splendor illuminat: aliud suscipit calor, aliud suscipit
E splendor: licet ab inuicem calor & splendor non possunt separari. Suscepit ergo splendor illuminationem, non feruorem: suscepit calor feruorem: non illuminationem. Aliud ergo singulariter agunt, & tamen ab inuicem non recedunt. Sic & Filius suscepit solus carnem, & tamen non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre. Filius itaque suscepit carnem in proprietate, & tamen & Pater & Spiritus sanctus non defuerunt ma-

maiestate

*Martyr in eculeo ab Angelo refrigeratur. Martyr non sentiebat pœnas.*
*Tormenta mitigantur inuocatione Dei.*
*Spiritum sanctum confessus es.*
*Christi incarnationis mysterium.*
*Trinitatis mysterium ex animæ analogia.*
*Mysterium incarnationis ex Solis analogia.*

iestate. In diuinitate æqualis, in carne Filii proprietas: nec tamen ab eo Patris aut Spiritus sancti recessit diuinitas. Carnem suscepit Christus, nunquid à Patre, aut à Spiritu sancto recessit? Ergo vera est vnitas. Impleuit autem carnem Christi, & Pater & Spiritus sanctus, sed maiestate non susceptione. Vis scire quia in eo fuit Pater *Non sum solus* (inquit Christus) *sed & Pater mecum est.*

*Ioan. 16 g*

Audi de Spiritu sancto, quia, quod cum eo erat, Euangelista referat: *Iesus plenus Spiritu sancto regressus ad Iordanem.* Ecce solus Christus suscepit carnē, & tamen Pater & Spiritus sanctus non defuerunt maiestate. Si cœlum & terram implent, carnem Christi deserere non potuerunt, quando in diuinitatis vnitate manserunt. Ad hoc, citharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat: tria pariter adesse videntur; ars, manus, & chorda. Ars dictat, manus tangit, resonat chorda: Tria operantur, sed sola chorda resonat quod auditur. Nec ars, nec manus, sonum reddunt, sed eum cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater nec Spiritus sanctus suscipiunt carnem, sed tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excipit, carnem solus Christus accepit. Operatio in tribus constat: sed quomodo per-A tinet ad solam chordam, soni redditio; sic pertinet ad solum Christum, carnis humanæ susceptio. Hæc à paruo in grandi mœrore posito, vt quæcunque dicta sint, vix cordi meo occurrere potuerunt. Hæc est recta regula fidei, pro hac si quid tibi contigerit, martyriū perfecisti. Christus alapas accepit, Christus sputa aliena sustinuit, Christus felle & aceto potatus est, Christus spinis coronatus est, Christus crucifixus est, & inter latrones iniquos deputatus est iustus: Christus lancea perforatus est, Christus hæc pro culpa tua, quanto magis tu, firmus stare debes pro anima tua vt nemo tollat coronam tuā. Iam in stadio es, calca fortiter, ne timeas: nihil paueas, nihil penitus pertimescas, quia omnis pro te Ecclesia deprecatur vt vincas. Expectat te Ecclesia Catholica Martyrem suum, vt honorificet sicut Stephanum B suum. Vide ne confundas nos in hoc sæculo. Vide ne humilies nos in conspectu aduersariorum. Sustinet tecum Dominus Christus, sustinet tecum Ecclesia. Esto securissimus de corona, non timeas penitus præterita, quæcumque committere potuisti, peccata.

*Luc. 4. a* — *Mysteriū Trinitatis ex analogia cythara.* — *Martyriū pro fidei regula.* — *Christus pro nobis passus: quanto magis pro nobis debemus pati Ecclesia Catholica honorificat Martyrem Peccata. præterita martyriō non metuenda.*

# ECCLESIÆ PER ILLYRICVM &c. AD SYMMACHVM EPISCOPVM ROMANVM.

BOnus ille, & amator hominum Dominus noster Iesus Christus, qui propter bonitatem suam in nos, inclinans cœlos & descendens ad terras, in maculatis Euangeliis quotidie illud clamat: : *Non opus est fortibus medicus, sed male habentibus; Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Plus autem volens aperire opera suæ clementiæ, adiecit in sequentibus, dicens; *Quis autem vestrum habens centum oues, si perdiderit ouem vnam ex iis, nonne relinquit nonaginta nouem in eremo, & vadit ad perditam, quandiu inueniat illam? Et inueniens, imponit illam gaudens in humeris suis, & veniens domum suam conuocat amicos suos & vicinos, dicens; Congaudete mihi, quia inueni ouem meam perditam*; Et vt clarius fieret quod dicitur, mox adiecit parabolam mulieris quæ perditam inuenerat drachmam; vtrisque adiungens, & dicens: *Amen dico vobis, quia sic fiet gaudium in cœlis de vno peccatore conuerso.* Hæc dicimus, sanctissime; ausi supplicare, non pro perditione vnius ouis, neq; pro perditione vnius drachmæ, sed pro amica nobis salute non Orientalium partium tantum, sed trium prope plagarum habitabilis mundi, *non corruptibili argento aut auro redemptarum de vana conuersatione* à parentibus tradita, *sed precioso sanguine Agni Dei*, sicut docuit beatus gloriosorum Apostolorum Princeps, cuius cathedram beatitudini tuæ credidit Christus optimus pastor, qui venit quærens & liberans quod perierat, & ponens animam suam in redemptionem pro multis. Quem imitantes, Sanctissime beatissimeque, festina ad adiuuandum nos, sicut beatus Paulus doctor † vester ad auxilium quandoque Macedonum festinauit. Et ille quidem in visione cognoscens periclitari Macedones, in veritate adiuuare eos properauit. Tu autem affectuosus in † filiis pater, non in visione sed in veritate, spiritalibus cernens oculis, pereuntes à in præuaricatione Patris nostri.

*Matt. 9 b* — *Marc. 2 c* — *Luc 5 f* — *Luc. 15 a* — *1 Pet. 1. d* — *B Petri Apostolorū Principis Cathedra, Pōtifici Romano credita à Christo* — *† Multo melius noster.* — *Act 16 b* — *† filios.*

Acacii, noli remorari: magis autem: vt ita dicam, sicut Propheta, non dormites; sed festina ad liberandum nos, quia non in ligando tantum potestas est tibi data, sed in soluendo quoque diu vinctos, ad imitationem Magistri. Neque in eradicando, aut diruendo, sed in plantando atC que ædificando, secundum beatum Hieremiam, magis secundum saluatorem mundi Christum, in cuius ille extitit typo. Neque in tradendo tantum *Satanæ in interitū carnis*; sed & in charitate formando, longa aduersione deiectos; ne (quod absit) maiori tristitia absorptis nobis à Satana, videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie à sacro doctore tuo Petro doceris, oues Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi, pascere, non vi sed sponte coactas; qui cum doctissimo Paulo clamas nobis subiectis tibi, & dicis: *Non enim dominamur vobis in fide, sed cooperamur in gaudio.* Quare deprecamur disrumpi nouū chirographū nostrū, sicut Saluator & dux noster Christus verus illud in cruce disrupit; nec vltra, post lauacrum Regenerationis, malorum nostrorum subiaceamus delictis, sed vt eius qui comēdit vuam acerbam ligauerit dentes, secunD dum beati Ezechielis prophetiā. Cùm ergo, in veritate parabolam istam salutari aduentu suo Saluator impleuerit; cur sanctissime ac beatissime, Acacii inobedientia, vuam acerbam comedentis, nostri id est, filiorum ipsius, in tam longo annorum cursu, ligati sunt dentes? Si vnus homo peccauit, quare toti Synagogæ, aut magis toti habitabili mundo, per anathema, diuinus furor incumbit? Vbi ergo Dei promissio, quæ dicit: *Non percipient filij Parentum peccata, neque Parētes filiorum suorū: sed vnusquisque morietur in suo peccato*? Si propter Alexādrinorū, aut magis Eutychianistarum amicitiā, qui auersantur & anathematizant sanctissimum & beatissimum Papam Leonem, vel in Chalcedone synodum habitam, E anathematizatus est Acacius: quare nos, à vobis, æstimamur hæretici, & in anathemate sumus, nos qui amplectimur solam illam epistolam, & quæ dicta sunt in sancta Synodo? Qui propter prædicationem recti dogmatis vestri, quotidie oppugnamur, & vt hæretici, anathematizantur ab iis qui Eutycheti consentiunt, Noli facere iudicium (per illum qui cunctam iudicat terram) *ne perdas iustum cum impio*, nec fiat apud te iustus, vt impius nec æqualiter iudicentur à te orthodoxi & hæretici, vel qui anathematizant prædictam sanctam epistolam, sanctamque Synodum vestram rectam, & iis quivobiscum ab eis anathematizantur, & qui orant mori quotidie pro recta fide quæ à vobis prædicatur. Et Iesus

*Hier. 1 b* — *1. Cor. 5 b* — *1. Cor 1 d* — *Colos 2 b* — *Hier 3 a* — *Ezec. 18 a* — *Deut 24 c* — *Ezec 18 a d* — *Orantes moriamur pro fide.* — *Ios. 10*

quidem Naue incircuncisos, & idolorum, seruitores Gabaonitas cum mendacio confugientes ad se, dum oppugnarentur ab Abimelech vel cæteris quatuor cum eo principibus; pro eo quod ad eum confugerāt, Deo cooperante strenuè vindicauit; ne blasphemaretur nomen Dei eius tanquam non eos adiuuare præualentis. Vos autem Sanctissimi viri; Iesu magni & Saluatoris spei nostræ, discipuli; imitatoresque eius qui figuram serui adsumpsit vt nos liberos redderet à peccato quod regnabat in nobis, videntes oppugnari nos & mortificari, non sicut Gabaonitas incircuncisos, sed vobiscum circuncisos in Christi circuncisionem, neque idolorum seruitores & æmulos, sed si peccatores, tamen Christianos & vobiscum omnia in Christo sapientes, non despiciatis neque contemnatis vltrà, pii Patres: sed sicut prædictus beatissimus Iesus Naue, non illos tantum sed & Raab meretricem illis anteposuit, propter duorum exploratorum susceptionem, ita & vos, nos, vigilanter assumite cum Dei iuuamine, propter duarum naturarum traditionem quæ a vobis per Epistolam, inter sanctos constituti, Papæ Leonis contra Eutychetis deliramenta directa est. Et illa quidem suscipiens Exploratores, in stuppam lini suæ domus abscondit: nos autem rectæ fidei vestræ suscipientes confessionem, in corde nostro non abscondimus, sed in Ecclesiarum dogmatibus, Dei misericordia, eam cum auctoritate prædicamus. Et illa quidem rogata, per metum, eos se habere negauit. Nos autē oramus, ne vnquam humano metu negemus rectæ doctrinæ nostræ veritatem, & vsque ad sanguinem pro ea stabimus si ita sit necesse. Vnde non tædeat nos adiuuare, neque odio habeatis propter aduersantium communionem † quando & ab hac plurimi facultatibus impediti, & non habentes solicitudinem multarum animarum, suspenderunt: quibus verò multarum animarum cura commissa est, in creditis sibi communicent Ecclesiis, nullum contrarium habentes communicantem sibi, & metuentes relinquere lupis oues, propter vocem Domini, dicētem, *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cui nō sunt oues propria, videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit eas atque dispergit, quia mercenarius est, & nō habet ouiū curam.* Quod ergo non amore vitæ capti sed ouiū salutē curantes plurimi sacerdotum hoc faciunt, deinceps miserāte Deo cognoscere poterit tua paternitas. Quidam enim de iis qui in sacerdotio cōstituti sunt, sperantes in exilio mitti Presbyteros orthodoxos & sanctos viros, volētes se præter necessitatem ab Ecclesiis suo arbitrio subducere, ipsosque sequi, non cesserunt eis hoc facere, adiurantes eos vt manerent in creditis sibi sanctis Ecclesiis ad populi munimen Orthodoxi, in se suscipiendo quæ putantur discretionis illorum. Sicut Rebecca quondam dicens Iacob? *In me peccatum tuū fili.* Ita illi, ab Ecclesiis sibi creditis discedere sponte volentibus, dixerunt, in nos veniat peccatum discretionis vestræ, tantummodo oues Christi præter necessitatem lupis non relinquatis, ne in loca vestra ingredientes hæretici lupi discerpant oues, aut certè ab ipsis ouibus suis propter rectam fidem fugati, & his qui non fugantur, sed sponte discedere cupiunt, ne cui aduersantium communicent, tali fide dicentes: Putas isti amore vitæ hoc faciunt in amore animarum, sed imitationem Domini sui, primi Pastoris Iesu Christi magni Dei & Saluatoris spei nostræ, qui animam suam posuit pro ouibus suis? Omni modo autem, & qui videntur communicare Orthodoxi, & qui à communione abstinent, omnes, post Deum, tuæ lumen visitationis & assumptionis operimur. Quare festina iuuato Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum & Paulū, ad illuminationem totius mundi, Saluator dixerit. Reddite ergo ei bonam retributionem, quam vobis ipse dedit: illuminate eum rectæ fidei lumine, sicut per ipsum vos quondam diuinæ cognitionis lumine idem illuminauit. Sicut enim quando toto mundo in peccatis ægrotante, vnius hominis delicto lassati, in ægritudinis curatione, boni illius medici, discipuli, ipsum cœlestem medicum & principem Pastorum magistrum suum, ad curam vocantes ægritudinis ipsius, aliquando dicebant: *Domine inclina cœlos tuos, & descende.* Aliquādo, rursus, *Qui regis Israel intēde, qui sedes super Cherubim appare, excita potentiā tuā, & veni vt liberes nos?* Sic nos modo, qui infirmitati nouæ præuaricationis, Patris nostri deiicimur ad tuam clamamus beatitudinē, vt & tu imitator † existens Dei, ad filii dilectionem deprecatione venias, imitatione ipsius cœlestis Patris tui, *qui facit Solē suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Festina ad auxilium nostrum, sciens Sanctissime, sicut principiis dictū est, *quia non opus habent sani medico, sed male habentes.* Quod si parua existeret ægritudo, nos forsitan ad spiritalem nostrum medicum curreremus, quatenus & passiones bonorum medicorum, id est, gloriosorum Christi discipulorum, vestrorumque doctorum, &, sancta adoraremus tua vestigia, vt & præuaricationis medicinam & solutionem vinculorum, & delicti remissionem de tuo sancto ore susciperemus. Sed quia non est vlcus aut macula neque plaga tumens, sed totum vlcus est à pedibus vsque ad caput, sicut beatus Esayas antiquam præuaricationem deflens dixit, Vos iā boni medici, & illius veri medici vel bonorum discipulorum ipsius certissimi † plantatores, festinate ad curam resolutorum Ecclesiastici corporis membrorum, vt dissolutas manus nostras dissolutaque genua corrigatis, & cursus rectos faciatis pedibus nostris, ne quod claudum est, amplius distorqueatur, sed curetur magis per strenuitatem & optimam diligentiam vestram. Sicut enim Magistro nostro Domino Paulo glorioso Apostolo propter infideles aliquos, dum eum pigeret sermonem Domini in Corintho loqui, adstans Dominus dixit, *Loquere & non taceas, quia multus est mihi populus in hac ciuitate:* Et nunc tuæ dicit beatitudini eius benignitas, Festina, & noli tardare ad Orientis auxilium, magis autē ad maiores partes habitabilis mundi: quia non tantùm pro centum viginti millibus illis in magna quandoque constitutis ciuitate Niniue, sed à multo plurimis spera spectari tuam post Deum medicinam. Si enim, qui præcessit beatitudinem tuam inter sanctos constitutus Leo Archiepiscopus, ad Attilam tunc † errorem barbarum per se currere non duxit indignum vt captiuitatem corrigeret corporalem, ne tantum Christianorum, sed & Iudæorum, vt credibile est, atque Paganorum: quanto magis, festinare ad tuam attinet sanctitatem, non ad corporeæ, quæ bello † fuit, captiuitatis correctionem atq; conuersionem, sed animarum quæ captiuatæ sunt vel quotidie captiuantur: vt inter duas diabolici vias erroris, Eutychetis atque Nestorii, tertiam immo mediam nobis ostendas expressius, veri rectique dogmatis viam? Dubiam eam fecerunt nostra peccata, æstimantibus quibusdam non posse, inter Nestorii & Eutychetis, salutis viam mediam reperiri, sed quod omnino necessum sit, aut illius esse quenquam aut illius. Propter hoc festina post Deum nos adiuuare. Et sicut inter Arii, diuidentis atque separantis vnam Deitatis naturam atque substantiam in diuersas naturas vel substantias, & Sabellii quoque, confundentis personas & minuentis numerum Trinitatis, ostenderunt sanctissimi Patres viam mediam veritatis (in confessione diuinitatis, vnam substantiam, naturam, virtutemque demonstrantes, propter Sabellium, tres personas & æquæ potentiæ vnam veritatem) sic & vos, nunc, sanctissimi & beatissimi, illuminate nos spiritalis scientiæ vestræ lumine, quæ est inter Eutychetis (ad imitationem Sabellii, naturas atque substantias confundentis) & inter Nestorii (ad imitationem Arii personas & substantias diuidentis) vera rectæ fidei confessio tradita nobis a Papa Leone, inter sanctos constituto, & Discipulorum in Chalcedone sanctorum patrū, duarum substantiarum aut naturarum vnitas in vna eademque persona, & vnius substantiarum, magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Ipsi enim docuerunt nos diuinis

Marginalia: Iosue 16. — † Quomodo flat &c. — Ioan. 10. b — Presbyteros exulare volentes alii retinuerunt. — Gen. 27 a — Petrus & Paulus, ex Oriente, Occidentem illuminauerunt, hi beneficii vt sint in hæretica — Si repetitos orientales ab Ecclesia Romana. — Psal. 134 — Psal. 79 a — † Emissis filio Dei, adlectione. — Matt. 5 g — Is. 1 b. — Act. 18 c — Leo Archiepiscopus Romanus. — † Quasi fuisset — Papa Leo

*2. in Christo natura, vna autem persona.*

diuinis scripturis, alteram esse visibilem, palpabilem, & passibilem carnis naturam; & alteram inuisibilem, impalpabilem, & incomprehensibilem naturam in vna persona & vna substantia magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Alteram, de Matris substantia & natura, venientem de semine Dauid, Abrahæ, & Adæ; secundùm carnem natam: alterã verò, *Ex vtero ante Luciferum* genitam de substantia & natura Patris. Sed no rursus propter immaculati partus duas naturas & substantias, occasionem apprehendentes qui secundùm Nestorium sapiunt, duas personas aut duos Filios vel duos Christos malè introducant: docuerunt sancti illi B & beati Patres, vnam scire personam & substantiarum inseparabilem vnitatem, ex duabus substantiis & naturis, & in duabus substantiis & naturis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Nos enim, ô sanctissime & beatissime Symmache, eũdem esse existimans, & *ex duabus naturis & in duabus naturis* & non: sicut illi dicũt, *ex duabus naturis vnã naturam post adunationẽ*. In duabus autẽ subsistentibus naturis cum vnitate non pati, confiteri: vt doceant, se Arrianorum esse imitatores, dicentium, per Filium gloriari Patrem: cum Filio autem non pari, eum se, glorificari. Sed sicut contra illos † docuerant C fratres tui sanctissimi Patres, per quẽ & cum quo æqualiter pati dicere nos (quia *per quem*, humanitatem: *cum quo*, diuinitatem significar magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi) Sic & nunc, illis: *ex duabus* quidem *naturis*, dicentibus: *in duabus* autẽ, non confitentibus: nos *ex duabus & in duabus* pariter diuin⁹. *Ex duab⁹* enim: dicẽtes, ex quibus subsistit vnitas: *in duabus* autẽ: in quibus visus est & palpatus est & assumptus post passionem & resurrectionem confitemur, & in quibus veniet iudicaturus viuos & mortuos. Neque enim nuda diuinitas poterat aut palpari aut crucifigi pro vita mundi, nec simplex humanitas morti subiacens, per mortem confundere eum qui obtinebat mortẽ: hoc est diabolum. Vnde & post resurrectionem, in immaculata carne sua visum

*Psal. 2.*

*In Christo duæ Naturæ non fiunt vna natura, per adunationem, sed vna persona.*

*† tunc*

*Vera confessio de duabus in Christo naturis.*

*Luc. 24 f*

A Verbum Dei & Deus noster, omnibus discipulis suis dicebat: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sũ; Palpate me, & videte: quia spiritus carnẽ & ossa nõ habet, sicut me videtis habentem. Habentem*, dixit: vt non, his, in illa mutatus putaretur: sed in veritate assumpsisse credẽretur. Beato quoque Thomæ diffidenti clamat: *Infer digitum tuum, & vide manus meas, & da manum tuam, & mitte in latus meũ, & noli esse incredulus sed fidelis.* Vnde, dùm assumeretur, duo viri visis discipulis in albis vestibus, clamabant & dicebant: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui ablatus est à vobis in cælũ sic veniet sicut vidistis eum tem in cælum*: vt dum venerit omni modo in gloria Patris cum sanctis Angelis in die terribili iusti iudicii, sic infideles Iudæi † videbunt in quẽ compunxerunt: compeccatores autem nostri, eum qui eorum misertus est & liberauit eos, neglectus autem ab eis est. Secundùm vos autẽ, sancti & iusti, † videbit quẽ dilexit anima eorum, & lætabuntur lætitia ineffabili & gloriosa, accipientes consummationem fidei suæ in salutem animarum suarum, & audientes suauissimam vocẽ eius dicentem: *Venite benedicti Patris mei, hæreditemini paratum vobis regnum ab initio Mundi.* Cuius beatæ vocis cũ tua beatitudine, & nos indignos dignetur Christus Dominus noster, per omnia Sanctissime Pater.

*Io. 20 g*

*Act. 2. b*

*† fortè videant.*

*fortè videbunt.*

*Matt. 25 e*

a In præuaricatione Patris nostri Acacii. *Totam Historiam Acacii Constantinopolitani, à Fœlice Pont. Rom. excommunicati, quod Petro Moggo hæretico cõmunicasset, & quomodo coacti sint, qui damnationis eius literas deferebant (cũ eas nõ susciperet fultus Imperatoris patrocinio) per quendã ignitum Achimetẽsem monachum suspendere in eius pallio, dum Ecclesiam ingrederetur ad celebranda sacra, & sic discedere; Habes in Liberati Breuiario de causa Nestoriana & Eutychiana. 3. Cap. 17. & 18.*

*Superiori respondet Epistola 3. Symmachi P. M. quæ habetur Conciliorum, Religiosiss. Patris Surij, Tom. 2. idem hic prætermissa: Eius autem loco subiecimus Symmachi P. M. Apologeticum.*

# SYMMACHI EPISCOPI ROMANI
## APOLOGETICVS ADVERSVS
### ANASTASIVM IMPERATOREM.

*B. Ambrosij ad Gratianũ Imp. Libr. 8. de fide. Fides Catholica.*

*† Dosi. cõgnauere.*

AD Augustæ maiestatis Gratiani Imperatoris epistolam, octo libris beatus respondit Ambrosius: quia pro fide Catholica, & illum non piguit prolixius prædicare, & hic non fastidiuit gratanter accipere. Hæc dixerim, vt si modum libelli promendo collegerim, non existimet quæ non oportuit locutus. Si mihi imperator, apud exteros Reges, eósque totius Diuinitatis ignaros, pro fide Catholica dicendum foret, quicquid eis veritati rationique, † etiam prætentã morte perorarem. *Væ mihi erit si non Euangelizauero*, meliúsque est in iacturam vitæ præsentis incidere, quàm sempiterna damnatione puniri. Verùm tu, si Romanus Imperator es, etiam Gentium barbararum legationes debes clemẽter admittere. Si Christianus Princeps es, qualiscunque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire. Contumelias tuas, Imperator, quas sub diuino iudicio ipse perpendis, vtrum ne in me religiosa mente profuderis: fateor vel mei causa: vel tui dissimulare me non posse. Mei causa, promissionem Domini recolendo, dicentis: *Quum vos persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos propter iustitiam gaudete.* Tu autem, quia nollem sic meam gloriã prouenire, vt te possit non mediocriter onerare. Et ego quidem Dominicis & Apostolicis eruditionibus

*1 Cor. 9 c Christi nuper imperij, etc. qualiscunque Præsulis voci audire debet*

*Matt. 5. a c*

D institutus, benedictionem studeo, tuis, Imperator, referre maledictis, contumeliis honorificentiam reddere, & odiis redhibere charitatem. Sed vide, quæso, ne ab eo qui ait, *mihi vindictam & ego retribuam*: † à me remittitur, tantum à te cumulatius exigatur. Quid enim Christus dicat de his qui vel minimum in eum credentem scandalizauerint, Euangelium referat, non mea voce promatur. Sed fortasse dicis, Imperator, potius te esse minimum, qui credas in Christo, & de te hoc rectius accipi, & me, esse scandalizantem tuam fidem. Christus itaque Deus veraciter totus, & totus homo est sic conceptus, sic editus, sic conuersatus in seculo, sic passus, sic apud Inferos, sic resuscitatus, sic cum Di- E scipulis apparens, sic eleuatus in cœlum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodiéque in cœli regione persistit, dicente Apostolo, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Et certè de eo dici quod nunc est ipse †: Ergo qui credit in Christum. Sed huiusmodi, in Christum credit, qui in integrum Christum credit, non in Semichristum & ideò non Christum, quia Christus non nisi integer: Integer autem non nisi huiusmodi. De tali ergo in se Credente dici: ipse etenim minimus eius & paruus est, pro quo scandalizato, quid promiserit, ipsius, vt dictum est melius verbis ostenditur. Fortasse dicas Imperator: Sed ego quoque talem Christum credo, & ideò inter eius minimos iure connumeror. Hoc

*Rom. 12 d*

*† Dosi. quantũ.*

*Matt. 9 f*

*Christus apud inferos.*

*Coloss. 2 d*

*Ergo ille est minimus.*

*Credere in Semichristum Etiam grauissimum est.*

*hæreticis*

*communicare.* *Rō. 1. d. Matt. 11. e Luc. 7. e Ioan. 8. f. Deut. 17. b 19. d Mat. 18. b*

grauius, si & talē credis, & talem non credentibus communione misceris. *Nō enim*, inquit Apostolus, *qui faciūt sed qui consentiunt faciētibus*: An cōmunicare, nō est cōsentire cū talibus? Proinde haud erit, lōgè grauius vt dictum est, contra notam sibi, tendere veritatē. Contumelias igitur Imperator, quas in meam proferendam putas esse personam; vtinā quam mihi gloriosæ sunt, ita te grauare non possent. Domino meo dictum est a quibusdā, *dæmoniū habens, vorator. De fornicatione natus*: & putas quia ego debeā mihi dolere? Quàm talia proferēti cautū est & diuinis legibus & humanis? *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, † te, examināte iudicio falsa fuerint approbata. Quid † Imperator in diuino iudicio? An qua Imperator es, nullum Dei putas esse iudicium? Taceo quòd Imperatorem accusatorem esse non conueniat: Postremo iisdem diuinis humanisque legibus,

*† Melios sit, sum & humano. † facies.*

B nemo possit esse accusator & iudex. Non quidnam sub alieno iudicio dicturus es causam vel accusator adstabis? Dicis esse me Manichæum: Nunquid ego Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo; quorum furor, maximè Manichæorum suffragatur errori? Roma mihi testis est, & Scrinia testimonium perhibent, verum à fide Catholica, quam in Sede beati Apostoli Petri, veniens ex paganitate, suscepit; aliqua ex parte deuiauerim. Procedat aliquis, & qualibet oratione conuincat, alioqui conuitia sunt ista, non criminum probamenta: nescio verum quibus obiicitur falsum, an falsis obiectoribus inimica dicentibus me non ordine consecratum. Inter

*Romana scrinia. B. Petri Sedes.*

C imbres lapidum totus euasi, iudicauit Deus. An quia Imperator es, diuinum putas contemnendum esse iudicium? Sed fortasse dices; etiam indignantem Deum, noxia quæque plerunque permittere, scriptum est, *Ex fructibus eorū cognoscetis eos.* Ostēde ergo quid æstimes arguendum; vt iratum maximè Deum quæ non conuenerant, permisisse demonstres. An quia Eutychianis nullatenus acquiesco? Me quidē ista non sauciāt; sed te, palam apertéque demonstrant, meum cogitasse honorem repellere, quem interuētu suo beatus Petrus imposuit. An quia Imperator es, contra Petri niteris potestatē? Et qui Petrum Alexandrinū recipis, beatū Petrum Apostolum in suo qualicunque Vicario calcare contendis? An benè facturus essem si Eutychianis fauerē, si Acacii † cō-

*Iudiciū Imperatori metuendum. Matt. 7. b. Lu. 6.*

D municarem? Latere non potest, cur ista prætendas. Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pōtificis: inter quos tantùm distat, quātùm ille rerū humanarum gerit, iste diuinarum. Tu Imperator à Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas: Postremò tu humana administras: ille tibi diuina dispensat. † Itaque vt nō dicam superior, certè æqualis honor est. Nec te putes mundi pompa præcellere, quia *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Itaque videris quid te deceat. Tamen cùm in accusationem proruperis: tam diuinis legibus quàm humanis, pari mecum sorte consistis: in qua, cariturus honore summo si fuero, (quia id maius) te accusante conuictus, amissurus pari ratione, si

*Deest. † Nomini, ex Pontificiæ & Imperatoriæ dignitatis comparatio.*

*† Iure dicere poterat & dixit paulo superius sed modestia abstinet.*

E non conuinceris, dignitatem. Sit istud in mundo iudiciū, spectante Deo & Angelis eius spectaculum omni sæculo simus: quo aut Sacerdos bonæ vitæ: aut Imperator, religiosæ modestiæ cōsequatur exemplū. Quia his præcipuè duobus officiis regitur humanum genus, vt non debeat aliquid eorum existere quò valeat offendi diuinitas, maximè cùm vterq; honor videatur esse perpetuus, atque ita, humano generi, ex alterutro consulatur.

*1. Cor. 1. d*

Precor Imperator, pace tua dixerim: memento te hominem, vt possis vti concessa tibi diuinitùs potestate, quia etiam si hæc sub humano præuenire iudicio, † sub diuino necesse est vt discutiantur examine. Fortassis dicturus es scriptū esse: *Omni potestati nos subditos esse debere*: Nos quidē potestates humanas suo loco suscipimus

*Imperator meminisse debet se esse hominem. † Deest aliquid, vt molitis, vel tale quippiam.*

A donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Cæterum si *omnis potestas à Deo est*: magis ergo, quæ rebus est præstituta diuinis. Defer Deo in nobis, Et Senatus, Collegium Clericorum Romæ, nos deferemus Deo in te. Cæterùm si tu Deo non deferas, non potes eius vti priuilegio cuius iura contemnis.

*Rō. 13. a Potestas quomodo obedienda. Sacerdotū à Deo est Collegiū Clericorum Romæ.*

Dicis quòd mecū † Senatu excōmunicauerim te. Ista quidē ego: sed rationabiliter factū a prędecessoribus meis, sine dubio subsequor. Dicis quòd malè te Romanus tractet Senatus: Si nos te malè tractemus, suadētes vt discedas ab Hæreticis: tu nos benè tractas quos vis sociare præcipitanter Hæreticis? Quid ad me, inquies, quod egit Acacius? Recede ergo; & nihil ad te. Nam si non recedis ab eo, pertinet & ad te. Relinquamus † mortuum. Et nos hoc petimus, vt nihil ad te pertineat quod egit Acacius.

*† consentanea, senatu Romano. † Vtrumque Acacii Constantinopolitani episcopi.*

B Tu nos facis obiicere tibi, qui vis ad te pertinere quod egit Acacius. Nos vitamus quod egit Acacius: ita & tu: & ad vtrósque nos pertinet quod egit Acacius: vt possis sine iis quæ egit Acacius, cū ea quæ ad nos pertinet causa coniungi: vt possis sine Acacio, nostræ communioni sociari. Nos non te excommunicauimus Imperator, sed Acacium: tu recede ab Acacio: & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miscere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Si te misces: nō à nobis, sed à te ipso excommunicatus es. Ita fit vt in vtroque: siue discedas, non sis excommunicatus à nobis. Catholici principes quidē semper Apostolicos Præsules institutos, suis literis præuenerunt: & illam confessio-

*Imperatoris officium Salutandi Pont. Rō.*

C nem fidemque præcipuam, tanquam boni filii quæsierunt debitæ † affectu, cui noscis ipsius Domini Saluatoris † curam totius Ecclesiæ delegatam: quod quia per occasiones fortasse publicas tua creditur prætermisse trāquillitas: ne magis honorē meum, quàm sollicitudinem Dominici gregis appetere iudicarer, appellare non destiti meis te sponte colloquiis. Vulgatum fuisse designas quod tua Serenitas, directa militari manu, compelleret eos qui se a contagione perfidorum multis temporibus abstinere delegerint, vi & armis in præuaricatæ cōmunionis consortia detestanda. Vbi te (rerum humanarum Princeps) qualiscunque sedis Apostolicæ Vicarius contestari mea voce non desino, vt te memineris hominem, quantalibet sis mūdi potestate subnixus: circumspiciātque

*† Pietatis. Ioh. 21. d † Deest verbo commissam, de ipsius.*

D cunctos, qui ab initio dogmatis Christiani Catholicam fidē diuerso proposito persequi vel affligere sunt conati, quē admodum (vastitatis insectatione, cuius placuit contritionis illatæ) ipsi qui intulerant ista præualendo defecerint: & orthodoxa veritas hoc præualuerit magis, quò putaretur oppressa: quæ sicut sub insectatoribus suis creuisse monstratur, sic obtriuisse cognoscitur insequentes. Miror si non humanus sensus intendit, præcipue qui se Christiano vult vocabulo nuncupari: inter illos sine dubio deputādum, qui rectam confessionem, communionémq; Christianam variis superstitionibus impugnare conati sunt, nisi dum hanc & ipsi quocunque modo præcellere moliūtur? Quid interest enim

*Modestia, qua Vicarium se appellat qui verus, supremus ac legitimus præsul erat.*

E vtrùm Paganus, quod est deterius, sub nomine Christiano veram syncerámque traditionem Apostolicæ regulæ conetur infringere, atque in hanc prorumpere cæcitatem, vt cùm in illis regionibus cunctæ prorsus hæreses opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi, sola catholicæ communionis libertas putetur ab iis qui se religiosos existimant subruenda? Quæ si putatur error († cum cæteris, quibus illic facultas est agere, finatur erroribus. Si integritas æstimatur, sequenda potiùs fuerat quàm violenta persecutione vastanda. Nec eam probabantur insequi potuisse, nisi praua sectantes. At ne ipsi conuincerentur errare, repellere cogitarunt, quo † errantes: malentes non † quod iustum est, sed potiùs submouere quo docentur iniusti. Sic recessit ab humanis mentibus Deus, vt obstinatæ contra

*Sub nomine Christiano Ecclesia Troianni infringere, quam gentilis, quod solam Catholicam oppugnant. † deest notabantur, vel tale quippiam † affectari. Iudæorum diuini nullus metus impiis.*

† *vocat se Pontifex vicarium Petri lata quadam appellatione, vel modestia causa cum verus Petri successor sit, Christi autem vicarius. Solent enim Romani Pontifices id honoris Petro deferre, vt eum tanquam Pontifica dignitate sedentem in Apostolica sede, & gubernantem Romanam Ecclesiam semper agnoscant, quod etsi potestate non præstet: ac meritis & intercessione praeclara repræsentat.*

eius

eius ordinis voluntatem, non aspiciant, & in festo seculo diuinum non deesse posse iudicium, & post huius vitæ cursum illi tremẽdo se non defuturos examini; sub quo, perniciosarum studia, modis omnibus, actionũ discussa patefiant, & patefacta puniantur; nisi qui hæc omnino non credunt, illa se perpetrasse impunè confidunt. Nos autem humani generis consciẽtiam contestati, qua possumus voce nullatenùs cessamus omnipotentem Deum suis causis minimè defuturum, & quantacumque sit humana præsumptio, quantacunque potentia; sub diuino nutu, huius atrocitatis censuram sine dubitatione vindicandam. Nam talem ausum neque hic confidimus euasurum, & in illo magno Dei iudicio recepturũ, quod iis temeritatibus diuina retributione debetur. Hæc nos nequaquã tacuisse sufficiat, vt cùm superna fuerit vltio subsecuta, & vera nos protulisse consideratio humana B cognoscat, & pœnam non inaniter pronuntiasse venturam, & proposuisse præmonitionis formam qua huiusmodi præcipitius de cætero temperetur. Certè si huiusmodi propterea relinquendos proprio definitis arbitrio, quia nec à Christianis vexari deceat, Christum quocunque titulo confitentes; nec viuentes in iure Romano, lacerari conueniat à Romanis: consequenter ostenditur, Romanos homines & qualiscunque Christianæ professionis impetere; nec Christianum dici posse modis omnibus, nec Romanum. Proinde aut repellendi fuerant; aut nullus penitus impetendus, & quod in vno genere iudicas amouendum, in omnibus repelle si prænales. Si omnia sunt sinenda, nullus penitùs excludendus. Alioqui dum parendo cunctis erroribus sis amicus,

*Prædicit futuras Imperatoris calamitates, & interitum: periit autem ictus fulgure. Hæresis petere semper facit si des Catholica, quam [illegible] diuisionem.*

A non solùm tibi probatur displicuisse quod verum est. Omnes Catholici Principes, siue cùm imperiĩ gubernacula susceperunt, siue cùm Apostolicæ Sedi nouos agnouerunt præsules institutos, ad eam sua protinùs scripta miserunt, vt se docerent eius esse consortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem seipsos profitentur alienos; quod chartis quoque tuis apud te etiam possumus adstruere, nisi te æmulum & reum & inimicum vitaremus, iudicem. Non mirum, si Catholicos persequuntur Manichæorum patroni, cùm falsitas non possit non persequi veritatem. Non mirum, si in Orthodoxos sæuiant, quibus potest cum cunctis hæresibus conuenire; & vniuersis erroribus amici, non possint nisi solis esse non errantibus inimici. Si error est, conuincendus est: verũ si error non est, tibi verum deesse cognosce, qui persequeris, quo conuinceris errare. Sed prauitatis complex, † nõ potest nisi eum persequi, qui est prauitatis inimicus.

*Principis Catholicorum consuetudo salutandi nouos Pont. Rem per literas. Manichæorum patroni. Falsitas persequitur veritatem.*

*† Forte non potest eum persequi.*

a An quia Imperatores. *Hic idem impurus Anastasius, Imperator, anno imperii sui 25. cum audisset Episcopum quendam Oemandum esse admodum eloquentem & acrem oppugnatorem Synchyticorum (ij dicebant diuinitatem etiam in Christo passam) euocatum ad se multa pollicitus hortabatur vt ad eos deficeret: Tum Episcopus apprehensa Imperatoris chlamyde prope iisdem verbis quibus hic Pont. Max. Hæc vestis* (inquit) *nequaquam te post mortem sequetur, sed sola te comitabitur pietas ac virtutum habitus. Cedrenus apud Zonarã Annal. Tom. 3. in Anastasio Sic & paulo post in hoc eodem Apologetico, precor, Imperator (inquit S. Symmachus) memento te hominem, & aliis aliquot locis sequentibus.*

# EX EPISTOLA NICEPHORI CHARTOPHILACIS, AD THEODOSIVM MONACHVM, de ligandi soluendique potestate.

Ligandi soluendique prouincia, Pontificibus ipsis, à clementissimo Deo nostro demandata est. Siquidem ad Petrum ait: *Quæcunque ligaueris, ligata, & quæcunq; solueris, soluta erunt.* Vnde olim omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, & sic, vel reconciliationem vel repudium ferre. Ignoro autem, qui factum sit, vt hæc minùs obseruentur, quamuis existimen, Pontifices, negotii tædio frequentique multitudinis turbulentia defatigatos, id operæ ad Monachos transmisisse: ad eos scilicet qui verè probati sint, aliisq; valeant esse vtiles, Nihil.n. tale inexpertis & indoctis permiserunt. Equidem in aduersa corporis valetudine, illum inquirimus, dicimúsque Medicum, qui tàm reipsa quàm verbis, malè habentem curare queat. Itaque non respiciemus in hunc vel illum, qui præter Medici nomen nihil habeat Medici, sed in eum qui sicut expedit, Medicum præstare poterit. Porrò si quis expertus sit & frugi, & cum hoc, sacerdotio fungatur, ad illum in primis accedendum: nam poterit indigo prodesse, accedentem se diligentius curare, reconciliare item & corrigere. Puto autem, nullum qui piè & cautè huius molesti temporis vitam agat, ex hoc ordine exauthorandum. Cæterum, qui talem accedit, omninò ipsum dirigat & instruat, vt rectè dirigatur. Et is, quantò diuinorum sacrorúmque Canonum peritior fuerit, hoc amplius instrueret. Contrà, qui Canonum vigorem, &

*Matt. 16 e. 18 c. Confessio auricularis, Monachis demandata. Medicus spiritualis [illegible] eligendus.*

*Confessionarium Patrem de suis peccatis instruere debet poenitens.*

C suam cuiusque delicti mulctam ignorarit, is nulli vlla in re vnquam vsui esse poterit. Prætereà, qui fratrem, in se, vno eodémque die septies peccantem, venia condonandum suscipiendumque diudicarit, is, lapsos quàmuis & sæpe & multum deliquerint, quo pacto repellet & abiiciet, immò spiritualibus increpationibus admonebit, vtiliter consonet vitam futuram, & æterna supplicia in memoriam reducet: vnum cauebit, ne indulgentius & citra omnem obiurgationem absoluat, fiatque alienorũ criminum particeps. Iam, si qui peccauerant, lacrymis liquescant, ac continenter malorum suorum abalienationem meditentur, licet in eadem reincidant. suscipiendos tamẽ eos duxeris, cõgruúmque deputaueris locum.
D Penes te enim facultas est, vt nosti, mensuram castigationis adhibeas. Eos autem qui hinc emigrant, in quocunque fuerint peccato detenti, ne ligaueris, sed diuinorum purorúmque Sacramentorũ facito participes. Qui citra pactum polluti, gratias agant Deo nostro, quòd de faucibus diaboli liberati sunt. Parum in borum castigationem præscribere operæ precium. Non enim nostrum est dèfinire, sed voluntatis eorum qui mandatis parent. Tempus etsi longum sit, non tamen amplius est quam correctio requirat, fortè nihil omnino commodi correctio afferret. Vidimus autem, & breui tempore multos multa abstersisse ac emendasse. Alioquin etsi mensura temporis cui iniungatur, is tamen tandem declarabit, an dignè admissus vel repudiatus fuerit, qui mandatis obtemperauit.

*Cautio adhibenda in absoluendo. Lapsi semper recipiendi.*

*Morituri à quocunque peccato absoluendi, & donandi commun. one.*

## DE AGNELLO EPISCOPO RAVENNATENSI, EX TRITHEMII ADDITIONIBVS.

*AGnellus Epiſcopus ſcripſit Epiſtolam ad Armeniũ de ratione Fidei, in qua præcipuè refutat hæreſim Arrianam de Patris & Filij conſubſtantiali & coæua natura. Initium tale eſt: Frater Martinus exigit litteras ad tuam charitatem mittendas, &c.*

## AGNELLI EPISCOPI RAVENNATIS AD ARMENIVM, DE RATIONE FIDEI, EPISTOLA.

*Heb. 11 a. Pſal. 13. a 52. a* FRater Martinus exegit literas ad tuam charitatem mittendas, adferens, ſolicitudinem tuam quærere ſolatium defenſionis Catholicæ Fidei, quam quidam varia aſſertione conturbauit. Sed ipſa conturbatio cum collata fuerit, omnis Seculentia proiicitur, & hoc quod liquatum fuerit, cuſtoditur. Antè omnia ita *credere oportet Deũ quia eſt*: ſecundò quid ſit Deus. Quare hoc? *quia dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*. Ergo qui inſipiens non eſt, hoc non dicit, ſed dicit: *Credo in Deum*. Si dixerit tibi quicunque, quid eſt Deus quem credis? Reſpondendum eſt, hic eſt Deus qui clamat in Deuteronomio: *Videte videte quia ego ſum Deus, & nõ eſt alius præter me*. Item cum Moſes interrogaret quem illum diceret, reſpondit: *Ego ſum qui ſum, & dices eis ad quos te mitto, qui eſt, miſit me*: id eſt immutabilis, & ſemper idem: non heri Deus tantum, hodie verò Deus & Pater, ſed ſemper fuit Deus & Pater, & ſemper fuit cuius eſſet Pater. Si enim acceſſiſſet ei vt eſſet Pater, vim paſſus eſſet vt inciperet eſſe quod non erat, At eſt blaſphemum ita ſentire. Sed dicit aliquis: Non eſt vim paſſus, ſed ſua voluntate genuit Filium, quia ſi noluiſſet, non eum genuiſſet. Ad hæc exigendum eſt vt dicat: Quando voluit generare Filium, habueritne virtutem generandi, & ſapientiam hoc ipſum volendi. Si dixerit, non habebat, confutas blaſphemum: Si dixerit, habebat, obtines victoriam, *Filius enim*, vt dicit Apoſtolus, *Dei Patris virtus eſt & ſapientia*. Nam qui dicit, virtutem non habuit, blaſphemat: qui dicit, ſapientiam non habuit, blaſphemat. Hoc quare? quia in capite libri ſui Arius dicit: Fuit Deus quando Pater non fuit: vt videatur introducere minorem Filium ad honorem Patris. Blaſphemat igitur Patrẽ multis modis: primò iam, quia non poteſt ſtare vt dicatur, *Qui eſt miſit me*: quia iã non poteſt dici, *qui eſt*, qui heri alius fuit, & hodie alius eſt: Ergo ſi non eſt alius hodie, cras non alius, & ſemper immutabilis perſeuerat. Semper ergo fuit Pater, ſemper fuit cuius eſſet Pater. Deinde, etiam ſi hoc ipſum illi cõſentiat, quia voluntate genuit: cogere illum poteſt Catholicus, aut vt dicat, antequam vellet generare Filium, noluit: & ideo non genuit: aut voluit, & non potuit. Si noluit, bonum † eſt quod noluit. Si autem voluit, & blaſphemũ eſt vt dicatur, *fuit Deus quando bonum noluit & non potuit*: eſt blaſphemum, vt dicatur aliquando voluiſſe & non potuiſſe Deum. Hoc loco ſuperatus Arius, ad hoc, tenet Catholicum verè genuit, aut putatiuè? Reſpondet Catholicus: Verè genuit. Hæreticus ad hæc: Si verè genuit, antequam generaret non fuit iſte quem genuit. Ad hæc reſpondendum eſt: multa eſſe in fragilitate humana, quæ ſic oriantur ex ipſa fragilitate, vt ſimul incipiant genitor & genitus. Nam vox hominis ſermonem parit, & non eſt ſermo niſi vocis filius. Modò quia ſermo vocis eſt filius, ex eo minor dicendus eſt ſermo, quia vocis eſt filius. Hoc penitus dici non poteſt: Quare? Quia ex quo vox, ex eo & ſermo. Adde in ipſo ſermone efficaciam, & compleſti tertiã perſonam, quæ penitus indiuidua perſeuerat. Vox ergo egreſſa, ſermonem † promit, & ſermo egreſſus, efficaciam gi-

Deut. 32

Exod 3. Acute contra Arrianos

Exod. 3.

† Fortè Malus blaſphemum Arrij ratio.

† Parit.

A gnit. Vt putà, iuſſum eſt per vocem, ille fiat conſul, vel certè denudetur, vel certè interficiatur, vel certè de periculo liberetur. Ecce vox peperit verbum, verbum autem non peperit efficaciam, ſed ex ipſa voce & verbo virtus egreſſa, alterum fecit conſulem, alterum interfecit. Et ideo ex Patre, Filius, ex Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus. Nec, vt quidam dicunt, duos habet Deus Filios, Chriſtum & Spiritum ſanctum: ſed habet Filium inuiſibilem, ſicut ipſe inuiſibilis eſt, qui vt eſſet viſibilis, corpus noſtræ fragilitatis adſumpſit: non vt inuiſibilis eſſe ceſſaret, ſed vt in ipſo Chriſto, inuiſibilis incredulis permaneret. Nam cum dicit: *Beati oculi qui vident quæ videtis*: ergo beati erant Iudæi omnes, & hi qui eum crucifixerunt, de quibus per Dauid dicit: *Ipſi*

B *vero conſiderauerunt & conſpexerunt me*. Vides ergo quia inuiſibilis perſeuerat, & mente cernitur pura & credula. Ergo ſi inuiſibilis Pater, inuiſibilis Filius, inuiſibilis Spiritus ſanctus. Et vt ad hoc reuocem vnde factum eſt, vt hoc de fragili homine doceamus. Tria hæc inuiſibilia & indiuiſa, & in vnum conglobata & virtutis efficacia redundantia, id eſt, vocem genitricem verbi: ex verbo verò ſimul cum voce procedentem efficaciam quæ faciat alterum conſulem fieri, alterum trucidari, dic mihi, Ariane, iſta tria vnum ſunt, an non? Si vnum non ſunt, diuide vocem à verbo, & efficaciam à voce & verbo. Quòd ſi hoc in fragili homine † ita vnum ſunt tria, vox &, verbum, & efficacia, vt tres quidem perſonæ ſint, ſed vna ſubſiſtendi potentia: in homine fragi-

C liſſimo, vt diximus, ſi hæc ſit tanta potentia, quantò magis in omnipotentia Dei ita eſt, vt ſit Pater omnipotens genitor Filij, & ex Patre & Filio procedens virtus, qui eſt Spiritus Sanctus: Fortè homo fragilis hoc habere poteſt, Deus omnipotens hoc habere non poteſt? Huc vſque ratio operata ſit; nunc authoritas operetur. Apoſtolus Paulus duas formas æquales in Patre & Filio poſuit, vt æqualitatẽ exprimeret; Dicit enim ſic de Filio, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo, ſed ſemetipſũ exinaniuit formã ſerui ſuſcipiẽs*. Vides formam & æqualitatem Apoſtolica authoritate declaratam. Sed occurrit Arrianus & dicit: Velis nolis, negare no poteris hoc quod dicit ipſe Dominus: *Pater maior me eſt*. Ad hæc reſpondendũ hoc quod dixit Apoſtolus: *Cum in forma Dei eſſet, nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo, ſed ſemetipſũ exinaniuit formã ſerui ſuſcipiẽs*

D In hac vtiq; forma ſeruili, minor; ſalua illa forma, in qua *nõ rapinã arbitratus eſt ſe æqualẽ Deo*. Ac per hoc ſic fiet, vt & tecum minorem dicã factum, in aſſumptione hominis, Deum, & tu mecũ non neges, ſalua illa forma, in qua æqualis Deo Patri ceſſare non potuit. Reſtat vt hoc quæratur ab hæretico, cum formam ſerui ſuſcepiſſet Filius, & veniſſet in mundum, ſi deſeruit Patrem. Ad hoc reſpondendum eſt: Si verbum quod exierit de ore meo & introierit in aurem tuam, & per aurem tuam in corde tuo cœperit manere, dic mihi, nunquid quia in tuo pectore manet, iã in meo pectore nõ eſt? Si ergo inter ſenſus per meum os egreſſus, in tuam mentẽ ingreſſus, meã non deſerit animã, quanto magis ex Patre Deo egreſſus ſermo, Patris pectus deſerere non potuit? nam ipſe Filius dicit: *Ego ex corde Patris prodij*: Et pater dicit, *Eructauit cor meum verbum bonum*. Itẽ obiiciũt aliundè: alibi inuit, id eſt,

Pſalm.

Luc. 10 d. Pſalm. 31. Mat. 13 d.

In 3° Trinitatis.

† alias ſic legitur in codice Treuerenſi: ita vnũ ſunt tria vt vere tria ſint verè vnum, vere eum tria vox, verbum & efficacia: non ergo Perſonę ſed vna ſubſiſtendi potentia.

Ezech. 2 a. Pſ. 44 a.

id est, de cœlo ad terram verè venit. Quomodò potuit fieri, vt de sinu Patris non recederet? Ad hoc dicitur: Considera quatuor flumina de vno sinu Paradisi egredi. *Gnes. 2.* Fons ergo, Pater, est quatuor fluminum: & cùm circumeant omnem terram, tamè de sinu Patris sui: id est, fontis illius qui est in Paradiso, non recedunt. Aut si potes, diuide inter fontem & fluuium. Quod si hoc facere non potes; cessa diuidere Filium à Patre quomodò, quod non potes de aquæ elemento vlla prorsus facere ratione. Item de passibilitate aget tecum hæreticus; vtrum Deus ibi fuit quando passus est Dominus. Si dixeris, simul passus est Deus indiuisus; Patri-passionem incurris. Si negas simul ibi fuisse diuinitatem; hæresim

A facis. Cum ergo non negas ibi in cruce fuisse Deum simul in Christo mundum concilian tem; compelleris docere, † vtrùm simul crucifixus sit Deus. Ad hæc adferes ipsum priorē verbera suscepisse, sed impassibilem permansisse. Nam splendor solis in arbore manens, eo tempore quò arbor inciditur, priorem securis ictum accipit: sed impassibilis permanēs, integer perseuerat; arbor verò inciditur. Si ergo creatura luminis hanc obtinet virtutem, vt cùm sit in ligno verberata simul cum ligno, lignum passioni derelinquat; ipsa verò euadat iniuriam: quantò magis ipse Creator omnipotens, vera lux, impassibilis perseuerabit in Christo?

*† Alias dicere quod simul, &c.*

# D. NICONIS, EX EPISTOLA AD ENCLISTIVM,

## DE INIVSTA EXCOMMVNICATIONE.

*Caute legenda hæc Epistola; nam vt hominem in faciendis excommunicationibus præcipitem cohibeat, nonnulla interdum ex dicendi calore fundit, quæ pressius discussa modum excedere, nec satis cum Theologiæ placitis congruere videntur. Consule Theologos 4. sent. distinct. 18. & Dominicum Soto 4. sent. distinct. 22. q. 1. art. 3.*

*Iniustæ pœnæ & excommunicationes nō ligant apud Deum.*

SCias autem pater quod diuinæ Scripturæ cū diuinis Canonibus definiunt quod iniustæ quæ imponūtur punitiones apud Deū nō ligant, etiam si Pontifex eas imposuerit. Quantò magis si inferior, sicut dicit sanctus Dionysius. Qui itaq; considerata sentētia & intēperāte animo aliquē à Fidelibus separauit, eū nō solum nō attingit, sed in eius etiā caput recurrit, sicut sanctæ quoq; Synodi pronunciant, sed illæ pœnæ ligāt quæ secundū diuinos Canones & Leges sunt impositæ, nō autē quæ secundū propriā voluntatē. Qui, n. pœnā, præter rationem imponit; ipse est segregatus, & ipse debet eam pœnā obseruare sicut diuini & sacri Canones decernūt.

*Excommunicatio iniusta recurrit in Excommunicātis caput.*

*Ligandi & soluendi potestas.*

Magnus quoq; Petrus ad Clementē; Tu quidem ea ligabis oportet, & solues quæ soluenda sunt. Dicit enim sanctus quoq; Patriarcha Nicolaus, diuinitus promotus. Habent, n. Antistites potestatem puniendi, sicut etiam sancta Synodus definijt, vt qui ius ligandi & soluendi à Deo acceperint. Sin autem Antistes præter Dei scopum punierit, Deus eū non sequitur, & ecce inuenitur pœna

*Mat 16. c. Mat. 18. c.*

quæ ab eo infligitur iniusta, & propterea inualida. Et de Sacerdotio dixit Dominus Petro, *Quæcunq; ligaueris super terram, erūt ea etiā ligata in cælis.* Vide vim verbi: Non dixit, *quæcunque ligaueris super terra, erunt ligata in terra,* sed, *in cælis*: vt qui excōmunicat vel deponit vel prohibet, rem terribile ducat, vt qui Deū, ad vnā secum ferendam sententiā, vocet, nempe qui sub eius qui est in cælis testimonio, hic agat. Iam & qui prohibetur vel deponitur, horreat, vt qui extra Regnum cælorum eijciatur. Vide (inquit) quid facis, ô sacerdos: quæ inferius ligas, ea esse superius in rationes referenda, existima. Non est à ratione reddenda liberum vinculum, si iniustè ligaueris. In iudicio Angelorum ostensurus est, num ira & animi perturbatione, vinculū intuleris, num vt te ipsum vlciscens. Deus enim eum, qui iniuste alligatus est, defendit & vlciscitur. Qui itaque Dei gregē sincere pascit; os Dei vocatus est. Dicit enim: *Si quod est preciosum ab eo quod est nullius precij separaueris, eris vt os meum.*

*Excommunicatio res terribilis.*

*Excommunicationis aliquādo reddenda ratio.*

*Pastor est os Dei. Hier. 15. d.*

B autem sancto atque adeò sanctissimo, hymno illud, *qui crucifixus es pro nobis;* Petri Fullonis rabiem sequentes; Et nobis quidē asserunt, se, de Filio hoc adijcere, ipsi autem, Deum esse patibilem, apertè sentiunt. Existimant quoque Spiritum esse Patri & Filio minorem; vnde & paulò antè dictarum crucium mediā, minorem statuūt, in Spiritus typum, hanc esse seuelantes. Iidem & in duarum Christi naturarum vnione, confusionem decernunt. In pane quoque mystico, vtuntur azymis, & in sanctum calicem, aquam non immittunt, & quinto mēsis Ianuarij vespere festum Euangelismi celebrant, tum

C aliam quoque huius festi consequentiam facientes, tum etiam conueniens Euangelium legentes. Manè autem Christi natalem celebrant, & in diuino sacrificio sancta Theophania. An autem eo Euangelismi die, venerabilissimum Seruatoris nostri Natalem fuisse existimantes, hoc festum celebrent, incertum: manifestum autem est, quòd nō, sicut nos, carnem Domini in Deo matris vtero formatam esse existimant. Quomodò enim fieri posset vt infans vno die perfectus completúsque nasceretur, & innumerabiles absurditates ea eo deducuntur. Sin autem existimant post ix. menses, anno in eundem reuerso; editum esse partum, non tam magis humanam natiuitatem, quam ab equis & asinis similem Introducunt:

D hæc enim animalia, post annum pariunt. In festo autem sanctorum Theophaniorum, non oratione, non Euangelio, non hymno, non aliarum Scripturarum lectione vtuntur, sed crucem tantum in aquam immergentes, hoc sibi sufficere existimant. Circumcisionem autem, octo diebus post Theophania celebrantes falluntur, nescientes quod prius circuncisus, deinde baptizatus est. Deinde cū magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ Episcopus, cauisset Armeniæ Episcopum à nullo esse alio ordinandum quàm ab illius temporis Cæsariæ Cappadociæ Archiepiscopo, vbi ipse quoque ordinatus est, & horrendæ execrationes & anathema in eos sit intentatum qui aliter faciunt: hæc quidē illi trāsgrediuntur, à Syriæ autem Amerano, vniuersalis eorum Episcopus ordinatur. Sin autem negant magnum Gregorium hæc constituisse, ostendant nobis, eius, ad filios constitutiones, & os eis obturabitur. Sin autē adhuc dubitauerint, dicant si possint, cum in eos anathematis sententiā protulimus, quid ab eis factum nouimus. Quod si ex hoc loco Chrismā non susceperunt, nec qui apud eos sunt sacerdotes, sacerdotio digni sunt. Quādo enim vniuersalis eorū Episcop⁹ nō ordinatur ex Canonibus, quomodò qui ab eo ordinantur, fide digni habebūtur? Porrò autem à sacris quoque Euangelijs abstulerunt vocē quæ dicit, *Et factus est sudor eius sicut † guttæ sāguinis in terrā descendentis,* hoc esse imbecillitatis existimantes, non

*Hymnus sanctiss. Petrus. Fullo*

*Mysticum panem azymum.*

*nō errore cōficere Eucharistiam in azymis, vt Auctor iste; græcanico imbutus ritu existimat, cū eum morem cōsecrādi in azymis perssāctè Romana colat Ecclesia.*

*Sancta Theophania Christi Circumcisio antè theophania quod est festum Baptismi Christi.*

*Syriæ Ameranus.*

*Chrisma Sacerdotio fide digni.*

*Spō'ũsim Luc. 22. a Ioan. 8. a*

### *Eiusdem de pessimorum Armeniorum pessima Religione.*

*Aphtardocitarū crux tergemina.*

QVæ ab Armenijs præter rationem fiunt & creduntur, hæc sunt. Dicunt diuinam Naturam esse patibilem, & in Aphthardocitarum hæresim inducti, Trinitatem pati dicunt. Hoc autem etsi non audent apertè dicere, iis tamen quæ faciunt, hoc declarant. Tres enim cruces coniungentes, & vni ligno tanquam iugo affigentes, nominant hoc, *sancta Trinitas.* Adijciūt

A diuinæ maieſtatis. Sed etiam, hiſtoriam quæ nos docet quò d mulier ad Ieſum tãquàm adultera adducta eſt: cũ is autem dixiſſet; *Qui non peccauit lapidẽ in eã proyciat; receſſerũt omnes:* & necà Christo cõdemnata eſt; eijciũt: hanc auditionem multis eſſe perniciofam dicentes. Comedunt autem & in Sabbatis & in Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ, ouum & caſeum & butyrum, & imprimis eorum Vniuerſalis Epiſcopus. & eſt apud eos Canõ qui dicit; *Si quis butyrum, caſeum, & ouum, vino & oleo nõ æquiualere exiſtimet, ſit anathema.* Septimana quoque τῆς τυροφάγου, carne veſcuntur: ieiunantes ſeptima quæ eſt ante ἀποκρεων, intenſis ieiunijs, præter panẽ & aquam nihil aliud guſtantes. Vocant autẽ hanc ſeptimanã, *Arthiburtzan;* neſciunt tamen quid ſibi velit vis huius B nominis. Sed nonnulli quidem dicunt fuiſſe hoc cuiuſdam Sergij ieiunium; nonnulli verò Niniuitarũ; aliqui verò Adami, quando ex paradiſo deliciarum eiectus eſt, & hinc, ſine ratione ieiunare conuincuntur. Quidam autem dicunt, & videtur verum eſſe quod ab eis dicitur, fuiſſe quendam apud eos Epiſcopum, qui vtebatur catulo, cui erat cognomen Artaibuttaes. Id autem, præcurſor ſeu præceſſor Latinè appellatur, præcedebat enim Epiſcopũ in vrbem vel in vicum ingreſſurum. Quo mortuo, ſeptem dierum ieiuniũ ab Epiſcopo conſtitutum eſt in memoriam luctus, qui fuit propter eunem.

*Ieiunũ Quadrageſima Armeniorum.*

*Arthiburtza. Ieiuniũ Adami.*

Sacrum autem celebrantes, non ſolum capiti tegmen non detrahunt, ſed etiam capiti cucullam adijciũt, licet diuus Paulus apertè exclamet detectos eſſe debere in oratione. Venerabiles autem imagines non adorant, ſed, quod magis eſt, eorum Vniuerſalis Epiſcopus cum reliquis, eos qui adorant, anathemate percutit. Nec crucem adorant, niſi clauum in eam immiſerint, & ipſam etiam baptizauerint. Poſtquam autem clauo fixa & baptizata crux fuerit, & alterum duorũ lignorum diuiſum & relictum fuerit, rectum ſcilicet vel tranſuerſum, id ſolum quod relictum eſt, adorãt. Sed & omnia ferè quæ ſunt abolita Legalia, adhuc peragunt. Agnum enim magno Dominico ſacrificãt, & limina iniungunt, & eius oſſa comburentes ſeruant cinerem cum ſanguine in ſignum expiationis, & velum ante altare ſtatuunt, & tintinnabula ipſi & altari appendunt. Quin etiam pro mortuis ouium & boum ſacrificia peragunt, nec defunctum aliter ſeruandum exiſtimãt, niſi tertijs, & nonis, & quadrageſimis eius diebus eiuſmodi ſacrificia peracta fuerint. Antequàm autem eiuſmodi ſacrificia peragantur, ſal benedicentes dant beſtijs in nutrimentum, & ſuper earum etiam capita dicunt quaſdam orationes, & eas mactant. Nominant autem hæc ſacrificia, Natalitia. Si qui autem aliquid eorum negant, eum qui hoc facit, anathematizant.

*1. Cor. 11.*

*Armenij non adorant imagines Crucem adorant;*

*Magno Dominico pro die Paſchatis.*

*Velum ante altare.*

*Armeniorum Natalitia.*

# ATHANASII PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI; EPISTOLÆ VIII.

## de neceſſaria Epiſcoporum Reſidentia.

## DE ATHANASIO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO, EX NICEPHORI GRÆGORÆ HISTORIÆ ROMANÆ, Lib. 6. Cap. 11. 12. & 13.

*In Patriarchicũ ſoliũ Cõſtantinopoli Gregorio ſuccedit Cyprio, Monachus quidam Athanaſius nomine qui ocioſam Gani Montibus vitam viuebat. homo quidem rudis ille literarum, ſcilicet al. oqui bonus & admirandus quantũ ad Monaſticam vitam attinet; quique fortunatus vere dici potuiſſet, ſi ſuum illud inſtitutum tenuiſſet per omnem vitam, ſcilicet malè vtique tractari & Pont. & clericos oportebat, & luere pœnas dignas ea improbitate, qua contra Gregorium vſi fuerunt. Statim itaque zelo diuino & exacerbato plenum oculum in eos coniecit, &c. Nam qui Conſtantinopoli inuenti ſunt, eos in ſuam quoque Metropolim miſit; ne, inquit,* hic deſidentes aliquid mali contra vos ipſos & me cenſuatis, *&c.* Rectè *ſanè, dicebat enim aquè eſſe vt ſuam quiſque Eccleſiam paſceret, vt Patriarcha Conſtantinopolitanam, & vt præſentes omnium ſuarum agerent curam, non autem vt emolumentis inde acceptis in vrbe morarentur. Non multò autem poſt quàm ex Oriente reuerſus fuiſſet Imperator Andronicus, detruſo in carcerem Conſtantino Porphyrogenito & eius familiaribus ob affectata tyrannidis ſuſpiciones, ſcriptam reſignationem offert Athanaſius, quartum iam annum eo ſacerdotio fungens: cuius cauſa erat omnium Pont. & Monachorum, & Laicorum, ſpiritualem illius rigorem non ferentium, tumultus, &c.*

### *ATHANASIVS PATRIARCHA Conſtantinopolitanus, Epiſcopo Cretæ, volenti proficiſci ad Epiſcopatum ſuum.*

CHariſſime mi frater & comminiſter, gratia tibi & pax à Deo. Conſilium iſtud tuum ac voluntas, quæ ad aures meas perlata eſt, fortis virilisque animi, ac ſurſum tantùm aſpicientis, verique Paſtoris, verè ac legitimè certantis, & nomini ac vocationi reſpondentis viſa eſt: non autem mercenarij & fugientis non ſolum ſi lupum videat, ſed ſi vulpem: vnde gregi Chriſti, principis Paſtorum, damnum creet, & animæ ſuæ infinitos præparet cruciatus. Cur enim iſte non potiùs vitam priuatam viuere maluit, ſi cogitabat ſuccumbere, ſeque, non oues, paſcere, pro quibus ſanguinem ſuum Chriſtus profudit? Quemadmodùm non venit huic in men-

C tem, eius qui maledicto eum affecit, qui *opus Domini facit negligenter?* quamuis facere, omnino ſimulet, in cuius alioqui inſidet, quod de inſipiente ſcriptum eſt, qui *dixit in corde ſuo, non eſſe Deum:* neque enim Deum ponunt, qui hæc in conſpectu eius facere audent. Ex quorum numero & ordine, faxit Deus ne ſimus, aſcribatque nos inter fideles diſpẽſatores, concedátque benignè, vt præſto ſimus Principi Paſtorum, ad perficiendum quæ oportet, ponamuſque animas pro ouibus eius qui ſimul & demonſtrauit & edicto ſanxit, quod omni-

D bus Paſtoribus (ſi quando alias) hodie maxime conuenit: cùm non ſolùm lupi graues, Impii, inquam, & hæretici, in gregem Domini irruunt, ſed ex nobis ipſis, vt Apoſtolus ait: viri & mulieres non verentur Chriſtianos à Chriſto diſtrahere, & auellere. Quamobrem veris Paſtoribus non eſt tutum non vigilare, & non circumquaque omnia luſtrare, oueſq; errãtes ſolùm quærere, ac non magis ſolicitos eſſe pro ijs quæ non errant, perterritos horum temporum tenebris quæ iuſto Dei permiſſu ac judicio nobis illatæ ſunt, quia ſcilicet non ita

viuimus

viuimus, vt eũ decet qui nos vocauit. Sed, ô animarum nostrarum detrimentum! ô ingentes pœnas, nobis ob nostras libidines & perturbatas voluntates, quæ hoc malum pepererunt, infligendas! hoc, inquam, malum, vt gens sancta, per omnes campos & montes vitio Pastorum absentium dispersa ac dissipata erret. Quare, quò celerius istud tuũ debitum tibi inspiratum persolueris, sanctumque propositum perfeceris; tanto cum maiore lucro perfeceris. Debent hoc facere omnes boni Pastores, quicumq; hoc nomine digni sunt; ita vt qui cessarit, non sit impunè cessaturus. Etenim si quisque Pastor in Diœcesi quæ illi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat, permulta peccata & damna non esse futura in populo. Perinde namque esse videtur gregem abesse à Pastore; vt cæcum duce carere. Sanè augentur oues & in tuto sunt, cùm præsunt veri Pastores: non autem qui solum ebibant lac, & lana tegantur; omniq; studio & arte seipsos non oues pascant. Quod malum Deus ab ouili nostro auertat, multiplicetque in eo potius quicquid diuinum Deoq; gratum. Etenim si quod de te auditum tantum est à multis; de tuo ad diœcesim reditu (quod alioqui ab omni Episcopo fieri debet) continuo visum est omnib. laudabile: nempe oues ablatas fortiter recuperase; non ablatas conseruare viriliter: interdum etiã alienas adiungere ad nostras, tum errantes & amissas, quoad fieri possit, quærere ac vestigase, & iouentas in humerum magno conatu imponere, ad Ecclesiasque reducere in numerum eorum qui ab errore alieni sunt, hæc, inquam, quàm grata Deo, & Deo deditis fuerint. Idcirco quod voluisti, quia honestissimum erat, laudauerunt cordati & prudentes omnes, & in primis Imperator ipse, qui non solum approbauit, sed magnifica verba fecit, nactus hanc occasionem Ecclesiæ vtilem, imitatus eloquentissimum illum virum, cum quo (quoties pro Ecclesia illi dicendum est ad vtilitatem multorum) nemo orationis suauitate, copia & elegantia certare potest, & vsque adeò, vt dixi, propositum consiliumque tuum aptum & congruens visum imperatori est, vt Synodicis literis & Edicto suo decreuerit, vt ex Episcopatu, Metropoli Monembasiensi subiecto, ducenti aurei annis singulis tibi redderentur: quo etiam beneficio nos obligauit, vt non solum propter religionem Imperatorem laudemus & pro eo omnes Ecclesiastici preces adhibeamus, sed propter variam, multiplicemque beneficentiam atque prouidentiam. Hoc exemplo factum est, vt Episcopus Sardensis; præ studio & cupiditate eundi celeriter ad requirendas oues suas, nõ excusarit pericula, impedimenta itineris, senectutem, temporisque incommoditatem, quas omnes difficultates vicit animus ipsius promptus. Quem, Imperator, cum laude dignum iudicaret, & ad debitum ac salutare munus excitare vellet; prouidit vt esset, vnde illi necessaria commodè suppeterent: scilicet, suo consilio & auctoritate perfecit, vt Decreto Synodi & Edicto Regis, Metymnensis Metropolis ei adiiceretur, vt tibi hactenus adiecta fuit: idque duplici nomine & causa, & vt Metropolita præsidio septus esset ad regendum, & vt populus ipse Metymneosium commodius faciliusque regeretur, ac propter vicinitatem oues scabiosæ curari possent opportunius, tum benè valentes conseruari & excitari ad honesta opera. Vtrumque enim vestrum maledicto afficit scriptura sancta, si cum sui Pastores, non vsque ad sanguinem, in iis quæ diximus efficiendi perstitatis, donec, vt confidimus, Deus nobis propitius, pacem, tranquillitatẽ ac salutem, cuiusque Pastoris gregi restituat, quod vt faciat, placandus flectendusq; nobis est, & nostris rectè factis, obedientia, & vita Christiana implorandus. Ita enim fiet, vt legem diuinam seruantes, quæ turpiter viuentes iustè amisimus, precibus beatæ Mariæ restituantur. Vale in Christo.

*Pastoris officium.* — *Preces pro imperatore.* — *Preces & intercessio B. Mariæ.*

A *Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopo Sardensium.*

EPISTOLA II.

Nosti, quemadmodũ sapientia discipulos suos doceat: *Ne* (inquit) *reprehendas sceleratos, ne te oderint*: tanquã sapientes tantum reprehendere oporteat; vt quicumq; fratres amãt, vicissim amentur. Opportunè hinc principium sumpsisse videbor, qui ad te, virum sapientem & in literis sanctis eruditum, scribam. Scio te non ignorare quæ sanctis Apostolis de constitutione rerum Ecclesiasticarum sancita sunt, ex quibus vnum est, vt quisque Pastor intra suos fines insistat propter pacem B & charitatem, quarum est Iesus arctissimum vinculum; quod solui non potest. Scis præterea, vt quales nos essemus, appareret, quibus notis verum Pastorem designantibus, magnus ille Pontifex Christus, munus Pastoris diffinierit: nempe mutua in illum charitate. Deinde nõ ignoras ornatum probi Pastoris, qui sui animas gregis sui euidenter cogniturus, de quo scriptum est: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Et quod Gregorius cognomento Theologus edisseris, Non vnumquemuis discipulum ad Euangelium mitti; neque qui mittitur, quomodocumque mitti, sed qui veritatis virtutisque studio tantum intentus sit, vacuus & expeditus omni cura, omnique impedimento liber, sine ære, sine virga, vna tunica, nudis etiam pedibus, tanquam non possint aliter, *speciosi esse pedes Euãgelizantium pacem, & cætera* C *bona.* Intellexisti etiam quis sit mercenarius, & qualis, de quo pudet me tum dicere, tum tacere, cum satis ipse status temporum & rerum eum ostendat atq; coarguat. De quo si attentè audiam Prophetas, cùm in mei similes Pastores his verbis inuehuntur, *Pastores pascunt seipsos, non oues.* Et illud, *O pastores, qui perditis oues pascua.* Itẽ: *Pretio respondent sacerdotes sacerdotes Legem domini occultarunt & Legem meam violarunt, & sancta mea profanarunt.* Item illud, *lanis ouium indui, & mactare quod pingue est, lac bibere: hæc*, inquã attentè audiens, quid faciam, ne metuam eos qui me redarguunt, & clarè ob oculos mihi ponunt, qualis sim, quæ si fabulas putat qui in ignem illum extremum non loquetur, mihi certè non fabulæ, sed ita horribilia omnia esse videntur, vt horrore exedant consumantque medullas. Neque tamen D curamus facere pro viribus ne propter aliquod ex his vitium ac scelus cõstricti vinculis arctissimis, pœnis sempiternis afficiamur, sed potius damus operam vanis contentionibus, iudiciisque ad libidinem nostram corruptis, aut ab eo quod fieri oportuit, abducimur. Quæ enim facere solent, qui statum Ecclesiæ perturbare moliuntur, hæc isti quæstus gratia faciunt, scilicet cũ à principio constitutum esset, vt bis quoq; anno Synodus haberetur, posteà verò commodius videretur haberi semel, ne oues propter crebram absentiam Pastorum, facilè à lupis inuadi possent. Nostra nunc ætas, nescio an aliquid prudentioris consilij prouidens, an corruptius iudicans, hoc quoque sustulit: vnde grauia & noua mala suscitauit, & curam Pastoralem in pecunias pauperum E corrodendas contulit, grege lupis relicto: magna verò diligentia & vigilantia locum Episcopi ornarunt, vt desertis suis gregibus apud Reginam Constantinopolem accubarent. Denique maluerunt, breui voluptate contenti, carni indulgere, quam cum populo Dei laborare, contemptis legibus diuinis quæ prohibent, ne paulisper quidem impunè à grege abesse. Ac nisi, vt Apostolus ait, *inimicus viderer verum eloquẽs*, possem aliquid verè dicere. Quid, quæso, iuuat istos Episcopos & Pastores in vrbe morari, nisi (omittam alia) vt Patriarchas alios moueant, alios eligant, ne si idem diu sit Patriarcha res omnes Ecclesiasticæ compositæ sint: quod præclarum facinus ex eo tempore facere isti consueuerunt, ex quo Constantinopoli potiti sumus. Quod quidem cum

*Synodi prouinciales.*

reliquis malis non est ambiguum & incertum, quin iram Dei nobis augeat: quandoquidem tolerasse Deum mundi peccatum didicimus, erga vero peccatum nequaquam. Similiter verissimum est, neque Pastores qui gregem negligunt, impunitos; multosque discessuros, tametsi fortassè non ita videatur iis qui sponte velamen obtendunt, ne limatam Euangelij veritatem aspiciant; sicuti cum Moyses legitur populo Israel; Quos quidem existimabam sublato iam velamine, reuelata facie videre. Sed, ô calamitatem & miseriam, vt tépore ipso facilè mala subeunt! quale est hoc monstri quod nunc ortum est, vt reperiantur Episcopi qui tantum dent consilium, suamque dicant sententiã, non autem qui decreta sententiamque maiorum tum priuatè tum publicè confirment & sanciant, ita vt iam in causis pauperum nobiscum quidem sentiãt qui pariter iudicant, non tamen in causis diuitum atq; nobilium: quamobrem non conuenit mihi cum his confessoribus iudicibus iudicase. Si pax munere Dei consecuta fuerit, & concilium frequens cogi contigerit, corrigentur hæc omnia: quod si secus euenerit (quandoquidem nescimus quid proximus dies sit allaturus) iudex ille qui falli non potest, Ecclesiæ suæ consulet. Hoc te scire volui, ne molestum esset venire. Vale.

*Gratia & pax tibi à Deo omnipotente Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus, Episcope Apamea.*

*Epist. 3.* EXistimo te nõ ignorare quid Basilius ille magnus ad Gregorium scripserit, de eo vt excluderet mulierculam quam domi habebat, & quemadmodum iusserit, vt nisi statim excluderet, cessaret ab officio sacerdotali, redditurus Deo rationem cessationis, futurusque cuncto populo anathema si non cessaret, sed potius absque reuerentia Deo offerret: quibus verbis demonstrauit, *Ministerij sacerdotalis assiduitas.* quantum damni & iacturæ faceret qui dignitatem adeptus non exerceret ministerium rectè & assiduè. Sunt itaque facta sanctorum Patrum exempla nobis; vt quæ nobis facienda sunt, cum iis comparemus quæ gratia Spiritus sancti per eos aspirauit; in quæ aspiciendum est, vt in solem aspicere solent, qui lumen desiderant. Quamobrem tibi hoc exemplar insculpimus, vt quandoquidem Ecclesiam tibi commendari voluisti, gregem Christi ad pascua viridia & salubria omni studio agas & ducas, defendasque eum à bestiis non quibuscumque, sed Arabicis: tum corporalibus, quæ cernuntur, tum spiritualibus quæ non cernuntur. Et (vt debet verus *Episcopi residentia.* Episcopus) resideas sanctè ad sanctam aram, de qua tibi participandũ est, sicuti Dominus pronũciauit *dignum esse operarium mercede sua.* Quamobrem non est existimandum, licere tibi quauis de causa abesse: quia potius faciendum tibi est, vt celeriter ire possis ad eam Ecclesiam quæ tibi addita est & cõmendata, vt ei præsis: hoc autem facies, si prius restitui feceris quæcumq; siue te conscio siue non conscio surrepta esse constiterit: vt benignè Deus sua cuique nostrum tribuere velit, quod erit suo tempore iucundissimum. Quæ quidem sublata sunt ab iis qui hanc labem Episcopis aspergere volunt, vt dum ipsi aliis insidiantur & iniurias ingerunt, culpa in eos qui mali Pastores sunt, trãsferatur: alioqui quemadmodum ire licebat in aspectum eorum quorum damna & iniurias inhumanè contempseris: à quo tamẽ, omni se iniuria liberandos esse sperabant, aut quemadmodũ cogemus eos vt magistratum ferant, nisi quod Zachæus faciebat, hoc idem nos fecerimus; ille enim *si quid aliquem defraudabat, reddebat quadruplum.* Et Dominus pios omnes iubet ab auaritia abstinere: quod quidẽ qui non fecerit & docuerit, quemadmodũ non erit anathema populo? Est enim peius non facere hoc, quã quod Gregorius ille, quem dixi, fecit. Quantò facilius, & leuius mali potes corrigere? alioqui vtrumq;, immò quicumq; non emendãtur, à Christo principe Pastorum punientur. Ergo postquam hoc perfeceris, veni ad nos, vt literis acceptis à nobis resoluaris; & confirmatus eas bona cõscientia ad munus Pastorale administrandum. Quandiu enim non vereberis hæc quæ facis facere, nos quidem, te à Diœcese tua absente, rei non erimus tuæ vacationis, eorumque malorum quæ ex absentia & vocatione nasci necesse est, neque eorum bonorum interceptores, quæ si adesses, opere & sermone facere poteras, & debebas. Concedat tibi cunctisque Fidelibus, Deus, quod commodum est.

*Athanasius Patriarcha, Episcopo Apameæ.*

TErtiò iam ad te scribo, mi frater & Comministe: *Epist. 4.* quando quidẽ binis meis literis superioribus, quas ad te misi, non *stetit verbum velut more duorum testiũ,* sicut ait scriptura sancta. Hortamur ergo te, quia hoc ius postulat, vt quæ surrepta sunt, iis quibus surrepta esse constat, restituantur: vt cum restituta fuerint, ipse Ecclesiam tibi commendatam adire possis, eumque honorare à quo cuncta sunt ita iustis & mirificis modis disposita atque distributa, vt vel grues suo tempore canant, neq; sint omni tempore neque omni loco graculi. Ego verò eum cui grex Christi commissus est, si dignitatem muneris norit, iniquum esse arbitror, non vsq; ad sãguinem assiduè ei studere & incumbere. Nisi fortè ignoratis, Deũ esse qui dixerit: *Petre amas me? pasce oues meas.* Sed, hei mihi! non iam Pastores oues pascunt; sed ouibus tanquam pane pascunt. Iam horribilia illa mala *Ezech.* malorum Pastorum, quæ Propheta Ezechiel describit; summa licentia irrepserunt. Quæ si talia, tamque grauia vobis videntur; age, optime vir, contentus esto tua Diœcese; permane in ea: fac sis cum ouibus tuis, vsque ad sanguinem illis affixus: quas quidem nunc in myrtetis, inter ficus & rosas, atque in montibus diuina prouidentia custodit. Neque enim, quod certissimum est, virga & baculo tuo pastorali fit, vt in pascuis virentibus pacis & bonorum cœlestis Hierusalem, eæ sint. Scis enim, qui amplius sex mensibus à Diœcese ab- *Episcopi amplius 6 mensibus absentes, Sacerdotio exuuntur.* fuerint: nisi eos grauis morbus teneat; Canonibus, & Legibus firmatum esse, vt sacerdotium & gregem amitterent. Verum, nouum consilium & sceleratum hic à nostræ ætatis hominibus excogitatũ est: scilicet; mittitis aliquem qui sciat mulgere gregem: ipsi verò in vrbe Constantinopole expectatis propter præfecturas ciuiles, subscriptiones, intempestiuas ordinationes: adde etiam bullas & decreta: & tanquam immunè sit vobis futurum, ita procul à Diœcese vobis commissa receditis: & alia huiusmodi, vt cui quælibet, committitis. Oportebat potius, cunctis Episcopis vndique in vnum congregatis, suam cuique Diœcesem funiculo distributionis circumscribi: atque ita Patriarchæ partem suam à vobis assignari, aut vos à Patriarcha priuari. Et quid prodest, laborasse vos in diligendo ac constituendo Patriarcha: ac posteà insultare & efferri in eum: & vita ipsa atq; factis irridere: nulla, ne ad breue quidem tempus Canonum, & Legum ratione habita: quem si vestris fortassè libidinibus resistere videatis, continuò crimina fingitis: & eum, cum infamia atq; dedecore eiicere contenditis. Ad quid verò necesse est, ad suam quemque *Propria & commendata Diœcesis.* Diœcesem ire (propriam dico, aut sibi commendatã) nisi vt lupos inde arceatis? Quòd si fortassè huc vos incitat & trahit tum studium atq; desiderium consolendi multorum saluti, idque vobis propositum est: tũ scientia tam multa vt hinc possitis, etiam quæ extra fines vestrarum Diœceseôn posita sunt, gubernare: Ad extinguendam sitim hanc huiusque studij ardorem, veniat in mentem illius cui plurima sanctarum literarũ scientia *Gregorius Theologus paruæ Diœcesis contentus.* Theologi cognomentum dedit, illiusque paruæ Sasimorum Diœceseos: ita vt vel propter reuerentiã illius excellentis viri, vel propter æqualitatem honoris quo contenti esse debetis, quisque vestrum intra suos se fines contineat. Quamobrem existima, frater, deberi à te hoc vsque ad sanguinem, vt cum ouibus tuis sis & viuas.

Hoc

Hoc idem cæteris Episcopis studium esto, ipsis quidem & eorum gregibus salutare. Neque enim, hoc præsertim tempore, supplicia effugiet Pastor, qui cum grege non laborat: in quem profectò conueniat quod Dominus ait: *Videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit eas*; quæ qui non audit, sententiæ huius authorem contemnit. Etenim nisi hoc fiat, quorsum iste vester conuentus? quid commodi affert aut si quid boni hic agitis, dicite. Ego enim, nisi sacerdotio labem aspergeret oratio, multa demonstrarem indecora, & ab Ecclesiæ constitutione aliena, quæ ex isto vestro in hanc vrbem Conuentu proficiscuntur.

Ioan. 10.

*Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus Episcopis ad Diœceses suas proficiscentibus.*

## EPISTOL. V.

SI quid est aliud necessarium; idq; omnibus, maximè est; fratres & Compastores mei: necessarium præsertim magistris Ecclesiæ, sacram Scripturam reuereri, metuere, & diligenti perscrutatione examinare: atque ad perficienda quæ in ea mandata sunt, promptos expeditosque esse cunctos Christianos, nisi prorsus insaniant. Dominus enim est qui hortatur perscrutari Scripturas: & ex eis, tū præterita, tum pleraque in posterum futura discere & docere. Vnde salutis suę cupidis semper studium fuit, Mosem & Prophetas audire. Verbum enim iudicat nos, vt is qui mentiri non potest, docuit. Quare omnis Scriptura diuinitus inspirata salutaris & vtilis est ad examinandum quod conueniens est & honestum, & ad erudiendum atque corrigendum. Vtilis, inquam, nō solum iis qui turpiter viuunt: sed magis iis, qui sobriè & continenter: iis verò qui Pastorali dignitate & gradu qualicumque præditi & ornati sunt: & ipsa vita æterna, & lucerna pedibus eorum, viáq; certissima ad faciendas Dei iustitias. Ex ea enim discimus, per quem & à quo facti, & ad quem tendamus: quibus quidem iniunctum est munus docendi: & non vtcumque, sed ita pascēdi, vt eum qui pascere dedit, vicissim amemus: sciētes quis est qui venit, & iterum venturus est ad iudicandū viuos & mortuos: & sciētes quòd Pastores qui Dei præcepta, vel propter reuerentiam & metum, vel propter charitatem animo seruarint: ad dexteram positi, incredibili splendore fulgebunt: qui verò non seruarint; ad sinistram erunt, ad omne genus cruciatuum damnati: & quod est omnium intolerabilissimum atque acerbissimum, procul à conspectu Dei eiecti, & perpetuo conscientiæ morsu exagitati: rursus verò qui munere Pastorali rectè defuncti fuerint, coram Angelis & hominibus laudabuntur: vtpote probi, fideles & prudentes atque grati, quique sal & lumē fuerint hominibus, nihil quod vtilē atque commodum esse prætermittentes: qui non verbis solum, sed factis & virtutes tradiderunt, & vitia expulerunt, cūctis præcipientes vt declinarent à malo & facerent bonum. Ad quod quidem bonus Deus Legem non scriptam naturæ insculpsit gratis: deinde seruos mittere non destitit, qui nuntiarent Dei voluntatem non solū inuitatis ad cœnam & nuptias, sed iis etiam qui erant in viis & sepibus cum ornatu nuptiali: cæteros enim non sic ornatos, vincula & tenebras manere. Rogo quicumque Pastores appellamur, demus operam, vt in eorū numero reperiamur, quos Deus occulto suo iudicio, quod ipsi soli notum est, ad vocandum inuitatos miserit, obsecro & obtestor ne obliuiscamur, néve iussa mādatáq; eius qui misit abiiciamus ac negligamus, sic ut ij qui corda habent crapula & solicitudinibus mundi grauata & depressa. Qui quidem vigilare & orare iussi sumus, tanquam non aliter futura tormenta vitare possimus, neque aliter coram Deo sisti innocentes, ostensuri verum, minis datis, ad mensam negotiati fuerimus, an potius in fundo atq; sudario occultauerimus, vt quidā præ nequitia, & ignorantia fecisse accusati sunt. Horri-

Diuini verbi vtilitas.

Exhortatio ad Pastores.

A biles profectò sunt minæ nobis Pastoribus propositæ, nisi vigilauerimus: quibus mandatū commissumque est, tradere consetuis, tum verbo tum factis, vera dogmata & vitæ perfectæ normam, tum reposcere rationem progressus spiritualis, vigilanter tuba canere, ne romphæa animam alicuius corripiat alioqui ex manibus nostris repetendā, denique incessanter explanare quæ sit Dei voluntas: & cum olim ad hoc opus multi missi fuerint, nostrum est timere ne in labores eorum ingressi, pœnas demus si minus laboremus. Quod, vtinamne nobis eueniat quib. donata sunt non solum quæ typis & symbolis designata sint, quæque Prophetæ atque iusti expetierunt, sed etiam gratiæ dispensatores facti sumus. Quare nisi aperto capite munera Dei, quæ neque oratione cōsequi, neque mente comprehendere licet, perpetuò prædicauerimus, quicumque huiusmodi dignitate Pastorali præditi sumus, haud dubiè in manus Dei incidemus: nisi, inquam, prædicauerimus quemadmodū ex nihilo cuncta Deus effecerit, quam admirabilia existant ex omni parte Vniuersitatis rerum in hominem beneficia, quæ nobis promissa si mandata Dei perfecerimus: quæ rursus minæ suppliciorum propositæ si non perfecerimus: & nisi prædicauerimus quod qui malè vixerunt irato Deo ab hac vita recedent, debemus pœnas daturi sempiternas. Prætereà repetere voces Prophetarum, quas illi ad reuocandum à vitiis hominum genus adhibuerunt: item commemorare aduentum Domini, & bona inde profecta: tum mortem probrosam, sepulturam & reditū ad vitam, ascensum ad cœlos, missionem Spiritus sancti, tributumque hominibus Spiritum sanctum, Apostolos missos in vniuersum mundum vt baptizarent ac docerent quæcumq; ipse seruare præceperat; quibus, se, Christus promisit semper adfuturum. Ad hæc instare diem illius magnæ iræ & calamitatis, propter multitudinem scelerū: quando Draco ille, ex improuiso, ad corrumpendos omnes aderit. Item Eliæ & Enoch reditum ad incumbendum saluti hominum aduersum diabolum, quem Dominus præsentia aduentus sui destruet. Prætereà dicemus de rapiendis obuiam Christo; quando cœli magno impetu transibunt, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Quæ quidem cū expectētur; quales, quæso, ac quam sanctos nos esse oporteret? Debemus etiam commemorare Iudiciū extremum, subsellia opposita, præsidentem Iudicio Antiquum dierum, libros apertos, fluuium ignis: deinde, eos qui ad dexteram erunt, commendatos bonis operibus processuros in resurrectionem vitæ: eos verò, qui ad sinistram, processuros in resurrectionem iudicij. Hæc sunt, quæ à nobis sunt semper populis inculcanda, & honestæ vitæ exemplo cōmendanda, atque consulenda: quæ quidem cum Deo nos copulant. Hoc est illud Euangelij, bonos fideléſque dispensatores dare conseruis suis in tempore mensuram tritici: confirmare inquam, fratres; vt contemptis bonis terrenis soli virtuti & Deo adhæreant. In his vigilare, & hæc meditari debemus, fratres; si magno ministerio, cui præsidemus, satisfacere velimus: ac non potius illos imitari proscriptos profligatósque dispēsatores; qui dum, vt illis videtur, moram Dominus facit, edūt & potant: quos, cùm venerit, idem, vt minatus est, diuidet. Quæ omnia non solum nos inclamare debemus, sed etiam fidelibus hominibus commendare, qui possint & alios docere: ita vt nihil sit faciendum, quod à sancta Scriptura alienum sit. Debemus prætereà eos, qui peccauerint, pœnis & locis ad eas soluendas descriptis, secundum Canones Patrum afficere: distinguentes sanctum à profano: impiè enim agunt quidam, qui multos eorum violant, neq; meminerunt quod scriptum est: *Impij transierunt fines*. Et illud: *Maledictus* qui terminos à Patribus positos transgreditur. Et quod est in Euangelio: *Qui soluerit vnum ex mandatis minimis vocabitur in regno cœlorū*: qui autem fecerit & docuerit, magnus. Omni itaque studio laborandū est, vt concupiscentias carnis quæ militant aduersus animum, superent omnes

B

C

D

E

Episcoporum non prædicantium pœna.

Iudicij extremi metus.

Matt. 25

Peccatores pœnis plectendi ab Episcopis.

Fideles: admonendiq; subinde, quemadmodum clamet Paulus vas electionis: neminem eorum qui peccatis operam dant, possessurum Regnum cœlorum. Qui cum nos hortetur vt eum imitemur, sicut ipse Christum: beatos pastores qui eum secuti imitatiq; fuerunt. Tametsi enim non sint imitabiles illius excellentissimæ virtutes (qua sumus ignauia & inertia) illud, inquam, viuere ex manibus, & Euangelium sine sumptu ponere: nobis tamen satis est si præbeamus nos operarios cibo dignos: ac non potius bona pauperum hianti ore deuoremus. Hortādi præterea, vt arrectis, quod aiunt, auribus, & vigilantes, clamorem illum mediæ noctis, improuisum & subitum expectent: ne nihil cogitantes & in scelere occupati, aut voluptati vel somno indulgentes, aduentum illum illustrissimum pulcherrimi Sponsi non sentiant. Vt enim admoneremur vigilandum esse, horam noctis appellat Dominus, illuminatissimum illud tempus. Vtinam nunquam nati essent quibus claudendum est, & frustra standum atq; pulsādum: quibus tolerabilius leuiusque fuisset igne cōsumptos esse, quàm audire illud, *Non noui vos.* Quamobrem Paulus: *Ne erretis*, inquit, enumerans, scilicet, quæ à Regno Christi arcent & excludunt: quæ omnia nisi vobis discipulis eius nos commemorauerimus atque denuntiauerimus, væ nobis! Caueamus ergo ne debito quod commune est omnium Pastorum, populos fraudemus: Debito, inquam, fungendi *pro Christo legatione*, Deo per nos hortante, ne quis semel baptizatus committi at vt ad nuptias intrare prohibeatur. Eos verò qui alios decipiunt, tanquam falsos Apostolos & impostores, adhibitis sanctis Scripturis redarguamus ac prodamus, commemorato exemplo decem Virginum, sagenæ missæ in mare, illius induti sordidè, aliisque huiusmodi. Hæc nocte dieque debent singuli Pastores gregibus suis inculcare: quæ tam necessaria sunt, quam est respirare animanti. Necessarium, inquam, omnia iudicia & testimonia Dei denuntiare, ita vt ab hoc officio neq; eos superbia & elatio retrahat, neque altitudo diei, *id est*, prosperitas & opulentia: quin potius, si tempus postulet pro legibus, & statutis diuinis sanguinem fundere, quoniam non possit aliter Pastor Christum amare, qui Magistrum finibus charitatis circumscripsit, cum dixit Apostolus, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Deinde cauendū nobis est, ne vlli citò manus imponamus, non ante iustam ætatem, non sine titulo, non extra fines diœcesis. Testimonium dicant non quiuis, sed graues homines, qui educationem eius & mores norint, an ne sit iracundus, an superbus, an ebrius, an auarus, an pugnax, an dicax, an percussor, an petulās, an illiteratus. Post ordinationem verò curādum est vt sacra reuerenter ac religiosè tractare & administrare discat, mysteria præsertim Eucharistiæ ac Baptismi: ne, quæ sanctissima sunt, ab aliquo deliro indecorè & temerè administrate doceantur. Ad hæc prouidendum, ne cuiuis pateat ascēsus in suggestum; neque docere liceat in Ecclesia, nisi ei qui castitate etiam & temperantia atq; pietate præditus sit. Item vt nihil eorum quæ ad edēdum idonea sunt, offerātur in Ecclesia, præter oleum, ceram, & thus. Nemini sine probatione, aut pro munere, Eucharistia detur, nisi permissu & concessu Patris spiritualis. Ne liceat impunè non vacare in festo Resurrectionis, neque ingredi in fines altetius in coniugiis, caueatur pueritia, propinquitas sanguinis, adoptio & susceptio in baptismate. Vidēdum est etiam, vt coniugium non solum licitum sit & cōcessum, sed decorum quoque: Ne, inquam, puella seni nubat, nève ante benedictionem vna cubent. Ieiunia quatuor Temporum ne soluantur, neq; ieiunia quartæ & sextæ feriæ. Eleemosyna, temperantia, iustitia, & veritas ab omnibus fidelibus colantur. Soluere Ecclesiis Decimas & Primitias, celebrare Memorias Sanctorum, meminisse propinquorum in precibus, abstinere à fornicatione, sanguine, & suffocato, à præstigiis, incantationibus, obseruationibus superstitiosis, ab omni specie diuinationum; non comprehendere cum hæretico, nisi sit

*Matt. 5. 1. Cor 6. — Pastorū debitum 2. Cor 5. — Summa prædicationis Euangelicæ Pastoribus cōtionare cum sit necesse. — Rom 8. — De Ordinationibus faciendis. — Mysteria Eucharistiæ & Baptismi. — Lector qualis esse debeat. — Feria 4. & 6. ieiunia. Dominica. Coniugiorum leges. Adoptio, seu susceptio in Baptismate. Ieiunia 4. temporū. Sanctorum memoria celebranda.*

A sponsor qui Canones seruare non didicit, eum neq; baptizari, neque Monachum fieri liceat. Monachum qui à Monasterio aufugerit: qui receperit aut ordinarit, puniatur. Denique repetenda sunt & commemoranda frequenter à magistris Ecclesiæ, quæ fideles facere debēt, & quæ, tanquam pestes, abominati Commemorandus etiam ignis ille, in consummatione sæculi expectandus. Tum execrabilis illa mundi lues; nefarij, inquam, Antichristi aduentus, ne si ex improuiso, nihil præmeditatis, adfuerit iniquus ille atque superbus, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus; multi in errorem inducantur, cum eodem in flammam ignis conijciendi. Hoc, precor, Pastorum opus sit: hæc cura & studium, vt quæ Patribus visa sunt, quæque illi accuratè tenuerunt, illa ad temperandos regendosque fideles adhibeamus: & qui ea non B seruarint, quæ seruare non soluere iussi sumus: hos maledictis grauissimis anathematum afficiamus. Ante omnia verò baptizatos omnes hortari debemus, vt vsque ad sanguinem integerrimè seruent quæcumque Christus præcepit: affirmantes absque operibus mortuam esse fidem; & quòd non omnis qui dicit, *Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum.* Et illud: Qui nō amat me, sermones meos non seruat. Hæc & alia huiusmodi ex sanctis Scripturis: nisi iis qui ea ignorant exposuerimus: quemadmodum erimus fideles dispensatores? Ne, quæso oscitanter atque negligenter; sed cum timore potius atque tremore, sine vlla cunctatione, Euangelia sancta edisseramus, docentes cœlum & terram transitura, verba autem eius nequaquam. Dicamus; frustra fortasse dictum esse in Scriptura; nemo erret: nemo, inquam, ne C que eorum qui antea fuerunt, neque eorum qui posteà erunt. Est autem nobis primum, qui Pastores sumus nauandum virtuti; docendumque omnino, quod est in sanctis Scripturis, eos qui Christum eiusq; sermones reuerenter obseruauerint; eos inquam, ab eodem Christo confitendos, declarandos & coronandos: ac gloria sempiterna esse honorandos qui cum corpore & spiritu honorarunt: nunc, inquam, iam fideles atque prudētes declaratos, ad nuptias, & immortales illas delitias admittendos, vt cum pulcherrimo illo sponso Ecclesiæ Domino nostro Iesu Christo semper sint, cui honor, & imperium in sæcula.

*Monachus fugitiuus non recipiendus. — Pastorū cura. — Fides sine operibus mortua. Matt. 7. Ioan 14. — Pastorū officium.*

*Eiusdem Athanasij Constantinopolitani Patriarchæ, ad Imperatorem, vt iubeat Episcopis ire ad suas Diœceses.* D

## EPIST. VI.

SI vrbes in Oriente vastari & funditus interire scis, quod malum Deus auertat, cur non iubes, qui curam omnium à Deo suscepisti, vrbes deseri, & ad nos venire habitatores earum? Immo potius, in gratiam Episcoporum hos prohibes? Sin autem, per gratiam Dei, hoc tua prudentia & iudicio assequeris: puniri nos à Deo, non vt pereamus, sed vt conuertamur: cur nō iubes Pastoribus illarum ciuitatum, vt quisque eorum cum grege suo sit, vt tum præcipue Deo adhibendis, cum admonitionibus & obiurgationibus suos à peccatis seruent: atque ita Deum placent, vt minas aliquando remittat. An si tu E oues pastori cōmitteres, deinde illas quidem relictas cerneres, illum verò quieti suæ suisque cupiditatibus indulgere & seruire, dic obsecro, relinqueresne Pastorem impunitum? Non patimur oues pecudes impunè negligi, & patiamur Pastores animarum impunè seipsos pascere, non oues? Quid, quæso, apud Deum excusabimus? Vtinam ne illud nobis exprobretur: *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Quod enim preces & vigilias præ ignauia non curant, & nos, quia his vacamus, rident: planè ostendit, nihil eos malle, neque aliud eis esse propositum, quàm Patriarchas mouere, & munera accipere in iudicio, & cætera alia committere quæ ipse status temporum docuit. Aut igitur iube singulis quibusque

*Pastoris & Episcopi collatio. — Phil. 2. — Episcoporum non residentium in sua diœc.*

quibusque ad Diœceses proficisci suas, aut sinant me ad vnum è suis gregibus ire;& me iureiurando obstringam nunquam ab eo discessurum,ipsi verò vrbem Constantinopolim sibi inter se diuidant. Quid enim infelicius esse potest, quam in cæteris ciuitatibus licere cuique Pastori,suos,quantum potest & ius est,regere atque gubernare; in sola verò hac vrbe iudicem esse quicunque velit? Verũ si mihi crediderıs,religiosissime Imperator, fac vt hos potius tristitia afficias,quam Deum.Etenim, si quando aliâs,nunc maximè Episcopos cum gregibus suis mori oporteret. Quod si nolueris propter tuam erga eos reuerentiam,cogere vt faciant quod facere debent; ego suscepta causa, velint nolint,ex vrbe pellam, reddamq;audaciæ huius rationem Deo.

*Eiusdem Athanasij, ad eundem Imperatorem, de eadem re.*

*Epist. 7.* SI verum est quod dici solet; qui gregem Pastore priuat,vtrique periculum creare: profectò graue supplicium manet eum qui Pastorem arcet ab ouili; debetque qui Pastor est, vsque ad sanguinẽ pro grege Christi non relinquendo labores perferre, nisi cum opus fuerit *Synodus* in Synodo singulis annis ad agendum de rebus necessariis paulisper abesse. Quibus conclusis, celeriter redeundum illi sit,si credit se redditurum rationem summo

A Pastori Christo, & si dignus est nomine Pastoris: nisi forte etiam propter necessitatem, ad vtilitatem animarum pertinentem, ab Imperatore aut à Patriarcha statim rediturus vocetur. Quòd si aliter Episcopis aut Imperatori videatur, siue quid secus fiat, minimè ipse sequar, neque assentiar vllo modo:neque enim rationem habebit Deus causationum nostrarum & cupiditatum, sed rationes reposcet de veritate,iustitia,diuinisque legibus,& statutis. *Causationes de non residendo. Ex Epist. 8.*

*Eiusdem, ad eundem, de eadem re.*

MEmento scripturæ, quæ iubet contristare potius homines quam Deum. Tibi verò, Imperator, cum graue videatur,iustitiam, tẽperantiam, misericordiam populis tuis sancire;& inde non modò nullum incommodum reportare,sed potius operibus bonis conciliare Dei misericordiam? quid iustius, quam si Episcopus quisque iubeatur,velit nolit, ad diœcesim suam redire? B An non hoc debitum soluere tenentur;idque Canone sancitum est? nonne Pastorum præsentia potest, hoc præsertim tempore, populum ad preces excitare? Quæ enim alia spes Christianis relicta est, nisi quæ in precibus posita est? quod si cupiunt in hac vrbe habitare diuidant illam inter se,&c. *Christianorum spes relicta in precibus.*

# S. THEODORI STVDITÆ, EX 4. EPISTOLA AD NAVCRATION, FILIVM.

*Nobiles S. Theodori Studitis agones,& triumphi pro religione Catholica, ex vetustis scriptoribus,& ex ipsiusmet Theodori Epistolis accurate recensentur, Tom. 9. annal. Eccles. vbi de scriptis eius etiam agitur. Obijt sub Michaele Balbo anno salutis. 826.*

QVÆ autem à me petiuisti vt sigillatim responderem de Sectis & Baptismis, ea mẽsuram epistolæ excedunt: rursusque superuacaneum est recensere quæ diuinus Epiphanius inuenit,& ita conscripsit,vt nemo ex Patribus melius. Accede ergo ad sacrum eius librum,& quæ scire desideras, illic discernes melius:eum autem tibi in manus præbuerit egregius Eutrepianus. De baptismis autem breuiter tibi respondebo. Contemplatio tripliciter diuiditur. Baptizantur autem Marcionistę, Tascodrugitæ, Manichæi;& quæ sunt eiusdẽ ordinis, vsq;ad Melchisedechitas, xxv. hæreses. Inunguntur autem sacro Chrismate, Tetraditæ, Nouatiani, Arriani, Macedoniani, Apolinaristæ; simul quinque. Qui verò nec baptizantur nec vnguntur;sed solum propriam & omnem aliam hæresin anathematizant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, & qui sunt eiusdem ordinis vsque ad hæresin quæ hîc est; à me,in præsentia,non numerati,eo quòd Acephali sint multiplices, & ne nimis crescat epistola. Quod autem dixisti; Canonem non distinguere, sed definitiuè pronunciare, eos qui ab hæreticis ordinati sunt vel baptizati,nec clericos esse posse,nec fideles;illud cogita quòd Apostolicus quidem Canon illos dicit hæreticos,qui in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti baptizati non sunt, nec baptizant. Porrò autem id quoque à magni Basilij voce docetur. Dicit enim hæreses, eas quæ omnino abruptæ sunt, & aduersus ipsam fidem alienatæ. Schismata autem,eos qui propter aliquas causas Ecclesiasticas,& quæstiones,quibus potest remediũ adhiberi, inter se dissident. Parasynagogas autem,congregationes quæ à parere recusantibus Presbyteris, vel Episcopis,vel populis in solennibus fiunt. Et ipse quidem primi exemplum afferens dicit ad Amphilochium; Quámnam enim

*D. Epiphanij liber de Hæresibus.* *Qui hæretici baptizantur. chrisma.* *Qui hæretici inunguntur solum.* *Acephalorum Hæresis multiplex.* *Hæresis, & Schismata quomodo differunt. Parasynagoga. Epistola 1. Can. 1.*



C habent rationem vt Pepuzenorum baptisma esse iudicetur, qui baptizabant in Patrem, & Filium, & Montanum, & Priscillam: Neque enim baptizati sunt, qui in ea quæ nobis tradita non sunt, baptizati sunt. Eos ergo & qui cum eis sentiunt; Canon & Patres, vt dicit diuinus Basilius, hæreticos nominant. Secundi autem exemplum rursus dicit sanctus Basilius; Cathari sunt & ipsi ex iis qui abscissi sunt seu Schismatici. Sin autem dixeris; Et quomodò dicuntur ij quoque hæretici, & omnes posteriores? Hoc dicimus & ita intelligimus. primi autem sunt propriè hæretici, eò quòd in ea quæ sunt principalia nostræ fidei, Trinitatem scilicet, impietatem suam declararunt. Secundi autem, abusiuè; & vt qui sunt ex primis deriuati, qui confitebantur quidem D se in Trinitatem & credere, & baptizare in separata proprietate vniuscuiusque personæ, & non tanquam trium vna sit essentia: licet in aliis hæreticum quid assererent. Tertij exemplum ipse rursus dicit Sanctus: vt si quis criminis conuictus, à ministerio suspensus sit, & Canonibus non cesserit, sed primam sibi sedem & ministerium vendicauerit. At vt Secundi quidem, idem nomen cum Primis sortiti sunt; ita etiam Tertij cum Secundis. Certè Meletianos antiqui schismaticos appellãt, qui à Meletio schismatico abducti erant, licet nõ essent cacodoxi. Proprium enim schisma, vt aiunt anathematizantes; à Catholica Ecclesia suscepti sunt. Videtur au- E tem omnino hæresis esse quædam catena à Dæmone contexta, alia alij connexa; omnibus tanquam ab vno vertice impietatis appensis, etiam si diuersas cognominationes sortitæ, & loco, & tempore, & quantitate, & qualitate, & potentia, & actu differant. Nam nec hoc quidem corpus vnum est membrum, sed multa; & diuersæ sunt eorum inter se potestates, operationes, proprietates, & situs, & honores.

*Hæretici qui principalia fidei.* *Cacodoxi.* *Hæresis est catena à Dæmone contexta.*

*Eiusdem S P. N. & Confessoris Theodori antistitis Cœnoby Studiensis, Dogmatice, de honore adorationé pro sanctis imaginibus exhibendis.*

*Festum D ia n. Bapt.*

COmmemoratione Præcursoris hesterno die celebrata, fratres ac patres, memoriæ prorsus succurrit eius vitæ disciplina quam ipsi in monasterio tenuimus, quo quidem pacto per id temporis in domo Dei ambulabamus cum consensu, quo item modo iidem nunc pro locorum ac regionum diuersitate simus alter ab alio diuulsi. Cæterum quando dispersio hæc propter verbum Dei contigit, gaudendum verius est iuxta eius mandatum. Gaudete enim ait, & exultate, quia merces vestra multa est in cœlis. Huc facit, quia assimilamur Domino, qui dixit: Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui me misit. In veritate enim vt olim Iudæi non norunt Patrem per hoc quòd filium non acceperunt; ita & hi † Iconomachi vtiq; Christum non norunt, quippe qui non agnoscunt, sed auersantur eius imaginem. Et quidem veritas hæc omnibus palam enitescit, qui autem eam intelligant, vix vnus è mille. Videre istorum reprobam mentem in sectas duas diuulsam. Alibi quidem censet hic nullo modo Christi imaginem esse erigendam. Alicubi verò decernit alter in sublime attollendam, fortè autem vt in exemplum proponatur † bellandi ac venenandi his qui percunctaturi sunt, quemadmodum aiunt, non item oportere eam adorari. Neque enim adoratur imago equi, bouis, canis, leonis, pardalis, serpentis, volucris aut piscis. Ob horum indignitatem, quis vel qualicunque sensu præditus non ingemiscat? Quis sibi temperet à lacrymis? Imaginem enim Christi, quam reuerenter obseruant ac suspiciunt Angeli; Dæmones ad eius aspectum percelluntur horrore, isti nihil verentur in ordinem redigere, similiquè aspergere ignominia, cum immanibus feris, quadrupedibus, reptilibus, volucribus, cumque marinis animantibus O expauescendam animi conceptionem! O temeritatem tantò formidabiliorem priore! At interim isti quid? Imaginem hominis, hominem vocant: bouis, bouem: asini, asinum: cameli, camelum: perdicis, perdicem, nec secus alia quæque iuxta vel conformitatem vel difformitatem suæ speciei, siue animalium fuerint, siue plantarum imagines: imaginem verò Christi Deiparæ, aut cuiuscunque tandem sanctorum nullo pacto sustinent nominare iuxta prototypum aut † paragogum: sed imagines simpliciter; nec aliud esse fatentur quam imagines: huius autem ne sint; an illius non addunt, vene comperto errore à communione abarceantur, tanta isti redundant absurditate & blasphemia. Vos autem fratres huc incumbite ac scitote etiamnum præter dicta à sanctis patribus nostris pariter & à nobis humilibus, quòd loca in quibus natus est Christus, sancta sunt & habenda venerationi atque adoranda prædicantur. Et si quis illinc acceperit siue pulusculum seu lapidem, eum adorat atque complectitur quasi peculiarem thesaurum aut sacras quasdam reliquias. Quantò potius Christi cum primis honorandam & adorandam imaginem, in qua quasi in

*Luc 6. Ioan 15. 6.*

*† εἰκονομάχοι Imaginum oppugnatores. Ita nominatorum duæ sectæ.*

*† Iuxta veterem paræmiā*

*B' ἐφθέγματα. Imagines nominabant.*

*† παραγωγόν. Tempus primarium exemplar. παράγωγον deductum derivationum.*

*Peregrinationes Christi loca sancta. Claues Petri venerabiles.*

speculo elucescit nobis, proinde & adorauit? Natiua
A enim vis hæc insita est imagini, vt id repræsentet iuxta cuiusque speciem, cuius effigiem præfert. Proinde intelligo † a asseruari Romæ claues a Petri, Apostolici senatus principis, honoris gratia, etiamsi claues nullas sensibiles dederit Dominus Petro: sed ore tenus in hoc vt penes illum esset potestas ligandi atque soluendi. Eas autem argento confectas palam adorandas proponunt. Sanè tanta est eorum fides, vt & illic infracta videatur esse petra fidei, nimirum iuxta verbum Domini fundata. E diuerso hic quasi redundare videntur infidelitas simul & iniquitas Eam ob rem humilis ego dolore cordis indolescens ac sententiam pertimescens damnationis ob intempestiuum silentium, hac adactus necessitate in vocem prorumpo. Quæ porrò eloquor, compendiaria
B sunt è multis selectiora. Quum isti diuersæ ab Ecclesia opinionis non desinant blasphemiam aduersus Christum linguam promouere tum seorsum tum publicè, scripto quoque & citra scripturam: nos contra sessitantes domi, numnam de his inter nos mutuo sermone non conferamus, quæ sunt officij nostri? Qui quæso iram Dei sustinere poterimus? Ecqua tandam ratione illos imitabimur patres nostros, qui consimilibus temporum procellis agitati, subticescere & per metum dissimulare, censuerunt esse proditionem veritatis? Itaque loquendum est, audiendum est & solerti studio attendendum, tum sermone, tum opere. Etenim beati Apostoli non sola prædicatione diuini verbi, sed & irreprehensibili conuersatione vitæ vniuersũ cinxerunt orbem, lumine cognitionis Dei illustrantes qui in tenebris ignorantiæ se-
C debant, insipidos ac fatuos condientes sale sapientiæ, peram modò ac virgam circunferentes: quos imitati (fratres) vtraq; hac functione nos ipsos probemus Deo. Contenti præsentibus auersemur cupiditatem congerendę pecuniæ, nec vllum possideamus peculium Et hoc quidem non vestri causa dictum sit, sed in eorum commonitionem qui inopiam defugiẽtes, præter necessitatem ad opes cumulandas progrediuntur. Cum mulieribus ne cõgrediamur familiariter, à quibus in nos profluit mors. Equidem si ad hanc viuendi formulam conuersabimur, in nobis glorificabitur Deus. Professio nostri huius propositi magni æstimabitur, & aduersarij quanticunque fuerint, suppudescent, denique ad conuersionem inuitabuntur. Quod si non ad eum modum vixeri-
D mus malè nobis metuo, ne sperata beatitudine æternam reportemus condemnationem. Ipse autem Deus pacis qui transmutat omnia & permutãdo refingit in id quod optimum est, suæ Ecclesiæ impertiatur pacem, nosque prudentes efficiat. Denique omnes nos ad salutem prouehere dignetur ad percipiendum illud cœleste regnum, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & imperium, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

a Asseruari Romæ claues. *Locum hunc citat Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus (qui ante Episcopatum, Georgius Scholarius nominabatur) Expositionis quinque capitum Synodi Florentinæ contra Græcos, capite 5. sectione 12. idque ex eiusdem S. P. N. Theodori Studitis, cathechesi 5.*
E

*† pro ἀ-γνῶ lego ναῶ... Petrus Apostolorũ princeps. Romana fracta fides in Oriente contra. Blasphemantibus Iconomachis necesse est silere Catholicos.*

*Auaritia Monachis fugiēd.*

*Mulierũ congressus Monachis fugiendus Monachis non tendum esse in suo statu proposito*

IVONIS

# IVONIS S. QVINTINI BELVACENSIS ECCLESIÆ PRIORIS, ET POST CARNOTENSIS EPISCOPI, AD HAIMERICVM ABBATEM AQVITANENSEM: DE CORPORE DOMINI, VTRVM IN COENA DATVM SIT DISCIPVLIS PASSIBILE, CVM NOS ILLVD sumamus impassibile; Epistola.

VO minimus Beluacensis Ecclesiæ S. Quintini Pater; Haymerico, bonæ spei fratri, quod piè pulsat, sibi parenter aperiri. Literas fraternitatis tuæ nuper accepi; neque enim domi eram, quando ad Ecclesiam nostram perlatæ sunt, Lugdunum profectus occasione cuiusdam Ecclesiastici negotij. Quærit autem in literis illis, fraternitas tua, vtrum Dominus noster Iesus Christus in cœna quam fecit cum discipulis ante Passionem suam, dederit eis corpus suum passibile, cum nos illud de mensa altaris accipiamus impassibile.

Ad quam quæstionem si mihi respondeatur, Discipulos Christi, corpus Domini tale accepisse, quale tunc erat; nos verò tale accipere quale nunc est: non video quæ authoritas mihi contradicat, quæ rationis violentia me vrgeat, imò si aliter dicerem, repugnantem viderem rationem & authoritatem. Nam corpus illud quod tunc Discipulis suis Dominus commendabat, adhuc fuisse passiturum, nemo est qui ambigat, sicut tu ex autoritate Dominica in literis tuis posuisti; *Hoc corpus, quod pro vobis tradetur.* Passibile autē fuisse quod passurū erat, quis deneget? Impassibile verò nunc esse quod sumimus, to ipse bene ex autoritate Apostoli confirmasti; *Quia Chri-*
Rom. 6. *stus resurgēs ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nō dominabitur.* Quomodo enim si figulus mihi daret vas fictile, ante fornacem crudum & infirmum; post fornacem verò redderet idem coctum & firmum & humanæ vtilitati commodum; quam vtilitatem habere non posset nisi prius coctum esset. Sic corpus Christi ante passionem, quale erat, datum est Discipulis passibile, quod per passionem transiturum erat ad impassibilitatem: nec vnquam profuisset ad salutem infirmitas illa passibilis corporis, nisi subsecuta fuisset glorificatio impassibilis & immortalis. Quomodo enim posset mihi dicere figulus; vas quod tibi do, ante ignem, inutile & infirmum, hoc statim reddam post ignem vtile & robustum: Ita Dominus noster Iesus Christus signanter dixit; *Hoc corpus, quod pro vobis tradetur, accipite.* Et subsequenter adiunxit: *Hoc facite.* Hoc dixit, non aliud alterum; tamen futurū esse non negauit, quatenus relinqueret intellectui nostro: corpus quod de Dominica mensa sumimus eiusdem essentiæ, quod exemplo suæ transfigurationis, & documento suæ authoritatis præsignauerat suis Discipulis futurū esse alterius gloriæ. Nec prætereūdum est ad huius rei discussionem; quod cum dixisset, *hoc facite.* addidit, *In meam commemorationem.* Quæ au-
1. Cor. 11 tem sit illa commemoratio, B. Apostolus exponit dicēs: *Quotiescunque enim panem Domini accipimus, & calicē bibimus, mortem Domini annunciamus donec veniat.* Sicut ergo impassibilis corporis assumptio Dominicæ mortis iā præteritæ est commemoratio, sic passibilis illius corporis acceptio eiusdem Dominicæ mortis tū adhuc fu-

A turæ fuit prænunciatio. Nec refert quale tunc acceptū fuerit, vel modò accipiatur; sed qua vtilitate acceptum sit vel accipiatur. Et cum vtriusque receptionis vnus finis reperiatur, de qualitate rei, quæ sumitur, omnis dubitatio sopiatur. Sicut enim cum esuriero, panis meus qualis sit non requiro: mollis an durus, frigidus an calidus: vinum quoque meum, sapa sit an carenum, non curo; sed hoc attendo vt ruinas ventris reficiat, & indigētiæ meæ satisfaciat: Sic Christi corpus quale sumptum sit à Discipulis, vel nunc sumatur à Christicolis, nil mea interest, tantū illi vtilitati satisfaciat, propter quam statutum est à Domino, vt illud populus fidelis accipiat. Item dixisti te hærere in quibusdā verbis B. Aug. conantis determinare verba Domini, duodecim Apostolos instruentis qui remanserant; Septuaginta ferme retro abeuntibus: Sunt autem hæc verba. *Non hoc corpus* Ioh. 6.
*quod videtis manducaturi estis, neque bibituri illum Sanguinem quem fusuri sunt illi qui me crucifigent.* Quod sic Aug.
conuenienter intelligi potest; Quia & ipsum est, & non ipsum. Ipsum quidem materiali essentia; sed non ipsum,
B visibili forma. Vnde & subditur: *Et si necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen inuisibiliter intelligi.* Ipsi enim qui recesserunt à Domino, putabant quod carnes Domini viuentis bestiali more essent in frusta scissuri, & aut elixas vel assas in veribus comesturi: quod si nollent, non possent eius esse Discipuli. Nos autem sic immolatum Christum manducamus & bibimus, vt integrum eum ad dextram Patris manere credamus: & cum semel in distinctione membrorum suorum, in manifestatione corporis sui se obtulerit hostiam viuentem, passibilem, & mortalem, quondie tamen sub velamento panis & vini à sancta Ecclesia immolatur, & non in par- Verum
tes scissum, neque cruentum corpus eius fidelium ore Corpus.
percipitur. Et hoc est quod dicitur: *Non hoc corpus, quod* de altari.
*videtis, manducaturi estis.* Neque enim quod de altari sumimus, beatus Augustinus verum corpus esse negaret, qui hoc in plerisque Tractatuum suorum locis euidenter affirmat. Vnde dicit in quodam sermone de ver-
C bis Euangelij: *Quod videtis in altari, panis est & calix; quod etiam oculi renunciant: quod autem Fides postulat instruenda, panis est sanguis.* Et interpositis quibusdam: *Quomodo* (inquit) *panis est corpus, vel quod habet calix, quomodo est sanguis? ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia aliud videtur, aliud intelligitur.* Item idem in Sermone ad Neophytos, *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce. Hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere.* De hac item inuisibili corporis Christi assumptione dicit Eusebius Emissenus: *Cum reuerendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacri Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, manu cordis suscipe & maxime, totum haustu interioris hominis assume.* Possem quidem de Scripturis in hanc sententiam plura colligere, sed nunc ista sufficiant fraternitati tuæ. Vale.

Eusebij Emisseni doctrina de Sacramento corporis Christi.

# ADELMANI EX SCHOLASTICO LEODIENSI, EPISCOPI BRIXIENSIS, DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI IN EVCHARISTIA, AD BERENGARIVM, Epistola.

*Dilecto in Christo Fratri Conscholastico Berengario, Adelmanus, salutem in Domino.*

*Academia Carnotensis.*

COLLACTANEVM te meum vocaui propter dulcissimũ illud contubernium quod cum te adolescẽtulo, ipse ego maiusculus, in Academia Carnotensi sub nostro illo venerabili Socrate† iucundissimè duxi: cuius de conuictu gloriari nobis dignius licet quam gloriabatur Plato gratias agens naturæ, eo quod in diebus Socratis sui hominem se & non pecudem peperisset. Nos enim sanctiorem vitam salubrioremque doctrinam Catholici & Christianissimi hominis experti sumus: & nunc, eius apud Deum precibus adiuuari, sperare debemus. Neque enim putandus est, memoriam, in qua nos tanquam in sinu materno semper ferebat, amisisse: aut verò charitas Christi, qua sicut filios amplectebatur, in eo extincta est. Sed absque dubio memor nostri, diligens plenius quam cum in corpore mortis huius peregrinaretur, inuitat ad se votis & tacitis precibus, obtestans per secreta illa & vespertina colloquia, quæ nobiscum in hortulo iuxta Capellam de ciuitate illa quam Deo volente senator nunc possidet, sæpius habebat, & obsecrans per lachrymas, quas interdũ in medio sermone prorumpens, exundante sancti ardoris impetu emanabat, vt illuc omni studio properemus viam regiam directim gradientes, sanctorum patrum vestigiis obseruantissimè inhærentes, vt nullum prorsus in diuerticulum, nullam in nouam & fallacem semitam desiliamus ne fortè in laqueos & scandala incidamus; quia, sicut ait Psalmista, *iuxta iter scandalum posuerunt mihi*. Nã quod est iuxta iter, hoc est extra iter. De via autem quid dicit? *Pax multa diligentibus legem tuã, & non est illis scãdalum*. Et quid est lex Domini, nisi via Domini? Sicut in alio Psalmo cantatur; *Viam mandatorũ tuorũ cucurri, cũ dilatasti cor meum*. Ergo in via, pax; extra viam, scandalũ. Hoc scandalum incurrunt, qui per hæreses & schismata declinantes, pacem catholicam impijs contentionibus rescindunt. Quos nihilominus in Psalmo 13. ita annotatos aduertimus: *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt*. Ecce scandalũ vel potius scandala; nempe contritio & infelicitas æterna; quæ occurrunt in semitis hæreticorum, viam pacis Catholicæ nosse recusantium. Auertat Dominus à te, sancte frater, semitas tales & conuertat pedes tuos in testimonia sua: & mendaces ostendat qui famam tuam tã fœda labe maculare nituntur, spargentes vsquequaque; vt non solũ Latinas, verum etiam Teutonicas aures inter quas diu peregrinor, repleuerint quasi te ab vnitate sanctæ matris Ecclesiæ diuulseris, & de corpore & sanguine Domini, quod quotidie in vniuersa terra super sanctum altare immolatur, aliter quam fides Catholica teneat, sentire videaris. Hoc est, vt illorum de te dictis vtar, non esse verum corpus Christi, neque verum sanguinem, sed figuram quandam & similitudinem. Hæc autẽ hoc biennium cum audissem, fraternitatem tuam per Epistolam conuenire, idque ex teipso certius sciscitandum esse decreui. Sciens porrò familiarem tuum Dominum Paulinũ Metensem primicerium tibi propiorem tibique aliquanto viciniorem esse, & mea petitione & sua postulatione delegaui sibi huius negotij executionem. At ille (non enim in hac re laudare eum possum) negligens siue alterutrum siue vtrumque nostrum, vsque adhuc reliquit me suspensum. Sed diuina gratia nos nunquam negligens, inopinato mihi obtulit melius quam optabam. Optabam autem inuenire hominem peregrinandi vsu exercitatum, regionis & linguæ Francorum non ignarum, & ecce stetit mihi è latere frater iste G. ex tuo nomine me salutans. Obstupui prægaudio, & tamen nõ poteram repentino euentui fidem integram habere, quia frater idem nullũ abs te signum litteratorium (vti mos est inter amicos tam longe remotos tamquam diu non visos) afferebat; quod tamẽ ipsum, multis de causis facilè persuasibilibus excusabat. Siue ergo verè, siue aliter hoc agebat; ego eum à Domino præparatum mihi esse non diffidens, nolui diutius dissimulare quin ipse mẽte ac spiritu meo (præsentibus literis tanquam pennis induto) per tanta terrarum spatia transuolarem; obsecrans per misericordiam Dei, per suauissimam memoriam Fulberti, vt pacem catholicam diligas neque conturbes rempublicam Christianæ ciuitatis benè compositam à maioribus nostris: pro qua tot millia Martyrum contra idololatriam & regnum diaboli fortiter certantes triumphauerunt, subindeque sancti Doctores bella ciuilia ab hæreticis commota salutaris eloquentiæ fluminibus restinxerunt, itaque eam circunquaque munierunt, vt iam nouus hostis nullus oboriri queat qui aduersus eam aliquid nitẽs non continuò mille saeculis de super ruẽtibus obruatur. Ideo confusi sunt omnes & defecerunt. Vbi enim sunt Manichæi? Vbi Ariani? Quonam tota illa factio perditissimorum ciuium euasit? Computruit etiam memoria eorum. At verò Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & alij plures bestiarum taliũ oppressores; cum laudibus viuunt, quotidieque splendidius efflorescunt. Bonum est frater, nobis paruulis, sub istorum ducum titulis delitescere, quorum tam valida tamque probabilis est apud Ecclesiasticas aures authoritas sanctarum virtutũ fulgore cœlestis sapientiæ luce præpollens; vt extremæ iam sit dementiæ, vel de ratione fidei, vel de ordine rectè viuendi; eis in aliquo refragari. Quare? Nonne homines erant, & falli ab alijs, atque ipsi fallere alios poterant? Ita enim dicit Scriptura verax, quia *omnis homo mendax*. Vnde ergo eo culminis peruenerunt, vt tam ratum habendum sit quicquid de diuinis mysteriis senserunt, memoriæque mandauerunt? Nam & Gentiles magni quidam & nobiles philosophi, multa falsa quæ iure contemnimus non solum de creatore Deo, sed de hoc mundo, & his quæ in eo sunt; sensisse inueniuntur. Quid enim absurdius affirmari potest, quam cœlum astraque omnia stare, terram vero rapida vertigine in medio circunferri; falli vero eos qui putent cœlestia moueri, quemadmodum falluntur nauigantes quibus turres atque arbores cum ipsis littoribus videntur recedere: solem præterea non calere, niuem nigram esse, audire quis ferat? Sunt apud illos plura æque monstruosa, quæ prosequi longum est & nugatorium: De quibus doctor noster; *Dicentes*, inquit *se esse sapiẽtes, stulti facti sunt*. Non hos elegit Dominus, qui superbiæ inflati spiritu *euanuerunt in cogitationibus suis*. At nostri illi Patres humiles corde ac pauperes spiritu, pro quibus Saluator Patrem glorificat hoc modo: *Confiteor tibi Pater Domine*

[Margin notes:]
*†De Fulberto Carnotensi Episcopo, eum loqui apparet ex eo quod paulo infra per suauissimam memoriam Fulberti, inquit, pacem Catholicam diligas, &c.*
*Psal. 139.* — *Psal. 118.* — *D. Fulberti Episcopi Carnotensis.* — *Psal. 115. Hieronymorum.* — *Rom. 1.* — *Matth. 11.*

Matt. 11 *Domine cœli & terra: qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: Ideo veraces sunt, quia participauerunt & cohæserunt illi, qui ait, *Ego sum via, & veritas, & vita.* De quo etiam intus didicerũt, Ioan. 14 quod de Sacramento hoc de quo agimus, foris docuerunt. Audierunt enim eum de seipso in Euangelio prædicantem: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit de hoc pane, viuet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita,* Dabo, inquit, non ait *dedi*: Quando ergo cœpit dare? Quando, *pridie quam pateretur accepit panem, & eleuatis oculis in cœlum, gratias agens benedixit fregit, dedit Discipulis suis, dicens; Accipite & comedite Hoc est corpus meum: Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quibus hoc ita esse non credit, nisi qui aut Christo non credit, aut ipsum hoc dixisse non credit? Sed de incredulis nihil ad nos. Dixisse autem Christum, testes non duo tantum aut tres, in quibus *stat omne verbum*, sed quatuor probatissimi certissimique existunt: duo scilicet ex Circuncisione, & duo ex Præputio, vt vterque populus suis ac legitimis authoritatibus, siue ad salutem siue ad iudicium vteretur. Dixit vtique: dixit ille qui dixit & facta sunt. Qui enim dixit in principio, *Fiat lux, & facta est lux* de nihilo: non potuit dicendo de pane, *Hoc est corpus meum*, ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquã Gen. 1. vertit in vinum, non efficacius poterat (si quid tamen efficacius de Deo dici debet) sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre? Quod si quis apud se dicat potuisse hoc facere vnum illum hominem, qui etiam Deus erat; cæteris verò qui hoc non sint impossibile esse: nos quoque cum eo sentimus, sic tamen, vt per ministerium humanum, Christũ ipsum operari fateamur. Dixerat enim cum adhuc esset cum hominibus mortalis, *Sine me nihil potestis facere*: Et immortalis effectus, cum cœlos ascensurus corporaliter esset; *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi* Quia enim ex duabus naturis diuersis (altera circunscripta, altera incircunscripta) cõpersonatus erat: per circunscriptam de loco ad locum transmigrabat; per incircunscriptam vero quia illocaliter vbique est totus, cum eis remanebat: nec tamen filium Dei à filio hominis separabat. Denique & priusquam filius hominis actu ascenderet in cœlum, cum filio Dei ibi erat; ipso attestante, vbi ait: *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in* Ioan. 3. *cœlo*. Si ergo ibi erat per vnitatem personæ, quo nondum ascenderat per proprietatem naturæ; propter eandem vnitatem cœlum ascendens, cum hominibus in terra remanebat Quis enim alius dicebat, *Saule, Saule quid* Act. 9. *me persequeris?* Neque putandus est ei angelus pro Chri- 1. Cor. 15. sto apparuisse, cum ipse Saulus effectus Paulus postea, dicat: *Nouissime omnium tanquam abortiuo, visus est &* 1. Cor. 9. *mihi*. Et alio loco: *Nonne Dominum Iesum Christũ vidi?* Aut vero Saulus adhuc infidelis raptus est in cœlum, vt illic ei Christus loqueretur; aut ipse Christus descẽdit è cœlo, quod semel tantum fieri oportet in voce Archan- Ioan. 5. geli & in tuba Dei, *quando omnes qui in monumentis sunt audient vocẽ Filij Dei* & procedent? Ipse igitur cum hominibus manens semper; & homines baptizat per homines, & consecrat quicquid per homines consecratur. Vtrumque enim in Euangelio habemus; & quod Iesus baptizaret, & quod ipse non baptizaret, sed Discipuli eius. Baptizat nimirum, quia quando corpus sub quibusdam verbis solennibus in aqua mersatur, ipse animã mortuam, peccata remittendo, viuificat; sicut in Euangelio loquitur: *Venit hora & nunc est, quando mortui au-* Ibidem *dient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent*: quod non nisi de resurrectione animarum accipi potest. Baptizat & homo per cuius manus & linguam opus illud administratur: sed maximè & principaliter ille baptizat, qui Ioan. 1. vim & efficientiam totam præstat. Propter quod dictũ est Ioanni Baptistæ; *Super quem videris Spiritum descen-* A *dentem & manentẽ super eum, hic est qui baptizat* Alioqui si baptismus vnus non esset; sed prout meritum se haberet baptizantis, alius dignior, alius indignior fieret, & quẽ homo sanctior baptizaret, ille melius baptizatus esset. Sed absit: quia quicunque baptizat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; dignus an indignus, sanctus aut peccator, catholicus aut hæreticus; nihil interest, quoniam ministerium illorum tantummodo est, nec ab eis, sed per eos (si rectè loqui volumus) baptizatur. Christus igitur per manum & os sacerdotis baptizat; Christus 1. Cor. 13. per manum & os sacerdotis corpus & sanguinem suum creat. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Dicebat quidem hoc Apostolus non arroganter se efferendo, sed veraciter docendo; Christum in mi- B nistris suis & loqui quod ipsi loqui audiuntur, & operari quæ ipsi facere videntur; propter quod sacerdos est in æternum, quia ipse est qui baptizat & qui immolat. Nam quod semel fecit passibiliter per semetipsum, id quotidie agit impassibiliter per eos quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Nec aliter melius posse intelligi puto, quod Apostolus de illo ait; *Qui est ad dexterã Patris, qui etiam interpellat pro nobis* quam vt interpellatio ista fiat non verba proferendo, sed obedientiam atque humanitatem suam per commemorationem passionis Deo Patri commendando. Hoc quoque in eiusdem Sacramenti institutione, cum iam sub articulo ipsius pas- Ps. 1. sionis agonizaret, & ad dolores carnis mox futuros præ- Rom. 8. scio spiritu pauitaret; hoc inquam, certissimum pignus sui, dilectis discipulis relinquens, *Hoc facite*, inquit, *in* Luc. 22. C *meam commemorationem*: Commemorationem, inquã, charitatis erga vos, pro quibus animam meam pono, & obedientiæ apud Patrem; quia *sicut mandatum dedit* 2. Cor. 5. *mihi Pater, sic facio*. Quod si quos mouet cur hoc Sacramentum non visibiliter transmutetur in speciem car- Hebr. 11 nis & sanguinis, attendant quod Apostolus ait, *Per fidem ambulamus, & non per speciem. Est autem fides, sicut* Hebr. 10 ipse definiuit, *sperandarum substãtia rerum, argumentum non apparentium*. Si enim id quod intus sunt, foris sacramenta ostenderent: fides ex qua *iustus viuit*, non solum otiosa, verum nulla omnino esset. *Quod enim videt quis, qui sperat?* Vt ergo fides exerceatur credẽdo quod nõ apparet, vitale Sacramẽtum sub specie corporea vtiliter latet, vti anima in corpore. Denique in Baptismi aqua quælibet oculis intuẽtium videtur & homo baptizatus D quid aliud quam quod antea erat, apparet? Nõ enim ex nigro albus aut ex illiterato grammaticus, per lauacrũ regenerationis efficitur. *O animalis homo* qui non perci- 1. Cor. 2. pit ea quæ Dei sunt O caro carnalibus phantasiis magis quam vino ebria! Quousque ab his tam infeliciter ludificaberis? Nõ enim similis est hic error denegationi salutis animarum, aut illusionibus somniorum, aut de aquis & speculis resultãtium imaginationum: quia ibi sine periculo fallitur, hic cum detrimento irrecuperabili, nisi resipiscatur, erratur. Expergiscere ergo & clama: Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et respõdebit tibi Apostolica consolatio, *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quod & si credimus verum esse non liberari hominem non solum à molestia spiritualis pugnæ, (quam hoc in loco mortem appellat) E sed nec à miseria errorum nisi gratia Dei per Iesũ Christum Dominum nostrum: melius tamen id intelligimus si humanæ naturæ conditionem & vim, quæ nimirum in sensu corporis & animi intellectu tota constat, diligenter inspiciamus; & quid per vtrumque, quidve per alterutrum valeat, breuiter perstringemus. Sũt namque multa quæ solo sensu corporis agimus, sicut audire & videre, pleraque, sicut legere & scribere quæ communiter sensus cum intellectu administrat. Plurima verò, ad quæ sensui nullus prorsus accessus esse potest; sicut ad rationem numerorum, ad proportiones sonorum, & omnino ad notiones rerum incorporearum, quæ omnia quilibet intellectus, sed purus atque etiam vsu limatus percipe-

meretur. Ne me fugit illa prima, quæ duas istas potentias præcedit, sed ad nostrum institutum nihil visa est attinere: & cauendum est ne longiore quam oportet vtamur digressione. Conamur enim adiuuante diuina gratia ostendere quod nulla humana facultas, quæ planè & ipsa est diuina largitas, nequaquam tamen sufficiens sit (quantumlibet se extendat) ad comprehendendam altitudinem sacramentorum quibus initiamur & perficimur ad æternam salutem quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Proponamus itaque Baptismum ipsum, & quid ibi sensus, quid ratiò deprehendat, videamus. Liquorem esse aliquem, interrogatus tactus pronunciat: visus, si fortè in vase est, quisnam liquor sit addubitat: sed gustus tanquam tertius testis adhibitus, aquam esse incunctanter explorat. Vlterius (nisi fallor,) hac in re officium suum sensus non pollicetur. At ratio longe lateque penetrat interius, naturamque insensibilem perspicaciter intuetur: hanc est, nubilem atque obtusam

A esse, humidam substantialiter, frigidam naturaliter, in aërem siue in terram conuerti eam possibile esse; & si quid adhuc aliud quod nouimus aut ignoramus, de natura aquarum indagari potest. Quomodo autem per aquam & Spiritum anima regeneretur, peccatorumque remissio tribuatur; sicut sensus carnis paulo ante docebatur non posse ad rationis excellentiam ascendere, ita profectò & minus forsitan valet ratio ad hoc inscrutabile arcanum aspirare: & tamen firmiter tenemus, verissimè confitemur, animam incorpoream per aquam corpoream renasci, atque in eum statum, quo fuerat Adam nondum præuaricans, reparari. Deum quoque ipsum, cuius ænigma omnem superat intellectum, non solum nouimus esse quod infideles fateantur; verum etiam vnum eundemque trium personarum incircumscriptum, vbique illocaliter totum; neque tamen sensu aut ratione habemus hoc comprehensum.

Quod ad essentiam gratiæ iustificantis donata [illegible]

*Videntur multa deesse.*

# HILDEBERTI, TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI, EPISTOLÆ IN HAC SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM BIBLIOTHECA PRIMVM EDITÆ ET ARGVMENTIS ILLVSTRATÆ.

## DE HILDEBERTI TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLIS, EX PETRI BLESENSIS EPISTOLA 102. AD R. ARCHIDIACONVM NANNETENSEM DE PVERORVM INSTITVTIONE.

*Scio mihi plurimum profuisse, quod cum paruulus erudirer, materiam mihi non de fabulis; sed de historiarũ sumebã veritate. Profuit mihi quod Epistolas Hildeberti Cenomanensis Episcopi, styli elegantia & suaui vrbanitate præcipuas, firmare & corde tenus reddere adolescentulus compellebar. Præter cæteros etiam libros, qui celebres sunt in scholis, profuit mihi frequenter inspicere Trogum Pompeium, Suetonium, Cornelium Tacitum, Liuium, &c.*

*Quis autem qualis quantusque fuerit Hildebertus, Cenomanensis Episcopus, postmodum Turonensis Archiepiscopus è tom. 11. & 12. annal. Eccles. poteris intelligere, floruit tempore Anselmi Cantuariensis Episcopi & Vrbani II. circiter annum Domini 1100. Temporibus quoque Honorij II. clarus est habitus.*

## AD EPISTOLAM I. ARGVMENTVM.

*Gratulatur amico conuersionem à Sæculo ad veram Philosophiam, Eumque demum beate victurum, & perfectum Philosophum exhibiturum ait, si nihil metuat, nil speret. Postremo illum exhortatur ad verbi Dei prædicationem.*

*Quid sit veri Philosophi.* DE conuersione & conuersatione tua lætatur & exultat anima mea, illum prosequens actione gratiarum, cuius muneris est quod nunc eandem philosophari decreueris. Nõdum quippe redolebas philosophum, cum ex acquisita Philosophorum scientia, scientiæ morum tibi minimè depromeres venustatem. Nunc autem sicut ex † lance mellis dulcedinem, sic ex ea benè agendi formulam expressisti. *† Melius fun.* Hinc quod Ecclesiasticis dignitatibus omissis, elegisti abiectus esse in domo Dei tui magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hinc est, quod ambitiosam supellectilem inexorabili odio prosequeris, quod inflatiotiam abdicas lectionem; quod magnum quæstum iudicas pietatem *cum sufficientia.* Hinc denique est quod intra fines virtutis totum te colligis; *1. Tim. 6.* quod de vita tua cum natura non deliberas, minus attendens quid caro possit, quam quid spiritus velit. Hoc † verò philosophari est: sic viuere magnum iã cum superis est inire consortium. *† Alias vita.* Nulla hinc ad superos via compendiosior. Eò facilè peruenies, si tamen exoneratus incesseris. Porro animus ipse sibi sarcina est donec & sperare desinat & timere. *Animus ipsi sibi sarcina est.* Nondum enim beata viuit: quem vel voti torquet dilatio, vel à voto dicendi metus excruciat. Diogenes quia nullius sperauit fauorem; nullius potentiam formidauit. Ille in dolio suo tam spe vacuus quam timoris expers, locupletem transegit paupertatem. Porrò quæ sic infidelis Cynicus abhorruit, tanto amplius necesse est vt Christianus doctor abhorreas, quanto fructuosior est professio quæ per fidẽ operatur. Morum hæc offendicula sunt, & ad virtutem gradientes remorãtur. Eruditus sermo, & cultus abiectior, & seuerius retracta veræ religionis instituta, religiosum † exhibent Christianum. *† Nos.* Nunc autem exhibebis & perfectum exprimes philosophum, si nec speres aliquid, nec extimescas: hoc & verum animi robur & integrum mundi contemptum denunciat. Fert autem fama id à quibusdam tibi persuasum, vt omni lectione penitus abstineas. Super hoc attẽde quid sentiam. Citra profectum proficit, quisquis alteri, cum potest non prodest: vitiosi est etiam male vsuro, vitiosis ministrare materiam. Præterea sub euangelico te cohibuisti cõsilio, quo Iuuenis à Christo audiuit, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me?* *Matt. 19. Luc. 18.* Holocaustũ igitur habeo offerre, non sacrificium: de eorum quippe differentia apud Gregorium super Ezechielem sic legisti. *Lib. 2. Hom. 8. in Ezech.* *In sacrificio quidem pars pecudis, in holocausto autem, totum pecus offerri consueuit.* Et post pauca: *cum qui suum aliquid Deo vouet, sacrificium est, cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Offer ergo te totum Domino Deo, quoniam Domino Deo totum te deuouisti, alioquin promisso eum defraudas holocausto. Denique *sapientia abscondita, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque?* *Eccl. 41.* aurum melius dispersum rutilat quam signatum. Nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, nisi in medium deducantur. Scientia quoque distributa suscipit incrementum, & auarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Noli ergo claudere riuos doctrinæ tuæ, sed iuxta Salomonem, *deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide.*

*Epistola 2. Argumentum.*

*Amico, synceram in aduersis amicitiam pollicetur, & gratulatur, quod etiam inter arma sensu locuples & ordine venustum carmen illi exuberat.*

IVstum est vt aduersa communicent qui prosperis cõtinentur: hinc est quod eisdem confodior iaculis quibus te didici vulneratum. *Eccl. 41.* Quicquid enim est quod lædere non te vnum persequitur, sed alterum. Omnia tecum sustineo quæ te doleo sustinere. Porro amicum me dum serenus aër elegisti, donec nubilus erit, inuenies. Infamis quæstus est proximum colere dum succedit: dum male est ignorare. Si quid igitur habeo, si quid possum, malo exuli seruiat quam ciui: exul enim verum probabis amicum, quem ciuis forsitan ignorabas, huius autem desolationis tuæ nõnullum mihi remedium est. *Vera amicitia.* Quid etiam inter arma, Poetam integrum profiteris. Liberum curis existimo, tui & sensu locuples, & ordine venustum carmen exuberat: fieri enim non potest tot idem pectus, & tantarum sollicitudinum & talium sit officina studiorum. In armis audio te Cæsarem, in carmine Virgilium obstupesco. Donec ita Virgilium exprimes, nec Cæsaris negotiũ, nec militiæ labores, vel curarẽ

te credam vel sentire. Alioquio maiorem mortalibus animum geris qui tam diffidentibus studiis integer præparatur.

*Epistola 3. Argumentum.*

*Gratulatur amico donatũ à Rege, ob virtutem, sacerdotium quo nulla conuenientior est sanctorum vel remuneratio vel materia studiorum. Domum Guidonem quendam illi commendat.*

Epist. 3. VIRTVTI gratulor cui sub solo rege nostro suam video non deesse mercedem. Nouit ille, regiam manum melius donatiuo splendere quam sceptro: nec satis esse principi, subditos ad bene agendum exemplis prouocare, nisi prouocentur & præmijs. Hinc est quod defæcati maiores tui summo donati sũt sacerdotio; quo nihil conuenientius sanctorum vel remuneratio est vel materia studiorum. Sane sana Regis dispositio, quæ Christi Ecclesiæ nihil melius potuit prouidere quam te; cuius & scientia subiecti proficiunt, & patrocinio virtus exultat. Talẽ te pro Guidone nostro rogare decreuerã, sed veritus sum ne quod per te facturus es, id precibus extortum putaretur. Gratiora sunt beneficia quæ non alieno interuentu, sed affectu spõtaneo proueniũt. Præfatum tamen fratrem filiumque nostrum eo nõ debui defraudare testimonio: quod non minus vita quam litteratura promeruit. Vnus ex nostra Ecclesia exceptus est, cui & ad fructum scientia, & ad exemplum mores exuberent. Vnus ille tibi pro multis erit, quoniã in illo vno multos magistros inuenies. Porro diuturnior eius apud te conuersatio, pauca me semper eo scripsisse, cõclamabit. Vale: mortemque non pluribus studiis ab aula quam à tugurio distare memineris. *Mors æquam. omnibus.*

*Epistola 4. Argumentum.*

*Commendat Pontifici Guillelmum quendam,*

PRo Guillielmo nostro, pater sancte, supplicãdum putarem, nisi ad promerendum fauorem tuum, sibi, solus ipse sufficeret. Præterea superfluum duxi, ad beneficium excitare Pontificem, qui ante Pontificatum vel innumeris benefacere consueuit: hoc secum dignitas non attulit, sed inuenit. Non itaque vereor vt præsul beneficentiæ renuncies; qui te priuatus obligasti. Credo etiam præscriptum fratrem non indignum, cui gratiæ tuæ limen vltroneus aperias.

*Epistola 5. Argumentum.*

*Inuitat amicum ad scribendas illi prolixiores Epistolas,*

COMMEANTIVM raritas facit vt rationes nostræ inter nos epistolæ discurrant. Illa nobis & obsequium salutationis inuidet, & amica colloquia. Cæterũ epistolasũ raritatem pagina potest supplere prolixior: Memineris igitur inuigilare aliquid, quod & solatium tuæ sit absentiæ, & oculos amici diutius remoretur. Tuam prolixitatem sic amplector, vt epistolas longiores & occupatus suscipiam, & inuitus deponam. Illæ quidem me ad legendum otiosum non inueniunt, sed faciunt: vale; atque id potius age, vt aliquando obliuiscaris me, quàm vt aliquando cogites de me.

*Epistola 6. Argumentum.*

*Gratulatur amico quod corruptũ Monasterij statum, & mores in melius reformauerit, & hortatur vt pergat.*

Cant. 1. NOn potuit ad nos vsq. tua non peruenire opinio, quia iuxta Salomonẽ; *oleum effusum, nomen tuum.* Eius odore tuam, mi frater, edocti deuotionem, benedicimus Domino Deo Israël, quoniam deuotio tua nihil aliud est quã gratia sua. Quis enim corruptis motibus, & monastico ordini conculcato subuenire posset, quis cõsulere nisi adiutus ab eo qui dixit, *sine me nihil potestis facere?* graue quidem est in pugnam tyrones animare, grauius autem reuocare fugientes. Maiori eget studio reddere, quam conseruare sanitatem. Ita vix est qui dubitet, hoc ordine facilius ignaros informari quã reformari peruersos. Vnde & te splendidior gloria respicit cui desursum datum est & colligere dispersa & confracta solidare. Sub te cultore sterilis ficus effloruit, & in gratiam cum suo rediit Domino, cuius minas & securim formidabat. Erit itaque studij tui circa commissam tibi arborem fodere, circa eã stercora immittere. Talis planta facilè resiluescit, & si colere desinas, eius virentia breui tempore reputrescunt. Quotidie flat Aquilo non floribus tantum, sed & fructui suspectus & folijs. Rogandus est Auster vt veniat, & perflet hortum suum, & efficiatur odor eius sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Fortassis in publica commoda peccem, si longo sermone morer te. si quos debes pluribus, oculos prolixiores pagina teneamus. Hoc tamen vnum nec te legere tædeat, nec fidem dictis adhibere; vicem mihi rependes, & ames me & ores pro me. *Ioan. 15.*

*Epistola 7. Argumentum.*

*Monet fratrem (non dubium quin Diœcesis suæ Presbyterum vnum quendam) vt initiandis obuiet vel initiatas rescindat nuptias filij iunioris, Galteri de Duncampo, cum puella cuius coniugium cum altero eius seniori fratre peractum fuerat solemniter consensu voluntatis, licet non debito commixtionis.*

ITARARA clamorem continuata nos iniuria compellit: ea in promptu est. Galterus de † Duocampo duos dicitur filios habuisse: eorum maior virum reddens, puellam sibi desponsauit imparem viro atque nuptiarum negotijs immaturam. Conuenientibus tamen parentibus, virgo solemniter tradita est; dotata est; celebrata sunt matrimonij cætera sacramenta, peractum est coniugium, consensu voluntatis non debito commixtionis. Defuncto autem viro priusquam conuenirent, pater defuncti, præfatæ puellæ facultatem remeandi ad parentes intercludit; alteri filio suo, eam, sicut fama est, in vxorem traditurus. Cæterum si autoritati defertur, taliter tradita viro atque vnita cõsensu coniux fuit, quamuis coniugalis concubitus non successit. Vnde Ambrosius ad virginitatis exhortationem: desponsata, inquit, viro, coniugis nomen accepit. Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugis nomen assumitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium; sed pactio coniugalis. Denique cum puella coniungitur coniugium est; nõ enim viri commixtione cognoscitur. Isidorus, Ethymologiarum lib. 9, cap. 7, Coniuges verius appellantur à prima dispositionis fide; quamuis apud eos ignoretur coniugalis concubitus. De eodem Ioannes Chrysostomus: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Attendendum prætereà nequaquam satis esse manifestum: Vtrum maritus ita puellam reliquerit Immaculatam, sicut incorruptam. Quam si quolibet attactu polluerit, frater fratri ad coniugium succedet, sed ad incestum. Relinquitur igitur solicitudini tuæ, vel initiandis obuiare nuptijs, vel rescindere initiatas. Memineris etiam, puellam parentibus remittendam, quatenus & ea nubat in Christo, & patris hæreditas ad filiam, Legis beneficio, reuertatur. Vale frater, & dilige me diligentem te.

† *Alias, Clincãpo*

*Epistola 8.*

### Epistola 8. Argumentum.

*Miserat amico flabellum: interpretatur antè eo mysticè significari abigēda esse multorum portenta prauas scilicet cogitationes, quæ altaris officia frequenter impediunt.*

FLabellum misi tibi, congruum scilicet propulsandis muscis instrumentum. Est etiam quod in munusculo nostro interpretari te oporteat. Attende ergo quibus muscis immolantes Domino sacerdotes grauiùs infestantur; quibus frequenter impediantur salutaria altaris officia. Mille sunt occursantium fantasmata cogitationum, mille diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animorum: quæ dum se sacrificantium mentibus inopinato ingerūt illapsu, dum eas ad alia atque alia cogitanda abstrahunt, dum hæreticam moliuntur inducere prauitatem, quid aliud faciunt quàm, velut quędam muscæ, sacrificantes altaris ministros infestant, & impediunt? Talium portenta muscarum patriarcha noster Abraham propulsanda præsignauit, cùm à sacrificiis aues abegit incursantes: Scriptum est enim; *descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.* Dum igitur, destinato tibi flabello, descendentes super Sacrificia muscas abegeris: à sacrificantis mente, superuenientium incursus tentationum, Catholicæ fidei vētilabro exturbari oportebit. Ita fiet, vt quod susceptum est ad vsum, mysticum tibi prębeat intellectum. Et quoniam præfatæ volucres super sacrificia tantùm descendisse leguntur, nō etiam cœptum interrupisse officium; sacerdotes Christi, tentationes quas perferunt, ita docentur abigere, vt à sacramentis altaris talis eos lapsus non cogat abstinere. Hic enim defectus infirmitas est, quæ virtutem perficiat; non, quæ virtutis opera in irritum deducat.

*Genes. 16*

*Sacramenta altaris.*

### Epistola 9. Argumentum.

*Episcopo cuidam comprouinciali, qui eum ad Electi Andegauensis consecrationem inuitauerat, negat se adfuturum, quòd ille præter Canones electus sit. Ac proinde reprehendit Episcopos qui adfuerant, & hortatur, ne Electo illi imponant manus.*

PEtitio vestra qua vocamur ad Electi vestri consecrationem, facilem apud nos inueniret assensum, si eam ratio tueretur. Sed testantur qui affuerunt quòd ad iuuenem, infra sacros Ordines & annos inuentum nec à Clero electum, seditiosus turbatæ turbæ clamor pōtificalem detorserit electionem. Asserit etiam Decanus, Cantorem, Archidiaconos, & maiorem Capituli partē quantùm licuerit obclamasse: simulque, talibus ausis, assensum subtraxisse pro ratione; seipsum præsentiam, pro timore. Quod si ita est, his qui interfuerunt, doleo pro excessu; iustitiæ, pro contemptu. Quis enim non doleret canonicum rigorem tanto conculcatum præiudicio? Quis non nimiùm miraretur, religiosarum prouidentiam personarum in assensum noui declinasse piaculi? Pace vestra loquar; inexcusabilis esset ille subuersoautoritatis assensus, si eum necessaria dispensatione non putaremus extortum. Nisi enim fallor, timori cessistis nō rationi: nihilque aliud fuit, dicere *faueo*: quàm, *Cæsarem appello.* Nemo maior Paulo, nemo par Christo. Paulus tamen dum custodiretur Damasci, *per fenestram in sporta demissus est per murum*: Christus quoq; quia tulerunt lapides Iudæi, *abscondit se, & exiuit de tēplo*, Vterque dispensatoriè subfugit, neuter tamen, suo tempore, pro veritate mori recusauit. Paulus enim, quādo oportuit, passus est pro Christo, Christus pro mundo. Si placuit exemplum fugæ, placeat exemplum constantiæ: timoris lapsum veritatis suppleat assertio. Non cadit turpiter, quisquis post casum fortiùs congreditur. Non turbetur præ ira oculus patris in filium, sed attendat (iuxta Salomonem) *meliora esse vulnera amici, quàm adulantium oscula.* Vt autem vobis (vt inueni) maturiùs consulatur, manus ei cito non imponatis, ne hoc vel illi deputetur ad iudicium, vel vobis ad lapsum. Quisquis huic negotio ita non prouidet, inuidet. Parcat mihi pater, quia ego parcam animæ meæ: frustrà, inquam, expectabitis me, quia manus imponetis sine me.

*Act. 25. alias.*

*2. Cor. 11. Ioan. 8. 59.*

### Epistola 10. Argumentum.

*Familiaris est Epistola, & prosperam valetudinem M. Reginæ Anglorum gratulatur.*

*Humilis Cœnomanorum minister, M.† venerabili atque Augustæ Anglorum Reginæ; ad illius stare dextram, à cuius dextris astitit regina in vestitu deaurato circundata varietate.*

*† Leges, Matildi.*

AVdita per præsentium latorem & salute qua incolumis es, & salutatione qua me dignata es: de primo quidem subortum est mihi gaudium, de secundo verò, nomen & gloria mihi exuberant. In leges enim & in Ecclesiam Christi peccare conuincor, nisi de salute illius lætetur & exultet spiritus meus, cuius incolumitas, & legum reuerentiam & Ecclesiæ statum seruat incolumem. Nihil enim est vnde magis oporteat lætari animam, quàm super eorum incolumitate, quibus & legum integritas, & Ecclesiæ status incolumis perseuerat. Gaudeo igitur; sed & gaudebo, quoties meas aures aurā, quæ te sospitem nunciet, afflauerit; quoties audiam viuere reginam & valere, cui & potestas collata est ad iudicium sceleris, & mores ad exemplar honestatis.

*Regni incolumitate cur sit lætan.*

### Epistola 11. Argumentum.

*Monachis S. Cuthberti gratulatur bonas fieri vias earum, & studia pollicetúrque se pro illis oraturum vbi Patri Filius immolatur: scilicet ad altare.*

*Humilis Cœnomanorum sacerdos, toti Conuentui fratrum Monasterij sancti Cuthberti, de bono principio exitum bonum.*

EX quo vestram promerui notitiam, desiderio desideraui rursus videre vos, sed nondum hoc placuit Domino Deo, quia cùm disponat homo viam suam, Domini tamen est dirigere gressus eius. Quia verò audio bonas fieri vias vestras & studia vestra, gratias ago Iesu Christo, in quo vobis reposita est corona iustitiæ. Eius muneris est, quòd nobis ab Aquilone panditur bonum; quod pro Olla succensa, incensa sanctæ conuersationis vestræ, relationibus aduentantium odoramus. Reficitur inde spiritus meus Domino Deo gratias agēs & congaudens vobis quos audit cantare canticum graduum, & ascensiones in corde disponere: vnde & nos tantò confidentiùs vestrarum suffragio inhæremus orationum, quantò nouimus vos, velut è foribus, supernam interspicere Hierusalem, & videre iam Dominum dominorum in Syon. Nos quoque si quid peccatoris, sed sacerdotis, potest oratio; ibi pro vobis fratribus nostris agimus, vbi Patri Filius immolatur † valete.

*Sacrificij missæ elegās periphrasis.*

*† Scilicet in altari.*

### Epistola 12. Argumentum.

*Electo Andegauensi demonstrat Patrum authoritatibus, eius electionem canonibus deijci quod negligente (imò repugnante) clero à populo in ea ætate quæ à rigore canonico inconsecrandus metuitur, & sacris ordinibus nondum initiatus intrusus sit: proinde eum hortatur vt animæ suæ consulat.*

PAuca, bone frater, habeo aduersum te, sed tamen omnia pro te. Nihil est in eis fuco liuoris infectum, nihil quod odio seruiat alieno: Æmulor enim te Dei

æmulatione. Assume ergo patientiã, & amplectere cõmonitorium salutis quod prodit ex radice charitatis. Si vera sunt quæ dicunt, promotionem tuam canonica reijciunt & deijciunt instituta. Quippe nõ elegit te clerus, sed minæ populares intrusere renitẽti. Ordines tibi desunt, quos in promouẽdis cognouimus inquirendos. Est ætas, quam rigor canonicus quia in consecratis metuit, à consecrandis excludit. Hæc si ita se habent, infinitus tibi labor incumbit; nec facilè bonus exitus inueniẽt quæ malo sunt inchoata principio. In summis enim sacerdotibus ætas integra postulatur, vnde nec periculũ religio metuat, nec reuerentiam dignitas amittat. Hinc est quòd Ezechieli in trigesimo anno cœli aperiũtur, & videt visiones Domini, & prophetat: priùs ætas Prophetæ describitur, vt quibus annis prædicatio committi debeat, ostendatur. Christus quoque Ioannem supra Petrum dilexit: Petro tamen non Ioanni concessa est potestas ligandi atque soluendi. Qui enim per Esaiam dixerat, auferte offẽdicula de via populi mei; coram discipulis offendiculum ponere noluit, nec maioribus anteponere iuuenem, quamuis eum prærogatiua castitatis sibi præ cæteris fecerat familiarem. Detulit igitur ætati, non meritis: nec prætulit coniugatum Virgini, sed prouectiorem iuniori. Denique Luca docente didicimus quòd beatissima virgo Maria Christũ inuenerit in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem: donec annorum defuit integritas, Doctor omnium, fines discipuli nõ excessit: vbi verò pleni dies accesserunt, factus est magister pro debito, qui fuerat discipulus pro exemplo. His omnibus impressa est Ecclesiæ forma quam sequatur; certúsque limes ætatis appositus infra quem fieri Episcopum, facto, cedit ad iudicium. Prætereà quisquis in sacris non fuit Ordinibus inuentus, ad summum sacerdotium accedere canonicis prohibetur Ecclesiæ institutis. Nam de electione quid loquar, in qua populo minimè licet Clerũ præcedere; sed assensu prosequi eligentem? Scrutare Scripturas, & in hoc negotio primum ei locum reseruatum inuenies. Vnde Cælestinus Papa ad Episcopos in Viennensi prouincia cõstitutos, sicut ait: *Nullus inuitis detur Episcopus*: Cleri & plebis, & ordinis consensus & desiderium requiratur. De eodem in Decretis Leonis Papæ, cap. 5. *Cùm de summi sacerdotis electione tractabitur, is quis ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postulauerit.* Vides itaq; mi frater, quantus in te conuenit autoritatũ concursus, quàm multa te pulsent capitula: proinde timendum est, ne hac tẽporali promotione ab æternitate decidas cum illis de quibus per Psalmistã dicitur; *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Consule igitur animæ tuæ, consule dum licet. Non est tibi colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus eum qui non ex sanguinibus, neque ex volũtate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Pro eo, religiosos Abbates & integri nominis personas audiui stare aduersum te: cum quibus tantò periculosiùs est congredi, quantò eorum fama syncerior, causa iustior, dignitas maior. Vale, & hoc vltimum tene: Consilium salutis aspernari, seipsum odisse est.

*Aetas iuuenilis in Episcopo metuenda.*

*Populi ius in Episcopi electione.*

*Psal.*

### *Epistola 13. Argumentum.*

*Eundem hortatur vt oblatam vnctionem recuset, ne augeat animæ discrimen.*

FAma est Episcopos ad tuam conuenisse consecrationem. Ei autem quia autoritate resistitur, necesse misericordia succurratur: hanc, vt opinor, pronum est impetrari, si oblatam tibi recuses vnctionem. Alioquin creari Pontificem, est augere discrimen. Homo es sub potestate constitutus: illam grauiùs exasperabis, si quasi per arrogantiam præsumitur, quod inde per misericordiam expectatur. Facilis est iudex ad veniam, cui pauca offeruntur punienda: eundem delictorum exacerbat multitudo. Vale.

### *Epistola 14. Argumentum.*

*Hortatur (non dubium quin suæ Diœcesis Decanum vel Presbyterum vnum quempiã) ne fratrẽ pecunia Diaconũ ordinatum patiatur in Diaconatu (quẽ fortè non accepit) vel in Sacerdotio, quod malè accepit, ministrare.*

FRatrem illum quem Diaconatum precio comparasse significasti, à Diaconatu & suprà, summouendum cognouimus & summouemus. Nullam enim partem, nullam sortem concedit ei Petrus in Ordine, quem dum emit, non accepit: vnde & Simoni dictum est: *Pecunia tua tecum sit in perditione, non enim est tibi pars neque sors in sermone isto.* A Sacerdotio quoq; canonica eũ suspẽdit auctoritas, quod vel nondũ vel malefactus diaconus euulauit.† Quomodo enim stabit ædificium, cui nullum suppositum est fundamentum? Agitur itaque de periculo tuo: si patiaris præscriptum fratrem vel in sacerdotio ministrare, quod re verà malè accepit vel in Diaconatu, quem fortasse non accepit. Nam de eius reformatione quid loquar, cùm morbo huiusmodi nullum penitùs inueniatur subuenire remedium? Vnde & in decretis Nicolai cap. 6. ita reperies *Nullus Episcopus sacros Ordines à maiore vsque ad minorem vendat, quia simoniacum est: Quòd si quis fecerit, & venditor & emptor omni Ecclesiastico officio priuetur.* De codẽ in Calcedonẽsi Concilio, cap. 11. *Si quis Episcoporum accepta pecunia Ordinationem fecerit, & sub precio deduxerit impreciabilem gratiam, atque ordinauerit per pecunias Episcopum, siue Presbyterum, siue Diaconum, aut quemcũque alium qui connumeratur inter Clericos: quicunque ergo hac mẽdicauerit siue consultus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum, & qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio & creatione proba ea, sed sit alienus & dignitatis & solicitudinis eius, quam per pecunias intrauit; Sed & ille qui tam turpibus & illicitis intercessor apparuerit, siquidem clericus fuerit, de proprio decidat gradu, si verò laicus, siue monachus fuerit, anathema sit.*

*Act.*

*† Fortè melius, enacuauit.*

*Simoniacorum pœna.*

### *Epistola 15. Argumentum.*

*Gratulatur Reginæ cuidam, de bene, quod aliud fuisse non puto quam nuptias cum Rege. Prætereà illam hortatur vt Deum non ita speret misericordem, vt non etiam expectet Iudicem.*

GRatulor honori tuo atque bonæ opinioni tuæ quæ mihi melior in dies innotescit. Gratulor, inquam, & Domino Deo gratias ago de bono tuo, quoniam bonum tuum nihil aliud est quàm donum suũ. Quid enim *habes quod non accepisti?* & nos omnes, ait Euangelista, *de plenitudine eius accepimus.* Eius scilicet de plenitudine, de quo & tu habes vt sis, habes vt bona sis; habes etiã vt melior esse possis. Attende quid habeas ex tam bono Factore tuo, & intende quid ei debeas ex tam magno beneficio suo. Attende, inquam, qualẽ te elaborauerit artifex tuus, & labora ne degeneret labor eius. De temporalibus loquor & caducis, sed temporalia etiam & caduca, dona sunt Domini Dei tui. Non meruisti nobilis nasci, & regius sanguis nata es: non laborasti, & diues facta es. De potentia nihil mouebaris, & ecce super capita filiorum hominum posita es. Nulli pro gloria formæ supplicasti, & vsque ad Regis delicias formosa facta es. Hæc opera operatus est Dominus Deus, Deus bonus opera bona, quoniam ipse summè bonus fecit omnia valde bona. His autem bonis, non sunt homines boni; sed eis benè vtendo, faciunt vt & ipsi fiant boni. Vt igitur & tu sis bona coram Domino Deo tuo, vtere benè bono munere suo. Si benè vteris, & eius munus est & tuum bonum: si verò malè, eius quidem munus est & bonum,

*Dei munera, dānosa sunt otiosis possessoribus. Deus creditor durus.*

& bonum, ſed bono munere Dei malè vtēdo facis tuum malum: nihil enim eſt homini bonum ſine ſe bono, bonis autem & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Porro munera Dei damno ſunt poſſeſſoribus otioſis; quibus, nolle negotiari ad lucrum, probè negotiatur ad ſupplicium. Intellige quæ dico; dedit enim tibi Dominus intellectum. Magnus fœnerator eſt hic Deus noſter? coram eo loquor; importunè vſuras exigit iſte creditor noſter. Creditor noſter eſt, & durus creditor eſt. Ille homo quidem qui peregrè profectus eſt, ipſe plenilunio reuerſurus, cùm redierit, duplum requiret à te: cùm ſuſceperit, centuplo munerabit te. O beatum commercium in quo nec vſuras exigens, criminis arguitur; nec ſoluens, in aliquo grauatur! O felicem negotiationem, in qua creditor eſt opportunè importunus, & debitori pluſquam debeat debetur! proinde timendum eſt ne ad Iudicium ſine venia venias, ſi (quod abſit) negotiandi negligentiam obliuione fore impunitā ſomnias. Intellige quæ dico: magnæ memoriæ eſt iſte creditor noſter: pœnaliter oblita es tui, ſi putes eum oblitum debiti ſui. Nihil obliuiſcitur tempore, nihil occupatione: æquè recolit & quod hodie præſtat, & quod heri præſtitit; quoniam hodie ſuum eſt & heri. Abeunt dies & dies, anni & anni: ſed mille dies *& mille anni ante oculos ſuos, tanquam dies heſterna quæ præterijt.* Nunquid ergo non numerabit quantum tibi præſtiterit, qui ſolus dinumerat arenam maris & pluuiæ guttas & dies ſæculi? Nunquid non diuidet in mentias talenta tua, qui diuiſit aquas ab aquis in ſapientia ſua? Fortaſſis autem trahes in ius creditorem tuum dum repetet à te commodatum ſuum! intellige quæ dico. Bonus cauſidicus eſt qui recum rationem poſiturus eſt. Coram Angelis referet, veritati deferet, terribilia proferet, horribilia inferet. Sed dicis mihi? idem offenſus clementiam promittit, punire prætermittit, pœnitentiam admittit, minas remittit, debita dimittit, ampliora committit. Ita eſt, inquam; confiteor: *miſericordia Domini plena eſt terra:* cæterùm plores eam ſibi infructuosè aucupantur: qui (licet abiurato benè agendi ſtudio) Deum tamen quem merentur Iudicem, ſperant miſericordem; quaſi, eum inuenire propitium merces ſit iniquitatis, quod credimus eſſe religionis. Verùm, non eſt ita: neque enim miſericordiam Dei lucrantur mali, quam ſibi etiam timidè pollicentur boni. In ea ſperare, ſaluberrimum eſt conſilium, ſed de ea totum pendêre, periculoſum eſt refugium. Oportet enim iudicem mitigent aliqua bona, ſi volumus miſericorditer iudicari multa mala. Proxima eſt veniæ cauſa, non tota rea. Virtus quæ cum delicto ad Iudicium venit, interuenit. Hi verò iudicem ſentiunt expertem miſericordiæ, qui ſe, peccando faciunt expertes iuſtitiæ. Quis igitur aget pro te, ſi ille, quod abſit, perorabit aduerſus te, & auerſus ait: *Graue eſt incidere in manus Dei viuentis.* Vale, atque delicijs, pro regina, vtere, non pro te.

## *Epiſtola 16. Argumentum.*

*Aurea Candelabra Epiſcopo dono miſerat M. Regina Anglorum: Epiſcopus, quantum poteſt, donum verbis commendat, & quos ex eo myſticos intellectus didicerit, exponit.*

*† Legefic, Ildebertus Mathilde, &c.*

*Humilis Cœnomanorum ſacerdos † I. M. Venerabili Anglorum Reginæ, gloria & honore digniſſimæ, ſalutem & orationum inſtantiam.*

Difficile eſt diſcretè ſemper ac prouidè beneficia collocari. Neſciunt hanc excelſæ poteſtates prouidentiam, quæ pulchrum eſt benefacere, vel indignis. Talem ergo apud te munificentiam expertus, benedictionem tuam gratiarum proſequor actione, ſtupefactus pariter & gloria muneris & affectu tribuentis. Munus enim tuum plurimùm commendationis ex ſe ipſo promereretur, vtpote ambitioſum materia, præclarum celatura; eius tamen precium mittentis maieſtate cumulatur, minúſque eſt quod ars ei contulit aut natura, quàm quod habet ex regina. Quòd ſi nec pōdere, nec ingenio placeret artificis, non aliter tamē illud amplecterer quàm ſuperi vel thura vel pinguium libamina victimarum. Illi ſiquidem, non hoſtiam, ſed affectum conſiderant; eorúmque gratiam, deuotio, non impenſa, promeretur. Purus & integer animus eos quocunque vult, inclinat: nec minus quadrante quàm talento, cœleſtem mitigat indignationem. Sic & apud me, tuum donum tuus animus commendat, ſic magnificat, ſic illuſtrat. Ipſum benè quidem titulat auro ſuo, ſed meliùs, animo tuo: animo cui beneficium placuit, cui innata eſt, non ſuggeſta, voluntas largiendi. Animo (inquam) tuo qui ex animo voluit, qui citò præſtitit, à quo improuidus accepi; non importunus extorſi. Porrò ex hoc etiam manifeſtum eſt, quàm deuota dominicis interes ſacramentis: quibus quia miniſtrare non potes fœmina, prouides inſtrumenta. Imitaris quantum licet ſanctas mulieres illas quæ priùs ad Crucem cum lacrymis, dehinc ad monumentum cum aromatibus acceſſerunt. *Marc.* Illæ nimirum pio ſuccenſæ deſiderio, quibus potuere ſtudijs, & Crucifixo compaſſæ ſunt, & obſequutæ tumulato. Tu quoque præſens cùm Chriſtus immolatur, cùm traditur ſepulturæ, neutrúmque ſine tuo celebratur obſequio, cùm ibi luminaria præparas vbi luminis adeſſe autorem & corde credimus & ore confitemur. Nec refert vtrum diſſimile ſit obſequium, quod ſimili frequentatur affectu. Sunt autem duo, quæ (niſi fallor) Epiſcopo ſuggerere decreuiſti: tui ſcilicet memoria, debitique recordatio paſtoralis: vnde velut quoddam commonitorium, candelabra mihi miſſa intelligo, quibus coram poſitis, & doctrinæ lumen gerere; & pro te reminiſcerer ſupplicare. Eorum præſentia ſuccurrit, & excitat ſpiritum meum ſecretis exigens hortatibus, vt dum vtor beneficio, proficiam exemplo. Occultè quidem, ſed acutè ſans iubeor attendere cuius ſim baiulus luminis; quibus diuina dicant eloquia: *vos eſtis lux mundi: Et, non abſcondunt lucernam, nec ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Amplector tuam, filia; Chriſti exhortationem, quæ ſi defuit intentioni, ſi dediſti ſimpliciter; ſic tamen muneris accipio famulatum, ne contemnam documentum. Licet vndecunque proficere ac doceri. Omnia ferè myſticos offerunt intellectus, & facile eſt ex qualibet re morum figurare venuſtatem. Nihil ita creatum eſt pro ſe, † nihil ita ſimplex cui non ſit aliquid vnde doceamur vel cauere noxia, vel ſalutaria prouidere. De tua verò memoria quid loquar; quæ meum pectus altius irrupit, latiùs occupauit, ſtabilis poſſidet, viuenti conuiuet. Conuiuet ea mihi: conuiuet, inquam, de frequentiſſima, futura frequentior quotiens ad altare Domini peccator aſtabo, ſed ſacerdos. Ibi pro te, regina venerabilis; ibi pro tuis & candelabra agent obſequio, & Pontifex monimento. Vale.

*† Alij pro ſe & fortè paulò meliùs.*

## *Epiſtola 17. Argumentum.*

*Eſt eiuſdem Argumenti cum 7. & ſcripta ad eundem Presbyterum, aut fortaſſe ad ipſummet Galterum † de Duncampo: non iniuria tamen conijci poteſt ex epiſtola illius ſeptima initio, hanc priorem, illam poſteriorem ſcriptam eſſe: ſic enim, iterate clamorem, inquit,* iniuria continuata nos compellit, *&c.*

*† Chimcampo.*

Si fides auctoritati non ſubtrahitur, coniugium fit conſenſu voluntatis non commercio permixtionis. Vnde Ambroſius ad virginitatis exhortationem: *Non defloratio,* inquit, *virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis.* Idem: *cùm puella coniungitur, coniugium eſt, non, cùm viri cōmixtione cognoſcitur.* Hęc ſi diligentiùs (vt oportuit) attendiſſes; profectò non iniret puella cum viro coniugium, cuius fratri ſolenes eam nuptiæ copulauo-

rant atque consensit inierat, quamuis secreta matrimonij mors inopina præciderit. Inter quos enim tale contrahitur matrimonium; nequaquam tolerantur dispensatione Ecclesiæ, sed iustitiæ censura puniuntur. De talibus, hæc in Concilio Tyburiensi reperies, Cap. 10. Quidam desponsauit vxorem cum qua coïre non potuit: illam frater eius clam corrupit, & grauidam reddidit: decretum est vt quamuis nupta esse non potest legitimo viro; desponsatam tamen fratri frater habere non possit, sed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam sustineant, licita verò eis coniugia non negentur. Exabundanti itaque fuit, ad contactum calidi ferri præfatam deducere puellam, tanquàm tali probaturam examine cum priore viro nulla se coëundi miscuisse consortia. Etenim frustra lex adducitur quæ ad vrgentis causæ decisionem minimè suffragatur. Vale.

A

B

*Epistola 18. Argumentum.*

*Canonici Beati Martini apud Turonenses, dum priuilegia sua tueri volunt, aliquid peccauerant: ignorantia id factū excusat Episcopus, & veniam à S. P. illorum nomine precatur.*

NOn paucis declaratur priuilegijs quantum Ecclesiæ B. Martini, Romani detulerint pōtifices; quantamque prouiderint libertatem. Quam dum præfatæ Ecclesiæ Canonici salua reuerentia vestræ tueri niterentur fortasse prolapsi sunt, suámque dignitatem quærentes obtinere, derogauerunt alienæ. Eorum transgressionem, sanctissime pater, non purgo, non excuso, non minuo; quibus vel leuis error ad iudicium cedit, si Romam offendit. Cæterùm generaliter omnibus ex charitate debemus, vt supplicemus ad veniam si frater declinet ad culpam. Charitas igitur nos compulit ad ostium pulsare misericordiæ, atque pro fratribus interpellare apud Petrum, qui septuagies septies dimittere præcipitur si totiens in eum delinquatur. Sicut autem prædicti testantur Canonici, nihil aduersus Apostolicam præsumptum est maiestatem, nihil quod autenticis non purgetur priuilegijs, quæ si vel autoritate conferentium, vel processu temporis stabilitatem meruerunt, rogamus ne mater filiæ subtrahat gratiam quam contulit ad quietem; neque enim dignitatem minuit Apostoli libertas impensa Confessori. Nec nos ita Martinum venerari quærimus, vt Petrum conculcemus. Si verò prædicta minùs se defendunt priuilegia, pareat pater filijs, & indulgeat ex misericordia quod amissum est ex ignorātia. Conseruet nobis Dominus sanctitatem vestram, & præparent vobis orationes vestræ viā qua prospero euentu liminibus Apostolorum præsentari mereamur, per Dominum nostrum Iesum Christum.

C

D

*Epistola 19. Argumentum.*

*Inuitatus Episcopus ad Concilium, excusat, tyrannide Consulum Cœnomanensium ita sæuitum esse in pauperum facultates & sacerdotum reuerentiam, vt prope omnia enāuerint in fauillas: quodque ipse citatus ad subeundum in Anglia iudicium, quod Ecclesiæ turres, petente Rege, deijcere noluisset, cogatur ad auxilium & consilium R. P. confugere: huic verò profectioni vix illi sumptus suppetant.*

SIcut frequens tribulationum concursus fecit nos nuntiat Cōcilijs, sic idem reuocat & abducit: aduersa etenim quæ turbā querimoniarum nobis offerūt, ita nostram contriuere facultatem, vt vnicum supersit solatium, vsus ipse patiendi. Ea profectò ante peractum cœpere triennium, quod totum, continuis euolutum lamentis, recens vulnus in vulnera quotidiè fatigant. Denique tam modico tempore, sex in vrbe sustinuimus Consules, quorum nullus pacificum prætendens ingressum, gladijs & igne eam sibi vendicauit potestatem: plebe coacta in fauorem, tyrannum suscepit ex necessitate, non ducem ex Lege: in susceptum studia simulauit, non exhibuit: fidem reperit in ea, quia superior. Consul verò tantò grauiùs dominatus est, quantò breuiùs. Miles eius simulatis vsus iniurijs, eos scelerum iudicauit expertes, quos rerum. Et quis non paterit populis regnum breue, finem rapinis inopia posuit, non voluntas. Ea eadem vsque ad Sanctuarium Domini peruagata est: & primò quicquid extra muros nostræ fuerat potestatis, vel euanuit in fauillas, vel dissipatum est in rapinam: Deinde similibus cecidere præiudicijs Episcopales domus & Ecclesiæ non paucæ. In reliquijs quibus ignis pepercit, æquè periclitata est & facultas pauperum, & reuerentia sacerdotum. Omnia confracta sunt, omnia direpta, omnia contaminata: Nihil eorum manus euasit qui gratis ad flagitia discurrunt ad honestum, nec pretio. Eisdem Clerus iniurijs affectus, summam rerum affluentiam iudicat, solari naturam: ad necessaria votum restringit, omnibus indigens. Illius angustiæ super dolorem nostrorum vulnerum addiderunt; grauiúsque confundimur quòd eorum releuare non possumus inopiam, quàm quòd nemo vult, nostram. Præterea longum est enarrare, quàm constanti tyrannide Rex Anglicus in nos sæuierit; qui (temperantia regis abiecta) decreuerit non priùs Pontifici parcendum, quàm Pontificem compelleret in sacrilegium, quia etenim turres Ecclesiæ nostræ deijcere nolumus, transmarinis subijciendi iudicijs, coacti sumus iniurias pelagi sustinere: singularem scilicet molestiam itineris, atque vnicam totius humanæ compaginis dissolutionem. Tantis igitur his agitati turbinibus, ad Apostolorum limina decreuimus proficisci, magnum nouæ tribulationis arbitrati remedium, si Romanus Pontifex nobis & consilio subuenerit, & auxilio. Suscipite igitur nostram, beneuoli, excusationem, diligenter attendentes, nostros sumptus, itineris expensæ præterquæ Concilij sufficere non posse, qui de reliquijs incendiorum (tanquàm tabulæ de naufragio) extracti, defectum nobis in via pollicentur. Vale.

*Consules Cenomanenses tyranni.*

*Regnum breue nō paterit populis.*

*Ecclesia Cenomanensis à militibus expilata. Molestiā elegans peregrinationis.*

*Episcopus à Rege vexatus, ad P. M. confugit.*

*Epistola 20. Argumentum.*

*Mulieri cuidam scribit: at cuinam, nescio: planetam verò qua eget, petit dono.*

ATtritæ frontis est egestas, nihil pudet dummodo viuat. Egestas & ad crimen vrget, & intercedit ad veniam. Ignosces igitur si quid, ea vrgente, supra meritum postulabo. Doces me sperare maiora meritis quæ meritis maiora largiri non desistis. Si quæris, quid aut quid postulem fiducia; planeta indigeo, eam mihi promisisti: sicut arbitror non deseres promissum, quæ etiam non promissa festinas erogare.

*Epistola 21. Argumentum.*

*Fiducia charitatis (cuius laudes vt breuiter ita eleganter perstringit) petit à quodam Anglo Pontifice, vt quam in Barensi Concilio disputauit contra Græcos de processione Spiritus sancti à Filio, ad illum mittat.*

E

FAmiliare est sapienti tolerare nescientem. Hinc est quod scientiam meam aperire non timui, quia erat cum sapiente colloquium. Eam, nisi fallor, & scientia vestra erudiet, & charitas supportabit. Fœlicem me, inquam, si metuissem vel præsens institui, vel tanquam familiaris, epistolam suscipere destinatam. Hoc autem inuidet mihi locus, nec aliter salutationis indulsit obsequia, nisi prius orbis dimidium consuluissem. Oportet enim maris & aëris explorare clementiam, si quidem iudicamus in Anglia salutandum. Cæterùm incommoda

separationis,

*Charitatis deſcriptio. Charitas vnà reipublicâ ſeruit cœlum & terrã.*

A ſeparationis, charitatis copula ſupplcitur; quæ neminem patitur eſſe nobis abſentem, uemioem non familiatem. Ea nihil eſt diffuſius ipar enim latitudo eſt & charitatis & mundi. Charitas amplectitur quicquid Oceanus; Charitas in ſactatio dilectionis & amicũ colligit in Deum, & inimicum propter Deum. Eadem, diligere oon deſinit, eũo diligi deſinitur. Omnes habet præſeotes, omnes affines: quibus non poteſt obſequio, ſubuenit affectu. Abſit igitur vt publicum charitatis beneficium, maris mihi fluctibus auferatur, cum ſcriptum ſit, *aquæ multæ non poterũt extinguere charitatẽ.* Facile.n. eſt vt diuerſi littoris cultores charitas vniat, quæ vnam Rempublicam, terram fecit & cœlum. Huius itaque fiducia, iniecta eſt mihi præſumptio inquirendi atque poſtulandi id quod impenſum, non minuet eroganiem. Si votorum ſumma quæritur, ſequens illam pagina declarat. B Appulſorum telationibus didici vos in concilio Barenſi *a* ſermonem habuiſſe de Spiritu ſancto; quem calumnioſa Græcorum verſutia à Filio minimè procedere fabulatur· quód igitur aduerſus banc illorum dementiam in præfato promulgaſtis Concilio; ſuccincto tractatu, deprecor annotari. Et quia ipſi latinorum Patrum teſtimonia oon ſuſcipiuot; bis auctoritatibus, opus flagitatum munire non tædebit: quas Græca calliditaa, & ſuas fateatur & noſtras. Magna quidem, beate pater, poſtulo; ſed quæ pariter & ſuſcipienti proficiant, & danti. Nobilis enim poſſeſſio eſt ſcientia; quæ diſtributa ſuſcipit incremeotum, & auarum dedigoata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur. Conſeruet nobia Dominus ſanctitatem veſtram, & vidcant vos oculi mei antequàm moriar.

*a* In concilio Batenſi. *In concilio Barenſi (Chronologis omnibus, & eccleſiaſticarum rerum ſcriptoribus hactenus, quod ſciam, inaudito) S. Hildeberti atate Vrbano 2. Pontifici maximo contra Gracos adfuiſſe S. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, rationabilique & Catholica diſputatione Gracos de Spiritus S. proceſſione confutaſſe: ipſi verò P. Maximo, ad eam diſputationem, multum roboris contuliſſe Librum illius de incarnatione Verbi, vide apud Edemerum, libro 2. de Vita D. Anſelmi: ac proinde ſuſpicor eum eſſe adquem hac Epiſtola ſcripta ſit.*

### *Epiſtola 22. Argumentum.*

*Agit gratias eidem Epiſcopo ob miſſum ad ſe illum de Spiritus ſancti proceſſione Tractatum.* D

ET dies lætus et vultus ſolemnea cum tuo Tractatu mihi pariter acceſſerunt. Suſceperam priùs benedictionem tuam ego ſeruus tuus, & egi gratias Domino, & tibi deuotus effectus eſt affectus meus. Humanum quidem fuit ſubuenire proximo per compaſſionis affectum, ſed diuinum, fidem defendere Catholicam per inhabitantem in te Spiritum ſanctum: vtrumque autem operatus eſt vons atque idem Spiritus, volens tibi virtutum exuberare gratiam, quem ſuæ proceſſionis à Filio defenſorem reſeruabat, *In maleuolam* enim *animam non poterat introire ſapiẽtia, nec habitare in corpore ſubdito peccatis.* (*Sap. 1.*) Vnde dignum fuit, vt aduocatus veritatis, exemplum prætenderet religionis Talis præterea paſtoralibus excubijs congruebat, cui oihil deeſſet ad plenitudinem iuſtitiæ, nihil ad integritatem doctrioæ. E Beatum ſanè pectus quod virtutum conuentus, reuerendum ſibi penetrale conſecrauit. Inde velut ex adytis diuina prodeunt oracula; nihilque aliud ſacra verba profitentur quàm cœleſtis interpretem voluntatis. Eorum me ſæpiùs recordantem, opprimit ſtupor; & dum ſingula diligenter intueor, omnia Spiritui ſancto cõfiteor aſcribenda, cum Pſalmiſta dicens: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* (*Pſal. 117.*) Vicem mihi, pater ſancte, rependes, ſi marum me participem feceris orationum. Vale.

### *Epiſtola 23. Argumentum.*

*Deprecatoria eſt Epiſtola ad Abbatem quendam pro G. Monacho, qui eius conſilio & ſuaſu ad Conuentum redierat. Petit itaque vt eum ſuſcipiat in pace, & aſperitatem Legis molliat virente pietatis.*

COnfrater & filius veſter G. exijt in regionem longioquam; vbi eum ſine monacho inuentum, ad Conuentum monui redire mooachorum. Credidit ergo mihi; & priùs ad ſe, dehinc ad Monaſterium reuerſus eſt. Vnde oportet & te, fili mi, gaudere *quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.* Prius autem quàm recederet a me, deprecatoriaſuſcepit epiſtolam adte: ad quam cùm oculos inclinâris, animum B quoque ad miſericordiam ioclines. Miſericordia ſpecioſum eſt humanæ naturæ ornamentum; cuius expers, malè degenerat & hominem diffitetur: vnde, & neſcire miſereri, cum feris eſt habere commercium. Sed abſit vt renuncies homini; & manſuetudine proiecta, in animal ſiluestre declines. Totus enim hominem redoles; eumque geris ſicut opus naturæ, ſic etiam exemplum doctrinæ. Suſcipe igitur filium tuum in pace, quia tuæ ſollicitudinis eſt, aſperitatem Legis virtute mollire pietatis. Vale.

*Sine Monacho inuentus. Monachus pro indiſciplinato & errone. Luc. 15. Miſericordia laus.*

### *Epiſtola 24. Argumentum.*

*Sanctiſſimo cuidam Abbati fatetur debere ſe eius precibus* C *quod dum Roma rediret, pericula effugit maxima; & iam dudum paratum fuiſſe; eius ſinum vt aram complecti, ſi ab eo conſultus Papa, Pontificis onus à ſe amoliri ei permiſiſſet.*

MAximom duco atque habeo quòd mihi veſtræ ſacrarium familiaritatis aperuiſtis. In eo ſuſceptus multis & magnis expertus ſum periculis, quantum valet deprecatio iuſti aſſidua. Hinc & ſoli debeo quod inſidias mihi Roma redeũti diſpoſitas intactus pertranſij; quòd ingentes & vrgentes maris procellas illæſus euaſi; quòd nõ incidi in barbaros pyratas larualì forma deformes, ferina crudelitate hominem diffitentes; ſuper omnia etiam gaudentes, nulla ſecum Chriſtianis habere conſortia. Ii Catholicæ regionis expertes & hoſtes, in Inſulam beatiſſimi Honorati, ſacratiſſimo die Pente- D coſtes, io multis nauibus delati ſunt. Ibi, ad fundamentum Monaſterio penitùs euerſo, plurimi monachorum gladio percuſſi ceciderunt: reliquis, & latibulis & turre proxima conſultum. Eadem die de præfata Inſula fœlix me ventus expulerat; & ita ipſis penè leonum faucibus euulſus, auſpicato curſu Magalonam nauigaui. Hęc ideò, ſanctiſſime Pater, oppoſui; ne quis ignoret, quantis oratione veſtra periculis ereptum me confiteat. Habeo igitur atque ago veſtræ gratias religioni; cuius ſinũ (quaſi reus aram) iam dudum complexus eſſem, ſi conſultus Papa Põtificis onus amoliri permiſiſſet. Ille dum me remiſit ad laborem, inuidit gloriam, oon imputet ei Dominus. Interim io vmbra alarum tuarum ſperabo, donec educar de lacu miſeriæ, & de luto fæcis; atque dicam, ecce venio vt faciam volũtatem tuam Deus meus. E De cætero, reduodantis operæ eſt, ſuper Andegauenſi Epiſcopo (tyrone ſcilicet beati Benedicti) vos rogare; cuius affectus & ſingularis eſt in vniuerſis, & vniuerſus in ſingulis. Vale.

*Piratarũ barbaries.*

*Hildebertus Pontificatũ abdicare voluit.*

### *Epiſtola.. 25. Argumentum.*

*Comitiſſam quandam laudat ob clementer & benè administratum, etiam abſente marito, Principatum: quin & eam ad clementiam hortatur, & eius aliquot præſcribit capitula.*

*Honorē cepisse in fœmina, gratiæ est, non naturæ.*

ABsentia mariti, laboriosior tibi cura Consulatûs A incubuit. Eam tamen & fœmina sic administras, & vna, vt nec viro nec precarijs consilijs necesse sit adiuuari. Apud te est, quicquid ad regni gubernacula postulatur. Sanè tantus bonorum conuentus in fœmina, gratiæ est non naturæ. Gratia Dei prædicandos tibi titulos cumulauit, quibus & sexui esses ad gloriam, & potestatem temperares. Defers enim fœminæ, dum colis in pulchritudine castitatem: Comitissam reprimis, dum seruas in potestate clementiam. Illa tibi virum conciliat, hæc populum: inde nomen adquiris, hinc fauorem, Vtrumque bonum, per se quidem satis insigne est atque conspicuum, nec linguæ supplicat alienæ. Cæterum clementiæ plurimum laudis accedit, quia pluribus prodest. Quippe formosa pudica, sibi prouidet: mitis autem principatus, regnū seruat incolume. Huius profectò virtutis locus est apud potentes, qui iure parentum, vel vi, vel electionis beneficio cæteris principantur: apud populū vero non ita, cui nulla est potestas puniendi. Ipse B autem ex alto crudelitatem detestatur, adorat clemētiā, quorum alterum feris, alterum hominibus natura docuit assignandum. Ea sanxit oportere homines mansuescere clementia, timeri feras crudelitate. Igitur crudelem esse, cum feris est habere commercium, & hominem diffiteri. Præterea summum est hominis, ratio, quia cætera supergreditur animantia, Deo autem cedit, at rationi nullum penitus est cum crudelitate consortium. Illa enim Deo & cum sapientibus diuinam pepigit mansionē, hæc ad infima & sanguine gaudentia demigrauit Quæ igitur societas homini ad crudelitatem, cuius Lares ratio tam supernè despicit, tam longè relinquit, tam constantèr abiurat, tam penitus ignorat? Aliud habet illa contubernium, atque alijs cohabitatoribus constipatur, inter quos clementia non vltimum possidet locū, C quæ, sicut humanitati nihil est affinius, ita nihil gloriosius in principe. Ea rationem, quasi pedissequa matrem familias comitetur oportet, cuius arbitrio seueras Potestates emolliat, mitiores animos adiuuet, reis parcat. Omnibus enim virtutibus ratio præsidet, omnibus fines ordinat, omnibus suorum tempora denunciat officiorum. De clementia quoque, compendiosa Principibus capitula vigilauit: In quibus ideò breuitatem dilexit non obscuram, vt magnis occupatos, legere non tæderet. Ea igitur pro te, & ad te suscepta, suscipe; atque recordare quæ dudum didiceris ex te & per te: pauca ea sunt. Clementiæ est, aliquid vltrici detrahere sententiæ: Nam quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit. Culpa est, totam persequi culpam. Immisericordem se confitetur, cui quicquid licet, lubet. Item, D gloria virtus est in Principe, extrà punire quàm liceat. Virtus est, ad vindictam necessitate trahi, non voluntate venire. Magnum quid & diuinum sapit, offensus, clemens. Item, bonus Princeps neminem sine pœna punit, neminem sine dolore proscribit. Bonus princeps ita crimen insequitur, vt quem punit hominem, reminiscatur. Item, bonus Princeps sibi dominatur, populo seruit, nullius sanguinem contemnit. Inimici est, sed eius qui amicus fieri potest: nocens, sed hominis, cuiuscunque sit, quia non potuit dare crimen, potat auferre: ideò quotiens funditur, confunditur. Sufficiunt hæc animo docili & amanti disciplinam. Ex quibus diligentiores facilè percipient quantum hæc crudelitas obsit, E vel prosit clementia Potestati. Vale.

*Clementiæ & pudicitiæ laus & comparatio in principe fœmina.*

*crudelitatis comparatio.*

*Ratio, virtutū omnium norma, est.*

*Epistola 26. Argumentum.*

*Petit ab eadem Comitissa vt quemadmodum Episcopo Carnotensi ad Concilium profecturo prouideras de cōductu, eiusdem gratiæ beneficium illi communicet.*

ABsentia mariti, laboriosior tibi cura Consulatus incubuit. Ea non magis animo quàm corpore, ob diuersa te demigrare compellit. Incertus igitur vbi A locorum te inuenirem, certus autem quod honestam obsequia vbique inuenirem apud te, domi residens, ad dominam literas dedi, quarum summa hęc est. Episcopo Carnotensi conductum, sicut fertur, prouidisti ad Concilium profecturo: quod si ita est, præfatæ gratiæ beneficium mihi communices, exoro. Symmachus dixit; ex vsu venit vt opem desiderantes ad suffragia probare confugiant: ea propter ad tuum patrocinium transuolaui, quæ tota supra fœminam & exemplum es virtutis & instrumentum. Viuunt vitæ bonæ boni sæculi reliquiæ, per quam & sexus respirat ad gloriam, & genus elabentem retinet dignitatem. Arguerer mendacij, nisi cuiusque optimi iudicium, mecum in hoc consentiret. Vale.

*Epistola 27. Argumentum.*

*Pollicetur amico, se in eius gratiam (quod anteà non rogatus sæpius fecerat) quendam in vinculis constitutum, visitaturum in benedictionibus, officijs, & beneficiis.*

PRæter officium est, quousque rogemur, oppressis differre subsidium: hac enim celeritate præstanda sunt beneficia, vt ea potiùs accipiat improuidos, quàm importunus extorqueat. Vnde expectatas preces anteuenire decreui, ne si rogatus subuenire, serò subuenisse iudicarer. Vester hic vinculatus non tacebit, cui spontaneus & hilaris ad omnem me obtuli humanitatem. Illum sæpius in benedictionibus visitaui, diligenter omnia prosecutus quibus vel carcerales angustiæ, vel inopiæ releuari potuerunt. Sed ne nihil pro eo vestræ preces efficiant, eadem frequentius iterabo. Vale.

*Amicitia quanta vis.*

*Epistola 28. Argumentum.* C

*Gratulatur amico fœlicem ab Vrbe reditum; seque illi & animo & oratione adfuisse ait.*

ET vultus tuus & reditus diem hilarauit mihi. Forsassis ignoras; sed tecum fui Romæ, tecum nimium sum perpessus iniurias, tecum montes vel lubricos glacie, vel scopulis exasperatos. Vniuersa tecum pertuli, quæ dolui dum perferres. Hæc enim est inter amicos animorum concordia, vt nihil ab altero sit alienum, nihil alteri singulare; omnia facit eis vnam rempublicam voluntas vna. His amicitiæ legibus actum noueris, vt memoria reuerterer ad te, compassione essem iuxta te, orationibus agerem pro te. Audiuit igitur & D exaudiuit Dominus Deus clamorem cordis mei, quoniam & tu cum salutari obsequio ad ecclesiam, & cum salute reuersus es ad amicos.

*Epistola 29. Argumentum.*

*Petit ab amico vt faciat illum certiorem, læta an tristia sint quæ literis Apostolicis ad eum scripta sunt.*

AD nos vsque decurrit, Apostolicam te paginam suscepisse; quæ, si tibi mœroris aut lætitiæ calicem ministrauit, nobis eram cui primò post te fuerat propinandum. In omni fortuna, prudenter ad amicum festinatur: bonam etenim, cōmunicata facit lætitia, gra- E tia gratiorem, aduersa verò magnum suscipit ex amici solatio remedium. Hoc sanè vitium meum nec exuere ipse possum, nec fateri erubesco. Omnia tam securè cum amico loquor quàm mecum: plenus sum rimarum; effluit quicquid præter aut propter voluntatem fortunæ variat audacia. Verum hæc missa facio. Ne dissimules; volo scire quid Apostolica te monumenta docuerunt. Quidquid illud sit, iteratum gratiùs audietur. Redimes igitur accusati culpam silentij si ea quæ postulo tuarum mihi recursus ostendit literarum. Vale.

*Epistola*

*Epistola 30. Argumentum.*

*Arguit Sacrificem quendā (sic enim Sacerdotem appellat) quod nimium seuera quæstione animaduerterit in quendam furti suspectum; neque enim id decere Sacerdotem.*

*Reos torquere, Ecclesiæ disciplina non est.*

REos tormentis afficere, vel supplicijs extorquere confessionem; censura Curiæ est, non Ecclesiæ disciplina. Vnde & ab eius animaductione abstinere debuisti, quem pecuniam tuam furto suspicaris asportasse: neque enim carnifex es, sed sacerdos; pro reis quidem, sed non reos immolare constitutus. In veris etiam iniuriis decuit hæc mansuetudo Sacerdotem; vt habentem malles impunitum abscedere, quàm pro incerto certis suppliciis debacchari. Vnde Augustinus ad Macedonium.† *Aliquando*, inquit, *misericordes & in ipso dubio nolunt homines pro incerta pecunia certa inferre supplicia. Ad hāc misericordiā etiā nos prouocare & exhortari decet: melius enim etiā si habet amittis, quàm si non habet, aut excrucias aut occidis.* Abhorreas itaque, reū cruciatib' & morti tradere (tu qui dici Christianus vis) pro quo Christus Dominus cruci traditus est & morti: aut si tam carnaliter pecuniam suspiras amissam; qualiter eam repetere te oporteat, ad eundem Macedonium sic Augustinus ostēdit: *Nolentes reddere, quos nouimus & male abstulisse & vnde reddant habere; arguimus, increpamus, detestamur, quosdam clam: quosdam palā; sicut diuersitas personarum, diuersā videtur posse recipere medicinā, nec in aliorum perniciem ad maiorem insaniam concitari.* Vale.

*† Epistola 54. quomodo sit intercedendum pro reis.*

*Epistola 31. Argumentum.*

*Nobilis quædam vidua sæculo renunciauerat: hanc initio miratur & laudat; deinde hortatur vt ad illam qua vitam hanc instituit, prudentiam; adiungat temperantiam, fortitudinem, & iustitiam: Ante omnia vero fugiat superbiam, qua virtutum dilapidatio maxima est, Humilitatem vero sectetur.*

COnfidimus in Domino Iesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi. Vnde enim deliciarum contemptus in fœmina? vnde luxus obliuio, nisi ex illo qui dixit; *sine me nihil potestis facere?* Nunquid non *eduxit te de lacu miseriæ & de luto fæcis*, qui eduxit vinctos de lacu in quo non est aqua; aut mutatio ista, nonne *mutatio est dexteræ Excelsi?* Filia sæculi, facta es filia Dei: nec cesserunt ad initium quæ cōcessa sunt ad vsum. Porrò, viro qualem tibi tu ipsa depingeres; Lege nupsisti. Suscepta ex eo proles; futuræ virtutis auspiciis vniuersas matrimonij mitigauit angustias. Accesserunt ad hæc solennes cultus, & blanda seruorum obsequia; quibus vel gloriam comparares, vel domestica res ordine tractaretur. Plebis etiam studium sic in te declinauit, vt ea inter successus numeraret quicquid in tuum transiret obsequium. Præterea nihil eorum tibi defuit quęcunque iucundiora poterat excogitare fortuna benignior. Hi profecto laquei sunt mortis? hæc animæ retia Christianæ. Virtutum muros arietes huiusmodi concutiunt; arcem deiiciunt rationis. Inde prædonibus infelices exponuntur animulæ; suæq; libertatis expertes in Ægyptum perennis exulant seruitutis. His vsus Pharao ministris; masculos nostros quotidie interficit, quotidie luto damnat & paleis. Sub eius iugo diu gemuit anima tua; sed *in manu potenti & brachio excelso* libera facta est, & dirupta sunt omnia vincula sua. Egressa es in libertatem gloriæ filiorum Dei, cui hostiam laudis & spiritum sacrificas contribulatum cum Psalmista, dicens *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Sane prudens & dispositissima electio, qua transitoriis æterna, vitiis virtutes, exilio patriam prętulisti. De qua electione, quid Augustinus ad Macedonium dicat, audiamus. *Virtus*, inquit, *nihil aliud est*

*Rom. 15. Psal. 39. Psal. 46. Psal. 135. Exod. 1. Psal. 115. Prudens electio. Quid sit virtus.*



A *quam diligere quod diligendum est*: id eligere, prudētia est; nullis inde auerti molestijs, fortitudo est; nullis illecebris temperantia est; nulla superbia, iustitia est. Porrò paucis tibi ostensa est vitæ perfectio Christianæ, hæc est ea quadriga, quā non habentes hic *manentem ciuitatem, futurā* inquirunt. Beatus quidem currus, quo Thesbites Helias euectus in cælum, mortem distulit, non euasit. Hic autem multò beatior, quem qui ascenderit, mortem non gustabit in æternum. Ad illum quoque igneum nisi prius hunc ascenderet, Propheta non veniret. Huius tam salutaris vehiculi prima tibi præparata est rota, quæ sanctarum testimonio Scripturarum Prudentia nuncupatur. Prudentia fuit, qua diligenda ante dilexisti, & à noxiis vtilia separasti. Prudentia, inquam, fuit, qua elegisti iuxta B Psalmistam, abiecta *esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Scimus autē plerosque virtutē professos, aduersitatum defecisse incursu. Sitiebat in deserto Israël, & sitis molestias impatienter sustinebat. Vnde & aduersus Moysen murmurasse legitur; & malè locutus de Deo, dixisse: *nunquid poterit Deus parare mēsā in deserto?* Idē quoque inter hostium incursus, inter iniurias itineris; ollas carniū desiderat, ad pepones reuertitur, Ægyptiacam optat seruitutem. Sic plerosque frangit aduersitas. Et sicut scriptum est, inuenies paucos, nisi ad nutum cuncta suppetant, qui non minimis quibusque prosternantur. Quos dum paupertas vrit, dum contemptus excruciat, dum sublimes & splendidos aspiciunt quos aut electione fecerunt hæredes aut Lege; ad C fastiditas reuolant diuitias, ademptam sibi gloriam conqueruntur, suis inuident. Et quod magnum susceptæ religionis est dispendium; dum modica suspirant quæ reliquerunt, quanta pro relictis expectent non attendunt. Tales profecto, bona quæ diligenda sunt inutiliter eligunt, dum prædictis exterriti procellis, ad non diligenda mente reducuntur. Adhibenda est igitur prudentiæ, fortitudo, vt ad tenendum quod prudenter elegimus, insurgentibus molestiis fortissime reluctemur. Hac virtute, Paulus stimulo carnis & Angelo Sathanæ resistebat. Hac in carceribus, hac in omnibus angustiis quas ad Corinthios enumerat, armabatur cum diceba? *Quādo enim infirmor, tunc fortior sum & potens.* Eadem D quoque Dauid in aduersis innocentiā seruauit, eadē, persequenti se, Sauli pepercit: eadem, audita morte filij sui, consolatus est & panem comedit. Ad quam tu quoque confugias oportet, si acuatur aduersum te detrahentium stimulus linguarum, si contemplationis requiem murmur † infestet, si spontaneæ paupertatis libertatem incommoda commoueant, si statum mentis contumeliæ perturbent. Aduersis enim vsque ad victoriam difficile resistitur, nisi fortitudo prudentiæ copuletur: quibus inuicem coniunctis, temperantia necessario supponitur virtutem seruatura in prosperis, quæ a fortitudine seruata est in aduersis. Virtuti nihil æque noxium est, quam voluptatis admixtio in concessis. Negligenter cauetur hostis, cuius ingressus pacificus expectatur. Sic plerumque bonum corruit propositum, cùm mens minus E illecebras aduersatur, cum prosperitate resoluitur, cum in impensam sibi reuerentiam diligit, cum insolutis insolescit. Hoc luxu & lapsu recessit à Deo dilectus Dei, dilectus de quo dicitur, *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* De eodē quoque Apostolū sic dixisse inuenies: *sedit populus manducare & bibere, et surrexerunt ludere.* Hanc sane virtutis euersionem Saluator noster ad exemplum declinauit, cum turbis eum regem statuere volentibus, oblatæ sibi dignitatis fastigia recusauit. Ne qua igitur oblectamenta fructum tibi religionis extorqueant, temperantiæ fines excedere formidabis. Temperantia plerumque infra licitum quiescit, vltra nunquam progreditur. Ea si desit, cæteræ virtutes vel decidunt à summo, vel non ascendunt ad summum: Impetus enim est, nō ratio, quicquid sine temperantia prosicimur. Temperantia metitur vi-

*Heb. 13. Psal. 83. Exod. 17. Psal. 77. Exod. 16. Num. 11. Plerosq; frangit aduersitas. Eccl. 16. Paupertas. & Pænitentia libertatem aliquando comitantur. 2. Cor. 12. 2. Cor. 11. 23. 1. R. 26. 2. R. 19. † Cod. Cor. nos. hoc infestet. Voluptas & id concessa Virtutis maxima inimica est. C. Ger. insolicitus, forsitan, molitus, insolitus. Deut. 32. Exod. 32. 1. Cor. 10. Ioan. 6. Temperantia modus.*

res, & à medio non recedit: vnde & nunc remissa intendit, nunc arduo moderatur, sic ipsa virtutes perennat, & ad præmium vsque perducit. Profecto fabrica hæc, in præfato curru tertium sibi locum defendit præparata aduersum luxus, & latrociniis occursare voluptatum. Hæc itaque paulatim tibi succidenda est deliciarum consuetudo; reuellenda obsequiorum sedulitas; festiui cultus, & odores peregrini penitus dediscendi: qui dum vel apud alios tibi, vel aliis apud te male placerent, integritatē vulnerabant animarum. Vsus ægrè dediscitur. Ab eo autem præcipue difficillimum est reuelli, qui multo nos tempore tenuit, multa placuit voluptate. Ex quo (ni fallor) bellum te grauius expectat, & hostis (quod absit) ad victoriam paratior. Hostem (si nescis) appello, frequentatas à cunis delicias, gratiam mariti, charitatem sobolis, obsequiorum diligentiā, cęteraque omnia, quæ tibi lenocinio sexus, aut licentia potestatis, aut fastu generis accesserunt. Forsitan hæc relicta suspirabis; tanto tenerius eorū recolens quāto ea vel tempore tibi coæua sunt, vel experientia grauiora. Vnde & Temperantiā vix consuesces; ad quam vel præ consuetudine difficultas est descendere, vel pro conditione dedignatio. Cæterum tempore dediscuntur vniuersa: nihil humano pectori sic inhæret, vt tempore non euanescat. Tempore mater mœroris obliuiscitur, quæ in morte vnici filij sui solatia non admisit. Tempore vulnus in cicatricem cohæret, & Quartanis plerumque profuerunt tempora, quibus non profuit medicina. Tu quoque te ipsam tempore desuesces; & resides concupiscentiæ quæ simul expugnari non possunt, sigillatim melius eludentur. Aduersus huiusmodi latrunculos manumque sicariam, sic vigilare necesse est filiam Christi, vt non dormiat neque dormitet; sic negligere cum discesserint, vt reditum formidet, sic pugnare cum redierint, vt de victoria non desperet: *Fidelis enim Deus est, qui non patietur te tētari supra quod potes, sed faciet cū tētatione etiā prouentum*, vt possis ipsa sustinere. A primo enim heri vsque hodie *respexit Deus in orationem humilium, & nō spreuit precē eorum*. Paruus erat Dauid, sed in nomine Domini terribilem contriuit Philistæum. Iudith quoque cùm vsque ad desperationē trepidarent sacerdotes, Betuliam liberauit in oratione & ieiunio. Actum fortasse putas & plenam iactas victoriam, si nulla molesta, si nulla Læta propositum tibi religionis extorserint: cæterum male te decipis, & inanem somnias valetudinem, si nondum superbiæ tumores humilitatis cataplasmate subsederunt. Superbia totum virtutis corpus inficitur, vitale columen emarcescit, formosa quæque deformantur. Superbia, natione cælestis, sublimes appetit mētes; & velut ad proprios ortus reuolans, in gloriam & puritatem irrumpit hominum, quia gloria & puritate prorupit angelorum. Ea prius in cœlis, dehinc in terra triumphās, sic angelis innata est, vt ab eis non recederet; sic homines infecit, vt à Deo separaret. Et quasi modicum profecit cum Angelū deiecit & hominem, adiecit Deum tentare pariter & hominem; vt quē videbat similis cōsortem naturæ, consortē faceret & ruinæ. Prima hæc & vltima pernicies, ante omnia vitia superauit; post omnia superatur. Nā & postquam fidelis anima de abysso vitiorum emergens, salutare virtutum culmen ascendit; velut ex insidiis prosilit & occursat elatio, totum domus Domini ædificium cōcussura ad ruinā quod surrexerat ad consummationem. Quid enim perniciosius iusto; quam quod iustus videri desiderat? quod ad salutationes in foro hilarescit & exultat; quod adulatorio fauore demulcetur, quod pene hominem diffitens, æqualem se Superis metitur & mentitur? Qui dum male gloriatur, & præsumit quod non est, in confusionem prosternitur, & amittit quod est. Tantoque fit à Deo per parietem superbiæ remotior, quanto sibi videbatur per celsitudinem virtutum propinquior. Vnde & per Psalmistam dicitur, *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*. Vides igitur quanta morū dilapidatio sit superbia, quam necessaria in bene gestis

*Paulatim succidenda deliciarum consuetudo. Consuetudinis vis est maxima.* — *Tēpore dediscūtur omnia. Deus adiuuat agredientē. Contra Concupiscē. Itaque modo sit pugnādū.* — *Ps. 101. 1. Cor. 10. Psa. 101. 1. Re. 17.* — *Iud. 13. Superbia virtutes inficit.* — *Mat. 4* — *Psa 90.*

A humilitas? Sine humilitate per prudentiam eligere quod diligendū est, erronea discretio est: aduersa per fortitudinem superare, iacens victoria: illecebris per temperantiā resistere, temulenta sobrietas. Vnde & his quartam scilicet rotam necesse est cōiugari, quam velut omnium cōplexione clausulaque virtutum, in pręfatis capitulis iustitiam Augustinus nominauit. Ea cæteris colligata totum structuræ nostræ corpus consurgit in currum tu in cælum. Currus iste, non currus Pharaonis, quē Dominus proiecit in mare; sed currus, quo ascēdens in mōtem Syon, montem magnum & excelsum, montem ad quē *prosperum iter faciet tibi Deus salutarium nostrorum*. B Beatū sane vehiculū, quo perdita ouis ad gregem refertur, inuenta dragma in thesaurum infertur, regia Austri ad Salomonem defertur, in amplexus Dauid Bersabea transfertur. Verè (inquam) beatum & omni prædicandum laude, quo post laborem venies ad denarium, post ventilationem peruenies ad horreum, de exilio reuerteris in patriam, de seruitute conuerteris in libertatem. Hæc sunt illa quatuor flumina paradisi, quibus terra cordis tui sobrie debriata, susceptum semen in spem messis emittit, & fructum affert in patientia. Hos quoque quatuor angulos illa beati Iob domus habuit, in qua ventus irruens septem conuiuantes filios oppressit: quia etenim iuxta Gregorium, per domum Iob, conscientia nostra intelligitur, per quatuor C vero angulos, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia designatur, domus illa quatuor angulis subsistit, quia totum bonæ voluntatis ędificium præfato Quaternario consurgit. Ventus autem irruit, & domum concutit, quia dum grauis nos tentatio infestat, plerumque purum conscientię nostræ domicilium ad ruinam impulsat: vnde & domo concussa, quatuor anguli procumbunt, quia perturbato bonæ mentis diuersorio, quatuor præfatæ virtutes nequaquam stare possunt. Porro iidem anguli, septem cōuiuantes filios (dum corruit) obruunt, quia cum principales illæ Virtutes opprimuntur, suffocantur etiam septem dona Spiritus sancti: quæ bene soboles Dei, pij sanimæ desideriis velut quibusdam ferculis pascuntur & gaudent, conualescunt & vigent, ro- D borantur & permanent. Vides ergo filia mea, soror mea, charissima mea; ventum insurgentem & vrgentem; ventum ab Aquilone irruentem & diruentem; ventum quidem interficientem, sed ad Spiritum leuis auræ deficiētem. Spiritus leuis auræ, scilicet Spiritus sanctus, spiritus placidus & suauis, obumbrabit & proteget domū tuam, si tamē domus tua *fundata est supra firmam petrā: Petra autē* (vt Apostolus ait) *erat Christus*. Super hāc petram Petrus stabat; qui *cum vidisset ventum venientem, mergique cœpisset, clamauit dicēs: Domine saluū me fac*. Ille quia dubitauit, cecidit; quia confirmatus est, surrexit. Ventus validus impulit & mersit; firma petra sustinuit & euexit. Dicat ergo Petrus; *Impulsus euersus sum vt caderē, & Dominus suscepit me*. Dicas & tu vento tētationis, vt mergaris impulsa, sed ne submergaris firma petra sustinenda; E *auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram*. Nihil igitur de te præsumēs, *iacta cogitatum tuum in Domino*, nihil de Deo diffidens, confirma cor tuum in salutari suo. Si gloriari oportet; gloriare & exulta in Spiritu sancto. Hic est ille funiculus, de quo Sapientia ait; *funiculus triplex non cito rumpitur*: quid enim certius quā sperare in Domino Deo, qui fecit & formauit te? quid firmius quam confirmari in Christo eius, qui reformauit & conformauit sibi te? quid securius quàm gloriari in Spiritu sancto, qui illuminauit te? Ad hunc vnum triplicemque funiculum manus extendere, surgere est; huic inhærere, confirmari est; ab hoc trahi, currere est; ab hoc astringi, manumitti est. Ad hunc igitur cum Moyse manus extendas, vt Amalech, orante Propheta superatus, superetur orante & fœmina. Huic firma fide inhæreas; vt quādo tentationū procella nutaueris, cū Petro confirmeris, cū Petro stes, cū Petro clames; *Domine saluum me fac*. Ab hoc ad hūc trahi desideres, vt appositi spe brauij, cursum

*Mors dilapidatio est superbia.* — *Exod 5* — *P. 67. 2a Luc. 15. 3. R. 10. 2. R. 11.* — *Iob. 1.* — *Matt. 7. Luc 6. 1. Corin. 10. Mat. 8.* — *P. 117.* — *Ps 120. Psal 54.* — *Ecc. 4* — *Exo. 17.* — *Matt. 8*

cursum spōdeas meliorem, iuxta illud Salomonis: *Trahe* A *me post te, curremus, 1.c.v.1.* Ab hoc, huic astriugi ardeas; vt adepta Saræ libertatem, Rachelis pulchritudinem; in amplexus partis non multarū, sed omnium gentium trāsitura, dicas: *Leua eius sub capite meo & d. s. a. m.* De eodē quoque funiculo, flagellum memineris faciendum, quo eiciatur de Templo pectoris tui, sæcularium strepitus & turba voluptatum. Ante conspectum eius deliciarum prurigo diffugiat, mollioes purpuræ contemnatur, varietas desipiat ferculorum, gemmarum fulgor deniteat, operosa monilia conculcentur, abhorreatur secreta matrimonij licētia, fastus decidat potestatis leges, palatio; ciliciū, linos fauori cōtemptus; obsequijs, inutiæ præferantur. Talibus oblectata studijs, ad nuptias Agni cum sapientibus intrabis Virginibus; de cœlibe coniugio fructum susceptura sempiternum. Fructus ille, Deus tuus; B Deus in quo omnia bona: Fructus ille, verbum Dei; verbum de quo sola bona: Fructus ille, spiritus vtriusque; spiritus cum quo nulla nisi bona. In hoc fructu regnum sine termino, satietas sine tædio, sublimitas sine descensu, glorificatio sine defectu. Iste fructus tibi sapiat, iste dulcescat, iste diligatur tota anima tua, recolatur tota memoria tua, vt quandoque pascat & satiet te in perpetua gloria sua. Vale memento mei in orationibus tuis.

*Cāt. 18. Ioan. 2.*

*Matt. 25.*

*Beatitudo cœlestis qualis futura sit.*

*Epistolæ 32. Argumentum.*

*Andegauensis Episcopi puerum fratrem disciplinis militaribus imbuendum laudat. Regem vel Gallorum vel Anglorum; eique, missum in eius Curiam, commendat.*

BEnedictus Dominus Deus Israël, qui temporibus vestris, & pauperibus pacem & Ecclesijs antiquam reformauit dignitatem. Diuinum munus & omnium bonorum votis acclamandum confitemur; vitijs accessisse iudicem, moribus fundatorum. Exaltatum est solium iustitiæ, rebusque suus ordo sub Rege clementissimo restituitur, qui nouit reddere *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Porro candidioris fortunæ sortitus est gratiam, quisquis apud hunc alicui subuenire posse prædicatur: quod etiam si non potest; magna tamen gloriæ est materia, qua hoc eum posse populus arbitratur. Neque enim cuilibet concessum est Regis illius extorquere fauorem, qui diem male perditum iudicat in quo pro perditis moribus agere non contingit. Magni animi est & de virtute gloriatis, ad votum suum seueras inclinare Potestates. Hoc autem posse me plurimi somniant; hanc in oculis vestris gratiam consecutū fabulantur. Arbitratur hoc & Andegauensis Episcopus; vir nullo genere virtutum vacans, si non crederet plus posse me quam possim ego ipse credere de me. Visum est huic eligere seruum tuum, & apud interprete vei quò fratrem suum militaribus informandum disciplinis, Regiæ maiestati commendaret. Puero quidem sublimium patebat aditus Curiarum: sed sublimiori consilio frater fratri eam prouidit, in qua sic militiam disceret, ne dediscerer honestatem. Missus est igitur ad E columen morum, missus est ad militum gloriam, missus est ad serenissimum Regem: cuius in castris nec obsequium præmio, nec virtus reuerentia defraudatur. Vestræ maiestatis interest, Episcopi gratia puerum suscipere destinatum, atque vtrumque in altero promereri. Ego quidem si qua mihi merita mea præstarent fiduciam, pro eodem decreui supplicandum: sed noui Regem non attendere merita, cuius est antecedere meritis vniuersos. Ac si meritum requiritur, ibi de Rege bene mereor, vbi Patri Filius immolatur. Vale.

*Mat. 22. Marc 12. Luc. 20.*

*Sic militiam discere ne honestas dediscatur.*

*Epistol. 33. Argumentum.*

*Diuitem quendam & improbū aulicum accusat crudelitatis & superbia; nititurque diuini iudicij & eius flagitiorum diuina antithesi, terrore & reuocare ad resipiscentiam.*

DOleo, Frater mi, doleo te sic obnoxium, sic ingratum Creatori. Vnus es, qui frustrà tot ad virtutem susceperis instrumenta. Inuectionem fortassis expectas, & Philippicam retractari pallidus suspicaris. Talis certò sollicitudo, nec insolita flagellat te nec iniusta: consuetudinis enim est, reos formidare supplicia quæ merentur. Hinc est quòd linguam meam metuis; qui maledicendi materiam linguis omnibus administras. Verum non ea est scribentis intentio. Neque ego te vrgeo maledictis ad laqueum; sed ne malefactis ad laqueum trahatis, elaboro. Talis nimirum ingredior ad te, qualis medicus ad ægrum: qualis Menedemus ad filium scortatorem. Tela mea non vitam, sed vitæ turpitudinem persequuntur: quæ si patienter admiseris: putredinem vitiorum elicient, & virtutem tecum in gratiam fœderabunt. Quis igitur finis loquendi clauserit initium, diligenter attende. Officiosissima est hominibus gratia Dei, & velut in eorum iurata obsequium: quibus hoc solum tribuit ex quo boni fiunt, seu per quod boni possint: quippe quicquid eis tribuit: aut virtus est, aut instrumentum ad virtutem. Ex ipsa autem virtute est, vt sint homines boni: ex instrumento verò C facultas proxima est, qua fiant homines boni. Porrò virtus est: mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, & his similia, quibus manifestum est fieri homines bonos, fieri homines beatos. Cæterū diuitiæ, potestates, & cætera in hunc modum: quædam subsidia sunt quibus iuuamur ad bonū virtutis, tanquā calamis & attamēto ad artem scribendi. Opibus abundas? ad officium liberalitatis impensæ sunt. Potens factus es? subiectorum tibi patrocinia destinantur. De familiaritate principum gloriaris, facultas oblata est qua tam multis vnus subuenias quātis obesse decreuit aut potestas sæuiens aut palatinæ licentia clientelæ. Sic omnia mortalibus ad virtutē prouidentur: & inter tot armamenta iustitiæ non esse iustum, creaturæ defectus est, non incuria Creatoris. Vult enim bonos fieri homines, quoniam *vult omnes homines* D *saluos fieri* Deus: & ad excludendum periculosæ excusationis refugium, præparat gratiam suam cui innitantur; distribuit instrumenta, quę suffragentur: offert præmia, quibus excitentur: *intendit arcum* suum, quo pigritātes terreantur. Nihil est quod vacet, quod homini sit inutilè nisi homo ipse. Cùm enim tam diligenter homini procuret omnia Deus, spernitur tamen ab homine tam diligens procurator Deus. Nulla ei mentio de se, nulla cura pro se, nulla reuerentia in se. Iniurijs in proximum debacchatur, in Deum contemptu, in res abusu. Omnia in suum congregat iudicium, omnium reus. Vnde fit vt tantò districtiorem mereatur Iudicem, quanto maiorem benè agendi habuit facultatem. Copiosè etenim E plectitur, copiosiùs nequam. Copiosè puniri procurat, cui frustrà procurantur opifices ad virtutem. Porrò talem tibi damnationis sarcinam pollicetur, *qui facit iudicium & iustitiam in Iacob.* Ille multos tibi famulos ad virtutem præparauit: diuitias loquor & potestatem, cæteráque in hunc modum, quæ vel vacant ad damnum, vel ad virtutem exercentur. Ad coëmptas enim possessiones, ad auorum thesauros, ad ambitiosa palatia, beatus te natalis inuitauit & eduxit. Semen etas informe, nec adhuc ex hac humo materia emerserat, cùm tibi seruorum familiæ plebescerent, designarentur honores diuitię souerentur. Iam te quibusdam blandimentis natura deliniebat: gratuitis præueniendum censens officijs, quem in suam præuidebat iniuriam nasciturum. Cæterùm nihil illi cumulatoria profuerunt obsequia; nihil fauor sumptuosus, Hactenùs ea nisi fallor ignota:

*Reos metuis quod meruit. In Heautont. Terentian.*

*Officiosa est ad homines gratia Dei.*

*Ancillantur virtuti diuitiæ.*

*Aulicorū qualis esse debeat scopus.*

*2. Tim. 2.*

*Psal. 57. Homo, sua pte culpa, virtute destituitur. Homo abutitur diuinis donis.*

*Copiosè nequā, copiosè punitur. Psal. 98.*

uit, tam multis criminibus vnam posse sufficere personam; vnde & ipsam mutari suspicor, ex quibus inuolucris vniuersarum prodierit imago Furiarum. Quotidie Nero nostris occursat aspectibus, quotidie Tarquinius, quotidie Polymnestor: in dubium venit, magisne populus in te Thrasonis gloriam fastidiat, an crudelitatem Dionysij detestetur. Denique quisquis vel naturam flagitio, vel leges contemptu fatigauit; hæredem te suæ reliquit ignominiæ. Quicquid moribus, quicquid honesto, quicquid sacris obuiat Institutis, ita tibi familiare est vt te puniendũ censeas, quotiens grauissimè punienda non committis. Quid ergo facturus es cùm sederit Iudex tuus & exarserit in te zelus vltionis, zelus suus? Nunquid nõ erubesces coram sanctis Angelis suis, cùm perhibuerint testimonium flagitiis & iniquitatibus tuis? Aut quibus argutijs Apostolorum suffugies iudicium; quorum relicta tibi doctrina, dum frustrà monuit innocentiam, dictauit pœnam? Cæterorum quoque patrocinia Sanctorum, qua tibi promittis audacia; quorum dum contemnis exemplum, demeteris interuentum? Considera cælestis Curiæ ordines, attende personas; inter tam multos, nullum reperies aduocatum quia nullum non offensum. Æquum est vt infestos omnes inuenias, omnibus infestus. Misera quidem, sed immiserabilis erit tibi causa tua quam Deus & homo plenam conquerentur iniuria sua: Restat tamen adhuc interpellandi locus, & offert se placandum qui promittit puniturum: cæterum non miseretur omnium Deus. Eius enim misericordiam virtutes non requirunt, facinora non merentur. Ea nec valde bonis necessaria est, nec impetrabilis valde malis. Est inter vtrumque vitæ quædam permixtio non adeò purgata, vt non egeat placato Iudice post mortem, nec sic obstricta criminibus, vt placatum non mereatur post mortem. Porrò talem tibi Iudicem polliceri non audeo; donec ipse talem pollicearis peccatorem.

*Quid faciat in malis assuetudo.*

*Doctrina Euangelica. dũ frustra monet innocentiã dictat pœnam.*

*Vita permixtio quædam ex vitiis & virtutibus.*

## *Epistola 34. Argumentum.*

*Episcopus quendam certiorem facit se prorsus dissentire nedum cõsentire matrimonio filiæ Gauterij de Meduana cũ Comite de Mortonio. Et cuius in parochiam, Nupta demigrauerit; eius esse, vsque ad dissidium, illis nuptijs resistere.*

SIcut sanctitatis vestræ pagina denunciat, filia Gauterij de Medoana, Comiti de Mortonio sanguine proxima prædicatur. Priùs autem quàm matrimonij vinculũ præfatas personas astringeret, idem Gauterius consanguinitatem mihi submurmurans; quid idem sentirem, cautius explorauit, bonum sibi videri, si bellum quo diutius Comes in eum deseuierat, interuenientis coniugij charitas terminaret. Addidit præterea, vos vestrósque comprouinciales, ei confirmasse scripto, compendio pacis & quietis tolerandum consanguinitatis piaculum. Vnde & assensum Cœnomanensis Ecclesiæ fautoris nuptijs postulauit; vt eius quoque auctoritate, coniugio filiæ stabilitatem adquireret, siquando ei libellus repudij scriberetur. Mihi autem nec est torqueri assensus, nec persuaderi potuit prudentiam vestram in eorum simplicitatem descendisse, quos redarguit Apostolus dicẽtes; *faciamus mala vt veniãt bona.* Super his ergo quod ad me pertinuit, sollicitus fui. Petenti assensum, dissensum nunciaui; nullius dispensationis intuitu permittens, consanguineos aut affines inhibitarum fœdera contrahere nuptiarum. Huic autem connubio vsque ad dissidium resistere, illius erit sollicitudinis, ad cuius parochiam Nuptam demigrasse cognoscitur. Conseruet vos Dominus Deus, pater sancte.

*Rom. 3.*

## *Epistola 35. Argumentum.*

*Andegauensis quidam canonicus eum rogauerat perficere apud Episcopũ Andegauẽsem, vt ei ex canonicato substitueretur nepos: Quid agendum in ea re consuluerit Andegauẽsi, quidque sit assequutus, lepide & eloquenter narrat.*

ANdegauensem pro te conueni Pontificem, sedulus quidem, sed inutilis intercessor. Relata est ei promotio tua, labor tuus, & confusio tua. Inculcatum, quid eis contuleris? quid protuleris pro eo; vt dum retractatur meritum, ad præmium doceretur. Excanonicari postulabas, tuumque tibi nepotem substitui moribus insignem, & ad literalem scientiam coæuis excultum disciplinis. Vnde & Episcopo quid consulerem, secretius exploratione differas (inquam) quod rogaris; vt si diligis, satisfiat amico; si non diligis, longe fiat inimicus. Approbanda est commutatio, qua vel augebis deuotionem, vel requiem comparabis. Si igitur bene de te promeruit, obsequere, si suspectus est, proscribe: disce vel ingrati cauere nomen, vel insidias amoliri. His ille fractus abscessit, bonam secum reportans voluntatem, qua tibi non mercede pacis, sed amicitiæ compendio successor crearetur. Actum putabam, cum didici spiritum præsulis immutatum, Canonicos obnitentes, factu difficile eos tibi morigerari quos cum simules obsequium, iniuriis (vt ferunt) exacerbas. Incubuit timor tuus & tremor super eos; dumque persona arguitur astutiæ, suspecta est vniuersitas parentelæ. Patentare credunt astutiam; & Vlyssis argutia experti, metuunt Danaos & dona ferentes. Vnde & vix aliquem suspicient pro te, qui propter te præiudicant vniuersis. Si vis ergo pertingere quo tendis, alia eundum est via: dediscendæ si quæ præcesserunt iniuriæ, sermo suspendendus amatior, obsequiis insistendum. Blandiri oportet, non detrahere Potestati: his enim temporibus beneficium non adquirit offensio. Fortunæ gratia opus est, vt vel bene promeriti præmia consequantur. Plerique mortales ingrati sunt obsequiis, & ne cultores suos remunerent, offensos conqueruntur. Super quos, nisi fallor, Andegauensem non accusabis Episcopum, si benignum, si filium pacis inuenerit.

*Virg. 2. Aeneid.*

*Beneficium nõ acquirit offensio. Ingrati fingunt iniurias.*

## *Epistola 36. Argumentum.*

*Virgini cuidam virginitatis propositum gratulatur Episcopus & ex eius comparatione cum nuptarum & viduarum statu & præmio, longe esse excellentius demonstrat; Porro, vt suspectam Deo cum qua ingratiam nunquam redeat, superbiam fugiat, hortatur.*

COnsideranti mihi votum tuũ, votum bonum; suborta est de proposito lætitia, de lapsu metus, æmulatio de corona. Lætari oportet animæ Christianæ, quæ mortales illecebras aduersata coniugij, perennem quærit ex virginitate progeniem. Placet sane quam pluribus hæredes procreare, dotales tabulas nuptiali debito promereri. Eas aliquod sumentes ex prole solatium, vel inanis spes decipit, vel dilatio cruciat expectantes. Præterea ex nuptiis nulla speratur impunè felicitas, quam primo necesse est quadam carnis contumelia cõparari. Infeliciter ei succedit, quæ successum virginitatis mercatur impendio. Magni soboles emitur, cuius cõceptus, infestatio est pudicitiæ, partus, vitæ. Ea in lucem progrediens, auspicium sollicitudinis est, non materia gaudiorum: vitiosa quippe progenies odium suscitat; cum bona vero, timor nascitur amittendi. Quis autem animo locus est gaudij, qui vel inflãmatur odio, vel timore cruciatur? Fortasse dicitur: emolumento dotis & variæ supellectilis accessu incommoda præscriptarum suppleri nuptiarum. Cæterum sicut huius damni nulla est reformatio, sic omnis compẽsatio inferior. Impar mercimo-

*Coniugato non sunt consulta sunt obsita.*

*Ex nuptiis non speratur impune felicitas.*

uium eſt, breuem quæſtum iactura perenni comparare. Minus ſibi prouidet, quiſquis gratiæ virginitatis aliquid anteponit. Virginitati tamé diuitiæ præferuntur. Sed eis ærugo ſuſpecta eſt, ſed tinea demolitur, ſed inſidiantur latrunculi, ſed timetur maioris violentia poteſtatis: earũ ſpe, pudoris abiicere venuſtatem; ſeipſum perſequi eſt. Magni quippe boni ruina quæritur, vnde vitæ noſtræ charus quoque ſucceſſor inuideat. Incomparabili comparatur pretio, quo fur ſollicitetur vt aſportet, Dominus ſeruet. Neſcit à quanta hæreditate decidit, quiſquis vt hæredes relinquat ſimilitudinem deponit Angelorum. An neſcis, quia hi qui neque nubunt neque nubentur, iuxta Euãgelium ſimiles ſunt Angelis Dei? An ignoras huius boni magnitudinem? Nunquid non intelligis ſabbatum virginitatis, ſabbathum conſilij non præcepti; ſabbathũ quo feriatur ab opere carnis caro; quo ſapit quiddam ſupra carnem, caro? Neſciunt virgines quid ex maritali licentia, muliebris ſuſtineat infirmitas. Neſciunt (loquam) quibus vxor ſubiiciatur iniuriis, quanta fœcundum ſauciet anxietas, quo ſterilis mœrore crucietur. Si formoſa eſt, difficile caret infamia: Informé, maritus aſpernatur. Nunquam lectus eſt ſine rixa, cuius vel pudet vel tædet coniugalẽ. Porro cõſequens eſt vt ei vir diſpliceat, quæ viro placere non quærit. Quæ ergo quærit; ſagaciores ſollicitat anicu-las, maleficiis aſſidet, & vt adquirat gratiam proiicit innocentiam. Quæ igitur quies eſt animæ cui vel maritus eſt pro ſupplicio, vel conſcientia flagello? His accidunt innumeræ formandi feminis moleſtiæ, quæ conceptum nunciant, naturam perſequuntur. Vultum pallor inficit, caput vertigine fatigatur: renum dolor aſſiduus, ſtomachi frequẽs indignatio: eſuritur etiam inter delicias, & quibuſdam nubeculis circumuolantibus, oculi tenebreſcunt. Hæc & alia nuptiarum ſunt incommoda, quæ numerare longũ ducens Apoſtolus: *Mulier* (inquit) *non habet poteſtatem corporis ſui ſed vir.* Virginitas maritalis ignara negotij, nõ labores puerperæ, non noni partus ſpurcitias experitur. Virginitas, nutricis vigilias ignorans, quàm multa ſupellectile, quibuſve ſorbitionculis alumnus indigeat, non inquirit. Virginitas contenta paruo, ſolicita eſt pro natura, non ambitioſa pro matrona. Virginitas curarum eſt ſilentium, pax carnis, vitiorum redẽptio, virtutum principatus. Virginitas angelicam redolens conuerſationem, cantat Canticum nouum, Canticum felix, Canticum quod nemo poteſt dicere, *præter eos qui cum mulieribus nõ ſunt coinquinati.* Cantat aliquid virgo, quod vidua cantare non poteſt; quod non poteſt coniugata. Quicquid autem vel coniugata cantat vel vidua, totum cantare poteſt & virgo. Porro per *Canticũ nouũ* laudẽ Creatoris, & actiones intellige gratiarum. Laudant ergo Chriſtum virgines Chriſti, laudent viduæ, laudent & coniugatæ. Laudant coniugatæ, quia ex eo habent quod vel nubunt præter culpam, vel operibus miſericordiæ redimunt quam nubendo contrahunt culpam. Laudant viduæ, quia ex eo habent quod expertæ nuptias ſecundum Deum, denuò nubere dedignantur propter Deum. Laudant innuptæ, quia ex eo habent, vt quibus (virginibus ſpiritu) licuit hominibus nubere, Deo nubere mallent, & carne virgines & ſpiritu. Ecce ſacrarum virginum cãticum, canticum non vetus ſed nouum, non illius ſcilicet Adæ in quo & per quem mentis & carnis corrupta eſt integritas, ſed eius in quo & per quem non ſolùm ſanata, ſed etiam ſuper Angelos glorificata eſt humanitas. Huius laus & exaltatio virtutis, Canticum eſt quod ignorant viduæ, quod neſciunt coniugatæ: cæteris nimirum virtutibus exultare poſſunt, & agere gratias viduæ bonæ, poſſunt etiam nuptæ, ſi tamen bonæ: ſolis virginibus virtus iſta eſt à Chriſto, ſolius iſtius virtutis præmium, & à Chriſto & cum Chriſto. Cum Chriſto quippè communem quodammodo ſortiuntur coronam virgines Chriſti, quæ ſolæ (iuxta Ioannem) ſequuntur Agnum, quocunque ierit. Hunc Agnum, viduitas quò ſequitur,

*Virginitatis perdita non eſt reformatio, nec recepta compenſatio.*

*Qui castitatis virginitate, exceduntur Angelica ſimilitudine.* *Marc. 12. Matt. 22.*

*Sperni-tur informis, formoſa non caret infamia.*

*Nuptiarum incommoda.* *1. Cor. 7.*

*Virginitatis encomium.* *Apoc. 14.*

*Commendatio virginum.*

*Apoc. 14.*

ſequitur etiam coniugalitas: cæterum non quocunque

A ierit, vel coniugalitas eum ſequitur vel viduitas. Vtraq; etenim cæterarum virtutũ tramite ſequi poteſt Agnum, quoniã poteſt imitari Chriſtum per virginitatis verò ſemitam neutra poteſt Agnum ſequi, quoniam Chriſtum neutra poteſt imitari: Virginitatis enim reſtaurationem ſeparare, naturæ oblinio eſt. Canticum ergo nouum cantant ſolæ virgines Chriſti, ſolæ ſequuntur Agnum quocunque erit. Quippe quibus ſuit cum Chriſto quoddam virginitatis participium, quoddam eſt & in præmio conſortium. Sub hoc autem Sponſo fœcunditatem non impedit integritas, nec famulante concupiſcentia, filij procreantur. Beatum ſanè coniugium, non quotidianis oneroſum moleſtiis, non de craſtino ſollicitum, nõ virginitati ſuſpectum! Beata nimirùm ſponſa, cuius pudor

B dum concipit, non deperit, dum generat, non laborat. Beatiſſimus etiam Sponſus, cui niſi cohæreat; nulla virgo, nulla caſta, niſi eum diligat, nulla libera, niſi ei ſeruiat. Eius amore nihil honeſtius, quo nec regia erubeſcit ſublimitas; eius amplexu nihil mirabilius, ex quo parit nec perit virginitas. Eius prole nihil viuacius, cum qua nulla propagatur mortalitas: eius dote nihil vtilius, in qua ſufficientiam comitatur æternitas. Is in ſponſa ſua tranſitoriam non quærit pulchritudinẽ, non inſerto veſtibus auro, non ſplendore Nataliũ gloriatur. Affectatus decor, & quicquid aliud quàm quod natum eſt, oculos faſcinat intuentes, odium prouocat non gratiam, repudium non fauorem. Ille nimirum deformem nõ aſpernatur *ſpecioſus forma præ filiis hominum* Pauperi libẽs copulatur, *diues in omnes, in omnes*

C *qui inuocãt illum.* Diſtortas amplectitur & gibboſas, cui ſimplex oculus totum corpus lucidum facit. Generoſa non attẽdit nomina; *generationem* tamen *eius quis enarrabit?* In decrepitas ardet aniculas, *primogenitus ante omnem creaturã.* Nullam ſterilitatis arguit, *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorũ lætãtem.* Vnũ tamẽ eſt, quo ille ſponſam ablaterat, & propriam diffitetur: huius etenim ratio diſſidij mentis ſola eſt corruptela. Mẽtis deformitas offendit virum, ſponſalia diripit, abiudicat dotem, eliminat introductã: mentẽ tuus amans explorat, & ex eius qualitate vt dictat repudiũ vel maritum pollicetur. Huic autem ſuſpecta eſt ſuperbia, nec fieri poteſt vt cum eo in gratiam reuertatur. Diuerſum eſt vtrique hoſpitium: nec in eodem cohabitant animo quibus cohabitare non licuit in cœlo. In cœlo nimi-

D rũ nata eſt ſuperbia; ſed velut immemor † qua inde via ceciderit, illuc vltra redire non nouit. Ea de ſupernis corruens & parentans in terris omnibus ſuis, apud inferos æternam pepigit manſionem. Ipſa ea puriſſimis & ſimplicibus orta ſubſtantiis, puros adhuc animos inquietat, auſa victoriam ſperare de homine, quæ de Angelo triumphauit. Vale, atque in valle humilitatis, diuinarum ſtillicidiis Scripturarum, pudicitiæ lilium ne marceſcat, irrigare memineris.

*Pſal. 44.* *Rom. 10.* *Luc. 11.* *Iſa. 53.* *Eccl. 24.* *Pſal. 112.*

*Superbiã damnat in virgine.*

*† Al. qua inde via.*

*Epiſtola 37. Argumentum.*

*Frater quidam ad paſtoralis ſollicitudinis excubias aſ-*
E *ſumptus ereptam ſibi contemplationis requiem deplorabat: Eum ſolatur Epiſcopus; & frequentibus Scripturæ exemplis, qualia ſũt Rachelis & Lya, Marthæ & Mariæ, & alia multa oſtendit non paruum eſſe bonum, vitæ vtriuſq; ſtudia alternare. At dignum eſſe lachrymis, quod plures (& in iis ipſemet) neutram vitam viuunt.*

VSV pariter & neceſſitate didicimos, vel ad amicos vt conſulant, vel ad medicos vt curent, confugere, vulnerati. Ea profectò ratione contritionem ſpiritus & mẽtis anguſtias ad me (Frater chariſſime) detuliſti, quæ vel amici conſilio penitus abſcederent, vel aliquod inuenirent ex ſolatio remedium. Ereptam tibi deploras adoptatæ requiem contemplationis, & Actio-

sarcinam sollicitudinis inoitum sustinere. Ad pedes Domini Iesu eum Maria sedebas; & ecce, cum Martha iuberis ministrare. Animum tuum Rachelis species illexerat; & nunc subinductæ tibi Lyæ morigerari compelleris; cui licet eoilætareris ad sobolem, lippam tamen fastidis & deformem. Recordasis quàm delicata fuerit sub Rachele iocunditas, qoàm dura sub sorore prouincia. Recordaris (inquam) quas tibi Christus amplectenti pedes eius epulas ministraret; quibus deliciis animi propulsaret inediam. Sapidiora confiteris fercula quæ Maria sedens & audiens accipit, quàm quæ Martha satagens præparat & appouit: in his etenim panis hominum; in illis autem erogatur panis Angelorum. In illa d aitis mensa nihil est quod fastidiatur oblatum, quod non desideret saturatus; ad hanc omnes animæ tuæ sensus velut quidam conuiuæ recumbentes, spiritualium varietate satiabantur ferculorum: degustantes inde quod congrueret singulis, quod sufficeret vniuersis. Ibi mentis auditu cælestium hauriebas melodiam Canticorum, & in plateis superuæ Sion, Angelicum tibi resultabat Alleluya. Afflabat ibi nares tuas *odor vitæ ad vitam*; & aura *flores rosarum & lilia* spirans *conuallium*, Ver æternum nunciabat. Ibi etiam, *panem Angelorum* manducabas *homo*, panem *qui de cælo descendit*, & dat vitam mundo. Quanta autem gloria menti tuæ ostenderetur oculis; nemo nisi qui eam diligit, intelligit. Occurrebat eis d spostissima lea supernę Reipublicæ; quæ de regno Dei sic omnia colligit scandala, vt superiori nemo inuideat, nemo parem dedignetur. Videre videbaris insignitas pudicitiæ lilio virgines, martyres rosis, violis confessores. Eotum glosiā cognitione diuinitatis dissimilem coniectabas, æternitate coæqualem: In omnium tamen sinu *mensuram* ita *bonā* videbas *& confertā*, ita *coagitatam & super effluentem*; vt potius beneficiū gratiæ, quàm virtutis præmium putaretur. Inter hæc, administratorios Spiritus, quantùm tibi permissum fuerat, ascendebas; secretiore considerans intuitu, quanta Deo charitate cohæreant, qua ei submittantur humilitate, quàm officiose discurrēt *missi propter eos qui hæreditatē capiūt salutis*. Et quoniā legisse te nō dubito, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; suum vnicuiq; Angelū assignabas; tuo, de te, beatum, illud ingerens gaudium, de quo in Euangelio Dominus ait, *Gaudiū est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiā agente*. Pręterea ad miserabiles tormētorū officinas *vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, in gemitu recurrebas & luctu, sæpius illud propheticum commemorās: *quis durare poterit cum ardoribus sempiternis*? Augebāt deuotionē tuā, nunc inspecta damnatorum supplicia, nūc præmia beatorum; sic Inferioris ac superioris irrigui nouus possessor effectus, totus in lachrymas quas prius delictorum conscientia profuderas, dilatione gloriæ diffluebas. Hos tibi cōtemplatio prouocabat affectus, his obtutibus per cœlestes deambulabas mansiones; & dolens animum tuum tam tædiosum cum carne pepigisse hospitium, cum Apostolo cātitabas; *cupio dissolui, & esse cum Christo*. Nunc autem cōquereris ereptas tibi vitales delicias, discursum ad Superos interclusum, sublata cœli terræque commercia, quibus sic intereras rebus hominum, vt colloquijs interesses Angelorum. Vnde rātò teneriùs amissæ contemplationis & fructum commemoras & requiem suspiras, quanto in agenda aliorum cura minùs inuenis securitatis, plus laboris. Sed si sollicite consideras; actiua vita materia est ad gloriam, non descensus ad ruinam: quod, ne te velut ignotum transeat, paulò altiùs (nec tædeat) inchoabo. Contemplatiuam vitā (charissime Frater) atque actiuam; aliquando quidem in eodem; aliquando vero in diuersis separatas inuenies. Quod vt nobis sacræ ac mysticæ demonstrent historiæ: Iacob deducatur in medium, cui Rachel & Lya, typus scilicet vtriusque vitæ, simul nupsisse comprobatur. Christus quoque nunc docens in campestribus; nunc in

*Collatio Actiuæ vitæ Contemplatiuæ. Luc. 10. Ioan. 11. Genes. 29*

*2. Cor. 2. Cant. 2. Psal. 72. Ioan. 6.*

*Matt. 13. 41.*

*Luc. 6. 38. Beneficiū est non præmiū, felicitas.*

*Heb. 1. Matt. 18. Cuique assignatur custos angelus. Luc. 15. Iob. 10.*

*Isa. 33.*

*Iud. 1. c.*

*Phil. 1.*

*Actiua vita materia est ad gloriā.*

*Genes. 30. Matt. 16. Marc. 6. Luc. 6. & 9.*

A montibus orans, suis eos figurabat studijs; in quibus sic inuicem præscriptæ consonant professiones, vt nec actio contemplationem, nec contemplatio strangulet actionem. Talis Moyses in tabernaculis cum populo, pro populo in excelsis cum Domino loquebatur. Sic Petrus, intermisso pastoralis prouidentiæ negotio, speculam contemplationis ascenderat, cùm ei à Domino diceretur, macta & manduca. Sic & Paulus vniuersarum solicitudinibus Ecclesiarum, permixtæ secretæ visionis requie subueniēs; *raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ nō licet homini loqui*. Cæteri quoq; Prædicatores sancti, nunc ex secreto speculationis ad publicum doctrinæ prodeunt; nunc ex doctrinæ publico, secretum speculatiuæ repetunt libertatis. Hi profectò, quod in administratoria dispensatione delinquant,

B in sacrario contemplationis deplorant; quod autem in contemplatione aspiciunt, prout opus est, ad subditos reportant. Quod autem sola in quibusdam sit actio, in quibusdam vero contemplatio tātum refulgeat, Maria nobis & Martha denunciant: quarum studiis vtramque figurari vitam sacra nos Eloquia docuerūt. Maria quippe sedisse tantum legitur & audiuisse, nec aliquando sorori subuenisse discursanti; licet eius auxilium quadam mentis amaritudine soror anxia postularet, dicens: *Domine nō est tibi curæ quod soror mea reliquit me solā ministrare? dic igitur illi, vt me adiuuet*. Martha quoque nequaquam memoratur Mariæ partem suo miscuisse obsequio; licet eam Veritas optimam testaretur, dicens: *Maria optimā partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Per Mariam ergo, quæ sedēdi requiē nullo administrationis

C interrupit negotio; soli contemplationi vacantes (sicut opinor) exprimuntur, qui nostro huic publico speculatiuam præferentes solitudinem cum Apostolo dicunt: *Nostra autem conuersatio in cælis est*. De talibus Propheta: *elongaui fugiens & mansi in solitudine*. Martha vero, cui sola ministrādi credita est dispensatio, nōnullos nostri maximè tēporis indicat Sacerdotes, quibus occursātium turba negotiorum, sacrariū contemplationis occludit, contriti cordis extinguit holocaustum, sacrificiū desiccat lachrymarū. Hos, in hoc magno mari & spatioso, dum reptilia, quorum non est numerus, exagitant, quia in mente velut forenses tumultus sentiūt, ad quietem contemplationis non pertingunt: neque enim fieri potest vt aliquando loquatur cum Domino, qui (etiam silens) cum toto mundo fabulatur. Talem ego miser fa-

D buligerum profiteor, talem circunfero sacerdotem, qui cùm totam diem cōseruandis expendo animalibus, nec vnum saltem momentum conseruandis expendo animabus. Occursant inimica spiritui meo negotia, quæ me sibi totum vendicant, quæ secretum surātur orationum, quæ suis temporibus Ecclesiastica defraudant officia, quæ velut modicum diurnis insæuiant aculeis, infestant etiam dormientem: & quod absque lachrymis vix possum confiteri; subrepens & furtiua causarum recordatio, miserum me ad sacra sequitur altaria, vbi dum eius fugam deprecor, assultu circumuallor. Talium nobis occursus infestationum, volucres illas figurasse reperies, de quibus per Moysem dicitur: *descēderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abrahā*. Has, infelix

E ego cū sacrificāte Abraham, sacrificans & ipse persero, sed cum abigēte, nondum datum est abigere. *Væ mihi, quis liberabit me de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesū Christum Dominum nostrum*. Sequūtur autē captiuæ mentis occupationes, innumera virtutum dispēdia; quibus dum miseri subiacemus, nec etiam cum Martha ministramus. Martha quippe ministrauit, sed Christo: nos vero quis dicat discurrere cum Martha & ministrare; qui, dum discurrimus non pro Christo ministramus, sed non Christo. *Omnes nos* (vt ait Apostolus) quærimus quæ nostra sunt, *nō quæ Iesu Christi*. Si ergo es ipso Marthæ ministerio, quæ tua sunt desideras; si plebeculæ rumusculos aucuparis, si occuparis carnalium lenociniis voluptatum; profecto nec Martha es quam simulas,

*Christus, Moyses, Petrus & Paulus vtramque vitā amplexati. Exod. 18. 19. 33. 34. Act. 10. 2. Cor. 12.*

*Luc. 10.*

*Philip. 3. Psal. 54.*

*Sacerdotes præ multitudine negotiorum obliti cōtemplationis.*

*Reprehēsio sacerdotum, sæcularia tractantium.*

*Rom. 7.*

*Phil. 2. 21. 1. Cor. 10.*

mulas, nec Maria quam ſuſpitas. Inde chariſſime frater, iuſta eſt conquerendi tatiu, iuſtiſſima flendi. Cæterum ſi Mattham ſimplicitet agis, bene agis: inter Lyam & Rachelē diſcurris, melius agis; ſi cum Maria ſedes & audis, optimè agis: bona enim eſt actio cuius inſtantia (licet contemplationis facultas depeteat) frater tamen abertās in Chriſto reuocauit; & cum iuſtus in nomine iuſti ſuſcipitur, erogatur etiam ille *panis qui deſcendit de cœlo,* & dat vitam mundo. Melius tamen eſt, ſedendi vicibus administratoriam diſtinguere ſollicitudinem, & inter tædioſas Lyæ noctes, grato Rachelis amplexu reſpirare. Fit ex hac permixtione compēdiuſus ad ſuperos diſcurſus; cum mens eadem modo de beatitudine ſatagit hominum, modo beatitudinem participat Angelorum. In illo ſeminetur quod metatur; in iſto, quod ex ſemine ſperetur, iam videtur. Illud ergo, curſus eſt ad brauium; iſtud, calcar ad curſum. Nam de ſingulari Mariæ ſtudio quid loquar; cui ſolum Saluatoris ſufficit teſtimonium dicentis: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea!* Bona eſt ergo Marthæ ſollicitudo, ſed optima pars Mariæ. Bona illa, quoniam Fratri tēporale prouidet ſubſidium; hæc optima, quoniā quodiam cōplectitur æternum: Bona illa, quoniam bonum eſt ſeminare; hæc optima, quoniam metere multo melius. Hæc idcirco dixerim, ne vel nullum, vel paruum putes bonum, diuerſa ſic alternare ſtudia, vt nunc requieſcere libeat in contemplatione cœleſtium, nunc ad prouectum laborare proximorum. Vna eſt & eadem ſcala, qua Iacob aſcendentes Angelos vidit, & vidit deſcendentes. Eius ſummitas dum cœlos tangere deſcribitur; quod ad cœlos per eam ſit tranſitus demonſtratur. Per hanc, & tu Frater aſcendiſti. vidiſti quid agatur, *in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* Nunc autē de deſcenſu conquereris; & qui velut è foribus introſpiciēs odorabas cœleſtis diuitias palatij, nunc ad hæc infima deuolutus à longè ſtas: & licet opulentius alij miniſtres; tamen quia viſis opibus non frueris, inopiam non euadis. Sed faceſſat, quæſo, querimonia tua; faceſſant ſuſpiria tua, quoniam Lya quoque ſortitur hæreditatem in prole ſua. Non enim vel ſola Rachel, vel tantum Lya, Iacob ad patriam comitata eſt reuertentem. Comitata eſt Rachel virum, viro grata propter ſpeciem; comitata eſt eundem ſoror eius, eundem complexata propter prolem. Comitata eſt Rachel Iacob, in filio vteri ſui & filiis ancillæ ſuæ. Comitata eſt eundem Lya, in filiis vteri ſui, & filiis ancillæ ſuæ. Sic ille reuiſens patriam; *in baculo meo* (inquit) *tranſiui Iordanem, & ecce cum duabus turmis regredior.* Idē quoque dū comitantibus regreditur vxoribus, Angelum videt, Angelum apprehendit; & factus in luctamine ſuperior, areſacti contractu nerui claudicaturus abſceſſit. Hæc autē *omnia* (ſicut ait Apoſtolus) *in figura contingebāt illis:* vnde & hæc eadem, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; *in quos, fines ſæculorū deuenerūt.* Factus itaque Iacob; Lyā ſimul amplecteris & Rachelem, ſi inter paſtoralis excubias ſollicitudinis, ſupernæ tibi claritas arrideat viſionis. Factus, inquam, Iacob; Rachelem diligis, ſpecie; Lyam, prole: ſi ſic ſpeculationis amplecteris gaudium, vt in exteriori diſpenſatione fructum quæras animarum. Nec impedit iter Patriarchæ laborioſi ſarcina coniugij, quoniam reditum ad patriam paſtoralium occupatio vigiliarum non abrumpit. Et ne cauſemur hac eadem occupatione cōtemplationis abſcedere facultatem; Iacob Angelum videt dum ad parentes regreditur, quia fidelis ſeruus & prudens dum terram viuentium pio petit deſiderio, Deum iam per contemplationem videre, iam complecti promeretur. Hinc eſt etiam quod nato Domino, paſtores ſuper gregem vigilantes, Angelos aſpiciunt: quia his qui piè ac ſollicitè conſeruandis gregibus inuigilant, ſublimia ac diuina innoteſcunt. Cæterum iuxta Apoſtolum, quamuis ſancti, quamuis perfecti; tamē *nunc ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Vnde & Iacob dū reuertitur, luctamen iniſſe cum Angelo

Luc. 10. — Lem. Tēpora vicibus alterna contemplatio. — Al. prouentum, seu profectū. — Gen. 28. — Psal. 47. — Gen. 30. — Gen. 31. 32. — Gen. 32. 1. Cor. 10. — Luc. 2. Peruigilantibus diuina innoteſcunt. — 1. Cor. 13. Gen. 32.



memoratur. Conditione quippe luctaminis, nunc ſuperior eſt qui luctatur, nunc ſuccumbit: nos autem in his quæ de Deo mente comprehendimus, quodammodo ſuperamus; in his verò quæ comprehendere non poſſumus, indubitāter ſubiacemus. Vt igitur verbis vtar Gregorij, Iacob luctatur & vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Luctatur & ſuccumbit, quia lumen incircumſcriptum dum comprehendere nititur deficit. Qua in lucta, Iacob ſuperāte, neruum femoris Angelus tangit & areſcit; quia dum mens in contemplatione diuinas apprehendit delicias, ex earum deſiderio, carnis affectus marceſcit. Areſacto autem neruo, pes vnus incolumis, alter lāguet, quia mortificata in nobis carnis concupiſcentia, conualeſcit pes quo ad Deum dirigimur, infirmatur ille quo à Deo declinamus. In quo & notādum puto quod percuſſus in femore Iacob, ſano pede firmius innititur, infirmus autem pes nec totus hæret terræ, nec à terra totus eleuatur. Poſt exſiccatas quippe huius quam circumferimus mortalitatis illecebras, interior homo noſter pedi diuini amoris, qui in eo præualet, totus incumbit, totus hæret. Infirmo autem pede partim Iacob ſuſtentatur, & à terra partim ſuſpenditur; quia languente in nobis terrenum ſæcularium dilectione, partim illis innitimur pro natura, ſuſpendimur à reliquis pro corona. In illa, neceſſitatis eſt quod appetimus; in his, cōſilij quod vitamus. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe:* Et; *omnis qui in agone cōtendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Vides ergo chariſſime frater, quod & Lya comite, Iacob ad patriam redierit; quod occurrerit Angelus vxorio Patriarchæ: nec abhorruerit cū muliere reuertētem, qui mulierē ſuper ſe confitetur exaltatam. Eſt autem cœlū, patria tua; patria fœlix, & expetenda gloria ſua. Ibi ſpirituales parentes tui, parentes beati. parētes qui te Chriſto genuerunt, te præceſſerunt ad Chriſtum, pro te ſupplicant apud Chriſtum. Ad illos tibi cum Lya quoque reditus eſt (ne timeas) præparatus: in via videbis Angelū magni conſilij, nec dedignabitur oſtendi filio virginis Eccleſiæ qui dignatus eſt fieri filius Mariæ. Eius viſionis dulcedine carnis tibi lenocinia diſplicebunt, areſcet maleſuada lumborum concupiſcentia; interior tuus homo à terrenis ſuſpenſus, pauca indulgebit naturæ, nulla gulæ. Vale frater.

Lib. 1. in Ezechiel. Hom. 14. — Quo ſignificetur quòd Iacob claudicauit. — Rom. 8. 1. Cor. 9. — Fratrum interceſſio.

*Epiſtola 38. Argumentum.*

*Monaſterij Ebronenſis apud Cænomanos, planè deprauatum ſtatum; & Abbatis indocilem pertinaciam ſtupiditatemque deſcribit: demum à S. R. Eccleſiæ Legato in illam beſtiam & male prouidum Abbatem, Monaſterij fructus in herba ſolitum prandēre; quid ſtatui oporteat, vt reſpondeat, petit.*

DEi gratia Engoliſmenſi Epiſcopo, ſanctæque Eccleſiæ Romanæ Legato, G. I. humilis Cœnomanorum miniſter, ſalutem & obedientiæ integritatem. Eſt apud nos Abbatia, quæ dicitur Ebron, poſſeſſionibus & re quondam perceleb ris, viciniſque Cœnobus ſola paupertor honeſtate. Hanc, ea cæteris inuidens; inter locupletes reditus, morum mendicat venuſtatem. Nulla ibi legum cuſtodia, nullus violari cenſor Ordinis inuenitur. Cœnobitæ non minus Monachum perſequuntur, quàm ſi cum turpitudine fœdera pepigiſſent. Si quid Fratrum ſumptibus; Anteceſſorum deuotione collatum eſt; in mercedem tranſit iniquitatis, non in ſubſidium religionis. Clauſtrales, quibus conuenticula plebis & ſermones ocij lex arctior interdicit; plateis, pro clauſtro; ſcurrilitatibus, pro lectione vtuntur. Eſt etiam eis publica & inexpugnabilis cum mulieribus familiaritas; quibus illæ, promiſſis & præmiſſis obligatæ munuſculis, dies iniquitatis & noctes infamiæ venditate comprobantur. Inter tot ſacræ profeſſionis iniurias, hoc etiam præiudicio Reſpublica pre-

Canonici et ſoru indigent. — Monachorum inexpugnabilis cū mulieribus familia.

mitur, vt quia Monachi ab infestatione ordinis non abstinent; ab infestatione monachorum sæculares minimè abstineant. res Sãctuarij, rapinis expositæ, dispositæ flagitijs, exterius violentia, vinolētia & petulantia interius atteruntur. Tanto rerum pariter ac morum defectui, Pastoris negligentia magnum contulit incrementum. Nihil ei cum Abbatis officio; cui nec mores ad exemplum, nec ad doctrinam sciētia suffragatur. Primò, quia simplicitate nimia & cognata stultitia, quid cui conueniat, ignorat. Deinde maturioribus eum personis acquiescere, pertinax & indocilis affectu prohibet improbitas. Ita nec suo sustentatus, nec alieno credens consilio; asininam sibi conformat & exprimit tarditatem. Ille nescius morum reuisere officinas; cæteris præsidet ad dispendium sãctimoniæ, non ad iudicium culpæ: neque vel occultas explorat offensas, vel manifestis erogat disciplinam. Quàm rarus & inutilis in claustro residet; tam negligens & remissus in Capitulo conticescit. Nam de Refectorio quid dicam? de quo sicut nulla ei cura est quid in illo edatur, ita nulla, quãdo edatur. Dormitorio quoque iã inexorabile odium indixit; ac si in eos quiescere, communis materia esset infamiæ, non species doctrinæ. Accedit ad hæc, ornamentorum pariter, ac possessionum distractio, qua nihil relictum est ad decorem domus Domini; nihil ad solatia pauperum, nihil ad Cõuentus alimentum. Dici vix potest, quotiens eum conuenerim, quotiens præsentibus religiosis Abbatibus hominem increpauerim; nec tamen ulleo vel motibus exhibita est reuerentia, vel vitiis irrogata disciplina. Porrò ne quid mihi ad eius correptionē defuisse videatur; sub vestra innitaui & traxi audientia. Ibi eum negligentiam suam purgare non posset, emendationem promisit, fidem dedit; sed facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Vt enim de ordine taceatur, quem penitus delictorum exinaniuit impunitas; eousque monachorum superbia declinauit, vt per præfati loci Burgenses quotidiana stipendia mendicentur. Eo missus Abbas sancti Vincentij, vir scilicet consummatæ religionis, quàm dilapidatum inuenit Ordinem, destinata vobis pagina nunciauit. Super his ergo quid vobis placuerit, aut quid in præfatam bestiam statui oporteat, filium vestrum sigillans apicibus instruatis. Dissipatio fructuum, quos malè prouidus Abbas in herbam prætendere consueuit, responsum desiderat festinatum. Vale.

*Abbas, officio & doctrina pralutes.*

*Correptio fraterna.*

*Purgare quoniam negotium dare promittit.*

### *Epistola 39. Argumentum.*

*Innata & Iudaica proditione Cœnomanensium Comes Rothrocus (licet resectis & ad matrem missis capillis id pernegauerit) tum & Hubertus eius Dapifer Hildebertum, Episcopum tunc suum truserant in carcerem, è quo cum non viderentur illum dimissuri priusquam nomine Redemptionis, argēto aliquo illum emungerent, nec ei prodessent Episcopi Carnotensis preces, & iactum in Hubertum anathema, commendat se omnium Episcoporum & Ecclesiæ filiorum precibus: & cum videret Ecclesiæ cõparari seruitutem si sub prec o redigeretur Episcopus; vitam redemptam nihil facere se, constanter profitetur.*

OMnibus Episcopis, Presbyteris, atque vniuersis filiis Ecclesiæ, I. Cœnomanorum sacerdos, vinctus Christi Iesu salutem. Fœliciter sunt miseri, quos constat non meruisse quæ perferunt: In aduersis siquidem quædam fœlicitas est, qua reum putas esse, tamen innocentē. Hinc est quod gloriamur in vinculis: quorum causa, nobis est pro solatio, non conscientia pro flagello. Gloriamur enim cum Paulo, dicentes, *Gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ.* Qualis autem ea sit, vel quæ fuerit nostrorum causa vinculorum; audiant fratres mei Consacerdotes mei, Domini & amici mei: credo tanto deuotius oraturos eos pro me, quanto nouerint in me magis pati Christum quã me propter Christum. Viuit Deus & Dei Filius, & vtriusque Spiritus nouit, quia non mentiar. In turre Cœnomanensi Comes Rothrocus in vinculis tenebatur; ad eum metu mortis trepidum vocatus accessi; deinde mihi confessus, domui suæ disposuit, testamentum fecit, Ecclesiis distribuit. Quod vt illibatum permaneret; submissis precibus à me impetrauit, quatenus ego ipse matrem eius adirem, ille testamēto perhiberem testimonium, inhiberem ne quis illud minuere præsumeret, ne quis omnino tētaret adnullare. Factum est sicut Comes postulauit. Iui; quò vtinam pedem non tulissem! Mater Comitis in osculo me suscepit, applausit testamento, gratias agens quod gratia Comitis accessissem. Rem taliter factam, nec filius nec mater diffitetur. Eadem die initum est aduersum me consilium, in crastinum iniectæ manus; in me iteratam discere Christi traditionē. Quinta enim feria, in osculo sum susceptus: sexta Feria, tanquam cum Christo iturus ad crucem, contumeliosè captus sum, & positus in custodia publica. *Diuiserunt* etiam *sibi vestimenta mea;* equis iam distributis inter eos qui gratis ad facinus discurrunt; ad honestum, nec precio. Porrò in illo castello, in quo hæc acta sunt, Carnotensis erat Episcopus venerandæ vir auctoritatis: sed apud sceleris auctores, sine auctoritate fuit auctoritas. Is in spiritu contrito Hubertum conueniens, (hoc enim Pharisæorum principi nomen est) primo blanditus est illi bestiæ; sed bestia rationem non admittit: dehinc illum sacrilegij liberè arguit, obsecrauit opportunè, importunè increpauit; postremo tradidit eum Sathanæ in interitum carnis, anathematis vinculo quo debuit alligatum. In omnibus his non est, auersus furor eius; sed adhuc manus eius extenta. Religiosi quoque Abbates, & consummati ominis Anachoretæ ad lapidem conuenerunt & inuenerunt lapidem; non eum de quo suscitat Dominus filios Abrahæ, sed in quo nihil est humoris, in quo radicem non habet semen verbi Dei: In omnibus enim his non est auersus furor eius, sed adhuc manus extenta. Missum denique ad Comitem Rothrocum; relata ei captio mea, confusio & ignominia mea. Is primò, in corde & corde locutus, tandem dimitti me & satis Ecclesiæ fieri nunciauit. Ac ne simulatoriè loqui putaretur, abscissos de capite suo capillos, matri suæ transmisit; addens: Hubertum in me non minorem sibi intulisse iniuriam quàm si reliquos abstulisset. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Ad vos ergo conuersio mea, charissimi Fratres mei Consacerdotes mei, domini & amici mei. Oro vos orare pro me, curam agere de me, compassione esse iuxta me. Nam de redemptione nihil ago: semel Christi sanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille, redemptio mea: Sanguis ille, pretium meum. Indignum est, vt sub pretio redigar, cuius pretium sine pretio est. Præterea, infamis est redemptio, qua libertas perit Ecclesiæ; qua seruitus comparatur. Necesse est enim, vt membra seruiant si caput humilis sub tributo. Necesse est Clericum redimi, si Episcopum censeas redimendum. Necesse est trepidare subiectos, si iuxta Comicum, ei opus est patrocinio, quem paras defensorem. Ego certè tanti vitam non facio, vt breuem diligam, & redemptam. Malo periclitari de ea, quàm pro ea communem conculcare libertatem. Prosit Ecclesiæ mea mors, cui viuens dum præfui, non profui. Pontificis est, si non viuere; mori saltem vniuersis. Vale.

*Fœliciter miseri, qui dici possunt.*

*Conscientia pro flagello 2. Cor. 1.*

*Episcopus Carnotensis excõmunicat Hubertũ pertinacem.*

*Capilli desecti, ad cõtumeliam tam.*

*Infamis est redēptio Episcopi qua perit Ecclesiæ libertas.*

### *Epistola 40. Argumentum.*

*Scribit è carcere ad† Herlonem Sagiensem Episcopum, vt anathemate feriat Comitem illum Hubertum Comitis Rothroci dapiferum, qui violentas manus in illum iniecerat.*

*† Serlonem*

HDei gratia Sagiensi Episcopo: I. vinctus Christi Iesu, salutem. Credimus ignorare te, quod in

viuculis

vinculis tenemur iuxta te: ſi noſſes, nequaquam nobis tua ſolatia defuiſſent Epiſcopus enim es, & illud Chriſti A legis & intelligis; *In carcere eram, & veniſtis ad me.* [Matt. 25.] Noueris ergo Coepiſcopum tuum carceribus mancipatũ; Chriſtum Dei militibus iterum traditũ: multiplici cuſtodia Iesum circunſeptum, & ab eo exigi quod conſtat noo deberi. A modo niſi eum viſites; non ignorantiæ deputabitur, ſed culpæ. Viſitet ergo Chriſtus Domini vinctum Ieſu Chriſti, viſiter non paſſibus corporeis, ſed affectu charitatis; viſiter non rerum exhibitiooe, ſed precum. [*Charitatis affectu viſitare eos qui in carcere ſunt.*] Beoè nos viſitabis, ſi anima tua in amaritudine eſt propter oos: benè oos viſitabis, ſi ores ne relinquat Dominos virgam peccatorum ſuper nos: benè nos viſitabis, ſi cum Petro Malchum percutis perſequẽtem Chriſtum apud oos. Non gero docentis perſonam, ſed quærentis: ſicut enim Hieronymus ad Euſtochium ait; B ſtultum eſt docere quod nouerit ille quem doceas. Duos in cœna fuiſſe gladios; hoc quoque & legis & intelligis: vnum quidem Petrus in Malchum vibrauit, dum Malchus io Chriſtum manus extenderet; alter verò eductus fuiſſe non legitur. Aptè profecto iouentus eſt vterque apud diſcipulos Chriſti, quia adhuc vterque oſtenditur in membris corporis Chriſti. [*Membra Chriſti, rex & ſacerdos. Gladius duplex curiæ & Eccleſiæ.*] Membrum enim Chriſti, Rex: membrum Chriſti, ſacerdos. Scienti loquor; noſti gladium Regis, noſti gladium ſacerdotis. Gladius Regis, cenſura Curiæ: gladius ſacerdotis, Eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ. [Luc. 22.] Hos Euangeliſtam figuraſſe legiſti, dicentẽ; *Domine ecce gladij duo hic.* Si eſſet qui in gladio regni liberaret me nõ peterem educi gladium ſacerdotij propter me. Cæterum vides quià iam *Poteſtas ſine cauſa gladium portat;* in vagina recooditus eſt: pellibus mortuo- C rum animalium tectus eſt. In Chriſtum Malchus, in vaſa templi Balthaſar impune manus extendit. Nemo eſt quem zelus domus Domini comedat: nemo eſt qui cum Moyſe minetur & dicat; [Deut. 32.] *inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* [Pſal. 117.] *Bonum eſt ergo ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus:* [Pſal. 122.] Vnde, [Pſal. 101.] *ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri;* miſerebitur autem noſtri Deus. [Malach. 2.] Adhuc ille *reſpicit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* In Angelis eius repoſita eſt ſpes mea; collocata anchora mea, ne mergatur procellis fragilis nauicula mea. Scienti loquor: Angeli Domini, Pontifices eius, Angeli Domini, Sacerdotes eius: Malachias enim ait; *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Si ergo Angelus Domini es; imo quia Angelus eius es, illum geris gladium, qui apud Ioannem de ore Angeli, bis acutus exijt. Hunc & tu (quod abſit) ſine cauſa portabis, niſi ſeces & tradas Sathanæ filium mortis; niſi claudas & obſeres reliquis Adæ paradiſum Domini Dei tui. Hoc autem non dico tanquam mortem peccatoris deſiderans; ſed vt oſtendas peccatori cauteriatam conſcientiã ſuam, ſed vt ei cum propheta dicas: [Pſal. 49.] *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuã.* Porrò filius ille perditionis, Hubertus Capræolus eſt. [*Hubertus Capræolus.*] Hubertus conſilium malignauit aduerſum me, manus ioiecit in me, caput tenet me, de dapifero Comitis factus dapes diaboli. Illum enim nihil aliud ſapientem quàm terram, [Gen. 3.] Serpens ille comedit qui ventre repit & pectore cui dictum eſt, *terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Terra hæc ſpinas & tribulos mihi germinauit; propinauit vinum, non vinum quod lætificat cor hominis, ſed quod inebriaret amaritudine ſpiritum meum. In amaritudine animi ſcripſi tibi, rogans vt talem inueniam te, qualem me velles inueniri à te.



*Epiſtola 41. Argumentum.*

*Vidua quædam iuuenis olim peccatrix, ad Chriſti nuptias (non dubium quin voto Monaſtico) tranſierat. Eam humaniſſimè hac epiſtola hortatur Epiſcopus, ne ob anteactam vitam animo deſpondeat; nã & pœnitentes vt iuſtos: & Viduas vt Virgines placere Chriſto. Cæterum contrà varias tentationes, varia illi præſcribit è Scripturis pharmaca; vtque ſibi à dæmone ſedulo caueat, admonet.*

## ADELÆ COMITISSÆ.

HVmilis Cœnomanorum Epiſcopus. I. A. ſuæ Dominæ atque dilectæ, bonos euentus ex bono promeſeſi principio. Quia te dominam appello, noueris eſſe meriti tui: quod dilectam, debiti mei, ſpõſa Domini mei, domina mea eſt: hinc eſt quod te puro & ſanctitatis amore complector, quod *æmulor te Dei æmulatione.* [2. Cor. 11.] Vapulatem ſub iudice Chriſto, niſi ſponſam Chriſti zelarer & in Chriſto & pro Chriſto. Iterum enim dico; ſponſa Domini Ieſu Chriſti es. Ad regis amplexus de cubiculo militis traducta es; vxor hominis, vxor Dei facta es. [Oſe 1.] Nolo tamen repudium timeas, quia cũ virgo eſſet, hominem Deo, regi militẽ prætuliſti. [Num. 12.] Oſee noſter meretricem ducit vxorem; [Ioan. 4.] Moyſes Æthiopiſſæ coniugio delectatur. [Luc. 4.] Vnde ſitim Chriſtus extinguit? Samaritana poculum adminiſtrat. [Act. 11.] In plateis & vicis, pauperes & debiles, cæcos & claudos euangelium quærit, vnde domus Patrisfamilias impleatur de reptilibus & immun- C dis, in Actibus Apoſtolorum dictum legiſti: [Ioan. 11.] *macta & mãduca:* denique peccatrix fuerat, de qua Ioannes in Euangelio ait; diligebat Ieſus Mariam & ſororem eius Martham, & Lazarum. Innumera ſunt exempla quibus etiam tabernarias peccatrices, ſuo Chriſtus cõiugio dignari figuratur. Nõ enim de iuſtis, ſed de talibus quoque dictũ eſt; *cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* [Zach. 1.] Euangeliſta quidam inquit, quidam ex eis, de longè venerũt; [Mat. 8.] de longè & Scortator ille filius veniebat, quẽ pater in ſymphonia & choro ſuſcipiens, ſaginatum pro eo vitulum interfecit. [Luc. 15.] De longè venientes zelatur Sponſus tuus; eis etiam ſe maritum offerens, quæ numerum perdidere maritorũ. Chriſto itaque multæ vxores. Eius vxor, Agnes & Anna & Suſanna eſt. [*Chriſtus ducit & virgines & viduas.*] Agnes, nullius niſi eius: Anna, poſt alterum, tamen eius: Suſanna ſimiliter D & alteris, & eius. Quæ plus enim diligit parit vberius; quæ plus parit, dotatur ab eo ſublimius: nulla tamen indotata, quia nulla infœcunda. Apud ſponſas hominum (ſi verus eſt Phyſicus) in quinquageſimo anno fœcũditas omnium conquieſcit; quibuſdam nulla omnino filiorum benedictio eſt. [*Mulier poſt annũ quinquageſimum non parit.*] Apud Chriſti coniuges non ſic: nullam natura, nullam tempus facit infœcundam; omnis ætas ab eo concipit, ei parit: In ortu quippe ſumunt Chriſti nuptiæ principium. Virgines naſcuntur omnes: cui forti debetur in cœleſti thalamo principatus. Fœmina fœminam generans, ante Dei ſocrus eſt quàm hominis. Feſtiuum tam feſtinum coniugium! fœlix via nata, & iã nupta. [Matt. 22.] *angeli* enim *neque nubunt, neque nubuntur,* quorum conditio ſexum ignorat. Nam de cæteris Chri- E ſti coniugibus, quid loquar, quibus exuberat in ſenectute fœcunditas? [1. Reg. 1.] Anna fœcundior octogenaria quam iuuencula fuit: [Gen. 21.] vnum Sara genuit Abrahæ filium, Domino plures: *omnes*, ſicut Salomon ait, *gemellis fœtibus* abundant, *& ſterilis non eſt in eis.* [Cant. 4.] Hæ ſunt quæ cum propheta dicunt, [Iſai. 26. 18.] *à timore tuo cõcepimus & doluimus & peperimus, ſpiritum ſaluationis fecimus ſuper terrã.* [*Conceptũ ſpiritualẽ ſequũtur dolores.*] Ab hoc & tu ſoror mea, Domina mea; ab hoc & tu, niſi fallor, cõcepiſti. Si autem cõcepiſti, neceſſe eſt ante partum doleas: cum dolueris, enitẽdum tibi eſt vt parias; cum peperetis, tunc tandẽ veraciter dictura es, *Spiritũ ſaluationis tua Domine fecim⁹ ſuper terrã.* [Eccleſ. 15.] Scio, mea chariſſima, quia Salomonem legiſti dicentem, *qui timet Deum, faciet bona:* [Pſal. 110.] & in Pſalmo, *initium ſapientiæ, timor Domini:* cæterum non

illius sapientiæ quæ apud Deum stultitie est; que sapiẽtes suot homines vt faciant malá, sed quam inter perfe- [A] ctos loquitur Apostolus; quem prudentes Virgines oleũ in vasis eccipiunt, & cum Sponso ad nuptias admittuntur. Hanc à timure sepientiemjà constentia† timurem [† fortè cõscientia.] concepisti. Rapine gauisa es? legeras, *neque fures, neque rapaces regnũ Dei* possidebũt. [Luc. 15.] Meutita es? legeras: *os quod mentitur, occidit animã*. [1. Cor. 6.] In damnum pudicitiæ iuuenibus placere studuisti, legeras, *qui hominibus placẽt confusi sunt, quoniã Deus spreuit eos*. [Sap. 1.] Audisti & exaudisti vẽtrẽ? [Psal. 52.] legeres, *Esca vẽtri & venter escis, Deus autem & hunc & hac destruet*. [1. Cor. 6.] Aetas mellor fluxerat, & nihil adhuc feceras boni? legeras, *ecce anni tres sunt ex quo venio querens fructũ in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illã*. [Luc. 13.] ne ce mala, vel nulla bone feceras. Iudicium timuisti? merito [Mat. 22.] autem timuisti, quouiã iudicẽ dicturum didicisti, *ligatis* [Gal. 3.] [B] *manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Timenda est sane atq; tremẽda hac sententia.* Timur illius, timur seruilis, sed vtilis: de seruu quippe facit & filium. Quod si filium, & hæredem; *Haredem quidem Dei, cohæredem autem Iesu Christi.* Hoc timore timere cœpisti, & concepisti: sed vbi, vel quid concepisti? in egro meotis, spiritum pœnitentis. [Demones mille modis procurãt abortum spiritualis fætus.] Delicatus profecto conceptus, & eacuti facilis ante partum! Mille sunt veneficia dæmooum, quibus iniectis, vel rude semen penitus deficere, vel euecari iam formatum consueuit. Vnde Ambrosius: Facilius (ioquit) inueni qui Innocentiam seruauerint, quàm qui veram egerint pœnitentiem. [Innocentiam seruare quã pœnitere facilius.] Hanc professis, periculosa est præteriterum recordatio voluptatum: eas enim teoerrimè caro suspiret, & immemor vxoris [C] Loth, egressum de Sodomis spiritum, frequentius respicere subhortatur. [Voluptatum recordatio periculosa est pœnitentibus.] Multa est in hoc & semper sollicita, nó tam impetrare quàm eatorquere consensum: nec ei laboriosum est io teli triumphare negotio, cum omnes facilè trahamur illecebris, & efficecior sit conatus carnis ad crimen, quã spiritus ad virtutem: [Genes. 14.] vnde necesse est interiorem hominem dolere, quoniam nun iam quod vult, hoc facit, sed quod non volt, illud agit. [Caro fortior est spiritu.] Nolo expauescas, nolo desperes, si dum incipis fugere te, velut post tergum mussiter prurigo voluptatum: [2. Cor. 9.] si iuate quod Augustinus de sese meminit, succutiat carneam vestem tuam, & dicet, quo fugis? quid tibi & vitæ, cui est impar muliebris infirmitas? quid tibi & oneri, sub quo defectum sexus muliebris pollicetur? Quid somnias, teneros artus & eaquisitis educatos deliciis, longum posse [D] ferre Martyriũ? [Vita monastica, est longũ martyriũ.] Iucipe, sed quod te noo pœuiteat incepisse: quantæ tibi vires, tantus sit & conatus, ne non possis quod conaris. Cero, & mulier, duplea infirmitas, & consortium via discens dediscere voluptatem. Apud neutram tuta est religio, dooec maturior ætas, vtriusq; restinguat incendium. [Apud iuuenculas non est tuta. Religio.] Eo tempore consultius incipies quod modo periculosè profiteris. Neminem sero pœoiter, quem mors Inuenit pœnitentem. [Serò non pœnitet, quẽ tandẽ pœnitet.] In extremo vitæ, Latro dum paradisum meruit exemplum reliquit. [Luc. 23.] Operasios qui circa vndecimam horem venerãt, pases illis in præmio legisti qui portauerant pondus dici & æstus. Hæc & his similia sacris obsistuot initiis: hæc sementem virtutis extingunt, & suffocant ante partum. Talia Syrenes amerissime dulces, talia cœli volucres, [E] animæ cantitant inchoanti: si Syreoes audieris, à portu recedes in voraginem longius ebstracta voluptatum: si volucres te demulcent, frustra seminas, quia quod semioas, à volucribus comedetur. Aduersus tam pestilentes centus (si sapis) obsurdesces, & oe eos exaudias, aspidis eaemplo, mẽtis aures obturabis. Est tibi *scutum fidei, in quo possis omnia tela Nequissimi*, eacipere missa, & *ignea extinguere*. [Eph. 6.] Suot etiã parate tibi iacula, quibus instãtes confodies & expugnes inimicos. Si circe te fabulatorij spiritus, & incantatores carnis motus obstrepuerint, esto constãs & dic: *declinate à me maligni, & scrutabor mãdata Dei mei*. [Psal. 118.] Si recalere mulierẽ senseris, & ad suas reuolare velle ineptias, esto cõstans, & dic: [Psal. 113.] *Domine confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim luis timui.* [A] Si paupertatẽ odisse cœperis, & perceperis diuitiarum suscitari desideriũ, redi ed te, & dic: *Va vobis diuites quia habetis hic consolationem vestrã.* [Luc. 6.] Si te demulceet adulator & ad plebeculæ laudes hilarescas, redi ad te, & dic: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* [Psal. 140.] Si tibi suggeratur, In frigidiores annos bonum differre propositũ, responde & dic: *dies mei sicut fur, ita in nocte venient.* [1. Thess. 5.] Si gula desæuiens tibi lautiores commẽdauerit apparatus, responde & dic: *non est regnum Dei æsca & potus.* [Rom. 14.] His velut quibusdã increpationibus diffugiunt inimici: elabitur memoria voluptatũ, cernis garrulitas cõticescit, sanctæ conuersationis initia conualescunt, his formabitur & in fructũ proficiet quicquid bona terra cordis tui conceperit à timore Domini Dei cultoris sui. Fructum autẽ [B] hunc intellige, fructum spiritus, fructum de quo Apostolus ait; *Fructus spiritus, gaudium, pax, patientia, lõganimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, cõtinentia, castitas, aduersus quæ nõ est lex.* [Gal. 5.] In huiusmodi filiis hæreditas ecquiritur sempiterna. Fœlia, si leudat & eaultet apud te tem beeta progenies, fœlicior autem si de ea tuus triumphare non poterit inimicus. Forteissis ignores, sed in masculos huiusmodi superstes edhuc Pharao debeccheiur, inuidiam quã cœpit ante partum constanter eaercens & post partum: quos enim conceptos doluit, editos mergit in flumine, nesciens eum iem natis in gretiam reuerti, quos oderet nasciturus. [Exod. 1.] Persequitur ergo illos vsque In hodiernum diem, nec pudet congredi superatum, dummodo speret elium superare. Siue igitur parturies adhuc, siue iem educes quod peperisti, illum time Pharaonem, quo sicut nihil peruersius [C] est, ita nihil astutius. Eius astutie factum est, vt de prima muliere modico triumpharet epparatu: vno enim pomo superauit, quo dum lacessit personem, vulnerauit & naturam. [Gen. 3.] Inde nimirum corrupta est tota progenies, & prostratos inuenit hæredes, parentum triumphator. Ego igitur non immemor, cum quo hoste bellum iniexis, pro quo congresse sis patrimonio, vt non minus inimici pertinacie, quàm præmij magnitudine, selutti tuæ iouigiles, in eo & per eum vincere quærens, qui propter te mortuus vicit, sepultus triumphauit Iesus Christus Dominus Deus ooster.

*Epistola 42. Argumentum.*

[D] *Episcopo cuidam (vt veri simile est) scribit anathemate non iustè percussum ab illo Lisiardum quendam, ob raptum filia Gaufridi, qui raptus non sit veri similis, imo, verum esse illius cum illa Gaufridi filia matrimonium, cum interueneris vtriusque consensus.*

NE vel deesse iustitiæ, vel aduersus iustitiem, Lisiardo, immeritam viderem anatbematis inferre sententiam: de sacrilegio ac rapina, quorum Ipsum arguitis, veritetem diligentius inquirere disposuimus. Itaque secuodum tenorem reciteti nobis negotij, præfasũ Lisiardum nec sacrilegij reũ esse manifestum est, nec aliquã filiam Geufridi impetiuisse violentia. [Puella in Monasterio Sãctimonialium, doctrinæ causa, enutrita.] Quis enim affirmare eudeat, puellam de monasterio Sanctimonialium [E] abstractam; quam (maturioris doctrinæ causa, sacris cõmixtam Virginibus) ed virum egredi pater decreuit, mater voluit, amite eduait, Ipsa consensit, consensit vtiq;, in nullius nisi Lisierdi (sicut ipsa testatur) eo viuente, transiture cooiugium? Sane consilium sepiens & maturius sois aunis, quo sic harmonia sue legitimis est seruata nuptijs, vt eligeretur vir non inferior genere, nõ conditione abiectior, noo mioor potestate! Quantum eutem consensus obtineat In matrimonio principatum, Nicolaus Pepa sic demonstrat Hincmero Episcopo: sufficiat secundum leges solus eorum consensus, quorũ de coniunctionibus agitur; qui consensus, si solus in noptiis desuerit, cætera omnia cum Ipso coitu celebrata frustrantur. De eodem Ioannes Chrysostomus: Matrimonium

*Nõ coitus sed consensus matrimonium facit. Hom. 36 in Matt. XXXII. q. 2. c. de Nuptiis.*

monium non facit coitus, sed voluntas. Hoc etiam Vrbanus Papa non tacuit, super Arragonum regem, qui A neptem suam cuidam militi se daturum, sub fidei promissione firmauerat; canonicũ proferens in hæc verba Capitulum: de neptis tuæ coniugio, quam te cuidam militi daturum, necessitatis instante articulo, sub fidei pollicitatione firmasti: hoc (æquitate dictante) decernimus, vt si illa virum omnino (vt dicitur) renuit, & in eadẽ voluntatis authoritate persistit, vt viro illi prorsus se deneget nupturam; nequaquam eam inuitam & renitentem eiusdem viri cogas coniugio sociari: quorũ enim vnũ corpus est, vnus debet esse & animus; ne fortè cùm virgo alicui inuita fuerit copulata (contra Domini, Apostolique præceptum) aut reatum dissidij, aut crimen fornicationis incurrat: cuius videlicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam coniunxit inuitam. B

*Epistola 43. Argumentum.*

*Profitetur sanctum suum, erga Reginam Anglorum (vt puto) amorem, seque nunquam eius oblitum esse ad altare.*

LOcorum vel temporis incommoda, sanctus amor ignorat: Affectus in eo principatur qui semper sui iuris est, nec ei vis præiudicat aliena; omni siquidem tẽpore licet diligere, & si quem diligas videre nõ liceat. Hinc est quod mari & terris separatus à te, in Christo diligo te; illuc mentionem tuam deferens, vbi & honesta cogitatio præmium, & illicita supplicium promeretur. Ad altare quippe Domini tua me comitatur memoria; timentem ne mihi cedat ad iudicium, si eo te interuentu C defraudo, quem beneficiis regina comparasti.

*Epistola 44. Argumentum.*

*Quidam sacerdos, de communi pane sacrificium obtulisse confessus, mittitur puniendus, magis ob scandalum Ecclesiæ (cuius gregem Sacrificij nouitas conturbauerat) quàm ob grauitatem culpæ.*

*Ecclesiæ scandalum ipso delicto grauius puniendum.*

SAcerdos præsentium lator dum ministraturos sacris adstaret altaribus, nec in hoc præparatum panem inuenirct, de communi pane sacrificium se confitetur obtulisse: quam rem licet potius consuetudo quam fides impugnetur; nos tamen nonnullam in eo culpam attendimus, arbitrantes grauius puniendum esse ecclesiæ scã- D dalum, quam delictum; & sacerdotis iniuriam, quàm reatus qualitatem: quod quis in vestra Diœcesi factum est, personam quæ peccatum peccauit, sub vestro statuimus iudicio, quatenus ab eo Pastore transgressio puniatur, cuius gregem Sacrificij nouitas conturbauit. Erit igitur vestræ deliberationis in sacerdotem, qui malè confecit, eam proferre sententiam, quæ plus patris habeat quàm Iudicis; plus misericordiæ quam censuræ: Scriptum est enim; *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* *Hab. 3.*

*Epistola 45. Argumentum.*

*Hortatur Ecclesiasticum quempiam, ad bonum perseuerantiæ; ac ne patiatur purissimum conscientiæ argentum E cuiusquam muneris scoria decolorari.*

ZElum legis habes, quem tamen tibi cathedra non contulit, sed apud te inuenit: Id ostendunt commissa tibi Ecclesiæ negotia; quæ pariter, & inter minas intrepidus, & integer inter munera sub capitis discrimine peregisti. Cæterùm, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Per euertes oro, nec aliundè patiaris, vel illud potissimum bonæ conscientiæ tuæ argentum, cuiuslibet muneris scoria decolorer. Venturus est Satanas ad te, qui tentet te, qui dicat, *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*: sed si bene noui te, sic responsurus es tentatori, *vade retro Sathana.* *Matt. 10. 24. Matt. 4.*



A *Epistola 46. Argumentum.*

*Quendam sibi benè notum, derelicti gregis ac malè suffecti procuratoris arguit.*

*Animarũ semel susceptã curã deponere, non licet.*

SIcut reprimendæ præsumptionis est, ad animarum regimen accedere non vocatum, sic iam susceptum deponere nulli, nisi quem sua deiecit culpa, canonicis permittitur institutis. Vnde & apud Fratres, qui sub data tibi professione vitam viuunt communem, grauissimum noueris exortum esse scandalum, quia eos inconsultos relinquere, & inuitis ac renitentibus Procuratorem substituere decreuisti. Qui postquam sic se dimitti, sic submitti quorundã relatione didicerunt, ad nos vs- B que fatigati, grauem nimis & plenam gemitu deprompsere querelam. In dubium namque venit, magisne tuũ accusent abscessum, an accessum illius recusent, quem iudicasti subrogandum derelictis. Eum quidem credimus facilè suscepto abrenunciaturum negotio, vtpote qui nouerit oportere trahi; non vltro ad æternam currere pastoralem. Tu autẽ vehementer arguendus es, & durioribus verbis increpandus, qui sine causa legibus tradita, gregi commisso Pastoris præsidium subtraxisti. Quod in grege, si vel vnius vel plurimorum tibi peruersitas displicuit, Augustinum tamen tua debuit attendere paternitas, ad Vincentium sic scribentem: Propter malos boni non sunt deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt. Si vero totus grex (quod absit) vias incedit tortuosas, nec in sermone tuo requiescit eorum spiritus C inquietus, prius tamen fuerit in auribus nostris eorum ponenda causa, quam deponenda custodia. Porrò de demissione huius, idem Augustinus in 3. libro contra Donatistam Parmenianum: qui vult corporaliter, quasi manifestos malos deserere, spiritualiter deserit latentes bonos, quos inexpertos & incognitos cogitur accusare, dum separationem suam conatur defendere. De eodem quoque, vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine, amplectendum nobis exemplum proposuit, nequaquam paucülas oues deserens, donec vllam omnino cui prodesse posset, inuenit. Hinc & Gregorius super Ezechielem, sic ait: qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minimè permittuntur. Memineris igitur, summa cum festinatione ad commissum tibi gregem reuerti; sub districto Iudice pu- D niendus, si vel patere, vel quæ post discessum tuum perpetam facta sunt, corrigere distuleris.

*Duriùs arguendus est qui se gregi subtrahit.*

*Boni non deserẽdi, mali tolerandi.*

*Pastores à grege abesse nõ licet.*

*Epistola. 47. Argumentum.*

*Spiritualem quendam hominem (ni fallor) summa animi modestia hortatur, vt sicut cœpit pergat libare Deo, quod pro Deo aurum recusauerit: alioqui fatetur, ægrotum se valenti consilium dare.*

SAnctæ conuersationis vestræ procedentibus primordiis gratulamur; eorum Authorem deprecantes, vt meres ministralem induet tunicam, & hostiæ caudam immolare: quod ita futurum Christo Iesu cooperante E confidimus, bonam spem nobiscum reportantes; quia eo duce peruenietis ad brauium qui mouit ad cursum: quo in proposito, quanta vobis occurrent remoramina; iam nisi fallimur, experientia didicistis. Ad virtutem namque gradientes; quo offendant, vtique inueniunt. Eam profiteri, pronum quidem est; perseuerare autem, difficile. Inde fit vt cum prope sit quo curritur, plures tamen breuissima deficiunt in via. In Ægypto enim sumus, in qua masculorum vitam superstes adhuc Pharao persequitur. Tot in deserto, vel gladiis vel serpentum morsibus ceciderunt, vt duo tantum terram intrarent promissam. Denique *multi vocati, pauci vero electi*; Quid autem sit, quo teradentur contendentes in hoc agone sacerdotes; & si vestram non lateat prudentiam,

*Leuit. 3. 9. & 7. 3.*

*Virtutẽ profiteri pronum, profesũ vsque mori, rdũum.*

*Matt. 20.*

*Virtus ex hortatione suscipit incrementum.*

nos tamen illud vobis scribere decreuimus, exhortandi potiùs gratia quàm docendi. Equus cum bene currat, plurimum tamen clamoribus exhortatoriis adiuuatur. Ociùs iuuenci mouentur, notis vocibus excitati: sic & virtus stimulos requirit, & exhortatione suscipit incrementum. Ad verum itaque desudantibus bonum nihilęquè noxium est quàm inter diuitias sibi minimè constare, nec animi retinere libertatem. Animus desursum veniens, sursum nititur: difficile, quo sperat vel aspirat, peruenturus, nisi exoneratus incesserit. Ille simul atque ad inferiora declinat bona; degenerat, & incipit ex proprio defectu seruire, cuius est ex natura dominari. Graue nimis, hanc excutere seruitutem, quæ voluntate potiua quàm seruitute sustinetur. Imperiosus enim Dominus est, amor habendi; facilius impugnás animos quàm corpora, Siculorum immanitas tyrannorum. Nemo est cui tandiu tam deuore seruiatur; quocunque vult, suũ ducit seruum. Nun eripitur sibi fuga, non alicuius violentia potestatis; vix enim de cupiditate triumphat, de quo semel cupiditas triumphauit. Cupiditas leges obliterat, ius omne persequitur, diuinas abradit sanctiones.

*Cupiditas radix malorum.*

Cupiditas in, *in regionẽ dissimilitudinis*, abducit hominẽ oblitum quam cum Deo & ex Deo habet dignitatem. Denique (sicut ait Apostolus) *Radix omnium malorũ cupiditas.*

*1 Tim. 6*

Radix huiusmodi, radix mortalis, & ramos profert ena toxicatos: ex ea namque est quod Osee propheta testãre;

*Osee. 4.*

*maledictum & mendacium, & homicidium, & furtũ inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit.* Sub vmbra ramorũ istorum *animalis* homo quiescit; eo, cupiditate, docilis declinare. Is ad viã difficilè reuertitur, torpens & quasi frigore gelatus Aquilonis. Nimirum propter hoc frigus, *piger arare non potest*, & *peccator cum venerit in profundum iniquitatis, contemnit.*

*Prou. 18.*

*Exod. 13*

Pharao cum esset feruenti plagæ proximus: hoc frigore tamen indurũit, quia labores manuum Israel indebitè vsurpauit. Dici non potest quantas animas hoc frigus astrinxerit, quorum prope consummatum abrupere cursum, quàm grauem retentia indixerit seruitutem. Animi quippe libertatem, plures inter tormenta seruarunt; inter opes autem pauci. Miserabilius cupiditas de Saule ipso, quàm Saul de Amalech triumphauit.

*Inter tormenta m conseru libera multi, inter diuitias, pauci.*

Mercede captus Balaam, plenum maledictionis animum gessit; cum verbis eius ad benedicendum Dominus vteretur. Ante hostes cedit Israël, donec pro sublatis de anathemate spoliis, lapidibus Achã puniretur.

*Ios. 7.*

Et vt rosam de spinis, colligamus? Atalanta, secundum poëtam bene currebat; quæ dum declinaret ad aurum Hippomenis, victa succubuit. Legimus, plures etiam perfectos, hac infectos amurca; & conuersam esse in diuinationem, multorũ prophetiam prophetarum. De his enim sic Micheas ait: *Sacerdotes Hierusalẽm mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabãt, & requiescebant super Dominum, dicentes; nunquid nõ est Dominus nobiscum? non venient super nos mala!*

*Mich. 3.*

Quẽ locũ exponẽs beatus Hieronymus: Sacerdotes (inquit) in morte dedocebant, & prophetæ in pecunia diuinabant, &c. nescientes aliud esse prophetiam, aliud esse diuinationẽ; videbantur quidem sibi esse prophetæ; sed quia pecuniã accipiebant, prophetia eorum facta est diuinatio: quæ dum minus attendunt qui sub precio redigunt impreciabilem Spiritus gratiam; similes fiunt lignis syluarũ, quæ in libro Iudicum, oliuam & ficum & vitẽ imperare sibi postulant, nec impetrant: postulant deinde ramum & ramus eis acquiescit.

*Iud. 9.*

Nostis equidem per sicca & infructuosa syluarum ligna pseudo Ecclesiæ figurari ministros fœcundante gratia carentes, nec fructum faciẽtes; quæ Dei sunt malè quærentes, nec impetrantes. De huiusmodi sic Apostolus Iudas ait: *hi sunt arbores autumnales eradicatæ, infructuosa, bis mortuæ.* Nostis etiam qua vnctio illa, nomine figuratur oliuæ: qua diffunditur charitas Dei in cordibus nostris, qua Filium Deũ *Deus vnxit præ consortibus* suis: qua interius delibuti sunt discipuli Christi, sed iuxta ministeriũ donationis Christi.

*Psal. 44*

*Ioel. 2.*

De hac vnctione Dominus per prophetam Ioël: *Effundã (inquit) de spiritu meo super omnẽ carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ.* Porro, per ficũ, lex vetus iudicatur; quæ plantata in vinea Domini Sabaoth, in vineam de Ægypto translata, ficus malas protulit, protulit & bonas: malas quidem, malas valde; bonas autẽ, bonas valdè. *Littera* enim Legis *occidit, spiritus autẽ viuificat.* Hanc ficũ, in Euangelio innuit cũ dicit: *quidam Paterfamilias plantauit vineã,* & in vinea plantauit ficũ.

*1. Cor. 3.*

*Luc. 13 6*

*Ioan. 15.*

Nam per vitem, quis rectius quam Christus exprimitur, qui de seipso discipulis loquens, ait: *Ego sũ vitis, vos palmites?* Vitis huius vinum, Euangelij mustum est, mustũ lætificans cor hominis, & vtres eorum recusans animorum quos fęcibus vetustatis obsoletos inuenerit. Huiusmodi mustum Euangelista indicat his verbis: *Nemo mittit vinũm nouum in vtres veteres, alioquin rũpuntur vtres, & vinum effunditur, & pereunt vtres.*

*Matt. 9.*

*M. 11. 7.*

*Luc. 5.*

Ramus autẽ; scilicet spinosum genus rubi & asperum, conuenienter ostẽdit hominem peccati, filium perditionis, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus. Has spinas & aculeos, Psalmus innuit cũ dicit; *cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo. sub lingua eius labor & dolor.* Et post pauca: *insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.*

*Luc. 5.*

*Psal. 13*

*Psal. 9.*

*Iud. 9.*

Cum itaque ligna syluarum prælcriptas arbores imperare sibi postulant, non impetrant, quia cum præfatæ peruersitatis homines, quæ Dei sunt, male quærunt, non accipiunt. Scriptũ namque est: *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

*Psal. 65*

Postulant isti operatricẽ Spiritus sancti gratiã; sed Simoni Petrus ait: *Non est tibi pars neque sors in sermone isto.*

*Act. 5.*

Postulãt mystico legis intellectu, quasi quibusdã dulcissimis fructibus pasci: sed iuxta Esaiam; *cæcat Dominus cor populi huius, & aures eius aggrauat, & oculos eius claudit, ne forte intelligant & audiant & videant, & conuertantur & sanentur.*

*Esai. 6.*

Postulant hærere Christo quasi palmites viti, & euangelica imbui doctrina; sed eis nihil esse conuentionis cum Christo, sic Apostolus ostẽdit. *quæ conuenientia Christi ad Belial?* Et Salomon, *In maleuolã* (inquit) *animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

*1. Cor. 6.*

*Sap. 1.*

Quia igitur huiusmodi nec spiritu Dei reguntur, nec legalibus aut euangelicis subiiciũtur documentis; Ramũ sibi postulant, quoniam Antichristum rectorem sibi constituunt, in eis iam mysterium iniquitatis operãtem. Quanta ergo sit pestis cupiditas, quæ virtutis abiuratio, quam præceps ad infernum descensus; nec etiam tardiores credimus ignorare. Turpe nimis Christum Dei hoc inquinari atramento, quo prophetia in diuinationẽ degenerat, exinanescit interior Spiritus vnctio, mysticus legis obscuratur intellectus, suferrur Euangelicæ sapor doctrinæ, & qui se iactitant regnũ Christi, regnũ fiunt Antichristi. Turpe (inquam) nimis, animam Domino similem, huic Idolo substerni, curuare genua ante Baal: his hominem amittere maleficiis, quibus etiam sapientũ oculi fascinantur, vt non videant cœlum, neque recordentur iudiciorum iustorum.

*Imaginẽ Dei idolo substernendignum.*

Scimus autem, & Domino Deo gratias agimus, vos omnimodè præfatam fugere tempestatem, nec dissimulanter indignari, Christum Dei vel auram odorari munerum, vel fauorem quærere personarum. Sancta hæc & Deo placens indignatio, quam & lingua loquitur, & actio attestatur. Audiuimus tamen non defuisse qui vos vrgerent ad spaciosas & spectantes ad mortem vias: qui dicerent, rem vestram, sumptuosis nõ sufficere expensis, habendum præ manu, quod de manu pauper accipiat: his *qui altari* deseruiant licere *de altari* viuere.

*1. Cor. 9.*

*1. Reg.*

Saulem desideriũ animi sui vaticinio quæsiturum, pondus argenti ad prophetam Samuelem tulisse verba hæc, sibi li sunt antiqui serpentis, cui parum est absorbere fluuium, nisi & hoc attenret, vt influat Iordanis in os eius. Hæc dicentes, ignorant; *melius modicum iusto, super diuitias peccatorũ multas.*

*Psal. 36. 6*

*3. Reg. 14*

Et quidem Saül asinas quæsiturus, quartam partem cicli ad Samuelem gerit: & vxor Ieroboam, cum pa sis vuis & panibus ad Ahiam virum Dei ingreditur. Hi profecto, sicut scribit Hieronymus, quia didicerant nonnullos

mercede vaticinari, credebant & istos in mercede vaticinari. Cæterum neuter eorum legitur delata suscepisse munera, cum potius Samüel satis hospitaliter Saülem pauisse, Ahias verò præfatam mulierem verbis durioribus increpasse memoretur. Fateamur autem nos accepisse, secundum eundem Hieronymum, stipes potius dicenda sunt templi, quam præmia prophetiæ: Vos igitur agite quod agitis, incedite sicut cœpistis, vos, ad vocem incantantium & *venefici incantantis*, sapienter ad mortem, mentis aures obturare, scientes quoniam aurum & argentum libatis Deo, quod pro Deo recusatis, aquam etenim periculo militum de Betlehemitica cisterna surreptam, quia Dauid (cum sitiret) propter Dominum, eam fudit, gratum Domino sacrificium fecit. Qua de aqua, Berharedo † Gursi Gotborum regi qui oblatum sibi aurum pro Deo recusauerat, sic beatus Gregorius ait: † Dauid Regis factum mihi ad memoriam venit, cui dum corrupita aqua de cisterna Bethlehem, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset illata, protinus dicit: *Absit à me, sanguinem istorum hominum bibam*: quam quia fudit & bibere noluit, scriptum est, *libauit eam Domino*. Si ergo ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contẽpta, pensemus quale sacrificium omnipotẽti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius nõ aquam sed aurum accipere cõtempsit. Hæc sanctitati vestræ scripsimus similes ægroto benè habentibus antidotum procuranti. Cæterum sanis quoque, languentium manus aliquando profuerunt. *Neminisque Poetam fungi vice cotis, acutũ reddere quæ valeat ferrum exors ipsa secandi*. Sanè dũ vobis hæc exaramus exoramus scrutantem renes & corda, ne patiatur hor, defectu vestrom pulsari spiritum, quo præsumeretis ea potius arrogantiæ quàm charitati deputare. Ignorat imperfectum hoc anima mea, cùm depressam se grauissimis excessibus nõ audeat diffiteri. Quicquid est actum, charitas docuit, cuius est *gaudere cum gaudentibus*, & cum infirmantibus infirmari. Vicem mihi rependitis, si diligitis me, & oratis pro me.

*2 Reg. 23. 15.*
*† Rec'arredo Vuisigottorũ. Cr.*
*† Epistolar. Libro 7. indictionis 2. Epistola. 126.*
*Recharedo Rege Visigottorũ.*
*Rom. 12.*

*Epistola 48. Argumentum.*

*Orationum suffragia pro defuncta Regina petentis amici exhortationem, se antevertisse, licet eam ita vixisse sciret, vt non egeret interuentu post mortem, rescribit: & ad extremum, exceptiones decretorum pollicetur.*

PLerumque fit vt ex præteritis euentum colligamus futurorum, vnde & nos veram amicitiam speramus ex vobis, quæ amico sepulto nõ sepelitur in vobis. Docet hoc, animi vestri erga reginam sanctus & superstes affectus, cui, pro ea interuenire non sufficit, nisi & aliorum etiam impertet interuentum. Oratis quidem orari pro ea: sed credimus eam plus posse suis non adiuuare, quàm egere nostris precibus adiuuari. Fateamur enim necesse est eam decessisse reginam, cui nec ex opulentibus deliciis, nec ex potestatis licẽtia, nihil ex lenocinio sexus, ad honestatis periculum surrepsit. In ea, præter virtutem, nihil virtus inuenit. Quem vitæ modum licet interuentu post mortem non egere nouerimus, vestram tamen præcessimus exhortationem, veriti iudicium nisi orationum sedulitatem, quam à nobis regina promeruit, sponte nei potius quàm rogati solueremus. Ingratum coluit, nisi colatur & ipsa pro seipsa. Præterea non soluimur à debito, si interuentum nostrum alienus ei comparet interuentus. Beneficium namque pro alio remuneratæ quàm pro seipso, non soluit sed obligat debitorem. Sanè pro destinatis nobis scriniis, primo paginæ nostræ capitulo gratias ageremus, nisi sicut in animo, sic & in scripto primum sibi locum regina vendicaret: serò enim reginæ meminit, quisquis eius post aliud recordatur. Exceptiones autem Decretorum quas in vnum volumen ordinare disposuimus, ad suum finem nondum perductæ sunt: opus enim hoc liberum curis pectus desidera[...]mus nos immunes, episcopatus fecit: bonam tamen expleuimus partem; atq; ad id peragendum quod restat, Episcopum deponemus Peractum, vestras veniet in manus; nec opus erit quòd pro eo deferendo vester Legatus ad nos vsque fatigetur. Officij nostri erit, vobis illud per nostrum destinari. Vale.

*Pollicetur exceptiones Decretorum.*

*Epistola 49. Argumentum.*

*D. Augustini testimonio Episcopum laudat qui studiose libertatis Ecclesiæ Episcopaliter desudasset, ne abstraherentur de Ecclesia, qui illuc immunitatis gratia confugerant, vtque quod cœpit, strenue peragat, hortatur.*

AVdiuimus & valde lætati sumus, fraternitatem vestram pro eorum deliberatione qui de Ecclesia violenter abstracti fuerant; satis episcopaliter desudasse. Cæterũ *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Credimus autem vos perseueraturos, quoniam & honorem Ecclesiæ Christi diligitis, & canonicas non ignoratis sanctiones. In his enim nouistis contineri; reum fugientem ad Ecclesiam, nemo abstrahere audeat, nec inde donare ad pœnam vel ad mortem, vt honor seruetur Ecclesiarum. Augustinus quoque inter illaqueæ fidei aduersantur, hanc esse contumeliam ponens, ad Bonifacium Comitem qui de Ecclesia hominẽ abstraxerat, sic scribens ait: Miror quam subitò fidei murum aries ruperit inimici; noui enim qua religione semper sis Ecclesiam veneratus; quo instigante furore hominem de Ecclesia rapuisti? Idem post pauca: Ecce igitur illæsum reuoca; quẽ, vt irreligiosus rapuisti. Oblatio verò domus tuæ à Clericis ne suscipiatur, interdixi; communionemque tibi interdico, donec peracto pro noxibus à me definito tibimet pœnitentiæ tempore, contrito corde & humiliato, dignum offeras Deo sacrificium. Porrò dictum est nobis, raptores dicere; quòd † Vvalguerius fidei pollicitatione promiserit, se (nisi eorum licentia) de captione nullatenus exiturum, quod si etiam verum sit; tamen nec vsus habet, nec ratio permittit vt reus de Ecclesia abstrahatur. Qui enim dixit; Reũ de Ecclesia nemo abstrahat: nullum omnino exclusit quem salua liceret abstrahi iustitia. Nos quoque consuetudinem sequentes, quæ nec rationem impugnat nec legem; his etiam qui violata fidei promissæ reuerentia ad sinum matris Ecclesiæ confugiunt, integrã egrediendi vindicamus libertatem, & raptores Ecclesiastica punimus disciplina. Qui scilicet raptores, si aduersus liberatos læsæ fidei causam mouerint; neminem omnino liberatorum Ecclesiastica compellit respondere iustitia. Valete; & quod cœpistis, strenuè peragite.

*Matt. 10.*
*Ecclesia locus immunitatis.*
*xvii. q. 4. c. Miror.*
*† Galguerius.*
*Dent abstrahi Ecclesia nequis.*

*Epistola 50. Argumentum.*

*Nomine Vuillielmi de † Lengeie, qui Hugoni excommunicato communicans exciderat gratia Episcopi, apud quem gratus ante pro Hugone intercedebat, petit Hildebertus, illi & alteri in integrum ignosci.*

*† Lodleio.*

POtestati cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle cum possit: quod serenitas vestra satis episcopaliter attendens, Vvillielmo † Longeio indulsit, qui pro Hugone (vestro scilicet excommunicato) in Engolismensi concilio agens, dum eius quæreret gratiam, amisit vestram: in quam licet intercessione vestra redierit; tamen quia semper suspecta est offensa Potestas, adhuc per nos deprecatur sibi in integrum ignosci: quod cum constabit adeptum, si eius prouectui persona quam offendit non obstiterit. Absit autem vt sic ad vltionem remissæ recoleris iniuriæ, cuius est, in remittenda ex animo iniuria Solem præuenire occidentem. Bis Deo sacrificat offensus & clemens præsul. A tyranno parum differt sacerdos, illatæ memor iniuriæ. Præterea, immeritum persequitur, puniens qui remisit offensam, Remisistis

*† Londonio Condonanda cum possunt vlcisci iniuriæ.*
*Potestas offensa, semper est suspecta.*
*Eph. 4.*

*Sacerdos memor iniuriæ, tyranno est æqualis.*

autem & hoc nobis signum: eundem verò nobis in præfato commisistis concilio: præcipientes vt ex nostra deliberatione super hoc satisfaceret Deo quod excommunicato vestro communicare præsumpserat. Si quid apud amicum preces amici possunt, sentiat Guillielmus, verè ab animo vestro omnem omnino propulsatum rancorem: quoniam qui potuit offendere, potest & vult offensam deuotia redimere obsequiis.

## *Epistola 51. Argumentum.*

*Vigilantianæ hæreseos interpolatorem insectatur & confutat, qui vt maiore auctoritate impietatem propagaret (otiosas nimirum esse Litanias quibus Sanctos oramus pro nobis interesse, cum nec audiant nos, nec sciant quid agatur apud nos) Hildebertum, eadem secum sentire & docere ventilabat.*

*Impietas ambit fautores.*

IN regno quidem, nullus in errore animi, omnis homo sibi consortem quærit; quod ideò vtique fit, quia cuilibet inuentioni hominum, consensu multitudinis auctoritas accedit. In ortu suo Arriana suffocaretur impietas, nisi tutores qui natam educarent inuenitet. Donati schisma premeretur silentio, si personâ in fecisset, non turbam. Tu quoque tanquam doleas omnimodo suppressam Vigilantij peruersitatem, suscitare eam perhibêris, & tibi socios adhibere, quorum cultu *plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis*, sicca dudum reuiuescit. Ais enim (vt aiunt) quid in ista geratur vita, Sanctorum animas ignorare, atq; ideò ociosas iam esse Litanias quibus oramus, vt orent pro nobis Sancti, quia nec audiunt nos, nec noscunt quid agatur apud nos. Quâ videlicet Sanctorum iniuria, & grauius anima nostra vulneratur quod quibusdam dixisse dixeris, me idipsum sentire, idipsum tenere & docere. In cœlo est Iudex meus, conscius meus, quem nec intuentem fallere, nec euadere possum iudicantem. Coram eo loquor: nouit ille quia nunquam in tantum euanui defectum, vt id vel dixerim, vel aliquando carnaliter senserim, quod insensatè sentitur, quod periculosè creditur, quod docetur. Ego quidem simulare decreueram, & te quasi nō viderim præterire: legeram enim illud Apostoli; *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Legeram & Gregorium, ad Palladium sic scribentem: inter verba laudantium & vituperantium, ad mentem semper recurrendū est; & si in ea non inuenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet; & rursum si in ea non inuenitur malum quod de nobis loquuntur homines, in magnam debemus lætitiam prosilire. Item si nobis est testis in cœlo, si in corde; dimitte stultos foris loqui quod volunt. Cæterum quia suggestum est mihi, alios quoque atramento eodem respersos, assumpsi me expertem huius nouitatis ostēdere, & refellere professores. Nondum explet episcopum, qui suorum censor ad vitia silet aliena: huiusmodi professio delicti arguitur, quoties non arguunt delinquentem. Sacerdotis enim est satagere, ne solus Deo placeat, sed sociis; vnde peccare conuincitur, nisi bonum quod in seipso diligit in suo etiam diligat inimico. Hinc est quòd ego (frater mi) desidero bonas fieri vias tuas & studia tua; nec in eorum reperiri numero *quorum sermo serpit vt cancer*, qui narrant *fabulationes, sed non vt lex* Domini Dei, quibus profectò fabulationibus memorata iam peruersitas accedit, cui resistere constat Ecclesiæ consuetudinem, refragari authoritatem, deesse rationem. Quòd enim vniuersalis Ecclesia Litaniis insistat; quòd in lachrymis & spiritu contribulato dicere cōsueuerit, *sancta Maria ora pro nobis*; nec indoctus ignorat cum audit, nec doctus cum audit impugnat. Nos tamen veritati nequaquam præponimus consuetudinem, scientes, quia consuetudini nil debetur, cui veritas aduersatur: vnde & in tertio libro de Baptismo paruulorum sic ait Augustinus, veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Item, nemo consuetudinem veritati & rationi anteponat, quia cōsuetudinem ratio & veritas semper excludit. De eodem Cyprianus: Quælibet consuetudo, quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati est omnino postponenda: Et vsus qui veritati est contrarius, abolendus. Cæterum cum veritati consuetudo concurrit, exhibendam consuetudini prohibeo reuerentiam, & oportere longiorē vsum immobilem custodiri. De quo Augustinus in eo libro de Baptismo sic ait: hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est, scilicet cū veritas consuetudini suffragatur, vel oportet firmius retinere, forsitan reuelatum est tibi desuper, Ecclesiam Christi vsque ad tua tempora desipuisse: atq; Apostoli cum illud in te completum, *si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis reuelauit*: fœlix qui solus factus es Ecclesiæ cælestium interpres secretorum! Credebā tamen Paulū *raptū in paradisum*, & audisse *arcana verba quæ non licet homini loqui*: sed & tu forsitan raptus es illuc, & inde retulisti hæc verba, quæ non licet homini loqui, sed *quod signum ostendis nobis vt credamus tibi?* quis Sanctorū tuæ huic astipulatur doctrinæ? Nunquid tibi est authoritas, qua mihi silentium imponas? Sentio enim, sentio & dico; Sanctorum animas iam cū Christo regnantes, scire quid agatur à nobis, & easdem (cū oportet, & expedit) orare pro nobis! Infirmum & debile testimonium quisque sibi: Habeo mecum plenas auctoritates, animas, quas & meritum pastores animarum fecit, & Spiritus Dei *omnem* docuit *veritatem*. Decepit me vigilātia tua, nisi Gregorium legeris in 12. libro super Moralia, his scribentem verbis: Sicut hi qui adhuc viuentes sunt, mortuorum animas quo loco habeantur ignorant; ita mortui vita in carne viuentium, posteà qualiter disponantur nesciunt, quia vita spiritus lōgè est à vita carnis: & sicut corporea atque incorporea diuersa sunt genere: ita etiam disiuncta cogitatione: quod tamen de sanctis animabus sentiendum non est, quia qui intus claritatē Dei omnipotentis vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid quod ignorent. Item Gregorius in Moralibus: Sanctorum spiritus, interius exteriusque sentiendo, distenti sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur: quid enim de iis quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia, sciunt. Eorum itaque scientia comparata nostræ, valde dilatata est, sed tamen diuinæ scientiæ comparata, valde angusta est, sicut & spiritus mortuorum, comparatione quidem corporū nostrorum spiritus sunt, sed comparatione summi & incircumscripti Spiritus, corpus. Post hanc itaque Gregorij assertionem, qua temeritate dices Spiritus Iustorum omnino ignorare quid in ista agatur vita, nisi maiori dementia dixeris, quòd spiritibus Iustorum nulla post hanc omnino sit vita, quod & de illis sentire impium est, & hæreticum attestari? In hanc enim prolabi insaniam, spem cælestium euacuat præmiorum, & ei miseriæ addicit, de qua sic ait Apostolus: *si tantum in hac vita in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Porrò: quā pro interpellantibus, eædem animæ interpellent, ad Vigilantium, cuius pedissequam fecisti animam tuam, Hieronymus scribens, his eum redarguit verbis: Dicis in libello tuo quòd dum viuimus, mutuò orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit exaudienda pro alio oratio: præsertim cum Martyres, vltionem sui sanguinis precantes, impetrare nequiuerint. Si Apostoli & Martyres in corpore constituti adhuc possunt orare pro cæteris, quando adhuc de se debent esse solliciti, quantò magis post coronas & victorias & triumphos? Vnus homo Moyses, sexcentis millibus armatorum impetrat veniam; & Stephanus imitator Dei sui, & primus martyr in Christo, pro suis persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex animas sibi cōdonatas dicit, & resolutus, cum cœperit esse cum Christo, tunc

ora

*Marginalia:* § Gal. 2. — *Confitēri mille testes.* — 2 Tim. 2. — Ps. 118. — *Qualis sit hæresis eorū qui negant Sanctorum intercessionem.* — *Consuetudo, nil debetur cui veritas aduersatur.* — *Pulchrè in Calumniat. Philip.* 3. — 2. Cor. 12. — Ioan. 3. 18. — Ioan. 16. 13. — *Beatas omnes scire & pro nobis orare.* — *Spiritus collati Deo sūt corpus.* — *Qui negant Sanctorum intercessionem, omnino negant. Animarum immortalitatem.* — 1. Cor. 15. — Exod. 32. — Act. 7. — Act. 27.

ora clausurus est, & pro iis qui in toto Orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit vel audebit? Prætereà Gregorius in Homilia super: *Si quis vult post me venire*: inscitiam tuam his confutat verbis: Adsunt defensores nostri, martyres sancti, rogari volunt, atque (vt ita dixerim) quærunt vt quærantur: hos adiutores vestris orationibus quærite, hos protectores vestri reatus inuenite. His auctoribus consultis, negare non potes animas Sanctorum vel scire quid agatur à viuis, vel cum oportet & expedit orare pro viuis. Præterea nimis caligauerunt oculi tui, si non vides rationem quoque Hieronymi atque Gregorij testimonio suffragari. Nulli enim dubium, cæteris virtutibus eminentiorem esse charitatem: In charitate nimirum *tota lex pendet & propheta*, cum (iuxta Paulum) *euacuentur prophetiæ cum linguæ cessent, cum scientia destruatur, charitas nunquam excidit*. Cum (teste propheta) *cæli sicut vestimentum veterascant*, cum terra (veritatis assertione) transeat, *charitas nunquam excidit*: postremò excidit fides, excidit spes; charitas nunquam excidit. Vnde cùm præmisisset Apostolus: *nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*, subiunxit dicens: *maior autem horum charitas*. Ideò vtique maior, quia cùm fides euacuetur & spes, charitas manet in æternum. Manet (inquam) non eo tamen arctata modo, quo diligitur in hac vita Deus & proximus: sed tantò maior, quantò plenius post hanc vitam, & in Deo cognoscitur proximus, & in semetipso Deus. Qui enim plus metent quàm seminauerunt; plusquam dilexerunt, diligent: quia ex debito dilectioni additus, cùm meritum præmio superatur. Hoc incrementum charitatis considerabat, cùm dicebat Esaias, *dixit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalē*. Nosti frater mi, Sion speculationem, Hierusalem verò visionem pacis interpretari. Et quidam dum Sanctorum animæ mortalitatis huius circumferunt corpus, in Sion esse dicuntur scilicet, à longè speculantes quam sperant & expectant mercedem. Sunt autem eædem in Hierusalem, quando sarcina carnis deposita, facie ad faciem Deum vident, mutantes imperfectum, plenitudini: spem, muneri, imaginem, veritati: In illa Sion erat Apostolus, cùm dicebat: *videmus nunc per speculum in ænigmate*. Hanc sibi Hierusalem promittebat, cùm summittebat; *tunc autem facie ad faciem*. Iterùm idem: *nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*. Est igitur ignis in Sion, caminus in Hierusalem, quia feruor charitatis modicus est in hac vita, plurimus est in futura: in hac ignis calefaciens; in futura caminus ardens: hic portio, illic plenitudo: *veniet* enim *quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est*. Si tamen id verum est quod asseris, animæ Sanctorum quos neque angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque aliqua creatura potuit separare à charitate Christi, charitatem exemit simul & carne. Et qui propter nomen Domini mortificati sunt *tota die, atque æstimati sunt sicut oues occisionis*, tunc desinunt diligere Deum, dum præcipuè cognoscunt quòd diligendus sit etiam inimicus propter Deum? Cum enim teste Gregorio, nihil foris sit quod ignorent animæ sanctorum, quæ scientem omnia sciunt: quis dicet, ab eis proximum diligi; qui proximi clamores audiunt, & nunquam exaudiunt? pulsari sciunt, & aperire nesciunt? angustias vident, & viscera claudunt? Quid charitati & eis quibus afflictorum gemitus nullam extorquet compunctionem, nullum lachrymæ momentum, quæ inter cæteras supplicationes, principatum sibi vendicant impetrandi? Quia igitur eis deest dilectio proximi; deest & Dei. Neque enim vel sine proximo, Deus, vel sine Deo, proximus diligi potest, testatur hoc Ioannes his scribens verbis: *qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodò potest Deum diligere quem non videt?* Item, *hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Quisquis ergo sanctis animabus alterum subtrahit, neutrum derelinquit. Satis iam nisi fallor animaduertis quò tua euagetur doctrina, quàm lutulentam bibas aquam, illic charitatem excidere somnians: verùm *charitas nunquam excidit* vbi gaudium est pro peccatoribus conuersis; vbi sicut pro se, sic laudant omnes Deum pro omnibus, vbi Deus est omnia in omnibus. Respice igitur; & si peccatum non inuenis apud te, pro quo necesse sit orare Sanctos vt oretur pro te; noli insultare nobis, orantibus vt Sancti orent pro nobis.

[Margin notes: *Sanctos inuocandos.* — Mat. 22. 40. — 1. Cor. 13. — Psal. 101. — 1. Cor. 13. — Esa. 31. — 1. Cor. 13. — Psal. 43. — *Beatorum animæ afflictos vi miserantur.* — *Lachrymæ momentum apud Deum.* — 1. Ioan. 4. — Ioan. 15. — 1. Cor. 13. — Luc. 15.]

### *Epistola 54. Argumentum.*

*Clarembaldus canonicus rogarat H. vt mitteret ei miracula quæ in Oxoniensi Ecclesia Dominus dignatus est operari: exemplar verò per multa tempora casu amissum, parturientem tenuisse voluntatem excusat.*

Dilectissimo fratri atque venerando Oxoniensis Ecclesiæ canonico, Clarembaldo, Ildebertus humilis Cœnomanorum sacerdos: plurimam in Domino salutem. Timeo (charissime frater) timeo quod negligentiæ arguas me, qui (toties rogatus vt miracula quæ in Oxoniensi Ecclesia Dominus operari dignatus est, iuxta fidem destinati mihi exemplaris, annotare non tæderet) satisfacere tibi diutius distulerim. Vnde & opus flagitatum, non gratis exarasse me accusatis, quòd & diurna expectatione, & innumeris precibus comparasti. Quippe iuxta philosophum, non tulit gratis, qui cùm rogaret accepit. Et quidem scio, quia nullum vendit amicus obsequium, libentes, & gratis & citò subuenit, nescit preces expectare, sed velut egentis vaticinetur voluntatem, præuenit rogaturum. Dubitat enim vtrum sit obsequium, quod vis precum elicit, quod non accipit improuidus, sed importunus extorquet. Porrò ab eo quod à me expostulasti obsequio, procul fuisse noueris quicquid obsequij minuerit maiestatem. Ex quo enim tuum didici desiderium & ex abundanti preces addidisti, statim statui obsequi: sed exemplar casu amissum, parturientem tenuit voluntatem, quod cùm mihi per multa defuisset tempora, posteà repertum meisque redditum manibus, in negotium scribendi, sopitum excitauit affectum. Finis erat operi, cum ingressus ad me nuncius chartam mihi nomine tuo titulatam prætendit, & idipsum quod in primo legeram exemplari continentem. Adiecit idem nuncius, idcircò mihi secundum etiam exemplar transmissum ne priorum amissione silentium excusarem. Accepta igitur & relecta non semel pagina mouit spiritum relegentis: in ea namque, miracula quædam continebantur quæ in prima; sed in ea aliter, aliter in prima: quod quia non sic attendi, vt aduersa sibi indicarem, in his quæ iuxta primum exemplar addideram, nil addere decreui, nil demere, nil mutare: eiusdem namque rei diuersa relatio, nil veræ præiudicat historiæ. Tuo itaque (frater mi) iudicio reseruaui, vel operis vitium corrigere, vel opus omnino supprimere vitiosum, vices amici geres, si remoueas ab oculis quicquid linguas noueris formidare. Hæc ideò Clarembalde, imò clare valdè prælibaui, ne putares voluntate potius quàm necessitate dilatum styli obsequium, & me sic tædere amico scribere, tanquam si & amare pœniteret. Cæterum cum diuerso teneat littore, cum nec te salutare possim nisi proprium præsens habeam dimidium mundi, cùm multis à te separer aquis: *aquæ* tamen *multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Vale.

[Margin note: *Amicus det gratis & citò.*]

### *Epistola 54. Argumentum.*

*Fratres quidam à monastica disciplina lapsi, carcere tenebantur: Eos soluendos vt ostendat condonandas iniurias hortatur, eò magis quòd instet dies Pascha, dies liberationis & immunitatis.*

Pascha Domini est, in eo, Israël de Ægypto, & animæ iustorum de tenebris exierunt. Illuxit nobis hæc

[Margin note: Exod. 8.]

*Pascha mysticũ.* dies, ad vsum; si vtamini die ad exitum. Pascba etenim transitus (vt nostis) interpretatur. Pascha igitur est, transire in patrem de Iudice in vnitatem de concisione ad osculum de discordia, ad misericordiã de virga. Fratres qui peccauerunt in vos, adhuc in tenebsis sedent, manducantes panem dolorum, & aquam tristitiæ bibentes. Percussum satis est quicquid in eis Ægyptum sapiebat, *Ier. 47.* satis erubuit Sydon in ignominia sua, satis pœnarũ dedit: clamat post vos, clamat post nos. Si misericordiam ignoramus, humanę salutũ viam perdimus certiorem. *Misericordia est via certior humanæ salutis.* Petrum negantem, qua hora fleuit, Christus respexit. Nullo se interuallo comitata sunt, & lachrymæ peccatricis & indulgentia Saluatoris. Doceat itaq; nos præsens festiuitas, Fratres, qui ad monasticum suspirant Conuentum, misericordiæ passu transire, *Carbones ignis* super eorum capita cõiecturi, si non vincamini à malo, si vincatis *in bono malum*. *Matt. 26. Luc. 7. 38. Rom. 12. 21.*

*Epistolæ 55. Argumentum.*

*Gratulatur Claromontensis ecclesiæ Antistiti, ob collatum Vuilselmo viro præstanti Archidiaconatũ, miraturque, apud Claromontenses, Substitutiones inualuisse, atque (præter præcepta legis & gratiæ) Ecclesiasticas dignitates, præsertim Canonicas, à Laicis & quibuslibet, hæreditario iure obtineri.*

Reuerendissimo ac benignissimo Confratri suo, sanctæq; Claromontensis ecclesiæ episcopo. A. I. humilis Cœnomanorum minister, salutem & orationum munus. Melius me cucurristis consequuti brauium ad quod anhelare disponebam. Vuillelmo siquidem de † Longeio benefacere decreueram: sed animaduerti, melius prouidente domino Iesu Christo, à vobis idem Vuillelmus audire meruit, *Amice ascende superius*. Sanũ profectò consilium, quo factum est vt in Ecclesia Claromontensi Archidiaconus ille assignaretur, cui ad fructum scientia, & ad gratiam mores exuberant. Ortus eius nec lege reprobabilis, nec abiectus parẽtela: ex eo, nulla iuueni nota venit; nulla ex obscuritate generis confusio: qui conuersatione hominis familiarius vsi sunt, eam intus & mansuetam prædicant & honestam; foris, integrum & splendidum testimonium. Inde factum est vt ad gradum Subdiaconatus eum ducerem promouendum, non magis litteraturæ ipsius deferens quàm vitæ. Bonam gero spem, quia seipsum præbebit vas in honorem, vas ad omne opus bonũ in domo Domini præparatum. Gratias igitur beatitudini vestræ de collato agens beneficio, eundem Vuillelmum, vobis & vestræ commodo Ecclesiæ, ab ea quam Cõsecratori suo debet obedientiam, liberum omnino & absolutum. Ex abundanti est, pro eo intercedere apud vos, quẽ fecistis vltrò non quodlibet membrum corporis Ecclesiæ, sed oculum. Audiuimus autem, & vltra quàm credi possit admirati sumus, in vestra matre Ecclesia, hæreditario iure Canonicas obtineri, perniciosa hæc & exhæredans hæreditas. Canonica namque, stipendium est gratiæ, non hæreditatis emolumentum: Perit autem gratia, vbi hæreditas principatur, vnde & hæreditate Canonicum fieri, exire de Ecclesia est, non Ecclesiam introire. Qui enim dicunt, *hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, nec heredes sunt Dei*, nec cohæredes Iesu Christi. Væ illis quàdo iudex sedebit cum senatoribus terræ? Væ (inquam) illis, quos nunc non ex altari vixisse, sed ex rapto, verbera docebunt, non verba: obumbrata enim rapina est, ea quæ electionis sunt, hæreditate vendicari. Fallitur autem quisquis Episcopos tantum electione dixerit assumendos: electio (tam sub lege quàm sub gratia) sanctuarij respicit dignitatem. Deus ipse Moysen, Moyses autem ex præcepto Domini, septuaginta viros ex senioribus Israel elegit: non enim præterit nos, Dominum sic locutum Moysi. *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd senes sint & magistri, & duces eos ad ostiũ tabernaculi fœderis, facies q; ibi stare tecum vt descendã & loquar tecum, & auferã de spiritu tuo, tradamq; eis vt sustentent onus populi tecum, & non solus tu graueris*: deinde quales, & ex qua tribu sacerdotes assumerẽtur, aut etiã Leuitæ, seu etiam cæteri qui Tabernaculo deseruirent, nõ fuit arbitrij, sed præcepti, non hæreditatis, sed Legis. Cùm enim solã Tribum Leui Dominus hac sorte dignaretur, nulli tamẽ ex eadem Tribu licuit vltrò vel indifferentes ad quam vellet irrũpere dignitatem, sed quæ essent vocãdæ ad Tabernaculi obsequium, descripta est proprietas personarum. Hæc autẽ *omnia (sicut scribit Apostolus) in figura contingebant illis*: Lex enim, & præconium gratiæ fuit & exemplum. Inde etiam est quòd vniuersæ dignitates Ecclesiæ, suam quærunt electionem. Si Apostolus consideremus; de illis Dominus ait: *nõne ego vos duodecim elegi*? Si septuaginta duos illos etiam à Christo fuisse designatos Lucas meminit; Stephanum, & cum eo sex diaconos, nulli dubium est Apostolos elegisse. In his & eorum successoribus præscripta est Ecclesiæ forma, quam in electione vel consecratione summorum & inferiorum sacerdotum seu etiam Diaconorum non custodiri, causalis est & vicinus ruinæ prouectus. Cæteros quoque gradus ad minimum vsque Clericum, pro Episcoporum deliberatione substituendos & distribuendos, iudicandos & reformandos, canonica censent & prædicant instituta. Perit autem, solis Pontificibus collata hæc à Domino potestas, si substituendi Canonicum vel aliud in ecclesia disponendi hæreditas alicui facultatem acquirat. Quid enim episcopo in commissa licebit Ecclesia, in qua Clericus arbitrio assignetur alieno? Quid ibi sacrę poterunt sanctiones; vbi nascitur non fit Canonicus; vbi plus nuptiis debetur quàm meritis; vbi plus genituræ quã gratiæ, plus foro quã cælo? nunquid oblaturus est gratum sacrificium Deo: cui altaria, cubile destinat? cui sacerdotium natales respondent; non mores. parẽtela, non scientia; Laicus generans, non præsul adoptans? quem non moueat in Ecclesia Christi, Laicum principari, qui dum in ea substituit hæredem, Pontificis euacuat libertatem? Attamen quòd Laicis ad disponendas res Ecclesiasticas nullum parauerit authoritas accessum; Stephanus papa & martyr his ostendit verbis: Laicis (quamuis religiosi sint) nulli tamen de Ecclesiæ facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas; neque deinceps permittimus: si quis ergo Principum vel Laicorum, dispositionem seu dominationem rerum siue possessionem ecclesiasticarum sibi vendicauerit; vt sacrilegus iudicetur: Clerici verò seu monachi qui eas per eorum potestatem susceperint: excommunicationi subijciantur. Porrò hæreditariã illam Canonicorum substitutionem, consuetudine velle tueri; vel ignorare vel persequi est sanctarum tenorem regularum. Voluit ille noxiam consuetudinem abolere, & irritum fieri vsum, cui nec authoritas adest, nec ratio suffragatur. De hoc Augustinus in primo libro de Baptismo sic ait: Frustrà qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiiciunt: quasi consuetudo maior sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum quod in melius à Spiritu sancto fuerit reuelatum. Idem in tertio lib. de vnico baptismo, sic ait; Veritatẽ manifestata cedat consuetudo veritati: planè quis dubitet veritati manifestatæ consuetudinem cedere? Idem in libro de Baptismo: in Euangelio Dominus inquit; *Ego sum veritas*: non dicit, Ego sum consuetudo: itaque veritate manifesta, cedat consuetudo. Reuelatione igitur facta veritatis, cedat error veritati, quia & Petrus qui circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cùm Christus veritas sit; magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excedit. De eodem Cyprianus: quælibet consuetudo, quãtumuis vetusta, quãtumuis vulgata, veritati omnino est postponenda: & vsus quã veritati est contrarius, abolendus est. Isidorus in Synonimis, libro secundo; Vsus authoritati cedat: prauum vsum

Margin notes, left column: *† Longeio.* — *C er. Luc. 14.* — *Vuilelmi Archidiaconi commendatio.* — *Hypodiaconus absolutus ab obedientia quam debet Episcopo qui eum consecrauit.* — *Archidiaconus est oculus Ecclesiæ.* — *Canonicatum hæreditas est exhæredans hæreditas.* — *Electio tam sub Lege, quàm gratia.* — *Num. 11.*

Margin notes, right column: *Nũ. 3. 17.* — *1. Cor. 10.* — *Ioan. 15.* — *Luc. 6.* — *Act. 13.* — *Excommunicatur Clericus ecclesiastica suscipiens à Laico.*

Section letters in the margin between the columns: A, B, C, D, E.

vsum lex & ratio vincat. Quia igitur noxiæ consuetudini tam nulla resistit autoritas; vobis (beatissime Præsul) incumbit, de domo Domini hæreditarium amouere piaculum, in quod negligenter agere, Pontificem; Pontifici cedit ad pœnam. Iudicialis enim excessus est, in Ecclesia Christi, vel indebitè aliquid præsumere, vel quod præsumptum reperitur, incorrectum derelinqui. Oza dum titubanti Arcæ indebito subueniret obsequio, ab angelo præfocatus expirauit. Nabad & Abiud filios Aaron ignis egressus à facie Domini ideò deuorauit, quoniam thoribulis acceptis ignem alienum offerre præsumpserunt. Oziam, quia summi sacerdotii prærogatiuã vsurpauit, lepra percussũ sacra tradit Historia. Chore, & qui cum eo thuribula schismatis assumpsere, de tribu Leui descendisse memorantur: eos tamen, quia indebitè incensum obtulerunt, terra viuos absorbuit. Hæreant vestris in mẽtibus (dilectissimi Fratres) sublata de incendio thuribula, quæ Dominus, ne quis in Ecclesia sibi arrogaret aliquid indebitum, altari præcepit affigi ad monumentum. non enim minus prodest iniquitatis peccatum, quam virtutis præmia recenseri. Nimirum pœna timorem generat, qui de seruo facit & filium; quòd si filium, & hæredem, hæredẽ quidem Dei, cohæredem autẽ Iesu Christi. Hoc timore timere (fratres) mementote; qui dum facitis forensem de Ecclesia possessionem, debitum de gratia constitutis ædificium, cui nullum suppositum est fundamẽtum. Super arenam (fratres charissimi) ædificatis; vestrum hoc ædificium, veritatis testimonio ruinam pollicetur; testimonio veritatis, pluuia descendet, venient flumina, flabunt venti & irruent in ædificium, & cadet, & erit ruina magna. Nolite (filii) nolite patrem vestram ponere cum his, qui dixerunt; *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*. Deus vltionum persequetur eos in tempestate sua, & in ira sua turbabit eos. De vestro quoque, reuerendissime Præsul, de vestro, inquam, agitur periculo, nisi explantare satageritis plantationem quam non plantauit. Pater vester cœlestis, nec assũpta est de ligno, cuius *folium non defluet, & omnia quæcũque faciet, semper prosperabuntur*. Plãtatio hæc, plantatio lethalis; nec suo plãtatori perniciosior quã mei cuius negligentia iam plantata coaluit: nõ enim immunis est à malefacto quisquis antecessoris malefactum (cum possit) non corrigit. De hoc enim Hilarius Papa sic ait; Quisquis commisit illicitum, aut à Decessoribus suis inuenit admissum; si proprium periculũ vult euitare, damnabit. Item idem: non in vllo volumus seueritatem vltionis exercere; sed qui in causis Dei vel cõtumacia vel aliquo excessu deliquerit, aut ipse quod perperam Prædecessor eius fecit abolere noluerit; ipse quicquid in alio non resecauit, inueniet. Porrò si quis eradicantem manum vestram vel cõtumacia, vel quolibet ausu (quod absit) reprimere tentauerit; ipse debitã sacrilegis experietur vltionem. De huiusmodi namque Stephanus Papa his scribit verbis: Sunt quidam qui vel violentia, vel fauore non permittunt Ecclesias regulariter ordinari; hos etiam decreuimus vt sacrilegos iudicandos. Hæc vobis scripsimus (fratres charissimi) exhortandi gratia potius quã docendi; quæ dum exarauimus exorauimus scrutantem renes & corda ne pateretur vos in eam declinare opinionem, vt ascriberetis iactantiæ quod impensum est charitati. Hoc excessu libera est anima mea; licet se grauioribus delictis obnoxiam non audeat diffiteri. Vicem mihi repẽdetis, si diligitis me, & oratis pro me.

1. Reg. 25. — Num 3. — 2. Par. 26. — Num 16. — Prodest, pœnam iniquitatis præcenseri. — Rom 8. — Forensis facta possessio de Ecclesia. — Psal 82. — Matth. 15. — Psal. 1. — Errorem qui non damnat, approbat.

*Epistola 56. Argumentum.*

*Consolatoria est ad Regem (ni fallor) Anglorum de filio quem naufragio amiserat: Multa vero eleganter de vero Sapiente, & rerum humanarum contemptu philosophatur.*

Melius, Potestas

CVm benè multis imperes; nulli melius imperas quam tibi: maiore siquidem laude, Potestas exemplum promit quàm gladium. Illud enim doctrina leuis est, & iniquitatẽ flagello reprimit incruento: hoc autẽ, sæpius odio educitur quàm iudicio; furore, quàm lege. Nosti profectò, Regis esse sibi primum, deinde populo dominari: nosti, principẽ (donec de seipso triumphet) obscurè de hostibus triumphare. Hinc est quòd in aduersis animo creuisti, quòd aliquid magnũ de illo vultus hilaris & serenus eloquitur. Vultus, interpres animi est, & quam liber ac suus sit homo interior, constantia melius quàm vox denunciat. De fortuna (si quid tamẽ fortuna est) celeberrimè triumphasti: ea nec † in alium tam hostiliter, tam frustrà conata est. De tot missilibus quæ victoriam illi accelerabant; acutissimum elegit, & quo neminem recordor antea vulneratum. Quod ne tanquã laxius emissum, ne vulnere vulneraret; totis viribus collectis illud intorsit, non minus lacerto consiliã, quàm telo. Cæterum nihil ea conatu, nihil acumine profecit; cutem tamen signauit, nequaquam ad interiora perueniens. O benè munitum pectus quo se fortuna minorem erubescit! O animum custodem sui; & ignarum, vel sapientem exorqueri tibi, vel regem. Neuter tibi ablatus est, neuter imminutus: alter libertatem mentis; alter statum regni seruat incolumem. Dubium est, quis integriùs suum apud te expleat officium. Quippe nulla verba rumpuntur suspiriis; nullæ vultum tenebræ operiunt: in ore, sua est seueritas; & animi solennitatem † risus indicat moderatus. Denique non pendent regni negotia, nec subsidium frustrà præstolatur oppressi. Curia, legi; regnũ, Curiæ; nec ei aliquid est cum raptuis, nisi vltio rapinarum. Magnũ hoc Regis, magnum sapientis iudicium. Sapientis enim est, nec in prosperis effluere, nec in aduersis mœrore sepeliri. Statum quẽdam natura homini parauit, quo, semper eũdem, ad vtrumque se præstaret euentũ: nullum deponere, & pro habitu variari fortunatũ, non natura, sed naturæ defectus est. Omnis enim natura bona, quoniã *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: esse autem malũ à conditione propria defecisse naturam, nemo est qui dubitet. Et quidẽ priùs quam Creatoris interdictum lethali solueretur edulio, inerat homini gratia iuuãs ad bonam arbitrii libertatem. Vnde tunc apud eum agebatur, vt quid offẽderet, nihil esset in anima; nec in carne, quod puderet. Omnis affectus hominis anhelans & pronus ad virtutẽ, illicitus & indecens motus, longè prorsus à corpore. Totum hominem obedientia sibi vendicabat. Omnia enim subiecta, quamdiù mulieri subiectus non fuit, cui postquam malè morigeratus est, cœpit esse non suus, & tot dominis seruire quot vitiis: *Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati*. Hanc seruitutẽ sibi vir vxorius suscitauit, cùm in vetitum Domini sui epulatus esuriẽte meruit libertatem. O nunquam satis punita trãsgressio! prolatam in reos parentes sententiã, nullus euasit successorum: huius inducias nemo vel annis, vel sexu promeruit; in ea concipimur puniendi etiam in sepulchro. Attende miserias hominis, intuêre cineres: vectigalia peccati sunt. Peccatum tot secutæ sunt vltiones, quot ex eo incommoda pullularunt: quarum scilicet vltionum ea fuit prima quæ velut inermem & auxilio destitutum hosti transgressorem exposuit. Ex quo enim homo culpam commisit, amisit & gratiam: à qua ille derelictus, factus est sicut sine tutore puer, sicut equus sine fræno. Vndè & arbitrii libertas ad malum cõualuit, proiectum à gratia, ad vitia patentem inueniens: Nec pronum fuit vt is amisso auxilio multas vinceret illecebras, quoniam vnà vicerat & adiutum. Ea victoria victi sumus omnes, & particulare † delictum proscripsit vniuersos. *Ea venũdati sumus sub peccato sine argento* redimẽdi, ea sceptrũ exactionis est exaltatum, & impositũ nobis *iugum* quod nisi *à facie olei computrescere* non potuit. Tunc primùm subactus carne spiritus, illum adhuc deplorat principatum, de quo sic Apostolus ait *nõ enim quod volo id facio, sed quod nolo id ago*. Tunc etiam indeclinabiles hominũ miseriæ, & omnia hæc emerserunt incõmoda, quæ cùm

exemplũ promit quàm gladium. — † Nihil. — Al. Precibus. — † Melius serenitatem. — Gen 1. — Ioan. 8. — Vestigia peccati sunt primorum Parentum. — † Ipsi personale. — Isa 52. — Isa 10. 27. — Rom 7.

illata sint pro peccato, non tamen ablata sunt cum peccato. Denique tunc homo noster exterior inde immutabilitatis statum amisit, incipiens cum tempore labi ac præterire: qui nisi peccasset, eo manente tempora præterirent: vbi autem peccatum peccauit, licet postea nongentos & eò amplius vixerit annos, statim tamen amissa stabilitate animi cum gratia, de die in diem deficere & mori quodammodò cœpit, operante iam in eo illa comminatione dominica, quæ dicit; *qua die comedetis, morte moriemini*. *Gen. 3.* Neque is tantùm mutationi præscriptæ succubuit, sed interiorem hominem perturbationes illæ sibi vendicare cœperunt, quas nomine erucæ & locustæ, bruchi & rubiginis propheta Ioël sic declarat: *Ioel. 1. 2.* *residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo*. De eisdem doctissimus poëtarum bis loquitur verbis.

*Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudéntque, nec auras*
*Despiciunt clausæ tenebris & carcere cæco:*

Quorum duo (gaudium scilicet & dolorem) varius rerum suscitat euentus, impotens, animi constantiam, extorquere Sapienti. *Sapienti nullus rerum euentus animi constantiam extorquere potest.* Sapiens enim aduersus eam quam dicitis fortunam, nunquam imparatus, nunquam, inermis inuenitur: secum habet quo præcaueat insidias, quo iacula frustretur inimici, extra se nullum pugnæ quærit apparatum. In omni casu seipso tutus est: pectus eius pharetra fertilis, & armentarium copiosum semper sagittis exuberat, semper abundat munimentis, hauriri non potest cùm tela promere non desistat; quibus ille munitus, vniuersa fortunæ missilia contemnit, obsequente pariter & persequente superior. Dum ea blanditur, ingratus est, dum intonat aspernatur: nullis rerum mouetur euentibus, exultans vniuersis: quippe nihil est vndè non triumphet animi triumphator. Si fortassis autem quæris, quibus armis tam viriliter sapiens dimicet, quæ pugnandi forma, biformi hoste sit potentior: quod si nescis, deceptum me confiteor, qui ea nec ignota tibi nec tibi deesse crediderim. Infelix, cuicunque contigit præfata carêre armatura; infelicissimus cui etiam ignorare. Apud huiusmodi Democritus materiam risus inuenit; Demosthenes † lachrymarum. *† Forsan Melitus, Heraclitus.* Absit autem vt alea rerum talem te efficiat, & sobolis amissionem sequatur amissio sapientis. Grauius naufragium passuses in solo quàm in salo, filij tui; si fortunæ tempestas sapientiam † extorsit. *† al. sapientem.* Quod factum non dubito, si te præteriit quibus instrumentis tuetur sapiens, non domum, sed seipsam, non supellectilem, sed animi libertatem. Quorum scilicet instrumentorum si tibi elapsa est notitia, redi ad te, & quos reipublicæ debes oculos, scriptis præsentibus admouere non moreris: quæ cùm nec sententiarum maiestate scintillent, nec ordine commendatur aut arte, forassis tamen ex eis exprime aliud quo vel à longè speculeris illam Sapientis armaturam. Non omnia contemnenda sunt, quibus multa possunt reperiri meliora. Ex aqua plures quàm ex mulso, sitis ardorem extinxisse inuenies. Imprimis igitur necesse est attendas, quamlibet hominis potestatem vel ætatem, vel extrinsecus ascitis tutoribus vel ingenita sibi ratione gubernari. *Gal. 4. 1.* Quippe quanto tempore hæres paruulus est, pædagogus ei prouidet ne quid excidat de sũma patrimonij, ne lingua vaniloquiis assuefcat, ne turpitudinem teneræ præbibant medullæ; nec tamdiù puerum iuuat, donec puer centenarius ad tumulum lætis deferatur obsequiis Reliquę autem ætates ratione reguntur; nisi perturbatio proprij domicilij vel, aliquid alienum, officium rationis impediat. Quòd si contigerit in republica interioris huius hominis nostri, & eius quem circunferimus aliquid quod nec ritè fit, nec ordine, nec vnde doceamur, qui à cæteris animantibus hominẽ separet, viuat Deo. Cæterùm cùm rationi pax est, & ipsa in administratione præfatæ reipublicæ suam retinet libertatem, totus homo benè regitur: id est, animo, siue pulsetur aduersis, seu læta blandiantur: tunc ea viuendi leges præscribit, decernit immobilia, dispensandis inclinatur: tunc ad componendum pectus **A** humanũ circumspectis inuigilat institutis; tunc & creat & educat sapientem, quæ videlicet instituta cùm ad me traducibus paginis peruenirent, publicis conspectibus exhibenda decreui veritus inuidiam posterorum, si ea posteris inuiderem. Hoc igitur illis exaraui, qui nec posteris reuerenter vtuntur, nec immoti dura pertranseunt. Consideranti diligentiùs quid sit homo, nihil probabilius occurrit quàm ipsum esse animal diuinum, & quasi quodam participio Numinis insignitum. *Quid homo.* Ossibus & carne parentem circunfert, & sapit terram; ratione Deo se propinquum & affinem denunciat. Hæc sanè prærogatiua eum ad imaginem & similitudinem Dei conditum, diuinus Moyses attestatur: *Gen. 1.* vnde id etiam homini accessit, vt vera bona per eam co- **B** gnoscat & diligat; quæ autem opinione bona sunt cognoscat quidem, sed non sicut oportet & in quibus oportet non diligat. Ratione siquidem docemur, ea quæ virtutis sunt, vera esse bona, & hæc esse intra nos; quæ verò temporaliter, opinione esse bona, & hæc esse circa nos. Porrò quæ circa nos sunt, non nostri, sed alterius iuris sunt, casus eis principatur. Nesciunt ex nostro vel venire vel stare arbitrio: nobiscum tanquã precaria sunt, tanquam seruus alienus: nihil his & illis quibus vera vel habetur vel amittitur felicitas. *Quæ sint bona, opinione, circa nos, vera bona, intra nos, bis sunt, quæ distinctio est à philosophis apud Arrianum.* Quippe nemo fœlix, nemo miser ex animo est, suum est hominis, quidquid hominem vel beatum facit vel miserum. Euãgelij ficulnea, ex fœcunditate sua gratiã acquirit, ex defectu succidium. *Luc. 13. Matt. 21.* Sicut scribit philosophus, equum sua facit insignem velocitas, incitatior ad molam destina- **C** tur, nullus ei contemptus ex humili, nulla gratia ex ambitioso prouenit apparatu. Vterque alienus est, vterque (vt equo meliùs, non meliore vtamur) de foris adiunctus est: sic & homini alienum est, quicquid non in homine, sed circa hominem est. Assignantur & dignitates: asciscitur vxor cui nihil deest ad gratiam coniugij in sobole, suam deosculatur imaginem: in cellariis clausa est totius anni fœcunditas: in loculis opes Crœsi, & quocunque circumiectat oculos nihil non suum intuetur. Cæterùm hæc aliena esse, fuga ipsorum denunciat. Bona vaga, bona pennata sunt hæc omnia. Eorum est, nusquam esse diutiùs: eorum status, nemini statum præfigere certiorem. Præterea dubium est, infideliùs ne moreantur nobiscum an hostiliùs. Quippe res in infinitum cederet, si recensere velim discrimina **D** principum; si rorbati querelas coniugij, si mille Menedemos deplorantes filios scortatores, si conflatas denique vel attritas turpiter diuitias, si possessiones abrogatas armis, erogatas flagitiis, sublatas dolo, translatas præiudicio, & (quibus in hoc tẽpore nihil est abiectius) iactura nominis quæsitas, & honesti. *Calamitates sæculi.* Huiusmodi querimoniis fora perstrepunt, resonant auditoria, litigatur in triuiis, in cõuiuiis, in manibus leges, decreta præ oculis, nec vllum iam tẽpus est in quo vel Ecclesiæ desint quos ipsa eliminet, vel Curiæ desint quos damnet. Ecce vides quanta mundus laboret insania! gaudere nescit donec adeptus quo gaudium in mœrorem, cythara in luctum conuertantur. His inuigilat acquirẽdis, quasi serò veniãt: prius dilatione cruciãt, quàm vsu pascãt. Siccitò, de propinquioribus angustiis faciũt certiores. O insani, **E** quibus celebre est sollicitos esse ne desit materia sollicitudinum, ne causa tormentorum: quæ tamen cùm Sapiens assequitur, inter varios euentus, variari non nouit ipse, ratione regitur, quam in gubernandis actibus humanis non dubitat obtinere principatum? Huic sapiens assidet, hanc attendit pædagogam: docet hæc vti summisse prosperis, aduersis insultaret, & biformes euentus, vniformi constãtia superare. Docet eadem ne discipulus suus ex alterato vultu res alteratas circa se ostendat: aliud esse quo gaudare hominem ac dolere conueniat, quod cupere conspicuum sit ac timere. Si ea (inquit) tibi sunt, aduersus quæ non est lex, gaude: si ea propter quæ posita est lex, dole: illa enim beatum te faciunt,

ciunt, hæc miserum. Illa cum tibi sunt, & Dei & tua etiam sunt: hæc autem cum tibi sunt, non Dei sed tua solummodo sunt. Porro cum cognoscis vtrumque, si ea diligis aduersus quæ non est lex, imago Dei apud te suum explicat & peragit officium. Cum vtrumque cognoscens, ea diligis propter quæ posita est lex, imago Dei apud te quidem est, sed velut obducta sordibus aut puluere squalidior, à suo excidit & procul est officio. A malis enim bona eligere ac diligere, Dominum imaginari est, à bonis mala eligere ac diligere, diabolum imaginari est. Quanto autem quisque alteri eorum voluntate est confinior, tanto ei vel in gloria similior, vel in pœna.

### Epistola 57. Argumentum.

*Monialem propositi tenacem exultabundus monet cauendum à carne & fœmina, quæ sunt sanctitati infestissima; & ab ijs longe fieri quarum vicinia est procax lenocinium.*

† al. gaudeo mihi.

GAudij materia † exuberat & exultatio quotiens audio te incolumem; atque in proposito sanctimoniæ lyncem sequi, quæ prædam sequens, respicere post tergum ignorat. Ignoras enim reuisere vanitates & insanias falsas, à quibus elongasti fugiens, & mansisti in solitudine. Sanum hoc & prouidi pectoris consilium; auerti enim & fugere ab illis, omni triumpho celebrius. Huiusmodi fuga, Sponso tuo nulla dos est acceptior. (*Moniales vitæ propositum Deo gratissimum.*) Hæc etenim faciet, & tibi vxoriũ, & de celebri coniugio progeniem præstabit immortalem. Memineris igitur ab eis longe fieri, quarum vicinia importunum & procax lenocinium est. Sub hoc virtuti difficile prouidetur. Istud attendere frequentius, masculæ mentis robur effœminat; neminem inuenies cum quo sit periculosius congredi: huiusmodi hostis melius fuga quam certamine superatur. Caro enim & mulier, cumulata infirmitas; (*Caro & mulier, cumulata infirmitas.*) & inter exempla etiã virtutum, facilis ad ruinã. De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne & fœmina triumphare. Confido autem in Domino Deo; & ipse respiciet humilitatem ancillæ suæ, & diriget gressus tuos in semitis suis, vt non moueantur vestigia tua quod futurum non dubito, si in eo perseueras quod cœpisti, si cursum dirigas quò assumpsisti. Vale soror; dilectissimas in Christo, filias & sorores tuas, ex parte nostra saluta.

### Epistola 58. Argumentum.

*Agit gratias Beluacensium Episcopo, ob exhibitam in suos benignitatem.*

AD votorum plenitudinem accessisse confiteor, cui gratiæ tuæ limen contigit aperiri. In eo susceptus; & si te ipse non videam, video tamen affectum tuum in puero meo, cui aduentanti Beluacum, Defensoris manum quotiens oportere attendis, extendis splendorem suffragij tui obseruare, & precibus agere ne desistas, non vereor huic te proposito defuturum, cui oppressis concurrere, & cathedra faciat vt velis, & Curia vt possis. Tui siquidem tuis est, quidquid in ciuitate Beluaco sacerdotium spectat, vel regnum: interim cumulatas tibi gratias agens, scripto finem pono; dilectioni tuæ finem minime positurus.

### Epistola 59. Argumentum.

*Comitem non Episcopum, sed amicum agens humanis ac ciuilibus aliquot rationibus dehortatur ab instituta peregrinatione ad D. Iacobi Compostellanensis memoriam quam alioqui probat; grauiterque illum officij admonet.*



A AD memoriam Beati Iacobi (strenuissime Comes, & prædicanda virtute sublimis) iter, vt fertur, assumpsisti: quod nos bonum quidem non negamus; sed quisquis administrationẽ suscipit, alligatur obediẽtiæ, quam (nisi ad maiora vocetur & vtiliora) si relinquit, delinquit. (*Bona est peregrinatio ad sancti Iacobi Memoriam.*) Vnde te (fili charissime) culpa inexcusabilis spectat, qui necessarius non necessaria, dispensationi otium, debitis debita proponis. Inter talenta quæ seruis suis Pater familias distribuit circuire vagum orbem terrarum, nullus Doctor, nulla omnino Scriptura cõmemorat. (*Matt. 25. 16.*) Hieronymi testimonio, sanctus Hylarion, cum esset proximus ciuitati Hierusalem, semel eam vidit ne loca Sanctorum contempsisse videretur. Porro præter solitum, mentis tuæ oculus caligauit; si non vides plenam periculosis casibus assumptam tibi peregrinationẽ

B per munitiones ducis Aquitanorũ transiturus es, cuius tibi inuidiam suscitasti, quando factus est in expugnatione Thoari superior: ferè apud omnes diuturnior est iniuriarum memoria quam beneficiorum. Prætereà nescis si renata sint in filio paternæ vota perfidiæ: quippe plures hodie generantur iniquitatũ hæredes quam virtutis. (*Beneficiorũ, lenis; iniuriarũ, plumbea memoria.*) Tuis itaque timorem relinquis & tremorem, si te iuueni & offenso committis, in quo necesse est verearis ex patre perfidiam, leuitatem ex annis, ex iniuria vltionem. Audiuimus autem venerabili Anglorum Regi, tuoque auunculo, id quod te facturũ signas, displicere altius, id ferre grauiter, id constanter improbare. Sane eorum aspernari consilium, vicina dementiæ pertinacia est. Hi nimirum tuis prouidere commodis, & affectu volunt, & successu possunt. Fortassis autem dices: *Vo-*

C *tum voui Domino*, transgressionis arguar, si irritum facio votum. (*Esth. 8.*) Agnosce (ô princeps) quia tu quidem te alligasti voto, sed Deus officio: tu viæ, sed Deus obedientiæ: viæ, qua Sanctorũ memorias videres; obedientiæ, qua Sanctorum memoriis prouideres. Appende ergo si tantus fructus sit itineris, vt superare possit intermissæ dispendium obedientiæ. Quod si ita est, scutum deponere propera, baculũ sume pro gladio, festina egredi, & facundis adhærere comitibus, qui iuxta Salomonem tibi pro vehiculo in via sint: si autem bonum administrationis longè maius est & elegantius (quod inficiari nemo prorsus audebit) sede in palatio. Responde † suffragiis afflictorum, & vt omnes tibi viuant, omnibus viue: Reipublicæ viue, noctes illi præstans & dies. Iudicium Curiæ tuæ dictet æquitas, non acceptio perso- (*† al. despõde. Principis officium.*)

D narum: teipsum legibus; amore subiectos rege. Esto tuorum censor, cùm ignoueris excessibus alienis. Insontes minimè patiaris impune lædi, tu impune læsus. Iniquitatis vltionem inter splendidiores triumphos enumeres, sanguinem nec sine causa, nec libenter effundas. Dole quotiens illum etiam effuderis quem lex iudicat effundendum: in omnibus reuerenter exerce potestatẽ. Da gloriam Deo cum feceris aliquid gloriosum; super omnia pauperibus adesse memineris & Ecclesiis, quibus plerunque principes boni proprio sanguine quietem emerunt & pacem: ex tuis etiam ministris necesse est diuinam metuas indignationem, qui circa eosdem pauperes & Sanctuarium Dei quidquid impie volunt, impunè agunt. (*Boni Principes Ecclesiæ quietem sanguine proprio emerũt.*) Huiusmodi bonos principes, sed prauos

E habentes ministros, Scriptura nunc Scyllam, nunc Harpyas appellat. Etenim Scylla facie humana, sed caninis capitibus accincta describitur; Harpiæ vultum habent virgineum, vngues autem rapaces. His quidem boni principes comparantur; ipsi crudelitatem abhorrentes, de iniuriis proximorum conquerentes; hominem mansuetudine & misericordia exprimentes; cæterum ministri eorum odoratu prædæ canibus; rapacitate similes sunt vnguibus Harpyarum. Tu itaque pro voto rapacitatem atque exactiones tuorum compesce, quas pauperum clamor & orphanorũ gemitus, & lachrymæ comitantur viduarum. His tibi si nescis, *thesaurizatur tibi ira in die iræ & reuelationis iudicij Dei, qui reddet vnicui-*

*quæ secundum opera sua.* Qui enim malũ (cum possit) nõ corrigit; quia malefactori consors est in culpa, consors erit & in pœna. Sicut igitur præsenti pagina commoneris; vtere tuorum consilio amicorum, vtere meo: domi sedens, pauperum subsidiis insistens; loca Sanctorum non desiderans intueri, sed tueri satagens. non circumferri per memorias lapidum, sed † circumferri memoria virtutum: Vale.

† *al. secum transferre memoriam,*

*Carnotensi Episcopo. Epistola 60.*

*Non licere Sacerdoti latronem inuadentem occidere; at non expedire saltem: Eum vero qui secus fecisset, ad Apostolicam audientiam mittendum, vt certiorem suscipiat de reformatione sententiam.*

SIcut paruitatem meam vestra docuit pagina; cum latro quidam portitorem præsentium Sacerdotem inuaderet; & pannis eius lancea perforatis eum vellet occidere; Sacerdos latronẽ lapide percussit; & ictus ipsius percussione & occasione latro mortuus esse putatur. Pro quo scilicet delicto, iam per septennium ab officio Dominicæ mensæ prouidentia vestra eundem suspendit Sacerdotem. Sane super hoc dignati estis meum quærere consilium. Nisi fallor & id vestram rescribi ad inquisitionem, si Sacerdoti ad sacrum liceat redire officiũ, quod ei medicinaliter abstulistis. Consideranti igitur mihi quanta in sacerdote postuletur innocentia, & maxime quod immunis esse debeat à sanguine: nõ videtur Sacerdotem reum sanguinis, oportere deinceps ministrare; quamuis tuendæ salutis necessitate homicidium occurrerit. Quod enim vir Christianus quærere sibi vitam aliena morte non debeat; Ambrosius his ostendit verbis: quærit aliquis; si sapiens in naufragio positus insipienti naufrago tabulam extorquere possit; vtrum debeat? mihi quidem, etsi præstabilius communiter videatur vsui, sapientem de naufragio quam insipientem euadere: non tamen videatur, quod vir verè Christianus, sapiens & iustus quærere sibi vitam aliena morte debeat: vtpote qui, etsi in latronem armatum inciderit, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendetit, pietatem contaminet. De reformatione igitur Sacerdotis, mihi rem intuenti, nihil aliud quam quod supradictum est, videatur. Quod etiamsi liceat, non tamẽ expedit; quoniam & exemplo offendit, & vlciscendi securitatem adducit. Si autem simile aliquid in commissa mihi parrochia contigisset; reum ad Apostolicam misissem audientiam, quatenus ex consilio illius, & ego instruerer, & peccator de reformatione sententiam susciperet certiorem. Vale.

Iocunditas mihi & exultatio exuberat, quotiens obsequio famæ vos bene valere cognosco. Etenim solemne est mihi vos colere, vos amplecti, vestramque promotionem inter meos assignare successus. Inde est vt mihi ad plenitudinem gaudij cedant quę circa vos prospera sunt ad cumulum vos esse incolumes: Mendacij arguar, si frustra postulatis à me quod possit & expediat amico erogari. Interim rogo vt ad me vestra pagina transferatur, qua mysterium vestræ voluntatis & salutis agnoscam. Vale.

*Epistola 61. Argumentum.*

*Conuentuales quasdam reprehendit alioqui satis moratos qui paupertatis prætextu Carnotensem Episcopum hospitio prohibuerant: docens in eiusmodi obsequium quæque preciosiora Ecclesiæ venundari potuisse.*

APostolicis erudimur exemplis, vt infirmitatem proximi, nostram (compassione) faciamus: vnde & anima mea; in amaritudine, exinanitum dolens oleũ nominis vestri: Oleum cuius odorem sicut odorẽ suauitatis Dominum quidem credimus odoratum. Nunc autem non sic; quippe retrorsum conuersi estis, etiam

A iuxta portam dum vester anhelat equus. Attamen legeratis; *nemo ponens manum ad aratrũ, & aspiciens retro aptus est regno Dei.* (Luc. 9.) Aspicitis autẽ & vos retrorsum. Aspicitis (inquam) si tamen ad aratrum venistis; si inuenistis arctam & arduam viam *quæ ducit ad vitam.* (Matt. 7. 13.) Cæterùm pauci sunt qui inueniunt eam: extra plures aberrant, cum in ea se gressum fixisse & in offensam currere glorientur. Est enim qui cum propheta, Eleemosynam *in sinu pauperis* (Eccl. 29. 15.) abscondat, qui frequenter antelucanus ad Ecclesiam accedat, qui parrociniis inuigilet oppressorum: sed his minime cultor propriam gloriam quęrit, sed populo placere desiderat; sed antea manus ad munus, quam promittat aduocatũ: fallor si is viam inuenit, *quæ ducit ad vitã.* De se ipso enim Veritas ait; *si glorifico me ipsum, gloria mea nulla est.* (Ioan. 8.) Et Psalmus; *qui hominibus*

B *placent* (inquit) *confusi sunt, quoniã Deus spreuit eos.* (Psal. 52.) Et in Prouerbiis: *cõturbat domum suã qui sectatur auaritiã, qui autem odit munera, viuet.* (Prou. 5.) Alij vita placet excelsior, ieiuniis carnem persequitur, lautiorem declinat apparatũ, naturæ viuit non gulæ: scilicet quem tu esurire ac sitire iustitiam putas, ira facile turbatur, scilicet *cum hypocritis ponit portionem suam,* (Mat. 24. 18.) scilicet aliud aduersus honorem carnis ex sua carne præsumit: fallor si is viã inuenit quæ ducit ad vitam; *Ira enim viri, iustitiam non operatur:* (Isa. 1. 29.) & de hypocritis Dominus per Esaiam dicit, *populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorũ longe est à me:* & Apostolus: *fornicatores & auaros iudicat Dominus.* (Hebr. 13.) Vides hominũ huiusmodi solitudo gaudet necessitati, radicibus & herbis obsequitur, nihil cibo eius, & igni iuxta prophetã, *in*

C *olla* (4. Reg. 4.) mortem esse declamat. Sed quẽ sic in mundo vides vt expertem mundi credas, de se præsumit super se, scilicet Pharisæi iactantia cæteros aspernatur, sed sibi iustitiæ arrogat principatum: Fallor si is viam inueniet quæ ducit ad vitam, *qui enim se exaltat, humiliabitur.* (Luc. 18. Matt. 23. Luc. 14.) Et de his qui aliter bona vel mala sua pensant, aliter aliena, Sapiens ait: *pondus & pondus, statera & statera, vtrumque est abominabile ante Deũ.* (Prou. 20.) Ille relictis omnibus quæ possidet, euadet ad arcem monastici refugij, deosculatur humiliter indumenta quòd ad ea seruis accessit, exequitur vniuersas suscepti agonis difficultates, sine querela, sustinet in spẽ denarij, *pondus diei portans & æstus.* (Matt. 20.) Sed hæc imago Monachi, gradu sublimiore torquetur, sed dormite nõ potest, donec pauperem Naboth de sua extirpet vinea, sed subesse detrectat ordinatæ diuinitus po-

D testati, fallor si is viam inuenit; viam quæ ducit ad vitã: nimirum his modis *fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* (Matt. 12. 45.) Hanc itaque viam inuenire, difficillimũ, præterire difficilius: plena est offendiculis, & eam latrones obsident, nullum prorsus intentatum sustinentes transire, His voluntas semper iniqua est, his fallendi principatus. Ab his nemo vnquam nocendi inducias extorsit, cum his quotidianus & anceps congressus. Ex iis innumerum vulnus, nec ex facili cicatricẽ promittens. Sub his casus frequens & respiratio difficilis, de his rara & nunquam secura victoria. Quis igitur viam inueniet? quis inuentam præcurrit illæsus? quis latrones euasit missilibus toxicatis formidandos, astutia superiores, exercitatos vsu frequenti, pertinaces victoria, nullis fatigatos vigiliis, nullis aut mortibus, aut spoliis satiatos?

E Quis (inquam) de sicariis animatum triumphauit? Animus integer, & in omni statu, ad solam pronus virtutem, qui nihil aduersetur, quod amplecti conueniat, nihil amet quod pudeat confiteri. Huius expers, extra viã est quæ ducit ad vitam: vt in eo adoretur etiã exanguis vultus, vt cor circuncisum, clamet altius circuncisa cæsaries; vt sermo censorius ei sit, & cultus incultior, extra viam est quæ ducit ad vitam. Cum vagetur pes laxioribus calciamentis, cum caput in ampliorem radatur coronã, cum loquuntur cætera monachi insignia; extra viã est quæ ducit ad vitã. Extra est & foris errat, cuius ira non occidit ante solem occidentem. Foris errat qui cum falli nolit, fallere non veretur, foris errat quem videtis

*Monachi imago, pro non vero Monacho.* *Via vitæ plena est offendiculis.* *Homini, nulla sunt prorsus à dæmone induciæ.* *Dæmonũ oppugnatio, homini metuenda est.* *Animũ dæmonũ victorẽ qualem esse oporteat.* *Qui sint extra viã vitæ.* *Caput in ampliorem coronam radi, signũ Monachi est.* *Dæmon imponit perfectioribus.*

deris forum libenter frequentantem: foris errat qui vaniloquiis effluit, qui pascitur exactione subiectorum, qui lucrum putat operari litibus extorquere mercedem. Errastis & vos foris, cum fores vestras Carnotensi Episcopo clausistis, cū exclusistis Christum Iesum Christi, obliti pariter & bonum hospitalitatis & præmium. Hunc & per vos transire via coegerat, & apud vos hospitari temporis articulus; nox imminens & aëris intemperies, Pontificem hospitio instare perurgebant. In castello, nullus ad quem Præsul honestè declinaret. His anxietatibus homo Dei circumuentus, ante vestras fores frustra sedit, frustra clamauit: exclusus est enim qui vt diuerteret ad vos, non inuitandus tamen fuit, sed etiam trahendus: exclusus ille est, qui grauius doluit vos abiecisse monachum quam exclusisse Pontificem; vobis charitatem quam sibi officium defuisse. Exclusus est ille in quo si Christum dubitatis exclusum, vel non legistis vel neglexistis illud Christi; *qui vos spernit me spernit*. Quam bonum vobis, si meruissetis dici de vobis quod *coegerunt illum dicentes, mane nobiscū Domine, quoniam aduesperascit & iam inclinata est dies*. Fortasse paupertate repulsam excusatis; sed non modicum auri circa altare rutilabat, sed plurimum resplendebat argenti, sed supererant ornamenta quæ melius exponerentur ad vsuram, quam præsul ad imbrem. Attamen legeratis etiam; *hospitalitatem nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*. Legeratis etiā quid Loth ex hospitalitate meruit, qualis Abraham etiā, hospitib. susceptis memoretur. Non leguntur alia Loth benefacta, nisi quòd hospitalitatis prærogatiuam dilexerit, quòd maluit turpitudini filias exponere, quam in hospites aliquid turpius ageretur. Hæc illi hostia fuit; hoc sacrificio sulphur & ignem euasit Sodomorum. Hinc ille subuersionem ciuitatis edoctus, exiuit, gaudens, ad suos etiam domesticos, hospitis peruenisse mercedem: tota enim seruata est familia, etiam vnius meritis. Actum erat de salute plurimorum. Ad Abraham quoque, sub specie hominis angelos descendisse nouimus, & cœlorum incolas eo vultu susceptos, qui testarentur hilarem Abrahæ voluntatem. Idem testata est Sara, cui sub Patriarcha viro, nec hospitalitatis credo defuisse virtutem. Considera patrem familias, attende pueros in domino deuotionem inuenies, in familia disciplinam. Quippe in domo Patriarchæ nemo repertus est sacris indeuotus obsequiis: ille tres viros videt ad ostium tabernaculi sedens, nec expectauit quæri hospitium, ne si precibus impetrarent, ægre præstitum videretur. Occurrit venientibus, & his verbis præuenit accedentes; *Domine si inueni gratiam in conspectu tuo, ne transeas seruum tuum*. Ecce vides quo affectu hospites inuitentur. Non extorquent importune hospitiū, qui precibus ingredi cōpelluntur. *Domine, si inueni gratiam in conspectu tuo, ne transeas seruū tuum!* Rogantur vt intrent, oblatum sponte officium gratius accipitur. Lauantur pedes, vt ordine suo singula hospitij debita soluerentur: deinde viro iubente tria sata similæ coniux accelerat, ipse ad armentum currit, vitulus tener occiditur, vrget apparatum puer, tota domus festinat, tota feruet obsequio, nihil negligenter fit in domo Iusti, omnes eius contubernales, tanquam si ab eo didicissent maledictum esse hominem *qui opus Dei negligenter agit*. Nondum hospites exierant: & ecce, Saræ data est fœcunditas. Abrahæ namque dudum facta promissio, interuentu hospitalitatis impletur. Prædicitur eodem anno filium eius nasciturum, in quo ipsi plus promissioni deberent quàm nuptiis, plus gratiæ quam naturæ: quem cum Dominus Abrahæ prædestinasset, ad suscipiendum tamen repromissum sibi filium, non nisi precibus & meritis patriarcha peruenit. Quod enim prædestinatur Electis, precibus & meritis obtinetur. Si Rebeccæ clausus esset vterus, frustra Dominus in Isaac multiplicandum semen Abrahæ promisisset: legitur autem, precibus Isaac, datum Rebeccæ cōceptum, vt generis multiplicatio, quæ prædestinata in eo fuerat, precibus impleta monstraretur. De quo sic in

Hospitalitas commendatur. Luc. 10. Luc. 24. Hospitalitatis ergo Ecclesiæ ornamenta posse oppignorari. Heb. 13. Genes. 18. & 19. Hospitalitas sacrificium ipsi Loth. Gen. 19. Gen. 18. Gen. 18. Quod prædestinatur, precibus obtinetur. Gen. 25.



A Dialogo Gregorius ait: Ipsa perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore orationum perueniant, quatenus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. Idem Isaac deprecatus est Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur coniugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quod prædestinatio precibus impletur: quoniam is in quod Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat; oratione obtinuit vt filium habere potuisset. Nolumus vos verbis prolixioribus onerare, quos enormitate ac rubore delicti credimus oneratos. Finem loquendi omnes pariter audiatis: *nisi conuersi fueritis, & efficiamini* B monachi, *non intrabitis in regnum cælorum*.

Lib. 1. Prædestinatio impletur precibus.

*Epistola 62. Argumentum.*

*Monialis nuper professæ studium circa diuina & contemptum circa humana commendat, eidem hoc genere vitæ vtiliter consultum significans, quod liberorum successio non vrgeat quominus bonorum erogatione pauperes comparet apud Deum intercessores.*

CVm susceperis epistolam hanc, scito completum apud nos desiderium tuum Desiderio desideraui, sanctæ Cœnomanensis Ecclesiæ, te & filiam fieri, & orationum eius consortem. Huius voti tui atque petitionis tuæ, venerabilis Abbas sancti Vicentij nobis nuncius C fuit. Quod ergo postulasti per oblatam tibi suscipies paginam, inter consorores & filias eiusdem Ecclesiæ deinceps numeranda: nos quoque cum illis, quorum speciali et ad altare Domini facimus mentionem, nomen tuum decreuimus frequentandum. Præterea ex his quæ dicta sunt mihi de te, lætari noueris spiritum meum, & requiescere in te. Audiui te totam sacris occupatam studiis, & viam inuenisse quæ ducit ad vitam. In semitis paucorum posuisti vestigia tua; & facies tua, facies spectantis ad ciuitatem, cuius plateæ sonant laudes de die in diem. Illuc transferas sanctitatem tuam, pro quadrante talentum inuentura. Felix & fructuosa translatio huiusmodi; quam commissam manibus pauperum, cum centeno recipies incremento. Nemo sibi thesaurizat, nisi loculos in eorum manibus euacuet; nemo bene meD ritis, nisi horrea sua ventres eorū efficiat. Age ergo, quod agis filia Christi. O à Deo edocta, perge quò pergis; bene pergis, si eo quo pergis pertingis. Confidimus autem in Domino Iesu, quia ipse auferet offendicula è via filiæ suæ, & diriget gressus eius in viam pacis Deus Israel, habens quoddam pignus gratiæ ipsius cui desuper datum est & abundare diuitiis & carere sarcina liberorum. In his duobus, ad currendum fœliciter, bonum sortita es apparatum: diuitiis enim viam tibi sternis ad vitam; liberis carens, exonerata incedis: diuitiis, operibus misericordiæ seruitur; diuitiis, ei ministratur qui non venerat *ministrari sed ministrare, & dare animam suā redemptionē pro multis*. Denique diuitiis, illud euangelicum impletur, *facite vobis amicos de māmona iniquitatis, vt cū defeceritis* E *recipiāt vos in æterna tabernacula*. Amici huiusmodi, amici certi & in die calamitatis & miseriæ nescij suum nescire cultorem quam multo fœnore tunc recipies quod eis modo committis! quàm fideliter isti agent pro te, quando Antiquus dierū sedebit scrutaturus renes & corda singulorum! In foro candidatis diuitibus rei suam committunt actionem: in cœlo autem nulli melius pro reis agunt, quàm pauperes aduocati: pauperes antè supremū tribunal in propulsandis dilationibus obtinent principatum. Vnde fit vt bene speret de iudice, quisquis pauperum meretur interuentum: pro quo eorum voces conualescunt, sententiam non timet capitalem. Hos igitur tibi compares, hos facias aduocatos: eorum inopiæ, copiæ tuæ subueniant: illis egentibus, egere Christū crede,

Locus thesaurorum, ventres pauperū. Matt. 20. 28. Luc. 16. 9. Dan. 7. Pauperes aduocati erga Deum.

Qui te non viderunt in benedictionibus tuis, tuum videant affectum. Vellera tibi sunt, operi nudum. Sub ostensione vestium quas Dorcas viduis faciebat, Dorcam legimus orante Petro suscitatam, noli *hospitalitatem oblivisci*. Loth & Abraham quia consueuerant homines, angelos hospitari meruerunt. Sepeliri mortuum; si non manu, vel sumptu: In sepulchris viuunt meritis Thobias & Ioseph; quorum alter defunctis fratribus, alter Christo sepulturam prouidit. Sanctorum cole memorias; & in muneribus eorum quære suffragium. Matronæ cuidam, Processi & Martiniani oratorium frequentanti, beatus Gregorius eosdē martyres apparuisse refert; & in causa animæ, suum promisisse interuentum. Nulli desunt extra misericordiæ; nulli facultas misericordiam promerendi: tota Petri & Andreæ relicta possessio, & dimidium bonorum Zachæi, & duo minuta Viduæ, & panis fractus esurienti, & calix aquæ frigidæ pariter acceptantur si sit par affectus offerentium. Deus enim non quid, sed qualiter offeras, attendit. Iratus, non hostiarum numero sed deuotione mitescit animorum. Mitescet autem si perseueraueris in eo quod cœpisti. Cœpisti non parcere diuitiis tuis, ne non parcatur delictis tuis. Bonum & salutare consilium; huius nunquam pœnitet, nunquam pudet sapientem. Quippe resides & intactas opes, immoto puteo, Ambrosius his comparat verbis: Puteus (nisi eum exhauries) inerti ocio & degeneri situ facile corrumpitur; exercitus nitescit ad potum. Idem de eodem: Aqua statiua, statim vermes facit, sic & opulentia rerum, vsu iocunda est, inutilis otio, & quasi cœnulento odore Deo molesta; vindices auaritiæ & iniquitatis, vermes facit. Porrò de tuis opibus id minime timetur, quibus multiplicandis, non vrget te successio liberorum: in quo & diuina gratia tibi officiose prouidit, quam maluit esse fœcundam spiritu quam carne, cœlo parere quam sepulchro. Carnis enim fœcunditate retrorsum plures abeunt, solliciti quid hæredibus derelinquant, quas eis emant possessiones, vbi consultius adultas collocent filias; quæ palatia nepotes nondum natos expectent. His ex tuum vigiliæ seruiunt, his labores thesaurizant. Afficiuntur etiam inedia, torpent algoribus, & quod hæres scortator aut ventricola dilapidet, spontaneo cruciatu corporis acquirunt. O insani parentes, qui filiis officiosi, sibi officiunt! Tu autem fœlix, cui non sunt quibus diuidas animum tuum, propter quos respicias *vanitates & insanias falsas*. Tota ergo adsis gratiæ Dei, sine qua nec bene volumus, nec bene operamur. Nisi ei defueris; credas eam tibi minime defuturam. Vale in Christo dilectissima soror, & vice nostra, maritum tuum saluta, cui etiam idipsum concedimus quod tibi: vtrique autem ex eo gratias agimus quo monachos beati Vincentij filios & fratres nostros manutenetis in largis benedictionibus (vt audiui) frequenter eos visitantes. Hoc etiam benefecistis, & vt in id perseueretis, vestram rursus rogamus deuotionem. Vale.

*Act. 6. Hebr. 13. Gen. 18. Tob. 1. & 4. 2. Matth. 27. Marc. 15. Matt. 19. Luc. 19. 21. Matt. 10. Marc. 9.*

*Cura filiorum parentes transversum agit sæpissime. Ps. 3. 95.*

### *Epistola 63. Argumentum.*

*Adelæ Comitissæ iam conuersæ gratulatur quod cum nostræ Redemptionis officinas (scilicet Terræ sanctæ diuina loca) obsequio Christiano venerari & inuisere hactenus desiderasset; Monasticam vitam esset professa.*

Hildebertus Cœnomanorum Episcopus, A. ancillæ & filiæ Christi, suæ quondam dilectæ; nunc autem dilectissimæ, bonum exitum, de bono promereri principio. Egredienti tibi de medio nationis prauæ atque peruersæ, congratulatur & applaudit tibi spiritus meus laudans Dominum & glorificans; cuius miserationis est quod Ægyptiacam auersata seruitutem, ad terram promissionis iter assumpsisti. Confido autem in Domino meo Iesu Christo, quod ipse prosperum faciet desiderium tuum, quod *perficiet gressus* tuos *in semitis suis, vt non moueantur vestigia tua*. Et quidem ego credidi, alia via filiā Abrahæ de Ægypto egressuram; sed filia Abrahæ compendiosiorem viam elegit. Credidi enim te desiderio desiderare sepulchrum Saluatoris inuisere; & nostræ redemptionis officinas, obsequio venerari Christiano. Sciebam quod in eo recte offerres; sed ne rectè etiam diuideres dubitabam. Tu autem & recte obtulisti; quia pro Christo omnia reliquisti: recte etiam diuisisti, quia Christum sepultum quam Christi sepulchrū sequi maluisti. Porro salutaris hæc, & plena consilij diuisio: vt enim efficiamur discipuli Christi, baiulare monemur ipsius crucem, non quærere sepulturam. Quam scilicet crucem, vt tu & portare possis, & sequi Christum; patientiam amplectere, amplectere humilitatem; quæ inter cæteras virtutes inueniuntur humanæ redemptionis obtinuisse principatum. Si diligenter attendis; tota Christi vita nihil aliud in terris quàm exemplum & doctrina earum fuit. In eis igitur dum per serpentes deserti huius & innumeros hostes ad promissam tendis Ierusalem, mentis oculos habe, vt illud Salomonis in te compleatur: *Oculi sapientis in capite eius, stultus autem in tenebris ambulat.*

*Psal. 16.*

*Patientia & humilitas principes virtutū.*

*Eccl. 2.*

### *Epistola 64. Argumentum.*

*Monet Abbatem quendam paulo curiosiorem sermonis, & quidem supra quam Christianum deceat; tollendam esse è e eius monasterio consuetudinem qua Eucharistiam nisi intinctam non concederet.*

Promissam beatitudini tuæ paginam, satis superque expectasti. Promisi (fateor) sed veritus sum ne rudi stylo, res legenti displiceret. Ratio hæc diuturnum mihi silentium imperauit. Cæterum cùm Paulus esset in manibus, & illud ad Philippenses occurreret, *dummodo omnimodo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo*, debitum soluere disposui, & quo possum scripto improbare quem approbaris errorem. Periculosè delicatus est quisquis, nisi eum venustas verborum demulceat, doctrinæ præiudicat salutari. Quis exustus siti, oblatam fictilibus aquam proiicit; aut quis ægrotare maluit, quam nigra & horrenda manu Æthiopum præparatam sumere potionem? In primis igitur attendas iudicialem esse pertinaciam, consuetudinem præferre veritati. Nec liber est vsus à culpa; cui vel auctoritatem constat obsistere, vel aduersari rationem. Nouerat hoc Augustinus in iij libro de vnico baptismo scribens his verbis: Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. Item: Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Item in libro de baptismo; qui contempta veritate præsumit cōsuetudinem sequi; aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus veritas reuelatur; aut circa dominum ingratus est, cuius inspiratione Ecclesia eius instruitur: nam Dominus in Euangelio; *ego sum (inquit) veritas*: non dixit; ego sum consuetudo. Item: reuelatione facta veritatis, cedat error veritati; quia & Petrus qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. De eodem Cyprianus: Consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata; veritati omninò postponenda est: Et; vsus qui veritati est contrarius, abolendus est. His auctoritatibus instructos culpa respicit, si malunt post consuetudinem deuiare quàm sectari veritatem. Quod ideo tibi (charissime Frater) exaraui, vt vel excitatus euigiles; vt videas, quoniam traditioni sacramentorum aliaris, quæ in vestro celebris est Monasterio, nec euangelica consona, nec Decreta concordant. In eo enim consuetudinis est, Eucharistiam nulli nisi intinctam dari: quod nec ex dominica institutione, nec ex sanctionibus autenticis reperitur assumptum. Si Matthæum consulis, si Marcum, si Lucam; seorsum panem traditum inuenies, seorsum vinum. Vnde & sic Papa Iulius ait: Illud quod pro complemento

*Phil. 1. Veritas ornatum negligit.*

*Pertinacia est, consuetudinem præferre veritati.*

*Veritati cedat cōsuetudo. Ioan. 14. Gal. 2.*

*Eucharistiam, nisi intinctam nō dare, reprehēsibilis est consuetudo.*

mento Communionis, quidam intinctam tradunt Eucharistiam populis; non hoc prolatum ex Euangelio testimonium repererunt, vbi Apostolis corpus, & sanguinem suum Dominus commendauit: seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio commemoratur:

*Ioan. 13.*

Nam intinctum panem aliis præbuisse Christum non legimus, excepto tantùm illo discipulo quem intincta buccella, Magistri proditorem ostenderet, non quod huius sacramenti institutionem signaret. Porrò, si quis dicat ex intincto pane, quem traditori Christus porrexit, præfatam emersisse consuetudinem; tanquam præscripta fuerit in eo forma qua tradi oporteat Communicaturis, panem qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo: forsitan credendum putarem, si panem illum, Christi corpus fuisse, vel Euangelium vel plena fidei reliquisset auctoritas. Cæterùm vel tenuiter scienti manifestum est, aliud fuisse Christi corpus, & aliud bucellam panis intinctam, Iudamque prius ad mortem saginatum corpore quod erat traditurus, quam bucella panis proderet Traditorem. De qua bucella, sic Augustinus super Ioannem scribens ait: Non autem, vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus Christi accepit: Intelligendum est enim quod iam in omnibus distribuerat Dominus sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut sanctus Lucas euidentissime narrat: ac deinde ad hoc tamen vbi (secundum narrationem Ioannis) apertissimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam, suum exprimit Traditorem, fortassis per panis tinctionem, illius significans fictionem. Hæc tibi (charissime) sufficiant, si veritatis compendia sequi, quàm post longos relinquendæ consuetudinis circuitus aberrare malueris.

*Bucella intincta porrecta à Christo, non erat Christi corpus. Iudas prius accepit corpus Christi, quam ... proderet buccella. Lib. 13.*

*Epistola 65. Argumentum.*

*Summum Pontificis suffragium requirit superiis quæ decreta sunt in Britannia de substantia morientium, & naufragantium quæ fisco addicebatur, item de incestis nuptiis, deque sacerdotalium filiorum ordinatione.*

BEatitudini vestræ (reuerendissime Pater) decreuimus exarandum; quòd ex suggestione venerabilis Britannorum Comitis, pariterque prouincialium consilio Episcoporum in Britanniam descenderimus: vbi præter alias multiformes & abhorrendas enormitates; matrimonia quidem, incæstus; Sanctuarium autem Domini, hæreditaria successio polluerat. Quapropter, conuocatis eisdem & Abbatibus multisque religiosis ac sapientibus viris: in vrbe Nanetensi, triduo sedimus, in ea synodum celebrantes: ex qua largiente Domino & Ecclesiæ honorem, & populo magnum constat emersisse fructum. Siquidem vsque in diem præfati Conuentus, huiusmodi consuetudo in terra Comitis extiterat, vt decedente marito vel vxore, vniuersa decedentis mobilia in proprietatem Potestatis transirent. Præterea quicquid euadebat ex naufragiis, totum sibi Fiscus lege vendicabat patriæ: passosque naufragium, miserabilius violentia Principis spoliabat, quàm procella. Vtramque autem exactionem sub oculis totius Consilij, Comes in nostra manu deposuit; postulans in eos excommunicationis gladium extendi, quicunque aliquandò vel manumissa petere, vel manumissionis plenitudinem imminuere attentarent. Totus itaque consessus & gratiarum actione illum prosecutus est; & persecutus anathemate beneficij distractorem. De incæstuosis autem coniugiis, hoc vniuersitati considentium placuit; vt Episcopi quidem in omnibus suis Conuentibus, reliqui vero sacerdotes in Ecclesiis talia contrahi matrimonia publicè prohiberent; eos excommunicationi subiicerent quicunque post præsentis Synodi actionem scienter inirent incæstarum fœdera nuptiarum. Placuit & hoc vniuersis: vt ad incutiendum cæteris metum; filij, vel huiusmodi commixtione deinceps generati, velut spurij haberentur, & ad legitimos hæredes ius paternum transiret. Porrò in Ordinibus celebrandis, canonicas sanctiones, & diligenter attendi iussimus, & inoffense custodiri. Ordinari filios sacerdotum, nisi prius Canonici regulares, aut Monachi fierent; assensu communi nobis synodus interdixit. His autem quos iam ordinatos constabat, abolendæ successionis intuitu; in Ecclesiis quibus Patres eorum ministrarent, ministrandi abstulimus facultatem Præbendas, & quaslibet Ecclesiæ dignitates, rigore quo debuit inhibitum est hæreditate obtineri. His addita sunt & alia in hunc modum; quibus ex canonicis prodeuntibus institutis, præsens Synodus & assensum præstitit, & seruanda decreuit. Hæc igitur vobis (sancte Pater) significanda censuimus; quatenus acta canonice, vestra confirmare dignetur auctoritas: & datis ad Episcopos litteris, communiter exhortari omnes vt quæcunque eis facienda sanximus in Christo & docenda, ipsi quoque cum Christo facere studeant & docere. Illam prætereà manumissionem de naufragiis & de substantia morientium, quam Comes in nostra manu deposuit; vos (beatissime Pater) non grauemini confirmatione Apostolica roborare, ac prohibere ne quis omnino eam rescindere, vel aliqua ex parte minuere præsumat. Conseruet vos Dominus Ecclesiæ suæ, sancte Pater.

*Synodi Nanetensis Canones seu Decreta.*

*Comes Britannorum, in manu Episcopo renunciat exactionem de naufragiis.*

*Suscepti ex incestis nuptiis spurij pronunciantur.*

*Synodus Prouincialis à S. A. debet confirmari.*

*Epistola 66. Argumentum.*

*Pontificis Honorij 2. est responsio confirmatoria eorum quæ decreta fuerant in Synodo Nanetensi, & quæ relata sunt superius epistola quæ incipit, Beatitudini vestræ Reuerend.*

HOnorius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Turonensis metropolis, Suffraganeis, Episcopis; salutem, & Apostolicam benedictionem. Charissimus frater noster Hildebertus Turonensis Episcopus, sicut bonus pastor pro grege suo vigilans, euocatis fratribus sapientibus & aliis religiosis viris, quemadmodum ex suarum literarum inspectione cognouimus in Nanetensi ciuitate, de more Metropolitico, concilium celebrauit. Ibique de incæstis nuptiis, & de spuriis sacerdotum filiis, & de his qui quasi hæreditaria successione ecclesiastica petebant beneficia, & de aliis diligenter pertractans; corrigenda correxit, & statuenda constituit. Vniuersitati ergo vestræ mandamus, quatenus ea quæ ab ipso iusta sanctorum Patrum decreta ibi ad honorem Domini & salutem populi statuta esse noscuntur, irrefragabiliter obseruetis. Sicut enim in humani compage corporis, membra famulantur & obediunt capiti tanquam supremo & prouisori, vt sic persona seruetur incolumis; ita fidelium mentes vnius effectæ voluntatis, pro custodienda vnitate fidei & statu Ecclesiæ, suis debent humiliter parere Prælatis. Ad hæc prauas illas consuetudines à Comite Britanniæ clarissimo, in manu præfati Archiepiscopi, in conspectu synodi refutatas, quarum vna fuit, quòd maritis vel vxoribus decedentibus bona eorum mobilia à Potestate sæculari diripiebantur; altera, qua illis qui naufragium euaserant, etiamque in portu postmodum inuenta erant, auferebantur; damnamus: & ne quis eas futuris temporibus renouare præsumat, auctoritate Apostolica interdicimus. Iniquum enim censemus esse, vt quem diuinæ clementiæ magnitudo à sæuientis pelagi voracitate exuit; hominum sæua rapacitas audeat spoliare. Piorum namque Imperatorum emanauit auctoritas, † vt etiam earum rerum quæ in tempestate maris, leuandæ nauis causa, eiiciuntur, non amittatur dominium: non enim eas aliquis en animo abiicit, quod habere nolit; sed quò periculum effugere possit. Et qui res ipsas

*Nanetensis Synodus.*

*† Ad L. Rhod. de iactu ff. & l. 1. par. Fr. ... & l. quotiens ... & ... Incend. ruin. nauf. l. ... quod.*

lucrandi animo abstulerit: rursum committit. Datum Laterani 13. kalend. Iunij.

*Epistola 67. Argumentum.*

*Conqueritur apud Honorium. 2. quæ sunt Sanctuarij, Regem Galliarum fisco ascripsisse; & se persequi in dies quia dignitates Ecclesiasticas, nec ex ipsius Regis præcepto disponat; nec disponendi facultatem indulgeat: tandem summum Pontificem monet rixarum Decani & Canonicorum Ecclesiæ Turonensis.*

HOnorio, Dei gratia, Reuerendissimo Patri; sanctæque Romanæ sedis summo Pontifici, Hildebertus humilis Turonum Archiepiscopus, debitæ integritatem obedientiæ. Quantis tribulationum turbinibus Turonensis agitetur Ecclesia; vestram venerande Pater latere non credo sanctitatem. B Adhuc enim Francorum Rex innocentiam meam tantum persequitur odio, vt traducat in grauamen Ecclesiæ, & quod constat esse Sanctuarij, fisco ascripsit. Terra quoque terra ipsius mihi, & his qui mecum sunt in Domino suspecta est & clausa; vt nec ego, nec illorum aliquis in ea pedem ponere audeat. His alijsque premor angustiis, quia *zelo zelatus sum legem Domini Dei*, quia non sum transgressus *terminos quos patres nostri posuerunt*; quia dignitates Ecclesiasticas nec ex Regis præcepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi. Sciens enim quia *oportet magis Domino obedire quam hominibus*, personas elegi quæ in exequendis Ecclesiæ negotiis pondus diei portarent & æstus. Alteri igitur Archidiaconatum, alteri Decaniam dedi. Nullus omnino fuit, qui ei quem in Decanum promoui, quando promotus est, aliquis opponeret, seu quando fuit in sede collocatus. Omnes gratiam ipsius habebant, omnium ipse. Sequenti autem tempore contigit, vt quosdam Canonicorum, qui sub virga erant, propter eorum turpia verba & reprimendorum enormitates operum, Decanus ex officio Decaniæ, ecclesiastica corrigeret disciplina. Quam nimis grauiter idem Canonici ferentes, aduersus eum inexorabili odio exarserunt. Cui scilicet odio plurimum ex quadam discordia est additum, quæ inter eosdem Canonicos & Fratres Decani suscitata, ex verbis ad rixam vsque peruenit. Ex occasione huiusmodi, simulque suffragio disciplinæ, præscripti Canonici de sua egressi Ecclesia, ad Regem Francorum, cuius iram circa Decanum nouerant implacabilem, transierunt, ipsius indignationem, quantis & quibus potuere delationibus in eum incumulantes. Cùm autem à Rege egressi essent, vnus ex illis nomine Nicolaus, à quodam fratre Decani captus est, & aliorum auxilio, tam fratrum eiusdem Decani quàm amicorũ demembratus. De quibus cum mihi frater abscissus lacrymabilem deponeret clamorem: addidit, vt etiam super Decano proclamaret; dicens, suggestione & consilio ipsius membrorum se abscissione imminutum, quorum violentia ipse tentus fuit & abscissus. Alterum quoque canonicum Herbertum nomine simili suspicione Nicolaus de illata sibi pulsauit iniuria. Pulsanti itaque & pulsato vtrique, diem dedi competentem; in quo ascitis religiosis viris & sapientibus personis, causam iuuante Domino canonice terminarem. Omnes statuto die affuerunt; omnes hoc modo suam assecuti sunt actionem. Qui igitur pro Nicolao est locutus; dixit, Nicolaum suggestione & consilio Decani demembratum; ipsum tamen Nicolaum, minimè suscepturum iudicium. Ad hæc Decanus: Non mea (inquit) suggestione, nec meo consilio; sed nec etiam mea voluntate actum est vt Nicolaus abscinderetur: vt autem super illato mihi scelere purgarer, meamque monstrarem innocentiam; vocatus a meo Archiepiscopo, Conuentum præsentẽ ingressus sum, libenter executurus quicquid canonicè fuerit aduersum me iudicatum: siue itaque Nicolaus iudicium suscipere differat, siue omnino dimittat; ego tamen Ecclesiæ & Archiepiscopo meo, quã sanctiones canonicæ A dictant, offero purgationem. His dictis; alter simili capitulo pulsatur, simili responsione suum prosecutus est negotium: & quidem quæsitum est si quos testes aduersus accusatos Nicolaus haberet. Cæterùm nullus omnino inuentus est, nullus nominatus. Quapropter iudicatum est; Decanum, si non pro Nicolao (quibusdam minatoriis causis, quærente iudicium differri) pro Ecclesia tamen, quæ eum habebat suspectum, debere purgari: atque in septima manu Ordinis sui, suam iureiurãdo declarare innocentiam; quod & ita factum est. Ex eodem quoque iudicio, Herbertus in ordine suo similem exhibuit purgationem. Hoc idcirco vobis (Pater sancte) scripsi, quatenus si quis aliud sanctitati vestræ de præfato retulerit negotio, vos ipsam cognoscatis veritatem. Vigeat sanctitas vestra, venerande Pater.

*Quod est Christi rapuisse fiscum.*

*Act. 5.*

*Matt. 20*

*Canonicorum quidam sub virga rixãtur cum Decano Canonicos castigando.*

B

*Epistola 68. Argumentum.*

*Scribit Honorio 2. P. M. Bracerium Canonicæ restitutum Romam quoque iter instituisse Radulphum fatigatum delationibus iuniorum quorundam & improborum canonicorum, quorum cum Decano controuersia componenda Pontifex Legatum cognitoremque Roma Turonium vsque dimisisset, necesse esset tamen vt vltimam imponeret manum.*

HOnorio, Dei gratia, sanctissimo Patri suo, summoque Pontifici, sanctaque Romanæ Ecclesiæ Hildebertus humilis Turonum minister, integræ custodiam obedientiæ. Factum est (beatissime Pater) quod à nobis dignatio vestra postulauit. Etenim Braecr o Præ C bendam quam enormitate delictorum amiserat, Apostolicus restituit interuentus. Radulphus quoque Beati Mauricij Decanus, ex præcepto vestræ sanctitatis iter assumpsit; conscientia secutus non via; diuino conductu, non humano. Qui si prosperante Deo ad vestram euaserit audientiam; sciatis eũ non sua fatigari culpa, sed potius odiis & delationibus quorundam iuuenum: de quibus dubium est, magisne attriuerint famam suam malefactis, an maledictis alienã. Hinc est quod opinionem Decani gratuito persequuntur, qui suæ nec rogati parcere voluerint. Eidem tamen Decano sic data est à nobis in capitulo Decania, sic ipse substitutus in sede, vt huic eius promotioni nemo prorsus aut verbo resisteret, aut opere contraíret. Ad mensam debitæ refectionis æquanimiter sederunt omnes, cum gratiarum actione D surrexerunt, agenti Decanum. Aliquandiu impensa est & integritas obedientiæ, & facultas disciplinæ. Hanc autem circa eum reuerentiam, temeritas cuiusdam Fulconis fratris ipsius imminuit, à quo & per quem captus est abscissusque Nicolaus: de qua scilicet abscissione, quod Decanum Nicolaus accusauerit, & quod ipse Decanus adiunctis sibi sex venerabilibus viris iureiurando suam declarauit innocentiam, iam nostrarum litterarũ inspectione, beatitudini vestræ veraciter innotuit. Innotuit præterea, iudicio affuisse venerabilem Cœnomanorum Pontificem, Abbates etiam quàm plures, aliosque religiosos & sapientes viros, quorum omnium prona fuit ad hæc sedulitas, vt non molirent ex licentia Iudicis sententiam, sed sequerentur canonicæ rigorem discipli- E plinæ. His talibus peractis, non tamen circa Decanum quorundam quieuit inuidia. Qui dum apud eum delationis materiam non inueniunt, ipsi fingunt. Hi si quidem sunt, quibus est elegantius de mendacio damnari quàm præmium de veritate promereri. Porro cum ad aures vestras ascendisset, pro irrogata Nicolao cõtumelia grauem inter Canonicos esse discordiam, Ecclesiæ quoque diuinum deesse officium, ob reformandã in ea pacem D.G. Romanæ Ecclesiæ Legatum Turonis vsque fatigari iussistis. Vbi cùm data esset Nicolao; & amicis Decani audientia, singuli prout quisque pulsabantur, suam executi sunt actionem: deinde prolatum iuxta cõsuetudinem prouinciæ est iudicium. Conquestus in eo se grauari Nicolaus, Apostolici examinis vigilantiam appellauit.

*Cõprimendo schismati Legatus mittitur à S. A.*

appellauit. Inde factum est, vt inter Nicolaum & eos de quibus appellauerat Nicolaus, res indiscussa maneret. Adhuc autem sedētibus Episcopis qui de causa iudicaturi conuenerant, Legatus ex auctoritate sedis Apostolicæ præcepit, vt si quis Canonicorum vel aduersus Decanum, vel aduersus alium aliquam haberet querelam, in mediũ proferret super clamore suo, quicquid iustitia dictaret adepturus. Id ipsum cum Legatus de persona Decani specialiter, & Bidonis iteraret; nullus omninò est inuẽtus qui sibi aliquid aduersùs eos fateretur. Placuit igitur tam legato quàm Cœnomanensi & Redonensi Episcopis, paritérque paruitati nostræ; in accusatione Decani siue Bidonis, neminem illorum admitti qui (si quid aduersus eos habent) iussi probare, siluerunt. Ita bis iam descissa Nicolai aduersùs Decanum & Bidonem querimonia, Legatus Canonicos diligenter adhortatus est ad pacis vnitatem reuerti; singulos singulis in ordine suo, debitam exhibere reuerentiam: cõuersati sicut in domo Domini, vt quod diuidebat distinctio graduum, coüniret æqualitas animorum. Quod, vt fieri (Pater beatissime) possit, necesse est, vos vltimam manum præfato imponere negotio.

a Radulphus. *Hic fortassis est Arnulphus ille concionator egregius, qui acerbior in reprehendendo, Clerı infidiis est necatus. Plat.*

*Epistola 69. Argumentum.*

*Henricus Anglorum Rex, monasterio Fontis Euerardi dederat eleemosynam persoluendam quotannis, pro remissione peccatorum: petit Hildeb. tandem Sanctitatis suæ sigillo muniri & Apostolica authoritate confirmari.*

HOnorio Reuerendissimo patri suo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici; Hildebertus humilis Turonum minister, debitæ perseuerantiam obedientiæ. Ex relatione plurimorum didicimus, & re ipsa sumus experti, quòd apud vestram (sanctissime Papa) vigilantiam, iustæ petitiones debitum inueniunt affectum. Vnde & nos, tam deuotè quàm fiducialiter id expetimus à vobis, quod & summum Pontificem erogare deceat, & Ecclesiæ prosit erogatum. Serenissimus si quidem Anglorum Rex Henricus, monasterio de Fonte Euerardi quandam in Anglia promisit eleemosynã, pro remissione peccatorum suorum eidem loco singulis annis in perpetuum exoluendam. Quam profectò eleemosynam auctoritate sedis Apostolicæ confirmari, vestróque muniri sigillo, precibus multiplicatis imploramus. Hanc ad vos (beatissime Pater) interuentionem pro virginibus Christi suscepimus; quarum sicut exterior est apud homines cõuersatio, sic apud Deum, prout credimus mentis puritas innotescit: ea propter noluimus ancillis Christi nostram deesse interuentum. Quòd si non meretur exaudiri à patre filius; mereatur tamen à Domino aliquam de pia voluntate mercedem fidelis seruus. In sinu tamen nostro spes bona reposita est, pro eis à Patre filium exauditum iri, quæ ad promerendam seruorum Dei gratiam ipsæ sibi solæ sufficiunt.

*Ille promissio intermissa fuit.*

*Epistola 70. Argumentum.*

*Regina Anglorum scribit, sterilitatem non in opprobrium contigisse, sed ad salutis subsidium, vt adoptaret vtique sibi pauperes, salutis (& forsitan prolis) apud Deum intercessores.*

HIldebertus humilis Turonum Archiepiscopus A. excellentissimæ ac reuerendissimæ Anglorum Reginæ; salutem & orationum instantiam. Transfretare tibi (ô Regina illustris) vt fertur incumbit; & regno coronæ tuæ, tuo reditu iocũditatem restituere & exultationem. Noluimus te insalutatam de Normannia egredi; cuius salutem inter suos successus Christi pauperes enumerant: audiuimus enim te de illis curam gerere, & eos frequenti benedictione consolari. Optimũ hoc & timoratæ mentis consilium acturi sumus omnes coram omnium Redemptore simul & iudice. Illuc necesse est nos præueniant, si volumus vt nobis subueniãt aduocati. Aduocati autem illi sunt, de quibus in Euangelio Dominus dicit; *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Amici huiusmodi, amici certi; & in die calamitatis & miseriæ, nesciũ suum nescire cultorẽ. Hi profectò pauperes intelliguntur. Pauperes ante supremum tribunal in propulsandis delationibus obtinent principatum. Vnde fit vt benè speret de iudice Christo, quicũque sub Christo pauperum meretur interuentum. Pro quo istorum voces conualescunt; sententiam non timet capitalem. Hos itaque tibi compares, hos facias aduocatos. Illis egentibus, egere Christum, crede. Qui te non viderint; in benedictionibus tuis tuum videant affectum. Si non est tibi desuper vt Anglorum Regi pareas; in his, absque damno pudicitiæ, Regi pareas Angelorum: fortassis ideò Dominus clausit vterum tuum, vt progeniem adoptares immortalem. Quòd si ita est; attende sterilitatem carnis animæ quæstum esse, non dispendium; gloriam, non confusionem; beneficium, non flagellum. Fœlicius enim est fœcundam esse spiritu, quàm carne: cælo parere, quàm sepulchro. Fieri etiam potest, vt quam suspiras sobolem, subsidiis egenorum adipisci merearis: quippe naturam quoque merita mutant; & apud nonnullas inuenies abstersum eleemosynarum virtute, sterilitatis opprobrium. Abraham quia homines consueuerat, Angelos hospitari promeruit. Eundem, prærogatiua fidei & obedientiæ, Scriptura, Domino placuisse commemorat. His ô Regina noueris euacuatam Saræ sterilitatem; datúmque ei filium, in quo plus egit meritum patris, quàm debitum thori; sanctimonia, quàm natura. Quem videlicet filium cùm Dominus Abrahæ prædestinasset, ad eum tamen suscipiendum non nisi præcedentibus meritis Patriarcha peruẽnit. Quod enim prædestinatur electis, precibus & meritis obtinetur. Vnde etiam legitur, Isaac datum Rebeccæ precibus conceptum: vt generis multiplicatio, quæ prædestinata in eo fuerat, precibus impleta monstraretur. De quo sic Gregorius in Dialogo ait: Ipsa perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotenti Domino disposita, vt ad hoc electi ex labore orationum perueniant, quatenus postulando mereantur accipere quod Dominus ante sæcula disposuit eis donare. Idem: Constat quòd prædestinatio precibus impletur, quando is, in quo Dominus multiplicare semen Abrahæ primò destinauerat, oratione obtinuit, vt filium habere posset.

*Luc. 16. 9.*

*Pauperes respectu dos apud Deum intercessores.*

*Sterilitas non est flagellum, sed beneficium.*

*Naturã merita mutant.*

*Gen. 18. Gen. 25.*

*Quòd prædestinatur, precibus & meritis obtinetur.*

*Greg. dia. lib. 1.*

*Epistola 71. Argumentum.*

*Comitissam quandam, quæ spretis secularibus deliciis transierat ad vitam monasticam, hortatur ad tolerantiam.*

QVoties, quæ circa te aguntur audio; lætatur & exultat spiritus meus. Audio enim te dedoci in semitas mandatorum Dei, & ad terram viuentium inoffenso currere vestigio. Audiui etiam, de locuplete, pauperem spiritu; de splendidissima & constipata cuneis obsequentium Comitissa, humilem Monacham; atque ad instar abiectioris ancillulæ, cæteris filiabus Christi quæ tecum Domino seruiunt, & prouidere quod necessarium est, & officiosissimè famulari. Sanè mutatio *hæc, mutatio dexteræ Excelsi.* In ea profectò necesse est vt illud Sapientis diligenter attẽdas; *Fili accedẽs ad seruitutem Domini præpara animã tuam ad tentationem.* Ad quã profectò seruitutem te accessisse non dubito, cùm ad Christi seruitium per prudentiam accessisti. Prudentia siquidẽ fuit, quia elegisti abiecta *esse in domo Domini tui magis, quã habitare in tabernaculo peccatorũ.* Falleris au-

*Comitissa fit Monacha.*

*Eccl. 2.*

*Ps. 83.*

*Tentationes à onastica̅ professi.* tem si inter emersuras tentationes, tutam putas electionem tuam & eam sine graui certamine consummandã. In eo siquidem spiritum tuum aduersa pulsabunt, prospera concutient, elatio fatigabit. Aduersus huiusmodi necesse est ita dimices, vt hostes (mulierem aggressi) virum inueniant: quod aliter fieri minimè putes, nisi bonum (cui te per prudentiam alligasti) per fortitudinem in molestis obtineas, in secundis per temperantiam, in rectè gestis per humilitatem. Israël, aduersitatibus in deserto frangitur, ardore sitis & defectu mẽsæ erga Moysem murmurat; diuinis miserationibus, Ægyptiacam præfert seruitutem. Ergo in eis fortitudo perit; à Serpentibus ipsi periisse leguntur. Idem quoque populus in terra Madian manducare cœpit & bibere: dehinc vt ludat, surgit; distentus crapula & ebrietate, fornicatur. Vnde factum est vt viginti tria millia eorũ vna die caderent; gladiis, in vltionem intemperantiæ, deuorati. Vides ergò (ô filia Christi Iesu) quanta solicitudine custodienda sit & in molestiis fortitudo, & temperantia in secundis: Et quia vtroque pariter mundi contemptus eget; eorum si desit alterutrum, quicquid per prudentiam eligitur inanescit. Falleris autem si talia hæc adepta, tutum putas iam propositum tuum; si nauigans in hoc magno mari & spatioso, portum te credis attigisse. Restat enim humilitas, quam (vt repositum accipias brauium) reliquis necesse est adiungi. Humilitate cursus ille consummatur, quo de ærumnis transitur ad veram sufficientiam; de luteis domibus, ad cœlestes ascenditur mansiones; de incolatu, ad patriã remeatur. Si nescis quis iste cursus sit, Augustinum lege; his ad Macedonium scribentem verbis: Virtus in hac vita nihil aliud est quàm diligere quod diligendum est: id diligere, prudentia est: nullis inde auerti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, iustitia est: humilitas hoc in loco, nomine intelligitur iustitiæ, tanquam cæterarum consummatio & clausiuncula virtutum. Vnde & discipulis suis Dominus ait; *discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Iam Petrus & Andreas nauiculam & retia dimiserant; iã Ioannes Euangelista virginitatis obtulerat holocaustum; iã telonium Matthæus deposuerat: iam cæteri dixerant Apostoli Domino: *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Attende cur ad humilitatem inuitantur, carnis hostes & mundi! Attende quo egebant ad perfectionis plenitudinem iã secuti Christum, relictis omnibus præter Christum! Magnus thesaurus magna eget custodia: fur enim semper sollicitus est vt effodiat, vt furetur, vt traducat. Erat Apostolis pretiosus & inæstimabilis thesaurus ipsa Redẽptoris gratia, & diuinũ eius colloquium, erat eis thesaurus sacræ mensæ communicatio, & spiritualis alimenti veritas erat: eis thesaurus, in amorem cœlestiũ quotidiè miraculis eius proficere & exemplis. Huius thesauri custodem oportuit esse humilitatem: & eius excubiis accessum superbiæ amoueri: quæ vbi ipsa subsistere non potuit, ægrè sustinet aliquem peruenire. Ea siquidem orta signaculo *similitudinis Dei*, in inferiores partes à cœlesti sublimitate corruit patri eius quædam prærogatiua erat beatitudinis, expressiùs esse similem Creatori. Verùm quantò fuit conditione sublimior, tantò factus est potentia inferior & gloria: gloriam verò quam ex gratia hauserat, amisit superbia quam omnibus inuidet, inferos autem, nulli, quos meritis est adeptus, ad Inferos enim qui eũ sponte sequũtur, multi sunt, eò quòd plures multimodis tentationibus ipse trahit. In illos autem quorum facies est spectantis ad charitatẽ, & quã ipse non redditurus eximit: tanta vtitur inuidia vt ei parùm sit inflixisse mortem qua corpus (non anima) moritur, nisi & infligat illam qua corpus & anima pariter moriuntur. Hinc est quòd eis nunquam cessat aduersari; totus in hoc, vt cum vxore Loth ad sulphur & ignem Sodomæ respiciant; tunicã Ioseph non attendant & hostiæ eandem immolare desistant. Porrò super omnia elatione pugnant, qua sola sicut se nouit superatũ, sic vniuersos eadem sola credit se posse superare. Tu igitur amplecti humilitatem memineris: sciens nihil esse quo gloriosiùs de Sathana triumphetur; illius iaculis scutum humilitatis oppone, quod si ipse inuenerit impenetrabilis cõfundetur, & te persequi desistet. Vnde & Beda super Lucam ait; Consumpta omni tentatione Christi diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Vides ipsum diabolum in studio esse pertinacem, vt veræ virtuti Ecclesiæ sobolem inuidere non desinat, tamen iusta formidat quia frequentiùs resurgit triumphari. Vale.

Marginal notes (left column): *Exod. 16* · *Nu. 21* · *1 Cor. 10* (printed "1 kod 3") · *Fortitudo, in aduersis, temperantia, in secundis, est obseruãda.* · *Humilitas prorsus necessaria est in cursu Virtutis.* · *Quid sit virtus, aliud nihil est quã dilectio.* · *Matt. 11, 29.* · *Matt. 1. h. alt 9* · *Matth. 19, 27.* · *Isa. 41.* · *al. exedit.* · *Gen. 19.* · *Gen. 37.*

A · B · C · D · E (section letters in the inner margin)

## *Epistola 72. Argumentum.*

*Gratulatur vero cuipiam monacho, optimam existimationem: & petit in eius familiaritatis sacrarium admitti.*

BAlsamum, ex odore suo; & arborem in fructu paucos credimus ignorare: sic & nobis, ex opinione tua (charissime Frater) innotuit quàm sis & ad sanctimoniam compositus, & integer ad doctrinam. Cùm enim locorum interstitio longiùs à te separaremur; ad nos tamen vsque peruenit, quam iocundas noctes cum tua Rachele ducas, quæ progenies ex ea tibi exuberet; quòd totus exhibeas & cultorem virtutis, & hostẽ carnis. Non alium loquuntur te, quicunque nobis loquũtur de te. Talis est odor olei effusi nominis tui; talia iam tuorum præmia meritorum. Has ex agro tuo spicas, ante supremam colligis messionem. In hac enim vita, quædam merces virtutis est, conspicuum & immortale testimonium. Hoc ipsa sibi comparat; hoc sibi ipsa custodit: huius splendor non minuitur inuidia, non exterioribus studiis adiuuatur. Quippe bonorum existimatio sicut falsis delationibus auferri non potest, ita nec adulatoriis fauoribus acquiri. Penes ipsos autem est, eam vel vbertate virtutum proficere, vel defectu minorari. Sanè de celeberrima opinione tua, spes in sinu Ecclesiæ reposita est, eam minimè casuram quoniam fundata creditur supra firmam petram. Ex ea nos tuam edocti deuotionem, desiderio desideramus in sacrario familiaritatis tuæ recipi: ibiq; recordatione tecum esse, vbi teipsum furatus colloquiis mortalium pro mortalibus loqueris cum Rege Angelorum. Porrò huic desiderio noster Gebuinus Trecensis Archidiaconus plurimùm adiecit, vir moribus & literatura conspicuus. Eũ tibi censeremus commendandum, nisi constaret illos quos tua dignaris gratia, commendatione aliena non egere. Si nescis: illius etiam attestatione didicimus, te in Ecclesia esse qui ad eruditionem virtutis & exemplo sufficias & verbo. Cæterùm, ne litteris prolixioribus onerêris, scripto ponimus finem: supradictæ petitioni (donec exaudire mereamur) finem minimè posituri. Quid autem ex hoc animi geras, doceri precamur tuarum recursu literarum: Vale.

Marginal notes (right column): *Bonum nomen in hac vita, est merces quædam Virtutis.* · *Existimatione delatione aufertur, adulatione quæritur.* · *Gebuinus Trecensis Archidiaconus.*

## *Epistola 73. Argumentum.*

*Postulat sibi literis potius quàm aliena relatione significari quid agatur apud Anglos, quidve rex Anglorum de contumelia filiæ statuerit.*

NOta loquar, & vsu frequenti comprobata: Sitiẽti satius est de fonte quàm de riuo sitis ardorem extinguere: vina quoque de primo sumpta dolio, natiuũ saporem prætendunt: eadem sæpiùs de alio in aliud transfusa degenerant. Sic vberiùs meum implet desiderium, quæ circa vos aguntur agnoscere pagina vestra, quàm relatione aliena. Quicquid enim de vobis certiùs mihi futurum est, quàm si ad aures meas id ipsum vulgi rumor pertulerit. Ex quo igitur comperi ventos in vestrum spirare obsequium: statim litteras ad vos dedi, ratus aduectum de Anglia, qui vobis voluntatem Regis

aperiret;

aperiret; qui declatarei qoem affectum de contumelia filiæ, Patria pectus induerit. A Hęc vt mereat ſcire per vos: clamo poſt vos Clamo: quid? ſed ſicut veſter amicus in Domino, ſicut veſter ſeruus in Chriſto: ſicut qui honorem veſtrum, in principio lætitiæ meæ pono. Quæ igitur tam de rege, quàm do vobis amico ſigoificanda noueritts, mihi precor aperiri.

*Epiſtola 74. Argumentum.*

*Eccleſiaſticum quempiam lenius & blandius iteratis crebro litteris ad explendum profeſsionis officium prouocauerat: nunc tantam inobedientiam, vt graue peccatum deteſtatus, minatur acerbiores literas, ne puluillum ſuperpoſuiſſe videri poſsit.*

SEmper fuit opus, bis aut tertiò iteratis ad te litteris: B vt vel crebrò commonitus ageres, quod exequi ſpõtaneos debuiſti. Verùm nec ſic aliquando euigilaſti, nec ſuſcitatus es ad explendum tuæ profeſſionis officium: legeras tamen quantum ſit obedientiæ bonum quod apud Deum ſacrificiis præfertur; (1. Reg. 15 23.) legeras quia nolle acquieſcere, Samuel idololatriam appellet. Sed neque hoc elapſum tibi credo, quod electus a Domino Saul inobedientiæ piaculo, & eius gratiam, & ſolium regni amiſit. Quemdam de filiis prophetarum, quia prohibitus in Samaria panem ſumpſit & aquam, leo miſſus à Domino perco ſſiſſe memoratur. (3. Reg. 20.) *Scripta ſunt autẽ hæc ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerũt:* etenim in hoc etiam ſapientibus & inſipientibus debitor eſt Apoſtolus. (1. Cor. 10.) Vt vtriſque comexat, & violatæ ſupplicium, & cuſtoditæ præmium obedientiæ. C Porrò nulla virtus eſt, quæ contempta diſtrictiùs à Domino puniatur: non enim ad innocentes vſque pertingit reliquorum pœna delictorum. (Inobedientia punitur durius.) Ezechielem attende ſic dicentem: (Ezech. 18.) *Anima quæ peccauerit ipſa morietur:* Et illud, *filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij,* Inobedientia verò plerunque reis innoxios miſcuit; & facti ſunt in pœna ſimiles, diſſimiles in culpa. Præceperat autem lex vt à viginti annis, & ſupra numerarentur qui poſſent ad bella procedere, vel aliquo fungi miniſterio. Quia verò Dauid infra viginti annos, & ſupra generaliter iuſſit omnes numerari, indignatus eſt Dominus; (Reg. 3.) & miſſa in populo triduana peſtilentia, ſeptuaginta millia virorum Angelo percutiente ceciderunt. Acham filium Carmi, de Anathemate Iericho præſumpſiſſe ſacra tradit Hiſtoria: D Inde factum legitur, vt Iſraël coram filiis vrbis Hiericho, gladio caderet, & exceſſum perſonalem ruina populi ſequeretur. (Gen. 3.) Denique Protoplaſti culpam, totos vſque hodie luit mundus; & vnius inobediẽtia proſcripſit vniuerſos. Hæc te (Frater) oportuit attendere; & de contemptu obedientiæ vereri iudicium, ſi de reuerẽtia primùm non curaſti. Scio quidem, ſcio, te abuſum patientia mea: & iuxta Comicum, lenitatem meam malè te multa docuiſſe. Verùm patientiæ meæ & lenitatis meæ locus fuit & tempus; quas præire oportuit inobedientiæ vltionem. (Non punit Deus principio maliti[a]e Gen. 9.) Exemplo ſiquidem docemur & verbo, non ſtatim & pœnas exceſſibus irrogandas. Noluit Dominus in principio exuperantis maliũæ, humanum genus aquas delere diluuij ſed centum viginti annos præfigens eis ad pœnitẽtiam; E tanto generalius iniquitates eorum vltus eſt, quantò ipſi poſt carnem et a ; iri carnaliùs, naturæ legem & ordinem te ũ, & tempus pœnitentiæ contempſerunt. Ad prædicandum Niniuitis, Ionam miſſum accepimus; (Ion. 3.) & iuxta verbum Prophetæ, peracta ſatisfactione quadragenaria, ſuper eos diuinam quieuiſſe indignationem. De his etiam ſic Sapientia dicit: (Eccl. 19.) Corripe proximum priuſquam comminẽris. Saluator quoque noſter inſtruens Apoſtolos, Simoni Petrõ ait: (Matt. 18 Correptionis modus.) *ſi peccauit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolũ; ſi te audierit, lucratus eris fratrẽ tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecũ vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtiũ ſtet omne verbum; quod ſi te non audierit, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiã nõ audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* His edoctus exẽplis, A conueni te, corripui te, ſed inter me ipſum & te ſolum. Corripui te quidem, ſed non ſum lucratus fratrem meũ. Adhibui mihi vnum, adhibui duos; vt in ore duorum, vel trium ſtaret meum verbum. Adhibui, ſed nec ſic lucratus ſum fratrem meum. Quid itaque reſtat, niſi vt hæc dicam Eccleſiæ? Quid ſupereſt; niſi vt Eccleſiam quoque contemnens, ſis mihi ſicut Ethnicus, & publicanus? Abſit autem, vt audiat hæc Eccleſia! Abſit, vt reuelem fratris mei pudenda. Confundor enim quotiens proximus, quod ei ad confuſionem cedit, operatur. Siquidem citra perfectum, Præſul de ſua erubeſcit offenſa; niſi ad offenſam erubeſcat alienam. (Charitas to[...] 2. Cor. 11.) Eius eſt; eiſdem iaculis vulnerari, quibus proximum cognoſcit vulneratum. Hinc eſt quod Apoſtolus ait; *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego nõ vror?* (2. Cor. 10.) B Fortaſſis illud Corinthiorum dices mihi: Eccleſiæ tuæ graues ſunt & fortes! Ad quod ego, vulneratus eras à latronibus in quos incidit homo deſcendens à Ieruſalem in Hiericho. Cum igitur te ſemiuiuum offendiſſem; vulneribus tuis cum Samaritano, prius oleũ infudi; dehinc & vinum. (Luc.) Vt enim vino cenſoriæ correctionis, vulnus inobedientiæ curaretur; quod curare paternæ commonitionis oleo non potui, epiſtolas (quas graues dicis) ad te dedi. Væ mihi, qui tandiu eas dare diſtulerim! Væ mihi, cui nihil eſt, quo poſſim meam purgare tarditatem! Legeram enim; væ his qui ponunt puluillos ſub omni cubito hominum, & faciunt ceruicalia ad capiendas animas! (Ezech. 13.) legerem verba Sapientis; claui ſunt in altum fixi. (Eccl. 12.) C Porrò dum blandis & lenibus, quibus te tibi redderem indulũ; cubito tuo quaſi puluillum ſuppoſui; quaſi ceruical, quo capta eſt anima tua feci. Tali puluillo, talique ceruicali, circa filios delinquentes vſus eſt Heli, cũ diceret; (1. Reg. 2.) *Non eſt bona fama (filij mei) quam audio de vobis* De huiuſmodi correctione Gregorius Nazianzenus in libro de Epiphaniis his loquitur verbis: Heli ſacerdos pro filiorũ iniquitate damnatur, quòd eos diuina ſacrificia temerantes minùs ſeuera animaduerſione plectebat: & quidem corripuit, ſed lenitate & manſuetudine Patris, non ſeueritate & authoritate Pontificis. Ne igitur eodem plectar exceſſu, clauis epiſtolæ præſentis confortamur; quis in alium confixos, ex viſceribus elicere putredinem pauci ignorant. (Imputatur parentibus filiorum iniquitas.) Siquidem io ea patrem exuens, indui pontificem: blanditias increpationibus mutaui, pro lenibus aſpera ſum mutuatus: vt ſi D contemnis tibi me proximum effici, ego ipſe mihi proximꝰ efficiar. *Surge ergo, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* (Eph. 5.) Surge cito, ſurge hodie: quia nimium morti proximum eſt, craſtinam expectare medicinam. (Morti proximũ eſt, craſtinã medicinam expectare.) Surge (inquam) citò; quia niſi citò ſurrexeris, citò egeris pœnitentiam; citò veniet qui mouebit tuum cãdelabrum de loco ſuo, & epiſcõpatum tuum accipiet alter. (Apoc. 2. Pſ. 108. Act. 1.) Miſericordem non ſoluter Iudicem diutiùs expectata, nec aliquando ſecura correctio. Forſitan longioris Epiſtolæ tædet animam tuam; & ea quibus parate refugis, legere faſtidis. Scio quidem, ſcio quòd timoratus animus, & correctionis parſimoniam ſuſcipit, & affectat vbertatem: Iniquo verò, quicquid loquitur virtutem; cedit ad pœnam. Vale

*Epiſtola 75. Argumentum.*

*Queritur nullius ne amicorum quidem interuentu ſuam vel Eccleſiæ cauſam defendi apud Regem Gallorum [...] profeſsus. ſolatur ſeipſum, quod offenderit hominem propter Dominum, ſic lucrari gratiam Dei.*

IN aduerſis nonnullum eſt ſolatium, tempora ſperare lætiora. Diutiùs ſpes hæc mihi blandita eſt; & velut agricolam meſſis in herba, ſic animum meũ proſperitatis expectatio confortauit. Cæterùm iam nihil eſt quo ſerenitatem nimboſi temporis expectem: nihil eſt, quo nauis cuius puppi ſedeo, crebris agitata turbi-

*Patronus Ecclesiæ nullus. Rex quomodo sit castigãdus.*

nibus, portum quietis attingat. Silent amici, silent sacerdotes Iesu Christi; denique silent & illi, quorum A suffragio credidi Regem mecum in gratiam rediturum. Credidi quidem, sed super dolorem vulnerum meorum Rex illis silentibus adiecit. Eorum tamen erat grauamen Ecclesiæ, canonicis obuiare institutis. Eorum erat (si res ita postulasset) opponere se *murum pro domo Israel*; verùm apud serenissimum Regem, opus est exhortatione potiùs, quàm increpatione? consilio, quàm præcepto; doctrina; quàm virga. His ille conueniendus fuit, his reuerenter instruendus; ne sagittas in sene compleret sacerdote: ne Sanctiones canonicas euacuaret, ne persequeretur cineres Ecclesiæ iam sepultæ: cineres, in quibus ego panem doloris manduco; in quibus bibo calicem luctus; de quibus eripi & euadere, de morte ad vitam transire est. Inter has tamen angustias, nunquam de me sic ita triumphat, vt alicui super Chri- B sto Domini clamorem deponere vellem; seu pacem ipsius in manu forti & brachio Ecclesiæ adipisci. Suspecta est pax, ad quam non amore sed vi, sublimes veniunt Potestates: ea facilè rescinditur; & fiunt aliquando *nouissima illius peiora prioribus*. Alia est via, quâ compendiosiùs ad eam (Christo ducente) pertingam, Iactabo *cogitatum meum in Domino, & ipse dabit petitiones cordis* mei. Recordatus est Dominus Ioseph, cuius pincerna Pharaonis oblitus; dum prospera succederent, interueniendi pro eo curam abiecit. Recordatus est & Dauid pueri sui; quem à suo etiam filio derelictum, & triumphis extulit, & regni gloria sublimauit. Fortassis recordabitur & mei; itaque in desiderato littore nauem sistet fluctuantem. Ipse enim est, qui *respicit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum*. Ipse est, in C cuius manu corda Regum cerea sunt. Quocunque sibi placet, eò solus inclinat; alterat in quam vult formam. Si inuenero gratiam in oculis eius; gratiam Regis vel facilè consequar, vel vtiliter amittam. Siquidem offendere hominem propter Dominum, lucrari est gratiam Dei.

*Pax suspecta.* — *Ps. 36.* — *Gen. 40.* — *2. Reg. 22.* — *Ps. 101.*

### *Epistola 76. Argumentum.*

*Excusat se delati munusculi; precaturque pro se Romam ituro (quod multa immineant incommoda) Deum exorari.*

SCimus quidem, Beate Præsul, dilectione minui beneficij maiestatem; dubitatur enim an sit beneficium, cuius dilatio cruciat expectantem. Cæterùm nos D apud animum ad virtutem compositum, his etiam beneficijs integram credimus esse gratiam, quibus occurrit necessitas differendi. Hinc est quod munusculo nostro; eius cui elaboratum est, fauorem speramus affuturum. Neque enim nos vel vltrò distulimus beneficium, vel studuimus homini qui causas ingratitudinis exquirat. Totus is Episcopum viuit; nihil habens odio quod amare sit melius, nihil amans quod pudeat confiteri. Talem (frater charissime) loquitur sermo noster; talem credit spiritus noster, eandem tibi desiderans salutem, quam sibi. Optamus enim te semper in Christo valere & scire quia vicem tependis nobis, si diligis nos & oras pro nobis. Maximè autem hac in tem- E pestate orationibus tuis egemus fatigandi Romam, quo Papa Cardinalibus citramontanis, Episcopis, & Abbatibus conuocatis generale Concilium in vrbe est celebraturus. Nobis illuc profecturis; tempus, hieme suspectum; niuibus, Alpes; incrementis, aquæ; vinculis, Imperator; seditionibus, ciuitas; exactione palatium. Sanè omnia hæc orationibus euacuari posse credimus; solam verò exactionem nec oratione nec ieiunio temperari, Vale.

*Solatium actio, orationes & ieiunio non temperatur.*

### *Epistola 77. Argumentum.*

*Ecclesiasticus, nomine Hildeberti, officiosius aliquos habuerat qui Turonis transeuntes rem Hild. grati nunciant: H. officioso huic & sibi ignoto homini scribit, causam hospitalitatis exquirens.*

FVêre qui dicerent; inter sex opera misericordiæ, nihil horum hospitalitati præferendum. Hos attendisse arbitror, nonnulla in hospitio reperiri quibus diuersa susceptorum incommoda propulsari noscuntur. Idcircò splendidissimam esse hospitalitatis gratiam, qua Loth & Abraham (quia consueuerant homines) Angelos etiam hospitari meruerunt. Præterea velut in ampliorem huius gratiæ mercedem, alter Sodomæ subuersionem euasit, alter filium de sterili coniuge meruit obtinere. Tibi quoque desuper (ni fallor) accessit, vt dum præfatam frequentas beneficentiam, tres Christos Christi colligeres; & hospitalitatis hostiam quam apparatu gratissimam feceras, hilaritate faceres gratiorem. Sanè dum Clerici tui transitum Turonis haberent, plenas mihi gratias egêre, in nomine meo præstitum tibi beneficium asserentes. Recordari tamen non potuit quid egerim tibi, sed alicui propter te; quò ministrare mihi deberes, aut alicui propter me. Fieri autem potuit, vt euitandæ causa iactãtiæ diceres collatum pro me beneficium; quod eis pro Domino & in his Domino contulisti. Verùm minimè oportuit piam occultare deuotionem, si transitoriæ laudis cupidus non fuisti. Siquidem laudis huius cõtemptores grauis offensa respicit, si quid benè agit, latere quàm videri malunt; vnde & sic Gregorius ait; quisquis laudis concupiscentias calcare non sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ egit occultat.

*Gen. 18.* — *Gen. 19.* — *Gen. 21.* — *Greg. in Pa.*

### *Epistola 78. Argumentum.*

*Ea Epistola veluti publico testimonio palam fieri cupit Episcopis & Archiepiscopis; Cyprianum & Petrum, iuuenili leuitate in hæresim Henrici prolapsos; in sinum Ecclesiæ (quod fit citra infamiam) fideles nunc rediisse.*

OMnibus Archiepiscopis & Episcopis, Hildebertus humilis Cœnomanorum sacerdos, salutem & orationes in Christo. Præsentium latores Cyprianus scilicet ac Petrus; dum disponerent ascensiones in corde suo, descenderunt in lacum mortis secuti quendam Pseudo prophetam; quem qui secuti sunt, persecuti sunt semetipsos. Henricus is erat: magnus diaboli laqueus, & celebris armiger Antichristi. Huic & habitu religionem, & verbis litteraturam simulanti; tandiù præscripti Fratres adhæserunt, donec eis & turpitudo in vita, & error innotuit in doctrina. Vbi enim cognouerunt vias eius, vias esse non rectas: priùs ad se reuersi sunt; dehinc ad nos transierunt, cuius Diœcesin pestis ea sic infecerat, vt renitens ei clerus vix inter parietes Ecclesiæ suam tueretur libertatem. Post multas autem tribulationes, Deo auxiliante serpens ille crepuit apud nos, patefacta pariter & ignominia vitæ, & veneno doctrinæ. Ex tunc iidem Fratres, nostro parentes consilio; ad quod proposuerunt studium redière, vestimento seditionis & Angelo tenebrarum derelicto. Hæc ideò, Fratres, vestræ fraternitati scripsimus: ne si contigerit præfatos iuuenes vestras ingredi parrochias; ex huiusmodi mutatione, aliqua notentur infamia, sed potiùs vtrique congaudeatis, quia vterque *mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est*. Valete.

*Hẽricus à quo Henricianorũ hæresis.*

Epistola

*Epiſtole 79. Aegumentum.*

*Dedecet Virginem diebus feſtis, frequenti populo (nec vſquam aliàs ſolam) monaſterio egredi: Poſtremo autem reprehendit eas quæ forinſecus quærunt hoſpitia, vt viuant licentius.*

QVæ viuunt in monaſterio, & quarum ſimul magnus eſt numerus; nunquam ſolæ, nunquam ſine matre procedant. De agmine columbarum crebrò accipiter vnam ſeparat, quam ſtatim inuadat & laceret, & cuius carnibus & cruore ſaturetur. Morbidæ oues ſuum relinquunt gregem, & luporum faucibus deuorantur. Scio ego ſanctas virgines, quæ diebus Feſtis propter populorum frequentiam, pedem domi cohibent; nec tunc egrediuntur, quoniam maior eſt adhibenda cuſtodia, & publicum penitus deuitandum. Ante annos circiter triginta de virginitate ſeruanda edidi librum, in quo neceſſe mihi fuit ire contra vitia; & propter inſtructionem virginis quam monebã, diaboli inſidias patefacere, qui ſermo offendit plurimos, dum vnuſquiſque in ſe intelligens quod dicebatur, non quaſi monitorem libenter audit, ſed quaſi criminatorem ſui operis aduerſatus eſt. Verumtamen quid profuit armaſſe exercitum reclamantium, & vulnus cõſcientiæ dolore monſtraſſe? liber manet, homines perierunt. Scripſi & ad pleraſque virgines, ad viduas, & pleroſque alios, & quicquid dici poterat, in illis opuſculis defloratum eſt; vt aut exſuperfluo eadem à nobis repetantur, aut neque prætermiſſa plurimum noceant. Certè & beatus Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit, & multi alij, tam latino ſermone quàm græco, omniúmque gentium litteris atque linguis, præcipuéque in Eccleſiis, virginis vita laudata eſt. Sed hoc ad eas pertineat, quæ nec dũ elegerunt virginitatem, & exhortatione indigent; vt ſciãt quale ſit quod eligere debeant. Nobis electa ſeruanda ſunt, & quaſi inter ſcorpiones & colubros incedendũ, vt accincti lumbis calciatique, & apprehenſis manibus, baculis, iter per inſidias ſæculi huius & inter venena faciamus, poſſimúſque ad dulces Iordanis peruenire aquas, & terram repromiſſionis intrare, & ad Dominum aſcendere, ac dicere cum propheta, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: & illud, *vnam petij à Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*; fœlix illa conſcientia & beata virginitas, in cuius corde præter amorem Chriſti quid eſt ſapientia, caſtitas, patientia, atque iuſtitia, cæteræque virtutes, nullus alius verſatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando ſuſpirat, nec videre deſiderat quem (cum viderit) nolit dimittere. ſecundùm virginum propoſitum, & cœleſtis angelorũ meque familiæ gloriam: quorundam non benè, ſcilicet agentium nomen infamat, quibus apertè dicendũ eſt, vt aut nubant, ſi ſe non poſſint continere, aut contineãt, ſi nolunt nubere. Digna res riſu, imò planctu, intercedentibus dominis, ancilla virgo procedit ornatior, vt pro nimia conſuetudine, quam incomptam videris, dominam ſuſcepetis. Nonnullæ ſeparatæ, abſque arbitris quærunt hoſpitia, vt viuant licentiùs, vtantur balneis, faciantque quod volunt, & deuitent conſcientias plurimarum. Hæc videmus, & patimur: & ſi aureus nũmus affulſerit, inter bona opera reputamus. Finem imponam principio, nec ſemel monuiſſe contentus ſum: ama Scripturas ſanctas, & amabit te ſapientia. Dilige eam, & ſeruabit te, honora illam, & amplexabitur te: hæc monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant. Nihil aliud nouerit lingua niſi Chriſtum: nihil poſſit ſonare, niſi quod ſanctum eſt: Auiæ tuæ tibi ſemper ac matris more, dulcedo verſetur, quarum imitatio, forma virtutis eſt.

*[margin: II liber de virginitate.]* *[margin: Virginitatis encomium.]* *[margin: 1 Cor 7.]*

*Epiſtola 80. Argumentum.*

*Querelarum plena eſt epiſtola. Narbodus Rhedonenſis Epiſcopus Romam profectus confirmandi Andegauenſis Epiſcopi gratia, delatione quorundam ſpoliatur, interim ab eo cuius negotium gerebat, omnibus eccleſiaſticis bonis, & præterea exul pronunciatur, quod factum, ab ingrato merito contigiſſe ait; et quod contra fas piumque, præter Metropolitani ſententiam & ſuam ipſius conſcientiam, leuiſsimum iuuenem promouendum ad Epiſcopatum ſategiſſet.*

NArbodus minimus Epiſcoporum, R. glorioſo Andegauorum Pontifici, non alta ſapere, ſed humilibus conſentire. Flumen eſt, ſecundum cuiuſdam ſapientis ſententiam, vbi cum poteſtate habitat iracundia. Quamuis ergo periculoſum mihi fore intelligã (vtpote hoc flumine iam afflatus) ſi paulò liberiùs te conuenire tentauero, loquar tamen quod mens mihi ratioque dictauerit: nec tanti faciã fauentis tibi nunc fortunæ terrorem, vt mecum iuſtitiæ facientis non afferam veritatem. Vitrea eſt enim fortuna, quæ ſic ſplendet, vt facilè frangi poſſit, ſtabilis autẽ & inconcuſſa veritatis aſſertio. Quòd ſi mihi more ſolito violentus extiteris; tunc maximè perſecutionẽ meã aſtrues perſequendo. Quæro igitur à te (religioſe Epiſcope) quænam tam vehemens cauſa contra fratrem & conſacerdotem tuum (ne dicã patrem, & conſeruatorem) indignationis tuæ furorem accendit, vt inexpugnabili odio me perſequens, poſt damna & dedecora mihi meiſque crudeliter illata, adultimum humilitatis meæ perſonam inauditam & indiſcuſſam damnaueris, indignum me Clericorum tuorum collocutione præiudicans, nec ante maieſtatis tuæ præſentiam paſſus admitti. Nunquid enim ſi in te peccaſſem, corripiendus priùs ſingulariter non eram, deinde duo, vel tres, ſi incorrigibilis exiſterem adhibendi? Et ecce cum nihil horum præceſſerit contra regulã à Chriſto datam, quæ prima poſuiſti apud eccleſiam tuam de abſente conqueſtus. Deinde ſicut Ethnicum & Publicanum me habens, in quo non mea, ſed communi omniũ ſacerdotum, non mea (inquam) ſed ipſius Chriſti iniuria, non tam conſtitutum à Domino eccleſiaſticæ correptionis ordinem peruertiſti, quàm peruerſum & præcipitem turbulentæ iracundiæ motũ tibi dominari maniſeſtiſſimè declaraſti. Non enim licuit mihi culpam vel excuſare vel negare vel agnoſcere, quatenus aut excuſãtis ſuſcipienda ratio, aut negantis iuſtè eſſet admittenda purgatio, aut confitenti clementer venia concedẽda. In hoc ergo præiudicio, vniuerſas vias Domini reliquiſti, quia nec miſericordiam, nec veritatem ſecutus es. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. Nam & ſi peccatum agnoſcens, veniam poſtularem, humanitatis tuæ fuerat benè priùs de te merito libenter ignoſcere, & ad reconciliationis gratiam feſtinare; etiã ſi Chriſtus non dixiſſet, peccanti fratri ſeptuagies ſepties dimittendum. Siquidem & apud Gentilium Philoſophos, proximum ab innocentia locum tenet verecundior peccati confeſſio: & magnarum virium eſſe perhibent lædentem negligere, & vindictam putant vindicare potuiſſe; maiúſque vindictæ eſſe genus, ignoſcere. Infirmi autem ac muliebris eſſe animi, quærere vltionem, ex hoc vel ſolo colligit, vt Satyricus ait, *Vindicta quod nemo magis quam fœmina gaudet*. Sed quæ culpa tandem extitit, quam tandem puniendam exterminio cenſuiſti? Quod videlicet apud dominum Papam, moras meas excuſans; inter alia (quod verum eſt) ſcribere auſus ſum Andegauenſem malitiam mihi impedimento fuiſſe, quæ facultati meæ plurimùm detraxiſſet. Quod quidem ab anno priori & ipſi Papæ, & Romanæ Eccleſiæ notum erat; & ipſa Andegauenſis malitia negare non poteſt. A quo igitur mihi veritas imputatur ad crimen; ab illo conſequenter poteſt falſitas expectare mercedem. Et

*[margin: Diſtraiũ eſt P. Mamò.]* *[margin: Correptionalis formula prateri ta.]* *[margin: Matt. 18]* *[margin: Soror innocentia, confeſſio.]* *[margin: Iuu. Saty 13.]*

qui eum qui sibi honorem pepererat, spoliauit honore; non est mirandum si detectores & impugnatores suos honoribus sublimauit. Hæc est retributio impiorum quam dominus nescit, qua mala retribuuntur pro bonis. Eiusdem generis est illa qua bona redduntur pro malo, quando fit contingeret ab eadem persona, non lenitate gratiæ, sed peruersæ malignitate naturæ. At fortasse pro malitia debui ponere bonitatem; vt dicerem quòd tunc me Andegauensis bonitas impedisset. Sed hoc modo, vel me ipsum dum excusare molior, accusarem; bonum dictis impedimentum: vel si per antiphrasim loqui putarer, non mutaretur. Veram ergo & notam omnibus debui excusationis causam prætendere, cùm alia penitus non haberem. In quo si læsum te putas; Andegauensem te esse intelligis: quod si non intelligis; nec te in hoc læsum debes existimare. Neque enim Episcopum nominaui, vbi Andegauensem dixi malitiam. Multiplex autem est Andegauensis malitia, multos Stephanos habet, multos Vuillelmos. Vtinam tota in vno duorum capite resideret. Pax esset forsitan inter nos, & inuiolata concordia. Sed redeo ad culpam meam quam solam sufficere tibi credis; immò non credis: sed alios credere cupis, vt meritò videar tot laborum quos pro te suscepi mercede fraudatus. Quæ si nulla est, debet sileri; si parua, debet ignosci; si magna, maiorum meritorum debet comparatione superari. Nam & carcerem & catenas, dum ad te in auspiciis tuæ illius electionis vocatos festino; tui causa passus sum machinamento eius qui tibi nunc placet Stephani; quasi tunc iam præsagiente & præmonente fortuna, vt ab infausto cœpto desisterem; & non tantùm verborum, sed & factorum ludibria multa sustinuit. Si quidem rerum mearum iacturam, grauis mihi proptu corporis contumelia leuem fecit. Nec tamen elapsus destiti, vt tunc putabam constanter, vt nunc intelligo pertinaciter vrgere propositum; & contra optimos Clericorum, qui pluribus ex causis, absque suo assensu, à vulgo factam improbabant electionem: quoniam & infra annos, & extra ordines, & per tumultum populi magis ficta esset, quam facta promotionis tuæ causas asserere. Cesserat iam contradicentibus ipse metropolitanus; & quia ratione superabatur, rem iudicio Papæ non tam decidendam quàm rescindendam reseruare decreuerat. Ego tamen multo conatu, multo discursu, magnis precibus, tandem apud ipsum vt consecrareris obtinui. Idem cùm Stephanus, cum quibusdam quos omnes tibi postmodum, meam (vt fertur) pactus deiectionem ex infestissimis amicos fecisti, iniquam esse clamaret; ego stultè quidem & improuidè, sed nimio tuo fauore seductus, meipsum deuoui: in me (inquiens) sit ista iniquitas. Idem ne ociosè dixerim; cùm primùm licuit, tu ipse cauisti: eandem iniquitatem in caput meum refundens, nouo & inaudito genere charitatis; vt is potissimùm amico dedecus & damnum infixerit, pro cuius operibus & honore id ille sibi fuerit imprecatus. Et vtinam me statim vt à nobis consecutus es, & inthronizatus, quemadmodum mente conceperas, honoribus spoliasses; nec dissimulandum deliberasses ad tempus, quousque opera mea vsus fuisses, ad exhauriendū quod Romæ restabat periculum. Saluū mihi esset viaticum, quod tibi meis stipendiis militaui: salui tot & tanti longissimi itineris labores, saluæ preces & lachrymæ quas pro te fudimus apud Papā, salua pecunia quæ cùm esset necessaria (vtpotè lōgiùs progredienti) tuis tamen egredientis vsibus commodaui. Cuius partem, postquam à te expulsus sum, cum repetissem; vix tandē & difficulter recipere merui partem in cōpensationem iumenti quod à te commodatum in obsequio tuo consumpseram, tua cautela retinuit. Postquam ergo reuerū sumus, & te confirmatum, consiliata tibi soli (sicut superiùs prælibaui) communium aduersariorum pars, sensisti protinus eorundem consilio, nec opinantem aggressus, omnibus honoribus ac beneficiis quæ mihi antecessorum tuorū consulerat liberalitas, me priuasti: nec precibus vllis aut præcedentium meritorum obtentu à te impetrare potui, saltem sex mensiū inducias quibus pudori meo consulens, exire me fingerem, non expelli. Adeò non tibi satis fuit amicum damno afficere, nisi & dedecoris improperio cumulares. Cúmque me indignè tractatum conquererer, ad Papæ audientiam, è vestigio prouocasti. A te antè audientia spoliatū, pro te sumptibus nuper exhaustum, per te laboribus fatigatū, ad hæc ætate iam senem, febribus anhelantem: Ipse iuuenis, robustus, opulētus initio, nuper honore gloriosus; vt scilicet, ibi te cogente causam dicerem vbi pro te spōtaneus eodem anno lachrymas dederam. Et tu quidē hæc omnia te credebas callidè speculatū; ego verò persensi hæc eadem malitiosè, crudeliter machinatum, tanquā si armatus & integer saucium & inermem, non hostem, sed amicum prouocares ad pugnā. Nam ea quæ apud omnes alios mihi prodesse poterant, ad impetrandā miserationem, tu solus conuertens ad me prorsus extirpādi occasionem. Et quæ cæteros mitigarent, quæ sunt clementiæ, te potiùs irritabant. Reuersus ergo Roma; accepta videlicet faciendi quod iam feceras potestate, ne quid odio tuo deesset, delere nomen meum de catalogo prorupisti; priùs omnia, meas etiam syllabas persecutus. Vtinam & subscriberes; *Iniquo odio oderam illum.* Tale trophæum titulo tuo dignum erat. Idem si zelo iustitiæ id fecisse respondeas; quia videlicet Canon in duarum ciuitatum Ecclesiis vetat Clericum ascribi; arguit te sicarius, arguit te Stephanus, alter in Cœnomanēsi, alter in Turonensi Ecclesia priùs conscripti. Sed dum hæc refero non quasi texens historiam, sed quasi texens iniuriam, tua forsitā sublimitas indignatur, irascitur, incandescit. Et dum imbecillitatem meam cum suis meritur viribus ad exercendam accingitur vltionem. Noli obsecro cogitare quid possis, sed quid debeas meditare; nec fortunæ vires attendas, sed cōmunis iustitiæ considera rationem. Quantum enim in me tibi licuit, tantum & aliis in te licet. Et neminem ea fortuna prouexit, vt non tantundem illuminetur, quantum permisit. Excelsus multò faciliùs casus notet. Memor igitur conditionis humanæ, impetum feruidæ iuuentutis compesce, & inflata nimium secundæ fortunæ vento vela contrahe; ne fortè ipsa tibi prosperi cursus velocitas causa fiat collisionis in scopulos. Nondum per ætatem longam cœpisti experientiam, nec adhuc meos tua casuum varietate decocta maturuit. *In antiquis* (ait scriptura) *est sapientia, & in multo tēpore prudētia.* Et alibi: *Interroga patrem tuū, & annuntiabit tibi; & maiores tuos, & dicent tibi.* Si tibi ante annos debita prouectioribus contigit reuerentia, non id viribus tuis adscribas; quæ vel non erant, vel certè nesciebantur. fortuna enim sæpiùs plus quàm cōsilium valet, sicut tam in hoc quàm & in aliis frequenter experti sumus. Timēda tibi potiùs illa sapiētis sentētia; *hæreditas ad quā festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Et illud; *substantia festinata minuetur.* Refellenda etiam quorundā de te (vtinā falsa) opinio, qui ingenium tuum non tam mutatum fœlicitate quàm manifestatum putant. Multorum siquidem vitia quæ imbecillitate latent; dum eis instrumenta explicādæ nequitiæ desunt; cum illis suæ vires placuerint, fœlicitas aperit. Sic pestifera Serpens securè tractatur, dum riget frigore; non desunt tunc illi venena, sed torpent. Quod ne tibi iustè possit aptari, summo conamine elaborandum est: & non solùm hoc ne te detexerit, sed & illud ne te efficerint fortunæ beneficia peiorem. *Diuitiæ* (inquit Psalmista) *si affluant nolite cor apponere.* Tū ergo tibi salutaria consilia aduoca, cùm tibi allodit vitæ prosperitas. Tunc te valde in lubrico retinebis, ac sistes; nec tibi dabis impetus liberos, scilicet si circunspicies quò eundum sit, vel quousque. Ne altiori te rei impone; in qua stanti tibi, vel tremendo descendendum sit, vel cadendum. Nec ista dico, vt in me fias vel indulgentior de cætero, vel liberalior; quod vtrunque iam dudum

certus

Marginal notes: *Crimen imponūt qui mercedem soluere nolunt.* — *Episcopi ficta nō facta electio.* — *Psal. 18.* — *XXI q. 1 c. In duab. Eccles. &c.* — *Iob. 12.* — *Deut. 32.* — *Prou. 20.* — *Prou. 13.* — *Magistratus virum indicat.* — *Psal. 91.*

certis indiciis deſperaui; ſed ne meo exemplo in multorum excurias peroiciem; abutés ſcilicet poteſtate quam tibi permiſit Dominus *in ædificationem, & non in deſtructionem*. Ego enim, licet Apenoinum ad præſens euaſerim; in quo, mihi ſepulchrum inter Anteceſſores meos quibus indignum me fateor (Melanium dico, & Modestannum) inſolenti ſatis elogio deuouebas: iam tamẽ defunctus laboribus, & debitam mihi (Domino largiente) adeptus menſuram; tranquillum magis vitæ finem exceptare debeo, quàm ſuperfluis vlterius ſtipendiis occupari. *Sufficit præteritum tempus* (ſicut dicit Apoſtolus) *ad conſummandam voluntatẽ gentium*; vt de cætero iam non nobis viuamus, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt, & resurrexit.

*Epiſtola 82. Argumentum.*

*Salua ſemper auctoritate S. ſedis Apoſt. exponit quid prouocationes illæ quæ fiebant Ro. vtilitatis in ſe habeant, vel incommoditatis.*

HOnorio Dei gratia excellentiſſ. ac Reuerend. patri ſuo; ſanctæq; Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici; H. humilis Turonum miniſter; debitè integritatem obedientiæ. Philoſophus ait; colere officiis, non exaſperare verbis oportet Poteſtatẽ. Ideò cumulatis precibus exoro, ne vos Reuerende Pater, ſcriptum præſens exaſperet; aut velitis, de neceſſitate præſumptionem figurare. Etenim neceſſitate ſcripſi; eodem quo ſum læſus iaculo, lædi metuens Eccleſiæ ſoſpitatem. Bonam ſpem in ſinu meo gero; quia ſcribens pro iuſtitia, gratiam patris non aucteam. Quaſlibet igitur Appellationes in Romana vigere & ſuſcipi Eccleſia, cis Alpes auditum non eſt, nec ex ſacris traditũ Inſtitutis. Quòd ſi fortè huiuſmodi emerſit nouitas, vt placeat omnem indifferenter admittere Appellationem; Pontificalis cẽſura peribit, & omnino conteretur Eccleſiaſticæ robur diſciplinæ. Quia enim raptor ad ſolam anathematis cõminationem non ſtatim appellabit? Quis clericus aut preſbyter, fruſtratoriæ appellationis refugio nõ putrêbit, aut etiam ſepelietur in ſtercore ſuo; Quis Epiſcopus habebit in promptu; non nomen dico, ſed aliquã vlciſci inobedientiam? Eius virgam quæuis appellatio quaſſabit, ſoluet cõſtantiam, ſeueritatem emolliet; adducens & illi ſilentium, & reis impunitatẽ delictorũ: ſic fiet [illegible]legia ac rapinæ, fornicationes ac adulteria pernicioſo inuodent incremẽto, cùm Præſul ad ſuperfluas Appellationes clauſerit ora, & deſierit perſequi piorum perſecutores locorum; cùm viduarum iniurias deſierit vlciſci & orphanorum. Dilatione nimirùm cenſuræ facinora fouebuntur, & venient in profundum iniquitatis impunè delinquentes; ſuper quos Euangelicum illud implebitur præceptum: *exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles,*
Luc. 24 *cæcos & claudos introduc huc*. Quis vel cæcum vel claudum intrare compellet, ſi cæcus, cùm compelletur, appellet. Denique pro delicto Heli, nullus pontificum punietur; quoniam appellationis excuſatione ſuam quiſque defenderet offenſam. Exempla quædam cenſuræ ſemper viuent; æmulatores autem eius, quælibet Appellatio ſepeliet & viuos. Sanè parua eſt materia & exilis
Iob. 39. ſcientia, quæ ſi (iuxta Iob) inter aquilas in præruptis luſitantes cum pullis, earum ſanguinem lambit; ſatis eſt: non erubeſco meam & attẽdere & profiteri menſuram. Inter cæteros tamen ſacerdotes, ad me peruenit quas appellationes Ciſalpina ſuſceperit Eccleſia, quas & ſine offenſione Sedis Apoſtolicæ tenuit & abiecit. Accepi enim, & vniuerſitas Eccleſiæ prædicat, quod grauatis iudicio, ſubuentus appellationis debeatur. Accepi quòd ſuſpectos habens Iudices, aut infeſtos, aut formidat vim
Ca. ſi quis iudicem 2. q. 6. temerariæ multitudinis, eodem remedio poſſit & debeat releuari. Vnde etiam in Decretis Cornelij Papæ, taliter Eccleſiæ traditum eſt: ſi quis Iudicem aduerſum ſibi ſenſerit; vocem appellationis exhibeat, quod nulli oportet negari. Item in eodem: Nullus ſacerdotum cauſam ſuam alieno committat iudicio, niſi ad Sedem Apoſtolicam fuerit appellatum; ſed vnuſquiſque comprouinciales Iudices & notos habeat, niſi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infeſtos vel ſuſpectos Iudices ibi habuerit; pro quibus cauſis ad maioris auctoritatis Iudices, & ad alias prouincias appellare & venire conceſſum eſt. Audiui etiam alias quoque Appellationes eſſe, ſed moratorias, nec aliquando recipiendas; de quibus in ſacris Legibus his legimus verbis: Quicunque non confidentia iuſtæ cauſæ, ſed cauſa afferendæ moræ, ne contra eum ſententia proferatur, appellauerit; & ſi de facto ſuo confeſſus ne addicatur appellare voluerit; huiuſmodi appellationes non recipiuntur. Et quidem videri mihi plures talium Appellationum ſpecies, quas prudens Iudex ita neceſſe eſt diſcernat, vt circa iudicandos debitam in omnibus ſeruet æquitatem. Porrò ea quæ prærogatiuam obtinent, ſicut paruitati meæ miniſtrauit auctoritas, perſtrinxerit: quæ ſi plura ſunt, etiam vſque ad ipſius Cathedræ veſtræ Sedem Apoſt. cucurrere vigilantia: confiteor non tranſgrediendos eſſe terminos quos poſuerũt patres noſtri: Moratorias autem Appellationes omnino à veſtra relegandas eſſe audientia; nec ſuſtinendum in horto Domini plantari toxicum mortis; toxicum quo ſubuentus afflictorum morietur, quo iuſtitia in nihilum reuertetur, incrementum ſuſcipiet vbertas delictorum. Vale.

*Epiſtola 83. Argumentum.*

*S. Hildeberti Turonenſis Archiepiſcopi; in ſuas Regularum Eccleſiaſticarum Exceptiones; de multiplici diuinorum Præceptorum genere; Præfatio.*

EXceptiones eccleſiaſticarum regularum; partim in Epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum; partim ex Tractatibus orthodoxorum Patrum, partim ex inſtitutionibus Catholicorũ Regum, nonnullo labore in vnũ corpus ordinare curaui: vt qui ſcripta illa ex quibus iſta ſunt excerpta ad manum habere non poterit, hinc ſaltem Excep. Eccleſ. quorſũ vtiles.
accipiat, quod ad commodum cauſæ ſuæ valere perſpexerit. A fundamento igitur Chriſtianę religionis (id eſt, à fide) inchoantes, ſic ad ea quæ ad eccleſiaſtica Sacramenta pertinent, ſub generalibus titulis, ſic ea quæ vel ad inſtruendos, vel ad corrigendos mores, ſic ea quæ ad quæque negotia diſcutienda vel diffinienda pertinent, ſub generalibus titulis diſtincta congeſſimus, vt non ſit neceſſe quærenti, totum volumen euoluere, ſed tantùm titulum generalem ſuæ quæſtioni congruentem, & ei ſubiecta capitula ſine interpellatione tranſcurrere. In quo prudentem Lectorem præmonere dignum duximus, vt ſi fortè quę legerit, non ad plenum intellexerit, vel ſibi noua ęſtimauerit, non ſtatim reprehendat: ſed quid ſecundũ rigorem, quid ſecundum moderationem, quid ſecundũ iudicium, quid ſecundum miſericordiam dicatur, diligenter attendat, quæ inter ſe diſſentire non ſentiebat qui dicebat, *miſericordiã & iudicium cãtabo tibi* Pſ. 100.
*Domine*: Et alibi, *vniuerſæ viæ Domini, miſericordia &* Pſa. 24.
*veritas*. Habet enim omnis eccleſiaſtica diſciplina principaliter hàc intentionem: ſcilicet, omnem ędificationẽ aduerſus ſcientiam Chriſti ſe erigentem deſtruere, vel ædificationem donorum virtute & morum honeſtate conſtantem conſtruere, vel eandem (ſi contaminata fuerit) pœnitentiæ remediis emendare. Huius Diſcip. Eccl. intentio.
ædificationis magiſter eſt charitas, quæ ſaluti proximorum conſulens, ad finem ſacris Inſtitutionibus conuenientem id pręcipit aliis fieri quod ſibi quiſque vult ab aliis impendi. Quicumque ergo eccleſiaſticus Doctor, eccleſiaſticas regulas ita interpretatur aut moderatur, vt ad regulam charitatis cuncta quæ docuerit Interp. regula charitatis.
vel expoſuerit, referat; nec peccat nec errat, cum ſaluti

Proximorum consulens ad finem sacris institutionibus debitum perueniri intendit. Vnde dicit beatus Augustinus, de disciplina ecclesiastica tractans: habe charitatem, & fac quicquid vis, si corripis, corripe cum charitate: si parcis, cum charitate parce. Sed in his adhibenda est summa diligentia, & mundus oculus cordis, quatenus in puniendo vel parcendo, sanandis morbis charitas syncera subueniat, & nemo (venalium medicorum more) quod suum est, ibi quærat, ne propheticam illam reprehensionem incurrat: *mortificabant animas, quæ non viuebant, & viuificabant animas quæ non viuebant.* Sicut enim corporalis medicinę ratio vel depellere morbos, vel curare vulnera, salutem seruare vel augere intendit, nec medicus contrarius sibi videtur cùm pro qualitate vel quantitate ęgritudinis vel ęgrotātis, nunc mordentia, nunc molientia ægrotanti medicamina apponit, & nunc ferro secat, cui fomento subuenire non poterat: & ècōuerso, ei subuenit vnguento, quem ferro secare non audebat: Ita spirituales medici (Doctores videlicet spirituales Ecclesię sanctę) nec à se nec inter se dissentiunt, cùm illicita prohibent, cùm necessaria iubent, summa suadent, veniale indulgent cùm secūdùm duritiam cordis delinquentium pro correctione delinquentium vel cautela cęterorum, seueras pœnitentię leges imponunt, vel cum secundum deuotionem dolentium & resurgere volentium considerata fragilitate vasis quod portant, indulgentię malagma supponunt. Nam qui indulgent, maioribus morbis amouendis prouident; & qui illicita prohibent, à morte deterrent: qui verò in necessariis indulgent, salutem cupiunt conseruare: qui autem summa suadent, salutem student augere. Hoc attendens diligens Lector intelliget vnam faciem esse Eloquiorum sacrorum: cùm distinctè considerabit quid sit admonitio, quid sit præceptum, quid prohibitio, quid remissio: & hęc, nec se inuicem impugnare, nęc à seipsis distare: sed in omnibus sanitatis remedium pro sua moderatione & dispensatione moderare. Sed omnia quid ponderis habeant, quibusue conueniant: quæ sint remissibilia, quę irremissibilia: & quando vel quibus sint remittenda, paulò latiùs distinguendum. Et prima quidem admonitio, pœnam non intentat, si quis post eam non eat: sed primum, sibi adquiescentibus prēmium pollicetur, vnde Dominus dicit in Euāgelio: *si vis esse perfectus, vade vēde omnia quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurū in cœlo.* Ecce lectio ista Euangelica, in voluntate hominis perfectionem ponens: non cogit, non minas intentat. Sicut illa quę Spadones laudans, *qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, sub infert; qui potest capere capiat:* attamen cum ad perfectionem se quisque astrinxerit: vel gradum quem nullus ascendere absque magna contentione virtutis potest, ascenderit: iam fit necessarium & pœnale, si non teneatur quod ante hanc ascensionem fuerat volūtatium: vnde & Dominus dicit: *nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciēs retro, aptus est regno Dei.* Poterat enim fieri ante ascēsionem inferior non tamen deterior, post descensionem verò, inferior est, & deterior. Hęc de admonitione. Indulgentia verò quantùm nobis videtur: quia meliora non elegit, remedium quidem habet in præmium, sed ab hoc si quis declinauerit, meretur exitiale iudicium. Vt verbi gratia: scimus (sicut ab Apostolo didicimus) humano generi, propter vitandam fornicationem, indultum esse coniugium, cuius violator meretur æternum (eodem Apostolo testante) supplicium: Dicit enim, *fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.* Et hic gradus, sicut de admonitione diximus, nullū cogit nisi qui se priuat' alligauerit: volūtarius enim non est necessarius, alioquin trāsgressor esset quicūq; vxorem non duceret. Postquam verò se alligauerit: audiat Apostolum dicentē: *Alligatus es, noli quærere solutionē.* Idemque Apostolus cùm de nuptiis loqueretur, non dixit, *mulier si nupserit præmium meretur:* sed tantùm dixit, *non peccat si nubat:* Ita quoque, si quis ad quotidiana ieiunia inuitet aliquem: inuitat quidem ad rem remuneratione dignam, acquiescenti & perseuerāti: sed qui non acquieuerit, non fit seipso melior, sed licèt maneat facientibus inferior, non fit se ipso peior: si verò à voto ceciderit, fit se ipso inferior ac deterior: si verò infra metas sobrietatis & mensæ frugalis se cohibuerit, summorum præmia non assequitur, sed si ad comessationes & ebrietates prolapsus fuerit, reus reprehensione & confusione dignam fecisse perhibetur. Isti itaque duo status; vnus superior, alius inferior; qui ante votum sunt voluntarij, post votum verò necessarij: habent modos & institutiones suas, quæ obseruatæ (sicut iam supra dictum est) aliis remedium, aliis adquirunt supplicium: obseruatæ, præmium acquirunt, non obseruatæ verò, æternum merentur supplicium. In his itaque, ante susceptionem deliberandum est: post susceptionem verò, perseuerandum. His itaque prælibatis, de præceptione & prohibitione, aliqua sunt nobis dicenda.

Præceptiones itaque & prohibitiones: aliæ sunt mobiles, aliæ sunt immobiles. Præceptiones sunt immobiles, quas lex æterna sanxit, quæ obseruatæ salutem conferunt, non obseruatæ eandem auferunt: qualia sunt; *diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & proximum tuū sicut te ipsum:* Et, *honora patrem tuum & matrē tuam,* & si qua sunt similia. Mobiles sunt, quas lex æterna non sanxit; sed posteriorum diligentia inuenit ratione vtilitatis; non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius inueniendam. Quale est illud Apostoli: *hæreticū post primam & secundam correptionem deuita:* non quòd eorum colloquium per se saluti obesset, sed quòd frequentatum, ex obliquo, quorundam simplicitatem corrumpere posset. Et multa reperies in canonicis institutionibus in hunc modum. Similiter immobiles prohibitiones sunt, quæ aduersus vitia loquuntur: qualia sunt, *non occides, non mœchaberis, &c.* Hæc sunt alia minima mandata, de quibus Dominus dicit, *quia qui ea soluerit & sic docuerit, in regno cœlorū minimus erit,* qui vero obseruauerit, non statim dignus erit regno Dei, quia inchoantia sunt hæc, non perficientia, Sunt alia interdicta, quæ si non interdicta fuissent, nec in illis operaretur, nec salus periclitaretur. Sed hæc sanctorum Patrum authoritas reuerenda ita decreuit, vt & præsentibus non obessent, & compescendis maioribus malis vel cauēdis syncera charitas prouideret. Quale est illud, vt Clericus post actam de crimine damnabili pœnitentiam clericus non maneat, vel ad clericatum non accedat: quod (vt ait beatus Augustinus) dictum est, rigore disciplinæ, nō desperatione indulgentiæ. Alioquin contra claues Ecclesiæ disputaretur, de quibus dictum est, *quodcūque solueritis super terram, erit solutum in cœlis.* Sed ne forsitā spe oneris Ecclesiastici animus intumesceret & superbè ageret pœnitentiam, seuerissimè placuit, vt post pœnitentiam nemo fiat Clericus, vel maneat Clericus. Quæ posteriorum non est putanda superuacua diligentia, qua vt saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt quo salus totius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias. Cogunt enim multas medicinas inueniri, multorum experimenta morborum. Tale est illud in Euangelio: *sit sermo vester, est, est, nō, non: quod autē amplius est, à malo est,* non iurantis, sed iurare cogentis. Non quod malum sit iurare in contractibus humanis, ex necessitate, sed quòd longius sit à periurio, qui nunquam iurat, quàm ille qui qualicunque occasione iurat. Nam de Domino dicitur: *iurauit Dominus:* & Apostolus dicit: *omnis controuersia eorum finis est iuramentū:* & idem Apostolus dicit ita iurās, *est veritas Christi in me:* Et alibi: *quotidie morior propter vestram gloriam fratres.* In his ergo, in quib' obseruatis salus adquiritur, vt in quibus neglectis mors indubitata consequitur: nulla est admittenda dispensatio, sed ita sunt omnia mandata vel interdicta seruanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his verò quæ propter rigorem disciplinæ, vel propter muniendam salutem posteriorum sanxit disciplina, si honesta vel vtilis consequatur compensatio, potest procedere dispensatio, auctoritate

Margin notes (left): Ezech. 13. Corporalis medicinæ, & spiritualem, analogia. — Spiritualis medicinæ ratio & methodus. — Matt. 19. — Matt. 19. — Luc. 9. — 1 Cor. 7 — Coniugium, est voluntatis, non necessitatis. 1. Cor. 7.

Margin notes (right): Votum ligat — Mandata duplicia. — Deut. 30. — Tit. 3 — Matt. 5 — Apostolus in canone Sancti. ... 60 & 64 — Matt. 16. — Matt. 5. Iac. 5. — Psal. 109. Heb. 6. 1 Tim. 2. — 1. Cor. 15

auctoritate præsidentium, diligenter deliberata: multa enim talia, in euangelica historia, in Actibus Apostolorum, in gestis Conciliorum, & contigisse legimus & postmodum Apostolorum virorum auctoritate roborata cognouimus. Assumamus itaque primum testimonium de Euangelio. (*Mat. 10 Luc. 10.*) Dominus quippe mittens Discipulos ad prædicandum, interdixit eis sacculum & peram. Et qui iuxta domini nostri Iesu Christi in terris disciplinam morum, instante tempore passionis suæ, & peram reddidit eis & sacculum; seipsum primum dans in exemplū, quod in huiusmodi traditionibus necessitati temporis sit cedendum. Similiter Paulus, cum per Corinthios se transiturum promisisset in Macedoniam, & præsensisset hoc eis minimè profuturum, mutauit dispositionem suam, non tamen sentētiam. Vnde se ita excusat: (*2. Cor. 1 17.*) *cum ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum, aut quæ cogito, secundū carnem cogito, vt sit apud me, est, & non?* Non enim sententiam suam se mutasse intelligebat, qui in veniendo ad eos & non veniendo, salutem eorum quærebat. Vnde & in sequētibus dicit: *Ego autem testē Deum inuoco in animā meam, quod parcens vobis vltra non veni Corinthum.* Secundum carnem quoque, dispositionem suam mutasse se, dici posse non putat; quoniā qui secundum Dominū cogitat, tunc non implet quod disponit quando personis maioribus defert, aut certè lucris, aut maioribus apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc propositum implet, quando consulto, & cōmuni sententia Ierosolymis confirmatum est, (*Act. 15*) & per Paulum & per Barnabam Fratribus per Asiam destinatum, nec quisquam ad fidē veniens Circuncisioni Legis (*Gal. 5*) obnoxius haberetur. Ipse etiam Apostolus ad Galatas scribēs, ita dicit: *si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit.* (*Gal. 2.*) Et idem Apostolus cum Petro restitisset in facie, quod simulationi quorundam consensisset Iudæorum, (*Act. 16*) qui circuncisionē saluti putabant esse necessariam; tamen necessitati temporis cedens, Timotheum Listris circuncidit, vt scandalum Iudæorum ibidem commorantium deuitaret; ostendens actu, quod alibi ait: *factus* (*1. Cor. 9*) *sum Iudæis tanquā Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem.* Quod dixisse intelligendū est, non actu mentientis, sed affectu compatientis, cuique ita cupiens subuenire, quemadmodum sibi subueniri vellet si ita affectus esset. Multa quoque Principes Ecclesiarum pro tenore Canonum districtius iudicant; multa pro temporum necessitate tolerant; multa pro personarum vtilitate vel strage populorum vitanda dispensant: multa etiam à sanctis Patribus imminuta Scripturarum testimoniis cōprobantur; sicut sanctæ Romanæ Ecclesiæ sanctus Pontifex (*Assumptus est neophytus, Nectarius ad Episc. Hist. eccl. l. 1. cap. 21 Trip. c. 15 l. 9. vt Ambrosius: Ecclesiast. Hist. lib. 2. c. 11. contra Apostoli præceptum 1. Tim. 3. & quod postea fuit constitutum in Arel. Concilio can. 1 in conf. 8. 4 in Laodic. cap. 3*) Leo neophytus ad summum sacerdotium permisit accedere, quos Paulus publica prædicatione studuit ab hoc negotio remouere. Sicut etiam Arrianos, priusquam cōuersi fuerint, legimus in suis Officiis fuisse susceptos. Inde etiam prætextatus Populeo detestabile non mutādorum ea discretione temporum, ita scribit Rustico Narbonensi Episcopo: Sicut quædam sunt quæ nulla possunt ratione mutari; ita multa sunt quæ aut pro necessitate tēporum, aut pro consideratione ætatū oportet temperare: illa semper consideratione seruata, vt in his quę dubia fuerint aut obscura, id nouerimus sequēdum quod nec præceptis Euāgelicis sit contrarium, nec Decretis sanctorū Patrum inueniatur aduersum. Vnde Augustinus in Epistola ad Bonifacium: In huiusmodi causis nisi per grauis dissensionem scissuræ, aut illius aut huius hominis est periculum, sed populorum strages subiacēt; detrahendum aliquid est seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas syncerius subueniat. Idem aduersus hæreticos: Si (inquiunt) oportet vt Ecclesiā nos fuisse pœniteat, vt salui esse possimus, quomodo post istam pœnitentiā, apud vos, Clerici vel cuā Episcopi permanemus? Hoc nō fieret, quoniā tenera (quod fatendum est) fieri tamen non deberet, nisi pacis ipsius compassione sanaretur. Sed sibi hoc dicant, & multò maximè humiliter doleant, qui in tāta morte præcisionis iaceant, vt isto quodam vulnere matris Catholicæ A reuiuiscant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi vt viuat, qui sine vita radicis peribat: sed cum receptus recipienti coaluerit; & vigor consequitur, & fructus: si autem non coaluerit; ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim tale miserendi genus, vt nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur; non tamen nullo, sed vel leuissimo arboris vulnere. Ita ergo & isti cum ad Catholicam radicem veniunt, nec eis quamuis post erroris sui pœnitentiam honor Clericatus, aut Episcopatus aufertur: fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem seueritatis: Veruntamen, *neque qui plantat est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*



B

## *PROSA DE NATALI DOMINI.*

PRomissa mundo gaudia superna soluit gratia. Die ista, in virgine fœcūditas. in prole fulsit deitas. Die ista in supernis genitus sine matre. Hac in valle natus est sine patre. Die ista virga Iesse florida fructū dedit, Gedeonis vellera ros infudit. Die ista pressus pede mulieris coluber cōtritus est. Die ista Elisæus cauit, & de fructu adut subsecutus baculū. Die ista eructauit cor excelsi verbum bonum. Die ista manducauit homo panem angelorum. Die ista sator exit seminare semen verum, nouus esse cœpit antiquus dierum. Die ista rex in prædā prodit, & in sole posuit tabernaculum suum. Die ista terra vermem protulit, per quē Ionas perdidit & desset vmbraculum. C Die ista splenduit lucerna quam accēdit mulier, micuit electrum quod videt Ezechiel. Die ista veritas de terra, de Sion Emanuel ortus est; & missus in salutem Israël. Die ista fides matris virginis obūbramen flaminis verbi vis & hominis cataplasma confecerunt. Die ista hac respirant miseri, spoliantur inferi, cedunt nobis superi, renouatur ordo rerum. Die illa tot beneficia: sacra cœpit ecclesia die ista. Deo sit gloria ex cuius gratia speramus cœlestia.

DAuid, futura in spiritu præuidēs: *liberauit* (inquit) *Dominus pauperem à potente, & inopem cui non erat adiutor.* (*Psal. 71*) Non omniū est scientia, ignorāt aliqui pauperem istum, ignorant potentē illum: scientes hortamur, ignorantes instruimus. Pauper ille primus parēs noster & eius successio est, potens iste diabolus est. Primus parens D in paradiso diues; extra paradisum pauper: primus parens liber ante culpam; seruus post culpam. Magnæ huius diuitiæ, quia abundauit omnibus quæ voluit, quādiu voluit quæ Deus iussit, vera huius libertas, quia sub solo Dei fuit dominio quandiu benè libero vsus est arbitrio: vbi autē voluit quod Deus noluit; diues eguit, liber seruiuit: eguit medico, seruiuit peccato. Ex tunc pro gloria sortitus est ignominiam: pro tranquillitate, sollicitudinem: pro colloquio angelorum, murmur & tumultum vitiorum. Ex tunc fecit illum Princeps huius mundi vitiorum. Ex tunc fecit illum Princeps huius mundi regnum suū: *& fortis armatus* atrium suum, pater tenebrarum obcæcatū suum. Aduersus huiusmodi potentem, nullum pauperi nostro adiutorē ea se, nullum ex ratione, nullū ea lege. Quia etenim natus est de E corrupto, corruptus: de subacto, subactus: de debitore debitor: de peccatore, peccator, ad liberandum se nō potuit sufficere per se. (*Homo cur solū redimēdo insufficiens.*) Potuit quidem ratio conferre filiis Adæ ne peccarent ad mortem: sanare autem nō potuit, quam ex Patre contraxerāt mortē. Fuit enim illis de futuro cautela: nō de præterito medicina. Subsecuta est lex, non quæ sanaret plagam, sed quæ fractores legis præpararet ad gratiā. (*Lex quid conferebat. Heb. 7 19. 4 Reg. 4*) *Lex nec adducit ad perfectum* imperfectū nostrum nec ad paradisum reducit eiectū nostrum. nec ad vitam deducit mortuum nostrum. Ad suscitandum filium Sunamitis, Giezi præcedēs Helisæum portauit baculum, domum intrauit, superpositus est puero baculus, sed non erat puero nec vox nec sensus;

Meritò itaque mater pueri, pedes Helisæo tenuit; meritò ab Helisæo nō discessit; meritò in Helisæo sperauit dicēs: *Viuit Dominus & viuit anima tua, quia non dimittam te*. Audiuit & exaudiuit Elisæus deprecantem; descendit & intrauit; totum se super puerum mortuum expandit, & mortuum suscitauit. Attendant historiæ figuram nescientes, excitentur scientes, increpentur negligentes, puer mortuus; primus parens à Dei gratia derelictus: hîc animæ defectus est: hîc animæ mors est. Moritur caro, cùm ab anima destituitur; moritur anima, cum à Deo separatur. Hæc mors homini promissa est ante peccatum: illata propter peccatum; ablata per eum qui non nouit peccatum: Sic enim homini dictum legisti: *qua die comederis, morte morieris*: pro humano igitur genere tali morte mortuo; supplicauit mater pia, mater sancta, mater de qua sic Apostolus ait: *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est*, quæ est mater nostra; mater profectò: non carnis opere, sed dilectionis exhibitione. Mater, quia tempore nos præcedit, oratione propter nos intercedit: Mater (inquam) quia maternus ei erga nos affectus, quoniam ei gratissimus inde est profectus. Nouerat hoc qui dicebat: *gaudium est in cœlo coram Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente*. Postulauit ista manumissionem nostrā, postulauit vitam nostram: postulauit (inquam) non labiorum motu, sed charitatis affectu Exaudita est illa mater nostra, & curatum est de vita nostra. Vt enim homo erudiretur ad promerendum diuitias gloriæ Dei, vt præpararetur ad susceptionem medicinalis gratiæ Dei; Giezi prophetam præcessit cum baculo, quia Moyses præcurrit cum legali Testamento. Baculus importabilis, onus legis. Lex illa, lex peccare docens, non iustificans; lex puniens, non coronans: lex plus habens censuræ; quàm misericordiæ. Occidis? occidi iuberis: abscindis? abscindi iuberis: Sabbatho lignum colligis? lapidari iuberis. Huic baculo suppositus est infirmus noster; grauatus est mortuus noster. Non est euacuata mors nostra, neque sanata plaga nostra. Oportuit vt ad suscitandum mortuum ipse accederet Elisæus, quia necesse fuit vt antidotum vitæ præpararet homini, homo Deus. Expansus est ille in lectulo super mortuum; extensus est hic in patibulo propter mortuum. Spiritus vitæ mortuo redditus est inspirante Elisæo, qui gratia reddita est homini moriente homine Deo. Viuificatus puer rediit ad gremium matris; homo iustificatus, ad consortium supernæ ciuitatis ascendit. Recolat igitur & veneretur purus homo, quod memoratus hodiè egisse pro homine Deus homo. Hodiè quippe noster Elisæus, domum in qua superpositus erat mortuo baculus, intrauit; quia missa salus Dei nostri hodiè ciuitatem Hierusalem, in qua oues quæ perierant domus Israël, legis pondere grauabantur, humilis ascendit. Attendat (inquam) homo, qua humilitate verus propheta redemptionis nostræ officinas intrauerit; quanta patientia tulerit, quam mirabili charitate nos ad se traxerit. Si humilitatem ignoras; seruili forma Dominus vniuersitatis indutus est, de paupercula virgine natus est, in præsepio collocatus est; idem cum liber esset à lege, factus est sub lege, circuncisus est ex lege, sine querela conuersatus est in lege: denique cum peccatoribus & publicanis cibum sumpsit: ad locum passionis accedens, asino insedit; discipulorum quos elegerat de plebe, pedes lauit: hoc ab ortu vsque ad finem vitæ satagens, vt sicut in matre specialis & sine exemplo fuit integritas, sic & in Filio singularis & vnica esset humilitas. Quod si de patientia quæritur; *sicut ouis ad occisionem ductus est* spectaculo crucis addictus est, propter iniquitates nostras vulneratus est, & cum iniquis deputatus est; quæ scilicet præiudicia, ne potius impotentiæ resistendi ascribas quàm patientiæ; suppetebat ei *plusquam duodecim legiones angelorum*, quibus posset etiam sacrilegorum manus euadere ministrorum. Ideo autem patienter præfatas tulit iniurias, quia (sicut Leo Papa testatur) neminem saluaret illæsus, qui pro omnium salute venerat moriturus. Nam de charitate quid loquar, cui hoc solum sufficit ad testimonium, quo dū crucifigeret eum Iudæus, orabat vt illi indulgeret Deus? Charitas ista, charitas admiranda: dum claui manibus, lācea lateri; fel ori admouerentur ab inimicis: manus, & latus, & os agebant pro inimicis. Sanguine quippe lauabatur delictum, quod crucifigens aliundè contraxerat, & oratione, quod crucifigens committebat. Ostensa tibi sunt arma fortia, arma victricia, arma quibus pugnatur *aduersus Principatus & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. His armis accinctus aduocatus tuus, hodiè campum pugnaturus intrauit. Sexta Feria fortiter dimicauit, prima sabbathi triūphauit. Sub his armis actum est pro causa tua, pugnatū pro libertate tua, triumphatū pro gloria tua. Quid itaque reddes huic aduocato tuo, pro tā magno negotio tuo? Magnum quidem est precium quod impendit pro te; sed parabile est, & ad manum habes quod postulat à te. Postulat enim ne auferas ei ius suum; postulat ne alieno domino assignes seruum suum. Ius ipsius, anima tua est: seruus illius, corpus tuum est. Ius suum fecit animam tuam, quādo pro ea posuit animam suam: seruum suum fecit corpus tuum, quando pro eo in mortem tradidit corpus suum, Toto se comparauit totum te. Attēde igitur quid exigat à spiritu tuo, quid à corpore tuo vtroque seruo suo. *Dilige eum ex toto corde tuo*: exsolutū est quod exigit à spiritu tuo: impēde totum te membris suis; & solutum est quod exigit à membris tuis. Caligauerunt in mortem oculi sui, vt auerterentur ne viderent vanitatem oculi vagi, oculi tui. Conuiciis & blasphemiis patuerunt aures suæ, vt non obturarentur, sed paterēt ad clamorem pauperis, aures surdæ, aures tuæ: felle & aceto potatū est os suum, vt loqueretur veritatem & iudicium os mendax, os tuum. Extensæ sunt in cruce manus suæ, vt extenderentur inopi manus contractæ, manus tuæ; confixi sunt clauis pedes sui, vt dirigerentur in semitas rectas pedes distorti, pedes tui: angustias mortis pertulit totū corpus suum, vt huius corporis membrum fieret putridum corpus, corpus tuum. Ecce quæ domino Deo placent in te; pro quibus emit te, quæ postulat à te. In arbitrio tuo posuit. Dominus tuus, vt ab eo supplicium merearis aut præmium. Nescit ille parcere, si nequam seruus es; nescit parcè remunerare, si bonus seruus es. Si nequā te seruum inuenerit; cum malignis spiritibus inuenies indignationem suam. Si fidelem; cum Angelis & electis intrabis cœlestem Hierusalem, ciuitatem suam. Porrò beatus ille introitus designatur per pueros Hebræorum: designatur per eosdem resurrectio dormientium Beatorum. Ingrediente siquidem Domino in sanctam ciuitatem, Hebræorum pueri, resurrectionem vitæ denunciantes, cum ramis palmarum clamabant, *Osanna in excelsis*. Quid (fratres charissimi) quid aliud Responsorio præsenti decantatur, quàm futuræ resurrectionis qualitas, quam capacitas; & mēbrorum beatitudo sempiterna? Quid prænunciant egressi de domibus pueri, nisi Fideles egressuros de sepulchris? Quid occursu eo declaratur, nisi quod ait Apostolus; *nos qui viuimus, qui relinquimur, rapiemur obuiam Christo in aera, & semper cum Domino erimus*? Erimus quidem cum Domino, sed si nos Dominus non spiritu, sed malitia pueros inuenerit: si palmas in manibus, si flores inspexerit. Rami palmarum signa victoriæ sunt; in floribus, virtutum iocunditas ostenditur. Hanc patriarcha Iacob de longè odorabat, cum dicebat: *ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*. Venienti ergo Saluatori, pueri cum palmarū ramis occurrisse memorantur, quia venturo ad iudiciū Christo, egressi Fideles de sepulchris vitiorum, apparere præmonentur. Sed quia necesse est, sic illis deesse quod Iudex iudicet, vt inueniat quod coronet: ijdem pueri flores gerunt in manibus, quia Fideles non nisi in virtutum decore placituri describuntur. Vnde etiam dictum

*Marginalia (left):* Moritur homo bifariam. — Gen. 2. — Gal. 4. — Hierusalem cœlestis, est mater nostra. — Luc. 15. — Baculus importabilis, onus Legis. — Helisæi mortuū puerum suscitantis, cum Christo comparatio. — Breuis enumeratio vitæ Christi. — Isa. 53. — Act. 8. — Mat. 10 — Iniuriis car Christus patī voluit. — Luc. 13.

*Marginalia (right):* Eph. 6. — Christus pro suis totus, hominē totum redempturus. — Matt. 21 — Matt. 11. — Ioan. 12 — 1. Thess. 4. — Ramorum mysterium. — Gen. 27. — Necessarium iudicium vt veniat præmium. — Psal. 63

dictum est: *desine à malo, & fac bonum.* Vos igitur (fratres charissimi) humilitatem nostri Saluatoris attendentes, imitantes patientiam, amplectentes charitatem, contra vitiorum potentiam constantes insurgite; cum A odore virtutum, in iudicio occurrere satagite: vt eum laudare & cum eo regnare valeatis, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## HILDEBERTI TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI, VERSVS DE MYSTERIO MISSÆ.

*SCRIBERE propòsui, quid mystica sacra priorum*
*Missa repræsentet, quidve minister agat.*
*Pro multis vna, pro quotidie repetens*
*Est oblata semel hostia vera Deus.*
*Inuolucrum legis Christus patefecit, omnemque*
*Significatiuam vera remouit opem.*
*Presbyter hanc offert, & in hac cessare figuras,*
*Rémque † figurarum testificatur agi.* † Figurarum.
*Sic enim templi, sic & Crucis exprimit aram,*
*Vt sacra commemoret illius, huius agat.*
*Ergo quid in Missa vel agatur, vel memoretur;*
*Quæ quibus assimiles, sub breuitate canam.*

*TVrba Prophetarum venturi nuncia Christi,*
*Mysterium fertur præcinuisse Crucis.*
*Hunc desideriis, hunc laudibus, hunc prece multa*
*Præsuspirauit, extulit, expetijt,*
*Hæc tria commemoras, similique sub ordine ponis*
*Introitus Missa, quem chorus antè canit.*
*Ante recensentur suspiria, postea laudes,*
*Inde preces, in quo quæque notentur, habes.*
*Exprimit officium suspiria: gloria, laudes:*
*Kyrie eleyson ter triplicata preces.*
*Interea veniens in sacra veste sacerdos,*
*Altaris dextram, dona daturus, adit.*
*Illius aduentus, quibus, ô Iudæa, renisit*
*Totius Emanuel tempora plena notat.*
*Secreta siquidem procedit ab æde minister,*
*Ortu secreto venit ad ima Deus.*
*Vestibus ille sacris tegitur, texit caro verbum,*
*Tota carens macula, tota sacrata Deo.*
*Ille stat à dextris, quia quasiit author inanes,*
*Execrata Deo gens, quasi dextra fuit.*
*Angelicum post hæc sacrifex pater incipit hymnum,*
*Inceptum complet vociferando chorus.*
*Incipiens memorat, quæ Saluatoris in ortu*
*Gaudia pastores Angelus edocuit.*
*Cantica quæ post hunc Superi cecinere, recenset*
*Gloria, quam complet vociferando chorus.*
*Hinc oraturus, alios hortatur vt orent,*
*Discipulis Christus iussit, & egit idem:*
*Nam turbas in monte docens, orauit, & ipsis*
*Orandi formam fratribus instituit.*

*LEctio quæ sequitur, doctrinam signat eorum,*
*Qui sunt præmissi septuaginta duo.*
*Illorum monitis, dum responsòria cantat,*
*Edocet assensum se tribuisse chorus.*
*Alleluya sequens, memorat, quæ gloria mentis,*
*Quam pia laus oris sit comitata fidem.*

*INde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur:*
*Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.*
*Ne ine superueniens zizania seminet hostis,*
*Frontibus imprimitur mystica forma crucis.*
*Reijciente fidem Iudæa, gratia Christi*
*Transit ad gentes: Israel errat adhuc.*
*Transitus is, quoties Euangelium recitatur,*
*Mentibus occurrit, exprimiturque loco.*
*Ad leuam legitur, quia quo transiuit oberrans,*
*Et velut à læua gens idololatra fuit.*
*Vt sis attentus, patiens, erectus in hostem,*
*Et caput, & baculus, & status ipse docet.*

*Quippe caput retegens, attentè audire moneris;*
*Parcere, cum baculum reijcis, instrueris.*
*Stans discis, quoniam stantes pugnare solemus:*
*Quod te pugna grauis sub vigili hoste manet.*
*Succinit ecce chorus fidei compendia nostræ,*
*Assensum verbo se tribuisse docens.*
B *Hic etenim monstrat, quantum profecerit, in quem*
*Crediderit, quæ sit, quidve datura fides.*
*Ordo bonus, quoniam quo Rex vocat atque magister*
*Respondet miles, discipulusque, sequor.*
*Quamque notam pastor mouit, propriamque fatetur,*
*Hac se signatam testificatur ouis.*
*Quaque probant opifex, & signifer, & caput idem,*
*His opus, his proceres, his sua membra fouent.*
*Sic confessa fidem pia plebs, orare monetur,*
*Vt sit in hac stabilis, insuper aptet opus.*
*Effectum spondet chorus, offertoria cantans:*
*Tanquam si dicat, credo, fatebor, agam.*
*Hinc est quod post hæc offert sacranda minister*
*Dona, dehinc populus, quod sibi lege licet.*
*Ordo decens: Euangelium præcedere cernis,*
C *Post fidem pandi, dona deinde dari.*
*Audis, vt credas: & credis, vt hostia fias,*
*Taliter incipimus esse, sumusque Dei.*
*Præterea donis, quæ plebs deuotior offert,*
*Dona domus Iudæ commemorare licet.*
*Cum Salomon templum, Salomon altare sacraret,*
*Oblata à populo victima multa fuit.*
*Exemplo, Iudæa, tuo plebs vsa fidelis,*
*Altari dat se, dat sua, tu neutrum.*
*Non sine mysterio, sine re, vel panis ad aram,*
*Vel vinum fertur, cui superaddis aquam.*
*Vtraque danda Deo præsignauere figura,*
*Traditio docuit, sanctior vsus habet.*
*Vtraque sub typico ritu formaque futuri,*
*Melchisedech Domino sacrificasse ferunt.*
D *Vtraque discipulis cœnantibus ipse redemptor*
*Tradidit, in corpus vtraque versa suum.*
*Vsus & ipse placet, quo sic mactetur in imis,*
*Vt sit in excelsis immolata caro.*
*Admixtum vino laticem miraris, at ipsum*
*Grande sacramentum est, nec ratione vacat.*
*Vnda fluens, homo præteriens: ea † mixta Lyæo,* † iuncta.
*Est Christo Christi sanguine iunctus homo.*
*Diuidit vnitos, vel aquam, vel vina ministrans,*
*Et caput à membris separat ipse suis.*
*Præterea nil fons sine sanguine, nil sine fonte*
*Sanguis, vtrumque simul saluat, vtrunque sacrat.*
*Cum rimaretur pendentis viscera Christi*
*Lancea, manauit sanguis & vnda simul:*
E *Sicut vtrunque simul fluxit, simul offer vtrumque;*
*Vnum deme, Crucis non imitaris opus.*
*His ita præmissis, secretò presbyter orat,*
*Secretas memorans, assiduasque preces,*
*Quas egit Christus, cum te iam Iuda remoto,*
*Abscessit modicum, terque precatus ait:*

*(In exemplari manuscripto erant hîc inserta verba hæc minio descripta:)* PATER SI FIERI POTEST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE.
*(Ea ipsa metro sic reddi poterant:*
*Velle tuo saluo poterit si rite precari,*
*Alme parens, à me transeat iste calix)*

His precibus veluti labiorum victima quædam
Est oblata, typum legis & ipsa gerens.
Pro se, pro populo, pro principibusque, Sacerdos
Supremus Domino mystica dona dedit.
Nam sua, nam populi, nam pontificum malefacta
Portarunt aries, & caper, & vitulus.
Pontificum vitulus, populi mala pertulit hircus,
Ipsius excessum dux gregis ipse luit.
Hæc tria Saluator triplici prece commemorauit,
Iam tunc pro nobis omnibus vnus agens.
Nam ter humi strato contritio cordis, & ille
Sanguineus sudor, Crux fuit ante Crucem.
Iam tunc anxietas finem spondentibus vmbris
Et veteri ritu gratior † vnda fuit.
† vna. His actis, populum sublimi voce salutat
Presbyter, & sursum corda leuare monet.
Inde patris grates per Christum semper agendas
Asserit, & post hæc, dona sacranda sacrat.
Si benè cuncta notes, hoc totum filius egit,
A prece discipulos, inde, petendo Crucem.
Primum iussit eos vigilare, statimque precari,
Post dormire, dehinc agnus & ara tulit.
Nimirum dum dicit eis, vigilate, salutat:
Quippe salus animæ, si vigilemus, adest.
Dum iubet orare, sursum cor suadet habere,
Orari siquidem sola superna iubet.
Dum tandem vocat ad requiem, monet edere grates.
Mentis enim requie gratificamur ei.
Nam grates agere est Domino, nos reddere gratos,
Quod facit, à vitiis mens, manus osque vacans.
Vt talis fiat, quisquis sub iudice Christo
Sacrificat. sub quo iustus & ipse tremit.
Cum Superum cantu, quos ara constat, adesse,
Amittis proprias postulat ille preces.

## CVM QVIBVS ET NOSTRAS VOCES VT ADMITTI.

Postulat vt sua vox laudi concordet eorum,
Quod adstare sacris pagina multa docet.
† S. Gregorius is est, Si verbis † hominis, quem nectar vbique supernum
Eructaße liquet, vis adhibere fidem.
Tempore quo supplex assistit Presbyter aris,
Mactaturque Patri Filius ipso manens:
Æthra patet, cœlestis adest chorus, ima supernis
Iunguntur: fiunt author & actus idem.
Cœtibus his dum mens, dum vox, dum vita ministri
Concordant, grates indubitanter agit.
Hinc benè cum populo, ter Sanctus, quæque sequuntur
Antea quàm sacret mystica dona, canis.
Credimus has laudes assumptas ex Isaia,
In quibus innuitur trinus & vnus apex.
Ter positum Sanctus, trinum notat esse: sed vnum
Declamat Dominus, atque Deus Sabaoth.
His tribus, huic vni sacrifex litat, angelus offert.
Asscribit clerus, plebs veneratur idem.
Et quia percipiunt in sacro munere quidam.
Pro sacro Dominum munere glorificant.
Laudibus his venerantur eum, quibus æthra resultant,
Quas duo de Seraphin, nocte dieque canunt.
Has pro perceptis quasi grates ritè rependunt,
Ne quando frustra percipienda petant.
Hactenus explicui, quid repræsentet in ipso
Officio Missæ; quidve minister agat.
Ex quibus hoc totum, quod in æde priore iubetur
Offerri, coram commemorare licet.
Quicquid enim fit in Ecclesia, tantummodo prosit
Moribus aut fidei, victima grata Deo est.
Offerimus vitulos linguæ, mactamus & hircos,
Soluimus in cineres thus, omnium que virum.
Dum canimus, vel dum legimus quod praua refrænet,
Quod populum, quod nos ad meliora vocet:
Tunc etiam vitulat, tunc sacrificatur & hircus,
A Cum factum calcas, luxuriamque premis:
Agnus ab innocuis, à simplicibusque columba,
Turtur ab his qui flent, gaudia summa procul.
In clibano coctos panes altaribus offers,
Si robur mentis nulla flagella mouent:
Conspersos oleo, si ius pietas moderetur,
Inque reos infra, quàm liceat, libeat.
Non fermentatos, si mens tibi purior adsit,
Excoquat & carnis fluxa supernus amor.
Offers & similam, si quos diuiserat error,
Colligis, inque fidem, iungis, idemque facis.
Hoc catechizans, mollis in baptismate mergens,
Vnis informans aspera ferre, coquis.
Sic eadem moresque docent, Christumque figurant,
Sic geminos vsus cætera legis habent.
B Quod vero Missæ superest, ita sacra recenset
Legis, vt exhibeat sub Cruce sacra crucis.
Quippe recensentur, quicquid lex præco futuri
Iatra sanctorum sancta iubebat agi.
Hæc aperire labor, quia metro, nominibusque
Ignaris, metri, materiaque premor.
Da veniam Lector: rem tantum pandere & vsum,
Non speciem, nostris versibus esse sat est,
Non tamen expectes, vt singula verba vel actus
Quælibet aggrediar clarificare tibi.
Ad summam rerum curret stylus, & quibus vmbram
Legis, opusque Crucis exprimat ara, canam.
Et semel & soli sanctorum sancta patebant
Pontifici, precibus plebe vacante foris.
C Angulus is † velo distabat ab æde priori, † vero;
Aduentu Superum, colloquioque sacer.
Idem thuribulo, simul & thymiamatis ara,
Et testamenti fœdere clarus erat.
Clarus & insignis tabula quæ præminet arca.
Quam superobnubilat pronus vterque Cherub.
Summus eo præsul semel accedebat in anno,
Pro se, pro populo mystica dona ferens.
Scilicet illius hirci vituli que cruorem,
Quos proles Aaron immolat ante fores.
Carbonesque simul, quos desuper exteriorem
Sumendos aram pagina sacra docet.
Hos in thuribulo ponit, tantumque sacerdos
Thus cremat, vt fumus vber obumbret eum.
Adspergit tabulam, post hæc adspergit & aram
D Exterius sacram sanguine pacifico.
Hinc redit ad populum, vestem lauat, attamen idem
Non nisi sub sero vespere mundus erat.
Hic locus, hic sacrifex, ea munera signa fuere:
Signa recesserunt, significata manent.
Exprimit Ecclesiam prior ædes, altera cœlum,
Antistes Christum: sanguis, amara Crucis:
Carbones, summam virtutum Christe tuarum
Thuribulum, carnem: thura cremata. preces.
Summa tabella patrem, cœlestes arcu cohortes,
Veste notatur homo, vespere mors hominis.
Hæc perstricta tibi rerum velamina pandunt,
His ea, sed veluti semiretecta, vides.
Ex his non aliter fieret tibi peruia, quam si
E foribus spectes interiora domus.
E Interiora sacri, te Christe docente, patebunt,
Cuius morte patent interiora poli.
Quas igitur partes perstringere nitor, easdem
Sicut habet series Canonis, exposui.
Sic leuius disces quod opus, quæ verba ministri:
Quid reminiscantur legis, agantve Crucis.

## TE IGITVR CLEMENTISSIME PATER vsque, ILLIBATA.

Intrabat præsul vitulorum sanguine sacrum,
Intrauit proprio Christus & ipse polum,
Intrat agens sacrifex in sanguine semper ad aram.

*Effusi semper sanguinis ipse memor.*
*Nam quoties fusum, verbo, Cruce, mente retractat,*
*Hunc specie toties in sacrosancta gerit.*
*Quippe velut quidem cruor est, meminisse cruoris,*
*Huius nos memores Crux iterata facit.*
*Mentio mortis adest, vbicunque perennibus escis*
*Imprimit vncta manus mystica signa Crucis:*
*Sic Aaron, Christumque sequens altare frequentat*
*Presbyter, hunc, haustum sanguinis ipse gerit.*
*In primo siquidem versu vexilla salutis*
*Ter super appositas prarogat ille dapes.*
*Inque iam mortis, mitisque piusque recordans,*
*Appellat triplici nomine munus idem.*
*Dona vocat primum, mox munera nuncupat escas,*
*Post sacrificij nomine censet eas.*
*Dona vocat, quoniam Deus has donauit, vt inde*
*Sustentaretur lege modoque caro.*
*Munera sunt, quoniam Deus his donatur, & inde*
*Munerat authorem, cui dedit author eas.*
*Nam quod sacrificij censentur nomine, monstrat,*
*Qua ratione prius munera dicat eas.*
*Scilicet idcirco, quia sacrificantur, & aptè*
*Munerat authorem, qui data reddit ei.*
*Sic eadem qua dona vocat, cum sacrificantur,*
*Munera sunt, quoniam munerat inde Deum.*
*His quoque nominibus pulchre satis hostia triplex*
*Innuitur, scripto iam recitata meo.*
*Hoc etenim totum quod spondebatur in illis,*
*Completum memorans, sub specieque gerunt.*
*Nam quod sperauit prius in veruece sacerdos,*
*In capro populus, in vitaloque duces:*
*Crux dedit, esca sapit, totum canit esse tributum*
*Nominibus trinis hac tria sacra notans.*

IN PRIMIS QVÆ TIBI OFFERIMVS. *vsque*, ANTISTITE NOSTRO. MEMENTO DOMINE FAMVLORVM. *vsque*, DEO VIVO ET VERO.

*INgrediens sacra sanctorum Leuiticus, arat*
*Pro se, proque suo principe, gente, domo.*
*Ante crucem Christus rogat & se clarificari,*
*Et custodire, quos dedit ipse Deus;*
*In cælis etiam semper pro plebe Sacerdos,*
*Pro seruo Dominus, pro grege pastor agit.*
*Noster in hoc sacrifex Aaron Christumque secutus;*
*Pro tota primum supplicat Ecclesia.*
*Hinc etiam pro pontificis, regisque salute,*
*Pro reliquis infra sicut oportet agens,*

COMMVNICANTES MEMORIAM, *vsque* MVNIAMVR AVXILIO.

*LEge iubebatur sumptos altaris ab igne*
*Carbones viuos in sacrosancta geri.*
*Lege iubebatur Aaron festinus eisdem*
*Thuribulo positis thus adolere Deo.*
*Thuribulum carnis tanquam carbone refertum*
*Virtutum cumulo Christus ad astra tulit.*
*Hos ex igne Deo quo mentis fluxa cremantur,*
*Quo laxa carnis lubrica sumpsit homo.*
*Tanquam carbones inter sacrosancta Sacerdos,*
*Nomina sanctorum commemorando gerit.*
*Hos etenim viuis carbonibus assimilamus;*
*Qui splendent actu, iuris amore calent.*
*Denique qui sequitur, quod lex iubet, vmbra figurat,*
*Dum litat, hunc ignem mente minister habet.*
*Ingrediens etenim sanctorum sancta sacerdos,*
*Pectore gestabat nomina scripta patrum.*
*Scilicet insinuans exempla, fidemque priorum*
*His imitanda, quibus mystica mensa patet.*
*Nec satis esse Deo, verbis meminisse bonorum,*
*Si non exhibeas moribus ipse bonos.*

*Sic sacrifex, intusque calens, extraque coruscans,*
A *Carbones carbo factus & ipse gerit.*
*Sic bene contexit multorum nomina patrum,*
*Sic meritis multos exprimit ipse patres.*

HANC IGITVR OBLATIONEM. *vsque* NVMERARI. PER CHRISTVM. QVI PRIDIE QVAM PATERETVR. *vsque*, HOC EST ENIM CORPVS MEVM. SIMILI MODO POSTEAQVAM COENATVM. *vsque*, MEMORIAM FACIETIS. VNDE ET MEMORES DOMINE. *vsque* IMMACVLATAM NOSTRAM.

*HAc nebula fumi tegitur Leuiticus orans,*
*Vt pateat nulli, dum thymiama cremat.*
B *Hac prece pro nobis, hac sedulitate precatur*
*Christus, vt angelicum transeat intuitum.*
*Nescitur quantum sumpta præsentia carnis*
*Possit apud Patrem, quid sine voce preces.* † flatu;
*His precibus cedit, quicquid Leuiticus offert.*
*Et quocunque modo, tempore, † siue gradu.*
*His patrem precibus dedisceré iudicis iras,*
*Et flecti constat, & meminisse patres.*
*Tanquàm sub nebula sacra dona frequentat & offert,*
*Quisquis agit Christi, Christus & ipse, vices.*
*Hac etenim virtus, hac efficientia verbi*
*Et Crucis est, vt meat, linguaque cedat ei.*
*Nescit homo, latet & superos, quo prouehat escas*
*Gratia verborum, mysteriumque Crucis.*
*Incipit his verbis supplex instare sacerdos,*
C *Quæ sulua specie munus vtrunque nouans.*
*Incipit, & toto contritus corde, cremansque*
*Thuribula mentis lucida thura precum.*

QVÆSVMVS VT PLACATVS.

*ORat vt accipiat placatus dona, suaque*
*Ordinet in pace tempora nostra Deus.*
*Orat vt accipiat de massa perditionis,*
*Inter & electos nos numerare velit.*
*Orat vt hic idem benedicat, quas dedit, escas:*
*Orat vt ascriptat, atque ratas faciat.*
*Orat vt hoc altaris opus ratione geratur*
*Sitque quod acceptet, quod probet ipse Deus:*
*Dum rogat vt Dominus, qua condidit, hac benedicat;*
D *Vt nouet in melius, promoueatque rogat.*
*Dum rogat ascribi, quod eam sibi prarogat escam,*
*Atque dicet propriam sanctificando rogat.*
*Dum rogat esse ratam, ne frustra speret in illa,*
*Sed sit profit, sint rata vota, rogat.*
*Dum rogat hanc ratione geri, qua munera recto*
*Offert, vt recte diuidat, ipse rogat.*
*Istius ergo dapis benedictio, gratia maior,*
*Vberior fructus, perpetuusque vigor.*
*Hoc sane totum verbis confertur in illas,*
*Quæ subdit sacrifex, non sua, sed Domini.*
*Quippe recensurus, qua protulit ille, vel egit,*
*Cum cœnans idem, cœna beata fuit.*

E QVI PRIDIE QVAM PATERETVR, ACCEPIT PANEM.

*PAnis in hoc verbo, sed adhuc communis, ab ara*
*Sumitur, & sumptum tollit vtraque manu,*
*Presbyter hunc idem, cum peruenit ad Benedixit,*
*Imprimit elato mystica signa Crucis.*
*Nec prius in mensam demittit, quam tua Christe*
*Verba repræsentans explicet ista super.*

ACCIPITE ET MANDVCATE EX HOC OMNES.

*HInc leuat & calicem, signatque, nec ante reponit,*
*Quàm super authoris verba retractet ita:*

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES. *vsque* IN REMISSIONEM PECCATORVM.

*SI qua fides patribus, quos vita beata perennat,*
*Esca sit hæc animæ, quæ modo carnis erat.*
*His verbis vtrunque nouas acquirere vires,*
*Maioresque suis scripta probata docent.*
*Sub Cruce, sub verbo natura nouatur, & aram*
*Panis honorificat carne, cruore calix.*
*Presbyter idcirco, cum verba venitur ad illa,*
*In quibus altari gratia tanta datur:*
*Tollit vtrunque, notans, quod sit communibus escis*
*Altior, & quiddam maius vtrunque geras,*
*Quæque param anima, carnes fomenta parauit,*
*Omnia sacratis inferiora cibis.*

*ET quoniam quoties libauerit ista Sacerdos,*
*Christus eum memorem præcipit esse sui.*
*Hoc sacramento nos commemorare fatemur,*
*Quod mortem tulerit omnis creator homo.*
*Quod surgens cœlos ascenderit, hæc tria sanè,*
*Qualem sacrificem vult cibus ille, notant:*
*Scilicet vt carne moriatur, mente resurgat,*
*Terquinis gradibus templa superna petat.*
† meā-tis, *Sic memores passi, surgentis ad astra † volantis,*
*Et nos & pariter plebs tua, magne Deus.*
*De donis propriisque datis tibi munera pura,*
*Munera sancta, sed & immaculata damus.*
*Dona quidem nobis Domino data: nam quod in escam*
*Donat, nos ipsi sacrificando damus.*
† ad-mixta. *Pura damus, quoniam non his † est mixta vetustas,*
*Aut ad saluandum non ope legis egent.*
*Sancta damus, quia qui sacras diiudicat escas,*
*Proficit, & libans sanctificatur eis.*
*Immaculata damus, quia quod fuit immaculata*
† fit, *Hostia, quodque dedit nostra † fit, & dat idem.*
*Presbyter insistens implorat, vt illa serenus*
† ap-probet. *Respicias clemens, † ac beet illa Deus.*
*Ne minus hæc placeant, quàm quod puer obtulit Abel,*
*Quàm quod Abraham, quàm quod Rex sacrifexq; Salem.*
*His tribus innuitur variorum forma sacrorum.*
*Quæ ratio, quæ lex tradita, lex breuiata,*
*Lex naturalis, lex tradita, lex breuiata,*
*Placauere Deum munere quæque suo.*
*Et tamen impariter, quia speque fideque supreme*
*Dicitur in reliquis plena fuisse salus.*
*Hæc sibi sufficiens, nec eget perfecta futuris,*
*Nec de præteritis, vnde iuuetur, habet.*

SVPPLICES TE ROGAMVS. MEMENTO ETIAM DOMINE. NOBIS QVOQVE PECCATORIBVS. *vsque, Omnis honor & gloria.*

*ADspergi tabulam lex, vmbra iubebat, & aram,*
*Exteriusque sacrum sanguine pacifico.*
*Filius asseritur toties adspergere patrem,*
*Adsperso quoties sanguine placat eum.*
*Aspergit semper superos, quia semper eorum*
*Asperso reparas, restituitque gregem.*
*Adspergit semper homines, quia semper & ipsos*
*Adspersos renouat, conciliatque patri.*
*Hos adstans aris adspergit & ipse sacerdos,*
*Cum memor adspersi sanguinis vnit eos.*
*Vnit eos placando Deum, supplendo ruinam*
*Spirituum, vitam restituendo reis,*
*Vita Deum moriens, hoc totum præstitit orbi,*
*Hoc per eum mortis mentio præstat adhuc.*
*Tunc igitur sacrifex adspergit sanguine patrem.*
*Cui semel adspersi mentio placat eum.*
*Tunc idem cœtus aspergit cælicolarum,*
*Cum semel adspersi mentio supplet eos.*
*Tunc adspergit & hos, quos abluit vnda salutis,*
*Cum semel adspersi mentio purgat eos.*
A *Presbyter hæc satagens, sumpta sibi supplice forma,*
*In sublime geri mystica dona rogat.*
*Addit & erectus, vt participatio mensæ,*
*Quotquot eam sument, prosit, & intus alat.*
*Neue sepultorum pia mentio prætereatur,*
*Et bene defunctis, & sibi poscit idem.*
*Poscit idem sibi, dum sanctis rogat associari,*
*Quos & nominibus † nominat ipse suis.* † ex-primit
*Angelus is, cuius manibus sacer ille minister*
*In sublime geri munus vtrunque rogat,*
*Angelus est eius, vel quos reuerenda vetustas*
*Desursum missos dicit adesse sacris.*
*Ara superna, Dei conspectus, eo sacra ferri,*
*Est etiam meritis sacra placere Deo.*
B *Angelicas ea ferre manus, est plaudere nostro*
*Affectu superos, mysteriisque sacris.*
*Quæ tam secreto plausu perlata, feruntur*
*In sublime: placant pacificantque Deum.*
*Ergo pius sacrifex aspergit sanguine patrem,*
*Cum sic adspersi mentio placat eum,*
*Cum viuis veniam, refrigeriumque sepultis,*
*Impetrat & partem, quam petit ipse sibi.*
*Et superos & mortales aspergere fertur:*
*Nam quæ nos purgat mentio, supplet eos.*
*Porro cum sacrifex sublimem nominat aram,*
*Quo supplex orat dona sacrata geri.*
*Commemorat liquido velaminis interiora,*
*Quo semel intrabat pontificalis apex.*
*Cum sacra proferri sursum rogat, innuit hircum,*
C *Quem lex deserti vasto subire iubet.*
*Quippe duos foribus templi lex applicat hircos,*
*Vnus desertum destinat, alter obit.*
*Christus diuersis respectibus hircus vterque:*
*Nam tulit in ligno, viuit in arce Poli,*
*Viuit & hic humilis, deserto regnat in illo,*
*Quo propriis humeris, ipse † reduxit ouem.* † reuo-auit.
*Sic meminit legis, meminit Crucis ipse Sacerdos,*
*In sublime vehi munus vtrumque petens.*
*Idem dum memorat sanctos, humerale recenset,*
*Quod bis sena patrum nomina scripta gerit.*
*Pectus enim logion, scapulas humerale tegebat*
*Præsulis, intrantis interiora sacri.*
*Hinc in vtroque gerens gemmis insculpta priorum*
*Nomina, venturi præco typusque fuit.*
D *Nos etenim gerimus logion, cum nomina patrum*
*Circa principium Canonis exprimimus.*
*Nos humeralis onus gerimus, cum nomina patrum*
*Hac in parte sacri Canonis inserimus.*
*Tunc etiam logion, tunc fert humerale minister,*
*Cum mores patrum, cum labor ipse placet.*
*Ecce subinfertur, quod tu bone conditor orbis,*
*Per Christum semper hæc bona cuncta creas.*
*Sanctificas, & viuificat, idem benedicis,*
*Glorificans primæ conditionis opus.*
*Nam quia sic homini verbum Deus hæret, vt vna*
*Sint persona, creans atque creatus homo,*
*Quidquid per verbum Deus ordinat aut operatur,*
*Per Christum fieri dicitur illud idem.*
E *Ergo per Christum rerum natura nouatur,*
*Communisque cibus fit speciale bonum.*
*Per Christum quoque sanctificat Deus vnus vtrunque*
*Viuificat pariter & benedicit idem.*
*Sanctificat, quoniam datur hæc quoque gratia rebus,*
*Vt bene percipiens, sanctificetur eis.*
*Viuificat quoniam datur hæc vegetatio rebus.*
*Vt moriens intus viuificetur eis.*
*Hic idem benedicit eas, quia prouenit inde,*
*Vt benedicatur qui bene sumit eas.*
*Est honor, est etiam per Christum gloria patri,*
*Per quem cuncta pater glorificanda facit.*
*Est & cum Christo, quia glorificatur & ipse,*
*Cum quo cuncta pater glorificanda facit.*

*Est*

*Est simul in Christo, quoniam Deus vnit vterque,*
*Et quod in hoc vno est, est in vtroque simul.*

ORЕMVS. PRÆCEP. PATER NOSTER. LIBERA NOS QVÆSVMVS, *&c.*

*AD populum regredi, vestesque lauare supremum*
*Pontificem, legis mystica iussa volunt,*
*Ipse tamen mundus, eadem sic iussa canebant,*
*Non nisi, cum iam Sol occubuisset, erat.* † quam
*Ecclesiæ Christus, † quia non abeundo reliquit,*
*Subueniens, ad eam compatiendo redit.*
*Has eius vestes, has viuis abluit vndis*
*Fons, qui perpetuo vulnera nostra sanat.*
*Fons tamen illa lauans, donec famulabitur orbi*
*Sol, velut immundus, atque lauandus erit.*
*Eius enim membris, dum Sol aget iste labores,*
*Harebunt macula, quodque lauetur, erit.*
*Dicitur ad populum tanquam remeare Sacerdos*
*Pro populo rursum multiplicando preces.*
*Iamque velut foris est, cum vocem mutat & orans*
*Admonet vt pariter oret & ipse chorus.*
*Admonet orandi formam, sublime, retractans,*
*Quam statuit Christus, edocuitque suos.*
*Talibus officiis, interuentuque sacrorum,*
*Et simul intinctu sanctificantis aqua*
*Ipse lauans populum, sua vestimenta lauare*
*Fertur, & apta Deo reddere fonte precum.*
*Est tamen immundus, donec Sol occidat, idem.*
*Nam dum viuit, habet, quod lauet, omnis homo.*
*Si sacrifex remeans, vt dignus percipiendis*
*Fiat, & ad vitam sumat vtrunque simul:*
*Iam quasi cum populo septem sibi dona precatur,*
*Quæ voluit Christus, instituitque peti.*
*Illorum tria prima quidem sine fine manebunt,*
*Sed reliquis finem spondet amara dies.*
*Semper enim sanctum nomen patris, idque beato*
*Quod metuat, quod amet, quod vereatur, erit.*
*Semper & ipse bonus, regnum patris, vnde profecto*
*Scandala cuncta, procul, quodque resistat, erit.*
*Semper vt in cœlo, sic in tellure voluntas*
*Fiet, & in neutro, quod reprobetur, erit.*
*Fit vero pariter in vtroque paterna voluntas,*
*Cum quod amat, quod vult Angelus, hoc & homo.*
*Præterea sicut quidam sensere priorum,*
*Terra, caro: cœlum, spiritus accipitur.*
*Consummatur in his pariter diuina voluntas,*
*Cum caro subiicitur, spirituique fauet.*
*Hæc tria nunc iusto varijs euentibus adsunt,*
*Post mundi finem nescia finis erunt.*
*Quatuor esse sinent, nam pascis nullus egebit,*
*Cuive remittantur debita, nullus erit.*
*Tentari nemo poterit: mala nulla deinceps,*
*A quibus electos liberet, author, erit.*
*Nam verbum vitæ, panem puto quotidianum,*
*Siue sacramentum, quo viget intus homo.*
*Tunc neque doctrina, nec ea dape iustus egebit,*
*Qui sciet omne bonum, cui Deus ipse cibus.*

*ET quia præteriti meminit, præsente grauatur,*
*Venturum metuit Presbyter ipse malum:*
*Vt prece sanctorum Deus illum liberet, vtque*
*Pax data tranquillet tempora nostra, rogat.*
*Officit Ecclesiæ, cum perturbatio feruet:*
*Pax in spe fructus semina iacta fouet.*
*Hinc sequitur panis infractio tradita nobis*
*A Domino, quiddam legis & ipsa gerens,*
*Legis præcepto minui simila germbetur,*
*Non nisi frustatim sacrificanda Deo.*

*Sic sacrum panem cœnans fregisse Redemptor*
A *Dicitur, & fractum distribuisse suis.*
*Nos quoque non frustra legem Christumque sequentes*
*Apte partimur dona dicata Deo.*
*Nam tres ecclesiæ sunt partes, vna laborat*
*In terris, partem iam fouet alta quies.*
*Partem quæ restat, clementior excoquit ignis,*
*Excoctæque patet transitus ad requiem.*
*Diuersas meritis, diuersas sorte locorum,*
*Tres istas partes hostia fracta notat.*
*Pars intincta mero, viuis aptatur, opusque*
*Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.*
*Pro bene defunctis, quorum purgatior vita.*
*Hoc interuentu non eget, alter eget.*
*Offerri reliquas ratio † iubet obtinet vsus,*
B *Nec tamen hinc idem fructus vtrique datur.*
*Nam dum pro iusto sacris assistitur aris,* † docet
*Pro iusto grates ipse minister agit.*
*Cum pro soluendis nunc pœnam temperat vltor,*
*Nunc & plena quies acceleratur eis,*
*His epulis epulas illius summimus agni,*
*Quem lex præcinuit, Crux tulit, ara sapit.*
*Presbyter hunc in mysterio sumpturus, ab ipso*
*Tam sibi quam populo munera trina petit.*
*Inter eos siquidem primum rogat enumerari,*
*Quot in carne pudet turbine carnis agi.*
*Hinc in eo regno petit idem glorificari,*
*Quo sua membra caput glorificanda trahit.*
*Postremo quia spiritus caro lenta resistit,*
*Cedit & infelix spiritus, ipse caro.*
C *Implorat pacem, qua fiat vterque quod alter,*
*Concordesque velint, atque sequantur idem.*
*Nam nisi ro bene composita, nec iustificatur*
*Nunc, nec in æternum glorificatur homo,*
*Hoc intellectu distinguit prisca vetustas,*
*Quod clerus triplici voce precatur ita.*
*Ad Christi reditura fidem Iudæa notatur,*
*Cum † patris ad dextram sedit, & explet opus.*

*TOllimur e medio fatis vrgentibus omnes,* Agnus Dei ter.
*Et trahimur, quo nos vita peracta vocat:* † parté.
*Hi nunquam, hi semper, alij plectuntur ad horam,*
*Purgatisque datur transitus ad requiem.*
*Hanc illis altare sacrum vel criminis expers*
*Vita, vel obsequiis emptus amicus emit.*
D *Perfectos valdeque malos nil vota suorum,*
*Nil impensa precum, nil holocausta iuuant,*
*Nam nec iustus eget, nec pessimus ista meretur:*
*In medio est, veniam cui sacra mensa parat.*
*Ipsa tamen viuos à vitæ calle vagantes*
*Vt redeant, saltem sero iuuare solet.*
*Vnde fit vt sacris quoties assistitur aris,*
*Particulis cedat hostia fracta tribus.*
*Pars intincta mero pro viuis orat, opusque*
*Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.*
*Pro bene defunctis, quorum purgatior vita*
*Hoc interuentu non eget, alter eget,*
*Offerimus tibi summe duas, sed propter eosdem*
*Oblata pariter non operantur idem.*
*Nam pro sanctis, pars est pro sanctificandis,*
E *Mentio pro reliquis: causam agit alterius.*
*Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,* † Ara, Crucis: tumulique calix: lapidisque patena: Sindonis officiũ candida byssus habet.
*Mysterio simplex, vtilitate triplex,*
*Fit cibus hic ouis in ligno, leo fortis in vrna,*
*Ales ad astra volans, Rex super astra sedens.*
*Neve putes illi tumulum vel crucem ve deesse,*
*Ipse calix tumulum denotat, ara Crucem. †*
*Vtque fides adsit, terrorque recedat & horror,*
*Fit cibus ipse caro, panis imago manet.*

# HILDEBERTI TVRONENSIS ARCHIEpiscopi, in illud Isaiæ 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum*, &c.

## SERMO I.

DICITE *pusillanimes, confortamini; ecce Deus vester veniet, & saluabit vos; Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; Et saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ante aduentum Domini totum genus humanum in magna caligine voluebatur, quia neque Dominum cognoscebant, neque verba eius audire volebant, neque bonum operabantur. Notat ergo Isaias eos quatuor lãguoribus laborare specialiter; Cæci enim erant, & surdi, & claudi, & muti; cæci; quod Dominum ignorabant; surdi, quod verba eius negligebant; claudi, quod prauo gressu incedebãt, malè operando; muti, quod peccata sua tacebant, nec confitebantur. Hæc omnia initium sumpserunt à primo homine: Adam enim, à primo præcepto sibi (à Domino) iniuncto, surdus effectus est. Cum enim dictum fuit ei; *In quacunque die de ligno scientiæ boni & mali comederitis; morte moriemini*; non audisse visus est; *morte moriemini*; cum non fuit obseruator mandati. Cæcus fuit cum non intellexit verba diaboli dicentis, *eritis sicut dij*: videlicet cum putauit se fieri Deum, excæcatum iam gerebat animum. Quod deinceps improperauit ei Dominus, dicens; *Adam factus est quasi vnus ex nobis*; quasi deridendo dicens; Ecce Adam qui putauit se futurum deum; sed modo se inuenit miserum; *factus est quasi vnus ex nobis*: id est, similis Patri & Filio & Spiritui sancto: id est; Deus factus est, idque sub ironia dictũ est: quasi diceret, aliter se inuenit quàm putauit. Claudicauit Adã; quod cum cœpit incedere (id est, operari) prauo gressu incessit: vulneratus est enim aculeo venenati serpentis, & male operando claudicauit. Primum, quod legitur fecisse, peccatum est: duos pedes debet habere homo; dilectionem Domini & proximi; qui altera illarum caret, claudus est: Adam igitur claudicauit, quia nimium vxorem dilexit, vnde ab amore Domini tepuit, Dominum non dilexit, cuius mandata neglexit. Amorẽ vxoris amori Domini prætulit, cum libentius vxoris persuasioni quàm Dei obtemperauit voluntati: itaque claudicauit. Mutus vero fuit in confessione peccati; quia non solum non confessus est peccatum; sed etiam excusare cœpit, dicens; *mulier quam dedisti mihi, dedit mihi, & comedi.* Cum enim ait, *mulier quam dedisti*; in mulierem culpam vertit: & Deum etiam infamare voluit in hoc verbo, *quam dedisti.* In hæc eadem vitia genus humanũ deuolutum erat, antequam Christus nasceretur: adeo enim excæcati erant, vt idola pro Deo colerent. Vnde Apostolus; *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Ecce quomodo cæci erant! Surdi erant iuxta hoc quod dicit Isaias; *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando oculis videant, & auribus audiant*; & Psalmista; *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas*: Et iterùm; *& non audiuit populus meus vocem meam*, & Israël non intendit mihi: & Stephanus, *dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto.* Claudicauerunt male operando, iuxta illud: *Omnes declinauerunt & simul inutiles facti sunt*, &c. & iterum: *filij alieni mentiti sunt mihi*; &c. Muti facti sunt, iuxta quod Dauid dicit de seipso: *quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* Hæc omnia sanauit medicus cælestis; cæcos illuminauit, cum *aperuit illis sensum vt intelligerẽt Scripturas*, & etiam Patrem suum nunciauit mundo: iuxta quod ait: *Pater manifestaui nomen tuũ hominibus*; quia prius *erat in mundo, & mundus eum non cognouit.* Hæc est illuminatio quam postulat Dauid, dicens; *Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam, ne quando dicat inimicus, præualui aduersus eum.* Inde aures aperuit, cum dixit; *Qui habet aures audiendi, audiat*; & populus gentilis habuit aures apertas; iuxta hoc quod ipse ait per Dauid; *populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris.* o.m. Claudi erant, quia bonis operibus non vacabant: sed direxit Dominus gressus hominũ, & corda eorum; ad cælestis patriæ viam direxit. Corda directa sunt, cum neque ad dextrã, neque ad sinistrã diuertunt; dextra, est misericordia Domini, sinistra, est desperatio; vnde Isaias ait: *Hæc via, ambulate in ea neque ad sinistrã, neque ad dextram.* Iudas & diabolus qui desperauerunt ad sinistram diuertere: Origenes & alij qui (nimium confidentes de Dei misericordia) prædicauerunt, diabolum saluandum esse & soluendum post mille annos; nimis ad dextram exorbitauerunt. Itaque medius callis sequendus est, vt neque desperent homines, neque nimiũ confidẽdo in misericordia, licenter peccent. Huius rei figura est quod Arca fœderis cum reduceretur de loco Philistinorum ad locũ suum, vaccæ duæ ibant in plaustro. Arca est Ecclesia, duæ vaccæ, prædicatores Iudæorum & Gentium. Ideo Dauid ait; *beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Vtrumque posuit, spem & timorem. Spes sine timore, præsumptio; timor sine spe, desperatio est. De hac via recta ait Ioannes Baptista; *parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri.* Sed in hac via saliendum est: vnde ait, *tunc saliet quasi ceruus, claudus.* Ceruus cum venerit ad loca spinosa & lutosa, transilit: Sic & nos, si occurrit amor pecuniarum quæ pungunt sollicitudine, si lutum luxuriæ, vel alicuius voluptatis fœtidæ, transilire debemus. Ceruus deserit valles, & montes appetit; sic & nos deseramus terrena, & cælestia quæramus, iuxta illud Pauli, *quæ sursum sunt, sapite*, &c. vnde Dauid; *qui perfecit pedes meos tanquã ceruorum, & super excelsa statuens me.* Ceruus quoque senescens, serpentem deuorat, & nimio ardore currit ad fontem, post cuius potum deponit pellem veterem & cornua, & reiuuenescit: Sic & nos occidamus serpentem, & curramus ad fontem (id est, Christum) & deponamus veterem superbiam, vt cũ Dauid dicamus, *quemadmodum desiderat ceruus ad fontes a.i.d.a. mea ad te Deus.* Sequitur; *& aperta erit lingua mutorum*: cum enim clamauit de Christo; agite pœnitẽtiam qui prius erubescebatis confiteri peccata; tunc pœnituerunt & confessi sunt. Clamauit Maria Magdalena veniam, quæ prius muta erat: clamauit latro in cruce, clamauit & Chananæa pro filia grauata, clamarunt & decem viri leprosi: clamemus ergo & nos (charissimi) ad Dominum, vt misereatur nostri, vt remittat nobis peccata nostra, vt aperiat oculos cordium nostrorum in fidem & agnitionem sui ipsius, vt patefaciat aures nostras, ne sint negligentes in verbis & mandatis ipsius, & aperiat nobis linguam in confessionem peccatorum, per quam possimus habere gratiam suam, & peruenire ad gloriam ciuium supernorum, quo nos perducat ipse Christus; Amen.

*Diabolus, desperatione diuertit à Deo. Media inter spem & desperationem via incedendum.*

*S. Hildeberti Turonensis Archiepiscopi, ad Pastores: in illud Luc. 12. cui multum datum est, multum quaretur ab eo, Sermo Synodicus.*

QVANTAS, commissis, vobis quibus debearis excubias, Euãgelica vos docet assertio, dicẽs: *Cui plus cõmittitur, plus ab eo exigitur:* ab illo autem ista vobis cõmissa sunt, *à quo omne datũ optimum, & omne donum perfectũ est, quid. n. habes quod nõ accepisti?* Et nos omnes (vt ait Euangelista) *de plenitudine eius accepimus.* De eius (inquã) plenitudine, de quo habetis & vos quod Christiani estis, quod Pastores estis. Quod Christiani estis, propter vos est, quod sacerdotes estis, propter Deũ est: quod pastores estis, propter oues est. Ex eo enim quod Christum profitemini, fidẽ debetis custodire: ex officio sacerdotis, Deũ placare: ex cura pastoris, gregẽ pascere. Denique ex primo, nomen geritis Christi: ex secũdo & tertio vices agitis Christi: de quibus, vt (iuuãte Domino) aliquid ad nostram trahamus eruditionem; plenius singula persequamur. Meminisse vos oportet, vestram (fratres) quam fecistis in Baptismate promissioneor: cui, & sub quo vos obligastis testimonio. Promissio vestra, fides Catholica est: cui fidem pepigistis, Pater, & Filius, & Spiritus sãctus est: testis pacti, Ecclesia est. Testatur autem Apostolus, quod *fides sine operibus mortua est:* ideo mortua, quia non viuit in ea vegetatio actionis: ideo mortua; quia nõ mouet aut regit animam ad gaudia patrię cœlestis. Fide huiusmodi dæmones insigniti sunt; & tamen à consortio bonorum spirituum separantur. Credunt: & nihilominus eis æternum incendiũ præparatur: quippe fides sine opere, flos est sine fructu, manipulus sine grano, moneta sine argẽto. Ex hoc manipulo nihil excutitur, vnde anima pascatur. Ex hac moneta, panis emi non potest, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Cum in domo Domini multæ mansiones sint: nulla prorsus huiusmodi moneta comparatur. Alia profectò moneta est, quæ in ciuitate Domini nostri in pretio est: per hanc mortalibus quoddam cum superis commercium est, per hãc fit vna respublica, conuentus hominum & conuentus Angelorũ. In hac moneta, Rex imagini suæ applaudit: pro hac, regnum suũ cuilibet venale exponit. Vultis eo pane refici, post quem nullus esurit? proferte hanc monetam, & satiabit vos. Vultis inuenire Iudicem placatum, quãdo sedebit cum senatoribus terræ? proferte hanc monetam, & à dextris ordinabit vos: vultis ad cœnã nuptiarum Agni suscipi? proferte hanc monetam, & intromittet vos: vultis videre bona Domini in terra viuentium? proferte hanc monetam, & non latebunt vos. Porrò tam accepta & tam fulgens moneta, fides Christiana est: cæterum non ea fides, quæ operum expers est: sed cui operis structura superposita est. Vult & exigit à nobis Dominus huiusmodi fidem: sicut ab emptore, venditor monetam puram, monetam pretiosam. Hanc ei fidem (si benè recolitis) promisistis: hac fide cum eo fœdus percussistis: huius fidei vos Trinitati debitores fecistis. Cum enim interrogaretur, credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ: & responderetis, credo: Patri, vos obligastis: cùm quæreretur, credis & in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum? & subiiceretis, credo: Filio vos obligastis, cũ diceretur: creditis & in Spiritum sanctum? & superponeretis, credo: Spiritui sancto vos obligastis. Graue nimis est à pactione huiusmodi resilire. Si enim patri mentimini, nihil vobis & ea proderit, quæ promittitur filiis, hæreditas: Si Filio, non proderit vobis assumpta pro vobis humanitas: Si Spiritui sancto: extinguetur, quæ diffusa est in cordibus vestris, charitas. Quia igitur fidei huius promissio facta est: quia fundamentum positum est: superædificate lapides rutilos, lapides pretiosos. Eorum structura nihil patietur periculi, quando *Deus manifeste veniet:* nihil exustionis, cùm *ignis in conspectu eius exardescet:* nihil commotionis, cum *in circuitu eius tempestas valida* desæuiet. His itaque decursis quæ ex Christiana fide vestra debet fraternitas: id quod ex sacerdote debetis, sequens pagina vos docebit. Offensus primo Deus transgressione originali, frequenter offenditur actuali. Illa semel commissa deleta est semel in Christo, in cruce passo. Hæc acta, quotidie deletur Christo quotidie in altari immolato. Vt illa euacuaretur: missus est in mundum Christus, Deus & homo, hostia & sacerdos: vt euacuaretur ista: ordinatur in Ecclesia ministerium Altaris, non Deus, sed homo, non hostia, sed sacerdos. Est itaque professionis vestræ, cælestem sacrificiis placare indignationem. Vestrum spectat ministerium: per mysterium Dominici corporis, peccatores in diuinam reuocare gratiam. Non omnes tamen apud Deum impetrant, quæcunque pro aliis interpellant, neque enim omnes Deum placant, qui Deo immolant: immolat facinorosus, sed per Isaiam Dominus sic ait: *facinorosus qui mihi sacrificat, tanquam qui canem occidat.* Immolat iniquus: sed teste Sapientia, non respicit Altissimus in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum propiciabitur peccatis eorum: & Propheta, *iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet Dominus.* Credite mihi, credite, fratres: credite consacerdotes, non placatur talibus votis Deus. Eo teste loquor: Amplius aliquid loquor: exacerbatur hostiis impiorum Deus. Si mihi non creditis: maiori credite auctoritati. Gregorius enim dicit: cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, iudicis animus ad iracundiam prouocatur. Exacerbant itaque Dominum sacrificia vestra, si displicet illi vita vestra: placabitur autem ipse & aliis pro vobis. Si prius viam triom dierum feceritis, sacrificetur ei à vobis. Quam scilicet viam Moyses ad Pharaonem loquens, his ostendit verbis: *Ibimus viã trium dierum in solitudinẽ, vt sacrificemus Domino nostro.* Quænam est hæc via, charissimi fratres, quam priusquam sacrificet, iubetur fatigari populus Domini? Quæ sunt istæ tres dies, quibus peractis offertur beneplacitum Deo sacrificium. Prima sanè dieta à malo declinare est. Secunda bene agere est. Tertia ascensiones in corde disponere est. De prima Apostolus sic ait: *qui furabatur, iam nõ furetur.* De secũda idem dicit, induite vos armamenta Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Tertiam Salomon in Canticis Canticorum admirans ait: *Quæ est illa, quæ progreditur sicut aurora consurgens?* Si ergo secundum Apostolum carnis renunciatis operibus primam fecistis dietam. Si iuxta eundem nouum induitis hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, secundam fecistis dietam. Si Prophetam sequuti, ascensiones in corde vestro disposuistis, tertiam fecistis dietam. His igitur expletis placebunt Domino sacrificia vestra. In his enim fit Iudæa sanctificatio eius. In his Israël fit potestas eius. Ista triplex dieta quod prę cæteris vobis incumbit, præ cæteris exigitur à vobis. Hinc est quod sacrificantes Domino sacerdotes, huiusmodi dietarum mentionem faciunt, dicentes: Vnde & memores nos tui serui, sed & plebs tua sancta eiusdem Domini nostri Iesu Christi tam beatæ passionis: necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram & certam. Sic enim reminisci debent mortis & crucis Iesu Christi, vt eius gratia mortificent & crucifigant carnem suam cum vitijs & concupiscentiis suis. Sic recolere renouationem resurrectionis, vt eius exemplo aspirent ad animæ resurrectionem. Sic recordari gloriosæ ad cœlos ascensionis: vt illam imitantes scalam quam vidit Iacob ia scandere laborent. Hæc profectò sunt quæ respicit professio sacerdotum. Ex eo autem quod pastores estis, oues pascere debetis. Hinc est quod Ezechieli Dominus dicit: *Fili hominis propheta super Pastores Israël, nũquid nõ oues pascunt pastores?* Ecce testimonio Domini non se pascunt

pastores, sed oues. Pastoris enim est quærere non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: non commoda temporalium rerum, sed salutem animarum. De his autem qui seipsos pascunt, & oues negligunt, quid Spiritus sanctus per eundem prophetam dicat audiamus: *Lac*, inquit, *consumitis, & lanis vos tegitis, & quod infirmum est nō confortatis, quod ægrotū, non corroborastis, quod perierat, nō requisistis, quod forte fuit confregistis, & dispersa sūt oues meæ, eo quod nō sit pastor.* Arguuntur his verbis pastores qui se pascunt & non oues. Qui sunt qui seipsos pascunt? De quibus ait Apostolus: *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Qui sunt, qui sua quærunt? qui lac ouium comedunt; qui lanis se induunt. Qui sunt isti qui non quærunt ea quæ sunt Iesu Christi? qui quod infirmum est, non confortant; quod ægrotum est, non corroborant; quod perit, non quærunt, quod B forte est & pingue confringunt. Lac omnium ouium est, quicquid ad sustentandam temporalem necessitatem prælatis exhibent subiecti. Exhibent decimas & primitias; decimæ & primitiæ sunt lac ouium. Exhibent oblationes altarium, & eleemosynas defunctorum: oblationes & eleemosynæ lac ouium sunt. Et quum diximus quid sit lac ouium, dicemus & quid sit lana. Qui lac præbet; potum præbet; qui lanam præbet honorem præbet. Lana enim honori est corpori. Tegitur inde nuditas eius; tegitur infirmitas & confusio eius. Est itaque lana quicquid honoris à subiectis prælatis impenditur; cum ergo exhibentur primi recubitus in cœnis; cum primæ cathedræ in synagogis, lana præbetur. Cum salutantur in foro, & eis dicitur, aue Rabbi, lana præbetur. Hæc sunt quæ pastores quærunt, qui seipsos pascunt, & oues negligunt. Commodum C scilicet supplendæ necessitatis, & aura fauoris & laudis. Sed fortassis ad hæc dicitis; nunquid de altario viuunt, qui altario deseruiunt? *Quis plantauit vineam, & de fructu eius non comedit? quis alligauit os bovi trituranti? Ita, inquit, dignus est operarius mercede sua.* Licet vobis ouium lacte vesci, licet lacte potari; licet & indui lana; cum lanam quærere, nec liceat nec expediat. Cæterum his tantum licet, qui cum lacte & lana temporalem sustentent necessitatem, ouium non negligunt infirmitatem. Si enim non confortatis ouem infirmam, si non roboratis ægrotam, si non requiritis erroneam, periculosè lac consumitis ouium, quia vos ipsos pascitis, & oues contemnitis. Quæ autem sunt oues, quæ ægrotæ, quæ erroneæ; quæ infirmæ? si nescitis, discite. Si scitis, scire vos D operibus ostendite. Oues sunt, sed infirmæ, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: oues sunt, sed infirmæ, qui cum intelligant super egenum & pauperem, cum bonas faciant vias suas & studia sua: cedunt tamen imminentibus aduersis, cedunt amissione sobolis, cedunt damno rei temporalis. Petrus ouis infirma fuit, cum in Caiphæ atrio ad vocem ostiariæ Christum negauit: ouis infirma fuit Marcellinus Papa, qui tempore persecutionis thus idolis adoleuit. Cum igitur ouem pastor senserit infirmam, cum flagella timentem, debitum confortationis adhibens solatium dicat; Fili præpara animam tuam ad tentationes. Cum temporalis tribulatio aderit profertat; *diligit pater filium quē corrigit.* Habet & hoc quod subiūgat: *Oportet vos per multas tribulationes intrare in regnū Dei.* Et illud; *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*: sed faciet cū E tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Sed hæc & his similia infirmæ oui dicere, ouem confortare est infirmam. Adsit igitur infirmis ouibus præscriptum confortationis auxilium. Adsit & corroborium ægrotis. Oues ægrotæ sunt, *viri sanguinum & dolosi, quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorū dextra est iniquitatis.* Oues ægrotæ sunt filij tenebrarum implicitī carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Denique miserabili ægritudine laborāt, de quibus Apostolus ait: *Nolite errare; Deus nō irridetur; neque adulteri, neq; fornicatores, neque masculorū cōcubitores, neq; auari, neq; rapaces*

A *regnum Dei possidebunt.* Omnes huiusmodi velut ægroti iacent, velut quadam paralysi torpentes languent. Vnde & animas has paralysi resolutas, ille paralyticus figurasse legitur, qui delatus ad Christum per apertum tectum demissus est ante Christum. Anima siquidem quæ vniuersis aggrauata vitiis enitendi ad meliora vires amisit, quid aliud est, quam male torpens paralyticus, & omnino viribus corporis destitutus? Porro vestrum est huiusmodi paralyticum quasi quibusdam scapulis deferre; tectum ei domus aperire, medico eum præsentare. Animæ enim huiusmodi ægritudine decumbenti, compassionis humerum supponere vos conuenit; ea infirmante infirmari, ea scandalizante vri; vt cum Apostolo dicatis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Sed fortassis tantus desperat ægrotus, fortassis B suum nescit medicum; nescit quo manum dante surgat: nescit quo curante conualescat. Necesse est ei tectum domus aperiri: nisi aperiatur tectum, non demittetur paralyticus ante Christum. Tectum domus scripturarum est intellectus. Latet ibi gratia medici, latet benignitas, latet potestas. Cum igitur ęgrota ouis desperat, aperite Prophetam sic dicentem, *spera in Domino, & fac bonum, & inhabitabis terram, & pasceris in diuitiis eius.* Cum de medici benignitate diffidit; discat quid medicus dicat, *nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Cum medici potestatem ignorat, à pastore audiat; *omnia quæcūque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Hæc & alia huiusmodi dicere, tectū est aperire. Tecti autem apertione dimittetur paralyticus ante medicum peccatorum, ante Christum. Si hanc curam omnibus ęgrotis impenditis, oues ægro- C tas roboratis. Incumbit & vobis oues requirere pereuntes. Ouis errat & periit quę peruersitatibus hæreticorum fallitur, quę ab vnitate Ecclesiæ separatur. In his ab errore reuocandis, estote vos pastores solliciti, estote importuni; audite Apostolum dicentem; *Prædica verbum, insta opportunè & importunè.* Quibus opportunè, & quibus importunè? Opportunè quidem volentibus: importunè autem nolentibus. Sunt enim oues quæ reuocatæ redeunt: sunt & quæ redire nolunt, quæ perire diligunt: has præcipuè pastor bonus requirit: bonus pastor pro his animam ponit. Cum inquirentem vepres damnorum pungant, cum spinæ persecutionum fatigent, cum terreat insania Principum, cum laniet varietas tormentorum: pastor D tum bonus reuocat errantem, requirit pereuntem. Sic reuocat errantem, sic requirit pereuntem, si post Arrium ouis aberrat, si cum Arrio à Patre Filium separat, ouis à pastore audit illud filij: *Ego & pater vnum sumus.* Si decepta ouis fabulatur cum Eutyche duas in Christo personas, reprimitur Athanasij auctoritate sic de Christo dicentis: *licet Deus sit & homo, non tamen duo, sed vnus est Christus.* Item: *vnus omnino, vnus non cōfusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Si gestat ouis notam Sabellij, si caracterem Donati, si cæterorum cauterium hęreticorum: affert pastor Prophetas, innititur Euangelio, pungit Apostolo. His atque aliis authenticis paginis reuocat errantem, requirit pereuntem. Cui & hęc ratio est, qua reuocet errantem, qua requirat pereuntem: quod qui timet & negligit re- E uocare errantem, & requirere pereuntem. Hoc quod forte est confringat, quod crassum est occidet. Hoc enim quod sequitur, & quod forte fuit confregistis. Ouis ea fortis est, quę in Catholica fide permanet, quę ab vnitate fidei non recedit: quę Petri retia non rumpit. Hanc tamen pastor confringit, hanc occidit: si non reuocat errantem: si non requirit pereuntem. Quæ enim fortis est, nullum credit periculum in errando, nullum in pereundo, cum videt pastorem silentem, cum videt negligentem, cum remissum circa errantes, circa pereuntes. Vnde fit vt & ipsa non vereatur errare, non vereatur perire. Dicit enim apud se, si malum esset in hęresim labi: si sequi Arrium, si imitari Donatum: pastores contra

tra loquerentur, reuocarent errantes, requirerent pereuntes. Quia itaque silent, post illos ire, cum illis credere; suo me docent silentio. Cum igitur pastor silet non reuocans errantem, non requirens pereuntem, pastoris negligentia ouis quæ est fortis confringitur: quia qui catholicus est, hæreticorum perfidiæ sociatur. Ecce patet, charissimi fratres, solius silentij culpam esse non exempli, quod non confortatur ouis infirma, quod non roboratur ægrota, quod aberrans non reuocatur, quod fortis confringitur. Sed fortassis pastor nitetur tam noxium purgare silentium; fortassis deferet ad dominum pellem ouis, mortuæ ouis? Increpatus enim, quia ad ouem errantem siluerit, quod sileqs confregerit, fortem & occidit, excusationem de morte ouis quasi quandam pellem patrifamilias sic assignabit. Monui ne aberraret, & non audiuit vocem meam: docui vt non fornicaretur, abstetit & contempsit doctrinam meam, vrebar gelu & æstu, nec somnum capiebant oculi mei. Si res ita se habet de mortua oue pastor bonam reddidisti rationem. Si arguisti, si increpasti, animam tuam liberasti. Si autem mentiris, scrutator cordium falli non potest: pellis excusationis liberare te non potest. Si, inquam, mentiris: væ tibi qui siluisti, qui quod errauerat non reuocasti, quod perierat, non requisisti. Audi quid spiritus

A per Ezechielem loquitur: *Si me dicentem ad impium, impie morte morieris: si non fueris loquutus vt se custodiat impius à via sua: ipse impius in impietate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Silentium si ergo tam grauem damnationem meretur, quid mereatur exemplum? Si sic punitur taciturnitas vestra; qua indignatione punienda est publica iniquitas vestra? Hanc fratres indignationem in confessione & pœnitentia præuenire. Versetur vestris in cordibus futuri forma iudicij. Hæreat ibi tremendi tempestas & terror diei. Venturus est paterfamilias, vt oues ab hœdis separet, vt ad littus trahat sagenam suam, vt emundet à paleis aream suam. Væ pastoribus ouium tunc inter hœdos numerandis. Væ piscatoribus animarum tunc inter malos pisces foras proiiciendis. Væ operariis dominicæ

B messis tunc igne perpetuo cum palea sine consumptione consumendis. Rogate fratres, rogate Dominum messis, vt in die ventilationis ex misericordia recondat vos in horreo suo. Quod neminem credimus assequi ex merito suo. Dominus dignetur noster Iesus Christus hanc vobiscum facere misericordiam. Dignetur vos agnoscere & amplecti familiam suam, cum venerit iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem.

# DOMINI ALEXII COMNENI, GRAECORVM IMPERATORIS, DE DONARIIS ET REBVS SACRIS; RESCRIPTVM, SIVE ORATIO, QVAM AVREAM BVLLAM INSCRIPSIT.

*Vixit annis 70. regnauit autem 17. mensibus, 4. & aliquot diebus; ac postremo obiit anno mundi, 4626. vt scribit Zonaras, Annalium Tom. 3. proinde apparet ab illo editum hoc Rescriptum, eius Imperij anno 2.*

QVI corpore male affecti sunt, medicaque curatione egent; si modo se morbo laborare senserint, multo facilius à medicis curantur. Qui vero morbi quo laborant, grauitatem minimè persentiscunt, imo nec se ægrotare sciunt; ij proculdubio non parum negotij & sibi & medicis facescere solent. Hoc ipsum quidem certe in animi quoque morbis perspicuum est. Atque ex nobis cum peccant alij quamlibet in profundum malorum gurgitem prolapsi, in vtramuis securi dormimus autem; scelerumque grauitati succumbentes, vix ac ne vix quidem nos peccare sentimus, quia nimirum malus ille habitus iam in naturam transiit. Quibus autem salutiferi sui luminis scintillam aliquam Deus indidit, quorumque intellectus non omnino mundi huius sublunaris cœno obsorduit, nec terrestrio operi mens prorsus inseruire cogitur; ij demum à lapsu resurgere, Deique consortio (præter animi sententiam, exciderant sæpius) ad eundem, non sine sedula spontaneaque rerum meliorum disquisitione recurrere possunt.

*Morbus (si non cruciat) difficilius curatur.*

Quæ res haud dubiè nobis imperantibus vsu venit. Variæ enim multiplicesque negotiorum circunstantiæ, dū vbique publica exhauriuntur æraria, passimque hostium incursionibus patet aditus; tranquillum imperij nostri statum represserunt: cùm primumque adeo Imperatoriæ maiestatis fastigium conscendimus; nos à tergo illa malorū myrmecia insecuta est. Ex quo euenit, vt in summam rerum angustiā adducti, iisque omnibus exuti quæ lapsis alioqui adiumentum aliquod adferre poterant; tandem vel sacra diuinaque † Dinodia contingere, iisque nostram solari inopiam statuerimus. Quod certè facinus in plerisque sacris diuinisque Ecclesiis admissum est: nec sacrorum Donariorum pauca, in publi-

*† Climacte*

C cos tesserunt vsus. Neque eo quidem adacti sumus vt quicquam moliremur vel in Dei contumeliam & contemptum, vel in eorum despectum, quæ illi pia consecrauit antiquitas (quod omen Deus ab omni animo Christiani nominis amantissimo auertat) sed vrgente temporum necessitate, atque etiam cōsilio nostro quod medio se operi immiscuit. Imperatoriæ enim maiestatis nostræ animo visum est, nulla Deum ira inde percitum iri, vbi mens malè conscia nullius criminis agentem reum coargueret. Cum autem quicquid in Imperatoriis ærariis supererat, exhaustum & insumptum esset, nec in vllos vsus necessarios ea cessissent quæ à sanctis extorseramus Ecclesiis: tum vero consilium omne nostrum tot vndique periculis Romam circumuallantibus, inuersum & labefactarum est. Quocirca plerisque in locis hostium nostrorum cornu exaltatum est; nostrique adeo Imperij nauiculæ naufragium imminet; nisi præpotens Dei virtus iis, quibus assolet iudiciis, illam vindicet, procellamque ipsam in auram conuertat. Itaque Imperatoriæ maiestati nostræ maiore cura disquirendum & inuestigandum esse visum est, quid tandem

*Ecclesiarum donaria non saltem & sine vllo fructu cessere in vsus publicos.*

D sit illud quod tantam Dei iram concitauit, violentumque eius furorem in nos exacuit. Præterea cum viris diuino maximè spiritu afflans de re ipsa consilium iniit: & posteaquam certior ab illis facta est, satis esse causæ manibus eur in nos ita diuina excanduisset, quod profanis manibus sacra venerandaque sanctarum Ecclesiarum vasa contrectassemus (etiam si nulla nos improbitas, maleve conscia mens eò permouisset) quia nimirū neque res diuinæ profanandæ sint, nec à Dei manibus repetenda, in aliosve vsus conuertenda ea quæ semel illi consecrata fuerint: operæ pretium illi fore visum est, & futurum mali impetum reprimere, ne vllo in posterum tempore inter Christiani nominis principes irrepat: & præteritis, quoad eius fieri posset, præsens adferre remedium. Quamobrem vt sit erranti medicina confessio;

coram Deo & hominibus Imperatoriasẽ maiestas prolapsam fatetur: veniamque delictis quæ temere admisit, ex intimis animi adytis postulat: seque omnia quæ fuisunt Imperij, diuino numini mancipaturũ, eaque virtibus Imperatoris denuo restituturum pollicetur, quæ in hodiernum vsque diem ab Ecclesijs Deo sacris ablata, in publicosque vsus male versa sunt: si modo, quæ orbem vniuersum exagitat, procella desæuierit, Imperioque status melior restitutus fuerit. Hæc enim persoluenda nihilo secius quàm priuatum aliquod debitum in se recipit: nec se sanctis obæratum Ecclesijs infitiatur. Quase in posterum tum sibi, tum post se futuris Christiani dogmatis Principibus, AVREA hac BVLLA legem non minus obseruandã imponit, quàm si à Deo ipso dictaretur: NE QVIS POSTHAC SACRATEMERA CONTRECTET: etiam si vel Cadmea necessitas vrgeat, ne manus impuras sacris rebus iniiciat, ne profana ex diuinis Dinodia fiant, dum in publicos vsus circumferuntur. Cumque inter Deum & homines sit interstitij loco positum, quod nullus (si modo pius fuerit) transgredietur; Homines quidem rebus nostris vtemur & fruemur; Deo autem sacratecta manebunt quæcunque illi consecrata fuerint, nec illa manibus vel audacissimis contingent. Quod si quis (Domine Deus) in posterum manus sacris & diuinis Dinodiis, vtensilibus, & vasis, quæ sacris olim & venerandis Ecclesijs tuis dicata vel in posterum dicanda fuerint, inijcere audeat is, ne A lumine in die visitationis tuæ fruatur, ne sol illi matutinus illucescat, nec tuo hic auxilio, nec tua isthic diuina protectione gaudeat; sed vbique despectus à te, desertusque iaceat. TANTVM propitius esto nunc (ô Rex) hæreditati tuę, siste iustam illam iram qua in nos exarsisti, quin parce nobis, qui cum peccauerimus antea, nũc tandem ad te cõuertimur, quoniam omnia peccata nostra cũ misericordiæ tuæ abysso collata & velut ad perpendiculũ examinata, sic se habent tanquam aquæ hemina, si cum toto mari conferatur. VT ERGO coram te, Domine, multitudinem peccatorum meorum confiteor; ita tuum quoque maximè salutiferum auxiliũ imploro, ex intimisque animi penetralibus à Sacris in posterum pertractandis desistens (etiam si extrema me necessitas eo impellat) & debitorem eorum, quæ antea inde ablata fuerunt, me ingenuè profiteor. IN HVIVS B enim rei confirmationem, vniuersis Ecclesijs tuis sanctis hanc aurea Bulla obsignatam Orationem, tanquam tutum aliquod antidorum appendi: vt quicunque posthac sacrorum Dinodiorum quodpiam contrectare ausus fuerit, impij sacrilegij nomine, apud te & pios quosque homines censeatur.

*Datum mense Augustino quinta Indictionis, anno quater millesimo quingentesimo nonagesimo, quo quidem tempore pium quoque hoc & Deo subditum Imperium nobis designatum est.*

## D. ALDHELMI OCCIDENTALIVM SAXONVM EPISCOPI; DE LAVDIBVS VIRGINITATIS; LIBER.

*Fuit S. Aldhelmus Schiriburgensis in Anglia Episcopus, doctrina & sanctitate illustris, cuius natalis dies inter sacros consignatus habetur in Romano martyrologio 25. May, de quo plura tibi indicabunt notæ Barony cap. 7. huius libri, ait se fidei rudimenta baptismi sacramentum à S. Gregorio magno Romano Pontifice suscepisse.* *Addita sunt correctione Io. Meursij hoc anno 1608. quæ indicantur in margine acute M.*

*REuerendissimis Christi Virginibus, omnique deuota germanitatis affectu venerandis, & non solum corporalis pudicitiæ præconio celebrandis, quod plurimorum est, verum etiam spiritualis castimonia gratia glorificandis, quod paucorum est: Hyldilitha, regularis disciplina, & Monastica conuersationis magistra; simulque Iustina ac Cutburga, nec non Osburgi, mihi Contribulibus necessitudinum nexibus conglutinata Altgida, ac scholastica Hildburga, & Berngida, Eulaliæ, ac Teclæ, rumore sanctificatis concorditer Ecclesiam ornantibus; Aldhelmus segnis Christicola crucis, & supplex Ecclesiæ vernaculus, optabilem perpetua prosperitatis salutem.*

CAP. I

TAMOVDVM ad Pontificale proficiscens conciliabulum, fraternis sodalium cateruis comitatus, Almitatis vestræ scripta meæ mediocritati allata satis libenter suscipiens, erectis ad æthera palmis, immensas Christo pro sospitate vestra gratulabundus impendere grates curaui, quo stilo non solum Ecclesiastica promissorum votorum fœdera, quæ fida pollicitatione spopondistis, vbertim claruerunt; verum etiam melliflua diuinarum studia Scripturarum sagacissima sermonum serie patuerunt. Cumque singulos Epistolarum textus scitans pernicibus pupillarum obtutibus specularer, atque naturali quadam (vt mihi insitum fertur) latentiũ rerum curiositate contemplarer, vbertimamque verborum facundiam ac virginalem vrbanitatis desertitudinem magnopere admirarer: En (inquam) ineffabili gratulatur tripudio ille superi regnator Olympi & rector cœli, cum taliter catholicas Christi vernaculas (immo adoptiuas regenerantis gratiæ filias) ex fœcundo Ecclesiasticæ cõceptionis vtero, spiritualis verbi semine progenitas, per maternam viderit sollicitudinem, diuinis dogmatibus eruditi, ac velut sagaces Gymnosophistas sub peritissimo quodam Agonotheta palæstricis disciplinis & gymnicis artibus in gymnasio exerceri. Qui laboriosi certaminis coronam & olympiaci agonis triumphum difficillimis propriæ exercitationis viribus nauiter nanciscuntur. Ita duntaxat, vt alius strenua athletarum luctamina cum æmulo sinuosis laterum flexibus desudans; in meditullio scommatis flagrante delibutus C lubrici liquoris nardo, solerter exercere studeat. Alius iaculorum catapultas, & sagittarum spicula de abstrusis pharetræ latibulis depromens, non vt passiuus lasciuus oculorum obtutus liberè per æthera relaxat; sed vt certus pupillarum conspectus demonstrat pando strepente arcu, & neruo stridente ad destinatum indeclinabiliter dirigit locum. Alius anhelantium in stadio cursorum plantis fidens pernicibus. De quibus egregius agonista, & diuini sermonis dogmatista; *omnes* (inquit) *currunt, vnus tamen accipit brauium*, tutrinas ludi participes & laboris consortes superans victoriæ palma fortunatus fœliciter perfruitur. 1. Cor. 9. 24. Alius cum caterua contribulium phalerato vectus cornipede, quem calcaribus cruentatum, & flagris cæsum, aureis comant ornamenta lupatis De quo facetus poëta; *Quadrupedãte putrem cursu quatit vngula campum.* Pernicitet implicans orbes orbibus, spacia terrarum metitur. Alius classicis nautarum cohortibus stipatus, & densis nauigantiũ agminibus circũseptus per vitreos Oceani gurgites agens D Liburnicam aut lintrem instanter hortante proreta, & crepitante nauclero porticulo spumosis algosisque temorum tractibus trudit. M. Tortusculo. Et quidem vniuersa hæc quæ per gymnosophistas exerceri deprompsimus, inter scholares secularium disciplinas apud vestri discipulatus industriam, non exterioris hominis motibus aguntur, sed interioris hominis geruntur gestibus. Siquidem microcosmum; id est minorem mundum; ex duplici & genuina materiæ substantia constare, vestræ sagacitatis solertiam non arbitror latere: quin potius sicut exterioria hominis natura, qui in propatulo formatus visibiliter cõspicitur, haud difficillimè deprehẽdi potest: Ita interioris

tarioris qualitatem, qui cœlesti afflatus spiraculo (iuxta a. capitis Geneseos relatum) creditur, & à vestra prudentia membratim & particulatim subtiliter inuestigatam reor. Et enim celeberrimus ille Christi nominis garulus, ad exemplum militiæ Christianorum, agonem protulit gymnicorum dicés: *& illi quidem vt corruptibilem coronam, vos autem incorruptam*; & alibi: *nō quasi aerē verberans*, & quamuis gymnicorum exépla, qui agilitate corporis theatrales populi pompas, & præconia circensium adipiscuntur, ritè congruant ad comparationem eorum qui per ampla Scripturarum studia decurrentes sagacissimam animorum industriam & viuacis ingenij qualitatem assidua lectionis instantia exercere noscuntur: attamé solertissimæ apis industriam prædictis exemplorum formulis coaptari posse, vberrima rerum experimenta liquido declarant, quę roscido facessente crepusculo, exorto limpidissimi solis iubare, deosos ex templo tripudiantium turmarum exercitus per patentes campos gregatim diffundit.

a Cor. 9.

CAP. II.

MOdo melligeris caltarum frōdibus seu purpureis maluarū floribus incubantes multa nectaris stillicidia guttatim rostro decerpunt, & velut lentu carinæ defruto, quod regalibus ferculis cōficitur, auida viscerū receptacula certatim implere cōtendūt, modò flauescētes saliculas & croceata genistarū cacumina circumuolātes fertilem prædā numerosis cruribus & coxarū oneribus aduehunt, quibus cerea castra cōficiunt: Modo teretes hederarum corymbos, & leuissimos floreolis tiliæ surculos constipantes multiformem fauorum machinam angulosis & opertis cellulis construunt. Cuius artis molimen egregius poëta Metrica facundia fretus catalectico versu creditur cecinisse; cum diceret: *Cerea gemmatis flauescunt mella cunistris*. Et infra brachycatalecto siue colopho: *Collucentque suis aurea vasa fauis*. Nam quemadmodum examina fenestrarum foramina & angusta alueari vestibula cateruatim per turmas egressæ ambæ arborum prata populantur: eodé modo vestrum, ni fallor, memoriale mentis ingenium per florulenta scripturarū arua latè vagans, bibula curiositate decurrit. Nunc diuina priscorum Prophetarum oracula certis astipulationibus iamdudum Saluatoris aduentū vaticinantia enixius inuestigādo; nunc antiquarum arcana legum ab illo mirabiliter digesta, quæ bis quinis Memphitina regna sæuissimis plagarū afflictionibus crudeliter percussisse & rubicundi tumétes Oceani gurgites ac reciproca spumantibus pelagi lustra, Sacro sancti tractu viminis ex colubro nuper transfigurati in simulachro maceriæ altrinsecus sequestrasse, & post cœleste colloquium cornutis vultibus incredulum fugasse vulgus describunt, sollicita intentione scrutando; nunc quadrifariam Euāgelicæ relationis dicta mysticia catholicorum patrum commentariis exposita, & ad medullam vsque spiritualiter enucleata, & quadriformis Ecclesiasticę traditionis normulis secundum historiam, allegoriam, tropologiam, anagogen digesta solerter indagando; nunc priscas historiographorum fabulas & chronographorum seriem, qui fortuitas præteritorum permutationes temporum tenaci memoriæ textu tradiderunt mētè rimando; nunc grammaticorum regulas & orthographorum disciplinas tonis & temporibus trutinatas pedibus poëticis compactas per cola & cōmata, hoc est, per pēthemimerin, & heptemimerin diremptas; imo centenis mètrorum generibus sequestratim discretas sagaciter inquirendo. Apis, inquam, propter peculiaris castimoniæ priuilegium, pudicissimæ virginitatis typum & Ecclesiæ portendere speciem indubitata scripturarum authoritate adstipulatur. Quæ florentes saltuū cespites ineffabili præda depopulans, dulcia natorum pignora, nesciens coniugij illecebrosa consortia fœtosa quadam suauissimi succi, de balsamo concretione producit. Ecclesia verò bis acuto Testamentorum mucrone hominum vitaliter corda transuerberans, hæ-

4. Scripturæ sensus.

Apis est typus Ecclesiæ virginum.



A reditariā legitimæ æternitatis sobolem casto verbi fœcundat semine. Illud etiam commemorādum de apum cōcordi sodalitate, & theatrali quodam spectaculo stupendum autumo, Vltroneum videlicet volūtariæ seruitutis affectum, quem erga suorum obsequia principum exercere noscuntur. Nonne sub huiuscemodi contemplationis intuitu omnis monasticæ conuersationis disciplina & regularia cœnobiorum instituta, simillima collatione declarantur? Quamdiu enim antiquas inhabitare sedes, & exigua fouere tuguria gracillimis cōtexta viminibus seu cauatis consuta codicibus ille, qui inter cæteros magistratus officio fungitur decreuerit, nulla ex immensa multitudine, fugitiuis discursibus & lasciuis volatibus per æthera vagatur. Ast si certis existentibus causis & cogente peregrinandi necessitate illa, cui con-

B sulatus vice regimen cæterarum cōmissum est, externa quærere regna maluerit. Nusquā apud mortales videas extorrem propria pulsum patria, tam densis exercituum agminibus, tamque spissis legionum cohortibus constipari; ita prorsus vt multo libentius ob reuerentiā principis ad incolatum peregrè proficiscatur, quàm domesticis assuetum deliciis, & vernacula contentum quieto in cellulis commoretur. Quid enim in rerum visibilium videri valet natura, quod tam ingenti studio actoris sui præcepto pareat, & regis imperium implere contendat? vt merito propter intactæ virginitatis typum, & spontaneum deuotæ subiectionis famulatū, quo exemplum obedientiæ mortalibus in valle lachrymarum degentibus præbet, præ cæteris creaturis nectareum conficiat edulium & mulsæ dulcedinis alimoniam flauescenti cæ-

C terarum gurgustio recondat, quæ non modo cūcta deliciarum fercula, & piperatas pulmentorum saginas pręcellat, omneque flagrātis ambrosiæ thymiama, ac nardi spirantis olfactum vincat: verum etiā, vt omissa specialitate ad generalitatè sermonis oratio decurrat, vniuersam mundanæ suauitatis dulcedinem, opulentique luxus exquisita superet oblectamenta & virgulti haustū defruti despiciat.

CAP. III.

IGitur si sāctæ virginitatis gloria, Angelicæ beatitudinis germana creditur, & pulchra supernorum ciuium sodalitas merito pudicitiæ prædicatur; debitis attollenda est præconiis. Quæ inter cæteras virtutum infulas summi principatus sceptra & regnādi monarchiā gubernare dinoscitur, siquidem & humanis faucibus &

D mortalium palato omne quicquid iucundū ac delectabile illatum sentitur, mellitæ dulcedinis gustum admodum incomparabiliter præcellit. Ita diuina maiestas (quod tamen cum pace, & reuerentia Sanctorū loquar quondam iugalitatis nexibus fœderatorum) omnibus generalium virtutum gradibus, quæ in catalogo charismatum enumerantur, speciale virginitatis priuilegium præposuit. Cuius rei satis euidens iudicium constat, dū à summo cœlorum fastigio veneranda Dei proles descendens, ouem erroneam redemptura, & drachmam perditam quæsituta, aluum incontaminatæ puerperæ virginali puerperio præditæ, sine periculo perpetuæ puritatis & dispendio castitatis intraret. Ob hoc etiam reor, quod sacer Dominici pectoris accubitor, & quar-

E tus paradisi gurges, qui potissimum septenas Ecclesias Asiæ inexhaustis dogmatum imbribus irrigauit, spectalem Diuinæ dilectionis prærogatiuam ac priuatā amoris munificentiam ante cæteros Apostolos Christi præconio promeruerit. Quia Christo, qui est cupidus castitatis amator & zelotypus sanctimoniæ informator, grata virginitatis libamina, oblationis spontanea deuotione litarat. Quamobrem verax medicus dum vulnera facinorum & cicatrices criminum considerans, quibus animæ ægrotorum crudeli strage sternebantur, saluberrimum componeret malagma, fibrisque virulento spiritalis nequitiæ poculo lethaliter infectis, cœlestis medicinæ antidotū vitaliter propinaret, ac verticem gabali scandens sexta sabbati, hoc est parasceue, pateretur, ma-

Virginitatis priuilegium.

Dictus Ioannes cur dilectus a Christo.

ternæ memor venerantiæ discipulo inter discrimina perfidorum militum euentus rerum præstolanti genitricem piè præcipit tuendam, vt non inconuenienter carmine rythmico dici queat: Christus passus patibula; atque lethi latibula, virginem virgo virgini commendabat tutamini. Is postmodum labentibus temporum lustris à Domitiano, qui per idem tempus sceptris imperialibus fretus, sæua tormentorum supplicia orthodoxæ fidei cultoribus irrogabat, exorris in Pathmo relegatus sexies vicena & quaterna virginum dulcisonis melodiæ concentibus canticum rude canentia, raptus in extasi eos auscultare & castis obtutibus contemplari meruit, de quibus dictum est: Virgines enim sunt & sequuntur agnum quocunque ierit. Cæteri fideles auditurì: Isti sancta modulaturi sunt carmina, & cum agno pariter per angustam æthralis regni gloriam gradituri.

*Cantici quadragena & quaterna virginu m. vide Apocalyps. 14.*

B Nec tantum virginalem pudicitiæ gloriam immensis laudibus accumulantes, & ad exemplum rigidæ conuersationis & ardui formam propositi animos militantium Christo instigantes immaculata matrimonij contubernia, & legitimum legalis thori connubium, (sicut schismaticorum deliramenta garriunt) spernendum ducimus. Quod absit à catholica Ecclesiarum fide, præsertim cum pro certo nouerimus priscis temporibus patriarchas diuinæ sanctionis præcepta coniugij fœdera seruantes supernæ gratos maiestati extitisse, & sacrosancti Spiritus charismate refertos futuræ incarnationis cunabula Prophetis præsagiorum vocibus vaticinasse, vt est illud: Nō auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gētium; & reliqua, quod millena testimoniorū congerie liquido probari & experiri potest. Sed etiam furuo facessente veteris instrumenti vmbraculo, & clare coruscante Euangelij gratia tantum inter virginitatis flores & iugalitatis mores distare dicimus, quātum distat oriens ab occasu: vnde quidam catholicorum floridam virginitatis gloriam explanans de iugalitatis stirpibus oriundam sub figura tropi: ita eleganter exorsus, lego (inquit) de terra aurum, de spina rosam, de concha margaritam.

CAP. IV.

*Virginitatis laudibus non vituperant Matrimonium Catholici.*

Non enim splendida meri argenti species turpiter deformatur, quamuis obrizum rutilantis auri metallum præferatur. Neque marmoris candidi venustas detrimentum decoris patitur, cum formosior rubentis gemmæ pulchritudo prædicetur, aut lanea filorum stamina ex glomere & panniculis reuoluta negligenter vilescunt, etiam si bombycinum, purpuræ peplum & serica imperatorum trabea potius fulgescat. Nunquid mala punica citri granis, quæ rubentibus referta & amplo librorum regmine correcta contemptibilem naturæ calumniam perpeti putantur, licet mellifluos palmæ dactilos & mulsum Nectaris Nicolaum longè incomparabiliter prestare credamus, nequaquam scabræ incudis incommoditas, seu rigida rundentis mallei durities, vel rubiginosæ forcipis ac forficis tenacitas spreta despicitur. Quanquam baltheus bullifer & diadema regni ac diuersa ornamentorum gloria, ea iisdem præfatis ferri instrumentis confecta & fabricata præferatur. Neque teres lunaris globi circulus iacturā propriæ pulchritudinis patitur, licet luculentus limpidissimi solis splendor triquadram mūdi rotam clarius illustrare credatur. Nūquid profundus putei latex, aut gelida cisternæ lympha, quam anthlia (hoc est, rota hauritoria) exanthlamus patui pendēda putamus: quamuis reciproca purissimi fontis redundātia præcellere, & perpetuos ductuum decursus crebris ac celsis arcuum fornicibus in edito sublimatus tubo cataractisque vorantibus præstare videantur, non enim furua voracis mergulæ factura cōfunditur, & atra corporis creatura contemnitur, licet versicolor pauonis gloria teretī circulorum rotūditate præcellat, cuius pennæ pulchritudo nunc crocea qualitate flauescit, aut purpurea venustate rubescit, nūc glauco coloris virore fulgescit, aut flaua auri specie splēdescit.

A Huius decoris dignitas aut frustra virginali formulæ comparata reliqua mundi crepundia contemnit, & phalerata sæculi ornamenta paruipendit. Siquidem beat. Augustinus in libro ciuitatis Dei, quod pulpa pauonis imputribilis naturæ sit, experimentis se comprobasse testatur. Nam arborum siluestrium natura, foliorumque infœcunda viriditas, aut succulentis herbarum terrestrium cauliculis contemnitur, cum purpurei & rubicundi flores ex ipsis lignorum ramusculis exorti, seu vernantis prati olusculis progeniti pulchrius rubescant & suaui odoris fragrantia dulcius redoleant, cū constat ex floribus secutura fructuum emolumenta exuberante reditu & multiplici quæstu mirabiliter maturescere. Frondentia vero surculorum folia & spissos palmitum

B pampinos cessante librorum succo mirabiliter marcescere, & torrido aduentante autumni feruore in modum densissimæ stragis cateruatim cadere. Non inquam, laudandæ virginitatis sublimitas quasi præcelsa variis in edito rupis promontorio posita splendescit, vt arcta coniugij continentia, qui secundus est gradus, omnino inferius spreta vilescat seu legitimæ iugalitatis fœcūditas ob liberorum posteritatem sumpta nobiliter squallescat, nec in comparatione huiuscemodi bonum honestari video, sed quod melius est propensius laudari censeo. Et tamen plerunque (proh dolor) immutatis ordinibus versa vice contingere solet, vt inferioris vitæ gradus vsquequaque paulatim proficiens, superiorem tepidè torpentē præoccupet, & acerrimæ stimulo compunctionis instigatus, dudum superiorem voti compos

*al. plā. sue.*

C victorem anticipet, & qui existimabatur præteritæ conuersationis negligētia posterior, deinceps Diuinæ charitatis flamma succensus extitat anterior, Euāgelicæ reminiscens sententiæ: Cui multum dimittitur, multum diligit, & qui contempta mundi blādimenta velut quisquiliarum peripsemata spuēs à carnalibus luxus lenocinia refutās in sancto proposito successor extiterat sumpto viriliter castæ conuersationis tyrocinio initium militiæ horrendum gehennæ tartarum contremiscens, & æternæ vitæ desiderio flagrans gratuita Christi gratia fretus cum sudoris industria efficiatur antecessor, quod illis duntaxat in vtroque sexu lachrymosis luctuum singultibus lugubriter lamentandum, & cum profundo præcordiorum suspirio querelosis questibus flebiliter ingemiscendum autumo. Qui tumido elationis super-

D cilio inflati desolationis carnis integritate gloriantur, dum illi periculoso sæculi naufragio & grassante diræ tempestatis turbine, velut inter Scyllam Siciliæ & baratrum voraginis nauigantes ad portum cœnobialis vitæ festinantes, licet aliquantulum quassatis cymbæ cōpagibus Christo gubernante fœliciter peruenerunt. Isti vero cum integris animæ ratibus & saluo incontaminati corporis lintre sine discrimine scopulorum sanctæ conuersationis habitum petentes, tanto minus lamentorum fletibus incumbere gestiunt & lachrymarum imbribus vultum rigare contendunt, quanto se nullis næuorū maculis deformatos, nullæ sæcularis scoriæ atramento fœdatos fuisse confidunt. Illi eo magis roscidis oculorum fontibus & palpebris stillantibus mœstam faciem humectare rigiter non desinūt, quo se quædam

*Anima el. integritate superiori sæpe per. dit virginem.*

E vetita & legis austeritate interdicta, ex mundi consortio illicitè perpetrasse meminerūt, isti vero quia se cœlibes, castos, & ab omni spurcitiæ sentina funditus immunes arbitrentur, fiducia virginitatis inflati arroganter intumescunt, & nequaquam crudelissimam superbiæ balenā cæterarum virtutum deuoratricem humilitatis cercilio declinant.

CAP. V.

Nam in conflictu octo principalium vitiorum, licet vltima ponatur; tamen quasi atrox regina tyrānicæ potestatis imperium, & dominandi monarchiā præcæteris sibi vsurpare dinoscitur, quia sine ancipiti ambiguitatis scrupulo veraciter credendū est, quod prius lucifer

lucifer parasitorum sodalibus inflatus volatus & Apostatarum satellitibus glomeratus in profundum superbiæ baratrum, & tetrum elationis tumidæ tartarum cassabundus corruisset: quam protoplastus recentis Paradisi colonus & totius terrestris creaturæ, quā teres vertigo cœli in modum rotantis fundibuli circumgirat rudis possessor lucis ambronibus & labris lurconibus vetitam degustans alimoniam, in gastrimargiæ voraginem crudeliter cecidisset, quod si Angelica supernorum ciuiū celsitudo elationis tantum supercilio turgescens beato cæterorum tubernio, & Deificæ contemplationis participio priuabitur, quanto magis gracillima mortalium fragilitas, si de propriis meritorum emolumentis, vt inflata vesica intumuerit, & de virginali castimonia, quasi speciali sanctimonia rumusculos κενοδοξίας cœperit, à cœlestis sponsi triclinio infœliciter fraudabitur, idcirco virginibus Christi, & tyrunculis Ecclesiæ contra horrendam superbiæ bestiam, simulq; contra has virulentorum septenas vitiorum beluas, quæ rabidis molaribus & venenosis genuinis, inermes quosque ac virginitatis lorica spoliatos pudicitiæque parma exutos atrociter discerpere nituntur, lacertosis viribus dimicādum est, & quasi aduersus ferocissimas barbarorum legiones, quæ manipulatim tyronum Christi testudinum strophosa balista quatere non cessant spiritalis armaturæ spiculis & ferratis virtutum venabulis nauiter certandum ac nullatenus timidorum more militum horrorem belli & classicæ salpictæ muliebriter metuentium, sæuissimis hostibus scapularum terga proscutorum vmbonibus segniter præbeamus. Quin potiùs cœnobialis militiæ pugiles frontem vexillo crucis armatam audaciter æmulorum agminibus offerētes; & armorum instrumenta bellica, quæ pugnator egregius enumerat, hoc est, diuini machæram verbi & loricam fidei inextricabilem, cum tuta pelta protecti contra spiritualium nequitiarum mille nocendi artes pertinaciter portantes, à Christo remuneratore nostro debitum victoriæ triumphum percepturi, in supernis sedibus & cælesti gloria gratulabundi fœliciter tunc tripudiabimus, si nunc aduersus principatus leuiathan & potestates tenebrarum mundiq; rectores ceu bellatores Dominici pertinaciter pertinacibus repugnantes in fronte duelli fortiter dimicemus.

PRimitus, vt dixi, principalium bis quaternos vitiorū duces, quibus Cerethi criminum & Phelethi facinorum cum horrendo belli apparatu mancipantur diuino freti suffragio vincere laboremus, qui contra tyronum Christi cateruas & bellicosas virginum cohortes truculentis inimicorum exercitibus cum innumera strophaeum phalarica & densis deceptionum telis infatigabiliter certare non cessant, quamuis sæpe patrocinium Christo præstante, suorumque phalanges militum cum prædestinatæ palma victoriæ cohortante, turpiter terga fugacia vertant. Sed proh dolor, non est tuta indeptæ pacis prosperitas, neque acquisitorum secura triumphorum fœlicitas, aut inflexibile & diuturnum fallentis fortunæ trophæum. Nam hostes, qui putabantur vsque ad internecionē suprema strage truciter obtruncati, & aptatis euentuum successibus fœliciter superati denuò versa vice, victores ad importunum prælium prouocāt, arma cruenta capessunt, bellum horrendum instaurant, rediuiua certamina voti compotibus instruunt. Quamobrem primo importunus gastrimargiæ draco, qui pestiferum præuaricationis virus rudibus florulentis telluris colonis de venenosa fauce lethaliter euomuit, frugalitatis abstinentia explodatur, ad extremum verò truculentus superbiæ natrix, qui beatam cœli familiam & almæ ciuitatis municipes lugubriter conturbauit, de latebrosis animæ nostræ recessibus & clandestinis præcordiorum latibulis eliminatus, procul diuino terrore trudatur. Quemadmodum Hebræorum Phalanx duodecies quinquagenis expeditionum millibus, & peditum turmis procedens auido Pharaonis exercitu rubri maris gurgitibus submerso, & profundis pelagi fluctibus suffocato, per quem gastrimargia figuratur, septem gentes Chananæorum, quæ septenos vitiorum cuneos typicè obumbrabant, crebra internecionis strage ambronis orci faucibus tradidit, terrâque repromissionis quamdiu Decalogi sanctionibus non refragabatur duodecim tribubus sorte territorij dirempta fœliciter incoluit, sicq; paternæ generationis prosapia per atauos, & tritauos futuræ posteritatis, nepotibus & pronepotibus legitimæ hæreditatis iure perpetuo possidendum dereliquit.

AST verò si vestræ sagacitatis peruigil sollicitudo solerter nosse desiderat, quantæ legionum turmæ prædictis spiritualium nequitiarum ducibus & tetris tenebrarum principibus famulētur, quot tyrannici militonum commanipulares humanæ naturæ nocituri subsequātur; quot scelerariorum satellites ad impugnādam nostrorum aciem conspicati & fidei propugnacula subruenda manipulatim conglomerentur; & quomodo eiusdem nefandæ militiæ tam calones & gentes cum lixarum cœtibus ad inferiorem gradum pertinēes, quā satrapæ & proceres flagitiosum sibi eorundem spirituū tribunatum vindicantes, certis vocabulorum proprietatibus nominatim nuncupentur. Qui prophanos allophilorum exercitus in centuriis & millibus, Israëlitas in vertice montis Gelboë conglobatos instanter hortantur ad bellum, id est, immissorum horrēda vitiorum agmina; quæ contra catholicam Ecclesiæ parochiam cum ducibus sibi prolatis gregarim ingruere moliūtur, venenatisque piaculorum spiculis, & adita facinorum framea, nō solùm segnes sauciant, verùm emeritos Christi milites interdum virulento castitatis vulnere lethaliter prosternunt, vt non immeritò intellectualis Dauid, id est, flos virgulti de radice Iesse descendens, populis Ecclesiæ vitiorum strage cateruatim cadētibus carmen funebre & canticum lamentabile, quod Epicedion & Epitaphion vocatur, compatientis affectu lugubriter componat. Hæc inquam, si vestræ curiosæ sollicitudinis solertia plenius animaduerti maluerit, non modo X. collationes patrum à Cassiana Massiliensis parochiæ Archimandrita peculiariter dictanti facundia prædito digestæ patēter propalabunt: verùm etiam Gregorius sedis Apostolicæ præsul, à quo rudimenta fidei & baptismi sacramēta suscepimus libr. moralium XXX. per allegoriam luce clariùs elimauit; sed nos de flagitiosis VIII. vitiorum radicibus, vnde reliquorum perniciosa facinorum fruteta, velut spissa virgultorum viuam lentis frondibus succrescunt potissimum causa disceptāre coegit, quòd non nulli edito virginitatis fastigio sublimati, & pudicæ conuersationis arcibus exaltati, secūdum castitatis gradum ac si contemptibilem sibique lōgè disparem arbitrantes, cæterorum præconia se incompatibiliter transcendere confidunt, illud quodammodo obliterantes & post tergum ponentes; Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humilat exaltabitur. Si enim nobis incontaminata Mariæ virginitas incarnatum Dei verbum cœlesti puerperio peperit, tamen emēso vnius quadragesimalis circulo Anna filia Phanuel prophetissa eundem redemptorem Sacrosancti Spiritus præsagio vaticinabatur. Et ideo vterque gradus in Diuinæ natiuitatis exordio virginibus & viduis consecratus clarescit, quatenus centenæ frugis copia vbertim locupletantis nequaquam sexagenis manipulorum fasciculus ditatum iactāter paruipendere præsumat, ne occasio corporea virginitatis vulnus in mente gignat elationis, aut remedium sospitatis fomitem nutriat perditionis. Deflenda namque est calamitas, si almæ humilitatis materia, qua reliquarum incrementa virtutum salubriter conseruantur sanctæ virginitati retinaculum superbiæ aut tendiculam elationis connectat; si theriaca vel antidota, quæ lethiferum virus auferre solent, immutatis ordinibus detrimenta salutis existant. E cōtrario autem non nulli beatæ vitæ æmulatores, qui ab ipso nascentis infantiæ rudi-

mento in summo virginitatis proposito infatigabiliter perseuerare non desistunt, & sine aliquo prauitatis offendiculo indisrupta pudicitiæ repagula tenerenus fœliciter seruare contendunt, & tamen ita diuinæ dilectionis stimulo compunguntur, & scintillante superni ardoris facula inflāmantur, vt quotidie de mundi calamitate trāslatos è corporis ergastulo emigrare inhianter gestiant, & ad cœlestem paradisi patriam se quam totius properare frugalitatis parsimonia prodant. *M. Xalei* Dum sitticus Psalmodiæ cantibus & salsis lachrymarum fontibus ardens mentis desideriū dissimulare nequeant, ac propter crebra compunctionis suspiria imis præcordiorum illibus prolata grauiter ingemiscant. Sicque theoricæ vitæ oblectamento suauiter satiantur, & nectareo contemplatiuæ dulcedinis edulio saginātur, vt nullus in practicæ conuersationis studio, quam actualem vocitamus, etiam commissa fletibus diluens normam vitæ æquiparare valeat. His igitur talibus, qui huiuscemodi virtutum supplemento, & morum sanctitate virginitatis gloriam accumulare noscuntur, cedit omnis continentium eminens magnitudo, cedit omnis cooiugatorum sublimis celsitudo. *Sola virginitas non, ſufficit ad salutem* Quamobtem nullus hanc solam puritatis prærogatiuam sine cæterarum adiumēto virtutum sufficere sibi ad capessendam plenè perfectionem cōfidat, & quasi hac tantum seruata absque reliquorū conflictu vitiorum feriatus, & securus existat: quinimò ne singularis generosæ virginitatis nobilitas minus etiam compta vilescat, tesidoo præceptorum legalium suffragio fulciatur, & multimoda mandatorum varietate decenter decoretur, vt iuxta psalmographi sententiam quasi regina à dextris Diuinæ maiestatis in vestitu deaurato radians, & circum amicta meritorum varietate resplendens supernis comitata cohortibus iugiter adsistere, & inseparabili Angelicæ sodalitatis collegio perfrui mereatur. *Virgines fatuæ.* Alioquin incompta virginitatis industria, sine reliquarum adminiculo virtutum non opulenta Ecclesiasticæ segetis vbertate, cum centenis meritorum manipulis ditabitur. Sed infructuosa & infœcunda sterilitate marcescens cum fatuis virginibus extinctas lampadas gestantibus multabitur. Siquidem cortinarum siue stragularum textura, nisi panniculæ purpureis imo diuersis colorum varietatibus fucatæ inter densa filorum stramina vltro citroque decurrā̄t, & arte plumaria omne textrinum opus diuersis imaginum thoracibus perornent, sed vniformi coloris fuco sigillatim confecta fuerit: liquet profecto quomodo nec oculorum obtutibus iocunda, nec oculorum pulcherrimæ venustati formosa videbitur. *Cortinæ templi Iudæi, quid sint* Nam & cortinæ veteris delubri non simplici & singulari tincturæ genere splenduisse leguntur; sed ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, siue vermiculo cum bysso retorto, dispari murice, fulsisse describuntur. Sed quid de fucorum muricibus subtiliter comminiscimur: en ipsius auri obryza lamina, quod cætera argēti & electri stānique metalla præcellit, sine topazio & carbunculo, & rubicunda gemmarum gloria vel fucinoi dracontias quodammodo vilescere videbitur. Has vero distinctas colorum varietates, & metallorum species pro augendis & amplificandis pudicitiæ meritis assomptas per Allegoriæ regulam rimamini, & mysticis patrum explanationibus per typicum tropologiæ scrutinium scrutamini.

*Cap. VIII.* IGitur vera & non friuola delicatæ virginitatis gloria & non falsa humilitatis cautela tueretur, & quasi tenerrima nobilis infantiæ lasciuia duro disciplinæ pædagogio refrænetur, & quia incassū de sola pudicitia mēs extollitur, quæ elationis iaculo vulneratur, & frustra spiritus de integritatis gratia gratatur, si mens arrogantiæ spiculo sauciatur. Denique plerunque, vt experti sumus, castitatis conscientia elationis pulsatur κενοδοξίᾳ, & vnde se adeptæ sanctitatis merito præstantiorem cæteris in Ecclesia fidelibus opinatur; inde debito recompēsationis emolumēto fraudabitur, & laboriosi certaminis palma priuabitur. Non enim omnes bis quinas virginum

catervas cœlestis sponsi thalamo recipiendas, & pari
A tripudio in cœlesti gloria gratulabundas Euangelicus sermo spopondit, sed illas tantum quæ coruscis pudicitiæ lampadibus & lychnis oleo castimoniæ conflagrantibus, sponsalia seruantes decreta, superno tripudianti sponso fœliciter occurrere merebuntur. Qua de re operæpretium videtur vt prius nequitiæ gramina & elationis fruteta funditus euellantur, & vberrima arboris maliferæ plantaria florēti fronde fœcundentur. Quatenus extirpatis vitiorum fomitibus & erutis passionum radicibus, fructiferos virtutum surculos pastinare Christo plantante possimus. *Castitas corporalis, & spiritualis.* Ergo nequaquam carnalis integritas comprobatur, nisi consors spiritualis castimonia comitetur. Vnde vas electionis vt sit, inquit, sancta & corpore & spiritu: *1. Cor. 7.* in Apostolicis manifestatur vocibus,
B quod sola carnalis pudicitiæ immunitas cælestis regni claustra reserare nequeat, & solitaria nequaquam Paradisi valuas recludere valeat, qua Cherubin rōphæa versatili & flammifera conclusisse, recapitulatio Geneseos *Gen. 3.* originaliter declarat, nisi vtrinque duplex sanctimonia concorditer cādescat. Vnde idē, macero, inquit, corpus meum & seruituti redigo, videlicet ne caro cōtra spiritum tyrannica potestate cōtumaciter insolescat, & proteruo libertatis fastu intumescens, legitimæ seruitutis iugo subdere colla contemnat. Ergo pura incontaminatæ virginitatis perseuerantia, Deo mancipatur, indefessa cogitationis instantia, & è diuerso effrænatæ iugalitatis libertas efficitur securæ immunitatis captiua paupertas.

Hanc bipartitam vitæ qualitatem hoc modo egregius
C prædicator dirimit: diuisa est, inquit, mulier: virgo & innupta cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, vt placeat viro. *Virginis, & Maritatæ comparatio.* Reuera grande constat interuallum & larga spaciosæ intercapedinis differētia, inter diuinæ dilectionis munificentiam; & infimi amoris diligentiam. Vna se Angelicæ castitatis comitem fore gratulatur: Altera, se maritalis lasciuiæ fomitem lætatur. Ista collum lunulis, & lacertos dextralibus ornari, ac gemmiferis digitorum annulis comi concupiscit: illa pulcherrimo fulgentis pudicitiæ cultu splēdescere, & auratis virtutū monilibus rutilare, simulque candidis meritorum margaritis decorari desiderat. Ista tortis cincinnorum crinibus calamistro crispantibus delicatè componi, & rubro coloris Bleiclæ stibio genas ac mādibulas statim fucare
D satagit: illa incolta articulorum cælatię, & negligenter squallente capillatura, cum palma virginitatis coronam gloriæ in capite profert. Ista stolidis ornamentorum pompis indruticans ad instar illius ornamentorum prostibuli poculum lethiferum propinantis, quam Apocalypsis super bestiam sedisse describit, *Apoc. 17* composita, pulchrum pariter & perniciosum cernentibus spectaculum præstat: illa castę conuersationis documenta, & supernorum ciuium exemplar ęmulari cupientibus, monstrare non cessat. Igitur futurę Angelicæ vitæ celsitudo ab illæsæ virginitatis sectatoribus ac sectatricibus iocūdum Deo in vase fictili thesaurum gestantibus, iam quodammodo violenter anticipatur (licet vltroneis affectibus sponte præoccupetur) *Matth. 11. Luc. 16* quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Liquet nempe quod
E arctissima sit violentia & difficillima rerum conditio, vt homo quem soaterna fœcunditas genus natiuitatis matrice in mundum edidit, spretis naturæ legibus indiuiduis, Angelicæ castitatis comes existere cogatur antequā suprema Resurrectionis gloria horrendæ mortis imperium in terra tartara trudat, & incorruptibile hoc induat incorruptionem. *1. Cor. 15* Mirum in modum, terreni cœlibes, superni cœlites fieri compelluntur. *Luc. 20* Vnde Dominus noster factiosam Pharisaicæ tentationis calumniam, veræ responsionis argumento confutans explodit: In resurrectione, inquiens, non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cœlo. O præclara virginitatis gratia, qua velut rosa senticosis exorta surculis purpureo

flore rubescit, & nunquam defectu diuturnæ mortalitatis marcescit: & licet moribundæ carnis fessa fragilitas fatiscat, & propinquante fati termino cernua curuaque vetustate senescat; hæc sola in mundum iucundæ pubertatis vsquequaque virescit, & iugiter adolescit. De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo: vt potioris sit meriti munus quod libero spontaneæ voluntatis arbitrio offertur, quàm quod violentis præcepti rigido imperio complendum iubetur. Olim cùm quadra mundi latitudo nondum fœcundæ sobolis prosapia repleretur, Diuina taliter sanxerunt edicta; Crescite & multiplicamini, & replete terram. Nunc verò eiusdem regis decreta pro temporum qualitate mutantur, & aliter legem promulgare putatur: qui potest, inquit, capere capiat. Hæc quidem humanæ fragilitatis præscius, non rigido præcepti stimulo, sed clementi suggestionis consilio suadere videtur, vt singuli quique libero voluntatis arbitrio & electionis examine prædiri facultatem virium experiri queant, qualitatémque propria virtute indagantes longanimem patientiæ laborem tolerare studeant, cuius muneris beata possessio eum propria virtutis industria specialiter à Christo importunis precibus impetratur, ipso attestante: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; ergo cum diuina indulgentia concordet humana diligentia, & in id quod fideli prece instanter poscimus, congruis quoque operum effectibus concurramus, deinceps à vero agonotheta curium certaminis contemplante, fidenter patientiæ palmam præstolantes: quam proculdubio finito agonis tempore tunc percipere merebitur, qui nunc pro virginitate seruanda nequaquam lassescere videbitur, ita vt deuictis æmulorum hostibus dulcem melodiam hymnista modulatus proclamet, & Apostolicæ iubilationis tripudio carmen triumphale gratulabundus decantet: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de cætero, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

*[Margin: 1. Cor. 7. Nouum præceptum virginitatis. Gen. 1. & 9. Matt. 19. Virginitas commendatur consilio. Matt. 19. 2. Tim. 4.]*

## Cap. IX.

*[Margin: Virginitatis, castitatis & coniugij comparatio.]*

PORrò tripartitam humani generis distantiam orthodoxæ fidei cultricem Catholica recipit Ecclesia, sicut in quodam volumine Angelica relatione refertur, quomodo virginitas, castitas, iugalitas tripartitis gradibus separatim differant: quæ sicut trifaria disparis vitæ qualitate sigillatim sequestrantur, ita discretis meritorum ordinibus tripliciter dirimuntur, Angelo hoc modo alternatim distinguente. Vt sit virginitas aurum: castitas, argentum, iugalitas, æramentum. Vt sit virginitas, diuitiæ: castitas, mediocritas: iugalitas, paupertas. Vt sit virginitas, pax; castitas, redemptio: iugalitas, captiuitas. Vt sit virginitas sol: castitas, lucerna: iugalitas, tenebræ. Vt sit virginitas, dies: castitas, aurora: iugalitas, nox. Vt sit virginitas, regina: castitas, domina: iugalitas, ancilla. Vt sit virginitas, homo: castitas, semiuiuus: iugalitas, corpua. Vt sit virginitas, purpura, castitas, rediuiua: iugalitas, lana. Omnia hæc non sunt extra palatium, sed aliter sedet in carruca præfecturæ dignitas, aliter mulionum vilitas, qui pedibus† continet mulas, & tamen sub vno imperatore militare noscuntur, &c. Cuius differentiæ argumento conici & colligi datur, quòd virginitas sit, quæ ab omni spurcitia carnali illibata, spontaneo cœlibatus affectu pudica perseuerat. Castitas verò, quæ pactis sponsalibus sortita matrimonij commercium, regni cœlestis causa contemnit: Iugalitas, quæ ad propagandam posteritatis sobolem, & liberorum procreandorum gratia licitis connubij nexibus credatur. His igitur tribus graduum ordinibus, quibus credentium multitudo in Catholica florens Ecclesiæ discernitur, Euangelicum paradigma centesimum, sexagesimum & tricesimum fructum, iuxta meritorum mercimoniam spopondit; licet quidam centesimi fructus manipulos Euangelicis noualibus vbertim pullulantes & granigera spicarum glumula germinantes, Martyribus factum pro Christianæ confessionis titulo cruorem ritu riui rotantis deputare soleat. Sed ne fortè propriè disputationis verbositas garrulitas aut garrula verbositas firmo Scripturarum fulcimento carens, à quolibet criminetur: purpureoa pudicitiæ flores ex sacrorum voluminum prato decerpens, pulcherimam Virginitatis gloriam, Christo fauente, contexere ortar.

*[Margin: † Continens. Virgo, & ca. sed. Matt. 13. Marc. 4.]*

## Cap. X.

*[Margin: Helias Virgo. 4. Reg. 1.]*

HElias vates, virginitatis gratia decoratus & spiritu afflatus Prophetico, cœli claustra & nimborum obstacula precibus patefecit, geminosque militum pentecontarchos, cœlestis foci fulmine flagrantes, & supernis arsuros incendiis, crudeli flamma combustos extorruit, qui & deinceps vt poëta Heroico hexametro refert;

*Aurea flammigeris euectus in astra quadrigis,*
*Sidereum penetrauit iter:*

& infrà: *humani metam non contigit aeui.*

Sublatus in cœlum in quadam secreti climatis regione, diuturna membrorum vegetatione vitaliter degens: hactenus generali mortis debito caruisse dignoscitur, quam cuncti violentis naturæ legibus addicti, & primæ præuaricationis nexibus astricti, quasi ineuitabile vectigal & fiscale tributum pendere coguntur. Helisæus verò eiusdem Heliæ duplo ditatus spiritu, & gemina prædirus gratia, in cuius exortu antea quadrupes in Galgalis bombosæ vocis mugitum reboasse describitur, significans idololatriæ lapium & simulachrorum ceremonias explodendas: Nonne propter pudicitiæ virginalis infulam, magistri fretus melote, enormé Iordanis gurgitem diremit, impuberes petulanter naturæ ludibrio, vati insultantes, rabidis vrsinæ ferocitatis rictibus tradidit, cadaueri gelidæ mortis faucibus suffocato, etiam ipse letho sopitus vitalem reddidit spiritum? En sanctus Hieremias ad exemplum virginalis materiæ in propatulo nobis occurrit, qui antequam maternis ederetur partubus, beata prædestinatione Domino dicatus, & ab ipsa rudi cunabulorum teneritudine virginitati consecratus, de quo Diuina promulgat sententia: Antequam procederes de vulua, sanctificaui te, pulchro videlicet virginitatis præsagio: is, inquam, quantum Propheticæ dignitatis gratia enituerit, fulserit, floruerit, quis vrbana verborum facundia fretus enarrare sufficiat? Daniel verò præsago nominis vocabulo iudicium Dei ob indaganda secretorum arcana, ab Archangelo sæpè vir desideriorum vocitatus, vsque ad supremam fugacis vitæ clausulam gratissimum spontaneæ virginitatis munus velut flagrantia incensi Thimiama, patri spirituum vltroneus obtulisse memoratur. Is denique nondum clangente Euangelica buccina, qui potest capere capiat: immunis tamen ab omni spurcitia carnali, & securus ab illecebrarum colludio pudicissimus extitisse liquidò declaratur; cui pro vtilissitudine castitatis repensanda præ cæteris mortalibus abdita patescunt, & mysticis sacramentorum opercula clausa, cœlitus reserantur. Quis enim Prophetarum vètera vaticinantium, quorum mentes gratuita Sacro sancti flatus gratia inspirans, præsagis virtutum muneribus affluenter fœcundabat, vberius & manifestius de Diuina incarnatione oraculorum seriem texuisse dignoscitur? Decies namque septenis annorum hebdomadibus, quò supputationis laterculo, numero CCCCXC. anni calculantur, saluatricis superni ducis natiuitas præfiguratur. Quique statuam quaternо metallorum genere fabrefactam, totidem regnorum sæcula signantem, angulari duorum Testamentorum lapide, de collis cacumine, sine viri vola, hoc est, mortali complexu absciso, minutatim ac membratim exponit percussam. Arborem quoque spissis virgultorum ramusculis pullulantem, & fructiferis stipitum viminibus florentem, cuius immensæ proceritatis celsitudo polo tenus, in altum porrecta subrigitur, congrua interpretationis coniectura explanat, qua sub cono sublimi verticis pennigeras volucrum turmas præpeti volatu ombrarum obstacula penetrans

*[Margin: Mortis vectigal. 4. Reg. 3. Helisæus natiuitas, virginitas, & miracula. Hieremias Virgo. Hier. 1. Daniel virgo. Daniel virginitas.]*

tes, simulque multimodas ferarum naturas quadripedante cursu per orbem lustrantes sumptuosa populorū alimonia vbertim pascebat, donec cœlesti numine nutabūda crudeliter corrueret, & supernæ potestatis instrumento lugubriter succisa procumberet. Ac per septem annorum circulos, luxuriante foliorū viriditate & malíferia surculorum frondibus fraudaretur: Prophetica relatione digessit, nec nō terrificos palmæ cœlestis articulos, flexis literarum apicibus in quadrata parietis pagina caraxatis, id est, scriptis, tyrannici potentatus ruinam & regalis monarchiæ discrimen portendentes sub trina verborum significatione, hoc est, Mane, Techel, Phares, quod interpretatum dicitur numerauit, pensauit, diuisit, sagaciter exposuisse memoratur. Ea tēpestate etiam tres pueri aurea ab Hebræorum stirpe progeniti, & in transmigratione Babyloniæ ad Chaldæos abducti, nequaquā carnalis copulæ voluptatibus operā dedisse leguntur, sed in arctæ spontaneæ virginitatis proposito permansisse memorantur, quamuis importuna Iudæorum garrulitas, friuola falsitatis deliramenta cōfingat, asserens nequaquam eosdem puberes, aut præfatum collegam externæ peregrinationis participem spadones extitisse, qui secundo eunuchorum gradui Euangelica veritatis astipulatione deputantur. Hi denique in tantum paternæ traditionis regulam & diuinæ sanctionis censuram seruasse scribuntur, vt etiam ad obtinendam integritatis & continentiæ gloriam, opulentas regalium ferculorum delitias & principalis alimoniæ pulmentum in tenerrima pubertate contempserint, & vilibus tantū leguminibus vitam sustentare contenti lasciuam iuuentutis petulantiam refrænarint. Quamobrem inerme Chaldaici regnatoris simulachrū, quod Colosses simulachri sublimitatem centenis ac septenis pedibus in altum porrectam, bis tricena cubitorum proceritate vincebat: licet horrendus salpicum clangor increpuisset, & musica sambucorum harmonia persultans, simulq; flammiuoma camini incēdia fomite sarmentorum succensa terribiliter arderēt, flexis poplitibus suspicere refragabantur, & pro inflexibili rigidæ mentis constantia, Angelico fulti suffragio ambustas malleoli machinas, crepitantésque clibani globos fide inuicta vicerunt.

*3. Puerorum virginitas.*

Cap. XI. Sed quid in veteribus vitia, quibus priscæ legis licentia nuptiales thalamorum copulas pro nepotum prosapia & posterorum progenie propaganda clementer induisit, Thesaurum virginitatis ex amussi inquirentes, velut apes de diuersis pratorum floribus, flauentium fauorum machinas tenaci glutine sarcientes, morarum vincula nectimus, & vitam temporum terimus? Cum etiam in rudibus & neotericis Catholicæ fidei sectatoribus postquam latebrosa prioris instrumenti latibula funditus euanuerunt, & limpida sequentis Testamenti luminaria per gratiam Euangelicæ prædicationis crassę noctis caliginem illustrantia, in triquadro terrarū ambitu diffusius spargerentur, innumera beatę virginitatis exempla affatim exuberarint, & vbertim suppeditante abundent vel ministrent, quibus hæc paucula, quæ ad memoriam venerant, carptim & exitim congessimus, quo facilius cunctis votiuum integritatis munus mercantibus, in propatulo potenter clarescat, quibus auctoribus edita pudicitię proceritas, velut pręstātissimus omnium virtutū status seu quadrati rotundus obelisci globus ad tantum perfectionis fastigium, & Diuinæ contemplationis culmen in altum surrexit, vt merito sextum Euangelicæ beatitudinis gradum consequi credatur, de quo Euāgelista tropicus florentis paradisi latex, quem Ezechiel vultu declarat humano, ita congruenter adstipulatur: beati mundo corde, quoniā ipsi Deum videbunt. O quam limpida virginalis pudicitiæ pupilla coruscat. O quam splendida piæ castitatis acies illustrat, quas nec carnalis illecebræ caligo obrūdit, nec spineæ obscœnitatis glaucoma suffundit, quo plerūque

*Matt. 5.*

A (heu dolendum dictu) etiam perfectorū palpebræ grauiter grossescunt, & qui putabantur pudicitia præditi, dum sępe humanum fallitur iudicium, quasi scotomaticorum lumina tetris tenebris obdurātur. A quâ fœtida impuritatis sentina animarum liburnas lugubriter submergente, veraciter immunes fore creduntur, qui gloriosa non fictæ puritatis palma perfectè potiuntur, & cum caterua, castè vexillationis victricia vexilla vehētes, per portas cœlestis Hierosolymę gregatim gradituri, ante Angelicum cœlestis theatri cōsessum, & terribile tribunal iudicis singulorum facta iusta discretionis lance librantis, virginalis triumphi trophæum & illæsa castitatis labbata læti gestabunt. Ioannes sacer materna nōdum editus matrice, Propheta, veteris Instrumenti meta, & prima (nudi duntaxat regnante gratia) aspectima pœnitudinis lima, vox verbi salebrosus complanans anfractus, præco regis saluberrimum Christi diuulgans
B aduentum, supernæ prolis paranymphus, primitiuæ dispensans Ecclesiæ rudimentum: nonne pro integritate castimoniæ, tutius castitatis auctore, (paterna voce per æthera tonante, & Spiritu in simulachro alitis descendente in Iordanis gurgite tinctum, mundus mundū, & virgo virginē baptizasse describitur, atque torrida castitatis ardore flagrans, vetita regalis thori hymenæos, olidarumque polluta nuptiarum contubernia aperiens asperrimæ inuectionis seueritate coërcuit, huiusrei gratia putidos ergastuli squalores libenter laturus & purpureo carnis cruore rubris fibrarum riuulis decurrente sacram Redemptoris passionem, mystici spiritus agminibus portendit: Ioannes quadripartitæ scriptor historiæ,
C & veracis Euangelicæ relationis tetrarcha quem Saluator (vnica mundi redemptio, & conseruandæ castitatis alma præfiguratio) propter virginalis pudicitiæ gloriam inter cęteros peculiariter pio diligebat affectu, miris virtutum signis per totum orbem claruit. Etenim vimina virgultorum siluestria è frōdosis nemoribus allata, mutauit in obrizum flauentis auri metallum. Teretes quoque scrupulorum glareas & rotundos scruporum lapillulos de arenosis littorum sabulis adductos, cōtra creaturæ ritum in rubicundas gemmarum congeries superna fretus potestate facillimè conuertit. Nec nō dispersa gemmarum fragmina, quæ decepta Germanorum simplicitas, secundum studiosissimi sophistæ monita, ad spectaculum vulgi minutatim in frusta fricabat, in pristinum reformauit statum: sed etiam matronam, quam
D suprema sors geminæ mortis multauerat vrnâ, turbis pauperculorum subnixa prece poscentibus, quos sumptuosa erogatæ stipis alimonia sustētabat oratione sequestra, de lethifero sopore suscitauit: cumq; furibūda paganorum ferocitate crudeliter cogeretur, vt mortiferum poculi haustū, in quo dirorum virulentus graminum succus, simulque truculenta regulorum & aspidū venena, ad quæ quadrupedis rubetæ & spalagi pestifera confectio humanæ naturæ nocitura habebatur, potando consumeret, præmisso Christi taboro tutus, Christi vexillo armatus, nec venenata draconum detrimenta tremebundus extimuit, nec horrida mortis discrimina pallidus expauit: gemina quoque defunctorum cadauera, quos lethali visus crudeli mortis exitio perniciter
E prostrauerat, in pristinum vitæ statum restituit: & sic in castitate florens, vsque ad cygneā vetulæ senectutis caniciem fœliciter permansit. Nonnulli verò eundem nō generali morte defunctum, sed speciali somno soporatum in sicco phago vitaliter quiescere contendunt, pro eo quod Saluator dixerit: Si sic eū volo manere donec veniam: pręsertim cum de sepulchri tumba puluis ebulliat, & quasi reciproco spirantis flatu superficie antri sensim scaturiat. Didymus quondam Dominicæ resurrectionis incredulus negator, sed visis vulnerū cicatricibus credulus prædicator, qui Eoæ tripertitas Indiæ prouincias sereno Euangelicæ prædicationis lumine illustrauit, execranda sacellorum lustramenta, & inepta pontificum flamina funditus euacuauit, cùm pudicos thalamos

*D. Ioannis Baptistæ virginitas.*

*D. Ioannis Euangelistæ virginitas, & miracula.*

*M. Laboro ideo est Labaro.*

thalami consortes instruens, de virginitatis laudibus rhetorica loqueretur: Habetis enim integritatem, quæ est omnium regina virtutum. Est fructus perpetuæ vitæ virginitas, honorum Angelicorum & omnium bonorum possessio, virginitas victoria libidinum, trophæum fidei, victoria de inimicis, & vitæ æternæ securitas. En Apostolicæ clangor buccinæ velut tonitruali fragore concrepans, deuotas virginum mentes ad integritatis cultum cohortatur, dum eam immensis rumorum laudibus prosequitur. Paulus dudum Saulus, vas electionis, typicus Beniamin crepusculo deuorans prædas, vesperi dirimens manubias, qui Pithonissam per spiritum stupiæ fallacitatis friuola vaticinantem, & ob hoc sumptuosas procerum opulentias affluenter cumulantem, gazasque quæstuum delitiosas affatim locupletantem, mutæ taciturnitatis valuam labris procacibus opponere, imperio terrente cogit: quique (mirum dictu) quatenis senas in fundo maris profundo sospes, pertransegit horas, atque quinquies quadragenas acerrima crudelitatis tormenta vna minus accepit: Nonne ob puræ integritatis prærogatiuam, tertium polum peragrans, supernorum ciuium arcana castis obtutibus contemplatur, & cœlestis militiæ abstrusa ineffabili rerum relatu timatur, licet relatu quam dicunt de Paulo in naue, aureas deflorentis paradisi delitias eundem adisse garriat. Sed vas diuinum vetat Catholicæ fidei sesquipedalis plus quippiam quam canonicæ veritatis censura promulgat, credere, & cætera Apocryphorum deliramenta velut horrisona verborum tonitrua penitus abdicare & procul eliminare, orthodoxorum patrum scita scriptis decretalibus sanxerunt.

*Cap. 19. Scripta Decretalia D. Luca Castitas laudatur.* Lucas præsagi vituli simulachro signatus, & tertius Euangelicæ prædicationis historiographus, qui apud Antiochiam medicinale cataplasma pructis primo purulentas corporum valetudines & ægrotas viscerum fibras, ac deinde spiritales animarum incommoditates, torrido dogmatum cauterio seu diuini verbi phlebotomo salubriter sanabat, vsque septuagenarium ac quartum ætatis annum illibatæ castitatis comes pudicissimus permansisse memoratur. Igitur cùm generale mortis debitum naturæ suprema sorte persolueret, Constantino orbis gubernante monarchiam, ossa illius ad tutelam regni Romanorum Constantinopolim translata leguntur.

*Cap. 12. Clementis Romani pudicitia.* Clemens cœlestis clauicularij primus successor, & secundus Romanæ Ecclesiæ dispensator (quanquam nonnulli Linum & Anacletum in Pontificatus regimine nequicquam sine causa præferant) quòd cœlibatus castimoniam etiam antequam salutifero lauacri baptisterio, morsus ab originali piaculo purgaretur, medullitus dilexerit: ipse propriis literarum apicibus propalam testatur, dicens: Ego Clemens in vrbe Roma natus, à prima ætate pudicitiæ studium gessi. Ergo si quod præstantissimum esse constat in cunctis virtutum gradibus, & mortalium naturæ difficillimum, nondum regeneratus sibi vsurpans tantopere † taxauerat quantò magis credere fas est, eum post accepta fidei rudimenta

*† sordidauerat.* spreto gentilium ritu, dum per prouincias Petrum sequeretur diuini verbi semina serentem & propagines Euangelicæ vitis credentium scrobibus pastinantem, atque Simoniæ lethiferas necnon Romaniæ labruscas radicitus extirpantem, plenius ac perfectius conseruasse, qui deinceps Itinerarium Petri voluminibus digestum luce clarius elimauit, Ruffino in Latinum ex Græcorum Bibliothecis vertente.

*D. Clementis Rom. Itinerarium Petri.* Syluester qui apud Romam Pontificalis cathedræ suscepit sacerdotium, per omnes Europæ prouincias & florentis Ausoniæ patrochias, quam glaciales Alpium saltus præruptis scopulorum cautibus cingunt, signis miraculorum crebrescentibus, claruit: siquidem incontaminata corporis pudicitia fretus, & iugi abstinentiæ parsimonia præditus, ad lethiferum Romæ draconem in clandestino cryptæ spelæo latitantem, qui virulentis faucibus & pestifero spiritus anhelitu æthera corrumpens misérrimum populum atrociter vexabat, per centenos latebrarum gradus introrsum descendisse fertur, & eandem miræ magnitudinis bestiam (cui paganorum decepta gentilitas ad sedandam furoris vesaniam, fanaticæ lustrationis spurcalia thurificabat) inextricabili collario constrictam, perpetuæ vltionis animaduersione perenniter mulctauit, & Romam fallacis idololatriæ cultricem, à funesto victimarum ritu, Euangelicis assertionibus & signis pariter coruscantibus correxit. Illud etiam non omittendum reor, in quo præcipuum conseruatæ castitatis documentum declaratur: videlicet quod Imperatoris Constantini diuturna valetudo & elephantiosa corporis incommoditas, accepto baptismatis sacramento statim

*Constantinus Magnus à S. Syluestro baptizatus & sanatus.* ab eodem salubriter dicto citiùs curata est, & iam interioris hominis quàm exterioris gestus per cœleste cataplasma duplici medicamine, sine ruentium obstaculo est sanatus. Præterea absurdum fore suspicabatur si celeberrimum illud spectaculi genus per totos mundi cardines vulgatum, taciturnitatis silentio oppilatum vilesceret, & à nostris literarum apicibus intactum delitesceret: in quo triumphantis Christi victoria, & Syluestri certatis castimonia geminæ laudis præconio crebrescunt. Nam Constantino orbem gubernante ad synodale concilium populis cateruatim confluentibus duodenos Iudæorum præceptores & Pharisæorum Rabbites dira disputationum spicula contra Christi tyronem truciter torquentes, diuino confisus clypeo contriuit: idem quoque Præsul, omnium Constantino rerum latentium præsagia portendens, mira sagacitate prudenter patefecit. Siquidem Imperator in ciuitate quæ Byzantium vocabatur, cùm membra sopori dedisset & debitum naturæ solueret, apparuit ei in visione nocturna quædam anus satis decrepita, etiam penè mortua, quam imperante Syluestro suscitare orando iubetur. Orante autem Constantino illa anicula surrexit & facta est iuuencula pulcherrima velut rubicundo venustæ pubertatis flore rubescens: quæ cùm casta contemplatione regalibus placuisset obtutibus, induit eam chlamydem suam, & diadema auro obryzo gemmisque purpureis ornatum posuit super caput eius: Helena autem mater eius dicebat ei: Hæc tua erit & non morietur nisi in fine mundi. Igitur expergefactus Imperator, futurarum ignorantia rerum acriter

*Constantino Magno somnium de extruenda Constantinopoli.* arctatur, donec per simplam in hebdomada intercapedinem, corpore frugalitatis parsimonia macilento, rursus in soporem soluitur: cui vir venerabilis Syluester, 7. die ieiunij sui adest, iterum ei in visione dicens: Anus decrepita, est hæc ciuitas in qua moratis nomine Byzantium, cuius muri iam pro vetustate consumpti sunt, & penè omnia mœnia eius corruerunt: ascende itaque illum equum tuum, in quo baptizatus in albis sedisti in vrbe Roma, & Apostolorum & martyrum limina circuisti, & hunc ascendens, tene Labarum tuum, quod signo Christi ex auro & gemmis est pictum. Hoc Labarum tenens in dextera tua, dimitte frænum equi, vt quocunque duxerit Angelus Dei, illuc eas. Tu autem fixam cuspidem Labari in terra sic trahe, vt semitam faciat transitus sui, per quam semitam extrui facias muros, & hanc veteranam ciuitatem & penè mortuam in iuuenculam suscitabis, & tui nominis vocabulum suscitabis, ita vt reginam illam facias omnium vrbium. Erit enim in ea nomen Domini Iesu Christi magnificum, & erunt in ea templa Dei ad honorem omnium sanctorum constructa, & filij tui post te, & filij filiorum tuorum regnabunt in ea. Euigilans autem Constantinus statim ad Ecclesiam perrexit, indicansque Episcopo ciuitatis viro sancto nomine Sisamino, somnium quod prius viderat, & offerens Deo munera, & communicans sacramentum Dominicum, ascendit equum, & perrexit quò eum duxit Angelus Domini, atque per semitas Labari, fundamenta creuerunt. Appellata est autem ciuitas Constantini, quod Græco sermone interpretatur Constantinopolis

vsque in hodiernum diem. Igitur Syluester transacto A pontificatus officio & consummato vitæ curriculo, cum palma virginitatis scalam Iacob ascendens, Angelorum cœtibus admiscetur, & beato supernorum consortio fœliciter perfruitur.

Ambrosium verò superni nectaris ambrosia redolentem, sub ta iturnitatis velamento delitescere non patiar: cuius mellifluam dogmatum dulcedinem, & puræ virginitatis prærogatiuam pulchra prælagia portendebant. Siquidem infantulus cum in cunis supinus quiesceret, ex improuiso examen apum ora labraque sine periculo pausantis compleuit, ingrediendique & egrediendi per tenera pueruli labra certatim vices frequentabant. Ac demum genitore Ambrosio euentum rei præstolante, & Verna, quæ altrix infantis erat, ne abigerentur imperante, supernis cœli climatibus B per æthera volantes cateruatim mortalium visus aufugiunt. Qualis autem vel quantus idem Patriarcha virtutum gloria & miraculorum signis effulserit, neminem reor expertem, nisi qui gesta conuersationis illius à Paulino viro venerabili digesta non didicerit.

*Cap. XIII. Veronici Pōt. virginitas, & miracula. Cōpetētes.*

NEc pudeat Christi cœlibes strictis pudicitiæ legibus lasciuam petulantiam coarctantes, corporeosque titillationum gestus veluti domitos bigarum subiugalea, ferratis calcaribus refrænantes, reminisci Veronici pontificis, quem antequam regenerantis gratiæ vulua parturiret, & sacrosancti baptismatis rudimenta cognosceret, in Catechumenorum gradu, & C Competentium statu stipem pauperculis porrigentem, argentumque egentibus erogantem, cum nocturnæ membra quieti dedisset, cœleste beauit oraculum: quique pro adepta integritatis corona & fausta virginitatis infula, quas velut regale diadema ac geminatas crepundiorum lunulas, indefessis viribus meratenus seruare satagebat, miris virtutum signis effulsisse memoratur. Eremem Catechumeni cadauer, quem dira, vt dicunt fortunæ ferocitas & parcarum grassatrix non vlli parcentium atrocitas, imò gelidæ mortis inclementia, regenerantis gratiæ sacramento priuatum, perniciter oppresserat: de porta mortis rediuiuum erexit ad limina vitæ. Alios quoque binos crudeli mortis meta mulctatos, & optatis vitæ manubus spoliatos de latebroso lethi barathro & trucis Tartari tormento voti compos reduxit ad D superos. Procerum frondentis pini stipitem vetitis paganorum ceremoniis deputatum, quamuis obliqua recliuem curuatura crebri accolarum bipennes certatim succiderent, intrepidus nutabundum aspexit, & fragore horrisono cassabundum contempsit: fallaces Anatholij nebulonis præstigias, quas liuidorum fraudulenta æmulorum factio mille nocendi artibus armata, ostenso fallacis pepli ludibrio audacter ingerebat, præpollente meritorum gratia funditus facescere, & procul vt ridiculosum phantasma euanescere fecit: priscorum delubra paganorum à cementario politissimis compacta petris, rubrisque tegularum imbricibus tecta, mortalium diffidens adminiculo, & Angelorum fretus suffragio, (qui hastati & scutati famulo Dei præsidium laturi venisse leguntur) solotenus diruta quassauit, euertit, destruxit. Gregorius Nazianzenæ Ec- E clesiæ gubernator, apud Athenas (quas per idem tempus tumigerula Grammaticorum gloria & clandestinum Academicæ disputationis sophisma polluebant) cæteris incomparabilius eruditus & Basilij in Philosophicis dogmatibus condiscipulus sicut XI. Ecclesiasticæ libet historiæ manifestat, cum à rudis infantiæ teneritudine, corporalis illecebræ contemptor, & zelotypus castitatis amator existeret, pulchræ visionis oromate, somno sopitus clementer solatur, cui propter virginalis pudoris propositum & gymnicum philosophiæ studium, in gemino fœminini sexus simulachro, Castitas & Sapientia per soporem apparuisse describuntur, &

*Anatholius Magus.*

*Gregorij Nazanzeni somnium.*

hoc modo seculum ad integritatis coronam cohortantes alloquuntur: Altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur: & missæ sumus à Domino tecum habitare, quia iocundum nobis, & satis mundum in corde tuo habitaculum præparasti: cuius somnij coniecturam colligi fas est, eundem huiusmodi meritorum munificentia præditum, illæsæ puritatis coronā vsque ad metam fortia supremæ, indefessis viribus vsquequaque custodisse: præsertim cùm de illo cautum sit, quòd nec eius vita aliquid probabilius & sanctius, neq; eloquentia clarius & illustrius, neq; fide purius & rectius, neq; sciētia plenius & perfectius inueniri potest: quod Ruffinus mira verborum vrbanitate præditus, in prologo Apologetico plenius exposuit. Basilius pontifex & celeberrimus Cappadox, Athenis æquęuus præfatus collega Rhetoricis B sophismatum edoctus disciplinis, qui regularem monasticæ conuersationis normā reciprocis sciscitationibus, & vicaria literarum relatione respondens luce clarius ad liquidum digessit: nec non Ἑξαήμερον, id est, opera sex dierum, quæ in Latinum translata leguntur, mira eloquētiæ disertitudine fretus edidit. Si, inquam, quòd integritatis gratia incorruptus corporaliter floruerit, ex ipsius elogica scriptione coniecturam capesso, ita prosequentis & fœminam non cognosco & virgo non sum: vetus quippe consuetudo peritorum esse fertur concionatorum, qui pro rostris in edito stātes popularibus cateruis concionantur, vt sic in diuersæ concionis cuneo & dispari sexu, ceu propriæ ita interdum alienæ reminiscantur personæ, atque attonitis auditoribus ignarisque auscultatorib. arcana mentis ipsorum recludentes, & ab- C strusa præcordiorum reserantes, facundi sermonis clane patefaciant. Hoc ergo concionādi genere præfatus antistes sermocinari creditur, qui nequaquam extrinsecus carnalis tantum pudicitiæ immunitatem ad promerendas strenuæ integritatis infulas idoneam fore ratus est; nisi spiritus quoque castimonia, cuius imperio indomata corporalis lasciuiæ petulantia refrenatur, adsit Sicut Verna ne contumaciter insolescat, matronæ nutibus mancipatur, vt intrinsecus contubernali soliditate concorditer adhærescat.

*Eiusdem laudes.*

EXtitit quidam pontificali dignitate decoratus meritò Fœlix & nomine, qui cùm pro fidei constantia à tortoribus torqueretur, & horrēdis carnificum cruciatibus agonizans martyrizaretur, exclamasse fertur: gra- D tias tibi ago Christe, quod † annos in sæculo virginitatem meam custodiui. Antonius cœlestis aratri stiuarius, & Euāgelici seminis sator, à quo primitus per Ægyptum fertilis Cœnobiorum seges germinauit, vnde postmodum Memphitica tellus, quam Nilus reciprocis fœcundat fluentis, millenos animarum manipulos in fructiferis Ecclesiæ noualibus pullulātes protulit, quos Angelici messores (cùm figura mundi in ictu & atomo euanuerit; & enormia creaturarum elementa in melius commutata claruerint) sequestratis loliorum fasciculis, in inexhausta cœlestis regni horrea, caternatim aduectabunt: nonne propter egregiam animæ pudicitiam ineffabili virtutum gratia præditus, vsque ad supremos terrarum cardines percrebuit, & plenius de eius virtute miraculorum Athanasius Alexandrinus antistes simplo volumi- E ne patefecit Euagrio in Latinum transferente. Paulus itidem inclytus & patria celeberrimus, quia fallaci genere cæcæ cupidinis, & philargyria deceptus, contra iura naturæ proditus & publicatus esset, à primæuo pubertatis tyrocinio Memphiticæ deserta penetrans solitudinis, quà carnalis spurcitiæ blandimenta fatiscunt, & mundani luxus oblectamenta vilescunt, horrendos belluarum barritus & truculentos leonum fremitus, arēdentis fidei defensaculo fretus, intrepidus cōtempserat consuta duntaxat palmarum plecta, & perdulci dactylorū sagina squalidum sustentatus corpusculum, naturæ debitum soluit. Nonne propter florentis pudicitiæ castimoniam fine tenus inextricabili repagulo conseruatam bis

*Cap. XIV.*

*† Deest numerus annorum. Diuus Antonius cœnobitarum Pater.*

*Pauli Eremitæ pudicitia.*

bis senis temporum lustris: id est vicies terna annorum intercapedine, buccellam crustulæ semipleuam, quam penniger præpes indefessis famulantibus & reciprocis volatilibus, hiulco aduectat rostro, vsque ad decrepitam vitæ senectam inexhaustam gratulabundus accepro ferre promeruit? Hilarió opinatissimus Palæstinæ solitudinis accola, Ethnicis parentibus idolorum culturæ deditis ortúdus, rosa (vt dicitur) rubicunda de spinetis nata, florens ea tempestate qua prædictus Antonius per Ægyptum celebri fama vulgabatur, claruit: cuius vitam Hieronymus cœlestis Bibliothecæ egregius cultor, vniuersorumque Interpretum præstantissimus tantis opinionum tumusculis extollit, vt Homerum quoque si ab Inferis emergeret, vel inuidere materiæ dicat, vel succumbere: qui ob integritatem castimoniæ conseruandam, mortalium contubernia declinans, primo pubertatis tempore squallentis eremi vastitatem lustraturus, prius penè contemplatiuam quàm practicam (contra rerum naturam) rudis habitator exercuit vitam, lasciuam ætatis petulantiam famelica frugalitatis parsimonia crudeliter castigans. Ego te, inquit, Aselle, faciam vt nó calcitres, non te bordeo alam, sed paleis, & fame conficiam. Quapropter innumeris miraculorum prodigiis coruscás, antiquis æquiparabatur Patriarchis. Si quidem horrendum squammoso corpore draconem, quem Boam vocabant, ex eo quòd tantæ enormitatis existeret, vt boues virulentis mandibularum dentibus trucidás, gulosa ventris ingluuie voraciter soleret glutire, & non solum armenta & pecodes, sed agricolas quoq; atque bubulcos & subulcos ad se tractu sui spiritus absorberet (ô superi talem terris auertite pestem,) arentis orationum extinxit hoc modo: pyram stipitum in edito cóstructam & flammantibus scandulis succensam, præfatum miræ magnitudinis Basiliscum vulgo spectante scandere terrificæ iussionis imperio compellens, squammigeros costarum crates rigidamq; spinæ curuaturam prunis coquentibus extorsit, & assantibus titionú globis & reciprocis volatibus crudeliter comburens, plebem à lethiferis bestiæ flatibus eripuit. Nec non etiam furentis frustra & spumantis cataclismi socias, cæruleas maris vndas cùm proprios egrederentur terminos & quasi diuinæ potestatis cēsuram (ddiuuij) irruptionem minarentur, ac si in antiquum Chaos omnia redire cogerentur: Accolæ Epidauritani eundem Dei famulum contra frementes fluctos & salsas gurgitum moles, inexaperto compulsi terrore opposuerunt: qui cùm terna patibuli signacula in glarigeris sulcaret sablonum litoribus, mirum dictu, quomodo turgescens Pontus in cumulum creuerit, & in quanta proceritate vt murus glacialis ante eum steterit. O quanta est pudicitiæ virtus, quæ bacchantis belluæ rabiem humillima prece cópescuit, & tumentem æquoris insaniá indulta potestate compressit! Danielis Prophetæ factú æquiparans in dracone, & legislatoré æmulás in æquore. Ioannes verò Niloticæ solitudinis eremita, qui Theodosio múdi monarchiam gubernante, quaterdenos annorum circulos in practicæ conuersationis studio desudans (quam Martha Lazari germana, votiuum Christi humanitatis obsequium præbens præfigurat) miro deuotionis feruore exegit, ac demum quinquies bilustris temporum circulis in remoto delitescens tugurio, theoricam Anachoreseôs transegit vitam: ex hoc intelligi potest puræ virginitatis munus illibatú vsque ad nonagenariam decrepitæ vetustatis senectam seruauisse, quod Chiliarcho Tribuno militum importunis precibus de coniugis incommoditate suppliciter consulta flagitáte; & vt se inuisendum adiri pateretur, intentione rigida respondisse fertur, sibi núquam moris fuisse videre mulieres, & præcipuè ex quo in illius rupis Monasterio conclusisset: idcircò pro adeptæ integritatis chlamyde, quam Angelicæ puritatis lineamento velut domestica soliditate adsciscebatur, futura Propheticæ diuinationis oracula, quæ reliquos latuerant mortales, præsago afflatus spiritu expertus est.

Diui Hilarionis memoranda in Deum hymnum in ... pa.

Iuxta Epidaurú Dalmatiæ municipium.

Eu. 10.

Ioannis Anacho[reticæ] vitæ ... [illegible]

A NEc prætereundum arbitror beatæ memoriæ Benedictum, quem ab ipsis infantiæ cunabulis ita fortunatum vocabuli præsagium poscebat vt penitus aliter in proposito diuinæ religionis viuere nequiret, quàm propriæ appellationis dignitas & cœlestis *eulogiæ* prærogatiua permitteret. Nam gratuita supernæ liberalitatis munificentia cùm actus puer pollesceret, & secundis meritorum successibus per augustum Hesperiæ regnum latè crebresceret, haud frustra fœlix vocabuli priuilegium participauit cú Aduocato & Redemptore nostro. De quo lactantes Euangelici, consona vocis harmonia psallentes concorditer cecinerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini. Cuius rei regulam, nostra quoque mediocritas (authentica veterú auctoritate sobnixi) in sacrosancta Palmarum solennitate, hymnis, classibus, canora voce concrepans, & geminis concentibus Osanna B persultans, cum iucundæ iubilationis melodia concelebrant. Igitur præfatum Christi tyronem, propter incorrupta & iugiter stellantia immarcescibilis pudicitiæ seruata dona sanctæ Trinitatis tutela protectum, prophetica signa sequebantur & superna miracula cœlitus comitabantur. Siquidem post diruta simulacrorum sacella & dissipatas fanaticæ gentilitatis ceremonias, quæ vitam veritatis expertem, Fato & Genesi gubernari futura iuxta Mathematicorum constellationem arbitratur: bis sena construxisse Cœnobia scribitur, in quibus opuléta sanctæ conuersationis sacra & copiosa animarum emoluméta orthodoxis vbertim acquisita Christo prouenerunt, quas Dominicæ gnarus cultor vineæ, velut maturescentes C palmitum botros, ac rubicundos sacramentorum racemos, Euangelica falce succidens, & refertis fiscellis onustisque cordibus ad prælum calcandos & Ecclesiæ torcularibus regulariter exprimendos aduexit, vt merculenta defæcati nectaris defruta apothecis cœlestibus recondenda, & Angelicis cauponibus committendá fœliciter inferret, quatenus supernorum conuiuia, huiuscemodi muneribus de terreno nundinarú mercatú allatis, gratulabunda glorificarentur. Magna est igitur puritatis prærogatiua, quam si quis amittere per vim compellatur, si ob hoc, humanum exosus consortium communi vita sponte caruerit, apud CXLIIII. millia virginale carmen canentia in cœlesti contubernio gratulabitur gloriosus. Quod Eusebius Græcorum historiographus, virgines Deo deuotas fecisse testatur, quæ se D pro integritatis pudicitia conseruanda, rapaci gurgitis alueo, per præceps immerserunt: vnde quidam patrum, propria (inquit) manu perire non licet, absque eo, vbi castitas periclitatur.

Absque eo, *(Hoc, tanquam Oratorio more dictum, forsã excusari potest: alioqui, quacunque de causa aliquis occidat se semper esse peccatum mortale, nisi fiat ex inspiratione Dei, vt Samson, & quædam sanctæ mulieres, quarum memoria in Ecclesia celebratur, respondet. D. Thom. secunda secunda, q. 59 art. 3. 2. q. 64. art. 5. q. 124. art. 1. 2. &c.*

O Mirandum negotium & propemodum inuestigabile decretum: cæteris facinorum flagitiis, quæ mundi statum lugubriter conturbant, cum quispiam mancipari inuitus cogitur, & spreto libertatis arbitrio E ratum scelus perpetrare compellitur: si sub prætextu cauendi noxá & declinádi delicta, quolibet exitij genere vim vitæ crudeliter intulerit: extraneus ab Ecclesiæ societate inter biothanatas reputabitur: qua de re consiciatur, quam preciosa sit supernis municipibus pudicitiæ generositas, quam nec illud abolere & oblitterare quolibet pacto potest; quod perfectorum merita indificari; & cuncta virtutum genera euacuare valet. Vnde Malchûs pater, paternæ seueritatis violentia, simulque materna grauitate, qui successuræ posteritati consulebant cùm ad carnaleq; consortium cogeretur, castitatis obtentu & regni cælestis causâ contemnere decreuit:

Cap. XV.

Matt. 21.

Marc. 11.

Sacrosancta palmarum solennitas.

Eusebius Ecclesiastica hist. lib. 8. cap. 14.

cap. XVI.

Malchi castitas.

sed cùm ob cognatæ propinquitatis curam accepto cõuersationis feruore paulatim tepesceret, & à torrido cœnobialis vitæ rigore instinctu strophosi bustis discessurus sensim refrigesceret, à Sarracenis prædonibus & Ismaëlitis grassatoribus obuia quæque atrociter vastantibus, captus, vt seruilis verna famulari iubetur, iusto valde iudicio, vt qui inter dictum reperebat post liminium, seruiret vt vile mancipium: & qui Sudumitanum pereuntis fœminæ dispendium minimè pertimesceret, prolixæ seruitutis detrimentum & inuisum heri famulatum atrociter sentiret: & dum aratri stiuam (post tergũ respiciens) negligenter regeret, tupus sulcorum glebulis iugerum occa nugaciter deperiret: cumque ibidem optatæ castitatis insignibus quæ in genitali solo seruauerat, cedere restricta machera torqueretur, maluit mucrone transfossus crudeliter occumbere, quàm pudicitiam veram profanando, vitam defendere, nequaquam animæ periculum pertimescens, si integræ virginitatis status effusione sanguinis seruaretur. Præterea beatæ memoriæ Narcissum tam virginalis pudicitiæ priuilegio præditum, quàm Pontificalis infulæ auctoritate decotarum, sub silentij latibulo delitescere non feram, cuius vita adeò signis & miraculorum prodigiis coruscantibus claruit, vt contra rerũ naturam, liquentis elemẽti qualitatem soli Deo mutabilem, orationum armatura fretus in aliud genus conuerteret: siquidem in Vigiliis Paschalib. quando reciprocis annorum circulis anastasis Dominica solitæ solennitatis tripudio celebratur, fortuitò contigit, vt lychnis de lãpadibus Ecclesiæ, pinguis olei liquor opportunus deesset. Tum vir Deo deditus liquidas fontium lymphas exorcizans, & sacræ benedictionis vbertate fœcundans, stupendo virtutis spectaculo pinguescere fecit; ita duntaxat, vt latex lucernarum fundibulis infusis, in olei crassitudinem perniciter verteretur, & papirus in centro positus velut fomes pruina vel feno madefactus, solito clarius lucesceret. Verum antiquus humani generis grassator, pro tanta rumoris prærogatiua qua catholicorum laudes crebrescũt, obliquo liuoris aelo succenditur, vt tam fauorabile viri Dei præconium falsis suspicionum argumentis nutabundum elideret. Nam strophosi fallaciarum fabricatores satis probrosum facinus & inauditum crimen aduersus eum in cathedra pestilentiæ edentes sub tribus testibus fallaciter periurantibus concinnant, vt psalmista chirographarat: Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi; quorum vnus ita ne lare crepitante torreretur, veraciter se fari testabatur. Alius ita ne virulenta regiæ pestis incommoditate popularetur: tertius ita ne gemellis oculorum obtutibus orbaretur. Ita Narcissus Deo confisus nequaquam apologeticam, vt sontes & insontes solent, defensionem exquirit, sed Pontificalis cathedræ apicem hac occasione inuenta relinquens, abstrusam eremi vastitatem petit, & friuola æmulorum machinamenta, concinnatasq; factiones fugiens delituit. Porrò fallaces testium personas quæ presbyteros cõtra Susannam mussitantes æmulabantur, vltrix diuini potentatus censura, eiusdem cladibus, quibus periurantes se deuonerant, crudeliter percussit. Quorum primus eum omni domesticæ sodalitatis clientela & propinquæ necessitudinis contribulibus, in proprij domatis regulo vltricibus flammarum globis conflagrasse memoratur. Secũdus à triplici summitate cerebri plantatenus morbo regio turgescens, vt cum demens & impudẽs procax imprecatus fuerat, fœtidum exhalauit spiraculum. Tertius infœlicem sodalium fortunam animaduertẽs, omnis concinnati facinoris piaculum, sera pœnitentia, cũctis auscultãtibus in propatulo patefecit, tantisq; lamẽtorum singultibus & tam raucidis fletuum questibus lachrymabundus lugubriter fleuit, vt gemellis pupillarũ luminibus funditus fraudaretur, vnde cautum est, mihi vindictam & ego retribuam dicit Dominus. Quid referam sanctæ recordationis Athanasiũ, cuius rumi gerula meritorũ gloria, & florigeræ pudicitiæ præconia quàm

*Vigilia Paschales.*

*M papiro vsi antiquitus.*

*Psal. 20.*

*Eusebi. Ecclesiast. Hist. lib 6. cap. 8.*

*Rom 12.*

*D. Athanasij Historia*

quàm specialiter apud Alexandriam & Ægyptum A clarescerent, per totius tamen mundi cardines, vbi fides Catholica fructiferis palmitibus frondescit, longè lateq; percrebuit? cuius altor & dogmatista beatus Alexander Alexandriæ pontifex, ab ipsa cunabulorum teneritudine extitisse memoratur, tam notariorum characteres, quàm grammaticorum periodos, cola & commata affabiliter instruendo: qui videlicet Alexander postquam Arrij schismatici ilia, in abstrusum latrinæ cuniculum turpiter defluxerãt, Ecclesiæ triumphali tropæo sublimatur: sed quid mirũ si Athanasius in summo gradu non fastigio diuina charismatũ gratia pollesceret, cùm etiam tenerrima ætatula infantis nequaquam præsagu indolis prodigio caruerit, sed puerilis ludorum gesticulatio Põtificalem futuri Præsulis authoritatem portenderit? Etenim peractis Missarum Sacramentis, B conspicatur Alexander ingentes puerorum cateruas in marinis litturũ glareis sacerdotalem Athanasio contulisse reuerentiam, & quosdam Catechumenos & Competentes ab eodem mystico baptismatis officio regeneratos extitisse: quod scænico ludorum ioco gestum, decretis synodalibus serio confirmatum est. Igitur Athanasius post obitum Alexandri sumpto Ecclesiæ Præsulatu, quantas hæreticorum machinas excusserit, quot fraudulentas schismaticorum strophas pertulerit, quas aduersus insontem subdula factione concinnabant, 10. Ecclesiasticæ historiæ liber à Ruffino charaxatus, adstipulatur. Ita prorsus, vt Constantio Augusto qui Orientis imperij sceptra gubernabat, euulsum cadaueris lacertum, & in sarcophago delatum ostenderent, quem ab Athanasio magi- C cæ fraudis necromantia de Arsenij corpore sublatum fallaciter retulerunt. Quapropter Imperator commentis hæreticorum lenocinantibus illectus, & probrosis factionibus deceptus, in concilio Præsulem inconsultò condemnari præcipit. Verum Arsenius, qui quondam in pulpito Lectoris officio fungebatur, omnem concinnati sceleris scenam prodidit, & sacrum Flaminem à tam flagitiosis facinoribus immunem esse declarauit. O quantus quosdam artifices fictis pallor ob detectum sceleris reatum, tremebundos arguit: & è diuerso quorundam vultus, purpureus genarum rubor velut stibio depinxit, cùm in concilio valentem ac sospitem specularentur, quem abscissis neruorum nexibus mancum & debilem rebantur. Verùm huiuscemodi sancta victoria confutati, aliud argumenti genus molientes comminis- D cuntur, vt prostituta pellex virum castissimũ, prostibuli stupro, quo penitus à pubertate incorrupto corpore caruit, insimulare procaciter machinarẽtur: quæ, cùm vniuersum falsæ garrulitatis incestum velut fœdam Melancholiæ nauseam de recessibus falsi pectoris euomuisset, statim per Timotheum presbyterum, quem nefandis vlnarum gremiis procax obuncabat, apologetica verborum veritate quasi fixa peltarum testudine defendit. Veruntamen æmulorum vesaniæ cedens, qui contra virum Dei, inuidia torquebantur: profugus longè proficiscens, exulat adeò vt septem annorum intercapedine, in arida cisternæ latebra delitescens, nequaquam limpido solis radio potiretur, sed mens Deo dedita, aere durior, ferro fortior, adamante rigidior, omnes calamitatum infectiones, quas clandestina liuidorum conspiratio ho- E stiliter irrogabat, inflexi cordis constantia æquanimiter perferebat,

*Missarũ Sacramenta.*

QVid beatum Babylam loquar, qui Dominici gregis excubias, & Mandras Ecclesiæ aduersus truculentiam Tyrannorum rabiem, velut cõtra ferinam luporum ferocitatem, non more mercenarij, sed solertia pastorali tuebatur? Cum esset summi Pontificatus infula præditus, Numerianũ Augustum interfectorum cruore contaminatum, non permisit Basilicæ sacrarium intrando, pollutis pedibus profanare, sed acerrimæ castigationis censura à sacris Ecclesiæ liminibus funesti regis introitum arcebat: nequaquam damna rerum formidans,

*Cap. xvii.*

vel

vel vitæ dispendium tremebundus & pallidus expauit, tunc ad palatinas ducitur Zetas, & imperialis Hypedromi vestibulum, quatenus cum rege funesto reciprocis conflictibus & alternis vicibus disputans altercaretur: sed mentem Deo dicatam nec minarum ferocitas reflectit, nec blandimentorum lenitas demulcet, vt à Catholicæ fidei perpendiculo ad tortas simulacrorum cæremonias verteretur: mox imperante Augusto, ad calumniam Pontificis, & infamiam Cleri boias in collo, & compedes in cruribus nectunt. Insuper exquisitis pœnarum machinamentis sacratissimos viscerum hostiæ artus acriter dilacerāt: nec non & tres germani puerili, quos Babylas sub disciplinæ pædagogio regulariter instruendos acceperat, ad Regis præsentiam simul introducuntur, quos imperator mira fidei constantia munitos, cùm verborū argumentis fallere nequiret, cruentis verberū ictibus vapulare præcipit. Cernens autem furibundus princeps inuictam paruulorum constantiam, percūctatur venerandum Præsulem, vtrum filij sui veraciter essent. Qui respondisse legitur: Filij mei verè sunt secundum Deum, mulierem autem coram Deo meo non cognoui, ex quo natus sum. Tum sanctus Babylas decollandi sortitus sententiam, cum tribus alumnis capite truncatur, & rubris venarum riuulis sacratur. Sed & operæpretium reor, vt celeberrimos spiritalis militiæ bellatores, & cœlestis medicinæ archiatros Cosmam, & Damianum, nequaquam ab historica virginū relatione dirimentes, velut indignos cęterorum consortio, sequestremus: quos in superno Hierosolymæ municipatu prædestinatos, & æternalis literaturæ albo descriptos, cum prædictis commanipularibus lætabūdus esse, fiducialiter confidimus. Temporibus namque Diocletiani & Maximiani, Olympiade sexagesima septima, eū edictis crudelibus catholicæ fidei cultores, quos Christicolas & Crucicolas nuncupabāt, ad thurificandum statuis Ethnicorum cogerentur, nolentes apostatare, capitalem compulsi sunt subire sententiam: prædictos Christi tyrunculos religiosa genitrix gemellos enixa erat, in pubertatis autem primordio, instrumentis medicinalibus imbuti, tam valetudines hydropicorum & melancholias viscerum, quàm incommoditates animarū per cæleste cataplasma curabant. Visum scilicet cæcis, & malagma monophthalmis impertiendo: mutis taciturnitatis valuam reserando, surdorum auribus harmoniarum restaurando, balbis & blæsis rectitudinem loquelæ largiendo, claudos & mancos incolumitati pristinæ restituendo, energumenos & scotomaticos meritorum gratia refocillando, ipsos etiam fortunæ casibus oppressos ad superos reuocando. Veruntamen huiuscemodi virtutum munificentia præditi, non philargyriæ commercio, sed gratuita liberalitate optatam ægrotātibus sospitatem contulerunt Euangelico concordātes miraculo: gratis accepistis, gratis date. Interea prædictorum tempestate persecutorum cùm sancti Martyres, vt oues occisionis, cruentis carnificum mucronibus mactarentur, & nequaquam cōsternati, Ecclesiarum athletę, velut in sancta matre palæstrarum luctarentur: quantis & qualibus præfati Confessores, Lisia pro tribunali sedēte suppliciorum machinamentis torquerentur, quis referre sufficiat? Si quidem ligatis lacertis, & connexis furarum artubus, in profundo pelagi frustra demersos, sed Angelico fultos suffragio, effera fluctuum ferocitas contingere non audens, illæsos littoribus restituit. Rursus truculentus Præses, tam claro sanctorum tyronum triompho confusus & confutatus, eosdem in clibanum plurimo sarmentorum fomite succensum, & diuersis cespitum titionibus crepitantem trucis ter trudi præcipit. Ast illos velut serpentes Salamandras, quas naturaliter torrentes prunarum globi, assare vel cremare nequeūt, flagrantis camini incendia non combusserunt: exin eculei tormento vexatos, & gabulo patibuli suspensos, insuper diris sagittarum ictibus obrutos, Angelicum protexit patrocinium: ad vltimum decollationis sortiti

† Babylæ virginitas & martyrium.

Chrysiani à Paganis appellati, Crucicolæ.

Mat. 10.

SS. Cosmæ & Damiani virginitas & martyrium.



A sententiam, cum palma virginitatis, triumpho martyrij agonizarunt.

Nec meminisse pigeat incluti militis Christi, Chrysanti: quem pater ab Alexādria proficiscens, Romæ, Gymnosophistis, & Rhetoribus traditum, cunctis liberalibus literarum studiis erudiri fecit. Erat enim, vt fertur, tam ardentis ingenij & capacis memoriæ, vt quicquid lectitando & scrutando enixius rimaretur, & velut visco glutinatum præproperè in præcordiis puerilibus lentesceret, & intra sagacis animi conclaue, radicatum hæresceret: igitur cōsummatis grammaticorum studiis & philosophorum disciplinis, † quæ 7. speciebus dirimuntur, id est, Arithmetica, Geometrica, Musica, Astronomia: Astrulogia, Mechanica, Medicina: cùm ad sacratissimas Euangeliorum aquas venisset, quantocius B cuncta Stoicorum argumenta & Aristotelicas Categorias, quas X. prædicamentorū generibus distinxit, dicto citius dispexit, dum solerter animaduerteret, quantum cœlestis philosophiæ dogma, mundi disciplinas, & mortalium cummenta præstaret: cumque regenerantis gratiæ vulua conceptus & fœcosis Baptisterij partubus editus, in venerandis Ecclesię cunabulis nutriretur, extemplo post rudimenta fidei, neophytus discipulus, efficitur dogmatista præcipuus, & Dominum Christum Dei filium, nequaquam perfidorum discrimina pertimescēs, cunctis publica voce propalat. Quod genitor affinium, & contubernalium relatione vbi comperit, eundem filium contra iura naturæ, latibulis carceralibus arctandum, & famis inedia macerandum includit. Alioqui & C proscriptionem rerum, & patrimonij iacturam, insuper & capitale discrimen perhorrescebat, ne ab Imperatoribus locuples gazarum opulentia, cum vitæ eius detrimento funditus fiscaretur. Ergo cùm animaduerteret Christiani, acerbitatem pœnarū libenter laturum, iam non tormentorum supplicio, sed blandimentorum lenocinio natum flectere nititur, & auferens illum de ergastulo squallente, olosericis & bombycinis indutum vestibus misit in triclinium, vbi pulcherrimæ virginea pretiosis comptæ cycladibus delicias & sumptuosa ferculorum conuiuia præpararent, effrenatos lætitiæ cachinnos & iocosos ludorum amplexus miscentes, vt in talibus blandimētis ferrea iuuenis præcordia mollescerent: sed vir Deo deditus nec mulsa epularū sagina superatur, nec formosa virginum venustate à propositi ri- D gore reflectitur, sed mollia puellarum labra, vt nociua viperarum venena declinat, paruipendens Epithalamij elogium in quo cautum est:

*Mellea tunc roseis hærescunt labia labris.*

Deinde quidam de contribulibus hortantur patrem, vt filius blandis connubij nexibus nodaretur, & illecebroso matrimonij lenocinio vinceretur. Tunc Daria virgo Vestalis satis pulchra, & eleganti forma, gemmis auroque radians ad Chrysantum procaciter ingreditur, vt militem Christi tam vrbana verborū facundia, quàm phalerata colli crepundia, ad thalami copulam inclinaret: Sed secus cessit quàm rati fuerāt: oritur namq; inter eas satis prolixa sermonum concertatio, & reciproca sententiarum disputatio, eò quòd Daria dialecticis arti- E bus imbuta, & captiosis syllogismi conclusionibus instructa fuisse ferebatur; ita vt disertissimi oratores, tam sagax virginis ingenium alterno experiri conflictu verentur. Quid plura? tandem vir vitæ venerabilis, non fraudis argumento, sed ratiocinationis documento, in reciprocis conflictibus victoriæ palmam adeptus, eandem Dariam iam Catholicæ fidei sacramēta credentem suscipit, & simulato Hymenæi commercio simul conuersatur, donec salubris lauacri latice lustratur: mox relictis Dialecticorum disciplinis, quibus dudum in gymnasiis studio exercebatur, Canonicis Scripturis & commētis spiritalibus instruitur: nec laterculo dinumerari, nec calculo computari vllatenus valet, quāta multitudo promiscui sexus, illorum magisterio, à fanatica Delu-

Cap. xviii.

† Philosophorum disciplinæ dictæ, pro Mathematicis.

SS. Chrysanti & Dariæ castitas & martyrium.

brorum superstitionē ad fidem catholicam cateruatim coofluaerit. Huius rei gratia beatus Chrysantus iubente Claudio Tribuno, LXX. militibus diuerso pœnasom cruciatu torqueodus traditur, nisi Amphytryoniadæ, id est, Herculi, Ethnicorum ritu thurificara consentiret: tunc militer pertinaciter refragantem, vdis & crudis neroorum neaibus crudeliter vinciunt, vt in torrido solis caumate sensim siccantibus neruis, vim strictura ferre nequiret: sed in puocto temporis, dira vincolorum ligamina cœlesti nuto enodantur. Item ionodosi cippi claustrum, viri Dei tibias & suras astringunt: & statim rigentis cippi duritia, inuisibili contraria potestate ad oihilum redigitur, sed milites magicis putâtes præstigiis gestum, putidissimis illum perfundunt lorij odoribus, quibos arbitrantur cuncta Chaldæorum & Hierophantarum phantasmata, simulque ariolorum, & magorum machinas euanescere: sed fœteotis lorij lustrameotum, in fragrantem vertitur ambrosiam, & in rosarum nectaris mutatur odorem. Tunc iustam boculam imperant deglubere, vt recentis corij cruditate, nuda martyris membra ciogereotur, quatenus sub flagrātissimo solis ardore io viriditate Bursæ truciter torreretur: sed Christi suffragio fretus, seapers periculi & sospes euasit. Moa feris catenarum nexibus collum cum lacertis & suris simul astringentes, in atram ergastuli latebram illum coniiciunt, sed perniciter stricta ligamina, vt stuparum putamina rumpuntur, & velut limpidissimo laternæ lychno, tenebrosa caligo fatiscit. Ad vltimum, cum virgulis & nodosis viminibus cruenta carnificum stultia cæderetur, sceptrinæ virgæ, quæ prius nodosa doritie rigebant, pluma molliores, & papyro effectæ sunt leuiores. Hæc taota prodigia cernens Claudius Tribunus obstupuit, & corde compunctus cum LXX. militibus, & omni familia, & vernacula clientela, vna cùm parasitis, & sodalibus credidit in Dei filium saluantem sæcula Christum: Et statim omnes Baptismatis vnda regenerati, purpureas Paradisi coronas fuso fœlici cruore capessunt, quorum sancta cadauera in cuoiculo sobterraneo pariter humana quiescunt, in supremo examine surrectura in gloriam. His ad cœlum migrantibus superstites Chrysantus, & Dasia reciprocis cruciatibus sigillatim arctabantur. Ille in latebrosum lacunæ latibulum, vbi cloacarum cuniculi putores stercorum eiecerunt, ferro coostrictus mittitor: sed putor & caligo, luce sereoa & odoramentis fugantur nectareis. Ista ad prostibula scortorum, & meretricum cootobernia truditur, quò leo de latebris Amphitheatri, ad tutelam sacratæ Virginis, Dei nutu dirigitor, vt si quis petulcus incestator, & lasciuus scortator vagabundis gestibus lupanar ingredi voluisset, ferinis rictibus sogiliaretur: sed congesta virtutum copia, interdom efficitur verborum inopia. Nam ingeoti miratulorum mole victus, breuitatis compendio plura prætereo. Post hæc decrèto Numeriani Augusti pariter io vna crypta martyrizantes occubuerunt, in consortio sanctorum simul percepturi præmia meritorum, sicut simul participes extiterunt perceptorum tormeotorum.

Cap. ... S. Iuliani martyris virginitas.

POrrò virginalem Iuliani martyris gloriam sob clandestino taciturnitatis latibulo delitescere non patiar qui temporibus Diocletiani, & Maximiani, nobili prosapia oriondus fuit: quem cùm parentes in primæuo pueritiæ rudimento florentem, tam Dialecticæ artis compotem, quam Rhetoricæ artis participem fecissent, pædagogus quoque & didascalus, traditum, multimodis philosophorum disciplinis imbuissent, etiam in tenero pubertatis rudimento adultum parentes animaduerterent, eumque amatorem Catholicæ fidei, sacrisque Ecclesiæ liminibus adhærentem, nec nō ergastula Confessorum crebrò freqoentantem comperissent: pertimescebant magnopere, ne si vnicum pignus ob religionis prærogatiuam & sanctæ conuersationis habitum, ab illorum stirpe priuaretur, ipsò, vt Patriarchæ, lachrimabilem depromerent querimoniam, canos suos cum dolore duceotes ad inferos: quin & optatæ generationis hæredibus & futuris oepotum nepotibus funditus fraudarentur. Idcircò puerum subniais precibus & inauditis blandimentorum hortamentis iosflectere nitebātur, vt ad tædas & copulæ consortium serteor affectus, imò adamante duriores, inclinaret: ad argumentū etiā horrandæ suasionis, Apostolicis vtuntur oraculis, quibus ait, *volo iuuenes nubere, filios procreare, nullā dantes occasionem maligno*: quibus ita respoodisse scribitur, nec voluntatis, nec ætatis est tempus, vt faciā quæ hortamini. Item cùm perseuerarent pertinaciter in precibus, ait: Nec permittendi mihi est facultas, nec negādi potestas, quod hortamini Dei mei potestati committo: vnius tamē hebdomadis inducias à parentibus poposcit, vt numen supernę maiestatis argumeotis euidentibus experiretur, qua peracta intercapedine, somno sopitus vidit Christum in oromate dixisse: Exurge ne timeas, nec suasiones verborum vel voluntatem parentum horrescas: Accipies enim coniugē, quæ te nō à me separet, sed per te virgo perseueret: & infra: multi iuuenes, & virgines per vestram doctrinam, vel vitā cœlesti exercitui probabuntur. Suscipitur igitur io thalamo beata virgo, vocabuli præsagio, Basilissa, hoc est, regina formosa frōtis effigie, sed formosior cordis castitate. Venusta, inquam, lineamentis corporalibus, sed plus venusta suatim, cycladibus compta spiritualibos. O quanta caterua credentium in vtroq; sexu, fœtidas facinorum cloacas calcitrans, & putida vitiorum volutabra abominans, illorum magisterio ad fidem Catholicam conuersa, cum Martyrij trophæo triumphans agonizauit? Siquidem plura Monachorum ergasteria in celeberrimo municipio Alexandri quæ est metropolis Ægypti, opitulante Christo construxere; in quibus militum Christi, circiter X. millia sub districto Iuliani regimine conuersantia, & nequaquā à sanctæ religionis tramite per obliquos anfractus dextra læuaq; declinantia regulariter vixerunt. Basilissa verò Deo dicata, bis quingētenos sāctæ messis manipulos Euāgelicæ prædicationis falce meteotes in area tortoris triturandos, & horreis cœlestibus condendos inuexit. Postremò cùm effera persecutorum rabies in sacrosanctos Ecclesiæ tyrones feralibus edictis, & ferocibus tormentorum cruciatibus truciter ingruens grassaretur, & Catholicæ fidei propugnaculū sæcularia argumenti balista quassatū, atrocisque machinæ arietibus subrotum funditos euertere moliretur: quis stylī textu effari valeat, quanta Iulianus cum cæteris cōmanipularibus, & eiusdem propositi sodalibos martyrizando perpessus sit? Marciano Præside in alto tribunalis culmine, vel theatri pulpito concionante, nodosis fustibus & cruentis mastigiis, sine respectu pietatis flagellatus à cultura Christi flecti nequiuit: quinimo pupillam percussoris euolsam, qui sibi crudeliter flagrorum vibices irrogabat, qoamuis vt magis ac magis pudenti lotio humectaretur, instaret; incolumē restitoit. Insuper nefandas simulacrorum effigies plusquam quingētas, quibus pontifices delubrorum libamina litantes, bacchantum ritu thurificabant, ad solurū diruit, quassauit, euertit. Item Iulianus cum iuuenculo filio præsidis Effembo Hircitallo, qoi neophytus, & nuper ad fidem conuersus foerat, in fundum ergastuli profundum retrusus, vbi fœtida damnatorom cadauera dioturno temporis interuallo, horrida vermium examina ebulliebant, squaloris nauseam perpessus est: sed versa vice pietas diuina (quæ suorum semper reminiscitur militum) pro fœterē sterquilinio, olfactum ambrosiæ, & nectaris fragrātiam, carceris illuuiem tolerantibus, cum luce limpida clementer contulit. Hæc tanta prodigia milites ad excubias Confessorum deputati, cernentes: spreta phanaticæ superstitionis cultura, orthodoxorum phalangibus adglomerantur. Interea defuncti cadauer pro liais fasciorum ambagibus cōneaum, nondum in sarcophago terra humatum,

1. Tim. 5.

humatum, flagitante præside, fusis ad polum precibus suscitauit. Qui omnem isthinc cũdi tragœdiam, & illinc redeundi clementiam attonitis spectatoribus, resurgens de Tartari profundo patefecit. Igitur vrgente muneratorum decreto, sancti martyres in Circi spectacula terdenis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinsecus atræ picis massa, & bituminis fomite sulphurisque fœtore replentur, farciuntur, & extrinsecus suppositis crepitantes rogi torribus, & sarmentorum fasciculis conflagrantibus succenduntur. In tantum vt flammantis pyræ cacumina cum obelisci proceritatem, sed tamen & rotundum spheræ apicem triginta cubitis in conum præcellerent. Sed in tantum de torrente incendio superna potestate compressa triumphabiles viri, velut obrizum rutilans, spectante Circi caterua in publicum processere, et in reciproca tortoris nefandi ferocitas, quæ semper insontium pœnis pascitur, & fuso sanguine saginatur, athletis, & agonotheris Christi magna Martyrii merita cumulauit. Dum licinioli liquore delibutis digitorum articulos & palmarum pollices obuoluerent, simulque [M. allo-es.] pedum alloces truciter adnecterent: sed liciorum filis flamma combustis athletas Dei, in scammate mundi, ritu palæstrico agonizantes à fumigabundis flammarum globis immunes diuina tutela protexit: verùm hac Confessorum Christi victoria cõfutatus, in Amphitheatrum Sanctos ferreis collaris connexos cruentus carnifex imperat duci, quatenus patefactis cauearũ cistellis, & apertis clatrorum obstaculis, vrsorum genuinis carperentur, & leonum rictibus roderentur. Sic stolida Præsidis præcordia Deo inuisi, spes pascebat inanis, dum furibunda ferarum rabies, & gulosa beluarũ ingluuies cœlesti nutu compressa, contra oblatam prædam luctare nõ audens: multas faucium gurguliones oppilauit, vt poëta de Propheta dicit.

*Et didicere truces prædam seruare leones.*

Ad vltimum beatus Iulianus cum cæteris commilitonibus stricta machæra crudeliter percussus, & rubicundo cruoris riuo perfusus fœliciter occubuit. Ad horum venerabiles sarcophagos cùm decem leprosi, quos dira cutis callositas elephantina tabe deturpans, non particulatim, sed membratim maculauerat, illicò ad secundæ natiuitatis gratiam in baptisterio regenerati, qui [H. sa-bani.] in sabanis, & sindonibus baiulabantur ægroti, sanctorum meritis sospites & voti compotes salubriter abscedunt.

[Hystor. Amos Ana-choreta.] AMos primus Nitriæ famosus accola, cum à parentibus inuitus ad nuptiarũ commercia cogeretur, ne inuitus pudicitiæ palma priuaretur, magis magisque inuisi oblatam matrimonii sortem, ac si squallentis cœni contagia vel venenatum aspidis morsum refragabatur. Hic ergo Amos generosa prosapia oriũdus fuit, & præpollenti gazarum affluentia, sumptuosaque patrimonii opulentia, apud Ægyptũ celebris habebatur, huius ergo parentes amãtissimam sobolem cùm adultam, & iam pubescentem in annis iuuenilibus deprehenderẽt, quasi secuturæ posteritati consulentes, ad nuptiales thalami copulas, licet magnopere refragantem, inuitant: quorum obstinatam importunitatem cùm refutando frustrari non posset, simulata matrimonii cohabitantia, intus, annulo subarratam sortitur virgunculam, quam in abstruso thalami cubiculo clandestinis verborum hortamentis ad pudicitiæ præmia persuadet: cuius precibus & monitis obsecundans, ad summum virginitatis fastigium anhelat, qui prolixa temporum intercapedine, pariter in castimonia Deo tantum teste vixisse referuntur, & in rigido sanctæ conuersationis proposito, cum virtutum incrementis vsquequaque prosperabantur, sub quorum magisterio, ad Christi fidem, & contemptum mundi, numerosa vtriusque sexus caterua confluxit, cumque secundis meritorum successibus in practica pollesceret, horrentem Eremi vastitatem aggressus, Theoricam Anachoreseos exercuit vitam, & in-

finitis à vero remuneratore virtutum prodigiis donatur. A Nam quidam iuuenculus rabidi molossi rictibus in vesaniam versus, strictus catenarum nexibus, ad eum deductus, actutùm incolumitati pristinę donatus est; sed ea conditione prius interposita, vt paupercula direpta & depeculata bona muliercula redderentur. At illi strophamin abdito perpetratã Prophetica virtute propalatam cognoscentes, ea quæ fraude abegerant, spõte restituunt: sed & illud strictim & summatim commemorandum, quod duo quidem, dolium se viro Dei delaturos spoponderunt: è quibus alter dum pollicita fefellisset, abeuntem gibbosum amisit camelum: alius promissa complens, asello sospite perfruitur, quanta verò pudicitiæ virtus, ex hoc manifestius liquebit, quod vir Dei dum Nilotica gurgitis fluenta transire satageret, & spoliare se molestę amiculis erubesceret, ne pudibundi cor- B porisnuditas & indecens obscœnitas castos offenderet obtutus, extemplo in citeriorem aluei marginem diuina virtute trãslatus legitur, & ne hoc incredibile videatur memento qualiter Abacuc dapifer, messorum fercula è Iudæa ad Chaldæos, Angelico fretus officio, in puncto temporis perniciter detulerit, & in leonum lacum rugientium, per tanta terrarum interualla, famelicum Dei prophetam affatim pauerit, & vbertim saginauerit. Huius itaque Amos spiritum Antonius Eremita, cùm carnalis ergastuli vinculis enodaretur, à cœlestis militiæ manipulo astriferis inferri cœlorum orbibus conspexit.

TEmpore scelestissimi Iuliani, qui ab Ecclesiastico Clericatus gradu discedens, & à recto Religionis C tramite errabundis anfractibus exorbitans, ritu gentilium lugubriter apostatare cœperat, fuit quidam apud Thebaidã virtute venerabilis Apollonius nomine, qui anno ætatis quintodecimo vastæ solitudinis secreta penetrans, & mortalium contubernia subterfugiens delituisse fertur, haud procul à veterrimo delubro, in quo Redemptor noster ingressus (quem nefanda Antipatri proles insectabatur) omnes simulacrorum rotacidas ad solum cernuas diruit, secũdum præsagum Esaiæ vaticinium: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægypto, & commouebuntur manufacta Ægyptiorum à facie eius, & cadent in terram. Nubes, inquit, leuis: castissimum videlicet Mariæ virginis gremium, humanæ corruptionis spurcitiis, & vitili com- [Cap. xxi.] [Isa. 19.]
D plexu carens, præfigurat. Denique præfatus Dei famulus octonis temporis lustris, hoc est, quaterdenis annorum curriculis horrorem deserti non lassabundus, sed indefessis viribus tolerans, quingentorum circiter monachorum Archimandrita, & rector extiterat: qui ob præclaram virginitatis gloriam multis miraculorum signis & prodigiis coruscans, centies diurnis, & totidem nocturnis horarum spatiis Deum interpellans, genua curuo poplite flexisse scribitur: cuius Colobium, cum de stuppæ stamine, vel potius putamine, sine pompulenta panniculatum varietate ordiretur, sindonis peplum ex tereti filorum glomere fusoque netum radiis stridẽtibus & pectine pulsante texebatur, quæ longiusculè illo inter serta delitescente, per tot temporum volumina penitus nunquam vetustate extricabantur, cuius [Apollonius Archimandrita Colobium.]
E alimonia, imò parsimonia tam frugalis fuisse ferebatur, vt potius viridibus herbarum fasciculis, & recentibus hortorum olusculis sic vesceretur, quasi condito culinæ pulmentario potiretur, cùm tamen coctutam aut assaturam alimentorum in foculatibus pręparatam ad edulium, refutaret. Hic aliquando cùm Iulianus tyrannidem, & apostasiam pariter arripuisset, & non modò clericali gradu constitutos; sed etiam monachicã professione fungentes ad militiæ cingulum cogeret, à centurione in ergastuli latibulum truditur, sed intẽpestæ noctis conticinio Angelus limpidissimo lucis radio resplendens, tremebundis custodibus claustra carceris reserans, virum Dei de latebrosæ lacunę squaloribus eri-

puit. Quadam die Apollonius cùm iter carperet, gentilium turmas circumquaque cum simulacro debacchantes, orationum vinculis, quasi radicitus fixas sub diuo & torrido solis caumate immobiles manere fecit, ne vsquam aut aliorsum vlterius progredi valerent, sed cùm compertissent rem per virum Dei gestam, illicò missis legatis spoponderunt, si eis facultas abeundi daretur, omnes spretis cæremoniarum culturis, se fidem catholicā credituros, & friuolam simulacri effigiem in frusta fracturos, aut in fauillam & cinerem crematuros, quod ita gestum rerum probauit euentus. Lis aliquando propemodum satis cruenta inter duos populosos credentium & incredulorum pagos gerebatur: fortuito casu contigit, vt præfatus vir Dei armatas peltarum testudine catervas, iamq; strictis mucronibus alternatim se iugulaturas offēderet, qui cùm verbis pacificis cōfusam vtriusque vulgi simultatem magnopere mitigare niteretur, & exortam furentis cunei crudelitatem sedare tentaret: quidam bellicosus incētor & fautor certaminis, ac crudescentis signifer duelli fertur bacchanti & furibundo strepitu restitisse, dicens se spreta pace sequestra lethotenus pugnaturum. Tunc sanctus optata, inquit, tibi verbi fortuna contingat: Cæteris violati fœderis plasma concorditer reconciliantibus, solus vltricem cruentæ mortis vindictam exsoluat: insuper nefandum cadauer nequaquam, vt cæteros mortales, sepulcri sarcophagos receptet, sed volucrum rostris laceretur, & bestiarum rictibus corrosum communi sepultura careat. Ita verò cruenta sorte euenit vt Propheticus sermo prædixerat. Tempore quodam, cùm sacrosancta paschalis solennitas intra speleum celebraretur, & plures ad viri Dei spelūcam velut examen ad aluearium pro festiuitate frequentanda certatim glomerarentur; qua peracta solitæ frugalitatis dapibus saginantur (id est, siccis & pauculis panum crustulis, & sale aspersis olerum salicu-lis) tum fusis precibus, Dei patrocinium fideliter implorant: & dicto citius, pro foribus vestibuli tantas delitiarum affluentias (gerulis quos nunquam nouerant gestantibus) solita pietate. Christus famelicis suis tā vbertim contulit, vt vsq; ad Pentecosten, quæ septenis hebdomadarum curriculis calculatur, diuinitus allata epularum stipe quotidie affatim pascerentur. Quod autem cælestis munificentiæ stipendium potius, quam humanę liberalitatis xeniū fuerit; certissimis experimentis colligitur, quod fructuosum eulogiæ munusculum ab ignotis allatum est parasitis, & tempore præpostero; id est, vernali non autumnali, diuinitus impendebantur mala punica, & malo granata cum palmeti dactylis (quos nicolaos vocant) fauos, vuas, & palatas (id est; ficarū caricarū massas) cùm nouerimus, vinearum & palmitum propagines vere quidem frondescere & florescere, sed Autumno racemis turgentibus, & botris flauescentibus mitescere ac maturescere. Contigit aliquando, dum calamitosa fames atrocitate in promiscuum Ægypti vulgus grassaretur; plures ad eum cateruatim, stipis gratia, confluxisse. Ast ille tres sportulas crustulis & tortellis refertas, vnius diei tātum interuallo; fratribus, victus alimoniam præbituras; fertili benedictione fœcundās, famelicis vulgi turmis exhibuit, quæ quaternis mensibus cum panis copia plebis inopiam refocillātes, ab imminentis famis inedia & discrimine defenderunt: hoc idem de farris simila & polline, simulque crassa olei pinguedine fecisse memoratur. In priori quidem miraculo corbes, & fisciles imitatus Euangelicos: In secundo autem, lechithum olei, & pugillum farinæ ab Helia Propheta fœcundæ benedictionis vbertate refertos æquiparat.

*Sacrosancta Paschalis solennitas.*

*3 Reg. 17.*

EXpletis igitur licet summatim masculini sexus exemplis, qui nequaquam nutabundo integritatis fundamento, ad inclitas itidem secundi sexus personas, quæ in sanctæ virginitatis perseuerātia inflexibili mentis rigore vsquequaque durauerunt, verborum gressibus gradatim spaciantes, ab eisdem pulcherrimos pudicitiæ flores fœliciter capere contendamus; quatenus ad beatitudinis coronam illo clementer adminiculum patrocinij præstante, qui virgo ex virginis aluo nasciturus protoplasti piacula expiauit, & totius mundi statum profugatis tenebrarum principibus beauit, inextricabili plectā plumemus: & quemadmodum pridem ex vtraque Testamentorum serie principali sexus exempla castitati congruentia congessimus, cui potissimum præ cæteris virtutum charismatibus virginali propositum superni atria paradisi & cœlestis regni vestibula patefecit, eodē modo in fœminini sexus prosapia, sicut infra experimento adstipulabimur, vberrima pudicitiæ documenta solerter enucleare nitamur.

*Cap. xxii.*

En vt supra retulimus beata Maria, virgo perpetua, hortus conclusus, fons signatus, virgula radicis: gemmula floris, aurora Solis, nurus patris, genitrix & germana filii, simulque sponsa ac fœlix vernacula, sanctarum socrus animarum, supernorum regina ciuium, columba inter LX. reginas & bis quadrigenas pellices, propter perenne puritatis priuilegium, obsidem sæculi, Monarcham Mundi, Rectorem Poli, Redemptorem soli, Archangelo pronunciante, Paracleto obumbrante, præcordiis tripudiantibus, fœliciter suscipere meruit. Verùm mihi de Mariæ perpetua virginitate quæ ante sacri sermonis receptaculum virgo fauorabilis extitit, & post cœlestis puerperii præconium, virgo fauorabilior permansit, solicitè scribenti repente ad memoriam rediit. Quomodo Cæcilia virgo sacratissima indulta iugalitaris consortia, ac pacta proci spōsalia obtentu castitatis refutans, velut purgamenta laudabilis spiritus feruore contempserit, despexerit, respuerit, quæ licet organicis quinquagenis & ter quinis sonorum vocibus concreparet harmonia, ac si letiferos Syrenarum concentus cum inexpertos quosque ad vitæ pericula pellexerint, sub prætextu integritatis surdis auribus auscultabat. Quamobrem procū proprium, & futurū (si virginitatis fortuna pateretur) leuirum, à superstitiosa delubrorum cultura conuertens, baptismatis fonte renatos visibiliter Angelicis perfrui conspectibus fecit, quibus cœlicola ab astris destinatus, candidus ac purpureis contexta serta floribus obtulit: istas, inquiens, coronas immaculato & mundo corpore custodite, quia de Paradiso Dei ea ad vos attulit.

*Cæcilia virginis castitas.*

Sed & celeberrimus virginis Agathæ rumor ea tempestate longiusculè crebrescens, cum Diocletianus Imperator augustæ potestatis monarchiam gubernans, truculenta tormentorum edicta orthodoxæ fidei cultoribus irrogabat, totam Siciliæ prouinciam penetrauit: cuius integritatis castimoniam nec membrorum crudelis dilaceratio, nec lictorum atrox vexatio præpedire, nec varia testularum fragmina infringere, vel torrida carbonum incendia vllatenus vincere valuerunt. Quin potius vt adamantinus scopulus contra illata carnificum tormenta ferro fortior indurnit, cuius rei documenta, & non fictæ veritatis indicia, Siculus indigena, & Cathanensis oppidi municeps concorditer adstipulantur; Qui cùm Aethnæ montis incendia fauillis latè scintillātibus bullirent, sulphureisque flammarum globis feruida torrentum flumina in præceps currentia crepitarent, sacram sarcophagi cymbam, qua virginale corpusculum claudebatur, quasi turris obstaculum, & muri propugnaculum, ruituris ignium imbribus opposuerunt, & mox horrendos focorum ardores obuia quæque crematuros, & liquefactas scopulorum congeries voraturos, dicto citius, cum virginis suffragio sopierunt.

*S. Agatha.*

MIhi quoque operæ pretium videtur, vt sanctæ Agathæ rumores, castissimæ virginis Luciæ præconia subsequantur: quas præceptor & pædagogus noster Gregorius, in Canone quotidiano, quando Missarum solennia celebrantur pariter copulasse cognoscitur,

*Cap. xxiii.*

*Canon inter Missarū solennia.*

cognoscitur, hoc modo io catalogo Martyrum ponens; *Fœlicitate, Anastasia, Agatha, Lucia*: quatenus A nequaquam literarum serie sequestrentur; quæ contribuli populo apud Siciliam genitæ, simul cælesti gloria gratulantur. Etenim sicut Cathanense municipium præ cæteris Tsinacriæ vrbibus, Agathæ martyrio fœliciter coronatur; ita famosissimæ Christi tyrunculæ Luciæ prærogatiua, Syracusas oppidum Siciliæ prosperis successibus sublimatur. Quæ genitricem prolixa valetudine fatigatam; & meritis Agathæ arcuo cruoris curatam, cùm alternatim confabularentur huiuscemodi precibus interpellans: Per ipsam, inquit te deprecor, quæ te seruauit, ne tu mihi sponsum nomines, nec te mea posteritate fructum immortalitatis inquitas, sed omnia quæ mihi eunti ad corruptionis meæ authosem hominem moriturum eras datura, da mihi eunti ad integritatis meæ authorem Dominum nostrum Iesum Christum. B Matre igitur consentiente, fit rerum repentina distractio, arcarum cistellæ reserantur, mancorum marsupia replentur, sponsalia erogantur, crepundia & cœli comparantur triclinia, ac dum carnale dissipatur patrimonium, spirituale exercetur mercimonium. Verùm pro huiusmodi negotio sponsus iracundiæ facibus inflammatur, Paschasius consul tribunica potestate fretus, facti angore afficitur, eo quòd Christi tyruncula, nec sermonum seueritate castigata, nec lenonum fallacissimo lenocinio tradita, à rigido virginitatis proposito penitus inflecti valuit; quamuis testibus constrictam ad detestabile prostibulum, & inuisum lupanar scostorum trahere vel trudere niterentur sanctam, sed ab omni Magorum C machina illæsam, & haruspicum superstitione incontaminatam Christi tutela protexit. Postremò furibundus Consul flammiuomis assandam torribus tradidit: Ita vt atræ picis & resinæ fomentum cum scintillante oleo, rogorum incendia cumularent. Sed hæc diuinæ potestatis imbribus sopita dicto citius tabuerunt: Igitur beata Lucia saluo pudoris signaculo, & consummato vitæ curriculo gloriosum Martyrii triumphum meruit, dum mucrone confossa, maluit purpureum sanguinem fundere, quàm pretiosam pudicitiam perdere. Nec tamen cruentus carnifex obeuntem virginem gratulabondus conspexit; † sed catenarum nexibus coostrictus, & ab omni Trinactia vt barbarus prædo vel crudelis Archipyrata spretus est, cumque ad D vrbem Romulidam rigidis collaribus prægrauatus duceretur, à Romano senatu capitalem sortitus sententiam, præbuit lugubre spectaculum. Denique Iustina iustitiæ vernacula, ab orthodoxis non contemnenda virago, cùm Diocletianus Imperii sceptris infœliciter fungeretur, quanta vel qualia apud Antiochiam pro virginitate seruanda pertulerit, quis mediocri fretus ingenio expedire se posse glorietur, cùm signorum & prodigiorum gesta quæ literarum apicibus inserta leguntur, diligenter dicant, quòd eam neqoe procus ab integritatis arce detrudere, nec magica maleficiorum necromantia vllatenus vincere valuerunt, sed omnis præstigiorum scæna, quam callido phantasmate falsi nebulones schematizarunt, vt fumus euanescens disparuit, vt cera liquescens E emarcuit, vt vmbra fatiscens dicto citius dissoluta est? Hanc (inquam) cùm Cyprianus, qui per idem tempus haruspicum celeberrimus, & post Zoroastrem & Simonem, Magorum præstantissimus fuisse memorator, adhibitis Leuiathan argumentis strophosisqoe deceptionum muscipulis, ad thalami copulam & maritale consortium flectere nequiret, illicò per castissimam Iustinæ virgioitatem, qua omnes virturum coorsatiarum machinas eliminauerat, inuictom Christi trophæum & ineluctabile brauium, licet paganus prudenter iotellexit: ita vt actutum Ecclesiastico Exorcismo cathechiaatus & parturientis gratiæ vulua in baptisterio regeneratos fuerit, & vbi versa vice

S. Iustina.

7 Ecclesiæ Gradus ascendit.

supernorum sacramentorum cœlitus efficeretur impauidus prædicatos, qui fuerat peruicax fidei refragator: sicque per septenos Ecclesiæ gradus paulatim proficiens, ad summum Pontificatus apicem fœliciter perueniret; Iustina verò non solum integritatis gloria sine tenus fauorabiliter prædita permansit, verum etiam ad capessendam passionis palmam, adamante durior, diuersis tormentorum cruciatibus macerata non cessit, quia inuictæ mentis fundamina nequaquam arenosis fabulonum glareis, vltro citroque nutabunda subdiderat; sed editam aulæ structuram, vt ille sapiens, quem Euangelicum describit oraculum, robustissimæ petræ imposuerat: quæ dum crudis neruorum flagris truciter cæderetur, & crebris palmarum concussionibus exalaparetur, tandem in sartaginem ferream seuo & pice crepitantem, vt in tanto tormento tenerrima virgo torreretur, scandere iussa est. Sed Christus clementia sua solita, qua mediocribus consulens & contritis corde, vltrò misereri scit; flammantis foci potestatem compressit, & ad inclytam nominis sui gloriam virgineos artus ab ingruenti sartaginis exitio potenter proteait: postremo Imperatore vltroneos Dei martyres ergastuli squalloribus cruciante, & edictis crudelibus ad delubrorum ceremonias cogente, seorentiam decollationis accipiens, vna cum Cypriano (noo iam necromantia freto sed Pontifice) sacrosancto cruoris ostro purpurescit.

† *Lapsus est S. Aldhelmus communi errore Græcorum, cùm certum sit Cyprianum illum, qui è mago martyr euasit, longè diuersum esse à Cypriano Episcopo Carthaginensi. Vide Romanum martyrologium 24. & 26. Septembris, & notas Baronij vtroque loco.*

QVid verò beatam Eugeniam loquar perennis pudicitiæ sertis coronatam, & floridæ virginitatis vexillo armatam, cùm literis liberalibus imbuta, omnes philosophorum syllogismos & Epicuri sectas atque Aristotelis argumenta didicisset, à Philippo patre interpellata, & à proco generosis orto natalibus ad nuptias petita, ob poriorem virginitatis gloriam, vt spurca sterquilinia spreuit, vt proiecta peripsema contempsit, vt caccabatum furuæ fuliginis atramentum exhorruit, & ad maternum sanctæ Ecclesiæ gremium spreto basteroæ vehiculo, & relictis parasitis pedissequis, geminis tantum comitata spadonibus perrexit: D ibique baptismatis sacramentum perceptura, ac cœnobialis militiæ tyrocinium non muliebriter quæsitura, rasis cincinnorum crinicullis sub tonsura masculini sexus sanctorum cœtibus aggregatur, & militoorum cateruis saluo pudoris signaculo adsciscitur. Quam cùm omnis parentelæ pia propinquitas & familiaris clientelæ domestica solicitudo, fortuitis ademptam casibus arbitraretur, & velut Proserpinam (vt poëtarum figmenta ferunt) à Plutone raptam, lachrymosis singultibus lugubriter lamentaretur: statim à Pithonibus & haruspicibos vana falsitatis deliramenta garrientibus, qui sibi præ cæteris mortalibos frustra latentium rerum peritiam adplaudoot, stolida consulta poposcit: verùm illis friuola confingentibus, & E quæ Prophetica veritate careteor, solita Saluatoris clementia ciuitatem in monte positam (hæc non satis cohærent:) & lychnum sub modio coruscantem, clam diutius delitescere noo patitur, dum infamis calumniæ improperio, latentis pudicitiæ præconium propalatur: quamuis autor integritatis virginale munus clanculis occultare latebris deliberaret, & diuinæ duntaxat maiestatis notitiæ (cui abdita secretorum arcana prodootur) cognitum esse vellet. Nam cùm in Eugeniam falsum stuprum & lupanaris incæsti piaculum Melantia nigro nomiois præsagio traducta matronalis pudicitiæ obliuiscens, & quam lasciuæ obscœnitatis ludibria, carnisque incentiua illecebrosis stimulis agitabant, fallacites impin-

Cap. xxvi.

Militia Cœnobialis.

gera moliratur: velut farrato apologeticæ defensionis clypeo retundens strophosæ accusationis catapultas de falsitatis pharetra prulatas, in ipsos, à quibus diriguntur, ratursir, quod texius libelli Eugeniani vberius explanat: quemadmodum antiquitus Susannam cùm fabricatore falsitatem potius quàm presbyteri populorum, quos adulterinæ titillationis calor incæsti crimine eruentabat, dissona sermonum procacitate fallacitar insimulare machinarentus, dansis dirisqua lapidum imbribus obruti crudele mortis spectaculum præbuerunt, vt merito Psalmographi fantantia vtriusqua prusperis vitæ successibus historialiter quadrara congruè videatur, quamuis de Redemptora facundum

Psal. 26. anagogen vaticinantum credatur: Insurrexerunt in me testas iniqui, & mentita ast iniquitas sibi, & quasi pro hac calumniarum conrumelia, quam insonres à fallacibus tolerant, apta vicissitudo sequatur, Psalmista ita promulgante: eredo videre bona Domini in terra viuentium.

Cap. xxv. SEd operæpretium videtur, vt gloriosum illustris Agnæ axemplar, cœlibes intagritatis æmulatores & carnalis spurcitiæ contemptores minimè lateat: quinimo eiusdem virginalis propositi participibus & castæ sodalitatis consortibus innotescat, quæ pro integritata seruanda, omnem ornamantorum gloriam à Psucopio præfecti filio oblatam, quatenus oblata impatraret connubia, vt lurida fœtentis cloacæ volutabra contemnens, huiuscemodi rasponsa seddidissa fertur: Disceda à me fomas peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia iam ab alio amatore præuanta sum, qui ma annulo fidei suæ subarrauit: circundedit me varnantibus atque coruscantibus gemmis, induit me cyclade auro texta, cuins patas fœminam nescit, cuius matas virgo ast, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Et licet hnius rei gratia ad iniustum lupanar, vbi scortorum detestanda obscœnitas bacchatur, & frondosa mœcharum impudantia tuspites stupratur, ad infame dadecus naralium, propnjs exuta vestibus truderatur: tamen corusco immansi luminis splendora vallata, Angelicis fruitur conspectibus & peplis donatur dominicis. O quanta est furibundæ virginitatis ferocitas: è diuerso, quanta est reconciliari pudoris pietas. Nam cum præfatus obscœnitatis amator flammis carnalibus succensus, lupanarium sodalibus aggregaretur, vt virginis sacratissimæ spurca lenocinij ludibria labris prucacibus irrogaret, cœlestis iræ mucrone pernicites pesculsus occubuit, & veluti Oza, Arcam Tastamanti (vbi virga pontificalis quæ fronduerat, & vtna aurea cœlasti Manna refarta, simulque Tabulæ Decalogi literis sulcatæ sacondebantur) prophanis manibus contingere non metuens, illicò immaturæ mostis vindictam exsoluit: sed rursus potiorem Dei gloriam, vt insultatores Catholicæ fidai qui cogitauerunt consilium quod non potuerunt stabilire, balbis buccarum labellis obmutescarant, & porcinus Paganorum strepitus contra Ecclesiæ castitatem spumosis dantibus acrites grunnite desisteret: eundem rediuiua sospitate subnixum, de Inferni voragine raduxit ad limina vitæ, & mox purpureo cruoris rubore perfusa, immaculatam virginitatis victimam Chsisto offerens, martyrizauit. Illius tumba in Cæmetario posita grauissimam Constantinæ virginis valatudinem, cuius manrionam infra caraxanimus, velut cœlesti medicamine, totam incolumitati pristinæ restituit. Teclam quoque, & Eulaliam præterira incommodum duxi: quarum Tacla, deuota Christi virgo, cùm desponsata primo pubesceret æuo, & castis pudicitiæ moribus nondum lauacri Baptisterio renata adolesceret, audita egregij Dogmatistæ doctrina, da intagritatis dono disserentis; nea matesnis coacta blandimentis, nec proci compulsa precibus, ad thori contubernia, & nuptialia triclinia, quæ ante A theatrales spactaculi clatros cruentis carnificum manibus, vt pudicitiæ præmio priuaretur anixè nitentibus allata fuerunt, potuit adduci, sed indisrupta castitatis crapuudia, pratiosam virginitatis stolam inter sauarus leonum rugitus, & feroces vrsinæ rapacitatis rictus (Christo patrocinium præstante) inuiolabilem conseruauit, & sæuè crepitantes enormium sogorum torres, famiusta pyratum faculas cœlastis clementiæ fontibus restinctas, incolumis ac sospes fœliciter euasit. Eulalia verò duplici prædita triumpho, & gemino ornata trophæo cursum consummatura, & fidem setuatura cœlesti inscribitur albo. Nam post virginitatis gloriam, qua carneæ cloacæ spurcitias exhorruit, & nuptialis copulæ contubernia B spreuit, ad gloriosam martyrij palmam peruanit fœliciter.

Porrò Scolastica, ac Christiana, simulqua Durothea apud Cæsaream oriunda in prouincia Cappadociæ, licet dispari sæculorum serie sequestrarentur, pari taman integritatis gratia à Christo coronabantur. Quarum prima sub confessionis titulo, licat cruentæ passionis occasio defuisser, in consortio catholicorum laudabiliter degebat & in tam præcelso puritatis fastigio, vt cùm vnicus germanus, quem subnixis precibus vnius noctis intercapedine importunâ poposcerat, obtamperare pertinaciter reluctararat, statim profusis lachrymarum fontibus sareniratem ætheris in procellarum turbines commutans, & tonitrua fragore horrisono orbem trementem terrentia concitans, simulque C igniferas fulminum coruscationes aliciens, mirum mundo spectatulum axhibuit, secunda autem in tãtum diuinæ charitatis faculis accensa (etiam antequam Baptismi rudimenta susciparet) fuisse memoratur, vt statim ab vndecimo ætatis anno, phanaticæ superstitionis contamptrix & supernorum decreturum cultrix extitisse narretur; cuius pater, in Palatio, Magistri militum officio fungens, cùm eandem sobolem suam liberalibus sophismatum disciplinis imbueret: turrem minaci procetitata in edito porrectam, aidem erexit. In qua cum bis senis puellis iuxta ritum indigenarum, mutis diis vt adoleret, & holocausta thurificaret, à patre culturis delubrorum dedito inconsultè cogeretur, sad cùm se ab vnica filia meritò spretum compe- rissat, & deauratas simulactorum effigies, Iouis scilicet D & Apollinis, simulque Vaneris stuprorum amatricis, minutatim in frusta confractas animaduerteret; illicò diuersa tormentorum ganera eandem filiam vexatura, cruentus carnifex & truculentus parricida potius quàm pius pater, crudalitar machinatur. Veruntamen mens Dao dedita, nec olidos ergastulorum squalores horrescit, nec scopulum collo connaxum, & marinis gurgitibus immarsum pauascit, nec sudibus crudeliter membra tenerrima cædentibus mollascit, nec vel vsti capitis deformationa, quamuis flaua cæsaries saderetur & per publicum decaluata traberetar, statum cordis inclinat. Nec torrida fornacis incandia, Chaldaici regnatoris machinas æquiparantia, obstupuit: nac vanenatos aspidum rictus quas Marsi E incantationum carminibus irritabant, pauefacta puella perismescit, imò hæc omnia, Christo patrocinium præstanta, saluo pudoris thesauro fœliciter superat. Postremò geminis spiculorum vulneribus sanciata, & purpurao perfusa cruore pro Christo martyrizauit. Tertiam verò cum Sapricius orthodoxorum cruentus carnifex, non solùm ad nuptias, sed ad nefandas quoque Idolorum culturas & ineptas Gentilium cæremonias cogere nequirat: confestim furibundas, catastarum crudelitatem exercuit, liuidas palmarum vibices exhibuit, torrentas lampadarum flammas applicauit. Duabus quoqua fœminis, quæ nuper à fide naufragauerant, & à Christi consortio apostatauerant, aandem tradidit deprauandam; sed versa vice, aarundam

earundem probrosas apostatatum cicatrices, pœnitudinis medicamento ita salubriter curauit, vt statim ordine præpostero doctricem propriam ad Martyrij palmam præcederent. Verum cum egrederetur crudele prætorium, Theophilus cum cachinnanti cauillatione flagitauit, vt de Paradiso sponsi cœlestis, ad quem properare fatebatur, grata fructuum munuscula mitteret: quod contumelia cum prolatum, in veritate completum est. Nam pridie quam pateretur, & cruentis mucronibus truncanda subderetur, tria Mala cum purpureis totidem rosis ad eundem Theophilum destinasse describitur, qui huius rei gratia propriè occasionem salutis adeptus, rubicundis Martyrij sertis est coronatus.

*Theophilus gentilis fiunt martyr.*

Constantia integerrimæ virtutis virago, filia Constantini, qui per idem tempus tripartiti mundi monarchiam prosperis successibus gubernasse noscitur, nonne cunctas propemodum Romanorum Prætorum filias, omnemque penè generosam fœmineam sobolem ac pulcherrimam pubertatis indolem, famosæ virginitatis rumore ad culturam Christianæ religionis & coronam castitatis incitauit, sermone suasit, exemplo instigauit? Ita duntaxat, vt vnamquamque spreto nuptiali thalamo & maritalis luxus commercio, cœlestis sponsi amplexus enixius satagere, & inter virgines sapientes cum lampadibus properare, ducta crebro suspiria faterentur: quod plenius de conuersatione illius scripta opuscula produnt, cuius rei Attica & Arthemia illibatæ virginitatis & pudicitiæ florentis virgines satis declarant. Quarum genitore Gallicano, dum Constantinus Cōstantij filius in Britannia ex pellice Helena genitus, sceptris imperij potiretur, nullus in Romana Monarchia præstantior extitit, & quem solum præ omnibus Tribunitiæ potestatis, & procerum magistratibus dignissimum ratus est, cui Constantiam regali prosapia genitam propter secundos bellorum euentus & prosperos triumphorum successus, nuptiali dote subarraret, & ad copulæ contubernium, si rerum ratio pateretur, desponsaret. Qui & eruta radicitus paganorum cultura ad fidem catholicam conuersus est, & solus ea tempestate Schyticæ gentis impetum, quæ cum infinito duelli apparatu à Circio proficiscens Traciarum prouincias populatur, perferre potuisse tradebatur.

*Helena Constantini mater.*

c. xxvi. His igitur præfatis virginum catervis, nequaquam Eustachiæ & Demetriadis virtutum tumusculis, qui passim per Europam crebrescens diffunditur, à nostris literarum schedulis & apicum pictatiolis excludatur: quarum prior fauorabilis filia Paulæ, & Beatæ Blessillæ Germana, adeo apud Occidentis imperium solerti ingenio prædita claruit, vt in orthodoxorū Bibliothecis, vbi sagacissima Hieronymi Commentaria reconduntur, siquidem sexies, ternave, tersena in Esaiæ vaticinium volumina, ad eandem virginem describuntur: sed & residua Canonica commentariola scripturarum, præfatus diu næ legis interpres & matris & virginis compulsus industria, sudans enarrauit; quæ vniuersa sigillatim commemorare pertæsum est, quod vestræ sagacitatis philosophiam per patentes librorum campos curiosè vagantem nequaquam delitescere reor, cui etiam exhortatorium de virginitate seruanda insigne edidit opusculum. Secundam vero nobili stirpis prosapia oriundam, in tantū vagabunda rumorum præconia extollebāt, vt etiam transmarinis literarum characteribus imbuta, vsque ad summum virtutis, virginalibus meritorum gradibus conscenderit. Siquidem flagitante eiusdem genitrice, volumē prolixa & lepida sermonum serie digestum, ad præfatam Christi tyrunculam, citra mare dirigitur, in quo rudimēta vitæ illius caraxantur ita: *Scribendum est igitur ad Demetriadē virginem Christi virginem nobilem, virginem diuitem, & quod his maius est, ardore fidei nobilitatam, diuitiasq; calcantem:* & infra: *quæ summa loco nata in summis opibus, summisque delitiis nutrita, tanti tamque variis vitæ humanæ blandimentis velut tenacissimis quibusdā vinculis irretita, subito eruperit, cunctaq; simul bona corporis, animi virtute mutarit:* & post pauca *meminit enim*, inquit, *quas Mūdi opes respueris, quas deniq; contempseris vitæ præsentis illecebras, quibus voluptatibus renunciaueris.* Rursus ante calcem voluminis. cū supremi examinis exēplum, terroremque iudicantis, qui æqua discretionis bilance singulorū facta trutinabit, eleganter exponeret, ita exorsus est, *recens factum est, quod ipsa vidisti, cū ad stridula buccina sonū Gothorumq; clangorem, lugubri oppressa metu domina orbis Roma contremuit:* & infra: *ista* inquit, *mortales timemus hostes & humanā manū, quid facientus cum cœperit clangor & terribilis tuba intonare de cælo, & ad illam Archangeli vocem omni buccina clariorem totus simul remugiet mundus. tunc tu iustorum choris & sanctis comitata Virginibus in sponsi obuiam obuolans, &c.*

*D. Hieronymi, de virginitate seruanda opusculū.*

Gloriosas itidem passiones trium germanarum Chioniæ & Irenis atque Agapæ quæ sub confessionis titulo & sanctæ virginitatis præconio pari tripudio triumpharūt, rusticis saltem schedarum apicibus caraxemus: quarum celebrandis rumoribus longe lateque crebrescētibus, Diocletianus ea tempestate sceptris impetrabilibus infœliciter functus, prædictas Christi pedissequas accersiri præcepit, & eis, si à Christianæ religionis cultura apostatarēt, & à recto fidei tramite exorbitārēt, nefandæ gentilitatis charybdibus naufragarēt, palatinas pollicetur insulas, & opulenta sponder patrimonia, si mallent mundi matrimonia. Quæ cum opulentam mundi gloriam, & lenocinantis vitę præsentis illecebras nō dissona sententia recusarēt: illico vrgente nefandi grassatoris imperio, easdem sanctæ Ecclesię pedissequas in latebras lacunę diri tortores detrudūt, quibus beata Anastasia ne famelicę frugalitatis parsimonia deficerent, alimoniæ stipendium & stipis edulium exhibēs lacunæ liminibus, libenter erexit. Ex in prædictæ sorores, Dulcitii, Diocletiani Satrapę insidiis, vt thurificarent torquēdæ tradūtur. Quarum formosam vultus venustatem, nō stibio confectam, vel calamistro cirris crispantibus adeptam, sed ingenitam Pręses petulans contemplans, statim oculorum lenocinio captus, in luxū labescit, vt cera ante larem liquescit, & intantū videlicet cæco carpitur igne, & clandestinis inflammatur flammulis, vt intēpestæ noctis conticinio, cellam in qua præfatæ virgines psalmodiæ cōcentum celebrabant, violēter irrumpere non vereretur, vbi cuncta supellex & numerosa cocorū vtensilia seruabantur. Mox furiis correptus, cœpit quasi limphaticus vel freneticus denigratos lebetes & furuores fuligine cacabos complecti, tetrasque sartagines basiare, in quibus diu strophosi authoris instinctu debacchatus, & ridiculoso ludibrio lętificatus abscedit, & nequaquam effecta, sed affecta volūtate, tā corporis habitudine cacabatus quam mentis morbo maculatus egreditur, & velut æthiopica nigritudine fuscatus, à propriis parasitis & domesticis clientibus non agnoscitur: cumque palatij vestibulum cacabatus irrumpere, enixo conamine niteretur, vt Imperatori de irrogata vernarū calumnia flebili singultu querimoniam ederet, alij lentia viminibus cædētes, alij palmis & pugillis colaphisantes, nonnulli vt atrum nebulonis phantasma exsufflantes in faciē, procul eliminant: ductus itaque ad domum suam suorum manibus vernarum, lamentantis clientelę strepitu lugubriter excipitur autumās incassū quod à Christi tyrunculis magica cromantia ludificaretur. Tunc ergo vt contritus coluber linguis trisulcis sibilans, rursus sublime tribunal scandit, vt sanctas viragines propriis exutas cycladibus, obscœnæ cupiditatis spurcitia succēsus, & petulantis lasciuiæ facibus inflammatus, luxuriosis obtutibus contemplaretur: sed peplorum amicula sceleratis manibus membratim detracta nequaquam à sanctis artubus spoliari valuerunt. Denique Dulcitius præses cum omnibus machinamentorum inceptis frustraretur, & quicquid virgunculis moliri deliberaret, cas-

*Dulcitius ludificatur.*

*N. Proculi eliminatur.*

faretur: imperáte Diocletiano comes Sisinnius præfatas
Dei famulas recrudescente pœnarú atrocitate vexandas
accepit. Tunc spurcas Delubrorum cæremonias exhibet
quasi Lupercalia & Compitalia celebrádo, vel Pœnalia
& fao vetauril·aurificando, seu Tutalia & Nictelia litá-
do furibunda numina reconciliarent, & Deorum fauo-
rem repropitiarent: cuius execrandum imperium cum
implere pertinaciter refragarentur, duæ ex illis in torrida
crepitantis pyræ incédia trusæ, vna pharetrarum spicu-
lis sauciata, cum Virginitatis palma & Martyrij corona
Paradisi præmia possessuræ, & cum clalv. militibus virgi-
nalem melodiam modulaturæ, ad Christú pariter per-
rexerunt. Præterea imperátibus Augustis, Valeriano &
Galerico, cum feruor torridæ persecutionis & ardor
crudelitatis actius incanduisset, & cœlestis militiæ mani-
pulares, quæ pro cófessione fidei nequaquam (formido-
losorum more luctatorum) palæstram certaminis hor-
ruerunt, cruétis carnificum mucronibus necarétur: duæ
germanæ virgines vocabulo Ruffina & Secunda gene-
rosis oriundæ natalibus, persecutorum rabiem paulisper
declinantes ad prædiolum suum in Tusciæ partibus ve-
hiculo properabant: illico sponsis earum prodeuntibus
M. ad vomitum relapsis, Chiliarcho. ad apostasiæ cloacam, velut Molossi ad vomitum, elapsis
Chiliarcho eum equestri turma insequente, Romá ad-
ducuntur, puttido squalentium ergastulorum latibulo
mancipandæ, & subsannátis gannaturæ ludibriam latu-
ræ. Posthæc Ruffina cum durissimis verborum ictib. cæ-
sa, & flagrorum vibicibus cruentata in conspectu furen-
tis Satrapæ vapularet: Secunda constanter ait: applica
ignes, saxa, gladios, flagella, fustes & virgas, quot tu pœ-
nas intuleris, tot ego glorias numerabo; quot tu violen-
tias irrogabis, tot ego Martyrij cóputo palmas. Mox in
latebroso carceris fundo, qui fumigabundus fœtentissi-
mis fœtoribus horrebat, sanctæ virgines incindútur, sed
furua caligo cœlesti splédore fugatur, & ex putrido lati-
bulo velut triama, & nardi pistici fragrátia redolet. Rur-
sus in ardentes termarum vapores torrebátur, inclemé-
ter iactari imperantur, sed illæsa membrorum venustate
sospites emersisse leguntur. Verum cruenta tortorú se-
ueritas reciprocis vicibus toties elisa & labefactata, nec
mitescere, nec miserescere nouit. Siquidem famulas Dei
ingentis scopuli mole cuneatas in medio Tyberis alueo
sine miserationis respectu mergi iussit, sed vndarú gur-
gites dantes gloriam Deo ab infidelibus denegatá san-
ctas virgines riparum marginibus incolumes restituunt.
Vnde Satrapa, tanta rerum prodigia obstupescés scribi-
tur dixisse: Istæ aut magica arte nos superant, aut virgini-
tatis in eis sanctitas regnat. Postremo capitalem formæ
sententiam Angelicis euectæ cateruis cum vexillo Virgi-
nitatis ad cœli sydera scandunt. Nec prætereunda céseo
sanctarum virginum Anatholiæ & Victoriæ præconia,
quorum rumores & prodigiorum priuilegia per totos
mundi cardines longiuscule crebrescunt, dum scedarú
apicibus quando rotáte anni circulo natalitiæ earúdem
catholicæ celebranti in pulpito Ecclesiæ recitátur. Igi-
tur regnante Decio effrenata tortorum ferocitas contra
bellatores Christi crudeliter exarsit, prædictas virgines
nulla persecutorum rabies, nulla pœnarum acerbitas ab
integritatis arce detrudere valuerunt, sed omne patri-
monium & ornamentorum gloriam tam discriminalia
capitum & periscelides crurum, quam olfactoriola nar-
di, & crepundia collo gemmiferis lunulis pendentia, ad
stipem maneis & matricularis prodigia liberalitate con-
M. Matriculariji. tulerunt. Quo comperto procorum præcordia furibúdis
vesaniæ faculis inflammantur: dum vniuersi facultatum
reditus, & copiosa quæstus stipédia ad Agapem pauper-
culis mendicantibus venirent. Tunc Eugenius & Aure-
lius, quam sponsi earum futuri fore credebátur fraudu-
lentorum consilio & dissimulato Regio Imperatoris pit-
tacio imperant, vt ab vrbe Roma, ad propria prædia du-
cerentur, ne forte si pro Christianæ religionis titulo eas
accusantes publica insimulatione propalarét, possessio-
nes earum & agrorum fundi fiscali iure proscriberétur,

Ducta est itaque Beata Victoria præsago vocabulo veré
A Christi victoria in Tribulano territorio, vt ibidem cal-
liata famis copia & cibi inopia tangeretur. Et tempesta-
te contigit, vt vniuersi municipes quorum municipatus
in Tribulano municipio fuerat, virus & flatum squam-
mosi draconis non ferentes spreto oppido vagabundis
meatibus passim dispergerentur. Quibus S. Victoria, si
relictis deorum statunculis & abdicatis delubrorum lu-
percalibus vltro Deum colerent, spopondit se virulentá
spumantis basilisci spiracula procul pulsaturam, & vrbé
incolumitati pristinæ redditurá. Nam propter venena-
ta horrentis chelidri flabra calamitosum vulgus ingenti
strage cateruatim trucidabatur, parétes præpostero or-
dine immatura pignorum funera cernentes flebilibus
orbitatis quæstibus acriter arctabantur. Tunc patronus
B ciuitatis generaliter ex persona promiscui sexus cúctos
puellæ oraculis credula præcordia pádere pollicetur. Si
truculenta gipsæ crudelitas, quæ lethiferam miserádis
ciuib. lucem inferebat, lógius arceretur. Tum sacra vir-
go Angeli fulta suffragio, cum turbis populosè ad spectá-
dum manipulatim confluentibus, ducitur ad draconis
speleum, concrepante iam pullorum plausu & sonante
gallicinio & nequaquam formidolosis gestibus treme-
bunda, nec meticulosis palloribus nutabunda lætitátem
alloquitur bestiam. In nomine, inquit, Iesu Christi Do-
mini nostri exi hinc draco nequissime, & da honorem
Deo, vade vbi nó habitant homines paruit draco dictis,
& cursu rapidissimo fugiens abscessit. Illa vero ingressa
latibulum belluæ, flagitat populú iam periculi expertē,
vt sibi oratorium in eadem crypte struát, & puellulas ad
C patrocinium ritè impendant, quibus imperio paréribus
lxx. virgunculæ diuino seruitio subiugatæ, consona me-
lodia dulciter hymnizantes & Psalmorum concentus
suauiter concrepantes Victoriæ exemplis & monitis hæ-
rescunt. Porro Eugenius procus eius emenso triennio
Capitolij flaminé enixa prece poposcit, vt misso statú-
culo Dianæ cogeret Victoriam apostatico ritu thurifica-
re, illa nefandum facinus execrata & gerulum simulachri
exosa, ictu gladij interimitur. Nec tamé cruentus carni-
fex victoriam de Victoria nactus est, sed mancus, manu
arida, & elephantica cutis callositate purulentus vermi-
bus scaturiens putridum exhalauit spiritum. Anatolia
vero in exilium trusa signorum miraculis crebrescens
præfatam sociam in virtutibus æquiparauit. Execrata
D enim filium consulis energumenum rigidis catenarum
nexibus astrictum expulso habitatore dicto, citius cura-
uit; quarum ore clarescente & lunaticos, & comitiales ac
cæteros valetudinis pristinæ sanitati restituit. Sed & M. marsicis.
Marsum, qui virulentas matrices ad sacræ virginis læsio-
nem incantationum carminibus irritabat, vt poëta ait,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, diris spiris
inuolutum perniciter eripuit. Tunc B. Anatolia cum
staret in oratione, erectis ad sidera palmis, & fusis ad po-
lum precibus, euaginato ense capulo tenus per vtraque
latera adacto cum virginitatis triumpho rubra martyrij
serta fuso sanguine sortitur.

SEd quid mirum iam radij coruscante gratia, postquá c.xxvij.
virgo virginem sancto puerperio peperit, cuius prin-
E cipatus super humeros esse perhibetur, st Ecclesia virgi-
nibus redundet, sicut cœlum sideribus resplendet, cum
etiam castissimú Ioseph legalia veterú volumina immé-
sis præconiorum laudibus celebrent, qué ab ingruenti
multiformium calamitatum discrimine, quas nó solum
liuidorum conspiratio germanorum fraternum nequa-
quam exosa parricidium intentabat; verum etiam ob-
scœna fallétis dominæ friuola matrimonialis pudicitiæ
oblita machinabátur, quamdiu puræ virginitatis comes
& lenocinantis prostibuli contemptor extiterat, illæsú
diuina tutela proreali, futurorumq; prodigiorum arca-
nis imbutum, & signorum portentorumque præsagio
cæteros mortales latentium mirabiliter instructú, pro-
phetica quadam vaticinatione inspirauit, vt non imme-
ritò

ritò à limpidissimis solis ac lunæ luminaribus ac residuis stellarum sideribus, simulque secundis manipulorum fasciculis somno sopitus, adorati veneratique videretur, dum in pulcherrimo pubertatis decore & formosi vultus florens venustate formosiore fretus virginitate, strophosam muliebris audaciæ muscipulam parui pendens, callidæ deceptionis decipulam declinauit, simulque fraudulenta fœmineæ titillationis lenocinia ac blanda, sermocinationis incitamenta, velut lentescente nectaris defruto, seu mulsæ mellitæ potationis oblectamenta, atrum veneni virus infundentia, & in cautos quosque sine lorica fidei armaturaque militari capens truculente ad tartarum trudentia spreuit, vicit, contempsit, & cum palma virginitatis aufugit: qui licet arcta sordentis ergastuli latibula, & tetrum tenebrosi carceris squallorem propter egregiam pudicitiæ puritatem pateretur, attamē clandestinæ castitatis cognitor Deus, cui secreta patent, & quem abstrusa non latent pro incontaminata adolescentis continentia eidem Memphiticæ gentis gubernacula tradidit, & florētis imperii moderamen commisit.

David quoque opinatissimus Regum, sub ipso pubertatis tyrocinio illibata virginitate præditus antequam copula matrimonii & connubii nexu innodaretur, nonne argutis fibrarum fidibus limphaticum mitigabat, & impēsa sospitatis gratia freneticum curauit, dira procul terrorum explosa spirituum vesania, quique etiam ætate tenellus lacertis validis frementium mandibulas leonū discerpsisse, durorumque rictus vrsorum frustatim confregisse, & enormem Allophylorū gigantem crista cassidis, ac thorace indutum, ocreis & phalarica armatum, æreaque vmbonis parma protectum, saxis tantum teretibus fundibula fretus singulariter congrediens obtruncasse describitur. Ergo licet vita illius vsque ad meram mortis probabilis extitit, vt pote, qui solus nepotum & pronepotū piacula proprii prærogatiua meriti abolere potuisset, vt in Basileon de Regibus priscæ legis censurā præuaricantibus sæpe cautum est: Non extinguam scintillam David; tamen relicto virginitatis statu Vrias insons interimitur. Bersabeæ illegitimo iugalitatis vinculo fœderatur, & pro hac temeritate expianda cœlestis iræ mucrone proles primogenita percutitur; licet, inquam, vterque patriarcha, quandiu aura æherea & vitali flamine vesceretur, supernæ maiestati gratissimus extiterat, ast tamen post carnalis consortium copulæ, de vtroque minora virtutum præconia crebrescunt.

CXVIII Samson ille Nazarenus ab ipsa gracillima cunabulorum ætatula Domino septenis crinibus sacer, antequam fraudulentia Dalilæ complexibus caperetur, & perfidi pellicatus stupro eneruiter deceptus illecebrosis lenocinii nexibus nodaretur, nondū ferro tēpta cincinnorū cæsarie, quantis miraculorum signis & virtutum rumoribus omni sæculo vsque ad id tempus inexpertis effulsisse deuulgatus. Igitur sicut supra retulimus, Hieremiam & Danielem cæterosque eiusdem propositi consortes & florentis pudicitiæ sodales futura incarnati Verbi virginitas mysticis sacramentorum obumbrationibus figurabatur: ita per Abel insontem mitis innocentia & passio: per Melchisedech vero supernæ potestatis pontificium & cœlestis infulæ flaminū præsignabatur: quorum prior, vt altius repetens ab origine pādam, propter dignitosam innocentiæ palmam, & originalis patientiæ titulū, spreto fraterni libaminis sacrificio, rata & grata diuinis conspectibus holocaustomata, primus mortaliū offerre promeruit, & huius rei gratia à perfido & nefando fratre inextricabile germanitatis vinculū contra ius diuinum & fas humanum rumpente crudeliter cruentatus futuram in fine sæculorū pii redemptoris nostri passionem purpureo pretiosi sanguinis ostro præfigurauit. Ast verò Melchisedech inchoantis tertia sæculi ætata florens, & primus summi sacerdotii dignitate subnixus, ac præclaro pontificatus apice præditus, per idem tempus otta Regum simultate patriarchæ eum ccc. xviij. vernaculis famosum reportanti trophæum; & post enormem cateruarum stragem cū fratruele numerosas Sodomorum reducenti præda sobinans, nonne pro sanctitate conuersationis typica persona panis merique libamina litaturus Redemptoris typicè personā præfigurās obtulit, vt merito de Christi sacerdotio quō geminam obtulit victimam Dauidica concinunt oracula: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, cuius paterni geniminis prosapia, & maternæ generationis propago, ignota sæculis gemini partus natura delitescit. Idipsum Apostolo attestante, sine patre, sine matre, sine genealogia: quamuis vulgata Hebræorū traditio hūc finile arbitretur Sem primogenitum Noë, tritauum Abrahæ & Nachor, & Aaron. Sed plurimum differt inter ambiguas Pharisæorum traditiones & elucubratam Sacræ Scripturæ definitionem. Apocryphorum enim nænias & incertas friuolorum fabulas nequaquam catholica ceptat Ecclesia.

Sed ad propositum reuertar. Ornetur, inquam, beata virginitatis integritas non exterioris hominis formosa venustate, sed interioris religiosa castitate. Si enim exterior pretiosa indumentorum comptus ornatu sæculariter gloriatur, frustra interior de pulchritudine propria inaniter gratistur, cum vas electionis generali sententia quasi speciali refragetur: mihi inquiēs, absit gloriari, nisi in cruce Domini: vt quid enim sæculi pompulenta vanitas in catholica Christi basilica intromittetur, ob quam rem virgines Christi cœnobii famulatu cōuersantes, ornamentis vestium delicatis decorari satagunt. Nonne Acham filius Acharmi, qui de anathemate municipii septem numerorū ambitu vallati pallium coccineum & ligulam auri sibi vsurpans contra decretum ducis clādestina fraude subripuit, cū totis parentelis ac contribulibus & domesticis clientelæ sodalibus saxorum imbribus obrutus horrendum mortis spectaculum Hebræorum phalangibus præbuit? Per allegoriam verò oppidū Hiericho cum septiformi murorum obstaculo typum mundi cum septenis sæculorū millibus designasse priscorum patrum decreta sanxerunt, non ergo tuituri vetita mundi ornamenta purpureæ pretiosis tincturæ muricibus colorata alūnis cœnobii vernaculis Christi virginibus Ecclesiæ contra Apostolica statuta & legalia scita ritè ac regulariter congruere queunt. Siquidem pastor gregis Dominici & ianitor cœlestia aulæ, de quo poeta, Clauiger æthereus portam qui pandis in æthera, ita authoritate principali & authentico pontificatu promulgat, Sit mulieri non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis. Vnde Gregorius peruigil pastor, & pædagogus noster, inquam, qui nostris parentibus errorem terræ gentilitatis abstulit, & regenerantis gratiæ formam tradidit, cum Euangelicum explanaret dictum: Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regū sunt, adiunxit. Nemo ergo existimet in studio vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa nō esset, nequaquam Petrus Apostolus per epistolam suam fœminas à pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens non in veste pretiosa. Quod si hoc culpa non esset, nullo modo Ioannem Dominus de vestimenti asperitate laudasset, pensate quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere, à quo curauit pastor Ecclesiæ & fœminas prohibere, euidens namque, vt mihi videtur, & inexcusabilis arrogātiæ probrum & ostentationis indicium ex eo declaratur, quod ibi pretiosis & coloratis vestibus indui desiderat, vbi à nullo valet videri; vnde B. Cyprianus de virginibus loquens, Quid, inquit, ornata, quid compta procedit, quasi maritum aut habeat, aut quærat: & infra subdit; Neque enim virginem fas est ad speciem formæ suæ comi, aut de carne & eius pulchritudine gloriari, cum Apostolus dicat; mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: nulla ergo sit in illis cura, magis quā aduersus carnem colluctatio & vincendi corporis ac domandi obstinata certatio. Ornamentorum enim ac vestium insignia & lenocinia formarum, non nisi prostitu-

tis ac impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè **A** pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est. In Apoc. mulier illa amicta erat pallium purpureum & coccineum: fugiant castæ virgines & pudicæ incestarũ cultus, habitus impudicarũ, lupanarium insignia, ornamenta meretricum: & alibi: Cæterum, inquit, si tum te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas oculos in te iuuenum illicias, suspiria adolescētum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, spirandi fomenta succendas, & vt, si ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum vidētibus exhibeas, excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica: redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter virgines Christi, quę sic viuis, vt possis adamari. Hactenus Cyprianus. Nunquid ille conditor ac creator omnium Deus hirsutas bidentum **B** lanas & setosa veruecium vellera non potuit rubro conchyli sanguine aut cruento vacciniorum succo inficere, seu certè purpureis tincturæ muricibus naturaliter colorare, si huc nostris vsibus cōmodum & vtilitate profuturũ solerti præsentia præuidisset, vt illud veraciter impleretur, quod per ironiam à Poëta fœliciter cātatum est; Nec varius discet mentiri lana colores: Ipse sed in pratis aries iam suaue rubēti Murice, iam crocco mutauit vellere luto, Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos. Et quid ille de quo dictum est: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, cum conderet orbem originaliter creare nequiuerit. Nec mortalium industria stolidis ac superfluis adinuentionum argumentis addere & amplificare contendat. Vnde inclytus artem Cyprianus Punicorum pontifex, inquit: Neque enim Deus coccineas, aut **C** purpureas oues fecit, aut herbarum succis, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit. Nam quippiam rerum visibilium plastica humanæ naturæ necessarium omnipotentem reliquisse infectum catholicæ fidei regula refragatur. Sed quid mirum, si Apostolorum oracula & iurisperitorum scita præfatas friuolorum nænias abominātur, cum etiam gentiles gentilibus & paganis pagani quasi ridiculosum subsannantis gannaturæ opprobrium leguntur improperasse hoc modo: cum infami prouerbiorum elogio cachinnantes ac cauillantes: Vobis picta croco & fulgenti murice vestis. Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ. Iudith filia Merari post obitum Manasse, sumpto viduitatis theristro & spreto sponsali peplo blanda procorum lenocinia contemnens, nondũ **D** resultantibus Apostolicæ salpicis clangoribus: Dico innuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint: quasi candens lilium pia castitate florescens, atque à publicis conspectibus delitescens. in cœnaculo solario pudica conuersabatur, cum horrendum Assyriorum principem, qui innumeris manipulorum militibus equitatu & peditatu gloriātibus orbem trementem terruit, ab ira comitante circumuenire moliretur, haud secus decipiendum credidit, nec aliter obtrucandum rata est, nisi eum natiuum vultus venustate ornamentis etiam corporalibus caperetur, de qua in lxx. translatoribus scriptum est: Induit se vestem iocunditatis suæ, & imposuit periscelides & dextralia, & annulos, & omnia ornamenta sua, & cōposuit se nimis in rapinam virorum: Et non nostris assertionibus, sed scripturæ adstipulationibus ornatus fœminarum rapina virorum vocatur. **E** Verũ quia hoc in orta Betuliæ obsidione pro contribulibus dolitura cōpatientia affectu, nō castitatis defectu fecisset: Idcirco salua pudoris reuerentia celebre meticulosis municipibus trophæum, & inclytum oppidanis trepidantibus triumphũ teste tyrannico capite & conopæo reportauit. Nec non in Prou. Salom. mulier illa procax & pertinax, synagogæ typum obumbrans, quæ virum propriũ integro plenilunio reuersurum spopondit ornatum meritricio & luxuum lenocinitate vecordem iuuenē pellexisse, & fraudulento verborum oblectamento deceptum lugubriter elicuisse describitur, vt merito quasi bos ductus ad victimam cæcæ cupiditatis petulātia captus nefandum prostitutę lupanar aggredi minimè vereretur, ignorās quod ad vincula stolidus traheretur, donec trāsfigat iecur ei⁹, velut si ales perniciter festinet ad laqueum. Pudet ferè quorundam frondosam elationis impudentiam & comptam stoliditatis insolentiam, quæ in vtroque sexu non solum sanctimonialium sub regimine cœnobii conuersantium, verum etiam Ecclesiasticorum sub ditione pōtificali in clero degentium contra canonum decreta & regularis vitæ normam deprehenduntur vsurpatæ, obid solum, vt crusto interducto, phalerataque venustate carnalis statura, comatur, ac altitudo corporea membratim ac particulatim perornetur. Nam cultus geminæ sexus huiuscemodi cōstat, subucula byssina, siue hyacinthina, tunica coccinea, capitiũ & manicæ sericis clauatæ galliculæ rubricatis pellibus ambiũtur, antiæ frōtis & temporum cincinni calamistro crispantur, pulla capitis velamina candidis & coloratis mauortibus cedunt, quæ vittarum nexibus adsutæ talotenus prolixius dependũt, vngues rim falconum, accipitrũ, seu certè ad instar caluauorum acuuntur, quos naturaliter ingenita edendi necessitas instigat obũca pedum fuscinula, & rapaci vngularum harpagine alites & sorices crudeliter insectando grassari. Verum ne fortè proteruorum insolentiam & traductam indisciplinatorum arrogantiam, qui malũt negligenter dissimulari quàm clementer increpari, obliqua liuoribus inuidia criminemur, aut strophosæ sugillationis ludibrio rogemur, huiuscemodi disputatiũ nequaquā vlterius protelemus, sed cōpetenti clausula mansiua terminetur, nedũ malagma medicamenti purulentis proteruorũ vulneribus, quæ primus rigida conuitiorum flagra virulentasque asperæ inuectionis mastigias ab æmulis atrociter illatas, expetiamur, & tamen nō magnopere moueor quamlibet aduersus stipulatorem veritatis suarim liquescant, ac contra insectatorem tumentis iactantiæ grauiter ingemescant: Quia meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula odientis, leuius quippe ferēda est deuoti vibex amici liuida, quàm adulatio fallax inimici. Vnde prouerbiũ dicitur, lingua seruatrix vitiũ peccantis acerbat. Et delectatum crimine laude ligat: & infra; Libera, inquit, sit potius vox correctoris amici. Serpere nec sibi ia cæca venena sinit. Quāobrem ab omnibus generaliter indulgentiæ veniam non difficulter impetrandam reor, quia neminem specialiter seueritas castigando exacerbauit. Nam passiua plurimorum generalitas nequaquā iure lacerari debet, vbi specialis singulorum proprietas culpari non valet, multum quippe genus & species, hoc est, generalitas & specialitas abinuicem differunt. Sed de intactæ virginitatis gloria dictũ propemodum superfluè, de peplorum amiculo rhetoricamur, cũ de pudicitiæ tātũ præconio remotis paulisper reliquarũ rerum negotiis, prout gratuita Dei gratia suppeditarit, philosophari decreuimus. Omne etenim puræ virginitatis priuilegiũ potius in solo liberæ mentis præsidio seruatur, quam incerto carnis castello continetur, & magis inflexibili vltroneæ voluntatis arbitrio salubriter tutatur, quam coacto corporis famulatu ad nihilum redigitur: vnde Augustinus Hipponensis pōtifex elegāte prosæ sententia promulgat, dicens: Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate, & iam corpore oppresso, sicut amittitur corporis sanctitas violata animi puritate etiam corpore intacto: quod Prosper per cola & commata mellitis versuum Epigrammatibus inculcauit, dicens:

*Mens illæsa nihil violato in corpore perdit.*
*Innitum carnis vulnera non maculant.*
*Nec crimen factis recipit, non mixta voluntas,*
*Velle magis facinus, quàm tolerare nocet.*
*Si autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,*
*Vt plerunque animus sit sine carne reus,*
*Quod ab intacto submotum est corpore solus,*
*Concipit, & rectis motibus intus agit.*

Deniquc Priuatus Punicorum Præsul: Virginitas, inquit, carnis, corpus intactũ. Virginitas animæ, fides inquit,

[Marginal notes: *affectu fecisset, idcirco. M.* — *ornatu luxu lenocinante M*]

incorruptá. Item Prosper inquit:

*Carnis virginitas intacto corpore habetur,*
*Virginitas animi est intemerata fides:*
*Qua sine corporei nil prodest cura pudoris,*
*Sed mentis pietas auget vtrumque bonum.*

Igitur digesto pulcherrimæ virginitatis libello, licet mediocriter vrbano, stylus iam finem flagitat, & dictandi tenor terminandus est, quia illustris côcionator, tempus inquit loquendi, & tempus tacendi. Non enim aliud quodlibet munusculú plus ratum & gratum virginibus Christi fore credideram, quam vt pudicis pudicitiæ præmia promererêtur, & mundis munditiæ munera mittarentur.

C. XXIX. FAteor charitati vestræ, quod hoc opusculum, licet minusculum, pastoralis curæ sarcina grauatus, negotiorumque terrenorum ponderibus oppressus, ita perniciter, vt flagitastis dictare, vobisq; destinare, nequiueram, quia securæ quietis spatium & morosam dictandi intercapedinê scrupulosa Ecclesiastici regiminis solicitudo denegabat, & tumultuans sæcularium strepitus obturabat. Otium namque clandestinæ quietes secretæ solitudinis largam scribendi materiam dictâtibus, affatim conferunt. Sicut è contrario verbosa garrulorum loquacitas, & infesta sęculorum negotia quę côtêptibilibus Ecclesiæ Apostolus dispensanda præcipit, violenter auferunt. Non enim vt Origenes inclytus Græcorum didascalus, qui tertio ineunte ætatis lustro omnes propemodum philosophorum disciplinas, hoc est Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astronomiam, & Mechanicâ in pubertatis principio perfectè consummauit, dictandi tenorem notarijs excipientibus vsurpare præsûpsimus. His ergo de causis epistolarum vestrarum debita vicissitudo, quasi quodam dilationis obstaculo tricabatur. Quæ in eorum fœnus votorú hactenus infectum arguebam præsertim, vt diai, diuersarum rerum distentionibus fessæ mentis ceruicem graui fascis sarcina deprimentibus. Hæc morosa tricatio euenit, vt pollicita [lentam.] codicilli rescriptio tanto temporis interuallo diutissimè protelaret. Rimosa namque fragilis ingenij Babarca, diræ tempestatis turbine quassata, licet laborâte lacertorú remigio optatum silentij portum sero attigisset. Sed tamen nostræ rusticitatis stipulatio superno Christi patrocinio freta fiducialiter confidit, quod nostrarum carbasa antennarum prosperis ventorú flaminibus sinuata, quasi inter scyllas solœcismi, & barbatismi barathrum in disruptis rudentibus fœliciter tránsfretauerunt, scopulosas quoque laudacismi collisiones, & moytacismi voragines incantos quosque sine grámaticorum gubernaculo repertos, ad erroris naufragia truciter trudentes minime perhorruerunt. Porro quemadmodum intactæ virginitatis gloriam rhetoricis relatibus fauorabiliter venerari nitebar, sic identidem, si hoc carneum animæ ergastulú ante fatis, vt dicitur, crudescentibus cassabundum non oblerit, ac dura Parcarum quies & ferreus lethi somnus palpebrarum conuolatus non tricauerit, heroicis hexametrorum versibus eiusdem præconium pudicitiæ subtiliter comere Christo cooperante conabor: & velut iactis iam Rhetoricis fundamentis, ac constructis prosæ parietibus cum regulis throcaicis & dactylicis metrorum imbricibus firmissimum culmen cœlesti confisus suffra-

A plo, imponam. Veruntamen, promissum sequântur Eulogiæ munusculum, nô aliter me spopondisse, memento te intorpens nostræ mediocritatis ingenium, quod quasi fricis fultis fauillarum cineribus coopertis, si non fuerit sciscitándi aut scribendi fomite succensum, frigêti tempore tabescit. Iteratis totidê Epistolarum scriptia instigare dignemini, quod præcedentem libelli textum nequaquam lepida vrbanitatis facundia digestum, fidêter impetrare merebamini. Etenim frustra sequentis opusculi sarcina desudans labiosis oneribus lacessere nitar, nisi præcedentis Scripturæ stylum vestrum sagacitati fore ratum experiar, potissimum cum metrica leporis elegantia & Rhetoricæ disertitudinis eloquentia tantum altrinsecus discrepant, quantum distat dulcis vappa à meruleuto temero.

HActenus igitur formosæ virginitatis speciê, & venustú pudicitiæ vultum componens, diuersis virtu- CAP. tum coloribus, quasi fucorum floribus depinxi; quêad- XXX.
B modum solent nobiliú artifices imaginum & regalium personarum pictores deauratis petallis thoracidas orna- [petalis, al.] re, & pulcherrima membrorum lineamêta fabrefactis vultibus decorare; cum tamê iidem opifices plerunque turpi natura corporis deformes & contemptibiles existant, magisque iconisma regale côpto stamine depictú laudatur, quam despectabilis persona pictoris veneratur: qua de re sedis Apostolicæ præsulê teor dixisse: pulchrum depinxi hominê pictor fœdus, aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Orate Christi tyrunculæ, vt sit mihi præsentis opusculi rata recompensatio, vestrarum precum frequêns collata vicissitudo, meique laboris & sudoris fiat fulcimentum vestræ intercessionis adiumentum, vt qui
C proptia meritorum qualitate & fidei fragilitate tremebundus ac nutabundus vacillare videor, robustissima patrociniorum vestrorum columna fretus, fœliciter ac firmiter fulciri merear: † & flagitiorum sarcinam triste piaculi pondus deprimit, vestrorum potens meritorum suf- [† forte & quem flagitiorum sarcina] fragium benigna pietate clementer sustentet: quatenus in sancta synaxi, cum veneranda Monasticæ classis caterua vniuersitatis creatori modulata orationum bolocaustomata flexis poplitibus concorditer obtulerit, meæ contemptibilis personæ, iuxta quod vestra vota deuota spoponderunt reminisci dignetur, vt & nostra vobis supplicantibus iuxta psalmographi sententiam, oratio dirigatur, sicut incensum in conspectu diuinæ maiestatis thurificatum, quod porrectarum eleuationi manuum si-
D milatur; & sacrificio serotino æquiparatur: vnde sacra materteræ Domini soboles primus Heliæ pontifex, cum [Aeliæ.] Euangelij splêdor aororesceret, & iubar lucis æternę rutilaret. Orate, inquit, pro inuicem vt saluemini, & infra in exemplo subdidit, multú valet deprecatio iusti assidua. Siquidem oppidò frequens oratio quasi arx edidissima, & inextricabile propognaculum contra venenatas æmularum ansatas fore creditur. Orantem pro nobis beatitudinem vestram, alma Trinitas, vna deitatis substantia, & trina personarum subsistentia totius mundi Monarchiam gubernans, ab alto cœli culmine iugiter tueri dignetur. Valete ô flores Ecclesiæ sorores, monasticæ alumnæ, scholasticæ Christi margaritæ, paradisi gemmæ, & cœlestis patriæ participes. Amen.

# INCIPIT EPISTOLA DVRANDI LEODICENSIS EPISCOPI, DE CORPORE ET SANGVINE DOMINI, CONTRA BRVNONEM ANDEGAVENSEM EPISCOPVM, ET BERENGARIVM TVRONENSEM.

*Ex Bibliothec. Lud. Martelli Rothomag.*

GLORIOSISSIMO & inuictissimo Regi Francorum, Henrico, Durandus Leodicensis Antistes, temporalis regni gubernationem ita moderari, vt in æternum cum Sanctis, ab omnipotente Deo, merito debeat coronari. Fama supremos Galliæ fines prætergressa totam Germaniam peruasit, iamque omnium nostrum repleuit aures, qualiter Bruno Andegauensis Episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, astruant, Corpus Domini non tam corpus esse quam vmbram & figuram Corporis Domini, legitima coniugia destruant, & quantum in ipsis est, baptismum paruulorum euertant. Quos ad reuincendum ac publicè confutandum, eo zelo eoq; feruore quo erga sanctam Ecclesiam diuina inspiratione plurimum semper ardetis, aiunt, vos, Concilium aduocasse, vbi tandem illud totius, nobilissimi regni vestri (heu nimis turpe opprobrium) de medio auferatis, &, in æternum, si fieri potest, ab ipsa omniū memoria deleatis. O pia voluntas, &, verè Rege dignissima! quæ vtinam effectum habere posset, vt in tāto sacrilegio cōuictos (quod certè facillimum est) absque vlla dilatione, debita vltio cōsequeretur! Sed desperamus id fieri posse, cum Bruno existat Episcopus, Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam præter Apostolicam auctoritatem. Igitur omnes quicunque sumus filij sanctæ matris Ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus. Nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia sancti Concilij (sicut, ipsi de pœna securi, postulant) permittatur: cum, de tāta præsumptione reuictos, puniri minimè cōcedatur, grauissima scandala in omni populo Fidelium generari. Certè, quos videbunt impunitos, & nequaquā à sui gradus honore deiectos, eosdē putabūt ab omni Cōcilio aut vinci nō potuisse, aut iustificatos esse: eruntq; (vt ita dicā) *nouissima, peiora prioribus*. Ergo maiestatē vestrā omnes exoratā vellemus, vt interim illorū impiā, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ Sedis audientia damnandi potestatem haberetis. Quanquam huiusmodi homines nequaquam oporteat audiri: neque tam est pro illis Cōcilium aduocandum, quàm de illorum supplicio exquirendū. Tunc quippe hæretici necessario audiendi fuerunt, quando & hæ ipsæ & huiusmodi quæstiones, vt pote quæ nondum ad vnguem discussæ fuissent, in dubiū venire potuerunt, vt per congressum certaminis patesceret, vtra pars astaret pro defensione veritatis. Quod idem nunc profectò fieri non oportet, quia creberrimis sanctorum Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clarissimis sententiis ita omnia sunt eliquata, vt nè minimum quid resederit de omni fæce dubitationis. Sed nos ex multis, epistolari breuitate cogente, pauca exponemus, & primo ponemus exempla pertinentia ad corpus & sāguinem Domini. Ait itaque beatus Leo Papa *sic sacræ Mensa communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis*. Item Sanctus Cyril. *non communē carnem*, inquit, *accipientes, sed verè viuificationem, & ipsius Verbi propriam factam*. Ergo, si propria, quomodò vmbra? si propria, quomodo figura? Item Beatus Ambros. *ne esset*, ait, *velut quidam horror*

*Bruno, Andegauensis Antistes, hæreticus Berengarius Anabaptismus & alia Hæreses.*

*Berengarij hæresis, regno Gallico nimis turpe opprobriū.*

*Episcopū, præter Apostolicam authoritatē, damnare non oportet.*

*Hæretici, ob potentiam, de pœna securi.*

*Gallici populi scandalū ob hæreticos impunitos.*

*Mat. 12. 45.*

*Hæreticos ne audiat in Concilio Rex Gallorū.*

*Hæretici non audiēdi sed de illorū supplicio inquirēdum.*

*Hæretici quando fuerunt audiēdi.*

*Hæretici, cur nunc non sunt audiēdi.*

A *cruoris, sed maneret tamen gratia Redemptoris, ideo similitudinem accipis, sed vera naturæ gratiam, virtutemque consequeris*. Item ipse, in libro de Sacramentis: *quid hoc (ait) quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus efficitur*. Item ipse, in eodem: *vinum (inquit) & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis, consecratione verbi cælestis: pretiosum sanguinem bibis, vt nullus horror cruoris sit, & premium tamen operetur redemptionis*. Et beatus Augustinus dicit ita, *in ipsa carne ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit*. Ergo, si ipsam, non vmbram, non figuram, vt Bruno & Berengarius affirmant. Et in alio loco, idem ipse exponens qualiter dictum sit de Dauid, *efferebatur manibus suis: quomodo* (inquit) *intelligatur in ipso Dauid, non inuenimus secundum literam, in Christo autem inuenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum, ait*, hoc est corpus meum, *ferebatur enim illud corpus in manibus suis*. Corpus suum, dicit non, sicut Bruno & Berengarius, vmbram & figuram! Item Basilius: *O miraculum! Et Dei in nos beneuolentia* (ait) *qui sursum sedet ad dexteram* B *Patris, sacrificij tamen tempore, hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum*. Item Eusebius dicit: *verè vnica perfecta hostia, fide existimanda non specie, nec exteriore censenda visu, sed interiore affectu*. Hilarius quoque idipsum testatur: *de veritate* (inquit) *carnis & sanguinis non est relictum ambigendi locus*. Plura præter hæc exempla congerere possemus, nisi vitarem modum excedere. Nunc de Baptismo Paruulorum, ex libro. D. Augustini de verbis Domini, pauca ponemus; vbi ille sic ait; *Paruulus ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur: Credis in Iesum Christum? Fit interrogatio: respondetur*: Credo *pro non loquente, pro silente, pro flente, &, flendo quodammodo, vt subueniatur, orante, respondetur*. Item ibi, *vbi* (inquit) *ponis Paruulos: baptizatos? Profectò, in numero credentium!* Rursus ipse: inter credentes igitur baptizatos, paruulos numerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis, si non vis apertè esse hæreticus. De legitimo autem coniugio, cum noui & veteris instrumenti multiplici auctoritate confirmetur, cumque non modo Christiani, verum Iudæi, imo etiam Gentiles, legalium nuptiarum copulis fœderentur: vnum duntaxat aduersus Brunonem & Berengarium, Toletani Concilii testimo- C nium sufficere potest. Est igitur in constitutione eiusdem concilii. xvij. capitulum; *Si quis dixerit vel crediderit, coniugia hominum quæ secundum Legem diuinam licet habere, execrabilia esse, anathema sit*. Quamobrem, Brunonem & Berengarium iam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, verè illis audientia Concilij deneganda est, & cum vestris, cumque nostris Episcopis, (si vobis ita videtur) cum amico vestro Imperatore, cum ipso Papa; quæ vindicta in illos statuatur, deliberandum. Est enim iustum, vt quorum *manus* sint *contra omnes, omnium manus* etiam *contra ipsos excitentur*.

*Eucharistia sacramentum, fide nō specie æstimandum.*

*Regi Gallorum, deliberandum cum PP principibus & Episcopis, quæ vindicta in hæreticos statuatur.*

*Gen. 16. 12.*

# S. FERRANDI CARTHAGINENSIS ECCLESIÆ DIACONI.

## *Ad Anatolium Diaconum vrbis Romæ Epistola.*

POST Epistolam beati Leonis Papæ, & salubria Chalcedonensis decreta concilij, sancte frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore disputatione conuinci. Sepultus ergo iaceat in cineribus suis nefandæ hæreseos profanus inuentor. Semel illum fulmine anathematis iudicantium sacerdotum percussit auctoritas, quid opus est iterum † cadauer exanime gladio veritatis infici? Doctrinam simul cateneis lumine rationis perpetui silentij carcer abscondat. Interdum pessima dogmata dum quasi expugnanda proferuntur, veneno pestifero simplicium corda perturbant. Satius est ita nescire, fidemque Catholicam supplosis profanis nouitatibus inuiolabilem custodire, manentibus in pristina firmitate, quæ sunt etiam synodalibus robrata definitionibus. Aut si magis necessarium putas hæreticorum mendacia semper refelli, linguam meam iussionis tuæ clauibus aperire festinabo, quantum gratia posse donauerit obedire suauiter imperanti. Præbe dexteram boni fauoris, & orationis scuto nudum protegens pectus, in campum liberi certaminis mecum, si ita placet, † egredere cótra acies impias, eos qui malè occisi conantur hæreditatem vindicare damnosam. Sine labore pugnabitur. Nec arma sunt eis noua nec castra. Muros Apostolicæ prædicationis illis volunt adhuc spiculis debellare, quæ sign ficat hæreticos iactauit inaniter, præda factus volatilibus cœli. Duo autem, quantum legimus, erroris sui tela portabat Eutyches, vnde exeuntem de dominico latere tanquam perfidus miles vulnerare cupiebat Ecclesiam. Negans enim Mariam semper virginem sancti Spiritus operante virtute nascituro ex humanis visceribus vnigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, consubstantialem filium matri fateri nolebat. Qui propter hoc sauciens Catholicæ vnitatis integritatem, retorti mucronis impetu noxio verbi incarnati duas substantias credere dubitans, vnam penitus abscindebat. Sed illi qui per arma iustitiæ dextra & sinistra pugnant in suis, vnam quidem sententiam lethaliter nocituram continuo viribus euacuatam sic debilitauit, vt vix aliquem modo reperire possis, qui negare audeat, † Domino Iesu Christo materni corporis veritatem. Plurimos vero personæ vnius singularitas ab opinione duarum substantiarum terret incautos. Vtriusque tamen nos propositionibus ne contempsisse vestrum videamur imperium, respondemus; & sequentes regulam patrum, tibi quoque notissima loquemur intrepidi. Bene enim peritiam tuam nosse confido, quoniam si secundum quod hæreticus sapuit, immo potius desipuit, caro verbi, Dei secundum carnē nascentis à carne virginis pronuntiatur extranea, sine causa filius Dei etiam filius hominis est, qui originem non habet ex homine, si conceptus in vtero virginali carnem non traxit ex carne. Constat † eum sine semine patris materna viscera fœcundasse, Sed qualis erit Mariæ fœcunditas, si non sit ex illa quæ per eam nascitur caro? *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, Ioannes dicit Euangelista. Quæris vnde factum est caro? Beatus Paulus inquisitioni tuæ respondet. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere.* Filium ergo suum misit Deus, id est, verbum suum carnem fecit Deus, sed vnde? Ex muliere. Si igitur ex muliere verbum caro factum est, caro verbi indubitanter sumpta est de muliere. Mulier hic semper virgo Maria, sexus nomine mulier nuncupatur, quæ propterea saluo pudore concepit & peperit Deum, quia de ea veritatem carnis Deus homo factus accepit. Alioquin si fabricauit sibi creator creandi noui generis carnem vel ex nihilo, vel vnde voluit, apparere subito debuit oculis mortalium, † quam decem mensibus tolerare parui ventris hospitium, cuius magnitudini non sufficit cœlum. Quid necessarium fuit, vt Ioseph sponsus fidelis videns coniugem castissimam, priusquam conuenirent, effici genitricem, suspicaretur adulterium, quia nesciebat adhuc cœleste mysterium? fieret vnigenitus Deus homo sicut sine homine patre, ita sine matre, si nihil ei accipiendum fuit ex matre. Veniret ad filios hominum nullius hominis filius, si nihil habiturus esset commune cum filiis hominum. Repugnat omnis ista sententia, veritatis pudor opprimit considerantem diutius. Virgo filium generat mirantibus omnibus, & sterilia remansisse putantur viscera generantis, quia † nihil ex se profundit in membra nascentis? Terra herbas generat insensibiles, nullusque eis negat terrenæ substantiæ qualitatem; Maria filium Dei concipit, filium Dei parit, & in eo non agnoscit suæ substantiæ proprietatem? Tolerabilius quippe peccare iudicabitur † quod Dominum Iesum Christum nihil accepisse suspicans de Maria, tacet etiam natum. Natiuitati enim magnam facit iniuriam, quisquis aliquam facit inter substantiam gignentis & geniti differentiam, redarguente hanc pessimam blasphemiā doctore gentium, vbi veræ fidei titulo clariore principia Epistola † decorandæ cognoscens, hoc sermone cœpit ædificare Romanos; Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. Dicat nunc hæreticus, quomodo filius Dei factus est ex semine Dauid secundum carnem. Ioseph certè nihil seminauit in Maria, cui dicitur ab Angelo; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Quare ergo Christus ex semine Dauid iterum dicitur; quare ille natus inter homines sine humano semine, factus dicitur ex semine Dauid? Non leuiter, neque perfunctoriè prædicationis huius oportet considerare virtutem. Memor quippe Apostolus doctrinæ suæ similiter alio quoque loco Timotheum carissimum discipulum monet; *Memor esto*, inquiens, *Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum.* † Quis pro inde inferuit natiuitatem eius secundum Dauid in substantia humanitatis, vbi potuit fieri de semine Dauid, si sine homine patre natus est? Qua ratione ergo fieret ex semine Dauid, nisi carnem suscepisset ex matre quæ pertinebat ad semen Dauid? de semine enim Dauid Maria, & de carne Mariæ Christus, quamuis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturæ. Propter hoc Psalmista cantat Prophetico spiritu; *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*, quia in manifesta carnis à se accepta substantia Maria genuit Dominum suum. Nam si aliunde caro Christi nasceretur, terra, id est Maria, nullatenus daret fructum suum, sed alienum,

Marginal notes: f. gladio veritatis interfici; Doctrinam semel. — f. egredere, contra acies impias. — f. desti... — Ioan. 1. — Gal. 4. — Matth. 1. — f. quia nihil ex se profudit. — f. qui. — f. decorandæ. Rom. 1. — Luc. 1. — Rom. 1. — 2. Tim. 2. — f. Quis. — Psal. 84.

neciterum sanctus Apostolus semen Abrahæ Christum esse significaret, ita loquens; *Abrahæ dicta sunt promissiones, & semini eius.* Non dicit, & seminibus, quasi in multis; sed tanquam in vno & semini tuo, quod est Christus. Quid apertius? quid euidentius? Nonne sic est semen Abrahæ Christus, quomodo ex semine Dauid propter Mariam, per Mariam, de Maria? Tollat impius disputator Christo materiam carnis, quam Maria ministrauit, & doceat quomodo est semen Abrahæ Christus, aut quomodo factus est ex semine Dauid. Nunquid super filio sacramento vernaculum proprium fidelis Abraham constringere videbatur, Gen. 24. quando præscius fide etiam futurorum aiebat; *Manum tuam mitte sub femur meum, & iura per Deum cæli.* Diceret vtique, Tange pectus meum cogitationibus sanctis splendidum; tange manus innocentiæ dote locupletes, tange caput nullius obnoxium criminibus. Cur honestoria membra prætermittuntur, & sub solo femore iuraturus poorre compellitur manum? Magnum in hoc femore aliquid latebat. Caro quippe Christi ibi latebat, quæ fuerat ex eius propagine nascitura. f. tacito. Propterea † tacito femore terribilis profecto iuratio per Deum cæli, quia Deus cæli erat; ita secundum carnem nasciturus, sicut nasci solent, quos generatio nomine femoris significata conformes vtique his, de quibus formidamus, assignat. Caro itaque Christi de matre sumpta est, id est, amplius vera est; sed planè sancta est, quia diuinitatis adunatione mundata est. In carne Christi natura est nostræ carnis, sed non reperitur culpa naturæ. Sic caro Christi carni Mariæ & similis, & dissimilis. Similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatæ originis contagionem. Nullas tamen homo colligat Mariam vnquam peccasse. Similis, quoniam licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitus neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates. Similis, quia passibilis & mortalis; dissimilis, quia incoinquinabilis; & viuificatrix etiam mortuorum. Similis genere, dissimilis merito, similis Rom. 8. specie, dissimilis virtute. Similis, quia similitudo est carnis peccati, dicente Apostolo; *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Ecce quantum caro Christi docetur à Maria caussam nouæ existentiæ naturaliter adsecuta secundum solennitatem partus humani, sequestrata necessitate concubinatus maritalis, vt non sit quidem caro peccati, quia caro est Dei.

† † *Hic deest.* † †

Dominio liberauit. Si ergo alia esset natura carnis, in qua non peccauerat Christus, & mortuus est, nō per iustitiam, sed per potentiam diabolus vinceretur. Oportebat autem per iustitiam vinci. Iustitia verò fuit ipsa, vt in ea carne veniret redemptor, quam fecerat supplicio remanere obnoxiam temptator. Ideo Deus homo fieri voluit, vt facilè homo posset reconciliari Deo per hominem Deum. Inter Deum quippe iustum & hominem peccatorem magna separatio cōtigerat, nec Deo homo proximus erat in substantia, nec iusto peccator coaptabatur in gratia. Deus ergo se humilians factus est homo iustus, & homini peccatori reconciliatus est Deus. Factus est Deus, quod non erat, homo; & factus est homo similiter, quod non erat, iustus. Si autem iustus Deus, ita fortè fieret homo iustus, vt non eius esset substantiæ, cuius fuerat homo peccator, nec haberet aliquid proprium de substantia peccatoris, in æternum remaneret homo peccator. Nunc vero per similitudinem substantiæ effecti participes gratiæ, iustificati sumus in illo vnigenito Deo, qui pro nobis fieri voluit homo similis nobis. Vnde etiam sanctissimus Paulus incarnationis mysterium tractans, ita de Christo loquitur ad

A Hebræos. *Nusquam enim Angelos adprehendit, sed semen* Hebr. 2. *Abrahæ adprehendit.* Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deū, vt propitiaret delicta populi. Quis capituli huius explicate dignis sermonib. valet intellectum? *Debuit*, inquit, *per omnia fratribus similari.* † O stulte hæresis imperitiæ f. O stultæ hæresis imperitæ defensor. defensor. Quomodo poterit Christus fratribus similari per omnia, si dissimilis fuerat in substātia? Quomodo similis omnino erit in substantia, nisi carnem suscipiendo de Maria? Desinat cor profanum talia meditari. Qui negat Christum veri Dei filium verum veritatem carnis de vera matre mirabiliter adsumpsisse, totum vult mediatoris euacuare negotium. Mediator quippe non est nisi duorum, quos à se inuicem separatos tunc ipse medius † existendo ritè ac firmiter copulat, si vtriusque sit si- f. existit. B milis per substantiam, quos sibi facit adpropinquare per gratiam Christus autem mediator Dei & hominum existens, sicut vas electionis insinuat, *Vnus Deus, vnus &* 1. Tim. 2. *mediator Dei & hominum homo Christus Iesus;* si non sic est homo de homine, quomodo Deus de Deo; si non sic consubstantialis homini matri, quomodo consubstantialis est Deo patri? Si substantia eius diuina cum Deo communis est, substantia vero humana non putatur cum hominibus esse communis, in cassum mediatoris vel personam portat, vel officium gerit. Veruntamen quia sic est mediator, vt verus sit mediator, & patri & matri, & Deo & hominibus consubstantialis est, ac per hoc non vnius, sed duarum planè substantiarum, quia nunquam mediator vnius potest esse substantiæ. Vide frater sanctissime, quam latenter alterius quæstionis li- C men intrauimus, ipsa veritate ianuas reserante. Dum enim volumus per officium mediatoris reperire; vel potius probare substantiæ humanæ proprietatem, similitudinem, veritatem, ne virginis matris amputaremus fœcunditatem, duarum substantiarum manifesta distinctio nominato & considerato mediatore resplenduit. Quia vtique mediator & vnus est, si personam consideres cui nomen mediatoris accessit, & inter duas rea dissimilis substantiæ mediator existens, non nisi per duas substantias officium potest mediatoris implere. Cuius enim persona vna fuerit, & natura, nullatenus potest † f. deest inter. substantias mediator esse, vel dici, quia apud illam substantiam, cui minimè coaptatur vna natura eius, caret profecto officio mediatoris, & tunc est verus mediator, quando vt duarum dissimilium substantiarum copulet D diuisionem per ipsam communionem remouens diuisionem, vt sit vtraque vnum, per illum mediatorem conuenientia in vnum, cum quo fuerunt, antequam conuenirent, vnum. Consideremus hoc plenius in nostro mediatore, Domino scilicet Christo, cuius quidem veraciter vna persona, (quia non decet vnius mediatoris duas esse personas,) veruntamen non est vna natura, quia vnius mediatoris. Quia hæc vna natura (quoniam Dei & hominum mediator est) aut cum Deo illa erit vtrique communis, aut cum hominibus. Absolute, namque quantumlibet reclamat hæreticus, vna natura non potest Deo hominibusque esse communis, quia Deus creator, nos creaturæ sumus, Deus æternus, nos temporales; Deus incomprehensibilis, nos comprehensibiles; Deus E sine loco, nos circumscripti & determinati. Rursus ergo fiducialiter dico, natura Christi si vna est, aut cum Deo patre illi, aut cum hominibus potest esse communis. Est autem Christus vnius substantiæ cum patre, ὁμοούσιος. quod dicunt Græci homousion, secundum Niceni concilij absolutam professionem; vna ergo natura Christi Iesu cum patre est illis communis. Et qua ratione fieri potest, vt noster sit mediator nisi habeat vnde & cum patre sit vnum, & nobiscum sit vnum? Quod apertissimè in Euangelio iam proximus passioni demonstrat, orans patrem talibus verbis, *Vt sint vnum, sicut & nos* Ioan 17. *vnum Ego in eis; & tu in me.* Dic mihi qui vnam prædicas essentiam Christi, quomodo est ipse in nobis, & quomodo est in illo pater? Quia vna est substantia patris & filij,

& filij. Ideo etiam in nobis ipse est, quia particeps fieri voluit nostræ substantiæ. A Nun est ergo iam vna substátia, sed duæ, vna, in qua est cum patre vnom. vna, per quam vel est in illo pater, altera per quam ipse est in nobis verè, verus mediator, habés vnde proximus sit Deo, vnde proximus nubis, vt faciat etiam nos proximos Deo, per se vtique, qui fieri voluit proximus nobis. Sed si fortè tu, quem coosideratio mediatoris ad prædicarionem duarum substantiarum compelitt inuitum, volens vim veritatis eludere, non omnino vnius mediatoris duas essentiar negas, sed ea his duabus vnam potuisse fieri confirmar; require diligentius, si verbum & caro vna cœpit esse oatura, vtrum possit caro & Deus pater vnius essentiæ prædicari. Consequenter enim quia verbum Patris est Filius, & indubitanter vna est substansia Patris & Filij, sicut Deus Pater cum verbo suo vnius B est substantiæ, sic cum carne verbi sui vnius inuenitur esse substantiæ, si caro & verbum fieri potuit vna substantia. Superadijcietur huic opinioni etiam talis absurditas, vt quia omnis caro humana eiusdem est substantiæ, caro autem Christi humana erat, quæ vnius substantiæ secundum vos cœpit esse cum verbo, & per verbum etiam cum Patre, caro quoque nostra & diuinitas Patris, vnius dicatur esse naturæ. quod nullius omnino Christianus vel audire, vel tenui saltem cogitatione debet recipere suspicaodum. Quisquis proinde vná Christi adserit esse substantiam, cogitet aliud, quod facile cuiuis potest apparere, nisi oculos cordis eius fumus cooteotionis obscuret, per hanc vnius in Christo substantiæ prædicationem Patrem quoque natum de Maria virgine, crucifixum sub Pontio Pilato, & sepultom C videri. Nam si non est alia natura, quam de carne virginis matris vt nasci temporaliter posset, accepit vnigenitus Deus, sed † suscepta carnis & suscipientis diuinitas vna facta est quomodocumque oatura, hæc voa aut oon erat etiam Patris, & quomodo prædicabitur homousion Patri, qood Græci dicunt vnius substantiæ, vel essentiæ? aut si erit & Patris, & † ipse natus, crucifixus est Filios; videant quomodo Pater aut innascibilis, aut impassibilis prædicetur. Imò non solum Pater, sed & Spiritus quoque sanctus (quoniam & ipse cum Patre & Filio vnius creditur esse substantiæ, vel essentiæ) sociatur passionibus Filij, ac sic omnis dispensatio Dominicæ incarnationis ad totam Trinitatem pertinere putabitur, & non solius filij Dei mater B. Maria, sed totius D Trinitatis erit mater. Planom facere hoc Apostolicis nitamur exemplis. Beatus Apostolus ita loquitur; *Vetus homo noster semel crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati*. Quomodo simul vetus homo noster solo Christo in ligno pédente, nisi quia secundú eam substantiam pependit in ligno, quá sumpsit ea nobis? Item alio loco memoratus Apostolus dicit; *Quia simul conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Respódeatur quomodo simul conresuscitati sumus, aut simul consedimus in cœlestibus, nisi per illius substantiæ cómunionem, quam sumpsit ex nobis? Si ergo in vnitatem diuinæ substantiæ suæ naturam nostram filius Dei suscepit, vt diuinitatis & carnis vna posset esse natura quod adunatú est diuinitati eius, omni Trinitati adunatú E est; maximè quia inseparabilia sút opera Trinitatis, quia vna est substantia vel essentia Trinitatis. Trinitar auté est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus in personis tres, in substantia vel essentia vnum. In qua essentia vel substantia si natus aut passus est Filios, simul Pater, & Spiritos sanctus & natos & passus est. sed si Filius tantum passus est, sicut fidei Catholicæ docuit antiqua traditio, in alia natura passus est. Et quæ est alia, nisi humana? Si ergo alia est humana, alia diuina natura, non est voa in Christo ex duabus facta natura. Solent Arriani nobis obijcere talem propositionem. Passa est, inquiunt, diuinitas Filij, aot non est passa? Si respondeamus, Noo est passa, dicunt, Purus homo crucifixus est. Si respondeamus, quod respondere debemos. † Passa est, sed secundum carnem, ipsa tamen in hoc quod est impassibilis permanens; respondent, Aut passa est diuinitas Patris, si passa est diuinitar Filij, aut uou est vna diuinitar Patris, & Filij. Propooentibus huc Arrianis ita conuenit lingua Catholica respondere. Pater & Filius substantia vnum sunt, non in personis. vna est natura Patris & Filij, sed alia est persona Patris, alia Filij. Filius vero suscipiens carnem, id est hominis plenam perfectamque naturam, sic eam suscipere dignatur est, vt vna persona fieret carnis & verbi, non tamen vna natura. Deus homo factus naturam sibi adunauit humanam, sed in vnitate persoox, quam non habet cum Patre communem, non in vnitate substantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius & natus & passus est. Alia est natura, secundum quam passus est Filius, sed quia vnam esse fecit personam suæ diuinitatis & carnis, propter vnitatem personæ diuinitar† Filij dicitur passa quidquid pertulit caro. Persona autem Filij non est ea, quæ est Patris, qoia alia est Patris, ideo tantummodo Filius passus est. Isti autem, qui sicut vnam personam Domini Iesu Christi, sic vnam volunt prædicare naturam, quid respondebunt Arrianis? Argumenta eis sine dubio cuncta deficient; & aut Arrianis consentient, ne vnam Patris & Filij diuinitatem prædicent, aut Patripassianis sociabuntur errore sacrilego miserabiliter obligandi. Reuertatur ad sensum pijssimum furor hæreticus; & qui ex naturis duabus in Domino Iesu Christo vnam factam fatetur, dicat mihi quæ harum periuit, vt vna fieret ex duabus. diuina perire non potuit, humana noo debuit. Aut si nullos audet adserere perditionem, dicat vtrum sit altera in alteram commutata. & si alteram in alterá potuisse commutari suspicatur, dicat rursus vtrum diuinitas in carnem, an in diuinitatem caro conuersa sit. Si enim diuinitar ad inferiorem carnis redacta est qualitatem, deteriorata cognoscitur, & iam sibi potius creator bonus miseriam procurauit, quam nobis misericorditer præstitit. Si vero permanens inuiolata diuinitas absorbuit substantiam carnis, vt hoc esse inciperet caro quod verbum, quis tolerabiliter audiat creaturá prius cuncta accidentia recipientem peruenisse ad genus & potentiam creatoris, vt esset subito sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, sine loco, sine situ, sine passionibus, siue habitu, perdita conditione facturæ, solo faciendi vigore subnixa? Timeo ne amplificatio creaturæ creatoris sit potius imminutio, tanquam Deus indiguerit additamento carnis augeri; quia & multo facilius mutari potuisse illa natura dicetur, in quam potuit altera commutari. Nimis absurdam sententiam silentio mancipemus, quia si nullam de duabus his naturis in alteram potuisse transferri liquido claret, respondeat vtrum fortè permixtio naturarum duarum nullius earú proprietate seruata nouam naturam noui generis fecerit. quia si hanc vnius mediatoris vnam naturam prædicare voluerit, † non interim requiro quali nomine naturali dumtaxat censeat vocitandam. vt quomodo ex naturis duabus anima & carne facta est voa natura, cui nomen est homo, ex duobus similiter animalibus vnum E nascitur animal, & dicitur mulos, ex duabus quoque substantiis ignis & ligni fit vna res, & vocatur carbo; (neque anima sola, aut corpus, homo, neque equus solus, aut asinus, mulus, neque ignis solus, aut lignum, carbo potest naturali nomine vocari;) sic ostendere valeat ex duabus naturis, diuinitate scilicet & humanitate, si vna facta est natura, quid vocari naturaliter debeat. Christus quippe nomen est officij, Emmanuel nomen est vtrasque substantias, quas adunatas contestatur, insinuans. Naturæ autem nomen illius substantiæ, quæ vna fieri potuisse dicitur ex duabus, neque legi, neque per linguam cuiuslibet disputatoris audiui. Nomen, hoc sicut dixi, veheméter inquiro. † sed potius hoc propono,

*f. suscepio carnis; & suscipientis diuinitatis.*

*f. & ipse natus & crucifixus est vt filius.*

*Rom. 6.*

*Ephes. 2.*

*† De filij diuinitate impropriè loquitur, cum vel passá vel natá eam de virgine dicit. quæquidé de Christo verè propriéque dicuntur. Digna omnino venia est pietas veterum, quibus nondú ita explorata atque aperta erát fides nostra mysteria, vt postea disputatio sic Domino, posterioribus fuere temporibus. Tametsi quod ipse vetat Ferrand. & ve teneatur, idem nobiscum sentiens, docere. postea in extrema hac epistola intelligitur. Nos verò quatenus eiusmodi loci inciduns, hoc etiam signo † notádos curauimus. Vide etiá S. Thom. to. 17. opusc. 2. cótra errores Græcorú. vbi similia dicta Athanasij, Cyrilli & aliorú Patrum pie interpretatur, & ad verum & catholicú sensum reducit.*

*†*

*f nunc interim.*

*f sed*

[f. Christum.] hoc cogitandum prædicari vnius † in Christo substantiæ, licet nolit, oppono. Si vna est Christi natura composita ex duabus, non talis Patris natura, non est talis [ὁμοούσιος] Spiritus sancti. quomodo ergo erit Filius homousios Patri, vel Spiritui sancto? Vna Patris, Spiritusque sancti natura simplex est, caret compositione; Christi autem quæ facta firmatur ex duabus vna natura, composita est, caret simplicitate. Quid ergo dicemus? Vrget nos licet inuitos violentia veritatis, aut vnam Christi naturam non prædicare, aut Patris, & Filij, & Spiritus sancti, id est sanctæ Trinitatis vnam substantiam vel essentiam negare. Sed si vnam substantiam vel essentiam Trinitatis negemus, Arrianorũ dogmati videmur præbere consensum. Ne ergo videamur similes Arrianis, vnam Christi quamuis ex duabus naturam non prædicemus, sed vnum Christum potius ex duabus & in duabus naturis confitendum; nec Arrianorum polluamur veneno, nec superflua delirantis Eutychetis inebriemur disputatione. Deus vnigenitus Dei Filius verus & proprius vnus fuit, quando in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc [Ioan. 1.] erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. & sine ipso factum est nihil. vnus atque idem est, [Ibidem.] quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Propterea priusquam virgo Maria conciperet, Deus [f. fœcundata.] Trinitas creauit nos, & posteaquam sancto Spiritu, † fœcunditatem peperit, Emmanuel, id est nobiscum Deus Trinitas redemit nos, Ante dispensationem carnis Deus noster Trinitas, post negotium crucis, & post spolia infernorum, Deus noster Trinitas. Quare hoc? quia sicut vnus fuit, est, & erit Pater qui de Virgine nõ est natus; sicut vnus fuit, est, & erit Spiritus sanctus, qui similiter de Virgine non est natus, ita vnus est etiam Filius, qui de Virgine natus est. Assumptio illi fuit alterius [f. deest, natura.] † ad vnam personam. Creuit ergo per natiuitatem carnis in Christo numerus substantiarum, singularitas vero personæ perseuerauit. Idcirco quamuis alia sit natura diuinitatis, alia humanitatis, non fit Trinitas illa quaternitas, quia personarum est Trinitas; quia in Christo vna persona mansit. Vnus est proinde Christus, & semper vnus, quapropter vnius personæ singularitatem, quę in eo nec diuidi, nec subdiuidi, nec duplicari potest, quãuis ex duabus & in duabus credatur esse naturis. Liberè igitur absque vlla formidine confiteamur vnius Christi naturas duas, diuinam scilicet & humanam, verbum & carnem, manifestis distinctionibus apparentes; & quid secũdum earum proprietatem rectè possit intelligi, per omnia diuina volumina simpliciter audientes, nullatenus dubitemus, quædam verba diuinitati, quædam vero humanitati eius sine separatione prorsus aptari. Si quis [Ioan. 10.] enim me interrogat; *Ego & Pater vnũ sumus*, vtrũ vox ista secundum diuinitatem prolata sit, an secundum humanitatem; fiducialiter respondeo, secundum diuinitatem, non secundum humanitatem. Et si quis iterum requirat; *Pater maior me est*, vtrum vox ista secundum [Ioan. 14.] diuinitatem prolata sit, an secundum humanitatem, fiducialiter respondeo, secundum humanitatem, non secundum diuinitatem, neque tamen propter hoc aliqua earum vox Christi non erit. vtraque enim vox ad vnum pertinet Christum. Cuius ergo est diuinitas, & humanitas, separatio hic nulla introducta est, quia vnam vocem secundum vnam substantiam posse intelligi diximus, secundum alteram vero negauimus. † Cuilibet [f. cuiuslibet.] enim naturæ vox ideo sine separatione † non conuenit [f. delendum, non.] alteri, quia illius personæ est, cuius est vtraque natura. Necessitatem nemo nobis ingerat vnam prædicare naturam. Duos filios ignorat fides catholica. quaternitatis assertores omnino detestatur. & idcirco nunc quantum arbitror, quibusdam rectæ fidei custodientibus regulam, placuit vnum de Trinitate passum fateri. Nihil quippe aliud sententia hæc insinuare cognoscitur, nisi

**A** ipsum esse passum carne, qui de patre Deo natus est id est Christum, ne putetur homo purus tolerasse passionis iniurias. Hoc ergo dicit quicunq; de Trinitate passum dicit. Non est quarta persona qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei filius impassibilis secundum diuinitatem, per susceptionem naturæ passibilis passioni subiacuit. Et quamuis alia sit in illo natura per quã sẽper impassibilis perseuerat, alia per quã dicitur tẽporaliter passus, ipse tamẽ impassibilis passus est. nõ alius est impassibilis, & alius passus est. Iste autẽ impassibilis ipse est Dei filius, Deus vnigenitus ante sæcula ex Deo patre naturaliter natus, & de matre, post- [Gal. 4.] quã venit plenitudo tẽporũ, misericorditer, quia voluit, genitus. sine quo Trinitas nũquã fuit. quoniã, sicut iã superius enarrauimus, Trinitas est, Pater, & Filius, & Spi- **B** ritus sanctus. & siue Patrem, siue Filium, siue Spiritum sanctum subtraxeris, Trinitas esse nõ potest. nec Pater, nec Filius secundum diuinitatem, nec Spiritus sanctus creaturis connumerantur. nec Pater, nec Filius secundum diuinitatem de mundo, nec Spiritus sanctus de mũdo hoc, aut de creaturis esse perhibẽtur. sed sola sibi inuicem Trinitas connumeratur, & vnusquisque eorum dum de Trinitate esse dicitur, à creaturis cæteris sequestratur. Omnis enim res aut Deus est, aut creatura. Si Deus est, creatura non est. si creatura est, Deus non est. Deus autem Trinitas est, vnius substantiæ vel essentiæ. creaturæ per multimoda diuersarum substantiarum distribuuntur genera. Qui ergo Deus est, & propriè idem veraciter Deus est, aut Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus est. Et quia neq; Pater solus, neque solus Filius, **C** neque solus Spiritus sanctus Trinitas est, sed simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & Pater vnus est de Trinitate, & Filius vnus est de Trinitate, & Spiritus sanctus vnus est de Trinitate. Quid ergo dicit, quicumque dicit, Vnus de Trinitate Filius, nisi † nolit eum quærere inter creaturas? [f. nollet.] Filius ergo secundũ diuinitatem, quia nõ est creatura, sed creator, vnus est de Trinitate, & quia secũdum humanitatem dignatus est pati, propter hoc vnus de Trinitate dicitur passus. Tale est itaque quãtum cõijcio, imò potius quantum credo, vnus est de Trinitate passus, quale est dicere, † Deus est passus. Sicut autem quisquis Deum prædicat passum, non substantiam diuini- [†] tatis facit passibilem, sed diuinitatis impassibilis, & humanitatis quæ subiacuit passioni, vnam mõstrat esse personam, sic vnum de Trinitate passum prædicãs, vni- **D** tatem personæ commendat in vtrisque naturis, excludens Nestorianæ hæreseos nefariam perfidiam, † quæ [f. qui] doctrinam duos filios inducentis neget. Igitur vnum de Trinitate passum qui negare vult, Deũ passum. † Quo- [f. deest, negat.] modo autẽ Deus passus sit, bene omnes fideles intelligunt, secundũ carnem. f. secundũ quam potuit Deus †. [f. deest, pati.] Alioquin suscipiẽdæ carnis nulla remaneret caussa probabilis, si potuisset per se ipsum passioni subiacere diuinitatis. Ita nota sunt pœne omnibus Christianis, vt quãdocumque prædicari audiunt Deum passum, non intelligant nisi Filium Dei, nec opinetur aliter passum, nisi quomodo pati & debuit, & potuit Deus, secundum substantiam carnis, quam suscepit ex matre. Si ergo quotiens vnus de Trinitate dicitur passus, nemo saltem in- **E** terrogare compellitur, Qui vnus? vtrum Pater, an Filius an Spiritus sanctus? Si mox dixeris passum, continuo intelligunt Filium, quem solum sciunt constantibus Euãgelijs passum, vigilante in eis etiã ad hoc scientia rectæ prædicationis. vt quamuis asserens vnum de Trinitate passum, non adijciam, secundũ carnem; ipsi tamen rectè dictũ, quasi hoc adiecerim, sentiant. si tamen procul expellatur cõtentionis † effectus, vniuersa quæ audit magis solitus impugnare, quã credere. Nihil plane diutius cogitans reperire valui, vnde possit hæc sententia (quod à [f. affectus.] quibusdam iactatur) Eutychianis fauorem præbere. Primum quippe mẽdacium delirantis Eutychetis hoc fuit,

vnigenitum

vnigenitum Deum, quãdo fieri homo dignatus est, non sibi adsumpsisse carnem de vtero virginali. Secundum vero, hoc esse nunc in Christo substantias duas diuinitatis & humanitatis, sed ex duabus his vnã factã esse substantiam. Retractemus igitur diligenter vtrasque sentẽtias, & si vel vni earũ coaptari potest ista sententia, quæ vnũ de Trinitate passum fatetur, sollicitius inquiramus. Quid ergo proficit ad negandum filio Dei materni corporis veritatem, quãdo vnus de Trinitate passus adseritur? Nonne si vnus de Trinitate est, vere filius Dei est, & si passus est, vere habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex matre sumptum, & quomodo pati potuit pura diuinitas? Perpende qualis est caro Mariæ, sine dubio passibilis & mortalis, vt ergo esset caro verbi passibilis & mortalis, ex illa carne habet originẽ, quæ fuit passibilis & mortalis. In prole igitur cognosce
B similitudinem generis per testimonium passionis, & expugnari magis Eutychianos, quam foueri, quando vnus de Trinitate passus adseritur, velis nolis † aduerte.
*† aduertis.* Sine dubio enim sub his verbis etiam prædicator vnius in Christo substantiæ confutatur. Vt sic enim Christus vnus de Trinitate, ad diuinitatem pertinet; vt credatur passus, ad humanitatem. Non esset qui passus est, vnus de Trinitate, nisi vnam haberet cũ Patre, & Spiritu sancto diuinitatem. Non esset passus qui vnus est de Trinitate, nisi consubstantialẽ matri haberet humanitatem. Sileat ergo vnius naturæ in Christo prædicator. Duas enim naturas commemorat, qui vnũ de Trinitate passũ
*† prodat.* fatetur. Suspiciones suas inaniter † rodat, quisquis bene dicta dum male conatur intelligere, calumniari potius, quam doceri studeat. Vnũ de Trinitate passum Nestorianis non immeritò displicet. Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem vnum de Trinitate passum non rectè placet, si tamẽ placet. Ipsi enim duas Christi permanere naturas euidenter negare contendunt, quibus per hoc capitulũ manifestare contradicitur. Insinuata vna substantia per hoc, quod passus infertur. Passio enim commemorata testimonium est naturæ passibilis; natura passibilis intellecta, maximè in illo qui vnus de Trinitate †, duarum substantiarum clarissimam reddit distinctio-
*† dicitur.* nem. Sed forsitan aut nimium suspiciosus, aut omnino tardus auditor, aperta locutione desiderat instrui; videlicet, vt quotiens confiteri delectamur aut Deũ passum, aut vnum de Trinitate passum, quia & Pater Deus, & Spiritus sanctus Deus, & simul tota trinitas Deus; &
D Pater vnus de trinitate, & Spiritus sanctus de trinitate.
*† sic.* † Sed dicentes Deum passum, continuò inferamus, secundum carnem; ne aut tota trinitas passionem suscepisse, aut ipse Filius in substantia diuinitatis, quæ est illi cum Patre communis, passus putetur. Et in hac quidem parte mos gerendus est talibus, & si sic audire desiderant, sic etiam nos loqui conuenit. Vnus de trinitate, id est Filius, vna persona de tribus personis, passus est secundum carnem, quam suscepit ex nobis, vt dignaretur passionem tolerare pro nobis. Addamus verba manifesta, nec occasionem demus interpretationi maliciosæ, putemurque aliud credere, quam sentimus. Admonendus tamen videtur cui prolata simpliciter suspicionem commouent verba, non totiens aut diuinitatem Christi, aut humanitatem negari, quotiens non simul sono vnius enunciantur. *Vnus est*, ait Apostolus, *Deus*
*1. Cor. 8.* *Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Ecce Dominum Christum dixit, hominem tacuit, nec tamen ideo negasse putandus est. Rursus in
*1. Tim. 2.* alio loco ad Timotheum scribens; *Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Ecce hominem dixit, Deum tacuit, non tamen ideo negauit. Tanta quippe virtus est Sacramenti Ineffabilis, & sic in vnam personã duas naturas singulariter & mirabiliter adunauit. Deus homo misericorditer factus, vt Christum Iesum siue Deum dicas, hominem quoque simul intelligas, siue hominem confitearis, Deum quoque simul intelligas.



A Humana est in illo diuinitas, & diuina est humanitas. Propterea ille magis cuiusdam separationis aut diuisionis seminat suspicionem, qui duas naturas aliter nõ intelligit, nisi ambas audierit nominari. Ecce audiuimus vocem in Euangelio Christi dicentis: *Pater maior me est*; *Ioan. 14.*
quod secundum humanam videtur dixisse naturam, nunquid ideo putabimus eum non habere in se diuinitatem, secundum quam dixit in alio loco, *Ego & Pater vnum sumus*; Nonne & quando dixit, *Pater maior me est*; tacuit, *Ego & Pater vnum sumus*? & quando dixit, *Ego & Pater vnum sumus*; tacuit, *Pater maior me est*? Nihil tamen de horum negauit. Dicamus ergo ei, si videtur, dicenti, *Pater maior me est*; adde Domine, *Ego & Pater vnum sumus*; ne Arriani non arbitrentur æqualẽ. Multa occurrunt similia pro studio requirentibus. Ecce iterum
B dicit ipse Saluator: *Ego ex ore Altissimi prodiui*; quod secundum diuinitatẽ locutus est, dicamus ei, adde Domine, Et ex vtero virginali, quod pertinet ad humanitatẽ; ne putent Manichæi, vel Eutychiani, quia non est natus ex carne. Liceat nobis inter scientes quomodo credamus, simpliciter loqui. *In nomine Domini IESV Apostoli baptizabant.* Nunquid quia Patrem & Spiritũ sanctũ tacebant, ideo negabant? aut ideo baptismus ille non dabatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti quia in nomine Domini IESV baptizasse Apostoli perhibentur? Nonne propter huius substantiæ communionem & propter vnum nomen indiuiduæ trinitatis, etiam solo Domino IESV nominato, Pater quoque, & Spiritus sanctus in virtute illius nominis, quod vnum est ex tribus, nominati esse cognoscuntur? Ita etiam si solam diuinita-
C tem Christi nominem, iam simul humanitatem nominaui, quam sibi † adhumanauit ex virgine, & si solam humanitatem nominem, simul diuinitatem nominaui,
*† adunauit.* cui est adunata. Possunt hæ duæ substantiæ in Christo singillatim loquendo proferri, non possunt sine inuicem credendo cognosci. Nam ecce apud Miletum maioribus natu Ecclesiæ salubria monita, Beatus dum traderet Paulus; *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiã Dei, quam adquisiuit suo sanguine.* Dic modo Gentium doctor, & responde nobis aliquid, † quod etiam nos simus tam suspiciosos oporteat respondere. Dixisti Deũ Ecclesiam adquisisse sanguine suo; quare non addidisti Filium? quid si alius Patrem putet; quid si alius Spiritum sanctum? quia & Pater sine dubio Deus, & Spiritus san-
D ctus Deus est. Aut si Deum simpliciter nominasti, vel quando eum dixisti adquisisse Ecclesiam sanguine suo, diceres quomodo habeat sanguinem Deus, & adderes, secundum carnem, ne quis putet, quia etiam diuinitas habere aut effundere sanguinem potest. Scio quid huic percontationi vas electionis sine mora respõdeat. *Nosti, ô Fili, prædicationem meã, quare dubiam putasti sententiã? Quoniam ego dixi, Pater filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* vt filius tantùm passus à gẽtibus crederetur. *Iã ego dixi, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit se factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; vt in humana*
E *substantia mortuus ritè crederetur, quem tamen vt Deum cognosceres, fiducialiter alibi locutus sum*; Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Cognosco sancte Paule, doctrinã veritatis plenissimam, nec mihi sententia tua in libro Actuum Apostolorum dubia vnquam fuit. *Intellexi Deum, qui sanguine suo adquisiuit Ecclesiam suam, non esse nisi Christũ IESVM filium Dei*, nec habuisse sanguinem, nisi secundum substantiam carnis. Sed propter istos ista dixi, qui nunc audientes vnum de Trinitate passum, dicunt; adde secundum carnem, quasi aliter intelligi debeat, etiam si ego non addam, vel addere multum necessarium sit; quod etiam si non additur, apparet. Libenter tamẽ exigi me patior, quod vltro reddere sum paratus. Incud-

*Act. 2. & 10.* *Eccl. 24.* *Ioan. 10.* *Act. 20.* *† quid & vel nos simus ita suspiciosi oporteat esse & c.* *Rom. 8.* *Philip. 2.* *Rom. 9.* *Act. 20.*

ctanter profert lingua, quod retinet conscientia. Vnus de Trinitate Filius Dei Christus Iesus, qui est vna persona de tribus personis, passus est secundum carnem. Tu verò si iam credis non malitiosè vnum de Trinitate passum dici, dic similiter bono sensu sicut ego. Si autem dubitas adhuc, dic vnã personã de tribus passam, id est, Filium Dei Dominum Iesum Christum secundum carnem: ne si vnam personam de tribus passam profiteri nolueris, quartã confiteri inueniatis; & sine vlla ambiguitate Nestorij iudiceris errore possessus. Omnis ergo Catholicus aut vnum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat, aut loquens cautè, non tamen infideliter vnam personã de tribus passam fateatur: nec ideo quempiam iudicet hæreticum, qui vnum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiam ipse vnam personã de tribus passam veraciter dicit; Simulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes Hoc est quippe vnũ de Trinitate quod est, vnam personam de tribus personis. quoniam si dicas Vna est persona Christi; nihil aliud dicis, quam vnus est Christus. Et si dixeris, Vnus est Pater, aut Spiritus sanctus; nihil aliud dicis, quam, Vna est persona Patris, aut Spiritus sancti. Potest quidem vnus etiam substantiam significare; sed si addes substantiæ proprium manifestumque vocabulum, sicut quando dicis, Trinitas vnus, & continuò subinfers, Deus. Alioquin tolle nomen quod adiungis, vbi substãtia significatur, & dic, si audes, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnus sunt. Quis enim non continuò, Vnus sunt, secundum personam dictum consequenter intelligat, & Sabellij redarguat vanitatẽ? Vides ergo quia propriè vnus ad personam pertinet significandam, quamuis adiuncto sibi cuiuslibet substantiæ vocabulo possit etiam substantiam significare. Simpliciter ergo audiamus vnum de Trinitate passum, id est, vnam personam ex tribus personis. Nec mihi quispiam velit opponere, si dicimus vnum de Trinitate, dicamus vnum de humanitate, sicut dicimus Deum, & rursum dicimus hominem. Deum quippe cum dicimus, rectè etiam hominem dicimus; quia & Deus, & homo nomina substantiarum sunt. Vnus autem, quia propriè personam significat. Vnus, & vnus nequaquam cogitur dicere, ne duas videamur adseuerare personas. Ideo planè vnum de Trinitate confiteamur, & non vnum de humanitate, quia Deus venit ad vterum virginis, & aduentu suo munus ei largiens fœcunditatis, sine sorde libidinis humanam sibi naturam potenter atque ineffabiliter adunauit tanto vinculo vnitatis, vt persona verbi fieret persona carnis, & deinceps vna verbi persona esset & carnis. Ideo dicere nullatenus possumus vnum de Trinitate, & vnum de humanitate, vel vnum Trinitatis, & vnũ humanitatis, quia in Christo Iesu personam propriam separatim non habet humanitas, sed persona verbi Dei, à quo suscepta est, ipsa illa facta est propria. Distinguimus ergo naturas duas Christi in vocabulis, in officiis, non in personis. Ideo securus dicit Apostolus; 1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Iudæis & Græcis Christũ Dei virtutẽ, & Dei sapientiã.* Ecce Christus crucifixus ipse est Dei virtus, & Dei sapiẽtia. Quare ergo non dicatur vnus de Trinitate passus? An Christus Dei virtus & Dei sapientia non est vnus de Trinitate? Sed hoc qui negat, apertè dicat etiam diuinitatem † Filium non esse vnum de Trinitate. Si autem secundum diuinitatem Christus vnus est de Trinitate, & secundũ diuinitatem virtus Dei est & sapientia; Christus autem crucifixus virtus Dei est & sapiẽtia; rectè vtique dicitur, quia vnus de Trinitate est passus. Nec mouere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit apocrisarius in Chalcedonensi Concilio. Sæpè etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in concilio positi sensum loquentes, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronunciarunt Catholicum, nec ipsam

f. Filij

A sententiam Catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis † adprobasse, quam verba. Mirabiliter, tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit etiam post hanc sententiam reuinci Eutychianistas, in qua duarum plena est prædicatio naturarum, vt nequaquam † dicere, Si vnus est Christus de Trinitate, & Trinitas vnius est substantiæ, Christus autem Deus & homo est, vnius ergo substantiæ. Christus quippe & vnus est de Trinitate, & Deus & homo est, & non est vnius substantiæ, ne humanitas quoque, quam suscepit, consubstantialis sit Trinitati, quod sana doctrina condemnat. Recordor aliquando triplicem me intellexisse caussam, quæ dubitare quosdam de hac sententia cogeret. Prima scilicet, ne quadam separatione intercedente alia esset Trinitas, & alius qui vnus esset de Trinitate, sicut alius est Pater, alius est B Filius, quãdo de Patre Filius esse dicitur, & alia ciuitas, aliusque homo qui de ciuitate esse narratur. Sed & Pater quamuis habendo Filium Pater sit, ipso tamen Patris nomine non se esse Filium monstrat, & ideo dum de Patre esse Filius dicitur, alter esse Pater, alter esse Filius intimatur. Et ciuitas hominum est multitudo, non homo. Et ideo dum de ciuitate quispiam dicitur, alter ipse esse, altera ciuitas inuenitur. Trinitas autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est, ideo securus dicis, Filius vnus est de Trinitate. Nec potest esse alius Filius, & alia Trinitas; quia sine Filio nulla est Trinitas. Secunda verò caussa dubitationis videtur, nolentibus dicere, vnum de Trinitate passum, ne diuinitatis substantia fieri passibilis videatur. Sed hoc impossibile & auribus & C mẽtibus Catholicis ita semper apparet, vt suspicari hoc malitia potius quam cautela sit; maximè quoniam dum vnus de Trinitate dicitur passus, & Trinitas personarum habeat † significationem, cuius facilè apparet propter vnam personam † Verbum passibilis carnisque passibilis, vnum de Trinitate passum pronuntiari. Tertia verò dubitationis caussa est, ne dicentibus, Vnus de Trinitate passus; inquisitor acerrimus dicat: Quid vnus? & respondentibus, Filius; iterum dicat: Ergo si vnus est Filius de Trinitate, vel vnus est Trinitatis, Filiorũ est Trinitas, aut Trinitatis est Filius. Respondentibus Deus; dicat: Quomodo est quispiam vnus Deus de Trinitate, cum non sit vnus Deus, nisi Trinitas? Huic autem dubitationi facilè occurritur, si quid sit Trinitas consideremus. Trinitas enim (quòd sæpè dicendum est) personarum D est Trinitas. Quid ergo Trinitas, nisi tres personæ? Quæ sunt tres personæ, nisi Pater, Filius, & Spiritus sanctus? In hac ergo Trinitate, neque Patres tres inuenis, neque Filios tres, neque Spiritus sanctos tres, & propterea securus dicis; Vnum de Trinitate Filium; quia non est in Trinitate Filius nisi vnus, cuius personam significantes dicamus, Vnum de Trinitate passum; quia ipse tãtùm ritè creditur passus, qui cum esset verè & propriè Deus, verè & propriè factus est homo, vt non immeritò verè & propriè mater Dei B. Maria credatur. Ex Maria enim semper † nec humanitas nasci potuit sine diuinitate. Frustra expauescit quisquis æstimat consubstantialẽ diuinitati matrem futurã, si veraciter & propriè Maria mater fuerit Dei. Profectò. n. quia veraciter & propriè generanti semper est consubstantialis ille qui nascitur, E accepit ab ea Deus vnde ei fieret consubstantialis, & sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur propriè, sicut veraciter, Maria † diuinitatem filij genuit, sed incarnatã. Sine † carne enim diuinitatem sempiternã generare non posset homo mortalis. Quid autem propriè genuit? Manifestè genuit, contestantibus signis & virtutibus Deum esse, qui ex homine nascitur. Quid est propriè genuit? Ipsa ei materiam carnis, secundum quam † generatur operante quidem Spiritu sancto, verumtamen ex suis visceribus tribuit: & ideo quem sic nasci oportuit, etiam propriè genuit. Quisquis autem putat aut dicit ex vna substantia generari nullatenus potuisse substantias duas, veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc

f. deest / potius. / f. dicerent. / f. distinctionem. / f. Verbi impassibilis, carnisque passibilis. / f. deest, virgine. / f. generatur.

Nunc vero in magno illo & mirabili Sacramento, quod manifeſtatum eſt in carne, † diuina ſubſtantia ſecundum humanam ſubſtantiam proprie nata eſt, quia non ſeparatim nata eſt, nec humanitatem proprie natam ſibi diuinitas adunauit, ſed adunando eam ſibi proprie nata eſt. Dicam adhuc planius pro captu infirmitatis meæ, ſi removeat Deus veritas tenebras falſitatis á luce huius diſputationis. Proprie eſt nata de patre diuinitas pura; proprie † eſt nata de matre eadem incarnata diuinitas. Et hoc diſtat inter vnius filij Dei duas generationes, quod in diuina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie naſcenti diuinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero, Maria ſemper virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit diuinitatem: videbitur ſub aliquo modo hominem purum genuiſſe, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum † caro factum proprie genuit. Recte ergo, quantum arbitror, dicimus & confitemur, Maria veraciter eſt mater Dei Chriſti, vt † eſſet ſuſpicio phantaſiæ. Recte etiam confitemur, Maria proprie mater eſt Dei Chriſti, vt nullatenus hominem purum, qui pro meritis operum bonorum poſtea perhiberetur in Deum, vel ſuperuenientem ſe filio Dei, vocari aut effici † inquireret Deus; ſed Deum ſine initio, ex certo initio hominem factum concepiſſe & genuiſſe credatur. Inueniri poteſt plane alius conueniens modus, quo ſine ſcandalo hæc ſententia proferatur ſi ita vnuſquiſque dicat; Maria propriè mater Dei Chriſti, vt ſingulare hoc cœleſtis operationis beneficium non videatur commune cum cæteris. Ipſe enim Saluator in Euangelio nuntiantibus ſibi; *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærẽtes te;* *Quis* inquit, *mater mea, aut qui ſunt fratres mei?* Et extendens manum in diſcipulos, ait: *Ecce mater mea & fratres mei; & omnis qui facit voluntatẽ patris mei qui in cœlis eſt, hic meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Omnis ergo faciẽs voluntatem eius, pater eius, mater eius eſt. Sed Maria ideo proprie mater eius, quia naſcendo de ea ſecũdum carnẽ factus eſt filius eius. Multæ mulieres Deũ timentes parturiunt Deum Chriſtum mente, non carne; ſola autem Maria Deum Chriſtum parturit etiam carne, & ideo ſola proprie mater eſt Dei, quia nulla alia ſic mater eſt Dei. Beatus Apoſtolus dum Romanis ſcriberet, ait; *Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiã proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum.* Dicat ergo mihi aliquis, vtrũ proprius filius Dei patris ipſe eſt proprius filius Virginis matris, an forte non habuit Maria proprium filiũ, quẽ Deus habet filiũ propriũ? Sed & Maria habet proprium filium, quia genuit, non adoptauit; & illũ habet proprium filium, quem habet Deus proprium filium, quia duos filios nunquam fides Catholica prædicat. Reſtat ergo, vt ſi Deus Dei proprius filius, ipſe eſt etiam matris Virginis proprius filius, proprie eum genuerit. Alioquin ſi illa proprie non genuerit, nec ille proprius eſt filius. Proprius eſt autem, ergo illa proprie genuit; veruntamen ſecundum humanitatem, ſecundum quam potuit Deus naſci. Supereſt nunc in concluſione huius voluminis eiſdem duabus ſententiis, de quibus inter ſe diſputantium fratrum prolixa fit altercatio, ne qua remanere vel ſuſpicioſis videatur ambiguitas, dare quandam fidei regulam, qua præcedente ſimplicitas loquentium manifeſtetur; & audientium remoueatur ſcandalum: Dicturus ergo vnum de Trinitate paſſum, prius adſerat omnipotentis Dei vnam ſubſtantiam, tres eſſe perſonas: ex quibus vna perſona, id eſt Filius Deus permanens, homo factus & natura & paſſus ſit, neque Patre neque Spiritu ſancto pariter incarnato; quamuis opus noſtræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata. Sic autem paſſum eſſe filium fateatur, vt credens intelligat, † non potius eum pati, niſi ipſa ſubſtantia quia Deus, & cum Patre & cum Spiritu ſancto vnus Deus eſt, ſed in illa, quam ſine Patre & Spiritu ſancto ſuſcepit ex matre. Sed ideo † diuinitatem dici paſſam fuiſſe, quia ipſius eſt caro quæ paſſa eſt, & ad eius perſonam pertinet, quam cum Patre & Spiritu ſancto non creditur habere communem. Poſtquam vero & Deum Dei filium paſſum, & non in diuinitate ipſa paſſibilem factum, ſed humanitate, qua paſſibilis fuerat, intellexerit paſſum; confiteatur nihilominus ipſius vnius filii Dei Domini Ieſu Chriſti duas eſſe naturas, vel ſubſtantias. Et ſi ſu plenius hæc pro modulo ingenii vel eloquij ſui inculcauerit, Chalcedonenſis decreta Concilii, & Papæ Leonis Epiſtulam ſequi † nominibus profiteatur, ſuperaducens, per incarnationem filii Dei non creuiſſe Trinitatem, nec quartam Trinitati acceſſiſſe perſonam, quia diuinitatis & humanitatis in Chriſto ſingulariter permanſit ipſa perſona, quod Neſtorius duos introducens filios negat; vt merito iam ſectatoribus eius fidelis Catholici lingua reſpondens, ad remouendam quaternitatem dicat, vnum de Trinitate paſſum, quem tamen intimet ſecundum diuinitatem eſſe vnum de Trinitate, ſecundum humanitatem vero paſſum. Dicturus ergo vnum de Trinitate Chriſtum, prius iſta quæ diximus, dicat; maxime quando contradicentibus, aut male ſuſpicantibus loquitur, & aliũ non ædificat, qui cum malo ſenſu talia putat inſtruere. Nolo prædicatorem verbi Dei teſtimonio tantum conſcientiæ ſuæ eſſe contentum; perducere conetur ad cor aliorum, quid recte ac fideliter ſentiat, nec pigritia nec ſuperbia reuocetur, tanquam inculcaret rem dubiam, donec omni careat ambiguitate Sit multiloquus, quantum neceſſitas coegerit, dum tamen obſcura breuitate neminem ſcandalizet. Similiter dicturus beatam Mariam vere & proprie Deum genuiſſe, prius illa omnia confitens, diuinitatem filii Dei iam de patre natam, nec naſci, nec proprie naſci adſerat potuiſſe, niſi carnem noſtri generis, & animæ rationalis ſubſtantiam, id eſt plenum hominem ſuſcepiſſet; neque initium diuinitati per natiuitatem temporalem datum fuiſſe, ſed carni, cuius initium vel conceptio non fuit niſi conceptio diuinitatis. Prius enim cõfiteatur nec ea quæ ſunt diuinitatis, poſſe ab humanitate, nec ea quæ ſunt humanitatis, poſſe à diuinitate Chriſti ſeparari; ſed ſiue illud quod ſecundum diuinitatem, ſiue illud quod ſecundum humanitatem dictum, geſtum, toleratum ve eſt, vtrique ſubſtantiæ eius eſſe commune, propter vnam (quod ſæpe † impiget inculcare) perſonam, quam prædicat rectæ fidei prædicator; quamuis annuerit ſecundum humanitatem de viſceribus matris proprie natam fuiſſe diuinitatem, ſecutus tamen dicit; Maria Deum proprie genuit. Illum genuit, qui ſic homo creditur, vt Deus non negetur. Ille autem qui has dubitat proferre ſententias, ſi cuncta quæ ſolent ſub hæretico latere ſenſu, manifeſtis abſolutiſque ſermonibus audierit refutari, careat ſuſpicionibus, omittat contentiones, & de cætero vnum de Trinitate paſſum, vel Mariam proprie matrem Dei eſſe ſic accipiens, quomodo dicitur à Catholicis, etiã ſi aliter hoc adfirmare nitatur hæretici, doctorib. orthodoxis autem ſimplices præbeat,

Explicit Epiſtula S. Ferrandi contra Eutychianos, ad Anatolium Diaconum vrbis.

Margin notes: † f. certo | † f. eſſet, vel deeſt nullatenus. | f. incipere. | Mat. 12. | Rom 8. | † f. non potuiſſe eum pati in ipſa ſubſtantia, qua & cum Patre, &c. † | † f. non minus. | † f. impiget. pro non piget.

# S. FERRANDI CARTHAGINENSIS

## ECCLESIÆ DIACONI,

## AD SEVERVM SCHOLASTICVM

### *Constantinop. Epistula.*

MAGNORVM virorum mihi negotium conaris iniūgere propter eos, qui Deum nostrum Iesum negant vnum esse de sancta & indiuidua Trinitate, quid sentiam delectatus audite. Sed hoc, fateor, ingenii mei pusillitas aut vix valet, aut adsumete omnino non audet. Quis enim ego, aut qualis ego, cui liceat de dubiis rebus tutā proferre sententiā, nouosque sermones in electionis auctoritate, vtrum suscipi debeāt, recentioribus definite temporibus? Vtinam mihi fide simplici, quā catholica per vniuersum mundum docet Ecclesia, sic donet Deus esse contētum, vt omni, si fieri potest, huius vitæ miserabilis tempore orationi & ieiuniis vacans plangā cum pusillis fratribus meis delicta multa & grauia, siue quæ iam doleo commissa, siue quę adhuc cogor ex carnis fragilitatē committere. Beatum me profecto tunc existimabo, quando positus in silentio monasterii illum versiculum
Ps. 38. Psalmi per momēta cantauero. *Dixi custodiā vias meas, vt non delinquā in lingua mea.* Loquantur & prædicent quibus honor sacerdotii docendi auctoritatem tribuit, nos discere parati sumus, docere alios non pręsumimus. Interroga igitur, vir prudētissime, si quid veritatis cupias audire principaliter Apostolicæ sedis Antistitem, cuius
† f. iudicio. sana doctrina constat † auditio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga perplurimos per diuersa terrarum loca Pontifices, quibus sciētia cœlestium pręceptorum diuinitus inspirata famam grandem sui cum veneratione collegit. Istos sine dubio & ad disputādum idoneos, & ad suadendum frequēti exercitatione paratos, nec † vituperaueris si consulas adhuc incertus, &
† f. vituperaueris. † laudaris si sequaris veraciter † doctos. A me autem sic
† f. laudaberis. † expete debitam charitatis, incurrere suadeas culpam
† f. doctus. Trinitatis. Sufficit mihi, propter beati Petri manifestam
† f. sic expetēs debitum caritatis incurrere, &c. sententiam, quæ fidelibus cunctis generaliter loquitur, † Parati estote ad respondendum omni poscenti vos rationem de fide & spe quæ in vobis est; sciscitanti quomodo credamus, illico respondere; Credere nos vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Patrem à nullo genitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum sanctū de patre ingenito, & filio vnigenito semper procedētem, ita vt hac beata Trinitate, quam vnum diximus Deum, Pater non sit Filius aut Spiritus sanctus, Filius nunquam sit Pater aut Spiritus sanctus, Spiritus sāctus nec Pater sit aliquando, nec Filius; sed Pater solius Filij Pater sit, vt Filius solius Patris Filius, Spiritus vero sanctus Patris & Filij communiter Spiritus. Simul autem hi tres naturaliter vnus Deus, propter id, quod vnus Deus, vnam habentes substantiā; propter id, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ. Propter id, quod Deus vnus, simul omnia inseparabiliter operantes. Propter id quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus quædam sibi propria vindicantes; sicut generare solius Patris, & nasci solius Filii, & procedere de ambobus, solius confitemur Spiritus sancti. Sicut Patrem solū locutum de nube; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui. Filiū solum de Virgine natū, & à Ioanne in Iordane*
Matt. 3. *flumine baptizatum, & Spiritum sanctum solū in columbæ specie descendisse.* Olim quippe illos veritas cōfutauit hę-
Ibidem. reticos, qui sic vnū Deum Trinitatem dicere voluerunt, vt quem Patrem fatebātur, ipsum sibi Filium, ipsum fin-

In lib. ... ante verbū, incurre ... aliquid est incertū quod ... 1. 2. et 3

A getent Spiritum sanctum Deum scilicet, qui manens in cœlestibus creaturæ totius Pater fuit, protensus in Virginem, † eo nascendo inter homines Filius fieret, rursusque dispensationis humanæ consummato mysterio
† f. etiā super Apostolos in linguis igneis veniens, Spiritus sanctus vocaretur. Hoc errore compulsi non Filium Dei Patris, sed Patrem † credere crucifixum. Vnde eos etiam
Act. 2. † f. crediderunt. Patripassianos appellari vetustas ostendit. Ita igitur propter vnam substantiam Sabellius tres noluit fateri personas, sicut è contrario Arrius propter tres personas, tres voluit prædicare substantias. Apostolica sane Ecclesia tres personas contra Sabellium numerans, vnam vero substantiam vel essentiam contra Arrium vindi-
B cans ita meminit sibi, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.* Vt hic vnus Deus non sit solitarius, Deut. 6.
sed † Trinitas, Pater scilicet, Filius, & Spiritus sanctus. Qua confessione prælata, magnum pietatis & mirabile Sacramentum, quod manifestatum est in carne, † f. trinus.
iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, adsumptum est in 1. Tim. 3.
gloria, subsequenti veneratione pandentes, ita pro redemptione humani generis humanam naturam credimus suscepisse, vt ille qui in Trinitate perfecta Deus vnigenitus permanebat, *Hic ipse ex Maria fieret primogenitus in multis fratribus.* Et hunc eundem, quem genuerat Rom. 8.
Deus Pater ante omnia tēpora, ipsum generaret homo mater postquā venit plenitudo temporū. Principaliter enim fides nostra Christum Dei filium sic prædicat hominis filium, vt vnum dicat Dei & hominis filium; nec Gal. 4.
C alterum in diuinitate Christum veneretur, alterum in humanitate, sed quem in diuinitate, ipsum in humanitate. Propterea enim Deus factus est homo, quia non est alius Deus, alius homo, sed omnino qui Deus, ipse homo: Et propter hoc, qui homo, ipse etiam Deus Iesus Christus Dominus noster. Manens enim Deus filius vna in Trinitate persona, venit ad Virginem, nec sibi aliam personam de ea adsumpsit, sed aliam sic † vnitatem personæ suæ suscepit, vt persona quæ semper erat, naturam susciperet carnis, haberetque duas † f. in vnitatem.
vna Christi persona naturas. Nec ambigere oportet, quomodo credatur humana natura ex initio sui Dei verbi habuisse personam, scientes quod non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris vtero viuere iam incipientem Deus adsumpsit, sed omnino antequam aliquid Maria conci-
D peret, ante omnem formari, formandi, † ob hominis caussam Deus volens & homo fieri, virginalis palatium ventris intrauit, & virtute diuinitatis munus lar- † f. desit natura vel conceptione vel quod aliud.
giens fœcunditatis, adsumpsit ex ea, quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem, ex ipsa adsumptione conceptus, & natus. Non vtique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum inuenit, sed naturam potius humanam, in qua ipse Deus homo nasceretur, accepit. Habuit igitur humana natura, ex quo est creata, personam, sed vnam cum Deo, qui eam suscipiendo creatura est. Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine diuinitate aliquando humanitatem, & tunc fatebor quod habuerit propriam etiam sola humana natura personā. Quia vero diuinitas quidem verbi Dei sine humanitate fuit, humanitas vero sine diuinitate nunquam fuit, ideo habuit diuina natura personam, quam humanæ naturæ

Creati ... quod ... quando ...

naturæ, quæ eam suscepit, indulsit, vt & natura suscepitrix, & natura suscepta sine vlla cõfusione ineffabiliter A adunata vnius crederetur esse personæ, dum cuius est diuinitas, ipsius est humanitas, & cuius est humanitas, ipsius diuinitas. Et licet alia sit diuina natura, alia humana non sit tamen alius Christus, cuius est diuina natura, & alius Christus, cuius est humana natura, sed idẽ sit vnus Christus, cuius est humana & diuina natura. Neq; enim sic in Christo, sicut in prophetis inhabitauit Dei verbũ, *Ioan. 1.* *Sed verbũ caro factũ est, vt habitaret in nobis.* Hic est dominus Iesus Christus. De nullo deniq; Propheta quamuis ea persona Dei multa sæpius loquatur, scriptura sãcta narrauit quod esset super omnia Deus. De Christo autẽ fiducialiter Apostolus clamat, *Ex quibus est Christus secundum carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Si quis enim negauerit Christũ Dei hominisq; B filiũ vnã habere personam, duos prædicat Christos: Et si duplex adorãdus vel colendus est Christus, nõ trinitatẽ, sed quaternitatẽ adorat. Si quis iterũ vnã Christi dicit esse naturam, & quamuis eum ex duabus negare nõ audeat, in duabus tamen substantijs confiteri veretur aut dubitat: hic aut vnius naturæ abolitionem, aut vtrarumque adseuerat confusionem. Nisi enim de duabus vnam simul abstulerit, aut vtrasque confuderit, vnam quomodo prædicet non habebit, hos scripturarũ testimoniis, vt epistolæ modus teneatur, breuiter refutantes, verba Saluatoris nostri primitus consideremus, quibus fixam *† diuin.* regulam diuini baptismatis tradens, hoc Apostolis suis *Mat. 28.* † dicens; *Ite, & baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Illos enim qui putãt Christum vnã non habere personam, interrogo; Nominato in baptismate C † si non est vna Dei hominisque persona, quæ persona *† dect. Filio* nominatur? Si dixerint, Filij Dei; nec hunc esse confitentur filium hominis, quem Filium Dei; ergo omnis à regenerationis Sacramento gratia mediatoris aufertur. *Vnus est enim*, sicut dicit Apostolus, *mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus.* Et si quod absit, nominato in baptismate filio, sola filij Dei persona nominatur, & per- *1. Tim. 2.* sona filij Dei hominis non cõmemoratur, mediator nõ nominatur? Et quomodo sine mediatore pater reconciliatur. Aut si forte non recõciliatur, vt quid baptismus dicitur? Si autem reconciliatur, per mediatorem recõciliatur? Si per mediatorem reconciliatur, mediator iste non est tantum Deus, neque tantũ homo, sed Deus homo, vt iungat hominem, habens in vna eademque per- D sona cum Deo diuinitatem, cũ hominibus humanitatẽ, & propter hoc mediator. Nam si alter fuerit Deus, alter homo, id est aliam personam habuerit Deus Christus, aliam homo Christus; nec persona illa Christi, quæ habet cũ Deo diuinitatẽ, mediator noster est, quia nõ nobiscum habet humanitatem; nec persona filij hominis, quæ nobiscũ habet humanitatem, mediator noster est, quia non habet cum Deo diuinitatem. Proinde si cum *† & debaptizamur, illam tantummodo personam quæ habet* *lauiam.* cum Deo diuinitatem, nominamus & † quomodo sine *† atque.* mediatore reconciliamur? Restat ergo, vt si nominato in baptismate filio mediatorem nominare volumus, ipsum filium non diuidamus, sed hunc esse Deum, † quem hominem confiteores, negatores vnius personæ veraciter confundamus. Alioquin quomodo verum erit, quia E *quicunq; baptizamur in Christo, in morte ipsius baptizamur*, si quãdo filiũ in baptismate nominamus, non vnam *Rom. 6.* personam Dei hominisq; sed personam solam filij Dei sine persona filij hominis nominamus: quando si vere fuissent duæ personæ, ad commemorandã mortẽ Christi, in qua nos baptizari docet Apostolus, persona filii hominis commemorari debuerat? Secundum hominem enim mori potuit Christus. Sed si illi qui personam vnã negare conãtur in Christo, nec excludant incarnationis à baptismate Sacramentum, nominato filio personã filij hominis adseuerant nominari; non ergo in vnito trinitatis nomine baptizamur, Neque enim trinitas potest dici, vbi Deus Dei filius nominatur, si persona tantũ filij hominis inculcatur. Vt ergo trinitas tota in baptisma- A te nominetur, & mediatoris gratia non sileatur, & mortis Christi commemoratio teneatur, vnã Christus habere personã veraciter agnoscatur, vt nominato in baptismate filio, hæc vna persona nominari intelligatur, de qua dicit etiam Paulus vas electionis: *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.* Quæ *2. Cor. 2.* persona totũ habẽs quod est Dei, totum habẽs quod est hominis, veraciter dicit quod Ioannes Euãgelista commemorat; *Nemo ascẽdit in cœlũ, nisi qui de cœlo descẽdit,* *Ioan 3.* *filius hominis qui est in cœlo.* Quomodo enim nemo ascẽdit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, si non est vna persona Christi, qui descẽdit, & ascendit? Nonne si duas habere personas putetur, alia erit sine dubio persona susceptrix, alia suscepta: alia quæ est de Deo Patre nata, alia quæ est Dei filio, quãdo incarnari voluit, adunata? B Et si ita est, susceptrix persona descendit, vt ascenderet persona suscepta, & iã falsũ erit, *Nemo ascendit in cœlũ,* *Ibidem.* *nisi qui de cœlo descẽdit.* Descẽdit enim persona filij Dei, & ascẽdit persona filij hominis, ac si non illa quæ descẽdit ascẽdit. Hoc secundũ prauitatẽ malæ intelligentiæ eorum, qui duplicant Christum, disputandi necessitas compulit loqui. Cæterum ideo verè nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, quia vna ascendentis descendentisque persona, secundum naturam diuinitatis inclinãte miseratione descendens, secundũ naturam humanitatis cum tropbæo immortalitatis ascẽdẽs. Huic enim rei testimonium dans Gẽtium doctor, aperte posuit; *Qui descẽdit, ipse est & qui ascendit, ipse plane nõ* *Ephes. 4.* *alius.* Et si non alius, vna prorsus eadẽ inseparabilisque C persona, de qua recte dicitur, *Nemo ascẽdit in cœlu, nisi* *Ioan 3.* *qui de cœlo descendit.* Et propter quã tardis mentibus inculcandã rectissime sequeretur, *filius hominis qui est in cælo.* Hic enim quæro, si nõ est vna Dei hominisq; per- *Ibid.* sona, quomodo dicit, *filius hominis qui est in cœlo*, quãdo adhuc nec dum passus loquebatur in sæculo: Quomodo est, inquam, quomodo est in cælo filius hominis ante mortem crucis ante gloriam resurrectionis, ante triumphum ascẽsionis, nisi quia adhæsit ad vnitatem personæ filii Dei, qui nunquam recessit ex cælo? Et ideo est filius hominis in cælo, quia ibi est semper filius Dei, qui factus est filius hominis. Mirum quippe, mirum, nisi intelligatur apparet. Dicit Dominus, *Nemo ascendit in cœ-* *Ibid.* *lũ, nisi qui de cœlo descendit.* Et quasi interrogaret aliquis. Quis est iste? cõfestim sine dubitatione respõdit, *fi-* D *lius hominis qui est in cœlo.* O Domine Iesu, *In principio* *Ioan 1.* *verbũ. & verbũ apud Deum, & Deus verbum*, nõne antequã descẽderes, & verbum caro fieres, & habitares in nobis, Deus tantũ fuisti Patri, & Spiritui sancto cõsubstantialis atque vna in trinitate persona? Quomodo ergo nunc ais, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, & statim personam descendentis insinuans sequeris, filius hominis qui est in cælo? Quomodo descendit filius hominis antequam tu fieres filius hominis, nisi † quomodo tu qui eras ab initio filius Dei, tu Deus vni- *† quoniam.* genitus, in vna in trinitate persona, factus es fili᷒ hominis, & sic factus es filius hominis, vt nõ altera esset persona tua, altera fil i hominis? Hæc denique vna cõmendatur quando Pharisæi interrogãtur à Christo, *Quid vo-* *Matt 22.* E *bis videtur de Christo? cuius filius est?* Et respondẽtib. Dauid, dicit Iesus, *Quomodo Dauid in spiritu vocat eum Do-* *Psal. 109.* *minum dicẽs, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponã inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* Dauid enim vocat eum Dominum, & quomodo filius eius est? Ibi Pharisæi quidem conuicti sunt & humiliati, sed non tamen si pie quæramus, admoniti. Quare filios dicitur Dominus Dauid, nisi quia Dominus Dauid ipse factus, est filius Dauid? Nam profecto si non esset vna Christi persona, non posset esse filius Dauid, Dominus Dauid. Sed ideo est filius Dauid, Dominus Dauid, quia personam quam habet Dominus Dauid, ipsam habet filius Dauid. Hæc vna persona, postulante Philippo, *Ioan 14.* & dicẽte; *Domine, ostende nobis Patrem*, Cũ enim Phi-

lippus non videret oculis carnalibus nisi hominem, cui loquebatur; audiuit sibi ore hominis dici; *Qui me videt,* A *videt & Patrem.* (Ibid.) Alioquin si non esset vna Dei hominisque persona, nõ diceret, *Qui me videt,* iam visus in carne videri adhuc volens in diuinitate; sed diceret potius, Qui videt Deum meum, videt personam Dei mei. Quid est autem dicere videnti se, Qui videt me; nisi dicere, Ego sum qui videor, ego qui non videor? Et qui me iam foris carnaliter videt, si videt intus spiritualiter, nõ alterum, sed me, hic profectò qui sic videt, me videt, & patrẽ? Et sequitur statim; *Ego in patre, & pater in me.* (Ibid.) Quãdo diceret caro mortalis, Ego in patre, & pater in me, nisi ipse propter humanitatem personæ esset Deus immortalis, qui crucifigendus fuerat homo mortalis? Audi eum adhuc vnius esse veritatẽ personæ modis pluribus allegantem, cum interrogaret discipulos suos, *Quẽ me,* B inquit, *dicũt esse homines filium hominis?* (Matt. 16.) Post opiniones multas & varias hominum, quibus alij Heliã, alij Hieremiã, alij Ioannem Baptistam, alij vnum ex Prophetis opinabantur esse Christum Dei, Dominum prophetarum, distinguere se Dominus à famulis volens, vnumq; se Christum inculcare videntibus cupiẽs, *vos autẽ,* ait, (Ibid.) *quem me esse dicitis?* Respõdit Petrus; *Tu es Christus Filius Dei viui.* Hic si vna persona Filij Dei & filij hominis nõ fuisset, quomodo beatus Petrus appellãte se Christo filiũ hominis, velut contradicere auderet, *Tu es Christus filius Dei viui:* Christus dicit, me filium hominis: Petrus dicit, Tu es Filius Dei viui. Si non est vna Christi persona, de alio Petrus interrogatur, alium confitetur. Interrogatur, *Quem me esse dicunt homines filium hominis?* & respondit; *Tu es es Christus filius Dei viui.* Sed si beatus C Petrus nunquã meruisset magistri sermone laudari, nisi ipsũ confiteretur † de quo interrogabatur, à quo ei diceret, tu à quo audieras me. Ipse est filius hominis, qui est filius Dei viui. De quo Paulus ad Hebræos scribens, vt vnius eũ personæ sẽper ostẽdat, ita ait: *Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in sæcula.* Vbi ipse quod semel posuit, etiã ter intelligi voluit, tanquã diceret; *Iesus Christus ipse heri, ipse hodie, ipse & in sæcula heri,* antequã acciperet carnẽ, hodie, quando iuxta vaticiniũ Hieremiæ Prophetæ. Hic Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo; (Heb. 13.) qui inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob (Baruc. 3.) puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Siue modo, *quãdo sedet ad dexterã Patris in sæcula,* siue *quãdo iudicare venturus est viuos & mortuos,* sicut omnis Ecclesia in Sym- D (Apost. Symb.) bolo cõfitetur, *semper ipse, nunquã alius.* Carnẽ quippe suscipiendo, naturas adunauit, non personã duplicauit. Naturas planè adunauit, sine confusione permanentes, & in sæcula permansuras. Sic enim adunauit, vt nec diuinitas in humanitatẽ mutaretur, nec humanitas à diuinitate absorberetur; sed vtraque natura incolumis custodita suis officijs vteretur, suis operibus agnosceretur, suis nominib. vocaretur, veruntamen personis propriis non distingueretur. Nõ sic enim adunatæ sunt duæ substantiæ, diuina scilicet & humana, vt fieret vna substantia, sed vt esset vnius personæ, atque ex eis, & in eis vnus semper existeret Christus. Absit enim vt dum vnã cogit veritas prædicare personam, duas audeamus negare naturas. Si enim creator factus est creatura, si verbum E factũ est caro, si Deus habitu inuentus est vt homo; nec (Ioan. 1. Philip. 2.) creator creari, nec verbum caro fieri, nec Deus esse potuit homo sine alterius susceptione naturæ. Et si altera est natura suscepta, duæ sunt profectò naturæ, non vna. Sed si ex duab. facta esse asseritur vna, quæ facta sit, debet primitus dici. Quamuis enim duabus ex substãtiis vna aliquavix valeat fieri sine ambarũ cõfusione, aut vni⁹ abolitione: tamẽ quotiens ex duobus fit aliquid vnum, noua res fit. Et si noua res fit, nouum necessario naturæ nomen existendo nouiter sumit. Verbi gratia, Alia est in nobis natura animæ, alia corporis. Illa spiritalis: ista terrena; illa inuisibilis, ista visibilis. Et quia ex his duabus vna est facta natura, nouum naturæ nomen adepta est,

vt diceretur homo. Separatim enim dicitur anima, separatim corpus, nec anima potest nuncupari corpus, nec corpus potest nuncupari anima; simul autem corpus & anima rectè nũcupantur homo. Nec natura animæ est natura corporis, nec natura corporis est natura animæ. Simul autem constans ex natura corporis & animæ vna est humana natura. Proinde si diuina natura & humana confirmantur vnam fecisse naturam, † inueniatur, & nũquam naturã quæ nec diuina appelletur, nec humana; (*f.* inueniatur. nomen at nũquam natura inuenietur, quæ &c.) sed sicut noua, ita nouo nomine nuncupata. Nullus plane † tergiuersatur, & vnius naturæ contẽtiosus assertor († tergiuersetur.) in huius articulo propositionis, naturæ quam ex duabus vnam fingit, nouum nomen adponat, & eam Christum † dicere dicat, quia Christus nomen officij est, nõ naturæ; ab vnctione enim Christus. Vnctio vero temporalis († deleñdũ dicere.) dispensationis indicium, non substantiæ videtur esse vocabulum. Ille enim qui ex duabus factam credit vnam, (sæpe dico) dicat, quam vnam. Est enim vna, nec diuina dici poterit, nec humana, sed quocunque alio nomine: quod nomen si quis inuenerit, naturæ vnius assertor tolerabilis erit. Ego tamẽ valde metuo vnius naturæ professionem cõfidentes assumere; quoniã si vna est natura Christi, aut tota erit æqualis patri, aut tota patre minor. Si tota æqualis, secũdũ quã dicit, *Pater maior me est?* si tota minor, secũdũ quã dicit, *Ego & Pater vnum sumus?* (Ioan 14. Ioan. 10.) aut impassibilis, aut passibilis. Si impassibilis, secundum quid dicitur Christus passus, mortuus, crucifixus? si passibilis: aut Christus iã vnã naturã non habebit cum patre, vt segregetur à passionib. eius Deus pater, aut si hæc vna natura, quã habet cũ patre cõmunẽ, passibilis erit; propter quæ passibilis erit? & iã nõ Catholici Christiani, sed hæretici gloriabũtur Patripassiani. Addo adhuc, si vna est natura Christi, aut inuisibilis asseritur, aut visibilis: si inuisibilis, quam viderunt qui crucifixerunt? quam viderunt Apostoli vsq; ad tactum? quam vidẽdam promiserunt Angeli, dicẽtes: *Sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntẽ in cœlũ?* (Act. 1.) Sed si inuisibilis, quid volebat dilectori suo in futuro manifestare, quando dicebat; *Et ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum;* (Ioan. 14.) iã manifestatus secundum carnem? Aut cur male clamat Euãgelium? *Nemo nouit filiũ, nisi Pater?* Sine dubio enim quod videmus nouimus; & nemo potest dicere non subiacere notioni, quam subiacere confessus fuerit visioni. Mouetur adhuc (Mat. 11.) quæstio, si vna est natura Christi, aut vbique diffusa est, aut localis; si vbiq; diffusa, quare verba symboli sic recitamus, *Tertia die à mortuis resurrexit, ascẽdit ad cœlos, sedet ad dexterã Patris?* Qui respõdebit mihi, si vbiq; diffusa est natura Christi, quomodo ascẽdit in cælos: si vbiq; diffusa est, quomodo specialiter de ea dicitur, *Sedet ad* (Symb. Apost. Ibid.) *dexterã Patris?* Sed si localis est, certe *sapiẽtia Dei, quæ est Christus, attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit* (1. Cor. 1. Sap. 8.) *omnia suauiter, & vbiq; est,* † quod recedẽs à discipulis († quæ.) suis secundũ præsentiã carnis, *Ecce ego,* ait, *vobiscũ sum vsq; ad consummationem sæculi.* Erubescamus ergo duas negare naturas, vt in vno Christo appareat quæ natura (Mat. 28.) sit æqualis patri, quæ minor patre; quæ passibilis, quæ impassibilis, quæ visibilis, quæ inuisibilis, quæ vbiq; diffusa, quæ localis, dum tamen vnus sit Christus, & æqualis & minor, & impassibilis & passibilis, & inuisibilis, & visibilis, & vbiq; & diffusus, & localis, totus æqualis, non totũ ęqualis, totus minor, nõ totũ minor, totus inuisibilis, impassibilis, vbique diffusus, sed non totũ. Hic vero si requiras, quid est totum Christus? respondeo, Verbum Dei, anima rationalis, & caro. Siue enim verbum dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas animam rationalem, & corpus. Siue animam rationalem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas verbũ, & carnem. Siue carnem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas verbum, & animam rationalem. Totus ergo Christus vbique est secundum verbum, sed non totum vbique est, quia non est vbique anima rationalis & caro, cũ quibus est totum totus Christus. Apud inferos fuit secundum animã rationalem, sed nõ totum (*f.* quæ.)

quia

† qua. † qua.

quia caro non fuit, cum † quo totum eſt. Totus Chriſtus in ſepulchro fuit ſecundum carnem, ſed non tantũ A quia anima rationalis ibi non fuit, cum † quo eſt totum, Verbum tamen Dei & cum anima ſua apud inferos, & cum carne ſua in ſepulchro fuit, quia naturaliter vbique diffuſum, nec animæ ſuæ, nec carni ſuæ aliquando defuit. Siue igitur verbum, ſiue anima rationalis, ſiue caro ſignificetur, totus Chriſtus ſignificatur, ſed non totum. Neque enim erit totum, niſi ſimul verbũ, anima rationalis, & caro. Quare autem verbum totus Chriſtus, & anima rationalis totus Chriſtus, & caro totus Chriſtus, niſi quia vna eſt verbi, animæ rationalis, & carnis perſona? Quare iterũ verbum ſine anima rationali, & carne non totum Chriſtus, aut anima rationalis & caro ſine verbo nõ totum Chriſtus, niſi quia alia eſt verbi, alia rationalis animæ carniſque natura? illa diuina, iſta humana: illa ſimplex, iſta compoſita: cũ tamen vna ipſa Chriſti perſona, quæ duas, diuinã & humanam, id eſt ſimplicem & compoſitam videtur adunare ſubſtãtias, non ſit B compoſita, ſed in ſingulis ſimplex, & in vtriſq; ſimplex, & ita ſimplex, ſicut fuit antequã in ſua vnitate ſuſciperet humanam naturam, vt haberet deinceps ſubſtãtias duas, vnã ſicut diximus, ſimplicem, aliam vero compoſitam. Sed quid iam pluribus immoramur? De incarnatione Chriſti hæc eſt fides mea, per quam fateor, ex duabus, & in duabus ſubſtantiis vnam Chriſtũ habere perſonam. Nec moueat, quomodo potuerit habere duas vna Chriſti perſona naturas, cũ videamus diuinitatis vnam ſubſtãtiam tres habere perſonas. Si enim mihi dicat aliquis in Chriſto oſtende mihi ſecundum numerũ naturarum numerũ perſonarũ; reſpondebo intrepidus, Oſtende mihi etiam tu in deitate ſecundum numerum perſonarum, numerum naturarum. Si enim non poteſt eſſe natura ſine perſona, poterit eſſe tamen perſona ſine natura. Sed ſi dicitur in trinitate omnes tres perſonas vnã habere naturã, quia illa vna natura omnium trium A eſt perſonarũ; ita ego in Chriſto dicam vtraſque naturas vnam habere perſonam, quia illa ſignificãs exiſtere, cuius eſt † quia aliũ diſtinguit ab alio. Vnde rite perſonarum duarum in Chriſto videretur quiſpiam exurgere prædicator, ſi Deus ille nõ fuiſſet homo, aut homo ille non fuiſſet Deus, alium ab alio ſua diſtinguente perſona, dum ſecundum ſuperioris intellectũ definitionis proprietate incommunicabili ſic vnam Chriſti perſonam diuinitatis ſignificaret exiſtere, vt eum ab alio, qui in humanitate credendus fuerat, ſepararet. Verũtamen abſit hoc à fidelibus mentibus, longe fiat à Chriſtianis diſputationibus. Proinde illi quos negare adſeris Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnũ eſſe de ſancta & indiuidua trinitate, ſi fatentur Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum Deum eſſe, Dei filiũ, factum hominis filium, B & ideo nominato Domino Ieſu Chriſto non hominem purum, ſed diuinam ſimul & humanam ſubſtãtiam nominari, Si fatentur Deum trinitatem, Patrem eſſe, & filium, & ſpiritum ſanctum, & hunc filium; ſine quo Trinitas nunquam fuit, & quo carnem ſuſcipiente manſit trinitas, ſicut ſemper eſt trinitas, ex initio incarnationis ſuæ ipſum eſſe intelligunt Dominum Ieſum Chriſtum, quid ad nos, quibuſlibet verbis rectam prædicent fidem? Videndum potius reor & conſiderandum diligentius, cur Dominus Ieſus Chriſtus vnus eſſe de ſãcta & indiuidua trinitate nimis caute à quibuſdã negetur. Tribus enim modis, quantum mea fert opinio, ſententiæ huius ſuſpecta redditur propoſitio. Primus modus eſt, ne ideo Dominus Ieſus Chriſtus vnus eſſe de ſancta indiuidua Trinitate prædicari putetur, vt alius ipſe, alia trinitas, de qua vnus eſſe dicitur, inculcetur: velut cum de patre & filium credamus. Alius eſt. † † †

† deleñdũ quia.

*Reliqua deſiderantur.*

# S. FERRANDI CARTHAGINENSIS
## ECCLESIÆ DIACONI,
## *AD SANCTVM FVLGENTIVM RVSPENSEM* EPISCOPVM EPISTVLA,
### *De quinque quæſtionib.*

† ſuſc. do. † multa volui ſcire.

DOMINO beatiſſimo & cum omni veneratione † inſpiciendo, ſancto Patri Fulgentio, Ferrandus Diaconus in Domino ſalutem. Sæpe † multum volui effectum interrogare diſcendi; ſed abſentem magiſtrum ſequentibus Epiſtulis compellare, portitorũ raritas ex itineris longinquitate prohibuit. Vnde nunc beneficio præſentis occaſionis admonitus, in vnum congeſſi quæ potui, & reſponſione veſtra melius dilatanda breuiter quærere, rogans obſecranſque Chriſtum, à quo intus audis quod doceas foris, vt veraciter dicas mihi. Vtrũ trinitas in inſeparabilis propter vnam eãdemque naturam, operationem atque voluntatem, dici debeat ſeparabiles habere perſonas, an etiam in perſonis ſit omnino inſeparabilis prędicãda. Vel vtrum Deus Dei filius, ſicut dicitur natus, paſſus, mortuus, crucifixus, ita eius diuinitatem, confirmare nos oporteat natam, paſſam, mortuam, crucifixam; quãuis ſiue Deus, ſiue diuinitas nominetur, ſola caro intelligatur mutabilis atque paſſibilis, ſecundum quam Deus aut diuinitas pati potuit, quod in ſua natura non potuit. Tertio adhuc requiro. Vtrum anima B Chriſti ſuſceptricis deitatis plenã habet omnino notitiam, & quemadmodum ſe inuicem norũt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ita idẽ filius ſemetipſum per id quod homo eſt in eo quod Deus nouerit, ex vtraque atque in vtraque ſubſtantia totum capiens Patrem. An fortaſſe ſicut oculis corporalibus Deum ſpiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, ſed natura credatur penitus commutata, ſic rationalis animæ, quamuis pro intellectu & corde mundiſſimo, non videri neque comprehendi omnem diuinitatis eſſentiam, ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem. Patere me obſecro iterum quærere, nolo enim ſimul plura proponere; quia non eſt vbi ſigillatim de ſingulis percontemur. C Vtrũ regnum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti credimus & fatemur, ſimul eos dominari creaturis omnibus ſentientes. Quare ergo in orationibus ſacerdotum per Ieſum Filium Dominum noſtrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti, per vniuerſas pæne Africæ regiones Catholica dicere conſueuit Eccleſia? Tanquam ſolus filius cum patre poſſideat, regnum in vnitate ſcilicet Spiritus ſancti, aut regnantes adunare, non ſimul regnare Spiritus ſanctus intimetur. Reſpõde ad hęc rogo celeriter, & inculto eloquio de rebus igno-

Quæſt. I. Quæſt. II. Quæſt. III. Quæſt. IV.

Hic liber de regula veræ fidei est S. Fulgentii, qui inter opera S. Augustini falso adscripta nominatur De fide ad Petrum. Inter opera S Fulgentii Epistula 4 ad Promab.

tis consulentem suauissimo melle cælests pasce sermonis. Illud etiam diligenti expositione dilucidas, qui sit quod Lucas Euangelista cœnam Domini narraturus, prius eum dicit calicem accepisse, & discipulis diuidendum inter se continuo tradidisse, & tum deinde accepto pane dixisse. *Hoc est corpus meum*, & accepto similiter postquã cœnauit calice, tunc dixisse; *Hic calix nouũ testamẽtum est in sãguine meo, qui pro vobis funditur.* Nũquid vnus calix secũdo est datus, an alius prius, alius postea? Et si ita est, ad cuius rei pertinet Sacramentum, ille, de quo maxime cæteri, qui scripserunt Euangelia, tacuerunt? Noli quæso differre responsum, nec paratum animum longa expectatione suspendas, Occupationum quippe vestrarum debemus mereri vel partem. Rogo A etiam, vt librum de regula veræ fidei relegendum nobis iubeas destinare, & Epistulam ad Ioannem Tharsensem Episcopum vbi de malefico quodam iudici non tradendo memini plenissime disputatum. Codices duos suscepi, & infanti Hermiæ propriũ reddidi. Iube etiam Epistulam de Oratione, quam ad me hic positum mandare dignatus est, iterum huc scriptam dirigere. Dum enim pro splendore sui à multis quæritur ad legendum, faciẽte nostra obliuione, apud quem remanserit ignoramus. Sanctos presbyteros, diaconos, beatamque congregationem supplex saluto. Deus noster paternitatem tuam ad ædificationem nostram conseruare dignetur incolumen Domine Pater Amen.

*NE quid Ferrandi sanctissimi viri, optimique scriptoris omitteremus, eius quoque post maiorum vigiliarum lucubrationes ad S. Fulgentium Epistulam de variis per eam quæsitis rebus adiectam curauimus, breuem quidem illam, sed profecto valde necessariam, quippe in qua secunda quæstio ad id quod sæpe notauimus de Christi diuinitate, quam natam, passam, crucifixam hic auctor dicere solet, & quidquid eiusmodi fuit, mire pertinet. Ea vero exstat inter opuscula S. Fulgentij nouissime à Plantino impressa. Quid autem ad ea Fulgentius, cuius hic noster auctoritatem secutus est, quamque accurate responderit, scire si quis volet, ipsa illa ex editione cognoscat. Sed & duo preterea, quæ Ferrando à superiorum temporum summis viris testimonia tribuuntur, postremo nacti, quo licuit scilicet loco ponimus.*

---

# ISIDORVS HISPALENSIS EPISCOPVS
## IN LIB. DE VIRIS INLVSTRIBVS.

### CAP. XIV.

FErrandus Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ ad Pelagium, & Anatolium Romanos Diaconos consulentes, vtrum liceat damnare quemquam post mortem, rescriptum edidit, id negans. Idem Epistulas etiam ad B. Fulgentium misit.

DOMINO

# DOMINO MAGNIFICO,

## VIGILANTISSIMO PASTORI, AC PRÆCELLENTISSIMO MEDIOLANENSI

*Archipræsuli Anselmo.*

Nos minimæ gregis ipsius ouiculæ, & peculiares vernulæ, pontificale decus, inenarrabile, inclitum votis sedulis imprecamur.

*LAVDIBVS præferendum prouidentiæ vestræ, inclyte pastor, acumen, Ecclesiasticis vtilitatibus prouide ac solerter prospiciens, & ad communem gregis sibi cōmissi profectum interius semper exteriusque decertans, nostram quoque paruitatem inter reliquos suorum famulorum præmonere frequentius, & ad potiora studia incitare non abnuis, præcipiens omnimodis & iniungens, vt sacrorum instituta canonum, quæcunque ab ipsis Christianæ fidei primordiis sanctæ atque Catholicæ Ecclesiæ magistri, Apostoli videlicet, atque Apostolici viri ad posteritatis instructionem scriptis tradidere suis, coadunandi atque coaptandi in vnam formulam pro modulo ingenioli nostri qualēcunque diligentiam haberemus. Nos vero imperitiæ, exiguitatis, atque imbecillitatis nostræ admodum conscij, opus tam arduum nulla prorsus temeritate aggrediendum, nulla audacia præsumendum duceremus, nisi vestri compelleret censura mandati: præsertim cum in hoc ipso robustiores perspicacioresque viros tam Græcos, quamque Latinos certum sit desudasse. Nam in altero Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, in altero autem Cresconius quidam eiusdem operis imitator ecclesiasticarum sanctionum quandam videntur fecisse concordiam. Nobisque magnopere cauendum, ne forte identidem resarciendo, aut compilatorum, aut derogatoriū denotemur infamia. Vt ergo vestræ præceptioni, quæ nos supra modum cogit, vestroque ardentissimo amori aliquatenus satisfacere valeamus, post diuinum præsidium vestræ nobis ante omnia paternæ benedictionis adesse precamur suffragium, quatenus inter alios vestræ dominationis alumnos, & si non de proprio, saltem de alieno labore, vestro prouidentissimo iudicio non penitus appareamus immunes. Ad exsequendum igitur nostræ exiguitatis opusculū, prout bonorum opifex Dominus conferre dignatus fuerit incrementum, vniuersas paternorum canonum, conciliorum, atque decretalium paginas in duodecim partes instar Apostolici stemmatis censuimus distinguendas, ita dumtaxat, vt sua singulis partibus congruētia capitula prænotentur, quæ proposita caussæ velut quidam veracissimi testes euidens testimonium præferant, atque auido lectori patulum inueniendi quod desiderat, aditum ostendant. Quem petimus moleste non ferat, si de vnaquaque re quid singuli magistrorum senserint, non improuide subiiciamus; quandoquidem rata magis atque inconuulsa videntur sententia plurimorum iudicum auctoritate subnixa. Prima itaque pars, &c.*

FAVSTI

# RHEGIENSIS EPISCOPI EPISTOLÆ.

AD

*Anonymum, contra Arianos. & de creaturis. Epistola 16.*
*Felicem. 1.*
*Gracum. 2.*
*Lucidum Epistola 3. cum responsoria Lucidi contra Faustum. Ep. 4.*
*Paulinum. 17.*
*Ruricium. 5. 6. 7. 8. 9.*

Item ad Ruricium Episcopum Lemouicensem

EPISTOLÆ.

*Cæsarij. Epistola 18.*
*Eufrasij. 15.*
*Graci. 10.*
*Sedati. Epistola 13. 14. 19.*
*Taurentij. 12.*
*Victurini. 11.*

Anno 1608. Ingolstadii primùm ex membranis m. s. celeberrimi Monasterii S. Galli editæ.

## AD LECTOREM.

VT scire volet, quis Faustus, quis Ruricius, qui item alii, ad quos scriptæ hæ Epistolæ, vel qui ad alios scripserunt, ille videat Sidonium Apollinarem, & Venantium Fortunatum, quem integrum, notisque accurate illustratum dedit Christophorus Brovverus Societatis Iesu. videat item illustrissimum Baronium. Nos hic de singulis adtexere non volumus. Tantum de Fausto Rhegiensi, qui in m. s. appellatur Sanctus, hæc notanda videntur, quæ Baronius de hoc ipso habet in appendice tomi 10. ad tomum 6. anno 490. §. Porro Faustus ipse cum *ibi* miramur ab aliquibus impudenter sane inscribi Sanctum - *his hæc adde* - *Ista quidem priori editione ex adductis diuersorum scriptis affirmasse non indecens quidem fuit. At vero ex postea cognitis & adductis, rursus ad iudicium ipsum reuocandum, haud existimamus indignum; cùm tamen de eius scriptis immotæ maneant sententia Patrum. Quod enim vsque ad hac tempora nostra eundem Faustum continuit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipsum Molanus primum expunxit, quod etiam, vt accepimus, Ecclesia Rhegiensis in Gallia, vbi ipse sedit Antistes, semper eum, vt Sanctum coluerit, celebrans eiusdem Natalem 17. Ianuarij: ibique in eius memoriam antiquitus erecta basilica eius nominis titulo insignita hactenus eius cultu à fidelibus frequêtetur: Quodque tot sæculis Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine penitus (quod sciatur) contradicente, ista eidem Fausto exhibita intelligantur: opinari non prohibemur, de eodem Fausto accidere potuisse (quod de multis viris sanctis asseritur) quod delinquens errauerit, cùm quæstio illa fuerit auctoritate sedis Apostolica definita & eius opinio aliorum Patrum sententia condemnata, ipse suum errorem fuerit scriptis contrariis detestatus, qua potuerint, vt alia quam plurima periisse; vel ipsum ante suorum scriptorum factam ab Ecclesia damnationem, diem obiisse, incertus est enim eius obitus annus, habentem in animo in his sequi, quod sequendum doceret Ecclesia. Ita quidem ipsum compositum animo fuisse, aliisque innotuisse, inde facile potest intelligi, quod semper, vt indicant Acta Conciliorum Arelatensis & Lugdunensis superius recitata, communicationem habuit cum sanctissimis Orthodoxis Galliarum Episcopis. Maneant igitur Fausto integra iura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præiudicium: neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem.* Hæc Baronius. Extant quædam Fausti in Tom. 3. & 4. bibliothecæ Patrum Margarin.

# FAVSTI RHEGINENSIS GALLIARVM EPISCOPI EPISTOLÆ.

Epistola 2.

## *DOMINO PIISSIMO ET SPECIALIBVS OFFICIIS excolendo, vt confido, in æternum Fratri, & per omnia Domno Felici Faustus.*

MAGNVM pietatis & fidei testimonium &c. A

### VARIÆ LECTIONES.

*Hanc Epistolam ideo nō excudimus, quia extat tomo 3. Bibliotheca Patrum Margar. edit. 2. fol. 407. Nobis autem propositum est edere, quæ nusquam vnquam edita. Sed ne quid omittamus, placuit varias lectiones notare.*

Tom. 3. Bibl. PP, fol. 408. versu 2. vestræ consultationis ] *m. s. vestra consolationis. Nam ipsa sollicitudo interrogandi: iam forma viuendi.*

Ibid. versu 4. Leonij ] *m. s. Leonti. Leontius omnino est ille notissimus, de quo toties hic mentio.*

Crucis signo, hoc enim vtraque æra exprimunt ] *m. s. crucis signo, hoc enim vtraque era exprimit.*

Epistola 15.

*Domino Sancto & in Christo deuinctissimo Fratri Græco Diacono Faustus.*

HOnoratus officio tuo, honoratus iudicio, &c.

### VARIÆ LECTIONES.

*Tom. 3. Bibl PP. extat hæc contra Nestorij errorem Epistola Fausti ad Græcum, quem m. s. codex alicubi Græcū & Græcum appellat. in margine bibl. PP. tom. 3 fol. 409. Gregorius vocatur.*

Tom. 3. bibl. PP. fol. 410. seniores tuos & dicent tibi ] *Hic m. s. auctior ita legit: Seniores tuos, & dicent tibi. Sed absque dubio qui vel qualemcumque requirit ducem, declinare optat errorem. Deinde, &c.*

Fol. 411. v. 43. fidei solius nostri ] *m. s. fidei solius Dei nostri.*

Ib. v. 48. nihil enim Deus sensit ] *m. s. nihil enim Deus sensit patientis sensu, sed sensit compatientis affectu. Vbi tamen legendum est: compatientis affectu. Sicut & infra in Epistola Fausti 16. hæc sententia iterum citatur, quam Faustus defendit & explicat.* C

## EPISTOLA FAVSTI AD LVCIDVM Presbyterum.

Epist. 3.

*Domino deuinctissimo, & mihi speciali affectu venerando ac suspiciendo Fratri Lucido Presbytero Faustus.*

GRandis charitas est parum cauti fratris errorem &c. D

### *VAR. LECT.*

Quia extat hæc Epistola, ideo eam non edimus, sed varias lectiones notamus.

Tomo 4. bibl. PP. fol. 876. in titulo. suscipiendo f. ] *m. s. suspiciendo f.*

Bibl. Patr. Tom. 3.

A Ibid. v. vltimo. Id est de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit, & noluit ] *Hæc verba in m. s. non sunt.*

Fol. 878. v. 28 aut cognoscas aut respuas ] *Etiam m. s. codex his ipsis verbis finit Epistolam. subscriptiones tamen Episcoporum in m. s. non sunt, quæ in vulgata editione Bibl. PP. ita habent.*

Et subscripserunt Episcopi, qui ordine subsequuntur, qui in ea quoque Synodo adfuerunt.

*Auxanius in Christi nomine Episcopus relegi & ss.*
*Faustus exemplar Epistolæ meæ relegi & ss.*
*Paulus Episcopus in Christi nomine relegi & ss.*
*Eutropius in nomine Christi Episcopus rel. & subs.*
*Pragmatius in Christi signo Episc. relegi & ss.*
*Patiens in Christo Epis. rel. & ss.*
B *Eufronius relegi, & admiratus sum plenitudinē sanctam.*
*Megetius Episcopus relegi & subscripsi.*
*Claudius in nomine Christi Episcopus relegi & ss.*
*Leucadius in nomine Christi Episcopus relegi & ss.*
*Iulianus in nomine Christi Episcopus rel. & subs.*
*Lucidus Presbyter relegi & ss.*

*Hæ, inquam, subscriptiones non sunt in m. s. codice. Sed sequuntur quædam aliena, primo fragmentum quoddam breue auctoris incerti: deinde fragmentum ex proœmio sancti Hieronymi commentarij in Epistol. ad Ephes. Tertio fragmentum Epistolæ, quæ à viro, an à fœmina sit conscripta, nescias; ita variat sexum dictio; quod Index Epistolarum initio attribuit S. Hieronymo sed falso. Quarto ponitur Epistola titulo S. Hieronymi ad Marcellam viduam, cuius hoc initium est: Quamlibet sciam sacerdotalis familiæ, non nisi electas verborum victimas offerendas, &c. Finis vero est iste: Quod de tam excelsis loqui præsumpsimus, imputabit. Sed hæc Epistola, certum est, quod sit supposititia, & nomini sancti Hieronymi falso adscripta. Sequuntur postea Epistolæ Fausti, Ruricij, Desiderij, aliorumque, prout hic fideliter damus. In fine autem post Epistolam 21. quæ est Felicis ad Desiderium (& est vltima inter eas, quæ ad Desiderium scriptæ sunt) sequuntur hæc verba:* Item alia manu Faustus Exempl. Epistolæ meæ relegi, & subscripsi. *Hæc, inquam, verba sunt, quibus Faustus subscripsit Epistolæ illi suæ erroneæ, quam etiam varijs Episcopis misit, vt subscriberent. Cui* D *Lucidus quod subscripserit pœnituit, erroremque publicata Epistola damnauit; quæ Lucidi Epistola in m. s. huic iam citatæ Fausti subscriptioni subiuncta est. Extat quidem tom. 4. bibl. PP. fol. 87. 8. nos tamen integram damus, quia longe auctior est in m. s.*

## EXEMPLAR EPISTVLÆ LVCIDI Presbyteri.

A

*Domnis beatissimis, & in Christo reuerentissimis Patribus a Eufronio, Leontio, Fotzio, Vinctio. Mamerto, Patienti, Versano, Auxiano. Fausto, Paulo, Megethio. Graco, Entropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Basilio, Claudio, Vrsicino, Pratextato, Pragmatio. Theoplasto Leocadio, Vincentio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, & Lycinio Episcopis Lucidus Presbyter.*

COrreptio vestra, salus publica, & sententia vestra, medicina est. Vnde & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutifera professione me b diluam.

B

1. Proinde iuxta prædicandi recentia statuta Concilij damno vobiscum sensum illum, qui dicit, laborem humanæ obedientiæ diuinæ gratiæ non esse iungendum.
2. Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.
3. Qui dicit, quod Christus Dominus Saluator noster mortem non pro omnium salute susceperit.
4. Qui dicit, quod præsentia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod e Dei pereant voluntate, qui pereunt.
5. Qui dicit, quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur, quicunque deliquerit.
6 Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.

C

7. Qui dicit ab Adam vsque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in aduentum Christi fuisse saluatos, eo quod liberum d arbitrium ex omnibus in primo parente perdiderint.
8. Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel summos quoque Sanctorum etiam ante redemptionis tempora e in paradisi habitatione deguisse.

*Qui dicit ignes & inferna non esse.*

Hæc omnia quasi impia, & sacrilegijs repleta condemno.

1. Ita autem assero gratiam Dei, vt adnisum hominis & conatum, gratiæ semper adiungam.
2. Et libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam, & infirmatam esse pronuntiem, & periclitari eum, qui saluus est, & eum, qui periit, potuisse saluari.

D

3. Christum etiam Deum ac Saluatorem nostrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse.
4. Et quia nullum perire velit, qui est Saluator omnium *hominum*, maxime fidelium, diues in omnibus, qui inuocant illum.
5. g *Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendũ, memini me ante dixisse, quod Christus pro his tantũ, quos credituros præsciuit, aduenisset, sententias Dominicas sequẽs, quibus ait sic, Filius hominis nõ venit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis.*
6. *Et illud. Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Vel illud Apostoli: Sicut semel statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Nunc vero sacrorum testimoniorum auctoritate,*

E

*quæ abunde per spatia diuinarum inueniuntur, ex seniorum doctrina patefacta libens fateor, Christum etiam pro perditis aduenisse. Quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solum, qui videntur esse saluati, immensa diuitias bonitatis, ac beneficia diuina concludi. Nã si Christum his tantum remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt: videbimur absoluere non redemptos, quos pro redemptione contempta, constat esse puniendos.*
7. Assero etiam † pro ratione & ordine sæculorum alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos.
8. Nullos tamen ex initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis absolutos.

a Margarin. Leontio, Eufronio, F. V Mamerto, P. Vrsiano Auxiano, Fausto, Megetio, Paulo, Graco, Eutropio, Basilio, Leontio, Claudio Leucadio Pragmatio, Marcellin, Pratexto, Iuliano. Amicali, Ioanni, Opiloni, Locinio, Vinctio, Theoplasto. Episcopis Lucidus.
b Marg. Confessione me diluam.
c Marg. eũ Dei p.
d Marg. arbitriũ in primo.
e Marg. intra paradisum.
f alia typo excusa, absunt in Marg. edit.

Ad 1. 19. 12.

g Hæc absunt in edit. Margarin.

Mat. 20. 8.
Mat. 26. 28.
Mar. 14. 24.
Heb. 9. 28

† in f per ratione & ordinẽ Mar. per rationem & ordinẽ.
§. alios lege gratia, alios lege Moysi, alios lege naturæ.

A

9. Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas, factis capitalibus præparatas, quia perseuerantes *in finem*, humanas culpas, merito sequitur diuina sententia: quam iuste incurrunt, qui hæc non toto corde † crediderunt.

Orate pro me domini Sancti, & Apostolici Patres.

Lucidus Presbyter hãc Epistolam manu propria subscripsi: & quæ in ea adstruuntur, adsero, & quæ sunt † damnata, damno.

† Mar. crediderunt.
† Mar. scripsi.
† Mar. dãnanda.

*Domino piissimo, & in Christo summo mihi honoré singulariter excolendo Ruricio filio Faustus.*

B

LIcet per quamcunque personã iocundum mihi sit cum indiuiduo pectore ipsius charitatis vocibus conloqui, & sedula vos officiorum ambitione complecti; sed nunc quanto opportunius, tanto auidius pignus animi vestri, ministerio domestici portitoris assumpsi: in cuius merito minus assignauit relatio, quam probauit agnitio. Et propterea ad fructum vestrum creuisse gratulatus sum, quod in eo vita melior conditionem primæ natiuitatis aboleuit, atque in eo næuum generis manumissio religionis abstersit, & in adoptionem Christi personam mancipij fide emancipauit & transcripsit. Quomodo autem apud eius, vel apud reliquorum fratrum lacteam sinceritatem agere deberemus latissimã Apostoli dispensationem, expedito digessistis alloquio, & cum eorum doctissima pagina minus doctus asserit.

C

Nos tamen in eorum defæcatis moribus admirati sumus perdonum mãsuetudinis & humilitatis, plenitudinem lectionis. Vincit enim largitas gratias instituta doctrina. Nam etsi sub exiguo tẽpore intra eorum lucida pectora, & perspicua penetralia introduxit se morum candida puritas, & præclara simplicitas, per quam diuinæ imaginis speculum in interioris hominis nitore persulget; diuinæ, inquam, imaginis, ita enim de Domino legimus: Purus, simplex, subtilis. Sed multo aliud indicat diuina illa simplicitas. Siquidẽ in nobis duplex inest, in spiritu, & carne substantia. Nos quod habemus, accepimus, nobis diuersa virtutum charismata adiuncta sunt, non innata. Sine dubio adponitur, quod auferri potest, vt boni simus, de auctoris sumus bonitate mutati. Ex ille quidem viuimus; sed vita, sicut ille est, non sumus. Iusti esse possumus; iustitia esse non possumus.

D

Ille ideo simplex; quia nihil ei ex accedenti largitate conlatum est, qui ex se subsistit, aliunde nihil sumpsit. Deus & viuens pariter & vita; bonus & bonitas, misericors & misericordia; in virtutum suarum gloria, hoc est ipse, quod possidet, verbotenus homo deauratus est. Deus aurum est, quod in homine gratia est, in Deo, natura est. Et propterea, quia nihil ei extrinsecus accessit, nihil ei detrahi potest. Detrimentum non recipit, quia nescit augmentum. Ipse & sibi auctor & filio, quia vna origo est & fontis, & fluminis. Ea bis, quæ absque initio habent, communio est, transfusio non est.

Et quia de filio legimus: splendor est claritatis Dei: Sicut nunquam Deus sine splendore, ita Pater nũquam fuit sine filij maiestate. Et sicut vtrinsque æquæua sunt

E

nomina (nisi enim iste nasceretur, Pater ille non diceretur) ita eos sine separatione concitat vnius paternitatis antiquitas: ex illo est, sed posterior illo non est: sicut facies de capite nascitur, nec tamen capite suo iunior inuenitur: ac sic Deus noster nec permixtus in personis propriis, nec diuisus; vna virtus nec potestate diuisa, nec tempore. Sicut in subsistentia triplex est, quia sibi quisque subsistit, ita in substantia simplex, quia vnus seipsum præcedere nesciẽs, nec posteriorem recipit nec priorem. Inde & nos de hac accepimus simplicitate, si in nobis nihil sit dissonum, nihil varium, nihil diuersum si semper idem esse probabilibus studijs & fundatis in Christo sensibus enitamur, vt immutabiles in bono nouis tantum in diem profectibus immutemur.

Epist. 4.
Phil. 2.
Act. 17. 2
Heb. 1. 3.
Sap. 7. 26

Deo autem, quod quidam prouocationis amore cõsuluit, salutifera & perfecta meditatio est, curas animi, partito per plures terrenę regimine rei, subleuare, & post hæc triplici deliberatione tractare, quid melius sit locare vel administrare, vel distrahere propriam portionem.

1. Primum reuera bonum esset, vt Christi famulus, Christi pauperis vias ex toto pauper studeret incedere, si perfectà magni alicuius monasterij scholã, vel certe insulam Angelicæ congregationis militiam liceret expetere. Nam in medio sæculi institutionem Eremiticam profiteri, quanta magnanimitas, tanta est difficultas.

2. † Suis vero vicis suæ pondus imponere, secundum pro animæ reuelatione compendium. Sed peruidendũ, si aliquis filiorum tam arduo sufficiens esse possit obsequio. † Ne forte paterna eius † sonis auctoritas in patrem .... Optimum est in secundo gradu sub noxio beneficiis administratore consistere, si vel voluntas suppetat, vel facultas necessitatem annuæ pensionis impleuerit.

(*Margin: f. suis. ·licet ·vitiis ·is sens.*)

3. Tertium est per fidelium famulorum electa solatia, impositæ procurationis officiis, sub propria ac minore solicitudine quantitatem reseruatæ gubernare substantiæ, & eum per viam regiam tota mediocritate dirigere. Quod cum suadeo, videor vel nostram vtilitatem, vel pauperum cogitare. In quo ordine non parum est lucri, si reseruato vsu, proprietas distrahatur. Itaque breuiter indicantes, quid primum, quid secundum, quidue sit tertium, electionem iudicio, vel possibilitati reseruauimus consulentis, quid magis competat quod promptius possit impleri, ille insinuare dignetur, pro cuius timore & amore consolatio ipsa tractatur. Dominus Deus noster beneficia in nobis sua felici ac placita longæuitate multiplicet, Domine piissime, & in Christo summo mihi honore singulariter excolende fili.

*Domino deuinctissimo & tota pietatis virtute singulariter excolendo fratri Ruricio Faustus.*

6. PRopitia diuinitate in secreto religionis congruo, & tranquillissimo in silentio constituti, in quo Dominus ad rubiginem longa securitate contractam, salutiferæ lima castigationis admonuit. In hac, inquam, qui & magna, si agnoscamus, vacatione donati, dum nouos ciues commercio charitatis adquirimus, dum de adquisitorum salute gaudemus, inter hæc positi bona, præsenti insultamus exilio, & patrem nos non amisisse, sed cõmutasse cognoscimus. Nam dum fideles famuli Dei in necessitatibus nostris bonitatẽ suæ deuotionis exercent, sine sede propria possessores, sine possessione diuites sumus. Imo eos, qui de nostra fructum accipiunt consolatione, ditamus; miro modo consolatores nostri de paupereulis negotiantur, & de egenis lucra perpetua consequuntur. Ego autem hanc primam munificentiam, Domino largiente, percepi, quod piissimus meus Ruricius post vitæ huius iactationes ad portum religionis, prorã salutis, Excelsi manu gubernante, conuertit, quod post vmbras seducentium vanitatum & inlusiones transuolantium somniorum, mansura & solida concupiuit, & despecto tandem sæculo infelici, attem eius magnã caput; felicitatem & lucrum sui de mundo pereunte adquisiuit, arte fideli, atque conlabentium rerum fuga præteriens, qua opes contemptu suo contulit; quæ iam vsu suo conferre nihil poterant. Vnde quanta dudum alacritate sæcularibus studiis militauimus, tãta nunc deuotione Domino seruiamus. Et quia me austerius loqui Prou. 18. 17. secum pro peccatorũ curatione; pietas vestra cõstringit, & illius sententiæ non obseruat inuidiam, quæ dicit: Iustus in principio sui est accusator. In primis ergo lapsus Ps. 140. 3 oris, cordisque vitemus. Sed quod oris, diximus; si cordi studueris adhibere custodiam, ori non laborabis imponere disciplinam. Sine difficultate ostium circumstantiæ opponere poterit labiis suis. Illud siquidem voce depromitur quod prius in officina conscientiæ deformatur. Hoc exterior reddit, quod dictat interior, mens exercet imperium, lingua famulatum, & propterea cœlestibus edocemur colloquiis: Ex abundantia cordis os loquitur. Matth. 12. 34. Quod de sermone nasci videtur, prius cogitatione concipitur. Vt oris sonus indigna non proferat, animus iusta præcipiat.

Et quia duo sunt ieiuniorum genera, vnum incontinentiæ appetitum à male blandis deliciarum suauitatibus coercere; vt exterior & terrenus homo vomere crucis edomitus commoda infirmitate macrescat. Alterum abstinentiæ genus est multo sublimius, multo pretiosius, cui nulla contradicere possit infirmitas, motus animi regere, & irrationabiles perturbationes vel conluctantium inter se cogitationum tumultus, interioris iudicio refrænare, & contra impugnationes occultas, vel contra domesticos inimicos rixam quandam irascentes, fidei auctoritate conterere, & per beneuolentiam, mansuetudinem, patientiam, tranquillitatem, Dei imaginem in facie interioris excolere: cuius decus non in corporis personam, sed in animi formam solertia factoris impressit.

Virum spiritualia & diuina cogitantem tristitia non frangat, lætitia non resoluat, stabilitum in timore Dei pectus magnanimitas æqualitatis ostendat: vt & nobis coaptari possit libelli illius insigne principium, vbi ille magnificus Helcana, qui possessio Dei interpretatur, 1. Reg. 1. vir vnus mystico nuncupatur eloquio. Erat, inquit, vir vnus, hoc est, semper idem, quia nihil in eo apparebat dubium, nihil duplex, nihil diuersum; sed eum inconcusso ordine permanentem, accidentia in contrarium non commouebant; mutabilia tempora non mutabant; nec eum, vt magnis virtutibus moris est, in alternas partes leuia ventorum flabra versabant. Ita & sollicitus Dei famulus vasta mole fidei fundatus, in hoc tantum, Christo in se operante, mutatur, vt nouis semper gratiis induatur. In agro pectoris plantentur vtilia; noxia succidantur. Et quia militibus suis præcepit sermo diuinus. Cum, inquit, ad bellum processeris, & inter reliquas prædas petieris virginem, abscindes vngues & crines eius; & ita eam tibi coniugio copulabis, Deut. 21. ita nos ad sanctam, Christi timore præcincti, prudentiam sæculi; quæ simplex incorrupta, sincera, à Deo facta est, captiuam spiritali sapientiæ subiungamus, ac superflua eius, amputatis vitijs, abscindamus, & pectori casta coniunctione sociemus.

Ante omnia in quantum, adiuuante Deo, possumus, illas in nobis debellare curemus quinque sensuum passiones. Quidquid enim pulchrescit visu, quidquid blanditur odoratu, quidquid lenocinatur adtactu, quidquid dulcescit gustu, quidquid corrumpit auditu, hæc omnia, si his abutamur, intentionem mentis de spiritalibus Genes. 14. 14. ad terrena deuoluent. Et ideo sicut pater fidei quinque illos Reges in trecentis decem & octo, mysterio in ---------- latente deuicit; Ita per adiutorium Domini, & per Crucem suam has quinque principalium vitiorum expugnare studeamus illecebras. Per Crucis enim Signum, & per Sacrum Iesu nomen, apud Græcos Hera vtrius supputationis imprimitur. Quibus armis carnalia delectamenta superantes merebuntur audire: Vincenti dabo coronam vitæ. Et: Qui vicerit non lædetur Apoc. 2. à morte secunda. Vnde ipse facile terrena despicis, vel fœnerantis more dispensas, dum illud cogitas tempus, Apoc. 8. 7. quo exurentur peccatores sicut fœnum, quo æstuantes gehennæ furore perpetuo, cuius fumus ascendit in sæcula Apoc. 19. 3. sæculorũ. Hi, qui neglexerunt oblata, tali morte punientur; vt eis mori in dolore non liceat; morituri vitæ, & morti sine fine victuri. Dum illud, inquam, tempus ante oculos tuos prouida in futurum mente dispo- Ps. 65. 13 nis, de quo legimus: Introibo in domũ tuam cum holocaustis, id est, quando bonorum operum fructu subfarcinatus, & iustitiæ insignibus redimitus ianuam vitæ Ps. 44. 13 cum triumpho euictæ carnis intrabis. De quo legimus: Adorabunt enim filiæ Tyri in muneribus, id est, animæ Christo de gentibus adquisitæ, munera non de suo

offerent; cum gratiarum actione dicturæ: Ecce multiplicauit talentum quod dedisti. Recipe cum vsura domine fœnus tuum. Erit enim tum quoddam dandi & accipiendi commercium inter hominem & Deum. Homo afferet, quod laborauit; & Deus restituet, quod promisit. Quo tempore cùm sanctus alter pro altero remunerandus, coram duplici pro mutua salute decorandus, audire mereberis: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini mi.

Tunc vsum præsentium in æternorum proprietatem transisse miraberis, & pro datoribus tuis glorificandus, debitorem te ei fieri, iocunda rerum mutatione gaudebis.

Leontius. Indiuiduum filium nostrum Leontium, omnemque domum piis illos cum maioribus pio sospitamus officio. Dominus Deus noster beneficia in vobis sua, fœlici & placita sibi longæuitate multiplicet, Domine deuinctissime, & sola pietatis virtute singulariter excolende frater.

Epist. 7. *Domino deuinctissimo, honore præcipuo specialiter excolendo, Ruricio, filio, Faustus.*

GRatias Domino, qui id generali dispensatione largitus est, vt inter eos quos locorum interualla discriminant, liber ac nullis conclusus absentiæ legibus animus commearet: nihilque esset tam impenetrabile, quod mentis aspectibus non pateret; sed per cordis intuitum inde se inuicem chari, gratia intercurrente; conspicerent; vbi charitas ipsa consistit.

Habet siquidem & interior noster oculos suos, quibus se conscientiæ testis introspicit; quibus in se conuersus aut erubescenda, aut gaudenda consideret; quibus diem vltimum peruidet; quibus vel confusibilem, vel, Deo tribuente, laudabilem totius vitæ historiam, ante animæ suæ faciē prouida in futurum cogitatione disponit, & in præsentiam trepidæ sollicitudinis tēpos reddendæ rationis adducit; & ea, quæ parauit Deus diligentibus se, in secreta pectoris sua pagina, spe imaginante, depingit. Quos, vt puto, oculos & ipse ad tremēdi Iudicis thronū semper attollis, vt de te illud Propheticum merito dici possit: sapientis oculi in capite eius. † Inde est ab eo enim illic filius mater ... ditores tuos. Inde est, inquam, quod præsentium rerum relinquenda subsidia, quasi auidus fœnerator; per pretia captiuorum, in sinu remuneratoris, seminantis more, commendas; de vsu proprietatem facis, & in perennes thesauros peritura conuertis. Inde est quod cum fidelissima Sara tua sub vno Christi iugo ad communem tendens coronam, terrenorum despector, & cœlestium competitor, sæculi peregrinus, & paradisi candidatus; mundo huic, qui iam non habet, vnde decipiat vel seducat, miles Christi secretos inludis, cum regni interminabilis socia ieiuniis, & orationibus, & quadam fidei manu ianuam vitæ, pia coniuratione, pulsatis, vt duplicem palmam de mutua salute capiatis.

Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. Eccl. 2. 14. † Locus vitiosus. Sara.

Sed inter hæc parum est, quidquid agitur, vt causæ insanabiles hic sanentur, vt inextinguibilis ignis hic extinguatur, vt ineluctabiles necessitates hic superentur, vt hic peccatorum sagittæ de animæ visceribus euellantur, vt hic vulnera ipsis alte medullis impressa curentur, vt hic maculæ inuisibiles diluantur, vt hic æterna gaudia fidelium studiorum labore comparentur. Illic quidem vita præmium istius erit; sed oportet, vt illius ista sit pretium.

Prælatis itaque obsequiis, quæso, vt cum se facultas opportune præbuerit, gaudere nos de vestra sospitate ac proprietate faciatis. Pro filiis & diaconibus meis vberes refero gratias. Domnam filiam meam religionis speculum, & pietatis exemplum, debito cultu veneratus saluto. Dominus Deus noster magnificandam mihi bonitatem vestram, & præsentibus repleat bonis, & dignam reddat æternis, domine deuinctissime & honore præcipuo specialiter excolende fili.

8. *Domino Beatissimo, & summo mihi honore ante omnes singulariter excolendo Fratri Ruricio Episcopo, Faustus.*

TAnta mihi de animi vestri benignitate fiducia est, vt ex eius fonte purissimo non iam solus haurire contentus sim, sed alios quoque qui eius vsu mecum reficiantur, inuitem. Præsertim cū prorogata huius largitas in lucrum transeat largientis; eiusque bono ita muneretur accipiens, vt non minoretur impertiens; & in morem fœnoris sui crescat expensis, Domine beatissime, & summo mihi honore ante omnes singulariter excolende.

His itaque charitatis inexsolubilem pensionem, quo soluentis magis census dilatus, exhibeo, & materiā boni operis ingerere pro laboratum commendatione præsumo. Quia etsi insinuationem meam ad fructum vestrum pertinere confido, & ideo misericordiam, quam miseria Ecclesiastica præbere consueuit humanitas, harum portitori, qui in Lugdunensi pertulit captiuitatem, negare non potui. Vtinam tam possit prompta esse fidelium largitas, quam huius nimis manifesta necessitas est. Et qui a in se aliquatenus absolutus, in vxore vel filiorum tenetur seruitute captiuus, prælatis officiis, quæso, vt morem benignitatis vestræ, etiam in huius consolatione teneatis; & apud ante positos, quo poposcerint, litteris prosequaris.

Conseruus, & præcipue admirator vester, frater meus Presbyter Memorius mecum reuerentissime sospitant. Al. mihi vestri.

Dominus Deus noster memorem mei piam beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ profectibus felici longæuitate conseruet, domine beatissime, & summo mihi honore ante omnes singulariter excolende frater.

9. *Domino Beatissimo, debita pietate suspiciendo, atque Apostolica sede dignissimo, Fratri, Ruricio, Episc. Faustus.*

GRatias ad vos, dum vobis de patria scribimus, qui nobis patriam in peregrinatione fecistis, qui indefessa liberalitate patriæ desideria temperastis; vim quandam diuinæ iustitiæ succedentibus sibi beneficiis inferentes; vt quod intulerat ad castigationem, conuerteret ad honorem, conferret ad consolationē, mutaret ad requiem mentis; nostra prætermitteret, vt vestra cumularet; debita obliuiscens, & lucra vestra multiplicans; apud vtrasque partes magnitudinem suæ bonitatis exercens, nos vestro locupletaret obsequio, vos nostro ditaret exilio. Vnde factum est, vt iam in præsenti benedictionem, futurorum impatiens, dispensaret, & fidelissimum famulum suum super candelabrum domus suæ, cooperante misericordia, iustitia, sinceritate, continentia, benignitate, id est, domesticis suffragatoribus, sublimaret. Ecce quali precio Ruricius meus summum sacerdotium comparauit. Vnde emit, ipsum est, quod emit; & testibus propriis adclamantibus; in se honoris causas, refugi honoris exhibuit. Tantum itaque munus scit in Christi nomine custodire, qui sciuit adquirere.

Harum autem portitorem sanctum Presbyterum Florentium mihi iam diu cognitum, & exemplis magistri, & morum floribus adornatum; qui pro germanæ suæ absolutione peregrinatur, insinuo, qui mihi oportunum gratus mediator ingessit. Omnem domum † nostram seniores cum iunioribus paterno sospitamus affectu. Cōserui mei, debitores, & admiratores vestri, mecum reuerentissime sospitant. Dominus noster magnificandam mihi beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ profectibus, nostrisque gaudiis perfecta longæuitate conseruet, Domine beatissime, debita pietate suspiciende, atque Apostolica sede dignissime frater. † fort. vestram.

Domino

10. *Domino religionis honore sublimi, ac fidei meritis magnificando filio Ruricio, Graecus.*

GRatias Domino, quod fidei vestræ meritum sicut proficit deuotione, ita crescit & opere. Laborantium necessitates sollicitudine preuenis, benignitate foues, humanitate sustentas. His enim rebus, iuxta Apostolum, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, diuinas vobis æternæ retributiones acquiritis. Sed in sublimitate vestra ista non noua sunt; quia animus vester sicut plenus est Dei timore, ita plenus est caritate; Caritate, inquam, quæ solo vsu proficit, & largiendo succrescit; & pensum sciens, & detrimenta non sentiens. Dum enim dependitur, non expenditur; sed magis, dum prorogatur, augetur; eiusque gratia ita muneratur, percipiens, & non minoratur impertiens, quæ ad similitudinem diuinitatis dat quod habet, habetque quod dederit.

Rom. 12. 11.

11. *Domino beatissimo, ac Reuerentissimo, atque à me debito cultu singulariter obseruando in Christo patrono Ruricio Episcopo, Victurinus.*

CVm beatitudinem vestram videre, & breuissimo tempore, & vna tantum vice meruerim, ita tamen ad primum vestræ cognitionis, contemplationisq; congressum sensus meos fonte purissimo benigno pectoris intrastis, vt, quamlibet alloquiorum vestrorum munera pretiosa non copiam, præsentiam tamen vestram intra mentis profunda possideam: vt etsi causas desiderij refouendi extrinsecus non accipiam, intra me eas tamen, dum gratiæ vestræ reminiscor, inueniam. Neque enim fas est, vt bonum illud ex accedentibus tantum requirat adiutoriis incremẽtum, quod medullis cõstat infusum. Quod fit, vt caritas, quæ in visceribus meis iugi recordatione vestri innouata dulcescit, caritatis mihi vestræ vicissitudinem repromittat. Ac sic affectus erga vos meus vestri mihi animi fideiussor accedit, & quodãmodo conscientia interioris mei mutuo mihi vestræ testis dilectionis adsistit; quantumcunque mihi de vobis præsumere debeam, mentem meam, quæ toto erga vos amoris ardore flagrat; interrogo. Vnde salutationem deferens; & intercessionem deposcens pro harum portitore, insufficiẽtes gratias refero. Et quia infelicẽ ipsius laborem, quo pro absolutione vxoris per diuersatũ regionum est iactatus exilia, mors redẽptæ protinus subsecuta cassauit, & nũc rursus pro filiæ redemptione anxietas paterna distenditur, vestris eum litteris prosequi pro cumulanda mercedis vestræ vbertate iubeatis.

Pius Dominus Reuerendam mihi Beatitudinem vestram ad profectum & ornatum Ecclesiæ suæ, & annis multiplicare dignetur & meritis, Domine beatissime, ac Reuerentissime, atque à me debito cultu singulariter obseruande in Christo patrone.

12. *Dom. no Sancto ac Beatissimo, & omni mihi cultu atq; honore venerando Patri, & in Christo Domino Patrono Ruricio Episcopo † Turentius.*

† al. Taurentius, Terentius. Taurentius.

LItteræ, sanctitatis vestræ me spiritali cibo pastum incitauerunt ad spem futurorum, & verba Prophetica claritate radiantia, ad discutiendas errorum tenebras, purissima luce fulserunt. Recognosco plenum caritatis affectum, & sinceritatem piæ castigationis. Amplector eloquentiam in verbis, in exemplis perfectionẽ, in consilio gratiam, in officio indulgentiam, in veritate constantiam, in admonitione veritatem, & sciẽtiã. Probaris in dogmate vos antiquos Scripturarũ interpretes, & diuinorum voluminum tractatores, veneranda mihi nomina, Cyprianum, Augustinum, Hilarium, Ambrosium, sed & illustres alios facundiæ flore vernãtes, alios & in releuandis occultioribus spiritales, alios mulcẽdis imperitorum sensibus blandientes, alios in fidei assertione pugnantes. Præteritæ calumniamur ætati, quòd viros illus admiratione dignissimos hæc sæcula non tulerunt: pro certo doctrinam iunioris ambirent, qui ante docuerunt. Ego autem ætatem eam non de canentium putamine capillorum, nec, sicut Beatitudo vestra de sęculari autore mutuata est, de colore barbæ albentis agnosco. Cùm etiam si non essem in computo senescentis, annos decrepitos membrorum per morbi incremẽta sentirem. Sed omnium precum humilitate deposco, vt pro correctione motũ meorum, pro inspirando mihi desiderio pœnitẽdi, pro Domini nostri propitiatione in sanctis vestris orationibus supplicetis, vt qui ad vitãdũ procliue illius viæ in perniciosa vergentis, rectum, & cum labore gradiendum iter ostenditis, & ingressũ boni operis & piæ emendationis obtineatis effectum, non in feruore disciplinæ, sed in indulgentiæ medicina, & misericordiæ lenitate. Hanc quoque vobis conforte mercedem, debetis enim fœnus Domino de Thesauro, qui fidei vestræ traditus, & vobis illo commendante susceptus est.

Adquirite desperantes, arguite negligentes, deditos somnò ignauę securitatis excutite, desides excitate. Decet ouem perditam in humeris suis bonum reportare pastorem, & munitioribus caulis eas, quibus lupus insidiatur, includere.

Sanctum Augustinum, sicut iusseratis, inueni, quem cum filio communi Rustico Presbytero esse credebam. Operę pretium est, vt admiremini studium meũ, quòd quæ opuscula continebat, hucusque nesciui sane, † capitulatim iam librũ traditurus inspexi. Chartaceus liber est, & ad ferendam iniuriam parum fortis, quia citius charta, sicut nostis vetustate consumitur, legite si lubet, atque transcribite. Et spero, vt postquam vobis benecognitus fuerit, ad me, cui est incognitus, remittatur: quia corrigere negligentiam meam frequentata membranæ ipsius lectione dispono. Ora pro me.

† f. capitula tamen l.

*Domino sancto ac beatissimo, & Apostolica reuerentia suscipiendo Papæ Ruricio, Sedatus.* 13.

SAtis credidi, & quàm habere iter vobis laboriosum esset, & vehementer optaui, vt ad necessitatem istam, quæ hîc nos exhibuit, veniretis vel per occasionem; & benedictionem vestram mererer, & desiderium commune mutuo satiaretur aspectu, & vere posteaquã me pręsentiæ vestræ spes frustrata est, velut de votorum culmine deiectus, & labor, qui incubuit, & absentia domus, & omnia, quibus ægritudo deceptæ spei, & anxietas cumulatur, in animum meum pariter conuenerunt. Erscit Dominus, quod si vires supperterent, aut parere desideriis, ætatis infirmitas pateretur; aut si essent animalia, quibus tantum tali tempore posset itineris expediri, non prius ego à Tholosa reuerterer, quàm beatitudinis vestræ, & singularis illius caritatis benedictionem desideratissimam promererer. Sed quia hæc quæ supra dicta sunt, desideriis obsistunt; rogo, & per Christum vos adiuro, vt me vobis vestra semper pietas repræsentet. Nec patiamini, vt pro officiorum tarditate caritatem imminuat, aut obfuscet obliuio, sed pro me, sicut facere vos certus sum, incessanter oretis, & quotiens oportunum fuerit, seruum vestrum per colloquia literarum visitare dignemini.

*Domino sancto, ac beatissimo, & Apostolica reuerentia suscipiendo Papæ, & meo speciali, apud Dominum patrono Ruricio, Sedatus.* 14.

REfecit me filius noster, salutem, salutationemque tuam nuntians: per quem ego quas non merui litteras? Dedi ex hoc desiderio meo satisfaciens, si vel officii ad vos pagina perueniret. Saluto itaque plurimum & rogo per illam caritatem, quæ mihi affectum digna-

tionemque tuam nuntist, ne re pigeat, quotiens opportunum, seruum tuum litterarum munere visitare. Quia testor Dominum, quod post præsentiam toam nihil mihi dulcius est, quam si conloquium desiderantissimæ pietatis, vel literarum dignationem meruero. Rogo etiaio, & omni prece deposco, vt pro me, sicut façere vos certua sum, sioe cessatione intereedere, & orate dignemini. Filios nostros & venerans & desiderans saluto.

15. *Domino sancto, meritis beatissimo, Papa, honoris cultu suspiciendo, atque Apostolico Patri, Domino Ruricio Episcopo, Eufrasius.*

TÆdiosam pietatem vestram esse tenui rumore cognooui, sed harum baiulum destinaui, vt anxietatem meam de aeerbitate nuntij celeriter releueris. Quia scit diuina pietas, quod & tristitiam & infirmitateio vestram non compatientis, sed perfereotis dolore participo. Sic ita cócedat diuina miseratio, vt mihi per multos annos exterioris vestri vigorem, & alacritatem integræ sanitatis indulgeat. Quia vere tunc reparatum esse me sentio, si de sospitate vestra celerius optata cognouero.

## Annotatio in sequentem Epistolam Fausti, quæ est decima sexta.

*Gennadius de hac Epistola loquitur, dum ait:* Lege eius & aduersum Arrianos & Macedooianos paruum libellum, in quo coëssentialem prædicat Trinitatem. Et aliũ, aduersus eos, qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum. In quo diuinis testimoniis, & Patrum confirmat sententiis, nihil eredendom incorporeum præter Deum. *Hac Gennadius, qui duos distinctos libellos facit ex hac vna Fausti Epistola, cuius prima pars est contra Arrianos; alia contra eos qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum. Neque mirum quod seiunxerit Gennadius. Nã & in Bibliotheca Patrum Margar. 2. edit tom. 4. fol. 759. illa pars huius Epistolæ de creaturis, quod illis nihil incorporei insit, auulsa est à prioribus, & separatim edita, cum priora lucem, quod ego sciam, nunquam viderint. Nos integram hanc Epistolam damus; hac tamen admonitione. Turpem & grauem errorem esse hunc Fausti, eorumq; qui Fausto fauerunt (vt videtur etiam Gennadius fecisse) negantium, nullam creaturam esse incorpoream. Refutauit hunc errorem, imo hanc ipsam partem huius Epistolæ Claudianus Mamertus Viennæ Galliarum Episcopus, tribus libris de statu animæ, Patritio & Sidonio inscriptis, qui libri extant tom. 4. Biblioth. PP. 1. edit. fol. 763. Vide D. Thom. 1. q. 51. a 1. q. 6. de potentia a. 6. & Baronium tom. 6. Annal. & in appendice tom. 10. ad tom. 6.*

### *Incipit Epistola † sancti Fausti.*

*† item, sed vide append. dicem tom. 10. Baronij ad to. 6. Ann. to. 4 bibl PP edit. 1. fol. 759 fragm. sumbo aut post extat vt infra notabimus.*

QVæris à me Reuerendissime Sacerdotum, quomodo Arrianis respondẽdum sit, qui blasphemo ore conantur adserere. Non potest, inquiunt, fieri, nisi vt iunior sit genitus ab ingenito. Iuxta quæ totum silentium quasi iustus absolueres; non tàm pro rei instructione, quàm pro sidei confessione præsumam. Id primitus obseruans, ne res per se obscuras studio compositi sermonia inooluam, sed quædam pauperis sensus indicia, quæ non tàm ornarui, quàm intellectui videantur seruire, depromam.

Respondeo ergò sicut respondere discipuli Magistris interrogantibus solent. Itaque ad præceptum Beatitudinis vestræ loqoor, vt discutias imperitiam. Contestor, vt doceas. Nam apud eruditissimum si reticeam, vix possum scire, quid nesciam.

De ingenito loquuturi, scire debemus, aliud esse rerum substantias, aliud rerum nomina, sicut verbi gratia, cùm aurum atque argeotum dixeris, non statim metallum ipsum, sed metalli vocabula protulisti. Etenim A aurum aliud est in proprietate geoeris, aliud io appellatione sermoois, Aliud est, cùm illud nominamus, aliud cùm tenemus.

Genitus & ingenitus significatio est Deitatis, non ipsa deitas. Natura est appellatio non natura ingeniti & geniti nuncupatio. Ad hoc valet, vt quis ea quo subsistat, intelligas, & non Patrem ex Filio, sed Filium ex Patre esse cognoscas principium ea principio, & vnum est, & initio caret. Quomodo si dicas: Deus ex Deo: non tamen duo Dij; sed vnus dicitur. Genitus ergo, & ingenitus † ex vtraque procedens, personas indigitat, non naturas. Maiestas enim, quę Patri est indiscreta cũ Filio, & Spiritu sancto, distingui nominibus potest; ordinari gradibus non potest.

*† ingenitus, & ex vtroque p.*

B Hoc loco præscius oportet intentionem mentis admoueas.

Dicis forsitan, Quia ex illo est, posterior illo est. Age ad hæc intellectum nostrum aliquibus comparationibus nutriamus. Videamus si aliqua res ex alia existat, quæ tamen illa, ea qua existit, non sit ætate posterior; verbi gratia, hoc ipsum filij nomen ex patris deriuari nomine creditur, nec tamen posterius inuenitur; quia nisi iste nasceretur, pater ille non diceretur. Ecce nomen, quod absolutè coæuum illi est, à quo est, & cum filius ex Patre sit, patri nomen filius facit; adquirit genitori vocabulum pietatis persona nascentis; cum hoc ea illo sit, nec hoc posterius, nec aliud probatur antiquius. Et cùm brachii nomine Filius ex operum virtutibus nuncupetur; ecce brachium procedit ea corpore, C & tamen brachii ætas corpus non præcedit. Verbũ ex voce profertur, & tamen cum ex ore nascitur, voce esse posterios non probatur. Ignis & calor indiuisa societas; sed cum calor indubitàter ex igne esse intelligatur, tamen ignis nequaquam calore suo prior esse dinoscitur. Ecce rem, quæ existere videtur ea illa, & tamen ei, de qua existit, sine vlla temporis intercessione coniuncta est.

Cùm autem ad Deum venimus, hoc est, genitus, quod Iustus & iustitia, sapiens & sapientia, misericors, & misericordia, absolutè ex Deo iusto atque sapiente secũdum Apostolum oriri intelligimus iustitiam atque sapientiam. Et sicut nunquam iustus sine iustitia, nunquam sapiens sine sapientia fuit; ita Filius ex Patre, sed nunquam potuit esse sine filio.

D Absque dubio Arriani Saluatorem nostrum negare non audent. Sed dum minorem dicunt, Deum adserere non possunt; Deus enim naturaliter plenitudinis dignitate subsistit, & eorum impietas vnum se Deum colere prima confessione testatur. Sed qui iuniorem per eum, qui putatur senior duos facit, soliditatem vnitatis intersecat. Nam ipsum nomen minoris alterum, qui illo sit maior ostendit. Quis illo antiquior, qui de seipso pronunciat, Ego sum Alpha & Omega, primus & nouissimus? Qui cum Iudæis, qui esset, interrogatus, ita respondit; Principium, quod & loquor vobis. Qui veridica per Prophetam voce confirmat: Ante me non fuit Deus, & post me non erit. Si Pater hoc dicit, inferiorem post se non cœpisse cõfirmat, si filius ante se penitus non fuisse pronuntiat. De hoc Propheticus sermo euidenter insinuat: Hic est Deus noster, & non reputabitur alius ad eum. Et post hæc: Inter homines visus est, & cum hominibus conuersatus est. Secundum hæc ergo inter genitum, & ingenitũ nec ordo est; quia vnus est: nec tempus interest; quia primus est, nec postponendus est; quia solus est: nec minor dicendus est; quia plenus est. Ergo dicitur perfectus, simplicisque naturæ, inæstimabilis & impassibilis; etsi eum secundum carnem passum esse pro nobis veraciter & salubriter confitemur.

*Isa. 44. Apoc 1. Ioan 8. 2. Isa. 43. 10. Baruch. 3. 16. Baruch. 3. 8.*

Post hæc sequenti loco quæris à me, quomodo iuxta substantiam Dei in † epistola quadã scriptum sit: Nibil sensit patiente sensu, sed sensit compatiente affectu.

*Hoc dictũ extat supra in epist. 2.*

Primo

[Fausti ad Græcum Diaconũ quæ epist. excusa 1. fuit est to 3. bibl PP edit. 2 fol. 412] Primo hoc, quod nec Philosophes latuit scire promptissimum. In homine diuersæ affectiones, id est, iustitia, misericordia, sanctitas, beneuolentia, pietas, res accedentes sunt, & ideo affectus vocantur. Deus verò his non possibiliter afficitur; quia ei inesse iugiter & naturaliter dinoscuntur. Ergo quod in homine affectus ex gratia, in Deo virtus est ex natura. Nam quod di- [Isa 6. 1.] ctum est: Nihil sensit patientis sensu, sed sensit compa- [Psal. 37. 2] tientis affectu: Cur quisquam illo sensu dicere non præ- [Ps. 109. 4.] sumat, quod etiam Propheticum commemorat: Do- [Psal. 105. 40.] mine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Et: Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum. Et [Malac 1. 3.] iterum: Iratus est Dominus populo suo, & abomina- [Rõ. 9. 13] tus est hæreditatem suam. Et item diuerso affectu Iacob [Gen 6. 7.] dilexisse, & Esau odio habuisse describitur. Contristari in peccatis nostris, & lætari dicitur in operibus suis, & affectibus subiacens de se ipse dicit: Pœnitet me fecisse [Act. 9. 4.] hominem. Et de summa cœli sede pronunciat: Saule, [Matt. 25. 35.] Saule, quid me persequeris? Nam & cõpatientis ostendere affectũ videtur cum dicit: Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere: & reliqua huiusmodi quæ memoriæ abundanter occurrunt.

Quomodo ergo, si quisquam sacerdos multiplici linguarum scientia præditus, & in medio diuersarum gentium constitutus, Hebræum Hebræo, Græcum Græco, Romanum Romano instructurus adloquio secundum singulorum intellectum verba confirmet, & iuxta vnius cuiusque sensum oris sui coaptet adloquium, & dissonis vnius cordis expectatas pectoris voces in varios dispenset auditus, Ita & Deus cum homine locuturus, adsumere dignatur hominis linguam, formam etiam susceptarus humanam, per intellectuum nostrorum so- [Ps. 33. 16.] nos ordinationum nostratum testatur affectus. Nam [Isa. 1. 20.] dum quinque humanorum sensuum officia describens, [Gen. 8. 21.] ita dicit: oculi Domini super iustos, & aures eius ad pre- [Isa. 66. 1.] ces eorum. Et iterum: Os Domini locutum est. Item: Et odoratus est odorem suauitatis. Et: Manus mea fecit hæc omnia. Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Cordibus nostris efficientias insinuat rerum sub significatione membrorum. Vnde pro ineffabili eius circa humanum genus dignatione, seruos, amicos, ac filios nominare & compellare non despicit, vt homo cum eodem vicissim humano ore, & more conloquutus.

Cæterum Dei ira, iustitia est; Dei furor, seueritatis vigor est; Dei iurasse, definisse est; Dei pœnituisse, sen- [f sæpè mutata.] tentia, tamen *f* sæpè muta; Et cùm se, persequente aliquo, lædi dicit, crimen lædentis ostendit. Intercluditur nobis omnimodis orationis ministerium, omnisque ratio, qua dicitur, vel prædicatur; si hæc humani sermonis commercia subtrahuntur. Cur ergo dici inter ista non possit, sed sensit compatientis affectu?

Si ergo discutienti Magistro simplex & aperta responsio satisfecit, transeamus ad tertiam quæstionem, qua [a] vt respondeamus *b* præcipis: Quæ in rebus humanis corporea, quæue incorporea sentienda sint.

*a Ab hoc verbo quæ sequuntur, in modum separati libelli seu Epistolæ, extant tom. 4. Bibl. PP. 2. edit. fol. 759. Turpis sanè error hic Fausti, de quo vide annotationẽ in hanc 12. Epist. b in marginè m. l. codicis adiuncta erãt aliqua, quæ hunc sensum videtur reddere (neque enim aliò inseri possunt, nisi huc, & quidem signo opposito) vt respondeam, præcipis ventilationem huius quæstionis minimæ. Quæ, &c.*

Ad hæc aliqua non pro sensus mei præsũptione promam, sed pro Sanctorum opinione seniorum. Præsertim cum hæc animum lædere non possint, & ad fidem nutrire possint, & vsque ad id, quod Patri Filius æqua- [c Marg. atque erigere exigi. v. p.] lis appareat, contra Arrianas armare, atque *c* regere valeant prauitates. Ergo quando de tractatu altiori conlatio est, ad subtiliorem intellectum sensus & animus præparandus est. Nonnulli eruditissimi Patrum alia adserunt esse inuisibilia, alia verò incorporea. Quidquid creatum est *d* materia videri, & factori suo compre- [d Marg. materiá videri.] hensibilem, & corporeum esse definiunt. Nam & animarum, & Angelorum naturam adserunt esse corpoream, proeo, quod initio circumscribantur, & spatio. Nam sicut in quodam S. Hieronymi tractatu legimus, globos, inquit, siderum *e* corporatos esse spiritus arbi- [e m. vitiosè cõparatos.] trantur. Et item: Si Angeli, inquit, cœlestia corpora ad comparationem Dei immunda esse dicuntur, quid pura homo æstimandus? sed inter hæc tu animã negas esse corpoream, quia iuxta aliquorum opinionem nec localis sit, nec *f* qualitate credi debere manifestum est. [f m. nec qualitate nec quãtitate subsistat, quod de sola Dei maiestate crede debere, m. e.] Legimus enim in quodam receptissimo Patrum tractatu: Ingredi, inquit, & implere omnia, soli est possibile Trinitati: quæ sicut vniuersæ intellectualis naturæ efficitur penetratrix, vt non solum circumplecti eam atque ambire, sed etiam inlabi ei, & velut incorporea corpori possit infundi. Licet enim pronunciemus nonnullas spirituales esse naturas, vt sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vt certè aër iste subtilis; tamen incorporeæ nullatenus æstimãdæ sunt. Habent enim secundum se corpus, quo sub- [1. Cor. 15. 40.] sistunt, licèt multo & incomparabiliter tenuius, quàm nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam, dicentis, & corpora cœlestia, & corpora terrestria. Quibus pro manifesto colligitur, nihil esse incorporeum nisi solum Deum. Et idcirco ipsi *g* tantummodo per se [g m. tantummodo penetrabiles omnes intellectuales esse s.] penetrabiles omnino atque intellectuales esse substantias. Quæ cum ita sint, obijcit mihi, ideo animam non esse incorpoream, quia, vt dictum est, nec localis sit, nec qualitate, aut quantitate subsistat. Quod *h* cuius [h m. cuiusmodi periculi sit, ita credere, in subsequentibus demonstrabitur, nunc vero in hoc tractatus nostri statu pendebit, vt si nec l. s. n. q. subiaceat anima.] sit periculi, ita in hac status nostri habita discussione pẽdebit, vt si nec localis sit, nec qualitati subiaceat, esse eam haud dubiè incorpoream concedamus. Si verò demonstraro eam quantitate determinari, locoue concludi, consequenter eam etiam corpore contineri; nec ipse iam dubites. *i* Quomodo non localis est, quæ in- [i m. Quomodo localis est.] serta membris, & inligata visceribus, solis motibus *k* [k m. vacans.] vaga conditione substantiæ tenetur inclusa, Quod si localem non esse animam, ideo assumendum putes, quod per diuersa sensibus euagetur, & cogitationibus deferatur, primùm intelligendum est, quod aliud sit animæ status, aliud hic qui de anima nascitur cogitationis *l* af- [l m. effectus.] fectus. quamobrem vt hoc potius *m* æstimandum est, [m m. existimandum.] quod si quando sibi aliquid imaginatur, magis cum suis intra semetipsam motibus occupatur. & si quid *n* illud [n m. aliud.] est, quod aspicere videtur, *o* magis ei in cordationis [o m. magis in cordationis.] speculo describatur. Nam quando absentem suum carum cogitat, nunquid iam velut ipso conspectu desiderio satisfecit, Aut cum, verbi gratia, Petri aut Pauli speciem intra mentis arcana depingit, nunquid statim intimas paradisi sedes, vbi eos esse nouimus, penetrauit, Aut cum sibi in corde diuitis illius flammas ex lectione proposuit, nunquid iam ad eius tormentorum loca cuiuis inaccessibilia inferni profunda descendit, Hæc omnia proculdubio aut secum intra pectoris arcana per varias similitudines fingit; aut certè si extra animæ sedem instabilis cogitatio lubrico motu agitata discurrit, hoc ipsum localiter egit Et siue vrbem, siue quamcunque regionem cogitet, ibi tantum sensu commorante defigitur quo animi intentione *p* raptatur. Imaginari sibi [p m simul rapitur.] aliqua potest; complecti omnia simul non potest. Cum ergo anima Alexandriam vel Hierosolymam cogitauit, *q* siue illic tota sui præsentia vt arbitraris, interfuit, refe- [q m. si vero illic.] rat nobis situs locorum, vultus hominum, motus actusque populorum. Sed hoc ipsum, quod nunc inter nos commercia sermonum mutua spiritus actione *r* [r m. miscemur.] scimus, loqui me vobiscum, sed apud conscientiam meã sentio; ad vos me accessisse non sentio. Nam si verè anima cum suis ferri sensibus creditur, & his, quorum reminiscitur ipsa per se suis cogitationibus præsentatur. Ecce per hæc præsentis temporis momenta vos cogito, & animo reminiscente vos video, & quorum omnimodis quid geratis, & vtrum quieti, an lectioni, vel orationi

vacetis, ignoro. Sed hoc ideo euenit, quia ad vos cordis affectu, non ipsa substantiæ meæ veritate peruenio. Neque enim in suis motibus, quos nunc optimos, nûc pessimos esse sentimus, animæ nostræ natura consistit. Nam si per cogitationes suas constate credenda est, cur eis interdum euanescentibus atque pereuntibus ipsa in suo vigore atque alacritate perdurat? Quantæ ergo in nobis frequentissimæ cogitationes & curæ etiam salubriter moriuntur, & vitæ magis *a* libertati interioris operantur! Si ipsis anima constaret, absque dubio ipsis *b* pereuntibus superesse non posset. Vnde hoc magis ipsa conscientijs nostris ratio loquitur; quod vnaquæque anima aut multiplicia cogitata rerum causis intra se *c* concepta parturiat, aut sensus suos velut quædam officia aut ministeria diuersis necessitatibus occupanda dispergat, ipsa vero in conclaui corporis sui semel de en exitura requiescat. Quamobrem localem esse ipsam, vt denuo sufficiens proferamus exemplum. Nonne anima Lazari manente vita, intra corpus fuit; secedente autem vita de habitaculo corporis exulauit, & rursum in exanimum refusa corpus, illò vnde se absentauerat, euocata remeauit? Tunc eam tanquam ex hospitij habitatione depulsam, & rursum inter hospitium, vnde absentauerat restitutam vides; & localem non esse contendis? sed quid ego hæc de corruptibili homine loquar? Quum ille, cuius caro non vidit corruptionem, immaculatam quidem animam possederit, sed localē, quam vtique intra se habuit, quando adfixus est in patibulo, extra se proculdubio emisit, quando iacuit in sepulchro, quomodo non est localis, quam caro continet, coniungit vita, mors separat? Quod si, vt dicis, localem necessitatem animarum natura non *d* recepit; non desunt ergo & de regione paradisi, illæ quæ carcere clauduntur inferni? dic quæso, si locales non sunt, quomodo peccatores è cœtibus consortijsque iustorum iustum illud chaos tristi interiectione discriminat, vt neque hinc illuc possint accedere, neque inde huc transmeare? Iam illud manifestissimum est, quod quantitate circumscribantur, quæ spatijs continentur. Si agnouisti animam localem, concede corpoream. Dic mihi anne ipsa gloriosi anima redemptoris nostri reliquit mundum, quando conscendit ad cœlum.

*a* *m. libertatē operantur.*
*b* *m. viriosè pereunt.*
*c* *m. concepta parturiat, aut quædam officia aut m. d. d. occupata d.*
*d* *m. respuit.*

Ego autem ne Angelos quidem locales esse dubitauerim, quos cartum nunc in cœlestibus contineri, nunc per aëris vacuum ferri, nunc ad terrena dimitti; quos sermo diuinus ascendentes, & descendentes in Patriarchæ visione describit. vtique si locales non essent & vbique essent, adesse atque discedere ascensu descensuque non possent. Ipse beatissimus Gabriel, qui se ante Dominum astare testatur, cùm cælorum Dominum Mariæ infundendum visceribus nuntiaret, cumque sub Dominicæ oculis genitricis adsistere, sine dubio cœlo *e* erat, maria non superuolabat, vacua atque diffusa venti vasti aëris non implebat, sed illum tãtum locum in quo erat, occupabat. *f* Quæ cum ita sint, quidquid locum occupat, corpus est. nescio quomodo locali lege non teneatur, qui de loco ad locum mittitur, & velut corpus motu accessuque transfertur, mole descendit, mobilitate discurrit, vadit, redit, absentat, descendit. Vel ille, credo, localis est, nec se solum localem esse prodidit, qui secum tertiam partem stellarum ex alto proturbatus abstraxit. Dic mihi si corpus non habet, in illa deiectione qui decidit? Quid illi negas corporalem naturam, cuius negare non audes ruinam? Et si, vt dicis, corpus non habet, non ardebit; vbi autem nisi in corpore sentiet ignem illum qui paratus est diabolo & Angelis eius, Iam illud dici superfluum puto, illum in aëris istius conuersatione quandam crassitudinem de elementorum concretione traxisse. Dic mihi si corpus non habet vbi inhærere concretio, vbi hæc ipsa nescio quæ colligere se potuit crassitudo, si secum aliquid corporale de illa cœlesti arce non detulit, Alienum, vt video, corpus ad tormentum portabis. Corpus itaque esse etiam ex

*e* *m. decerat.*
*f* *m. quæ cum ita sint, qui de locō mittetur, &c.*

A sua adsertione recognosce. Corpus est quod inficitur, quod maculatur, quod quacunque ex accedenti adiectione, *g* vertitur. Hic ergo dudum primogenitus angelorum, nunc primus factus est *h* tenebrarum & quasi corporeus pulcher ante, nunc degener; dudum cœlesti splendore cõspicuus, nunc tetro infernalis peccati horrore fœdatus. Corpus inquam est quod habet, actione depellitur, quantitate circumscribitur, qualitate mutatur, dolore conficitur. quæ cum ita se habeāt, quin corporeum dicunt animum, Vide in q̃uàm profundum se crimen immergant. Iam primum cum auctor vniuersitatis Deus omnia in numero & põdere se fecisse referatus. Ergo anima à materia vniuersæ creaturæ excepta esse creditur: quæ non est corporea, nec localis est, si loco B non continetur, ergo vbique diffunditur; omnia intrare, implere, & vbique præsens esse dicitur, ac sic creatori suo creatura sociaretur, & fragilitas auctori suo non iam res Dei, sed pars Dei, æstimanda iungitur. Vide quo adsertores suos ducat alti per lapsos errores. Equidem nobis ea quæ supra nos sunt, inuisibilia sunt; sed omnia illa, sicut comprehensibilia, ita & corporea sunt. qui ex nihilo fecit omnia, quæ sicut opere instituit, ita & materia corporauit, & rebus omnibus, inter quas & anima censetur, sicut distribuit pondus, numerum, ita & posuit qualitates. Inter hæc si forte, vt dictum est, adserendum aliquis putet quod illa angelicæ subtilitate naturæ quædam cõtagio aeris huius admixtione collecta, flammis inueniatur obnoxia; ergo in aëre solo, prout ait, si aëreum est, quod ardebit non illo, sed extra illum C pœna desæuiret. sed absque dubio non aliud est, quàm substantia corporis, vbi dominari poterit vis doloris. Vide quo tendat imprudens & imperita persuasio, qui incorporeum loquitur, & iam incomprehensibilem confitetur: ac sic condito adscribit operi, quod soli competit conditori; ac rebus creatis communicat priuilegia maiestatis, & indebitam creaturæ potentiam vsque ad factoris extendit iniuriam. Si bene requiramus ad quos serum exitus animum referas, hæc vel maxime diabolum credulitas ex illa beatæ sedis statione deuoluit, & propter hoc angeli perdidit dignitatē dum se Dei præsumit habere naturam. *i* Vnus ergo Deus incorporeus, quia & incomprehensibilis, & vbique diffusus, ex nullius enim facturæ corpore materiale D sumpsit exordium. Et ideo coæternus Filius Patri, quia ex nullo opere conditus nullisque initijs circumscribitur; super omnia quæ figulo suo comprehensibilia atque corporea intra mundum corpus operatus est, incorporea maiestate diffunditur. Ex ingenito genitus, id est, ex Patre, sed semper cum patre, his quæ excitauit ex nihilo, indiscreta sancti Spiritus societate dominatur. Amen.

*g* *m. vitiatur.*
*h* *Ab hoc verbo quæ sequuntur, non sunt in excuso codice Marg. vsque ad illa verba in fine, Vnus ergo Deus.*
*i* *Hæc & quæ m. s. eadem habent ea quæ in vulgato desunt.*

---

*Domino insigni, & summo mihi honore specialiter excolendo Paulino Filio Faustus.* *Epist. 15.*

ADmiranda mihi semper, &c.

B

## *NOTA.*

HÆc Epistola ideo hic non excuditur, quia iam extat tom. 3. Biblioth. Patrum 2. edit. fol. 403 hoc titulo.

*Rhegiensis Galliarum Episcopi, Sancti Faustini ad Benedictum Paulinum.*

Male tamen Faustinus appellatur. Nam hæc Epistola Fausti est.

*Nec varias lectiones notamus hic.*

Tom. 3. Bibl. Patr. fol. 403. versu 4. cogitans *]m. f. renitat & timore.*

Ibid.

Ibid. v. 32. vtrum sola proficiat ad salutem vnicæ ) *m. s. vtrum sola sufficiat ad salutem fides ex vnitate scientia Trinitatis.*

Fol. 407. vers. penultim, Tunc autem baptismi gratiam habetis) m. s. *Tunc autem baptismi gratia ab æterna morte possit hominem vindicare, si in aliquibus eius integritas & dignitas non perire.*

*† Ab hoc verbo vsque ad finem auctior est m. s. quam excusus.*

Fol. 408. v. antepen. infinitis contentionibus] *m. s. infinitis contritionibus imponamus, & intoleranda incendia nunc salubriter cogitando, ex ipsis ignibus æterna nobis refrigeria comparemus.*

*† Certus autem sum de fide vestra quod falerati compositio vtere sermonis acceptiora vobis erunt salutifera sincera testimonia veritatis. Filium meum Eminentium, dulce decus nostrum, paterno sospitamus affectu Dominus noster admirandam mihi magnificentiam suam præsentibus repleat bonis & dignum reddat æternis.*

18.

*Domino sancto meritissimo in Christi luminaria præferendo, & plurimum in Christo desiderando piissimo Domino Ruricio Episcopo Cæsarius Episcopus.*

*† fort. à caritate vestra.*

DVm nimium tribularetur animus meus, quare ad Synodum vestram præsentiam nõ meruimus obtinere, sanctus & Dominus meus Verus Episcopus mihi dignatus est dicere, quod per suum diaconum mihi † Agate vestras litteras destinasset, quas ego nescio quo casu, aut qua negligẽtia me non retinere suscepisse. Sed tamen sancto & Domino meo fratri vestro certissimè credo, & malo hoc portitoris negligẽtiæ imputare. Sed licet sanctos & desiderabiles vestros apices miseritis, tamen sicut ipsi optimè nostis, dignissimum fuerat, vt personam dirigeretis, quæ ad vicem vestram subscriberet; Et quod sancti fratres vestri statuerunt; in persona vestra firmaretur. Sed quia nosti, quàm sancto, ac frequenti, & pio desiderio interesse volueritis omnibus fratribus vestris, votum vestrum, & sanctam voluntatem exposui, pro qua te nihil pietati vestræ vel potuimus, vel debuimus imputare. Sed licet desiderabilem vestram præsentiam nõ habuerimus, orationum tamen vestrarum suffragia nos meruisse persentimus, & ideo his dictis saluto plurimum affectu & honore, quo dignum est; & rogo, vt me sanctis & solustribus precibus simul ac meritis Domino commendetis. simulque indico pietati vestræ, & quia filius vester Eodomius si potuerit hoc elaborare, desiderat, vt superueniente anno Tholosæ synodum, Christo propitio, habeamus, vbi etiam si potuerit, Hispanos vult Episcopos conuenire. Et ideo † oro te, vt tam sancto desiderio suo Dominus tribuere dignetur effectum.

*† fort. orate.*

Sanctum vero & dulcissimum fratrem meum Capillutum presbyterum, amatorem & prædicatorem vestrum, vestræ sanctimoniæ, quanta valeo insinuatione commendo; & pro ipso vobis ingentes & vberes gratias ago, quia quantum ipse asserit, tantum se circa illum impẽdit pia & sincera beneuolentia vestra, vt hoc nullus hominum possit exponere. Nunc ergo quia pro vestro desiderio æstuans pietatem vestram expetiit, dignum iudicaui, vt per ipsum humilitatis meæ literas destinarem. quo remeante, si Christus annuerit, apices vestros, quasi cœleste munus desidero promereri. Ora pro me.

19.

*Domino sancto ac beatissimo & apostolica reuerentia suscipiendo Domino & Papæ Ruricio Episcopo Sedatus Episcopus.*

*Epistolã ad quã hic respondet Sedatus extat inter Ruricii lib. 2. Epist. 34.*

EQuum quem per fratrem nostrum presbyterum transmisistis accepi, magnificis verborum vestrorum phaleris honoratum; in via vilem, in Epistola pretiosum; mouentem se cùm foditur calcaribus, aut vrgetur verberibus; & nihil penitus promouentem: forma deterrimum, colore vilissimum, molliorem plumis, statius pigriorem, solida corpora pauescẽtem, vmbras solum, vt credo, de consuetudine non timentem; fugitiuum, cùm dimittitur; immobilem, cùm cæditur; in planis stantem, in asperis corruentẽ; qui teneri nesciat, ambulare non possit; quem prius, quam viderem, dum Epistolas vestras relego, illorum de gente esse credidi, quos Dædala cerce.

*Supposita de matre nothos furata creauit.*

Putabam illum calidum animis, acrem cursibus; ignem, cùm exhiberetur, elatis naribus efflaturum, cõcussurum solido cornu campos; celeritate ventos & flumina præcursurum. Talem enim mihi splendidissimus Epistolæ sermo promiserat. Credebam etiam, quod illum manducantem frenos, terentem morsibus ferrum, duo fortiores viri, ne euaderet retinerent. Nec me fefellit. Nam trahebant eum aliquot; impingebãt alij, & plures cædebant. Quem vt sic exhibitum vidi, optaui, vt talia, qualia erant, non qualia Epistola mea continet, semper caris vestris munera mitteretis. Ego tamen quia mihi non reliquistis in transmissi muneris laude quod dicerem ne omnino . . . . . . . . . .

*Quæ sequũtur, sunt ex Epistola Sidonii ad Heddicium 2. Epi. 8.*

Quique etiam pati contra lætare fata, quæ quia non parcerent, Parcas vocitare, Redijt ipse Catilina sæculi nostri nuper Aturribus, vt sanguinem fortunasque miserorum, quæ sibi ex parte propinauerat, ex asse misceret.

Scitote in eo per dies spiritum diu dissimulati furoris aperiri. Apertè inuidet, abiectè fingit, seruiliter superbit, indicit vt dominus, exigit vt Tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus, toto die à metu armatus, ab auaritia ieiunus, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis, nõ cessat simul furta vel facere, vel punire, palam, & ridentibus conuocatis, ructat inter ciues pugnas, inter barbaros litteras. Epistolas, ne primis quidem apicibus sufficienter initiatus publice à iactantia dictat, ab impudentia emendat; totum quod concupiscit, quasi comparat, nec dat pretia, contemnens, nec accipit instrumenta desperans. In concilio iubet, in Consilio tacet; in Ecclesia iocatur; in conuiuio prædicat; in cubiculo damnat, in quæstione dormitat. Implet quotidie syluas fugientibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis; exultans Gothis, insultansque Romanis, inludens Præfectis, consulensque numerariis, leges Theodosianas calcans, Theodoricianas proponens, veteres culpas, noua tributa perquirit. Proinde moras tuas citius explica. Et quidquid illud est quod te retentat, incide. Te expectat palpitantium ciuium extrema libertas. Quidquid sperandum, quidquid desperandum est, fieri te medio, te præsule placet. Si nullæ à republica vires, nulla præsidia; si nullæ (quantum rumor est) Anthemij principis opes, statuit, te auctore, nobilitas seu patriã dimittere, seu capillos. *Vale.*

## NOTÆ IN EPISTOLAM DECIMAM NONAM.

NE *omnino quique etiam pari contrarietate.*) Codex m. s. hæc sine vlla distinctione coniungit. Ego seiungo & lacunam noto. Nam ab hoc verbo, *quique etiam*, vsque ad finem huius Epistolæ, omnia ad verbum sunt Sidonij ad Hecdicium lib. 2. Epist. 1. quæ sic incipit: *Duo nunc pariter mala sustinent Aruerni tui. Quænam? inquis. Præsentiam Seronati, & absentiam tuam. Seronati, inquam, de cuius vt primum etiam nomine loquar: Sic mihi videtur, quasi præscia futurorum lusisse fortuna, sicuti ex aduerso maiores nostri prælia, quibus nihil est fœdius, bella dixerunt: quique etiam pari contrarietate, fata, quia non parcerent, Parcas vocitaure. Redit, &c.* quæ vsque ad finem in m. s. sunt. Quomodo autem hic error contigerit, vt pars Epistolæ Sedati ad Ruricium, & pars Epistolæ Sidonii ad Hecdicium ab exscriptore hic perperam sit coniuncta: non facile assequor. nisi scriba inciderit in codicem, in quo pagellæ quædam exciderunt. Contigisse autem hic talem errorem patet ex Epistolarū indice in fronte libri, vbi post hanc Epistolam Sedati ad Ruricium notantur variæ Epistolæ Sidonij, quarum nulla in m. s. codice scripta est. Index enim hoc modo habet:

*Epistula Sedati ad Ruricium.*
*Epistula Sidonij ad Constantium.*
*Alia Sidonij ad Encerium.*
*Alia Sidonij ad Tetradium.*
*Alia Sidonij ad Asperum.*
*Alia Sidonij ad Proculum.*
*Alia Sidonij ad Domnulum.* (:)
*Alia Sidonij ad Nymphidium.*
*Alia Sidonii ad Simplicium.*
*Alia Sidonii ad Taumastum.*
*Alia Sidonii ad Ruricium.*
*Alia Sidonii ad Papianillam.* [:]
*Alia Sidonii ad Lupum Episcopum V.*
*Alia Sidonii ad Censorium.*
*Alia Sidonii ad Patientem.*
*Alia Sidonii ad Mamertum.*
*Alia Sidonii ad Agræcium Episcopum*
*Alia Sidonii ad Sulpitium.*
*Alia Sidonii ad Ruricium.*
*Alia Sidonii ad Gothum.*
*Alia Sidonii ad Principium Episcopum.*
*Alia Sidonii ad Remigium Episcopum.*

A *Alia Sidonii ad Faustum Episcopum.*
*Alia Sidonii ad Heresium.*
*Habet in sequenti Epistularum libros 2. domni Ruricii Episcopi.*
*Deinde Epistularum librum vnum domni Desiderii Epis. Item Epistulas diuersorum ad eundem domnum Desiderium.*

Nulla Epistola Sidonii ex his in codice m. s. est. nisi quod fragmento Epistolæ Sedati ad Ruricium perperam sine vlla distinctione coniunctum est aliud fragmentum Epistolæ Sidonii ad Hecdicium. Et statim sequuntur duo libri Epistolarum Ruricij. Hæc monere volui. Nam diu me torserat hic locus.

B Aturribus] ita expressis literis m. s. Recte ergo Sauaro in Epist. 1. lib. 2. Sidonij ita correxit, & notauit. Aturres sunt Nouem populaniæ, ab Aturro fluuio, Aturres, vt ab Astura, Astures, Florol l. 4. sub finem de Aturro, & Aturrico pisce, vide Sidon. lib. 8. Epist. 12. *ciuitas* Aturensium Notit. Prouinc. in Nouem populana Prouincia, quam Itinerarium Antonini Adturrem vocat, vbi de Gallia Narbonensi. Et quod maxime facit ad hanc veterem lectionem, & Sidonii mentē, erat tunc temporis Gothicarum partium. Commonitoriū Timothei: *Anianus vir spectabilis ex præceptione D. N. Gloriosissimi hunc codicem de Theodosiani legibus atque sententiis iuris vel diuersis libris Aduris anno 22. eo regnante edidi, atque subscripsi* Vulgo Atre.

C Quæ sibi ex parte propinauerat] Sidonii vulgatos codex: *quas ille sibi ex parte propinauerat, hic ex asse misceret*

Ex qua phrasi licet coniecturam ducere, hoc fragmentum Epistolæ Sidonij esse, non Sedati. nam Sidonius de eodem Seronato li. 7. Epist. 7. *Seronatum barbaris prouincias propinatum.*

Incidit vt Dominos) Sidonius lib. 5. Epist. 13. de eodem Seronato: *nunc inauditis indictionum generibus exhaurit*

Non cessat simul furta) vulgata editio: *non cessat simul furta vel facere palam, & videntibus.*

Vllas hostibus) *m. s. hospitibus.*

Altaria reis) *ita & m. s. licet in margine sit posita hac*
D *vox, visis.*

Concludensque numerariis) *m. s. vitiose: conlandansque numerariis, ita enim in medio hac vox rasa, & postea nescio à qua manu signo hoc muta est. Vide quæ notat Sauaro hic de numerariis.*

Citius) *vulg. citus.*

Incide) *m. s. incidite.*

Anthemii) *ita lego cum Sauaro, nam m. s. hic mutilū Ante.*

# RVRICII LEMOVICENI
## EPISCOPI EPISTOLARVM
### LIBRI DVO.

*Nunc primum ex membranis m. s. celeberrimi Monasterij sancti Galli editi, per Henr. Canis.*

## INDEX EORVM AD QVOS RVRICIVS EPISTOLAS SCRIPSIT.

A


A

*AEonio lib. 1. Epist. 15. lib. 2. Epist. 15.*
*Aenio lib. 2. Epist. 8. forte idem cum Æonio.*
*Agricolæ lib. 2. Epist 31.*
*Albino lib. 2. Epist. 45.*
*Ambrosio lib. 2. Epist. 43.*
*Anonymus lib. 2. Epist. 10. 12. 24. 26.*
*Apollinari lib. 2. Epist. 15. 40.*
*Aprunculo lib. 2. Epist. 48. 54. 55. 56. 57*

B

*Bassulo Episcopo Epist. 7. lib. 1.*

C

*Cæsario lib. 2. Epist. 32. 35*
*Capillutolib. 2. Epist. 20. 30*
*Celso Epist. 12. 13. 14. lib. 1*
*Censurio lib. 2. Epist. 50*
*Ceraunia lib. 2. Epist. 1 2. 3. 4 14. 49*
*Claro lib. 2. Epist. 63.*
*Constantio lib. 2. Epist. 23. 24. 42*
*Cronopio lib. 2. Epist. 6. 30*

E

*Elasio lib. 2. Epist. 7.*
*Eonio vide Aeonio.*
*Eracliano lib. 2. Epist. 29*
*Eudomio lib. 2. Epist. 38*
*Euphrasio lib. 2. Epist. 21. 28*

F

*Faustio Epist. 1. 2. lib. 1*
*Fœdamio lib. 2. Epist. 13*
*Fredar. Epist. 11. lib. 1*

H

*Heracliano vide Eracliano.*
*Hesperio Epist. 3. 45. lib. 1*
*Hispano lib. 2. Epist. 44*

I

*Ioanni lib. 2. Epist. 44*

L

*Leontio lib. 2. Epist. 41*
*Lupo Epist. 10. lib. 1*

M

*Melanio lib. 2. Epist. 38*

N

*Namacio. lib. 2. Epist. 1. 2. 3. 4. 5. 61*
*Nepotiano Epist. 6. lib. 1*

O

B *Omacio lib. 1 Epist. 18. lib. 2. Epist. 27*

P

*Papianillæ lib. 2. Epist. 36*
*Parthemio lib. 2. Epist. 36*
*Petur. lib 2. Epist. 37.*
*Pomerio lib. 1. Epist. 7. lib. 2. Epist. 9*
*Præsidio lib. 2. Epist. 11. 52*

R

*Rustico lib. 2. Epist. 19. 53*

S

*Sedato lib. 2. Epist. 17. 18. 33. 34*
C *Seuero. lib. 2 Epist. 58*
*Sidonio Epist. 8. 9. 16. lib. 1*
*Stephano lib. 2. Epist. 51*
*Sthorachio lib. 2. Epist. 59*

T

*Taurentio lib. 2. Epist. 16. 46*

V

*Vero lib. 2. Epist. 22*
*Victurino lib. 2. Epist. 39*
*Vilico lib. 2. Epist. 13*
*Vittamero lib. 2. Epist. 60. 62*
*Volusiano lib. 2. Epist. 64*




Q

# INCIPIT DOMINI RVRICII EPISCOPI EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

*Domino suo peculiari in Christo, Domino patrono Fausto Episcopo Ruricius.*

OLim te Domine mi venerande, ac A beatissime sacerdos, fama celeberrima prædicante cognoui. Olim desiderio pij amoris infuso, illis te, quibus scribere dignaris, oculis cordis intueor; sed nihilominus etiam corporeis videre festino; si quo modo possim, intercedentibus vobis, peccatorum meorum vincula dis-
Psal. 17.7. rumpere, acceptisque columbæ illius pennis, à venan-
Psal. 90.3 tium laqueis euolare; & vobiscum positus in Dominica lege requiescere; vt sitim, quam opuscula vestra legendo concepi, ipso præsente, vnde illa manarunt, vberius hauriens restinguerem; vt caritatis igniculum, quem in tepidis animæ dormientis fauillis feruentibus suscitastis prolatis de condensa scripturarum pabulis, viua flamma roboraret, quæ eloquio sancti oris accensa, more sibi solito, in pectore peccatoris vim naturæ potentis exereret, calefaciendo frigida, illuminando tenebrosa, & spinas criminum consumendo. Adhæsit,
Sap. 9.15 B doctor eximie, anima mea post te. Meæ autem orationes
Psal. 44.11 tuæ, vt possim, terrenis actibus spretis, cœlestibus in-
Gen. 12.1 hiare, quia corpus, quod corrumpitur adgrauat animam, vt inclinare aurem suam ad oracula diuina non possit, vt domum patris obliuioni obeuns, quæ vocantis imperio de terra sua, & cognatione discedat, atque il-
Gen. 12.10 lam, quæ ei demonstratur, potius concupiscat. Nõ enim
Gal. 4.30 adhuc valet pusillitas nostra metum obnoxiæ conditionis expellere, & caritati perfectæ purgata corda reserare, vt relinquentes præsentia, petamus æterna; eiectaque ancilla, hæreditatem paternam liberi possimus adipisci. Quamobrem spero, Domine mi, vt pro me indesinenter oretis, & quotiens dignati fueritis ariditatem terræ meæ eloquentiæ vestræ imbre perfundere, non mihi, sicut nunc fecistis, & adhuc meæ infirmitatis ignari, delicatos & dulces cibos, sed austeriores, & ægritudini meæ congruos suggeratis; quia non expediunt stulto delitiæ; postmodum proditoribus meis consortium præbeatis adsensũ, qui more humani ingenij, adfectu nimio præpediti, à veritate iudicij declinantes incurrunt pro amore offensionem. Sane nec vereatur sanctitas vestra, ne vulneribus meis gratior sit fouentis dextera, quàm secantis. C quia ea nec me posse curari, & tamen grauiter compu-
Psal. 140.5. truisse, Domino dante, iam sentio. Et ideo eligo, vt me iustus misericordiæ increpatione corripiat, quàm caput
Matt. 13.52. meum oleum peccantis impinguet. Supplici itaque prece deposco, vt de illo thesauro penetralium vestrorum, vnde noua & vetera proferre consueuistis, peritissimi vtpote medici, qui languentium innumeras & varias ægritudines quotidie gratia Dei adiuuante sanatis, languori quoque meo, quæ conuenire cognoscitis, medicamenta mittatis.

*Domino suo peculiari in Christo Domino patrono Fausto Episcopo Ruricius.*

ITa me hactenus impia negligentia & negligens im-
2. pietas possederunt, vt quid, Domine mi, in me potissimum accusem, nesciam; & quid in me primũ excusem, non inueniam. Si enim argumentationem aliquam ad
Psal. 140.4. excusandas excusationes in peccatis exhibere tẽtauero, adiiciam peccato sine iudicij recordatione peccatũ; vt duplici atque maiori delicto ipse premã: vt qui tarditatis reus sum, esse incipiam falsitatis; & ab humana vsque iniuria crimen extendam ad æternam: nunc tantum expectans de segnitiæ noxa sententiam; diuinæ vero pro A mendacij vltione subiiciar, præsertim cum vera confessio indulgentiam; & falsa excusatio mercatur offensam. Malo itaque reo simplici confessione, quàm supplici veniam petere, quã peccata geminare. Habes ergo pater optime, pastor egregie, meã culpæ meæ spontaneam cõfessionem: habes & in discipuli errore, quod corrigas; & in ouiculæ languore, quod sanes, potestatisque & iudicij tui est, vtrum velis vlceris mei putredinem ferri rigore rescindere, an medicamentorum lenitate curare. Ego tamen vtram elegeritis curationem amplectar intrepidus: nec paternę dictũ dexteræ declinabo; dũmodo portionẽ promissæ hæreditatis adipiscar. Neque attendam, quæ mihi pœna sit in flagello, sed quẽ habeã in testamento. Melius.n. mihi est flere super patre, quam vt abdicet cõtemptus à patre. Quia parentũ pietas distringit, vt corrigat; non perseuerat, vt puniat, nec tantũ ei mœroris in-
fert adrogantia superbientis, quantũ gaudium fert humilitas confitentis. Sic ille Euangelij indulgentissimus Luc 15.
pater filium præceptæ substantiæ decoctorem læto susB cepit amplexu, promptior gaudere de reditu, quàm imputare delapsu. Deniq; non exprobrantur facinora, non luxuria, non egestas; sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit procul dubio patri facultas reditus, quàm rerum facultas. Itaq; abscessio reum fecerat, regressio fecit insontem. Ea misericordia sufficit hæredi, quin etiã paternæ clementiæ venia sola non sufficit, quod vlnis fouet, quod gratia permulcet; nisi & munera larga multiplicet. Dat anulũ, ne rursus à patre, perfidia duce, discedat, calceamẽta dat pedibus, quo facilius ardui itineris aspera & dura contemnat, dat & ipsã primã quam perdiderat stolam, vt quẽ à morte receperat, pristina immortalitate donaret. Datur etiam ipse iuniori vitulus reuerso, qui seniori agnus datus fuerat de Ægypto profecturo, quia ipse educit ex Ægypto pater. Tanti parentis imitare tantam fidem. Trade peccatoribus adiutorium, præsta conantibus remissionem, intercessionem largire, confitentique filio non solum ipse veniam tribue, sed ipse veniam deprecare; vt quem in peregrina patria appellas liberum, in propria possis videre liberatum. Et qui per se amisit Dominicam liberalitatem, C per te mereatur consequi libertatem, nec à vestro separetur solatio, qui sequestratur præmio.

*Deuinctissimo filio semperque magnifico Hesperio, Ruricius.*

SCribendi mihi ad vnanimitatem tuam aditum, quẽ 3.
obstruxerat imperitia, patefecit affectus & illa dominatrix omniũ pietas, per quã flectũtur rigida, saxea molliuntur, sedãtur tumida, leniũtur aspera, tumescũt lenia, mitescunt sæua, sæuiunt mitia, accenduntur placida, acuũtur bruta, dominãtur barbara, immania placantur. Etiam in me opus suum peragens, os elingue reserauit, producens me ex tutissimo silentij recessu ad publicum formidandumque iudicium & inuitatio vestri noua subire compellit. Scilicet vt qui hactenus illam sententiã secutus antiquam, qua dicitur: Sæpenumero præstare tacere, quàm dicere; inscientiam meã maluerim verecundiæ taciturnitate tegere, quã impudenter incondito sermone proferre, nõ tã consuetudinis meæ immemor, quã rusticitatis oblitus, quasi ex Arione in Orph. repẽte mutatus, velim disertissimis auribus tuis ore garrulo non tã officiosus, quã iniuriosus existere. Nũ & ignaua pertẽto, & insueta præsumo. Sed dabitis vt reor, veniã venienti ex necessitudine necessariæ necessitatis. Quia quod dilectio in mortaliũ mentibus naturali potestate sibi vindicet,

consciura

conſcium mutuæ paſſionis pectus agnoſcit. Ergo ne excuſationi diutius immorantes, ita paginam dilatemus, vt non ſolum tibi non exhibeat ſermo incomptior, verum etiam copia inordinata faſtidium, iam in vocem p etatis erumpimus, & deſideriorum verba ructamus; Commendantes tibi pignus noſtrum, depoſitum tuum, cuius nos ſuſceptione cepiſti. Tibi enim ſpem poſteritatis meæ. tibi ſolatiú vitæ præſentis, & leuamen, ſi diuinitas annuerit, futuræ tibi vna omnia mea vota commiſi. Te † elicitorem & formatorem lapillorum nobilium, & rimatorem auri, te repertorem aquæ latentis elegi, qui ſcitis abſtruſas lapidibus gemmas propriæ reddere generoſitati: quæ vtique in tanta rerum confuſione amitterent nobilitatem. ſi iudicem non haberent. aurum quoque arenis vilibus mixtum, niſi artificis ſolertia lauetur aquis, ignibus eliquetur, nec ſplendorem poterit retinere nec meritum. ſeptas etiá aquarum manantium venas, & obductú terra fluenti alueú, niſi diligentius eruderauerit appetitoris induſtria, laticis vnda non fluet. Ita & tenerorum adhuc acies ſenſuum ignorantiæ nubilo, quaſi craſſitate ſcabroſæ rubiginis obſeſſa, niſi adſidua doctoris lima purgetur, nequit ſpóte clareſcere. Tuum ergo nunc, tuum eſt, in his omnibus & opinioni tuæ, & noſtro pariter reſpondere iudicio, ne aut tu præſumpſiſſe illicitè, aut nos inconſideratè elegiſſe videamur.

*† Ita expreſſum. ſ monu-menta vetu-bus & non. ſue. legante ſenſu, ab elucidando ſicut Iupiter ab eliciendo ſui minibus dictus eſt Elicius. Ovid. 3. Faſt. Eliciunt cælo te Iupiter: vnde minores. Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant. Niſi malis legere: lucitatorem quod non placet. vel: elucidatorem, quod malim.*

*Deuinctiſſimo Filio ſemperque magnifico Heſperio Ruricius.*

4\. RElcepi apices vnanimitatis tuæ tam gratia, quàm eloquentia; tam amore pariter, quàm lepore, tam ſale, quàm melle reſperſas. in quibus nec dulcedini deeſſet aliquid, nec ſapori: Qui cum omni dictionis & rationis arte præmineant, ſolo tamen à ſe diſcrepare videntur iudicio. Dú enim paginulæ meę, non laudi aptæ, ſed vituperationi ineptiæ ruſticitatis aptatæ, maiora meritis tribuere feſtinas, & ſequeris vel declamationis curſum, vel diligentis affectum; à norma recti iudicij declinaſti. Ad quam tem ego perfectionem non ignorantiæ vitio, ſed ſpontaneo arbitror deſcendiſſe cóſilio, triplici ex cauſa, vt in tenui materia & acumen ingenij, & oris facundiam. & affluentiam ſermonis oſtenderes. Sicut in ieiunio atque otioſo ceſpite magis ſtrenuitas cultoris apparet, cum aut rebellionem glebarum tenaciú repetita ſæpius impreſſione vomeris domat, aut ariditatem nimiam ſtercoris aſperſione fœcundat, vt fructuum copiam, quam ſoli natura negat, induſtria producat. Ita & tu egeſtatem epiſtolæ meæ eloquentiæ tuæ vbertate ditaſti, vt poſſit eſſe, ſi eá ſuppreſſeris, te loquente, laudabilis; ſi vero protuleris, incutiat & mihi de falſa laude, & tibi de iudicij errore verecundiam. Et idcirco, quia imperitiam meam tui pudoris opus eſſe voluiſti, caue, ne præconio tuo nobis non reſpondentibus, tua periclitetur electio. Itaque ſi quid mihi eredis, ſi quid vtrique conſulis, indignum memoria, obliuione digniſſimum volumen abſconde, ſi vis & me ad arbitrium tuum oratoris famam, & te probati iudicis obtinere perſonam.

*Deuinctiſſimo Filio, ſemperque magnifico Heſperio Ruricius.*

5\. SPoponderas, fili chariſſime, vt mihi aliquos de ramuſculo, quem ex amaritudine in domeſticú ſaporem vertendum tráſferendumque ſuſceperas, floſculos deſtinares: quorum odore cognoſcerem, quam ſpem ſpem gerere deberem; vtrúnam ipſi flores germina, aut rurſus ipſa germina fructus ſui qualitate promitterent, iidemque iterum fructus vtrum poſſint te excoquente miteſcere, & dulci eloquentiæ verbo audientium corda ſatiare. Quod quia neſcio quá ob cauſam facere diſtu-A liſti, opportunè vos admonendi tépus inueni, quod in harmonia mundi vniuerſa animantia bruta pariter, & elinguia, incedentia, volantia, atque reptilia, ſuis quæque vocibus, & ſi ſono diſſono, aut ore diuerſo, pari tamen affectu, quaſi vno concentu in laudem proprij auctoris erumpunt; & potentiam, quá promere nequeút, ſentire ſe produnt. Hoc náque tempore cúcti orbis ſpecies re diuina reparatur. & quidquid in eo ſitu ſqualidú, frigore turbidum, glacie concretum, nuditate deforme, ariditate præmortuum hactenus fuit, ad inſtar reſurrectionis emergit; vt diſcat humana fragilitas de viſibilibus inuiſibilia, & de præſentibus futura cognoſcere, & ſpem venturæ melioris ætatis depóſita deſpera-B tione percipiat. Nunc etiam tellus ſterili rigore concluſas, quaſi virili ſemine hoc verno tempore concepto, occultis maritata meatibus, venas laxat ad partum. Et hinc quod delicijs ſuaue, quod eſui dulce, quod vſui vtile, quod viſui iucundum, quod olfactui gratú, quod tactui blandum, omne producit. Si quidem hæc eſt illa temperies, quæ mundi naſcétis materiam, quaſi adhuc in incunabulis teneram in gremio quodam clementiſſimæ altricis complexu nutriuit, ne ſubſtantiam nullo labore ducatam aut æſtiuus feruor exureret, aut hiemalis algor extingueret, aut ventorum flabra portarent. Habet itaque ſuſceptus tuus conuenientiſſimum tempus, quo animi ſocordia tandem aliquando † depoſita hebetudinem cordis exacuat. Et ſi inter homines decla-C mare non poteſt, ſaltem inter pecudes clamare, aut inter volucres garrire feſtinet.

*† M S. in margine dealbata.*

*Domino ſancto & piiſſimo P. Nepotiano Presbytero Ruricius.*

6\. COdices, quos ſanctitas veſtra tráſmiſit, accepi, eloquentia claros, ſcientia perfectos, doctrina probos, fidei puritate perſpicuos; qui ſacrorum teſtimoniorum vbertate locupletes, auctoritate præſtantes, luce fulgétes facile & fidelium mentes illuminent, & infidelium errores detegant atque conuincant. quorum ego guſtu admodum tenui pellectus potius, quàm refectus ad ſatietatem propter ſollicitudines ſæculi peruenire nó potui. Sicut enim ſtomachus cum febrium ardore decoquitur, dulces tibi ante cibos nec oblatos percipit, nec D requirit ablatos. ita & animus múdanis anxietatib' curiſque confectus, ſpirituales dapes nec deſiderat abſentes, nec carpit appoſitas, nec ſentit infuſas. Quæ cum ita ſe in me habeant, vos tamé & pij parentis probaſtis affectum, & ſolliciti magiſtri miniſterium, & ſeduli medici impleſtis officium, vt tali tædio laboranti medicamenta congrua mitteretis. Quibus & propter neglıgétiam meam ego non valeo conſequi ſoſpitatem. Vos tamen percipietis à iuſto remuneratore mercedem, qui etiam pro ingratis grates beneuolas referre conſueuit. Horum ergo præfatorum codicum vnum, ſicut iuſſiſtis, retinui, alium remiſi, quem S. Hilarij Pictauæ vrbis antiſtitis eſſe noueritis. quod quia præceperatis, indicaré curaui. Hunc vero retentum permittitis transferre, diſpoſui, vt quod memoriæ commendare non poſſumus, E ſaltem vel paginis mandare curemus.

*Domino ſuo peculiariter in Chriſto patrono Baſſulo Epiſcopo Ruricius.*

7\. QVam me diligere ſancta pietas, & pia ſanctitas veſtra dignetur, multimodo probatis affectu, dú legenda tranſmittitis, & neglecta corrigitis, dilectionem diligédo prouocatis; & quod prædicatis verbis, docetis exemplis. Sed quoniam ſemen veſtrum in terra ſterili & dumoſa nó proficit, vtpote quæ ſentibus ſuperereſcétibus ſuffocatur, ne ſicut infructuoſam illá ficulneá me iubeat Dominus vineæ, quam tanto tépore nequicquá expectat, abſcindi, vos ſeueriorem ſententiam orando differte, donec doctrinæ veſtræ † pinguedine tanquam terræ amaritudo fructuoſa dulceſcat. Sed

*† M S pinguine.*

quoniam plus sunt apud me delicta, quàm verba; nec possum facta expiare sermonibus; obsequium saltem epistolare dependo, & librum, quem præstiteratis, me remisisse significo. alium, qui identidem vestris vsibus nunc necessarius non est, spero per portitorem harum remitti. Iubeatis simul quod si proprio Deo ad solemnitatem sanctorum † gurdone abituri sitis, recurrentibus scita faciatis.

8. *Domino suo peculiari in Christo Domino patrono Sidonio Episcopo Ruricius.*

PRædicātibus vobis, sæpius audisse me recolo, nullatenus ab iniquitatibus nos posse purgari, nisi fuerimus crimina nostra, conscientia compungente, cōfassi. Quis enim, non dicam cōsequi, sed vel quærere queat indulgentiam, nisi deplorationi confessionem erroris adiungat? Quia error indulgentiā, non indulgentia requirit errorem. Quod ego valde serum esse cognoscās, facinus meum nuper admissum, pietati vestræ indicare B non distuli. Ne quomodo prodere me spectat ad veniā, tacente pōstmodum pertineret ad culpam. Sed iam ipsum dolum proferimus in medium. Furti ma vobis reum statuo, & depositū vestrum me, ignorantibus vobis, illicite præsūpsisse pronuntio. Quod vt tamē committerem, occasionem perpetrandi facinoris vos dedistis, aut tentantes cupidū, aut indoctum erudire cupiētes. Codicem namque quem de fratre meo Leontio me recipere iusseratis, transtulisse me fateor. Quod si probatis, † ignoscite; si imputatis, agnoscite. quia cōfessioni querela sociatur. Nam primum vt eum legerem, voluntas impulit. deinde ille, vt transferretur, extorsit. Nā cum de dapibus ipsius adhuc pauca libassem, taliter me gusto illecebrosi saporis illexit, vt primi quodammodo parentis imitator, domino repente contēpto, ad satietatem studuerim peruenire; magisque consilium suadētis, quàm imperium dominantis audierim. Nā vt omnia C pectoris mei arcana manifestē, videbat mihi libri ipsius verba adhortātis audire; Quid cessas ingrate, quid dubitas? Nosti erga te cōmunis Domini voluntatē, quàm diuersis occasionibus te elimare contendat, quàm tibi etiam inuito spiritales cibos soleat bonus pastor ingerere. Mihi crede, plus tibi, si distuleris, quā transtuleris imputabit. quia studiosis fauere, non inuidere cōsueuit. His & talibus silentis adloquiis in viscula eius me voluntarius pariter & coactus sponte conieci, ad exemplandum eum festinus accessi. Quam nescio vtrum, sicut est, transcriptum, an paratum reddere debeam in vestro pendet arbitrio. Ego tamen libens mulctam, quam intuleritis, excipiam. quia remedium meum vestrum credo esse decretum; & sententiam vestram, medelam duco esse, non pœnam.

*Fort. agnoscite si imputatis, ignoscitis.*

9. *Domino peculiari in Christo domino, patrono Sidonio Ruricius.*

ITa me recens prædicatio, & antiqua dilectio vestræ pietatis illexit, vt audeā auribus vestris ineptiis meis D facere sæpius iniuriam; dum vestram, quātum sterili ingeniolo cōceditur, attingere cupio disciplinam. Quam & si adsequi grande est, atque difficile, sequi tamē pulchrum est atque sublime. Quoniam summarum rerum non adeptio tantū, sed etiam imitatio ipsa iucunda est. Quia nūquam fere aliquis eius rei portione ad integrū caret, ad quam scandere ac peruenire contēderit. Desidero itaque Domine mi, desidero, inquā, tuis cibis rafici, tuo fōte potati, tuis repleri dapibus, tuis epulis saginari: quas si quis, distribuētibus vobis, non summo ore libauerit, sed totis animæ visceribus apperēs continua sorbuerit atque intimo pectoris postmodū easdē ruminaturus abscōderit; incipiet assiduis ructationibus in laudem Domini omnipotentis erūpere; refertus corde, ore ieiunus, dum satur esurit, & saturatus esuriēs; magis in regeneratione saturandus. Nec deesse potent A cibus, cuius pastus in verbo est. Vt ego harum deliciarum particeps esse merear, vestris patrociniis obtinere; mihique supra mensuram vitium connitenti auxiliatores accedite, simulque & ab ouili vobis credito non inueniar alienus Orate, errantemque ouem à pascuis sæculi ad caulas Dominicas reportate. quia confido, quod intercessionibus vestris fieri possit agnus, qui vester meruerit esse discipulus.

*Domino, pectori suo Lupo, Ruricius.*

ACcepi literas magnanimitatis tuę, quibus excusare dignaris, quod vt me rarius eloquentiæ tuæ rore respergas, baiuli faciat inopia, simulque etiā indicas, te mirari, cur, cum mihi eorum frequentia suppetat, verborum quoque copia compta non desit, vobis scribere sæpius detrectem. Quod vos per ironiam, vt est leporis vestri facundia, iactasse non ambigo. Cum & vos abūdetis tabellariis, & me sciatis laborare egestate sermonis, ac sterilitate exilis ingenij, velut æstiuis mēsibus arentis venæ cursum sudare, non fluere Addidistis etiam sicut Achilli Patroclum, aut Herculi Theseum, vel Theseo Pyrithoum; ita vos mihi debere sociari. In his fabulis factisque maiorum nō prærogatiuam personarum, sed cōparationem debemus dilectionis accipere; vt amicorum recolentes nomina, sequamur exempla; & eorum in nos vocabula transferentes, merita conferamus, atque ex ipsorum gestis magnifica quæque & honesta carpentes, vitæ nostræ vtiliter coaptemus; & seruiamus nobis in caritate candida, non adulatione fucata. Studeamusque quod in amicitiis illorum poëtarum falsitas finxit, in nobis animorum veritas peragat; vt dum imitari videmur antiquos, relinquamus imitāda; & seniorum facta laudantes, laudemur à posteris Hæc ergo, domine mi, flāma pectoris mei, persuasioni tuæ, quàm conscientiæ meæ amplius credens, gerulo festinante, breuiter cursimque dictaui: quæ peritia tua, & probitas tua, si amici verecundiæ consulit, aut celare debebit, aut emendare curabit. 10.

*Domino sublimi semperque magnifico Fratri Fredar. Ruricius.* 11.

QVoniam amœnitati nemoris vestri etiam deserti nostri ineptias voluistis adiūgi, transmisi, sicut iniunxistis, abietum plantas, non specie; sed proceritate placituras, non fructibus, sed sui peregrinatione mirabiles non vsu aptas, sed amœnitate iocundas. quippe quæ cum coaluerint crassitudine vmbrarum † ccuena rum frigus † oceanis in æstatibus præbituræ. Et hoc inter illas præclarissimas diuersi generis arbores, tā decore, quā vtilitate præstantes, opulentas onere, distinctas flore, odore fragrantes. Illis enim industria vestra contulit, quod soli natura non protulit. Nam vt ruborem rosarum, liliorum candorem, lauri perpetuum virorem, & alia huiusce modi similia visibus prætermittam (quia sæpe per abundantiam pretiosa vilescunt, & facit copia quotidiana fastidium) illic etiam graminum, germinum, fruteto rum peregrinæ conlatæ sunt suauitates, visui, visuique vernantes. Sed quid illic primum laudandum sit, aut mirandum, vbi etiam temporis intemperies temperatur? Siquidem inibi torridæ feruor æstatis tam vmbrarum, quàm vndarum rigore depellitur. hiemis vero in tantum non sentitur asperitas, vt intra eadem potius tepor aëris, & cantus auium, veris reddat effigiem Sed quid ego immemor imperitiæ meæ, paupere sermone, mi domine, ruris vestri diuitias, delicias describere, aut enarrare cōtēdo, ad cuius laudem etiam ingenia maiora succumberent? Date itaque impudentiæ meæ veniam, quā extorsistis, qui vt auribus vestris verbosus existerē, dignatio vestra me compellit. confidens, quod Epistula longior vobis, dominis meis, si displiceret affatu, placeret affectu.

*Forte corrupto.*

Cum

Cum intellexeritis eam non pro eloquentiæ lepore, sed pro vestro amore copiosam; simulque quia sciebam sublimitatem vestram in amicis vestris plus reprehendere taciturnitatis verecundiam, quàm loquacem familiaritatis audaciam.

12. *Domino pector.s sui Celso Ruricius.*

TRepido in præconium vestrum os elingue reserare, cui scio iure etiam ingenia maiora succumbere. Quid enim primum de affectionis, aut dignationis vestræ laude commemorem? qui omnes mihi ruris, † moris, &, quod his omnibus maius est, caritatis delicias contulistis, aut certe si quid horum defuit, deputandum tempori, non vobis est imputandum. Nam totum apud vos quod carum, pectus; quod habuit clarum, mundus, inueni. nulla me penitus iocunditate fraudastis; quin etiam desiderabile mihi hospitioli mei desertum vestra vicinitate fecistis. Et idcirco omagis finitimum vobis esse congaudeo: quis non ex toto malus est, qui bonis iungitur. Sed ne exhibeat vobis ipsa ineptia sui longior sermo fastidium, salue largissimum dico: & vitreatium, sicut iussistis, me destinasse significo: cuius opus nitore, non fragilitate oportet imitetur vt dilectio, quæ nobis à parentibus relicta, magistro tradita, vitæ communione, firmata est fecundia, elimetur aduersis, nulla penitus turbinum procella frangatur. Nam sicut auri atque argenti pretiosa sinceritas, si æris, aut plumbi, vel cuiuslibet alterius materiæ vilioris fuerit admixtione corrupta, nisi ignium examinatione purgatur, nec splendorem naturalem poterit habere, nec sonum. Nam nec visui claritatem, nec tinnitum reddit auditui, magisque raucum resonat, si feriatur, & stridulum. Hanc ergo sententiam, non meam, sed Domini, frater optime, contuentes pariter & sequentes, ita vitam nostram medio cursu, gubernatore ipso Domino, temperemus, vt quum serenitas adrideat, prosperior flatus inuitet, mare placidum blandiatur; scientes tamen illam æquoris subiecti planitiem ad instar montium repente consurgere, neque in altum nauem nostram patiamur impelli; vbi eam aut tempestas soluat, aut vnda demergat.

*Fort. vestris*

13. *Domino pectoris sui Celso Ruricius.*

REcepi apicea germanitatis tuæ, qui mihi non parum scrupuli tetulerunt. Vereor enim, ne secus de literis meis quàm à me missæ sunt, censueritis, & idcirco quasi temerariæ præsumptionis memorem videamini, dum vt pro vobis orem, ac sæpius commoneam, postulatis. Egone, frater optime, castigare vos audeam, qui me nequeo castigare? Egone vos, qui me sæculi adhuc in turbinibus tanquam in maris æstibus cymba instabili fluctuantem, quasi iam de sublimiori specula, vel eminentiori colle respicitis? Egone vos, qui ad portum veniæ per pœnitentiæ indulgentiam, Domino gubernatore? † Non ego penitus, frater dilecte, sic scripsi, vt mihi aliquid blandiens, vos improbo dente morderem, nec vt vos læderem; sed mihi Epistolæ familiaritate vincirem. Nam si bene consideretis, votorũ sunt illa verba, non actuum; & aptantis potius, quàm monentis. quis non quid ageremus, sed qualiter vellem, vt viueremus, exposui. Ceterũ si actus vitæ meæ præteritæ præsentisque discutias, pudebit te, intimo & secretissimo fratre teste, ferre, quæ non puduit Deo teste † promittere. pro quibus facinoribus meis spero vos potius Domino supplicetis, vt quos in hoc sæculo amicitiarum & propinquitatis volui esse consortes, in futuro bonorum iubeat esse participes.

*Deest verbum*

*For. committere*



14. *Domino pectoris sui Celso Ruricius.*

EQuum qualem iusseras, destinaui, mansuetudine placidum, membris validum, firmum robore, forma præstantem, † factura compositum, animis temperatũ, nec præproperum scilicet velocitate, nec pigrum: cui frænus & stimulus sit, sedentis arbitrium, cui ad euehendũ onus, & velle suppetat & posse; ita vt nec cedat superposito, nec deponat impositũ. His itaque, sicut oportuit intimatis, salutatione prælata, pollicitatione dispensa, promissa deposcimus, vt ad solemnitatem sanctorum ad nos, Deo propitio, vna cum sorore venire dignemini: honorem patronis, fratribus affectum, gratiam populis præstituri.

*Fort. futurum*

15. *Domino suo peculiari in Christo domino patrono Eonio Episcopo Ruricius.*

AGnito transitu sancto, & venerabilis apud me recordationis domini mei decessoris vestri, Leontij, animo & mente confusus diu multumque tristatus sum, quod & impedientibus peccatis meis, tanto antistiti occurrere non merueram, & tali essem patente priuatus. Cuius & si exterioris hominis non fruebar aspectu, interioris tamen gratia delectabar, & mentis acie iugiter adhærebam; per quem, & in quo mihi præsens quodammodo & cernebatur obtutu, & audiebatur affectu, & palpabatur adtactu, & tenebatur amplexu. Siquidem cari nullo se melius loco, quàm in corde, caritatis ipsius sede conspiciunt. Vnde & amplius desiderabam oculis videre carnalibus, quem ita spiritualibus intuebar. Sed dolori meo cõsolationem ea quæ prius tribuerant, solatium ipsius merita dederunt. Quia confido, quod quem paterna pietate dilexit, & sedula intercessione custodiat. Sed hæc sanctitati vestræ quasi vobiscum colloquens, atque à vobis mœroris ipsius leuamen requirens, dictante dilectione, retulerim. Nunc vero, vt dicere instituetam, accersione ipsius domini mei, & apostolatus vestri ordinatione comperta, ad officium vestrum mittere cogitabam. Sed muneribus vestris humilitatis meæ præuenistis obsequium, quæ mihi maiorem scribẽdi fiduciam contulerunt. quia præsumo, quod quem liberalitate feceritis dignum, ab animis vestris non habeatis alienum. & ideo sicut dictis intellexi, quoniam iãti habere dignamini, sospitationem beatitudinis vestræ per litteras vberem dico; simulque peculiari prece deposco, eo mecum agere tanto habeatis affectu, vt dominum Leontium præmisisse, & commutasse potius, quam perdidisse cognoscam.

16. *Domino venerabili, admirabili, & sanctis omnibus æquiparando, Fratri, Sidonio, Videnti, Ruricius.*

OLim te, frater charissime, fama celeberrima prædicante, cognoui, & in sede caritatis illius, quib⁹ ipse melius terrena despicia, & cœlestia diuinaque cõsideras oculis mentis aspexi: vnde ipsius nomen adscripsi, cuius munere donatum esse te vidi. Et ideo dum te in speculo cordis diligenter, & pulchritudinem interioris hominis tui vehementer admiror, ad desiderandum animi mei viscera concitasti, quæ in tantum affectum tuum meracissima dilectione commota sunt: vt quem spiritualibus oculis contemplor, etiam carnalibus cernere concupiscam. Quamobrem, salue in Christo Domino plurimum, dicẽs specialius, quęso, vt vna cum domno meo Episcopo; quem ad nos venturum pro sua dignatione cõfido; vobis, ad humilitatem nostram visitandam, faciatis iniuriam, vt possimus in vnum posisi fructum de nostra inuicem carpere præsentia; dum sciscitantis intentio fit respondentis eruditio; & mutuus quodammodo profectus discentis efficitur, & docentis: Pax, pax, pax.

17. *Domino animæ suæ, & totis in Christo Domino dilectionis visceribus excolẽdo Pomerio Abbati Ruricius Episcopus.* A

Deut. 32. 35 Rom. 12. 19.

SCriptum est, sicut ipsi melius nostis. Mihi vindictã, ego retribuam, dicit Dominus. Iam voa mihi siquid imputatis, ignoscite: quia sciatis Dominum vindicasse. Tam auiis nos esse itineribus noueritis, in tam abditas solitudines inductos, vt eas retexere animus horreat, mens refugiat, sermo non queat. Incurrimus namqua semitam obstructam ramis, spatio constrictam, spinis hirtam, stirpibus clausam, oblitam sentibus, situ asperam, saxorum aggeribus impeditam, radicum connexione constratam, cœno voraginosam, vt in tam variis, tamque multiplicibus malis non esset simplea forma periculi; dum caballorum pedes radicum virtus detinet, & soli putredo non sustinet. montibua vero ita in sublime porrectã, & vallibus in profunda demersam, vt nos per vndosum mare, excitantibus ventorum sæuientium flabris, erepto ab oculis nostris nebulis ac nubibus die, iter agere crederemus. Quia etiamsi mundo radius folia illuat, ad nos præ densitate nemoris splendor ipsius, & calor peruenire non valuit, dum nos ita per iter infelicium felicium proceritas premit, & sic inundatio roris B adspergit, vt contracti frigore, vel coacti apricitate ignis plurimi diebus cynocaumatis quærimua. Sed cũ ad locum, ad quem tendebat intentio, perueniissemus, vallati aquis atque madefacti, siti occepimus deperire. Quia cum esset, vt diximus, rigor in aëre, erat tamen tepor in fonte, odor in flumine, ardor in cãpo, æstus in castro, & vt breui sermone vniuersa concludam, per talem viam nos iter egisse cognoscite, per quam nec ad paradisum, non dicam ad exilium ire quisquam desideret. Qua propter quia hæc omnia Dominus noster & me incurrere, & vos iussit euadere; peccata mea à vestris meritis etiam A visibili itinere discernens; & vos qui arcta & laboriosa spiritaliter pergitis via, istas non incideretis angustias, & nos qui lata & spatiosa, retrorsum semper respicientes incedimus, huius incurrimus iniurias. Orate Dominũ, cui omnia possibilia confitemur, vt & si per diuersũ iter, ad vnam nos tamen vrbem faciat conuenire; in quam nos misericordia potest inferre, vos merita.

*Dulcissimo & vnanimo filio Omacio Ruricius. Episcopus.* 18.

VT per Venerium dulcedini tuæ non scriberem, non negligentiæ, nec imputationis alicuius, sed occupationis fuisse cognosce, vnde has per Amelium dedi, quibus salue plurimum dico, & vt propositi tui semper reminiscaris, commoneo. Nec animum tuum iam Deo dicatum aut à cœpto itinere blandior visus auocet, aut modulatior corrumpat auditus, aut dulcior gustus inficiat, aut mollior sollicitet tactus, aut suauior odoratus illiciat, & per fenestras corporis mors intromittatur ad animam. Sed neque stiuam tenens, contra Domini sententiam retro respicias, vel directum lineæ sulcus amittas: quia potius ita in eum, curre, ipso inspirante, voluisti, omnibus sensibus inhiea, & corde defixus adhæreas, vt cum te vel vna præfatorum vitiorum illex forma pulsauerit, fide firma, & diuina meditatione munitum pectus adire non possit. Et quamlibet in turbis positus esse videaris, intrans in cubiculum cordis tui, clauso ostio tuo, Dominum orare non desinas; vt qui videt in occulto, dicat tibi, sicut sancto Moysi vociferanti ad se non voce, sed corde dicebat: Quid clamas ad me? Et spero vt in talibua orationibus etiam mei meminisse digneris, & citius te ad nos, etiam si inter nos reducit affectus, desiderium dulcissimæ & saluberrimæ quietis abducat.

Luc. 9. 16.

Mat. 6

Exod. 14. 15.

*Explicit Domini Ruricij Epistolarum liber primus.*

# INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Epist. 1.

1. *Dominis sublimissimis in Christo Domino deuinctissimis fratribus Namacio & Cerannia & Ruricius.*

ANTIQVI sapientes amicos duos vnam animam habere dixerunt, quod valde verum esse ego prædico, proboque. Nam postquam à vestra germanitate discessi, diuisum esse me sentio, partemque meam vobiscum residisse cognosco. Nec absentibus vobis integer esse mihi videor. Et cum me in me non inueniam; apud vos me, ad vos reuersus, inquiro, atque ibidem, quantum me iubes reliquisse, tantum vestri mecum abstulisse cõspicio, Et ita priusquã fiat, annuente Domino, pignorum nostrorũ votiua cõiunctio animorũ inter nos facta iã diuisio, quæ † diuino amplectenda magia est diligentibus, quã vitãda; per quã fit in cordibus eorũ caritatis integræ sincera transfusio: cuius ego vinculis cõligadũ à vobis esse me gaudeo, & talibus catenis vinctus exulto, obstringiq; me earũ neaibus magis cupio, quã resolui. Quibus & vos constrictos esse confido. Redeũtibus itaq; vestris salue largissimũ dico, & ex omnibus gratias agẽs derelinquo, quæ ad præconiũ nostrũ pertinent. Idcirco siluisse significo quia in propriis laudibus, sicut dicitur, est odiosa iactantia, vestra. n. laus mea facta est; & ideo, vt D dixi, de magnanimitate vestra tacere melius duxi, quia quidquid de vobis dixero, mihi videor contulisse. C stum fecistis ipsius orationibus inlustrari. Quia dum vobis exhibet fidem, nobis tribuit benedictionem. & licet fuerit vigilantissimus inspector, importunissimus exactor, districtissimus executor; leuia tamen hæc omnia gratia vestra & sanctitatis suæ ponderatione pensauimus. quia sicut scriptũ est Caritas omnia sustinet, caritas nunquã excidit. præsertim cũ hoc, quod visus carere, nobis cũ credimus Dei beneficio contulisse. Itaque eo † propria ciuitate remeãte, nõ quia necessatiæ essent, sed quia voluit, dedi, quibus indiuiduæ germanitati vestræ salue largissimũ desiderans dico. Iter meũ, vestrũque conspectũ mente præuenio, atq; omnia, sicut iussistis, & dignũ ac debitũ fuit, inspecta, tradita, firmata significo. Nec vereor quod debeat animos vestros vel aliquãtisper offendere, quod vnũ vocabulũ de libello dotis videtur esse subtractũ; cũ hoc quod deest numero, non solum cõpensatum, sed etiam auctum agnoscitis io merito.

F. Dimi. fic.

1. Cor. 13. 7.

m f. propria deuenitate. Sed vocula deest delata An propria de ciuitate, aut propriã in ciuitatem. legẽ ũ.

2 *Dominis sublimissimis, & in Christo Domino deuinctissimis fratribus Namacio & Cerannia Ruricius.*

INter reliquas grates, quæ à me vobis iure referendæ sunt, præsentia ac visione patroni communis domni Postumini ingentes gratias ago, quod hospitiolum va

3 *Dominis sublimibus & in Christo Domino deuinctissimis fratribus Namacio & Cerannia, Ruricius.*

QVam grauiter sim de luctu vestro nuntij atrocitate perculsus facilius vos pro mutuo potestis amore conijcere, quam ego possim litteris intimare. Quia animus nimio mœrore confectus, quod horret recolere, renuit expedire. Doleo, fratres deuinctissimi, tam a verbo casui vestro & toto corde compatior. Nam & si ad præsens à vobis separatus sum corpore, tamẽ semper mente coniungor, & dum à vobis animo non recedo, planctibus vestris interesse me credo. Quia secundum

diuinam sententiam quod patitur vnum membrũ, omnia membra compatiuntur in corpore. Nos enim non solum fide concorporamur in Christo, sed etiam filiorum coniunctione connectimur. Vnde etiam si curarum tente intemperies permisisset, ad solandos vos, pro epistolis ipse venissem. Sed quid facimus, fratres optimi, quod diuinæ resistere iussioni, sicut virtute non possumus, ita nec voluntate debemus, & omni eadiligentia præcauere, nedum dulcia nobis pignora nimio dolore deflemus, blasphemi, aut quodammodo iniuriosi videamur in Domino; & grauius animam nostram auctor ipsius meritia inuente occasione confodiat, quàm eorum amissione percussit. Ideo in omni amaritudine vel dolore ad illum nobis refugiendum est, & ad illum omnes casus nostri toto corde referendi, qui sanat vulneratos, qui releuat mœstos, qui consolatur afflictos, & illa

Iob. 1. 21

sententie sancti Iob omnino dicende est: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita & factum est, sit nomen Domini benedictum. Hæc ergo Domini pectoris mei, scribere vobis idcirco præsumpsi, vt dolorem communem, quem sciebam, quòd verbis meis mitigare non poterem, vel diuinis eloquijs vtcunque moderarer. Et verè non minimum potestis capere

Matt. 19. 14.

de Christi voluntate solatium, quod quatenus ipsius immaturus manebat interitus, talem eum est dignatus assumere, qualium regnum dixit esse cœlorum; vt & patronum haberetis ex filio, & minus doleretis amissum, quem è Domino videbatis assumptum.

*Dominis sublimibus & in Christo Domino deuinctissimis fratribus Namacio & Ceraunia, Ruricius.*

5. SÆpius, carissimi fratres, propter communis luctus acerbissimum casum vobis scribere, aut ad vos venire disposui, sed semper me & ab itineris procinctu infirmitas corporis, & ab epistolari officio nimius dolor cordis retraxit. Nam si quando ad scribendum animum conatus sum intendere, statim sensus horruit, mens refugit; & ita mihi pro sermonibus semper fletus occurrit; vt prius paginam lacrimarum imbre perfunderem, quàm stylo pingerem, sicut dixit ille paternam iudicans de filij amissione pietatem

*Bis conatus erat casus effingere in auro;*
*Bis patriæ cecidere manus.*

Vel quod potius à me dicitur: Quoniam negabat cõsolari animo mea. Haud iniuria. Perdidi enim filiam, quam & me suscepisse, & vos genuisse gratulábar, perdidi vitæ solatium, posteritatis spem, decus familiæ, cordis gaudium, lumen oculorum, nec simplici sum orbitate perculsus, nam cum filia & fratres amisi, quorum me solabar affectu, quorum me coniunctione iactabam. Disruptum est, fratres carissimi, vinculum germanitatis nostræ, ablatum nobis est pignus mutuæ caritatis. Heu mihi, fratres optimi, dum depositum vestrum cuius me traditione ceperatis, amitto, vos vos perdidi, & ideo in vnius necessitudinis gradu, complurium mihi necessitudinum solatia sublata suspiro. Solem tamẽ patriam, quæ mihi per ipsam acquisita fuerat, non amittam, qui hanc mihi potissimum terram, quam ille corpore suo occupauit, patriam iudicabo. Sed quo immemor officij, memor gratiæ, dolore impellẽte, progredior? & tempore aliquatenus vulnus obductũ, rediuiua recordatione, tanquam noua sectione rescindo? & qui consolari vos potius per diuina promissa cupiebam, consolationem ipse non capio. Causas tamen vobis recidiui huius doloris exponam, vtcunque enim animus mœrore confectus recipere consolationem Apostolica exhortatione iam cœperat

1 Thess. 4. 13.

quæ ait: Nolo vos, fratres, ignorare de dormientibus, ne contristemini, sicut cæteri, qui spem non habẽt. Sed vbi infelix noster communis aduenit, & eum sine ea, qua prius splendebat, gemma conspexi, per quem mihi & acceptior esse solebat, & gratior, & quasi ornamento proprio spoliatus, mihi & indecorus apparuit. Nouit il-

A le, fratres carissimi, qui cordium occulta rimatur, quòd ita mihi dolor repente geminatus est, & ita mihi per singulos dies de tanta indole illius, & istius desolatione affectus duplicatus & luctus, vt nec hunc aspicere; nec illius meminisse sine lacrymis queam; & Propheticum illud sæpius dicam: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Sed ille populi sui peccata deflebat; ego vero propria, quæ & me & vos pondere suo & numerositate presserunt; Ego vt illius mortem, & meam, illam defunctam, & me superstitem plangam. Longe aliud tibi, venerabilis soror, quæ si de nostris meritis præsumebas, cùm tantum tibi, nimia credulitate decepta, de nostris orationibus, me refellente, promitteres, vt domum tuam nostra intercessione saluandam, & filiam per me, vt ita dicam, fore crederes im- Iere. 9

B mortalem. Sed cito apparuerunt merita mea, quæ me irremediabili vulnere sauciarent, & te secus, quã oportuerat, de peccatore credentem, tanti pignoris orbitate percuterent. Vel nunc certe in Christo Domino venerabilis soror, & te falsa credidisse, & me vera dixisse cognosces. Sed nimium diu immemores præceptorum cœlestium humano dolori præbemus assensum. Ad diuina nobis præcepta redeundum est, ne ita plangamus corpore mortuam, vt ipsi corde moriamur. Discedentes ergo paululum de præsentibus, rursum futura cogitemus; vt quos infirmant præsentia, futura corroborent. Nos debemus, fratres carissimi, illam ferre conditionem humanæ fragilitatis, quam & Prophetæ, & Apostoli, & sancti iustique omnes, vel quod maius est, omnium, Do-

C minus noster suscipere dignatus est. Deplorare (sed magis Deo gratias agere & gaudere) non conuenit, quod filiam, qualem quidem voluimus, quam Diuis, qui dederat, promisit, habuimus; & quidem mutauimus, non perdidimus; sed ad Christum, ipso iubente, præmisimus; habere enim filios, generalis est beneficij; bonos vero habere, specialis est præmij, sicut viuere commune est omnium; bene vero viuere & bene descendere de hac vita, paucorum est; non tamen naturæ conditione, sed culpæ, nec diuina præscriptione, sed propria voluntate. Et ideo non turbetur cor nostrum, nec filiam pro amissione, sed pro desiderio defleamus: nec vt Dominicis promissis increduli, eius præcepti obliti esse videamur.

D Fleant liberos suos, qui spem resurrectionis habere non possunt; quam eis perfidia sua adimit, non diuina sententia. Fleant mortui mortuos suos, quod in perpetuum æstimant interisse. Illi nullã mœroris sui habeant requiem, qui nõ credunt esse requiem mortuorum. Nobis verò, quibus & spes & portio Christus est, spes in terra morientium, portio in regione viuorum; quibus mors ista non naturæ, sed vitæ præsentis est finis; quia eam in melius credimus esse reparandam, iuxta Apostoli sententiam: Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem; Cum Prophete dicendum est: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino visum ẽst, ita factum, sit nomen Domini benedictum. Quia tenenda est in tentatione pœnitentia, ne coget aut ore aut corde delinquere. 1. Cor. 15 / Iob. 1.

Fletus itaque vestros fides prompta detergat; quia credimus caros nostros viam non tam perdere, quàm mu-

E tare; relinquere sæculum cernimus & luctibus plenum, & ad regionem beatitudinis festinare; Exire de peregrinatione laboriosa, & ad quietis patriam peruenire. Vnde & Propheta dicit. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Credite mihi fratres carissimi, quia illa iam de sua quiete secura, de nostra est salute sollicita; quæ si nobiscum posset miscere colloquia, hoc diceret: Nolite pij parentes, nolite me flere; nec ingrati tam benigno Domino planctibus nimiæ dilectionis existere. Esto habuerit tempore meæ arcessitionis hoc pietas; iam debet dolorem vestrum fides cum tempore temperare. Quia etsi vobis mortua sum, Deo viuo. Aut nunquid vos magis potestis amare, quàm Dominus, qui me fecit? qui me donauit vita, emit, redemit, quia voluit; Ps. 142.

A &quando voluit pro sua pietate suscepit. Aut quod magis doloris vestri potestis habere solatium, quam quod Dominus noster vnicum filium suum pro nobis est tradere dignatus ad mortem? Et cum filius Dei secundum carnem mori voluerit, homo tam acerbè debet conditionem humanę sortis excipere? Quamobrem, piissimi parentes vestra potius peccata deflere, & de satisfactione vestrorum criminum cogitatę; vt si me in Christo diligitis (quia me verè diligere non potestis, nisi in Domino diligatis) in sinum Patriarchę venire mereamini, vbi Dominus pro innocentia † meæ puritate, & pro sua pietate constituit, quia misericordia eius melior est super vita, vt ibidem non falsis, sed veris; non temporalibus sed æternis gaudiis pariter exultare possimus. Talibus oportet, vt vos, optimi fratres, & his similibus præceptis ac † spõsibus Dominicis consolemur. Quia sicut apud Dominum futura iam facta sunt, ita fidelis Catholicus promissa cœlestia, quæ tempore suo implenda confidit, debet etiam quodammodo habere præsentia, spe percipere, possidere fide, operibus obtinere. Hęc enim sunt, quæ nobis exhibent in mœroribus solatium, in contraria fiduciam, in prosperis moderationem; ne aut extollamur secundis, aut cedamus aduersis, aut tristibus consumamur. Hæc ergo, fratres charissimi, transmittenda vobis ad communem quandam consolationem, non sine magno animi dolore dictaui, nec me paulo latius protrahere sermonem affluentia verborum compulit, sed æstus animorum; vt desiderium, quod recordatio accenderat: commemoratio diutina crebra leniret; & in hoc etiam parem gratiam erga communem filiam comprobemus, & sicut nos eius vita deuinxerat: ita eius memoria in eadem dilectione custodiat.

*Fort. sua.* — *Sponsionibus.* — *6 4.*

*Domino sublimi & in Christo Domino deuinctissimo fratri Namatio Ruricius.*

5 QVi occasionem scribendi pro necessitudinis iure perquirimus oblatam, prętermittere non debemus; vt reddat nobis quandam pręsentię portionem sermo meditatus, qui emittitur, & non admittitur; tribuitur, & habetur; videtur discedere, nec recedit; à me dirigitur, à te suscipitur; à me scribitur, à te legitur; nec tamen diuiditur, cùm quasi diuisus integer, vtriusq; corde teneatur. Quia verbi more diuini traditur, & non egreditur; confertur indigenti, & non aufertur auctori; accipientis lucrum, sine dispendio largientis; ditãs inopem, nec attenuans possessorem.

*Domino, & peculiari in Christo Domino, patrono, Cronopio, Episcopo Ruricius Episcopus.*

6. IN ordinando grege Dominico, vel regendo, inter speculatores atque præpositos non præsumptio debet esse, sed ratio; & de custodia solicitudo, non de persuasione contentio: ne mercenariorum subeant notam dum pastorum non tenent disciplinam; & inueniantur, sicut Apostolus dicit, Non Christi gloriam affectare, sed propriam; dum malunt ab hominibus percipere laudem, quàm à Domino expectare mercedem; præsentis appetitores lucri, & præmij contemptores æterni. Vnde sicut idem Apostolus docet, si pacifica ad opus sanctum congregatione concordes, si sine simulatione diligentes, si cum sollicitudine ministrantes, si vnius capitis membra suorum corporis vnanimiter debemus esse rectores. Quia caulæ gregis Dominici possunt esse numerositate multæ, non fidei varietate diuersæ, vt, sicut ipse Dominus prænuntiare dignatus est, nõ nobis per inuidiam diffidentibus, & per dissensionem gregem Dominicum diuidentibus, multiplex per nos schisma procedat, sed magis per vnitatem doctrinæ simplices oues Dominicas congregantibus, fiat in nobis vnus grex, & vnus pastor, qui sicut est rex regum, & Dominus dominantium, sacerdos sacerdotum, & pontifex pontificum; ita intelligatur & pastor esse pastorum. Quamobrem studio caritatis, non cupiditatis, † has ad sanctitatem vestram presbyterum meum pro diœcesi GEMILIACENSI, vnde iam pridem vobis scripseram, destinaui: ne si tacuissem, negligentię deputaretur non concordiæ, rationi † irrationabilis vides cessisse non pauci, vt si agnoscitis vera esse, quæ dico, aut iusta quæ repeto; nec me iniuriam diutius, nec vos inquietudinem diutius sustinere patiamini.

*1. Thess. 2. 6.* — *Rom. 12* — *1. Cor. 12.* — *Ioan. 10 16.* — *Fort. nobis.* — *Locus corruptus.*

*Domino sublimi semperque magnifico Fratri Elafio Ruricius Episcopus.*

B ITa propitio Deo operum tuorum fama percrebuit, vt omnes in laboribus constituti commendari se germanitati vestræ omni precum ambitione deposcant. Quia rogationem suam apud vos effectum habere non dubitant. Vnde etiam portitor harum nomine VELILA, quem mihi † FRATERNVS presbyter suis litteris commendauit, ad vos commendatitias postulauit, quas ei & pro iussione diuina, & pro iussione mutua libenter indulsi. Quibus indiuiduæ caritati vestræ salue plurimum dico, & præfatum pro affectione germana, non pro pontificali auctoritate commẽdare præsumpsi. Quia in peccatore amittit dignitas dignitatem; Cui honor indebitus oneri est potius, quàm honori, quod licet vobis placere pro nostra deuinctione confidam, tamen si quid nobis veri vel vicarij amoris impenditis, spero cõdoleatis potius, quàm gaudeatis, quia indignum me, & penitus non merentem non attollit res tanta, sed deprimit.

C

7. — *Velsrafernus.*

*Domino sancto & Apostolico & mihi præ ceteris in Christo Domino cultu affectuque peculiarius excolendo patrono & Papæ Æonio Ruricius Episcopus.*

8. QVotiensque quicunque sanctos aut Apostolicos viros, quos misericordiæ opera, operum merita, meritorum vita commendat, atque omnium virtutum fama dissemiat, ærumnarum mole depressi coguntur expetere, dum litterarum solatium quærunt labori suo, beneficium conferunt desiderio nostro. Et cum sit illorum labor noster dolor, fit tamen per officij consolationem eorum necessitas, quodammodo caritas nostra, qua
D dum ipsorum adquiescimus petitioni, nostræ satisfacimus voluntati, & ita fit vt egestas petentis, sit largientis vtilitas. Fratri itaque & compresbytero nostro, POSSESSORI nomine, † quo pius est potius, quam facultate; quia quod habuit pro fratris redemptione profudit, factus est possessor paradisi, dum proprietatis sæculi desinit esse possessor. Ad Apostolatum vestrum commendatitias postulanti libenter indulsi. Cuius necessitatem si dignatur plenius sanctitas vestra cognoscere, epistolam, quam ad humilitatem meam frater noster EVMERIVS episcopus per ipsum direxit, tanti habeat recensere; & illic agnoscet qualiter ipsi debeat & pro consuetudine consulere, & pro caritate mutua condolere. Qui vt fratrem ab hostibus redderet liberum, se
E creditorum maluit esse captiuum, & vt ille crudelissima morte non priuaretur vita, ipse extorris est factus è patria.

Sancti Apostoli Pauli sententiam † constituentes qua Romanis scribens ait: Nolo vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc; & nos dicere pudore instigante compellimur: Crebrius voluimus ad sincerissimam pietatem vestram scripta dirigere, sed prohibiti sumus vsque nunc; prohibente nimirum illo, qui bonæ voluntati consueuit semper obsistere, inuidens scilicet profectui nostro, & affectui vestro, affectui nostro, & profectui vestro; † profectui nostro & affectui vestro, quia doctrina vestra, eruditio

*Fort. quotiens quicunque aliqui.* — *MS. possessore quod potius est.* — *Prius erat in MS. continuens.* — *Rom. 1. 13.* — *Hæc redundant.*

eruditio nostra est; & epistula nostra, cõlatio desiderij vestri est; & rursus profectui vestro & affectui nostro, quia eruditio nostra; merces vestra est; & † tempora
*Fort. semper*
conlatio desiderij vestri est sermonis affectus. Ita enim paucis diebus, quos mihi vere & paucos & breuissimos vester fecit affectus, dum contemplatione vestra non solum satiari noster nequit, verum etiam videndo magis exardescit intuitus; cum nos & desideramus præsentes, & ad hoc coram positos quæreremus, sensus nostros fonte purissimo benigni pectoris irrigastis, vt quamlibet nulla deinde sancti oris munera pretiosa perciperem, præsentiam tamen vestram intra mentis meæ arcana possideam, & effigiem vestram in speculo mei cordis intuear, quam illic tua caritas perfecta depinxit, vt nullius ætatis obliuione possit deleri; quia iugi recordatione momẽtis singulis innouatur. Illic enim vobiscũ ex consuetudine pietatis vestræ secretius conloquor illic etiã de vitæ melioris institutione pertracto. Illic vos labiis mẽtis exosculor, & manibus cordis amplector quo fit, vt vera dilectio, quæ in visceribus meis viua vultus vestri figuratione nutritur & igniculo caritatis accenditur, amoris vestri vicissitudinem mihi repromittat, & animus meus mihi animi vestri fideiussor adsistat; dum quantum mihi de vobis præsumere debeam, conscium mutuæ dilectionis pectus interrogo. Vnde scribendi mihi aditu orationibus vestris tandem aliquando reserato, hanc salutationem defero, & intercessionem peccatorum requiro. Illud speciali prece deposcens, vt misericordiã Dei nostri assiduis petitionibus flagitens omnibus delictis meis, atque omnibus opitulantibus vobis consuetudinaria clementia & copiosa bonitate, delictis, & si non ad idem præmium, saltem ad eundem nos portũ quietis iubeat peruenire; vt quatenus hic propter spatia interiecta terrarũ oculis corporis sæpius nos vidẽre non possumus, vel ibidẽ de mutua præsentia gaudeamus, vt quãdo vobis à iusto Iudice retribuatur corona meritorum, mihi à piissimo
*M S omissorũ siue omissorũ.*
redemptore & aduocato perfectissimo † commissorũ venia non negetur, ipse ante iudiciũ peccatoris agere dignetur causam, ne in iudicio puniat culpã, quia nouit quippe omnipotens nec in bonitate clementiæ iudicij perdere veritatem, nec iudicij seueritate clementiæ amittere bonitatem. Et ideo per ineffabilem misericordiæ ac virtutis operationem nobis præstare dignetur, vt quos hic veritate conũgit, illic habitatione non separet; promissionem vestram recolens peculiariius rogo, vt fratrem POMERIVM, sanctitas vestra non solum non retineat, verum etiam ad nos venire compellat, partemque suam nobis indiuiduum vtriusque transmittat. Nec eum à vobis discedere, si ad me
*M S nobis indiuiduum per vtrumque.*
accesserit, iudicetis, quia & vos hic inueniet in me, & cum eo vos, residente corpore; vt confidimus, corde venietis. Sed & inde non paruum fructum habere poteritis, si rusticitas nostra doctrina ipsius aliquid in DEI timore profecerit.

9. *Domno animæ suæ & in Christo Domino visceribus excolendo Pomerio Abbati Ruricius Episcopus.*

SApientes sæculi amicos duos vnam animam habere dixerunt, quod ego etiam ecclesiastico testimonio verum esse confirmo, quod ait: Credentium autem
*Act. 4. 32.*
erat anima vna & cor vnum. Vnum vtique caritate, nõ numero; & fidei simplicitate, nõ singularitate personæ Hoc ergo prædico proboque, nam ex quo à vestra vnanimitate discessi, diuisum esse me sentio, partemque meam vobiscum resedisse cognosco Nec absentibus vobis, integrum esse me credo; & cum me in me non inueniã, apud vos me ad vos regressus inquiro; atque ibidem quantum me vobis reliquisse, tãtum vestri mecum abstulisse conspicio, & omnipotenti Deo gratias super tam admirabili facto eius refero, quod ita generali tribuere dispensatione dignatus est, vt inter eos,

A quos locorũ interualla discriminant, liber ac nullis cõclusus absentiæ legibus animus commearet; nihilque esset tam impenetrabile, quod mentis aspectibus non pateret; sed per cordis intuitum inde se inuicem cari, gratia intercurrente, conspicerẽt, vbi charitas ipsa cõsistit. Et ideo salutem plenissimè ergo me quantum propria mẽte conicio, pietati vestræ deferens, omni prece ambitione deposco; si nobis parem rependatis affectũ, si simili charitate nos diligitis, si aliquid in visceribus vestris amor noster operatur, si vsque ad medullas cordis vestri dilectio nostra peruenit, si ita vos pro me, quàm me pro vobis dulcedine potestatis edomuit, vt imperio ipsius nec possitis resistere, nec velitis; ad desiderantem

B fratrem desiderans quantocius venire festinabo, beneficio & promissum soluturus debitum, & mutuum mitigaturus affectum. Quia coram positi æqualem vobis gratiam de nostra contemplatione & cõlocutione præstabimus, tantumque, si, vt diligeris, diligis, à me retribuetur caritati tuæ, quantum tu meæ ipse detuleris. Nec sane inueniendo fatigationem poteris formidare.
*1 Cor. 13. 7.*
Quia vt ille dixit, vicit iter durum pietas. Et iuxta Apostolum nostrum: Caritas omnia sustinet, quæ nec quærit, quæ sua sunt, nec vnquam nouit excedere. Oportune etiam desideranti viatori autumnalis temporis congruit cum caritate temperies, si eam tamen præteritæ æstatis feruor accendat, non aduenientis hiemis algor extinguat.

C *Item Epistula domni Ruricij.* 10.

RELectis litteris meis, fortasse miraberis, quòd venerationi tuæ, Fratri, scripserim; cùm hoc nec ætati nostræ côueniat, nec honori, quia sicut me maior es natu, ita minor & gradu Et ideo si ad tuam, Deo propitio, longæuitatem, aut ad nostram respexissemus administrationem, aut, Patri scribere debueramus, aut Filio. Sed quia & S. Ioannes Apostolus in Epistola sua vnis eisdemque, & patribus, & iuuenibus scribit, &
*1 Ioan. 2*
pueris, dicens: scribo vobis patres, quia cognouistis eũ, qui ab initio est. Scribo vobis iuuenes, quia vicistis malignum, scribo vobis pueri, quia cognouistis Patrem.

D Qua discretione verborum non ætatem exterioris hominis, sed qualitatem interioris adsignat. In quantum enim in Dei cognitione ac dilectione proficimus, patres sine dubio nuncupamur, in quantum vero contra
*1 Pet. 5. 8*
aduersarium, qui tanquam leo circuit quærens quem deuoret, à viriliter dimicamus, iuuenes esse cognoscimur, in quantum vero socordiæ desidiæque committimur, & ad incedendam mandatorum viam fidei infirmitate deficimus, atq; ad contuẽda ac peragenda præcepta diuina à sæcularium actuum intentione quasi è somno segniores adsurgimus; rectissimè puerorũ lenitate censemur. Vnde & Apostolus Paulus ita commonet negligentem: surge qui dormis, & exurge à mor-
*Ephes. 5. 14.*
tuis, & continges Christum, siue illuminabit te Christus. Nam & Dominus in Euangelio, cùm ei à circum
*Matt. 12. 47.*
stantibus diceretur, Ecce mater tua, & fratres tui quærunt te volentes videre te. Ita respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens Apostolos, sequentes se, Nonne hi, qui faciunt volũtatem

E patris mei? Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam & S. Maria, quæ & Virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. Fratres vero ipsius efficimur, quando ita vitam nostram omni virtutum genere disponimus, fulcimus, ornamus, vt hæredes Dei esse possimus, & cohæredes Christi. Cui enim dubium, quod si hæredes Dei Pa-
*Rom. 8. 17.*
tris efficimur, rectissimè & fratres Christi dici, ipso adoptante, poterimus? qui nos plasmauit vt suos, redemit vt alienos; elegit vt seruos, adsciuit vt filios, plasmat enim nos potestate, redimit passione; præscientia adsciscit in

gratia. Nos tamen filij per adoptionem, ille solus filius per naturam; qui vt nos ad eandem, qua excideramus, beatitudinem reuocaret, cùm penitus non desierit esse, quod erat, voluit tamen esse quod non erat, vt verbum caro fieret. Et dum creator in creaturæ humilitate descendit, ad creatoris sublimitatem creatura conscendit. Quo fit, vt humanitati diuina communicent, & diuinitati humana participent, secundum illud Apostoli: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & *Philip. 2.6.* habitu repertus vt homo. Humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum, & *B* *2. Cor. 5. 16.* omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Vnde & ad Corinthios idem doctor scribens ait: Itaque nos neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus enim Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus, quia cessante in eo infirmitate corporea, totus creditur *Gal. 3. 28* in virtute diuina. Et ideo iuxta eundem Apostolum, quoniam omnes in Christo vnum sumus, fratres rectissime nuncupamur, quia nos & vnus vterus sacri fontis effudit, & eadem vbera matris Ecclesiæ, spiritu viuificante, lactarunt simul. Idcirco, Frater, scripsi, quia *Matt. 13 44.* & Deo propitio à sęculi actibus ad æternam beatitudinem te animam conuertisse cognoui, & imitatorem illius Euangelici negotiatoris effectum, qui venditis omnibus suis comparauit pretiosissimam margaritam, *C* *Matt. 13 44.* vel illius, qui reperto in agro thesauro, distractis, quæ habebat, vniuersis, agrum ipsum laudabili cupiditate mercatus est; non alienę possessionis importunus inhiator, sed propriæ facultatis prouidus distributor, caritatem, vtpote sincerrimam, retinens corde perfecto; non vt parcius venderet, sed vt largius fœneraret, super quo facto gaudeo, & Deo gratias ago, quod secundum diuitias bonitatis suæ atque virtutis, per inæstimabilem misericordiam suam propemodum, vt ita dixerim, contra sententiam suam venire dignatur. Quia cùm ipse dixerit, *Matt. 19 23.* difficile eos, qui pecunias habent, regnum adipisci posse cœlorum. Ecce te & his dignauit in sæculo, & prouehere festinat in regno, sed tamen idem dominus continuo rigorem prioris huiuscemodi sententiæ, quam Apostoli vehementius formidabant, misericordiæ suæ *D* moderamine temperauit, dicens: Quod impossibile esset in se hominibus per naturam, possibile Deo in eis esse per gratiam. quod in te; cui operi vt totis vsque impendiis pronus incumbas, pro affectu mutuæ caritatis admoneo, vt ita fabricæ turris illius, quam Dominus in Euangelio construi præcepit, strenuus ædificator *Matt. 14 28.* insistas, vt aduersarij tui habeant potius de eius perfectione quod doleant, quàm de intermissione, quod rideant.

11. *Domino sublimi semperque magnifico Fratri Præsidio Ruricius Episcopus.*

PLerique dum me apud indiuiduam mihi sublimitatem vestram non vitæ merito, sed amicitiarum *E* priuilegio multum posse confidunt, commendatitias à nobis quibus vobis excusentur, inquirunt: quas eis pro officij nostri necessitate negare non possumus; non præsumptionis audacia, sed ministerij disciplina. Dum & illis præsentis vitæ solatia, & vobis prouidere desideramus æternæ; vt & illi per patientiam vestram reseruentur ad pœnitentiam; & vos per misericordiam perueniatis ad veniam, sicut dicit scriptura. Quia *Iacobi 2. 13.* Iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam. Quia qui dixit: Dimitte, & dimittetur vo- *Luc. 6. 38.* bis, procul dubio, quem viderit hic facere quod præcepit, in futuro restituet, quod promisit. Nobis enim *A* illius veritas pręsto est; illi fides nostra non desit. Vnde manifestissime potestis aduertere absolutionem miserorum vestrorum, esse indulgentiam peccatorum; & hoc vestris conferendum precibus, quod vos præstiteritis alienis, iuxta ipsius in Euangelio sententiam, quo iudicio iudicaueritis iudicabitur de vobis. Ideoque *Matt 7. 2.* pro VRSO & LVPICINO, qui ad me, quasi vobis peculiariter, sicut superius dixi, caritatis iure deuinctum, pro criminum suorum intercessione venerunt, precator accedo; vt primum Deo, deinde nobis hoc *Vox mss. desa.* quod commiserunt donare digneris & † inferri; nec nos de eorum damnatione confundas, qui se absolutos esse cum ad humilitatem meam deducti sunt crediderunt.

*B*

*Et alia.* 12.

IN salo sæculi istius aduersis ac diuersis tempestatibus fluctuantem te ratem ad portum salutis tandem aliquando, Domino gubernante, applicuisse congaudeo, in cuius fida ac tranquilla statione compositus, æstus ipsius perfidi, & iniqui, & amari ridebis. Deinceps non timebis de quibus parum formidinis, ita multum gaudij habere iam poteris, quod eos vel retro derelictos respicis, vel in celsiori specula constitutus dispicis, & te euasisse miraris. Superest, vt clauo manum inferens, astra semper intentus aspicias, & ita cœptæ nauigationi velum pandas, ne te aut in altum vehementior flatus excutiat, aut in vicina littoribus saxa collidat. Neque etiam iuxta sententiam Domini Salua- *Luc. 9. 16* *C* toris iam stiuam tenēs aratri, retrorsum clamoribus Sodomæ conlabentis percitus forte respiciens Loth imite- *Gen. 19. 26.* ris vxorem. Aut de Ægypto iam profectus, & fluctus rubri maris dextra læuaque pendentes tantum tibi ferentes auxilium, & persequentibus te parantes exitium, Domino viam tuam & præparante & illuminãte, transgressus, & eremi arduum iter arripiens, ollæ carnium recorderis, aut cæpas, quæ in modum corporalium vo- *Exod. 16.3.* luptatum ipsa sui qualitate corrupta noscuntur, & fœtida, nec vsu grata, nec odore suauia, nec stabilitate mansura: quidquid in hoc sæculo mulcet auditu, mollescit adtactu, lenocinatur aspectu, blanditur vt capiat, famulatur vt teneat, illicit vt occidat. Nam quamcunque capere voluerit voluptatem: permanet quod puniat, præterit quod delectat: dulcedo fugitiua pertransit, conscientia damnatura vel damnanda subsistit. Inde *D* etiam dicit Salomon: Lingua meretricis mel stillat. In nouissimis autem diebus amariorem felle inuenies eam, *Prov. 5.3* quod tamen nihilominus & ipse cùm prædixisset, incurrit. Et ideo vide quod malum sit, frater carissime, quod dum detestatur, admittitur: dum refugitur, vix vitatur. Vnde & tu, sicut dicit scriptura, omni custodia serua cor tuum, & discute conscientiam tuam, ne vnde *Prov. 4. 23.* exisse videris aspectu, hæreat affectu: Sed dicas potius Domino cum Propheta: Adhæsit anima mea post te, me *Psal 62. 9* autem suscepit dextera tua. Vel illud etiam: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem *Psal 72. 28.* meam. Vt quanto labore: quantaque instantia militasti sæculo, seruias Deo: dicente Apostolo, vel monente: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Si- *E* cut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ *Rom. 6. 19.* & iniquitati: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ, quem ergo fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Patientia, frater carissime non nomine est suscipiēda, sed opere: non ore tantummodo agenda, sed corde. Verum est, quod sicut vtroque, hoc est, interiore & exteriore homine delinquimus, ita & vtroque pœnitere debemus: vt, sicut dicit idem Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore au-

tem

tem confessio fit ad salutem. Ita gemitus cor nostrum conscientia compungente concipiat, vt eos os nostrum A per confessionem confusionis effundat. Quinquagesimus vero Psalmus qui pœnitudini dicatus pariter & remissioni, die noctuque cum rugitu fletuque cantetur,
Ps. 37. 9. vt vere & salubriter dici possit: Rugiebã à gemitu cor-
Psal. 50. dis mei. Et: Iniquitates meas ego agnosco, &: De-
Ps. 37. 19. lictum meum contra me est semper. Vel illud etiam: quoniam iniquitatem meam ego pronuntio, & cogitabo pro peccato meo. Hic enim ante nos peccata no-
Esa. 43. 26. stra esse debent, vt in æternum contra nos esse non possint, quia ita legitur in Prophetis: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris, à quo priores dicturi sumus iniquitates nostras coram Domino vel prolaturi, nisi diabolo vtique, qui delictorum & incentor est & delator: Ipse enim vt peccemus instigat, ipse cum peccauerimus accusat, vt ideo in Confessione criminum à nobis B præueniatur in sæculo, vt contra nos habeat quod proferat in futuro.

13. *Beatissimis & in Christo venerabilibus fratribus Fœdamio & Vilico Presbyteris, Ruricius Episcopus.*

Fort. subdiaconum. Contuitum. QVamlibet literas fraternitatis vestræ per † subsidiaconem contuitum non perciperem, tamen has ego ac per ipsum ad vos affectu instigante direxi; vt & desiderio satisfacerem, & scribendi aditum prius prior tempore patefacerem, ne in posterum locus relinqueretur excusationi; & res voluntatis, diffidentiæ & verecundiæ esse diceretur. Salutem itaq; in Christo Domino plurimam dico beatitudini vestræ & spero, vt me, sicut decet Ecclesiasticos viros, nõ labiis, sed corde diligatis; & de me caritate sincera in alloquio pristinã dicere præsumatis. Quia si illa fuisset vera, permanserat, & si fuisset motata, mutata non fuerat. A cuius tamen fuerit parte mutata, & conscientiæ nostræ nouerint; & conscientiarum cognitor sine assertore cognoscit, quem ego testem adhibeo professioni meæ. Nec de initio simulatis me esse culpabilem, ne in corde meo quidquid actum est dictum verè sedisse, quia scio nobis ab æterno & vero iudice dictum, quod nisi ex corde dimiserimus fratribus, nobis dimitti non debeat. Habetis itaque sponsionem meam, reddite mihi fidem vestram, quia in Epistula mea procul dubio vinculum, quod elegeritis habetis; aut caritatis, quod salubriter constringat & custodiat; aut perfidiæ, quod culpabiliter innectat & perdat. Nec mihi aliquid de iudice prioris temporis imputetis, quia definitionis meæ est, in comitiis seruare concordiam, & in iudiciis tenere censuram. Illud etiam peculiarius gaudeo, quod vos in integram domini & fratris mei familiaritatem redisse cognoui. Superest, vt
Fort. mēdosa fort. in sequella. quod illius in bono tribuit gratia, vestra in domino custodiat † insequilla.

14. *Dominæ venerabili & in Christo Domino magnificandæ filiæ Ceraunia Ruricius Episcopus.*

Fort. refovit. VT pictorem verbis antea non transmitterem hæc † refecit: quia aduentu noui iudicis te occupatam esse credidi, atq; ita deterritam, vt de his rebus cogitare non posses, sed quia Deo propitio vos & litteris & relatione vestrorum ex sententia agere ac valere cognoui, salutatione prælata, pictorem; quamlibet hic esset occupatus, cum discipulo destinaui, quia malui meæ detrahere necessitati, vnde vestræ satisfacerem petitioni. Sed quia & propositum vestrum & nostrum poscit officium, his venerationem vestram paucis monere præsumpsi, vt ex opere illius ad agendam pœnitentiam, & noua noui hominis vestimenta sumenda capias exemplum, quo facilius in te Adam vetustus intereat, & viuificator exurgat, quemadmodum ille parietes variis colorum fucis multimoda arte depingit, ita vos animam vestram, quæ est templum Dei, diuersis virtutum generibus excolatis, vt vere de spiritali domo ve-
Ps. 25. 8. stra spiritualiter cum Propheta dicere possitis. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quia secundum ipsius Domini nostri
Act. 7. 48. sententiam. Non in manufactis habitat Deus, nec in
Act. 17. 24. tabernaculis viri beneplacitum et, sed beneplacitum est ei super timentes se & in eo, qui sperat in misericordia eius. Et ipse iterum nos per Prophetam docere dignatur: Cœlum mihi thronus est, terra autem scabel-
Isa. 66. 1. lum pedum meorum, quam mihi sedem ædificabitis, aut quis erit locus requietionis meæ, nonne hæc omnia fecit manus mea? aut super quem alium respiciam, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Et ipse in Euangelio Dominus clamat: Ve-
Matt. 11. 28. nite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego B reficiam vos, & reliqua quæ sequuntur. Et ideo in Christo Domino carissima soror ac filia pristinæ conuersationis ambitione deposita, humilitatem debes cordis induere, misericordiam indigentibus fœnerare, castitatem non solum corporis, sed animæ procurare, quod adiuuante Domino vt adquirere valeas pariter & custo-
Gen. 2. 15. dire, ieiunandum est sæpius, & semper orandum, quia Adam paradisi & custos delegatur & colonus, scilicet vt haberet operandi materiam libertis arbitrij, & quod orationum obtinuisset industria, parcitatis abstinentia custodiret. Sed quoniam neglexit sibi seruare ieiunium, per concupiscentiam vetitam amisit & vitam
† Zorobabel. 2. Esdr. 4. 2. & immortalitatem, sub † Hierobabel muros Hierusalem reuersi ad captiuitatem reparabant cum eis esset C contra alieoigenas pro eorundem murorum restaurartione certamen, operabantur dextra, & sinistra pugnabant: scilicet scutum fidei læua contra aduersa-
Ephes. 6. 16. rios prætendentes, & dextra bonorum operum tanquam lapidum compositorum mœnia construentes, sed & ipsi viri qui ædificabant cum Prophetis suis super lumbos cincti operabantur, quod & Dominus in
Luc. 12. 35. Euangelio obseruare nos præcipit dicens: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ vestræ ardentes: præcinctus est lumbis, cuius caro castitati militat, & non libidini, & mens illius tanquam ardens lucerna præ-
1 Cor. 10. 6. fulget, quam præceptis suis Christus accendit, quia hæc omnia secundum Apostolum in figura nostri facta sunt, scire nos conuenit, quod quamdiu sæculi actibus sumus occupati, tanquam Babyloniis & Regi eorum D captiui à Iudæa producti in hostium regione seruiuimus, vnde per pœnitentiam ad patriam, hoc est, ad cœlestem Hierusalem matrem omnium fidelium reuertentes, debemus omni virtutum genere reparare collapsa, sarcire discissa, delere præterita, cauere præsentia, parare ventura; vt per benignitatem Domini à pristinã peccatorũ captiuitate distracti, non Babyloniorum Regi, sed regi Cœlorum Christo in Hierusalem, quæque congregationi Sanctorum ædificatur ciuitas, seruiamus. Et idcirco faciem nostram debemus magis
Ps. 101. 10. lacrymis rigare, quam lauacris, vt dicere cum Propheta possimus: Quia cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Debemus corpus nostrum indefessis vigiliis & continuis edomare ieiuniis, vt verum exercentes inter animam car- E nemque iudicium, non caro dominetur spiritui, sed spiritui caro victa deseruiat. Cuius rei exemplum nobis Dominus dum per angelum ad Agar Saræ ancil-
Gen. 16. 9. lam loquitur, dicit, quæ dominam suam deserere maluerat, quam audire, dicens ei: Reuertere, & esto subdita dominæ tuæ. Vt his laboribus omnibus & bonis operibus dedita possis esse & conuersatione perfecta,
Matt. 23. 9. & confessione deuota, & in regno patris tui, illios, de quo Dominus in Euangelio dicit, Nolite vobis vocare patrem super terram, vnus enim est pater vester; secundum nomen tuum in illa beatorum turbã vera splende-
Matt. 5. 16. re CERAVNIA & vocabuli tui auctor existere: de quo splendore operum Dominus dicit: Sic luceat lux

Iacobi. 3.17. vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,
& magnificent, non vos, sed Patrem vestrum, qui in A
cœlis est, Cuius est & vt detur, & omne quod datur.
Quia iuxta Apostolum: Omne datum bonum à sursum
de Patre luminum descẽdit, à quo & volũtas tribuitur,
& præstatur effectus. Quia pœnitentia non nomine
tantum obtinenda, sed actu est exequenda. Pœniten-
tia non est nomen otiosum, quæ ex qualitate operis pos-
sidet laboriosa vocabulum. Non enim potest pœnitens
dici, qui pœnitenda committit, sed ille, qui præterita
peccata vel maculas homilitate cordis, subiectione cor-
poris, bonorum operũ sedulitate, assiduitate orationum,
continuatione gemituum, pectoris contusione, lacri-
Detergit matum profusione.† detegit; vt possit dicere cum pro-
Ps. 78. pheta: Ne memineris iniquitates nostras antiquas,
vtique non quotidianas. Et illud: Laboraui in gemitu B
Ps. 6.7. meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. Et: La-
crimis meis stratum meum rigabo. Et iterum: Rugie-
bam à gemitu cordis mei. Et iterum: Quoniam iniqui-
Ps. 37.9. tates meas ego pronũtio & cogitabo pro peccato meo,
Ps. 37.19 Sint ideo hic crimina nostra ante nos, & contra nos, vt
in die iudicij esse non possint, & illud etiam hic positi
cum fiducia dicere mereamur: Delictum meum ego
Ps. 31.5. cognosco, & in iustitias meas non operui, Dixi pronun-
tiabo aduersus me iniustitias meas Domino, & tu re-
misisti impietatem cordis mei. Certum est quod in
quantum tibi de priori conuersatione displicueris, in
Ps. 140. tantum Domino placebis, & in quantum tibi placue-
7. ris, illi sine dubio displicebis, qui dicit; Quoniam dissi-
pat ossa hominũ sibi placentium. Et ideo tanquam seue-
rissimi censores culpas nostras in nos ipsi districtius vin- C
dicemus, ipsi nobis per diuersos corporis cruciatus tor-
tores quodammodo existamus & iudices; & in illo iustæ
examinationis tempore non habeat in nos Regis sen-
tentia, quod damnet, quos iam hic castigationis vitæ
disciplina correxit, quia iustus & misericors iudex bis
non iudicat in idipsum, hoc est, ei se exhibet mitem,
quem inuenerit hic esse præ peccatorum satisfactione
crudelem; illi benignum, quem in hac vita cognouerit
sibi fuisse districtum; secundum illud euangelicum: Qui
Matt. 10.38. perdiderit animam propter me, inueniet eam. Vel il-
lud: Beati qui nunc lugetis, quia ridebitis. Breue est
Luc. 6.21 enim omne, quod in hoc mundo agitur, siue bonum,
siue malum, sicut experimentis Dominus aut promisit
aut voluit iam probari. Et idcirco ad sustinendas pro
Dei amore pressuras constantes esse debemus, quia si D
ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum læ-
Ps. 29. titia subsequitur, itaque nunc seramus in lacrimis, quod
6. tunc metamus in gaudiis. Hæc pauca ad confortan-
dã fidem vestram pro exhortationis solatio dicta suffi-
cium, quæ licet ipse non faciam, tamen vt & vos agatis
Ps. 125. exhortor, scio enim exhortationi positam esse merce-
6. dem, quia legimus: Flete cum flentibus, & ne forte tu
in iudicio diceres: Quæsiui qui simul mecum contrista-
retur, & non fuit, & consolantes me, & non inueni.
Rom. 14. 15. Perfectiora vero atq; maiora in scripturis diuinis, vnde
Psal. 68. 21. ista decerpta sunt, instrumenta perquire, si vis aut cœ-
pta perficere, aut ad pollicita peruenire. Dabit tibi ta-
liter quærenti Dominus scientiam pariter & virtu-
tem, vt & lecta intelligas, & intellecta custodias. Nam E
pater orphanorum & arbiter viduarum cum te de se
tantum sperare comperrit, & pupillis tuis tribuet pa-
terna pietate præsidium, & te remuneratione iudicis
perducet ad præmium.

*Domino sancto & Apostolico ac mihi præ ceteris in Christo Domino cultu affectuque peculiarius excolendo patrono & Papæ Aeonio Episcopo Ruricius Episcopus.*

15. ANte paucum tempus litteras vestræ sanctitatis
accepi, quibus etiam de inofficiositate tanti ha-
buistis affectuosius commonere, dicentes: Nihil caritate
præstantius. Quod ego valde verum esse confirmo, &
secundum Apostolum, illam caritatem dico esse perfe- A 1. Tim. 1.5.
ctam & sublimem, quæ de corde puro, & conscientia
bona, & fide non ficta procedit, quæ iuxta eundẽ Apo- 1. Cor. 13.
stolum patiens est, benigna est, quæ non inflatur, non 4.
æmulatur, non quærit quæ sua sunt, non gaudet super
iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit,
omnia sperat, & inde est quod nunquam cadet. Patiens
est, quia contra tentationes sæculi vel procellas in Deũ
defixa perstat immobilis; benigna est, quia proximo-
rum profectibus delectatur; non inflatur, quia non su-
perbit humili; nõ æmulatur, quia inuidere nescit æqua-
li; non quærit quæ sua sunt, dum iuxta Domini senten-
tiam sibi etiam minimos anteponit, & aliorum com-
moda suis mercatur incommodis; nõ gaudet super ini-
B quitate, quia lætari nisi fratrum prosperitate non nouit,
congaudet autem veritati, quia amicum sincera, non fu-
cata dilectione veneratur, nec falsa adulatione subsan-
nat, sed vero honore concelebrat. Omnia credit, quia in
diuinis mandatis promissisque confidit; & ideo omnia
sperat, quia pro minimis magna, pro caducis perpetua,
pro temporalibus æterna sibi retribuenda nõ ambigit.
nunquam cadit; quia humilitas habere non potest ca-
sum, cum habeat semper ascensum, & eum iugiter ex-
celsa mediterur, habitare tamen in sublimibus non præ-
sumit, cum conuersatio eius habeatur in cœlis, ipsa ta-
men videtur adhærere terrenis; excelsa opera mẽte de-
iecta habens, vnde glorietur in Domino, nec tamen ex-
tollatur in sæculo. Hæc quia iussisti scribere, non pro
eruditione nostra, sed pro dignatione vestra præsumpsi.
C Vestrum vero est nos edocere verbis, & ad hanc eandẽ
caritatem prouocare semper exemplis, quia dilectio,
quæ ante cognitionem mutuo inter absentes epistu-
latio inchoato sermone semper & fota est, debet au-
geri corporali visione, non minui, & crescere intuitu,
quæ cœpit affatu.

*Domino sublimi semperque magnifico fratri Turentio Ruricius Episcopus.* 16.

EXigit solliciti cordis affectus, vt imperitioris pro-
matur affatus, nec erubescit rusticitatis oppro- 1. Ioan.
brium, dum modo impleat caritatis imperium, sicut san- 4.18.
ctus Apostolus dicit: Perfecta caritas foras mittit timo-
rem. Quia longè melius est proximum diligere sincerè,
D quàm prędicare perfectè. Siquidem multo plures inue-
niuntur in mundo eloquentiæ lepore præditi, quam di-
lectionis vigore perfecti. Quia sicut quod bonum est,
rarum est, ita arduum, quod æternum. Procliuis namq; Matt. 7.14.
iuxta Domini sententiam, & trita via est, quæ præcipitat
in gehennam; arctior vero & difficilior, quæ sublimat
ad gloriam. Quæ causa nisi quia illa multi gradiuntur,
hac pauci? & ideo imminente iam præsentis æui ter-
mino, & senij die vsquequaque vicino, sicut nos etiam
docet cæsaries detonsa, vel conuenit, ne in veteribus
annis iuuenilia facta meditemur, atque in confecto
corpore, & corde decrepito adolescentiæ regnet cupi-
do, de qua iudicij tempore in illo tremendo æternæ dis-
pensationis examine, quando ille omnium mortalium
E testis & iudex non solum merita ponderaturus & facta, Matt.
verum etiam verba est discussurus & vota, iuxta pollici- 10.41.
tationem suam, aquæ frigidæ præbitione daturus est Matt. 12.36.
præmium, aliis de otiosi verbi leuitate supplicium, reos
nos etsi non de perpetrati facinoris voluptate, saltem Matt. 5.
de concupiscentiæ, voluntate constituat. Quia qui vi- 28.
derit mulierem ad concupiscendum iam mœchatus est
eam in corde suo, quod & de rebus omnibus aliis simi-
liter obseruare nos conuenit, vt singulis appetentiæ par-
tibus imbecillis huius corporis amputatis talibus mẽ-
bris, sic debiles, vt tamen integri potius intueamus
in regnum, quasi salui, & tamen perditi, in æternum Gal. 6.
proiiciamur incendium. His omnibus salubriter per- 10.
tractatis & ratè perspectis, dum tribuuntur induciæ,
declinemus

declinemus à malo, & bonum incessanter operemur, obliuiscamur præterita, contemnamus præsentia, futura cupiamus, obliuiscamur in factis, recordemur in conscientiis, vt omne peccatum nobis moriatur in vita, viuat in pœnitentia, nunc seminemus in fletu, quod postmodum metamus in gaudio. Quia tempus huius vitæ tempus est operis, dies verò retributionis tempus est messis, quando sine dubio hoc vnicuique
Gen. 30. B. apparebit in germine, quod nunc spargit in semine, sicut ait quidam sanctorum: Respondebit mihi cras iustitia mea, Cras vtique diem resurrectionis appellans. Hæc vos, fratres optimi, non Pontificali authoritate, sed fraterna pietate fidenter scribere vnanimitati vestræ, caritate dictante, præsumpsimus, qui vt vobis vel circa vos non dictatoris ingenium, sed germanam probaremus affectum. Salutem itaque dicens, rogo, sicut promittere dignari estis, librum nobis S. AVGVSTINI de CIVITATE DEI per portitorem harum sine dilatione mittatis. Cuius dum nos lectione ædificatis in terris, vobis eiusdem ciuitatis habitacula præparetis in cœlis, ad quam tamé aliter peruenire non possumus, nisi caritatis gradibus conscendamus. Quia ipsa est eminentior via, quæ vos & in hac positos sociat DEO, & de
Psal. 83. 8. posita perducit ad DEVM, de qua etiam Propheta testatur, Ambulant de virtute in virtutem: videbitur DEVS deorum in Sion. Quamobrem hic collyrio bonorum
Matt. 5. 8. operum oculos cordis acuamus, vt illic DEVM videre possimus, quia secundum Euangelium, Beati mundo corde, quoniam DEVM videbunt. Ac proinde oportet hic interioris hominis præparetur intuitus, vt illic non hebetentur obtutus.

*Domino sancto, ac beatissimo, & mihi peculiari cultu affectuque specialiter excolendo Papæ Sedato Episcopo Ruricius Episcopus.*

17. CVlpatis me sæpius, & crebrius imputatis, quod indiuiduæ mihi in Christo Domino beatitudini vestræ hucusque non scripserim, Vtinam sic esset facultas faciendi, sicut est voluntas scribendi, & caritas, quæ corde concipitur, ore promatur. Sed vbi deest effatus, siler affectus, & intra latebras pectoris contenta est sui conscientia, se non esse in dilectione culpabilem, etsi in officiorum redhibitione se non cernit æqualem. Quia confidit quod sicut ipsa amorem fratris in se sui coniectione præsentiat, ita & diligens frater eum similiter possit ex sua dilectione cognoscere. Quia nulla re melius aliorum cordium secreta, quàm arcanorum contemplatione metimur. Tãtum enim nos caritate diligimus. Parui itaque petitioni vestræ, parui iussioni, vt qualibuscunque sermonibus contexta vobis scripta transmitterem. quæ vos, si nos simpliciter, vt confido, diligitis, aut cõfestim delebitis, ne quod vobis cordi est, aliis incipiat esse despectui. quia non æquali iudicio amor audit, & odium. Aut certe vobis tantum relegenda seruabitis, vt quoties in vobis videndi nos caritatis ignis exarsit, desiderium vestrum eorum colloquio temperetis. Quin etiam vt amoris nostri circa vos sinceritatem plenius nosceretis, iniuriam inferre præsumpsimus, quia certi sumus, quod nõ tam diserta cupiunt audire, quàm fortia; non tam voluptuosa, quam vera. Quapropter credimus, quòd pietati vestræ nec lõgitudo paginæ nostræ adferat satietatem, nec rusticus sermo fastidium; scientes quod quanto nos amplius ruminaueritis, tanto esuriatis ardentius.

## SANCTO RVRICIVS CLIENS Patrono.

18. SEDATO, *monitis parens paternis,*
*Grates concinit, & refert salutem*
*Quem blandis precibus rogat, timendo,*



*Ne fors displiceat leuis camœna,*
A *Tanti iudicio minor magistri.*
*Hoc tu luminibus libens † reuersa,* † Alias, certe.
*Hoc sanctis manibus frequens reuolue,*
*Hoc tu dum relegis, mei memento,*
*Me semper recolat, canatque lingua,*
*Et mens me teneat, sopor retentet,*
*Me semper recinat tuum libellum.*
*Hos tu visceribus piis reconde.*
*Hos tecto residens, viamque carpens,*
*Hos inter calices, foro recumbens.*
*Et parcas epulas, cibosque dulces,*
*Antro pectoris & medulla cordis*
*Inclusos recita, canente mente,*
*Sic nos & mutuos videre vultus,*
B *Et viuis tribuat referre verbis,*
*Quæ nunc intima pectoris fatigant.*
*Largitor Deus omnium bonorum.*
*Christus cum Patre sempiterno regnans*
*Sancto spiritui dignante hymnos,*
*Finiunt versus.*

*Domino indiuiduo semperque magnifico filio Rustico Ruricius Episcopus,*

INquietudinem mihi ab aliis, & vobis à me facit amicitia communis, quia qui me apud vos, non dico multum, sed omnia posse, confidunt, ad ecclesiolam nostram pro sua securitate confugiunt, quorum non possum non & condolere gemitibus, & precibus obedire. 19.
C vt pro ipsorum quidem reatu, sed & pro vestro pariter profectu, potestati vestræ attentius supplicem. Nec mireris, quod dixi illorum reatum ad vestrum pertinere profectum. Siquidem illorum indulgentia, vestra fit venia. Sicut & inopum indigentia, largientium esse noscitur copia. Hoc enim nobis retribuetur in iudicio, quod præstiterimus in sæculo dicente ipso Domino: Dimittite, & dimittetur vobis, date & dabitur vobis: & iterum: si dimiseritis hominibus, & pater vester dimittet vobis peccata vestra. Luc. 6. 38. Matt. 6. 14. Vnde euidenter agnoscimus Deũ nostram sententiam suam in nostra posuisse censura, qui precum nostrarum misericors & iustus auditor potestati suæ de nostra lenitate præscripsit; vt in eos quodammodo non haberet ius seueritatis, quos hic auidos non perspexerit vltionis. Quia quod ipse est, hoc & nos
D esse desiderat, misericors est; misericordes quærit dicens: Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est. Matt. 5. 43. Quotidie veniam peccantibus & supplicantibus tribuit; Ideo & indulgentiam à peccatoribus poscit, vnde & oratione Dominica ipsius dicimus doctrina: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Matt. 6. 12. Eccl. 28. 3. Quibus verbis durissimis nos vinculis illigamus, nisi quod pollicemur implemus qui & per Prophetam sic dicit: Homo homini reseruat iram, & à Domino quærit medelam. Quapropter pro BAXONE, qui ad † ecclesiam vsercæ confugit intercessor accedo; sperans vt primum pro Dei timore, deinde pro nostra intercessione ipsi parcere dignetis. Cuius absolutione & in nobis tollere confusionem, & vobis potestis comparare mercedem. † Fort. Ecclesia visceta vel vicetum.
E

*Ruricius Episcopus Capilluto filio salutem.*

INgrata mihi est frequentior ægritudo vestra; quæ mihi etiam videtur esse commotio diuina, qua mauult Dominus noster pro sua pietate largissima peccatores castigare, quàm perdere; vt quos annorum suorum ætas longæua non † conuenit, vel conuincat infirmitas, vt deponant sæculi byssum, & sumãt ecclesiæ vestimentum, quod est cilicium, contritionis indicium. Quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Ille enim vadit ad cœlum, qui se collidit ad solum; quia qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. 20. † Forte cõmonuit vel correxit. Psal. 50. Matt. 13. 12.

Psal. 118. 25. Vnde & dicit pœnitens ille perfectus : adhæsit paui-
mento anima mea, Domine viuifica me secundum ver-
bum tuum. Quid est, secundum verbum tuum, nisi se-
cundum promissionem tuam ? quod qui coram te pec-
cata sua defleerit, compunctus in mundo, tu eum per-
ducis in regno, vbi possit deinceps cantare securus? Au-
diuit Dominus, & misertus est mihi : Dominus factus
est adiutor meus. Conuertisti planctum meum in gau-
Psal. 29. 12. dium mihi : conscidisti saccum meum, & præcinxisti
me lætitia. Vnde suadeo pietati vestræ, vt quod cogita-
stis, celerius, Deo adiuuante, faciatis, quia mors non
tardat, ipso Domino dicente : Ne tarderis conuerti ad
Eccl. 5. 8. Deum, nec differas de die in diem; subito enim veniet ira
eius & in tempore vindictæ disperdet te. Ideoque dum
tempus habemus, conuertamur ad Dominum, vt non
cum hoc mundo damnemur. Quia sine dubio illi mise-
ricors Deus suum præstat auxilium, quem circa præce-
pta sua cernit attentum.

*Ruricius Episcopus Eufrasio Episcopo.*

21. GRatias ago sincerissimæ in Christo Domino ger-
manitati vestræ, quòd perlato tędio ad vos nostro,
confestim nos litteris vestris visitare tanti habuistis, qui
dum infirmitatis nostræ sollicitudinem geritis, sancta-
tem vasti pectoris approbatis. Quia sicut ipsi melius
nostis, finis præcepti est charitas de corde puro, & con-
1. Tim. 1. 5. scientia bona, & fide non ficta. Et qui visitat infirmum
in dilectione firmatur. Vnde peculiarius spero, vt quem
requiritis affatibus, orationibus adiuuetis. Redeũtibus
itaque gerulis litterarum reddo mutuum sospitationis
officium, & sicut ad vos rumor peruenit, sufficiẽter me
secundum miserationem diuinam, non secũdum meri-
Psal. 79. 6. ta mea tribulatum esse significo. Quia ipse qui cibat la-
crimis in minima mensura, castigationi, iuxta pietatem
suam, pro imbecillitate nostra, modum statuit, ne infir-
mitas nostra in manus suæ correptione deficeret. Ideo-
que propitia miseratione sua iam commodiorem esse
me nuntio; consolationem vobis vestri mœroris pagina
deferente transmittés, vt qui estis laboribus nostris pro
caritate compatientes, sitis lætitiæ in Dei nomine de re-
cepta incolumitate participes, ipsius lectione dispono.
Ora pro me.

*Domino deuinctissimo semperque magnifico Vero, Ruricius Episcopus.*

22. REłectis litteris pietatis vestræ, Deo gratias egi,
quod vos prius reualuisse, quam infirmatos esse
earum relatione cognoui. Quod vobis tã frequenter ac-
Prou. 3. 12. cidere, propitio potius Deo, quàm offenso cõfido. Quia
quem diligit Dominus, corripit, castigat autem om-
Heb. 12. 6. nem filium, quem recipit. In diuina itaque vos disci-
plina susceptos sedula admonitio & mitis ostendit. quia
paterna clementia mauult per multimoda incommoda
negligentem corrigere filium, quam punire peccãtem;
mauult nutantem ac dubium ad seruitium suum habe-
nis piæ moderationis attrahere, errabundum & per sæ-
culi præcipitia lapsantem acriore verbere coërcere. Ipse
Luc. 15. est enim indulgentissimus paterfamilias, qui animam
suam ponit pro ouibus suis. Ipse est bonus pater, qui
ouem perditam ad caulas Dominicas mauult propriis
humeris reportare sollicitus, quàm stimulis vrgentibus
reuocare districtos. Ipse est pater pius, qui male pro-
Luc. 15. digo filio, & perceptæ substantiæ decoctori, ad se vel
sero redeunti non solum crimina anteriora non impu-
tat, verum etiam præmia amissa multiplicat, dum vlnis
fouet, osculis permulcet, muneribus ditat, doctrina
confirmat non tantum ad eius indignatus abscessum,
quantum lætatus ad reditum. Ipse enim horum om-
nium nominum in se effectus affectusque suscepit, vt
Heb. 1. 1. sicut dicit Apostolus, multifariè multisque modis nos
erudiret verbis, instrueret disciplinis, prouocaret bene-
A ficiis, informaret exemplis, reconciliaret prece, redi-
meret passione, viuificaret morte, immortalitate do-
naret, iustificaret resurrectione, ascensione portaret. Rom. 5. 10.
& reconciliatos per sanguinem suum, in eam, à qua ex-
cideramus, Patris gratiam reformaret. ipse enim est
apud patrem propitiatio nostra sine cessatione sugge- 1. Ioan. 2. 2.
rens pietati suæ, Pater non solum pro his rogo, sed pro Rom. 8.
his qui credituri sunt in me per verbum illorum, Pater 34.
volo, vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Pater ignosce Ioan. 17. 20.
illis, nesciunt enim quid faciunt. Ipse nobis quotidie
per Apostolum suum clamat : Nolite diligere mũdum, Ioan. 17. 24.
neque ea quæ in mundo sunt; qui enim diligit mun- Luc. 23.
dum, non est caritas Patris in eo, quia omne quod in 34.
mundo est concupiscentia carnis, concupiscentia ocu- 1. Ioan.
lorum, & superbia vitæ humanæ, quæ non est de Patre, 2. 16.
B sed de mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia
eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in ætet-
num, sicut & Deus manet in æternum. Ipse in Euan- Matt. 11.
gelio blanditiis inuitat, muneribus prouocat, adhorta- 28.
tione sollicitat, dicens : Venite ad me omnes, qui la-
boratis, & onerati estis, & reliqua, vt quasi iugum sa-
lutaribus subdentes colla præceptis, salutari suo liber-
tatis & misericordiæ currui subiungamur, & ideo au-
deremus reuocantem sequi, audire clamantem, blan-
dientem modo non spernere; ne sentiamus postmo-
dum iudicantem. quo iudicio? Sicut ipse in Euangelio
præmonere & docere dignatus est : Cùm in maiesta- Matt. 19. 28.
tis suæ sede consideret, quando non solum merita pon-
deraturus & facta, verum etiam verba est discussurus
& vota. quem hic nunc videtur salutaria sua præce-
C pta negligere, & admonitiones suas saluberrimas su- Matt. 25. 3.
perba mente contemnere, non solum cum stultis à
ianua regni cœlestis excludet, verum etiam partem Luc. 12. 46.
ipsius cum infidelibus deputabit; vt cum quibus habet
in sæculo societatem, cum iisdem in æternum habeat
portionem.

*Filio Constantio Ruricius Episcopus.*

QVamlibet Baccho, symphoniis, & diuersis musi- 23.
cis, nec non etiam & puellarum choris te dedi-
tum esse cognouerim, Tamen quia bonum est ab his,
dum peruale feruet adolescentia, aliquoties respira-
te, & magis Domino vacare, quàm Libero; parenti-
bus quoque operam dare, quàm cantibus; moneo vt
D crastino, quod erit quarta feria brumæ, temporius ta-
men, quod te facturum minime credo, mihi ieiunus oc-
curras.

*Eiusdem alia.*

ALiud mihi, Deo teste promiseras, quod ipsum de- 24.
beres colere, non † Ianuum; cuius criminis etiam
me vis esse consortem, vt ego ad hunc errorem colen- Videtur esse scripta ad eundem Constan.
dum delicias subministrem, & oleum incendio super-
fundam. quod neutro nostrum noueris expedire. Sed
dices fortasse, Pollicitus es. Quo ore à me promissa per-
quiris, cùm tu sacramenta violaueris? Vnde dabis ve-
niam meæ promissioni, quamdiu te huic seruire cogno- tium. Fort. a num.
E uero † partioni. Ne confirmare videamur factum, cuius † fort. portioni, vel, personæ.
reprehendimus pactum; & simus scandalo, † cuius esse † f. quibus.
debemus exemplo.

*Ruricius Apollinari suo salutem.*

QVia nostri curam semper gerere pro mutua cari- 25.
tate dignamini, indico sollicitæ pietati, & piæ sol-
licitudini vestræ, nos non paruum quidem, sed, Deo
propitio, voluptuosum à vobis reuersum; sumpsisse ne-
gotium, quod nobis plurimum prodesse possit, si ant
inuentionem intellectus, aut intellectum sequeretur in-
genium. sine causa enim solis ortum cæcus expectat. Il-
le quidem videntibus semper exoritur; non cernen-
tibus

tibus vero iubat ipsius, quasi nubibus semper operitur. Sollium enim nostrum domnum patremque communem, quem transcribendum sublimitati vestræ dedisse me dixeram, legendum recepi. Cuius lectio sicut mihi antiquum restaurat affectum, ita præ obscuritate dictorum non accendit ingenium, quamlibet ipsum post tam longi temporis spatium caritatis igniculum scintillis suis inter obliuionis fauillas vtcunque relucentem, nonnunquam & suspitiosis fletibus excitemus, & interdum dulcibus nobis fletibus irrigemus; quo tamen illo imbre perfusus quanto magis inficitur, tanto magis incenditur, quia per lacrimarum copiam desideriorum atque affectuum crescit flamma, non deficit. Hunc ergo, si Dominus piæ definitioni vestræ tribuet, vt fauor effectum, vobis præsentibus percensere festino & effici discipulus de magistro, quia non me pudet etiam in hac ætate, nec piget discipuli arripere industriam, dummodo affecta ætate artis consequar disciplinam. Prius enim quilibet debet discere, quàm docere. Qui a præproperè doctoris vsurpat supercilium, nisi discipuli susceperit ante famulatum. Quid enim iustius, quàm vt ipse sis paterni inceptes eloquij, qui vniuersa quæ ille conscripsit, non tam de codicis membrana, quàm de cordis potes pagina proferre, cuius vns esse filios non solum generositate prosapiæ, verum etiam & eloquentiæ flore, & omni virtutum genere comprobatis: Quæ bona vobis non tam doctrina contulit, quam natura. Quia riuus de fonte prorumpens licet fluendo proficiat, & plenitudinem currendo conquirat, auctori tamen vnde sumit vocabulum, debet & meritum, quem si diuina clementia vsque ad hoc tempus superesse voluisset, sicut iam tum de vestra imitatione lætabatur, ita nunc de perfectione gauderet; cùm spem ad rem cerneret peruenisse; nec sibi inuideret æqualem, quem optauerat esse meliorem.

*Sodoni intelligere, quē Solimu alij vocant.*

### *Item Eiusdem Alia.*

26. Qvamlibet per diaconem Lvstvm non meruerim litteras benigni pectoris & facundioris accipere, quibus & erudiretur ingenium; & desiderium pasceretur. Ego tamen quia malo affectuosus rusticus, quàm verbanus impius iudicari, scribendi opportunitatem, mihi perire non passus sum; vtpote qui mihi nollem non dicam occasionem scribendi, sed nec videndi vos, vnius saltem horæ spatium deperire. Ideoque salue plurimum dico; & rogo, vt sine communi detrimento, & vtriusque compendio, nos semper, opportunitate porrecta, litteris vestris inlustrare dignemini. Quia quod nobis in affectu impenditis, non expenditis; quod tribuitis, non amittitis; & quod nobis in charta transmittitis, vobiscum in corde retinetis.

### *Ruricius Ommacio suo salutem.*

27. Sic à pietate vestra discessi, quòd à vobis penitus non recessi, in eadem vos parte hominis interioris exhibui, in qua vobis remansi. Scio quia ibidem remansi, vnde me nec insidiator antiquus potuit, neque recens † consiliarius excludere. Vnde etiam sententia illius vos sapientissimi Salomonis admoneo: Fili ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veterascet, & cum suauitate bibes illud. Et ideo nos veterascamus in amicitiis, & de die in diem affectibus innouemur, quod si amicus relinquendus non est, quanto magis pater, qui erudiit, qui nutriuit, qui adiuuante Domino ad sacerdotium vsque perduxit: cui fortasse etiam iuxta diuinam misericordiam lucis istius debent vsura. Sed hæc ego beatitudini tuæ scribo, non quasi aliquid imputans, aut exprobrans, sed vt filio carissimo, quem sine vllo næuo cupio in hoc mundo am-

*Ecclesiast. 9. 14.*



pietatis incedere, & purum atque immaculatum in illo die iudicij coram Deo, & angelis eius, ac congregatione carnis totius apparere. Saluto itaque vnanimitatem tuam, & rogo, vt pro me orare digneris, simulque cùm oportunum vobis fuerit, nos tanti habeatis visitare, Vale.

### *Ruricius Eufrasio suo salutem.*

Miror sanctitatem vestram post tantorum & talium virorum iudicia potius, quàm rescripta, inscitiæ meæ quæsisse sententiam, quod vos magis pro necessitudine, quàm necessitate fecisse coniicio; ne cuius tanti habetis præcipuum in animo tenere cultum, videremini in negotio prætermisisse consensum. Vnde gratias ago indiuiduæ mihi in Christo germanitati vestræ, quod ita de nobis præsumere & iudicare dignamini, vt nihil habeamus aut in caritatis simplicitate subdolum, aut in veritatis puritate fucatum. Reddo itaque debitum vnanimitatis officium, & de causa, qua mihi scribere dignati estis, idem me quod & fratres nostros sentire significo. Sed quid facto opus sit, vel quid mihi potissimum fieri & debere videatur, per Diaconem vestrum verbo fideliter intimaui quia... mi fuit litteris indicare. Ora pro me. 28.

### *Ruricius Eracliano suo salutem.* 29.

Qvi se reum de officio esse cognoscit, prius supplicare debet, quàm audeat salutare. Quia sicut importune occurritur imputanti, ita oportunè remittitur confitenti. Et ideo nos nostram in palam produximus noxam, vt facilius peruenire possimus ad veniam, quia non relinquitur locus imputationi, cùm aditus patuerit deplorantis, secundum illam sententiam: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Non enim præualebit accusantis inuidia, vbi humilitas præcesserit supplicantis. Quamobrem nos si iam excusando diluimus culpam, veniamus ad causam, salutem ergo tantam dicimus pietati vestræ, quantam potest affectus intelligere, & non potest sermo proferre; quantam sentire possumus, & non valeamus exponere; quantam potest interioris mens desiderio calefacta concipere, & non potest lingua exterioris adserere. Vnde gratias agentes ipsius caritatis auctori, qui eam vt cordibus vestris est dignatus inserere, oremus in præcipuum sua largitatio munus in nobis custodire semper, & iugiter dignetur augere. Quia iuxta Apostolum Paulum, ipsa est eminentior via, quæ ducit ad vitam. Quod superest, specialiter quæso, vt communi patrono nobis, quotidie supplicetis. Quia, sicut legitis, multum valet oratio Iusti assidua. Et sicut ipse Dominus noster in Euangelio dicit de illo, qui tres panes ab amico suo noctis tempore, importunè quidem, sed salubriter, quod improbitati præstitum fuerit insistentis, quod negabatur amicitiis flagitantis. Reliqua per portitorem verbo mandaui, quæ longum fuit litteris indicare. Vnde sicut principium Epistolæ continet, rogo, vt pro tarditate veniam dare dignemini. Vale.

*f.l. egregio.* — *Iacob. 5. 16.* — *Luc. 11. 8.*

### *Ruricius Episcopus Capilluto filio salutem.* 30.

Gratias ago pietati vestræ, quod me consulere de † ciuitatis ordinatione dignamini; cum vobis sufficere, Deo propitio, satis abundeque possitis. Et ideo quia quod vobis & fratribus vestris placet, nobis displicere non debet. Bene facitis, vt hominem, quem communis consensus elegit, ordinetis. Sed admonere illum vt veritati studeat, non falsitati; paci, non perditioni; disciplinæ, non discordiæ; vtilitati publicæ, non priuatæ cupiditati; Iustitiæ, non rapinæ. Tueatur bonos, emendet reos: miseros non

*† Hæc vox, vt puto, corrupta est.*

faciat, ſed defendat, corrigat ſontes, cuſtodiat innocentes; vt ita agens magis futuro poſſit placere iudicio, A quam præſenti.

31. *Domino illuſtri ſemperque magnifico filio Agricolæ Ruricius Epiſcopus.*

RElectis litteris ſublimitatis veſtræ, gratias Deo Regi, quod vos priua reualuiſſe ordinatione ipſius, quàm infirmatos eſſe cognoui, & nobis anxietatem tolleret, & vobis redderet ſoſpitatem, quam tamen infirmitatem vobis clementer illatam, propino potius, quam irato ipſo Domino noſtro, pro ſolita eius pietate, coniicio. (Heb. 12. 6.) Sic enim legimus, quod corripiat Dominus, quem diligit; diligit autem omnem filium, quem recipit. Quod etiam in vobis quantum audio reprobatur; vt ordinaris affectibus veſtris, ſuum vobis inſinuaret affectum, & habitu, animoque mutato, iugum vobis ſuæ lenitatis imponeret, vt ſalutari currui ſuo colla ſubdentes, dum mandatorum ſuorum leue onus euehitis, (Pſ. 76. 11.) peccatorum grauem ſarcinam deponatis. Hæc eſt enim mutatio dexteræ Excelſi, dum de peccatoribus iuſtos, de extraneis domeſticos, amicos ſibi facere dignatur ex ſeruis. Supereſt, vt nunc conuerſionem, quam protuliſtis in veſte, probetis in corde; & hæc commutatio inter indumentum veſtrum habeatur, & animum; vt ſicut ille ſub candidis veſtibus habuit hucuſque nigredinem, ita nunc ſub pullis veſtibus operum luce candeſcat. Peccator enim qua die conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit. (Rom 6. 19.) Dummodo iuxta ſancti Pauli Apoſtoli ſententiam, Sicut exhibuimus hactenus corpora noſtra ſeruire ſæculo, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra noſtra ſeruire Iuſtitiæ in ſanctificationem. Nec ſimus, quaſi timentes Deum, aliud ſermonibus prætendentes, aliud habentes in motibus; aliud oſtentantes in veſtibus, aliud actibus comprobantes, ne nos mordeat ſermo ille Dominicus, Sub veſtitu ouium, luporum rabiem contegentes. Quia oculus ille diuinus, ſicut ſcriptum eſt, omni loco bonos ſpeculatur & malos, ſine dubio, quem ad ſe integro corde tranſire conſpexerit, ipſe in cor illius iugi habitatione deſcendet, vt eo habitatore non careat, cui ſe præparauit habitaculum. Gratias itaque Domino noſtro ſuper tam inenarrabili eius bonitate in commune referamus, qui mauult ſeruos monere, quàm perdere; corrigere, quàm punire; & pro vſura breuis vitæ perpetua regna donare. Quod ſupereſt, ſaluto plurimum, & ancillam veſtram vobis peculiari inſinuatione commendo: quamlibet hoc ſalua veſtra pietate non egeat; vt quo eam ſuſcipere tanti habuiſtis affectu, ſemper foueatis, indultuque largitatis diuinæ vtroſque nos ſibi parauit obnoxios; vos auos faciens ſua fœcunditate, nos proauos. Domnam filiam meam deſiderio, & honore, quod dignum eſt, ſoſpito. Obuius, ſi facultas eſſet ambulandi, erat voluntas promptiſſima vos viſendi; vt quam interioribus oculis pro affinitatis ipſius coniunctione iugi recordatione conſpicimus, exterioribus cerneremus. Opto bene agas.

32. *Domino Sancto, & Apoſtolico, omnique à me honore, & amore ſpecialius colendo Fratri Cæſario Epiſcopo Ruricius.*

FRater & compresbyter noſter CAPILLVTVS, dupliciter hac vice nobis gratus apparuit, dum & ipſe nobis iam diu deſideratus occurrit, & quandam veſtri præſentiam nobis per veſtras litteras repræſentat. Quo redeunte has reddere procuraui, quibus debitum beatitudini veſtræ rependo caritatis officium. Quod vero ſcribitis, cur ad Synodum, ſicur conlocutio habuit noſtra, non venerim, fecit, hoc infirmitas, non voluntas. Ipſi enim recolere poteſtis quam feſſum me † Burdigalia (f Burdigala.) videritis; & hoc hyeme, quando eſſe A ſoleo fortior ſolito. Quia æſtiuis diebus etiam in hoſpitio meo, & locis frigidis, ipſam conſuetudinariam infirmitatem ſuſtentare vix valeo; ne dicam, quod illos cœtus regionis illius ferre quiuerim, ſi veniſſem. Vnde magis ſpero, vt pro me orare dignemini, & ad tempus aliud, quod intimaris, ſi Deus vitam ceſſerit, venire vultis, nobis per hominem veſtrum maturius indicetis. Quia litteras veſtras ad me modo tardiſſime veniſſe ſignifico. Quia etſi non pro dignitate, vel pro ætate, non debemus tardius, quàm alij commoneri, qui fortaſſe (vt minus prudens dicam) merebamur ambiri. Quia ſi aliis nomen vrbium præſtat auctoritas, nobis authoritatem demere non debet vrbis humilitas. Siquidem multo melius, multoque eminentius eſt, B ciuitatem de ſacerdote, quàm ſacerdotem de ciuitate noſcere.

33. *Domino ſancto & Apoſtolico, mihique in Chriſto domino ſpeciali cultu affectuque cæteris præferendo patrono Sedato Epiſcopo, Ruricius Epiſcopus.*

DVm ſcribendi vobis omnis pectoris mei animus vos ſitiens occaſionem frequenter inquirit, aliquando diuturna meditatione pertractans reperi idoneum portitorem, per quem & ſilentia longe diſrumperem, & ſibi ſpiritales delicias poſtularem, oaia veſtri cupiens rore reſpergi. De qua, credo, ſiti ſanctus Pſalmiſta dicebat: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. (Pſ. 142. 6.) C Illa nimirum qua ariditatem corporis ſui reſtinguere ſobria ebrietate deſiderans, de qua Dominus noſter in Euangelio clamare dignatur: ſi quis ſitit, veniat, & bibat. (Ioan 7. 38.) Flumina enim aquæ viuæ de ventre eius fluent. Hanc aquam Samaritanæ etiam idem Dominus offerebat, hoc eſt, Eccleſiæ ex gentibus congregandæ, (Ioan. 4.) dicens: Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hanc aquam ſi quis fidelis non guſtu tantum ſummo tenus ore libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetés conuiua ſorbuerit, protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet; & hoc incipiet ructare quod biberit; ſicut beatiſſimus Euangeliſta atque diſcipulus, qui ſuper pectus Domini recumbere meruit, myſteria regni cœleſtis audiuit, & in illam vocem quam ante nullus audierat clamauit: D In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. (Ioan. 1.) Hoc ets illud verbum, quod ſine tempore à Patre genitum, in tempore creatur ex matre, vt creator fieret; vt eſſe poſſit humanitatis quædam portio, diuinitatis totius plenitudo; & plenitudinem humanitatis portio ipſa humanitatis ſua paſſione redimeret; dum imago inuiſibilis Dei, forma ſit ſerui; vt poſſit impaſſibilis pati, incomprehenſibilis capi, immortalis mori, qui mortem occumbendo perimeret, vt vitam reſurgendo repararet. Sed quid ego oblitus mei, auidus tui, quaſi de huiuſcemodi rebus tecum conloquens, & inde in deſiderium tui vehementius perardeſcens, reſtinguere ſitim meam velut quodam dilectionis riuulo feſtinans, inſcrutabilia & inacceſſa penetrans, quid E loquar, qui loquar, cui loquar non conſidero. Sed dabit, vt confido, veniam pietas, quam committit affectus. Quia caritas omnia ſuſtinet. Salue itaque plurimum dico indiuiduo mihi pectori veſtro, & rogo, vt pro me inceſſanter orare dignemini, ſimulque etiam partem corporis mei, per quam vobis haec trado, peculiari inſinuatione commendo, vt in illis, quàm me diligatis integre comprobetis, quos vobis eo arbitror fore cariores, quia meam vobis ſecum deferunt portionem, quibus quidquid dignati fueritis dilectionis impendere, nobis vos conferre cognoſcite. Quia ſi iuxta ſanctum Apoſtolum minus membrum maiori in dolore compatitur, (1. Cor. 12. 26.) & maius procul dubio in minoris proſperitate lætatur.

lætatur, & ita demum fit, vt omnibus vſquequaq; membris in pace & quiete compoſitis, caput totius corporis rector vtpote & dominator exultet, in quo capite omnia membra iubentur aſpicere, dicente propheta: ſapientis oculi in capite eius, quod alius Propheta euidenter exponit dicens: Oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe euellit de laqueo pedes meos. Et iterum: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlo. Erigamus itaque oculos cordis noſtri ad Christum & in mundi istius nocte manus noſtras operibus fructuoſis extollamus ad Dominum, & ipſe caput noſtrum eſſe dignetur, & nos adhærere capiti noſtro, vt illa corporis ſui membra eſſe mereamur, vt de hoc ſæculo diſcedentes, tanquam exitu Iſraël de Ægypto dicere redemptori noſtro poſſimus: Adhæſit poſt te anima mea, me autem ſuſcepit dextera tua. Cùm ea diebus ac noctibus fuerit in corporis huius carcere meditata, vnde non confundator ad vota. Ora pro me.

*Eccl. 2. 14. Pſal. 24. 15. Pſal. 122. 1. Pſalm. 117. Pſalm. 62. 9.*

34. *Domino ſancto, & Apoſtolico, mihi que in Christo Domino ſpeciali cultu affectuque ceteris præferendo patrono Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.*

PEr † areiarum PALLADIUM litteras fœcundi cordis, & facundi oris accepi, quæ nos ad vtionem mutuam voto pectoris inuitabant. Sed quid facimus, quòd deſideriis animorum noſtrorum diuerſa membrorum reſiſtit infirmitas; dum vos nimietate robuſti, nos tenuitate exeſi corporis impedimur: dum vos alieni, & quatuor pedes ferre nequeunt ponderoſos; me etiam proprij & duo ſuſtinere præ defectione vix poſſunt. Quo fit, vt implere communia vota nequeamus. Ego enim (teſtis eſt Dominus) quod ſi valuiſſem, ad Synodum condictam omni auiditate veniſſem, ſed mea diſpoſita itineris volontate neceſſitas imbecillitatis inhibuit, quia aëres regionis illius præſertim hoc tempore ferre non poteram, quod & vos ita credere confido, & prauos ad illud deriuare non dubito. His itaque ſufficienter, vt potuimus, indicatis, ſalutatione animi deſideranter impenſa, ſi dignum ducitis, tranſmiſi vobis † caballum, qualem vobis ſciebam eſſe neceſſarium; manſuetudine placidum, membris validum, firmum robore, forma præſtantem, factura compoſitum, animis temperatum, ſcil. nec tarditate pigrum, nec velocitate præproperum, cui frenus ac ſtimulus ſit ſedentis arbitrium, cui ad euehendum onus &c. velle ſuppetat pariter & poſſe: ita vt nec cedat ſuperpoſito, nec deponat impoſitum. Supereſt vt reſcripto, quomodo vobis placeat, indiceris. Quam libertate indiuiduo mihi corde præſumam, quod nobis etiam mala à me commiſſa, non dicam tranſmiſſa complaceant. Tanta eſt enim integri vis amoris vt in † amicum nil diſpliceat; cum magis malum diſplicere debeat. Et hinc illud eſt, quod iudicia hominum aut amore præpediantur, aut odio vt recta non proferantur. Vos vero, quos nec odium exaſperat, nec inflammat inuidia, & iocos noſtros libenter accipite, & de ſoſpitate veſtra vel actibus affluentet inſtruite, vt dum vos diutius legimus, copioſius imbuamur. Ora pro me.

*Archiatrum. Aerem. Hinc patet eſſe Sedati decimā nonā Epiſtolam fol. 133. eſſe reſponſorium ad hanc Ruricij. f. amico.*

*Domino ſancto & Apoſtolico, mihi in Chriſto Domino ſpecialiter excolendo fratri, Cæſario, Epiſcopo, Ruricius Epiſcopus.*

35. QVi occaſiones ſcribendi nobis inuicem pro mutua caritate inquirimus, oblatas prætermittere non debemus; vt conferat nobis quandam præſentiæ portionem ſermo † meditator; qui emittitur, nec amittitur; tribuitur, & habetur, videtur diſcedere, nec recedit; à me dirigitur, à te ſuſcipitur, à me ſcribitur, à te legitur, nec tamen diuiditur; cum quaſi diuiſus, integer tamen vtrumque corde teneatur, quia verbi more diuini traditur, & non egeditur; confertur indigenti, & non aufertur auctori. accipientis lucrum ſine diſpendio largientis; ditans inopem, nec attenuans poſſeſſorem. Ideoque veniente illo nepote meo dulciſſimo PARTHEMIO has per ipſum dare non diſtuli; vt & meam præſentiam vobis litteris exhiberem, & ipſum pariter commendarem: cui quidquid dignati fueritis dilectionis impendere, nobis vos præſentiate nouerıtis, ſimulque etiam peculiarius rogo, vt pro me ipſiſque pignoribus noſtris inceſſanter oretis, nec impediant affectum amorum noſtrorum ſpatia interiecta regionum. Qui a qui in Domino, qui præſens eſt vbique, ſe diligunt, non credendi ſunt ſeparati corpore cum pariter in eo mente iungantur. Ora pro me.

*f. mediator.*



*Ruricius Epiſcopus dulciſſimis nepotibus Parthemio & Papianillæ.*

36. POſtquam pietas veſtra diſceſſit, dimidium eſſe me ſentio: Quia maximam mei partem, hoc eſt, interiorem hominem, reſidente corpore, vobiſcum ambulaſſe cognoſco, ita tamen quod & vos in pectore meo, quod hic remanſit, manere conſpicio. ſaluto itaque dulcedinem veſtram, & vt verborum meorum memores ſitis admoneo, quia certum eſt vos iuxta Salomonis ſententiam poſſe in bonis Deo dirigente proficere, ſi ſeniorum conſilia & amori habeantur & viui apto bene agatis.

*Ruricius Epiſcopus Fratri † Pet.....*

37. QVia obedientia ſacrificiis ante fertur, idcirco ruſticitatem meam malo prodere, quàm perdere caritatem. ſcientia enim inflat, caritas, vt ipſi melius noſtis, ædificat. Quamobrem quia iuſſiſtis, vt vos per ſingulas occaſiones & de meis actibus facerem certiores; & deſiderium veſtrum, quod mihi non meo merito, ſed generali, & inſita vobis dilectione dependitis, alloquio temperarem; me quidem Deo propitio fortiorem, ſed heu plenum & omne hoſpitiolum noſtrum diuerſis incommodis laborare ſignifico. Peculiatius, ſtrictius Dominum ſuppliceris; vt qui nobis incolumitatem veſtris orationibus reddidiſtis, & his opem ac medelam diuinæ miſericordiæ intercesſionis veſtræ patrocinio conſeratis. Ora pro me.

*Hæc vox in M S. non expreſſa eſt vt neſcias an legēdum ſit petro, an petur. Petul. 1 Reg 15. 22. 1. Cor 8.*

*Dominis ſublimibus & magnificis filijs Eudomio & Melantia Ruricius Epiſcopus.*

38. QVam grauis mihi orbitatis veſtræ ſit luctus, teſtis eſt pectoris mei conſcius DEVS; quod verbis ſubtilitatis veſtræ indicare non poſſum. Nam ita animum meum doloris veſtri paſſio ſauciauit, ac ſic vnum de propriis † affectibus perdidiſſem, quia me vobis proximum & quodam modo conſanguineum mecum agendo feciſtis. Atque ideo quia labores & anguſtias noſtras frequenter in vobis pro veſtra dignatione ſuſcipitis, iuſtum eſt, & nos veſtris, cum acciderint, participare mœroribus. Si enim iuxta Apoſtoli ſententiam, vnius corporis membra ſibi inuicem compatiuntur & condolent, decet nos quoque, † eorum incommoda ſæpe percipimus. Dolemus itaque, caſui veſtro, & planctibus veſtris intereſſe nos credimus. Sed quid facimus domni filij; Equidem voluntati diuinæ reſiſtere nec poſſumus, nec debemus, & omni ſollicitudine præcauere, ne dum dulcia nobis pignora nimio dolore deflemus, blaſphemi quidam & iniurioſi inueniantur in Domino, & grauius animas noſtras auctor ipſius mortis, inuenta occaſione, confodiat, quàm carnium amiſſione percuſſit. ideoq; in omni amaritudine vel dolore ad Deum nobis eſt refugiendum, & ad illum omnes caſus noſtri toto corde referendi. Qui ſanat vulneratos, qui releuat mœſtos, qui conſolatur afflictos: Et illa ſancta

*Fort. aſſ finibus. 1 Cor. 12. 26.*

*Iob. 1.* Iob sententia omnino dicenda, est: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Et ille hoc quando dicebar decem filios cum omni facultate perdiderat: Nec tamen blasphemare, aut damno aut dolore compulsus est. Sicut dicit scriptura: In omnibus quæ accidebant ei nihil peccauit labiis Iob. *Iob. 1.* Quod ego & pietati vestræ scribere pro mutua caritate præsumpsi, vt dolorem animorum vestrorum, quem litteris meis mitigare non poteram, vel diuinis eloquiis vtcunque moderaret. Et verè, si mihi quasi vestro creditis cordi, non minimum potestis capere de Christi Domini voluntate solatium, quòd quatenus immaturus manebat interuus, talem eum dignatus est assumere, qualium regnum docet esse cœlorum; *Matt. 19. 14.* vt & patronũ haberetis ex filio, & minus doleretis amissũ, quem à Domino videbatis adsumptum. Opto bene agatis.

39 *Victurino.* *Domino sãcto, & Apostolico in Christo Domino cultu affectuque specialius excolendo patrono † Victurino Episcopo Ruricius Episcopus.*

FRater & compresbyter noster CAPILLVTVS, licet apices vestros nobis non detulerit in charta telegendos, tamen † totius exhibuit in corde conscriptos *f. totius.* vnde eos nec fur auferre, nec violentus eripere, nec imber eluere, nec vetustas possit abolere dum mihi fidelis admodum vestri pectoris consors & deditissimus delator sæpius inculcas, & dulcius, qualiter me & quàm adsidua dilectione de me tumineris. Non quod in me sit, vnde charitatis vestrę pascere possitis esuriẽ, qui solidos, & nunquam perituros cibos & accipere soliti estis, & dare; sed quando fortior esca defuerit, tenuitatem nostram pro lactis poculo sorbeatis, vt desiderium pij cordis & puri alimento innocentiæ temperetis. Nec mirum est, hoc tamen in vestra virtute miraculum, vt diligatis venerantes vos, qui odientes amare consueuistis. Siquidem & ad augendam circa nos caritatem vestram, duo lumina nostra detinetis, AVRELIANVM dico atque LEONTIVM: *Ms. S & inscr Aureliaunm.* pro quorum spe & consummatione, rogo, vt indesinenter diuinæ misericordiæ, sicut vos confido facere, supplicetis, & eum illis iterum pro nobis semper oretis, quia fiducialiter credo, quod profectioni vestræ, & illorum incipientiæ, pro ipsa adhuc teneritudine, à nutritore Domino nil negetur. Salutem itaque vberem dico pietati vestræ, quantum potest promere oris affectus, non quantum cordis poscit affectus, & rogo, vt præfatos dulcissimos stimulos pectoris mei nostro nomine sospiteris; nosque quotiescunque se opportunitas porrexerit portitoris, benedictionis vestræ imbribus irrigetis. Ora pro me.

*Ms S Appollinari.* 40. *Ruritius Episcopus † Apollinari suo salutem.*

AFfectus sublimitatis vestræ in visceribus nostris violentus exactor est, & amori vestro me potius, quàm pudori meo seruire compellit; dum non considerat, quo sermone, qua pagina; tantum vestris imperiis obsequamur. cogitis enim nos auribus peritiæ vestræ verbis rusticis iniuriam frequenter inferre, dum apices nostros sæpius vultis accipere, parco voluntati vestræ, pareo iussioni. malo enim de meipso tibi magis, quàm mihi credere. Quia pietatis, non potestatis est, quod iubetis. Et ideo, quæ displicuerint emendabitis procul dubio potius, quàm prodetis. Siquidem nihil est imperiosius caritate, cui quisque toto corde se dederit, libenter & vincula illios impacta patietur, & onera illata portabit, dum præcipientis imperium non inuitus non excipit, sed deuotus exercet. Præstabit itaque diuina misericordia, vt tumultibus temporis huius, vel necessitatibus, aut dilatis in perpetuum, aut parumper oppressis, citius fructus † nos faciat de nostra capere præsentia, vt desideria, quæ incitantur affectibus, aspectibus mitigentur. Finit. *i. q. vos, vel nos faciat de vestra.*

*Domino deuinctissimo, & mihi omni honore venerabili fratri Leontio Ruricius.*

41\. GRatias ago, quod & nostri curam gerere, & nouitate boletum, quæ libenter habere nos nostis, nos reficere tanti habuistis, quod & consuetudini præstatis pariter & amori. Ideoque redeunte puero vestro, reddo reciprocum sospitationis officium, & vt de suscepto, Deo propitio, Officio indesinenter cogitetis admoneo. Quia Deus non initium boni operis, sed finem requirere comprobatur, dicens: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matt. 10.* Præstabit, vt credimus, misericordia ipsius, vt qui pœnitendi vobis animum inspirare dignatus est, ipse vobis & in agendo virtutem, & in consummatione plenam tribuat pro sua miseratione remissionem, qui solus potest & sanare corrupta, & reparare collapsa, & delere commissa, & abdere præterita, conseruare præsentia, & donare ventura. Finit.

*Ruricius ad Dominum Constantium.* 42.

DE deliciis transmissis gratias ego, & quantum indicastis, tantum me vtrarumque auium suscepisse significo, simulque etiam per pueros ipsos, qui nobis hæc detulerunt, tergus aprunum me pietati tuę indico transmisisse; vt dum nos volatilia, quæ transmisisti, deliciamur; tu bipede de quadrupede facto satieris. Cuius tamen malo carne, quàm vita capiatis. Quia qui semper de sæcularibus cogitat, & iugiter terrena meditatur, huic animanti à scriptura diuina merito comparatur. Quia de omnibus animalibus solus homo sublimis creatus est, & effectus, vt auctorem suum semper cœlo intentus aspiciat, non mundalia opera solo incessabiliter defixus exerceat

*Ad Dominum Ambrosium Episcopum Ruricius Episcopus.* 43.

APostolica præcepta nos commonent, vt à quibus diuina percipimus, eis terrena præbeamus, *1. Cor. 11.* quod nos vel in hac duntaxat parte seruantes, pro cœlestibus epulis, quas nobis & sermone viuo, & patrum tractatibus ministratis, legumina marina transmisimus. Per hæc nil nos habere proprium comprobantes, siquidem & à diuinis bonis sumus, quæ vos tribuitis, peregrini, & nos peregrina transmittimus. Itaque quia nos à maximis cœlestibus exulare, & solis terrenis sedibus incubare cognoscimus, à vobis specialius postulamus, vt hæc aliena à nobis libenter accipere, & vestra nobis dignemini frequenter impendere. Illud sit affectionis, hoc ministerij; illud doctrinæ præstatur, hoc gratiæ.

*Ad Dominum Hispanum Ruricij Episcopi.* 44.

AGo gratias, quod dum nobis dona nomine, re spolia transmittitis, pietatem vestram erga me sincerissimam comprobatis, qua nos amplius, quàm deliciis delectamur. Siquidem inde esuriem corporis compescemus; hinc cordis: inde vestri transitorium † porrigimus *f. Peregrinum.* pastum; hinc vero animo mansurum præbemus affectum. Proinde tam amori, quàm muneri vestro gratias repensantes, reciprocis pietatem vestram plurimum sospitamus. Et quia de nostra dignaris esse salute sollicitus, iuxta vota pietatis vestræ me valere significo, simulque deposco, vbi sanctum Pascha facturi sitis, me recurrentibus instruatis. Finit.

*Ruricij Episcopi ad Presbyterum Albinum.* 45.

VBi ad me communis luctus nuntij rumore peruenit, quod tamen miratus sum, quod non hoc prius ex germa-

ex germanitatia vestræ relatiooe cognoui, ipse ad vos requirendos continuò venissem, nisi me dierum horum reuerentia retardasset. Has transmisi, quibus spero, vt me excusatum habere dignemini, & filiam nostram, quam audio se vehementer affligere, ad vicem meam, iam ex ratione, quàm ex vestra authoritate consolemini, quod Dominus noster de seruo suo, & quando voluit, & quod voluit, fecit. Et ideo contra voluntatem Domini venire videbitur; cui displicet diuina preceptio: vtique diuina; quia animā nostram ille solus, cùm voluerit, ex corpore potest educere, qui fudit in corpore. Et idcirco luctus iste nimius, qui videtur esse pietatis, magis ex Diaboli consilio, quàm ex pietate descendit; vt cum dolor consolationis impatiens querelis suis Deum impietatis exprobrat, qui præmisit filium per humanam conditionem, per incredulitatem animam perdat. Plangāt mortui mortuos suos, quos resurrecturos esse non credunt, qui animam cum carne æstimant interire, quibus nulla de beatitudi-
Matt. 8. 25. ne animæ, nulla de corporis restauratione fiducia est. Nos vero, qui spem resurrectionis habemus in Christo, qui animas nostras iuxta pollicitationem ipsius Domini, in Sanctorum finibus credimus collocari; ad ipsum nos corde & orationibus conferamus: & consolationem de ipsius promissione capiamus, quod credentes in se secum viuere faciat. Nec vllus apud eum nisi infidelis mortuus iudicetur. Et ita planctus nostros, sicut scriptura nos edo-
Ind. 22. 13. cet, temperemus, dicens: Luctus sapientis septem diebus, impij vero omnes dies vitæ suæ. Sicut scimus illum mortuum corpore, anima vero pro innocentia sua Deo viuere, ita nos viuentes corpore, corde moriamur. Finit.

*Ruricij Episcopi ad Taurentium.*

46. AGo gratias promptissimæ in Domino deuotioni, & sincerissimæ erga me charitati vestræ, quæ diuinæ bonitatis imitatrix, id quod me sibi prospicit supplicandum, priusquam rogetur, & nostrum præoccupare beneuolentia sua festinat officium; dum nō solum custodire, verum etiam augere † in istum sibi gessit affectum, quem idcirco beneficiis anticipando lætificat, quia ad modicum contristare formidat. Et ideo mauult offerre tacenti gratiam, quam præstare poscenti, sciens procul dubio, plus esse in eo meriti, quod spontanea benignitate defertur, quàm quod precibus indulgetur. Siquidem horum vnum non nisi necessitate datur necessitudini; aliud vero sæpe etiam precatoris sedulæ dimittitur improbitati.
Luc. 11. 8. Vnde salue reciprocum dicens; de pietate vestræ promissione securus, puellam vestram in rem directis pueris vestris, consignasse significo: cui confido, quod iuxta pollicitationem vestram non solum veniam, sed etiam gratiam pro nostra intercessione tribuatis.

*Ruricius domino venerabili Fratri Ioanni.*

47. † MAnus communis susceptus, quod voluntarie facere debuerat, fecit nunc necessitate compulsus, vt ad venerationem tuam commendatitias flagitaret, & se gratiæ tuæ, etsi propter negligentiam suam de præterito ingratus, per insinuationem nostram nunc tamen gratificandus ingereret. Cuius petitioni ideo promptius adquieui, quia credidi, sicut & confido, vos petitioni meæ libenter annuere. Vnde salutatione depensa spero, vt ipsum pro intercessione nostra recipere tantum habeatis. Et quia hoc, quod debuit, reddidit, vsuras illi solidorum ipsorum, non tantum pro precibus nostris, quantum pro diuinis præceptis donare digneris. Quod pro conseruatione vestra, qua vos, Deo propitio, per dies
Ps. 14. 5. singulos audio proficere, sine dubitatione præstetis. Quia ipse nostis, quòd ille regnum Dei lætitia & gratulatione percipiet, & in montem Domini glorificatus ascendet, qui pecuniæ suæ vsuram non in præsenti sæculo à proximo suo exegerit, sed à Dño expectauerit in futuro, nec
Mat. 7. 2. per dolosa beneficia laqueos laborantibus iniicit insolubilis debitorum, sed illius est fœnerator & creditor, qui dicit: date, & dabitur vobis, & qua mēsura mēsi fueritis, ea remetietur vobis. Infidelis vtique & iniquus est etiam sibi, qui hoc, quod elegit concupiscendum, non vult habere perpetuum. Quamuis enim quicunque multa condat, multa congreget, & infinita diuersis nundinationibus acquirat, mendicus de hoc mundo discedet, nisi de rebus suis portionem suam ad æternam beatitudinē ante præmiserit, dicente Domino per Prophetam: Ne timueritis, cùm diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quia non cùm morietur recipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria domus eius. Et iterum: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarū in manibus suis. Qui si benigni essent animæ suæ, illi potius bona sua crederēt, qui & idoneus fideiussor est pauperum; & largissimus redditor vsurarū. Non ergo cupidus sis, frater charissime, nūc recipere in duplo; quod Dominus redditurum se tibi promittit in centuplum. Vnde nec à tinea poteris pertimescere exterminium, nec à fure formidare dispendiū. Quia ipse Dominus noster munerum suorum & largitor, & custos est. Finit.

Psa. 48. 17. — Ps. 75. 6. — Mat. 19. 29. — Luc. 12. 33.

*Aprunculo Episcopo Ruricius Episcopus.*

48. EXegit mutui amoris affectus ad indiuiduam mihi sanctitatem vestram sola ex caussa literas destinare, etiam si non se occasio opportuna porrexerit. Vnde per hominem filij mei Leontij has ad Apostolatum vestrum dedi, quibus sospitatione prælata, quàm ex sententia, Deo fauente, valeatis, inquiro. Quia ipsi nostis, incolumitatem vestram, nostram esse lætitiam, sperans, vt redeunte præfato, nos reddatis de vestris actibus, propitia diuinitate, securos, quos videtis esse de prosperitate sollicitos.

*Ruricius Episcopus Ceraunia salutem.*

49. DE sincerissima, qua uos pro benignitate animi tui, nō pro vestris meritis dignatus excolere in Domino, charitate, confidens, securus has ad Venerationem tuam direxi, quibus in Domino ac Deo nostro salutem vberem dicens, specialiter rogo, vt ea, quæ per seruum vestrum Amandum verbo speraui, si possibile est, nobis sine delatione præstare dignemini. Quia hæc res & nos releuare potest, & vobis nullum potest adferre dispendium, quod ego pro beneficio maximo computabo; iterum in quo iusseritis, vel vsus exegerit; vicem reciprocis obsequiis repensare contendam.

*Ruricius Episcopus Censurio Episcopo salutem.*

50. LIteras sanctitatis vestræ, etsi per occasionem, accepisse me gratulor. non enim interest; vtrum ex necessitate, aut ex voluntate, dummodo inter se inuicem, qui se diligunt, colloquantur, & quos corpore locorum interualla discriminant; animorum aut sensuum colloquia fida coniungant. Quia hoc nobis generale vel maximum vitius diu iactæ pietatis indulsit, vt qui nos aspectu carnali non possunt contueri, spirituali cernamus obuitu. Vnde redeunte gerulo litterarum, has, sicut iniunxistis, reddere procuraui, vt & sollicitudini vestræ & mutuæ caritati pariter responderem. Salue itaque Apostolatui vestro plurimum dependo, & hoc quod apicibus meatum testimonio voluistis agnoscere, vtrum Sindilla porcos suos prudente Foedamio perdidisset; noueritis me apud homines meos, vbi fuerunt, diligenter perquisisse, Sed sicut ante iam noueram magis & istos laborem faciente † paci Sindilæ perpessus esse, & ipsum porcos suos peruersitatem suam, dum de aduersa parte esse iactitat, amisisse cognoui. Cæterum præfatum Foedamium illi in nullo culpabilem. Nam quod pertulit, nulli nisi debet & omnibus imputare, in qua causa quā-

† locus corruptus.

Hac voce italitterarum & A simplo aut contracta est, vt desperē legere, diuinādum ergo fur fore, amicus.

cmo ego contemplationi vestri, vt homines vestri, aut à custodia liberarentur, aut porcos vestros reciperent, laborauerim ipsis, ià referētibus; plenius potuistis agnoscere: quod propterea necesse non fuit litteris indicare. Vestrum est, hominem verum iustè ab huius calumniæ obiectione defendere, qua meum iniustè scriptis sustinere.

*Ruricius Episcopus Stephano suo salutem.*

51. ITa me paucissimis diebus ad cultum suum piètas vestræ sanctitatis inlexit, vt cùm vos, Deo propitio, corde detineam, & oculis mentis intuear; tamen semper affectu instigante perquiram. quia scilicet breue videtur omne, quod dulce est; ita inexplebile est omne, quod † carne est. Et omnipotenti Deo gratias super tàm admirabili dono eius, quod ita generaliter seruis suis tribuere ineffabili dispēsatione dignatus est, vt hi qui disparātur corpore, animis iungerentur; neque esset aliquid tam longinquum difficile quod mentium obtutibus obuiarit. Sed per cordis intuitum ibi se inuicem diligentes charitatis cōtemplatione conspicerent, vbi charitas ipsa consistit. quo fit, vt deuinctio vestra, quæ in visceribus meis iugi recordatione, dum quotidie renouatur, augetetur, amoris vestri mihi vicissitudinem repromittat, animus meus mihi animorum vestrorum fideiussor adsistat, dum tantum sibi audet de vestra dilectione præsumere, quantum vobis concupiscit impendere. Salutem itaque beatitudini vestræ plurimam dico, & rogo, incessanter communi Domino supplicetis, vt secundum diuitias bonitatis suæ atque virtutis, cui omnia possibilia confitemur, vt si in hoc sæculo nos propter vitæ istius turbines ac procellas. & regionum interualla sæpius videre non possumus, vel ad illam vrbem, quæ ædificatur, vt ciuitas; faciat conuenire, ad quam nos misericordia Domini poterit perferre, vos merita.

[Margin: † carnem. — P. 121. 3.]

*Ruricius Episcopus Præsidio Filio salutem.*

52. † PLerumque dum me apud indiuiduam mihi sublimitatem vestram non vitæ merito, sed amicitiarum priuilegio multum posse confidunt, commendatitias à nobis quibus vobis excusentur, inquirunt: quas eis pro officij nostri necessitate negare non possumus; non præsumptionis audacia, sed ministerij disciplina, dum & illis præsentis vitę solatium, & vobis prouidere desideramus æternæ. Vt & illi per patientiam vestram reseruentur ad pœnitētiam; & vos per misericordiam perueniatis ad veniam, sicut dicit Scriptura: Quia iudicium sine misericordia erit, qui non fecerit misericordiam. Quia dixit; Dimittite, & dimittetur vobis. Procul dubio quem viderit hic facere, quod præcepit, in futuro ei restituet, quod promisit. Nobis enim illius veritas præsto est, si illi fides nostra non desit. Vnde manifestissimè potestis aduertere absolutionem miserorum vestrorum esse indulgentiam peccatorum; & hoc vestris conferendum precibus, quod vos præstatis alienis, iuxta ipsius in Euangelio sententiam: Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Idemque pro VRSO & LVPO, qui ad me, quasi vobis peculiarius, sicut superius dixi, charitatis iure deuinctum, pro criminum suorum intercessione venerunt, precator accedo; vt primum Deo, deinde nobis hoc, quod commiserunt, donare digneris; nec nos de eorum damnatione cōfundas, qui se iam tum absolutos esse, quando ad humilitatem meam deducti sunt crediderunt.

[Margin: † Pleriq. — Jacob. 2. 13. — Luc. 6. 37. — Matth. 7. 2.]

*Ruricius Episcopus Rustico filio salutem.*

53. EXtra affectum consuetudinarium & probatum & humanitatem nobis dignaris impendere, dum visibus tuis detrahis, quod nostris largiaris expensis. Quia puero vestro referente cognoui, quod piscationis in visceta pro parte. VISERA nobis iusseras delicias ministrare. Vnde salutatione depēsa, gratias ago plurimas, exorans diuinam misericordiam, vt pro honore, quem nobis pro ipsius timore dependitis, & præsentium rerum vobis conferat felicitatem, & beatitudinem tribuat futurorum. Finit.

*Ruricius Aprunculo Episcopo salutem.*

SIcut litteras sanctitatis vestræ per virum venerabilem ELOGIVM, cum gratulatione suscepi, ita has eodem redeunte, libenter emisi. quibus apostolatui vestro debitum † deponendo sospitationis officium, simulque deposco, vt pro nobis orare dignemini, & id à communi Domino peculiarius postulare, vt iam tandem aliquando in vnum venire, & nos venire mereamur; vt charitas quæ secundum sententiam Dominicam in pectoribus nostris per absentiam † quod peris est, refrixit, per præsentiam iterū in sospitis cinetibus suscitetur, & viuis vocibus, quasi nouis flatibus veteris amoris rediuiuum reparetur incendium. quod more atque virtute ignis illius, quem Dominus misit in terram, & spinas negligentiæ nostræ atque desidiæ vi naturæ potentis exarat, tenebras dormientis cordis inluminet. Finit. 54.

[Margin: † dependo — Mat. 24. 12. — † fort. quod tepèret est. — Luc. 12. 49.]

*Item alia Ruricij ad ipsum Episcopum.*

ADsiduitas † supplicatum supplet in nobis gratiæ communis officium, vt hoc quod facere debeamus super mutuæ dilectionis affectum, faciamus per externæ necessitatis imperium; dum alienæ tribuimus petitioni, quod propriæ debere nos cognoscimus charitati. Vt hæc litterarum necessitudo esset ex voluntate necessitudinis iocunda noua calamitate deplorātis extorta. Tamen quia spontaneam scribendi negligimus gratiam, saltem prætermittere non debemus ingestā. Ideoq; per fratrem & Compresbyterum nostrū MAXENTIVM, quem nobis frater † Episcopus ipsius commendauit, dedi quibus sospitatione depensa, ipsum Apostolatui vestro, secondum quod postulauit, insinuo. quia illic notos, & amicos habere se dicit, qui eum beatitudini vestræ possint in presenti plenius intimare, quorum testimonio possit credi, quod assertioni ipsius fortasse non creditur. 55.

[Margin: † f. supplicatū vel supplicantiū. — † m. s. Episcopi.]

*Item ad ipsum.*

FIlij nostri OMACIVS & EPARCHIVS ad me litteras plenas lachrymis & deploratione miserunt, specialiter deprecantes, vt apud sanctitatem vestram pro ignorantia ipsius filij nostri EPARCHII intercessor existerē; confidentes, quod pro amore mutuo nihil nobis negare deberetis. Idemque Presbyterum nostrum EVSEBIOLVM ad pietatem vestram in hac causa direxi. Per quem saluto plurimum; & rogo, vt præfato, sicut dicit, sufficienter admonito, indulgentiam errori illius date pro nostra † supplicatione minimè iniqua. Sicut in defensione peccati stultè atque infideliter perdurantis culpa, donec agnoscat reatum † (non) debet relaxari, ita agnitio peccati debet conferre veniam confitenti. Remedium est enim mali confessio non simulata delicti. nec vltioni publicæ relinquitur locus, vbi reus conscientia torquente ponitur. 56.

[Margin: † m. s. supplicationem iniquā. — † hac vox abest in m. s.]

*Item alia Ruricij ad ipsum.*

ANte diem quam litteras vestræ sanctitatis acceperim, compresbyterum meum, sicut ipso referente poteritis agnoscere, ad germanitatem vestram in eadem, qua mihi scripsistis causa direxeram. Et quia mihi non solum ipse filius noster EPARCHIVS, sed etiam frater suus flebiliter per litteras supplicarunt, Apostolatui vestro precator accederem. Qui & confessione culpæ, & 57.

deprecatione veniæ, & consanguinitatis affectu cõpulsus indulsi, Quia vos mihi super hac rescripturos esse nõ A credidi. Sed quia humilitatem meã dignati estis pro ea, quæ inter nos est, propitio Deo, charitate, consulere, & nobis verum iusta esset vestra districtio, meis potissimũ apicibus indicarem; sciat Dominus noster, quod ego factum vestrum & probo, & conlaudo, & vehementer admiror. Quia dum vni indisperato per admonitionem gladij † spiritale pro reddenda salute intulistis dolorẽ, multis contulistis languẽtibus sanitatem. Multi etenim in Ecclesia, qui curari nequeunt verbo, sanantur exemplo. Superest seueritatem misericordia consequatur, vt recipiatis lenitate patria, quem corripuistis authoritate Pontificia. Et iuxta illum Euangelicum, inuocãtes quem nos per omnia & sequi & oportet imitari, qui filio paternæ substantiæ decoctori, & facinus confitenti non solũ veniam clemẽter impertiit, verum etiam pristinam gratiam libenter indulsit: & nos cõdoleamus lapso, subueniamus attrito, amplectamur reuersum: lætemur inuentum. Quod & Apostolatum vestrum, propterea fecisse certus sum, vt paululum infirmantem filium excluderetis à matre, vt eum ipsi post modicum restitueretis incolumem; & eum contristareris ad tempus, de quo gaudere concupiscitis in æternum. B

† F. vt spiritali.

Luc 15. 30.

*Ruricius Episcopus filio Seuero salutem.*

58. NEgligentiã nostram atque pigritiam dum vos excusatis, arguitis, & nos beneficijs & officiis vestris agnoscimus debitores. Sed scio hoc sincero amore, quo nos diligitis, facere, atq; perfecto, quia parum est charitati vestræ, quod nobis tribuitis, dum totos vos nobis & cotidie impendere desideratis. Sed nobis satis superque sufficeret beneuolentia quam prompti animi & assiduitas† deesset obsequij. Vnde salutatione depensa, gratias ago vberrimæ pietati vestræ, quod erga me bonę memoriæ patris vestri non solum retineris, sed etiam vicissis affectum.

† For. adesset.

*Ruricius Episcopus filius Sthorachio salutem.*

59. Ago atque habeo vberes gratias pietati vestræ, quod nos negligentiam famulorum nostrorum nescire fecistis, dum subuectionem congruam, quam nobis callidus subtraxerat inimicus, benignus subministrauit affectus. Quem idcirco nobis Dominus hoc ad tempus D permisit inferre, vt & nostram patientiam per iniuriam, & vestram erga nos charitatem per compatientiam comprobaret, ac sine dubio facultatis nostræ vobis lucrum operis per beneficium dilectionis adferret.

*Ruricius Episcopus filio Vittamero.*

60. FAmiliares nos vobis facit vestra dignatio, dum hoc, quod à nobis libenter offertur, à vobis gratanter accipitur. Siquidem illud munus acceptabile probatur & dulce, quod non magnitudo insinuauerit, sed commendarit affectio. Quæ res facit, vt ad persoluendum vobis spontaneæ deuotionis obsequium, etiam id habeamus in votis, quod non habemus in † verbis. Itaque salutatione depensa, quia centum † pera sublimitati vestræ, alia E centum filiæ meæ destinare præsumpsi. Quæ si fortasse displicuerint sapore gustu, placebunt, vt confidimus, transmittentis affectu.

† verbis. † pera.

*Ruricius Episcopus fratri Namacio.*

61. SAluto plurimum, & spero, vt si secundo crastino nõ potueris, vel tertia feria ad nos venire digneris, quia desiderio tuæ charitatis accẽsi, & nos dicimus cum Propheta: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Defecit spiritus meus. Ne auertas faciem tuam. Ne moreris aducã-

Ps 142. 6. Ps 142. 7.

rum, vt pectoris nostri, quem parui temporis solatio suscitastis, extinguatis incendium. Finit.

*Ruricius Episcopus filio Vittamero.*

GRatias ago dignantissimæ erga me sublimitati vestræ, quod nos de actibus atque incolumitate vestra, quos nostis, Deo propitio, pro amicitiarum iure solicitos, facitis litterarum sedulitate securos. Vnde his reciprocum reddo nobilitati vestræ salutationis officiũ, & me has de Decaniaco ad vos dedisse significo, meãmque vobis fauore diuinitatis quam † vobis placere confido, indicans sospitatem. Præstabit Dominus, vt citius hinc regressus vestris merear obtutibus præsentari. Vt cuius benignitate vestra incitasti desideria, visione solliciteris affectum. 62.

† m. f. vos.

*Ruricius Episcopus fratri Claro Episcopo.*

APostolatui vestro pro ea, quam mihi non pro meis meritis, sed pro beneuolentia animorum vestrorum impenditis, charitate, non dicam vicem non possum repensare beneficiis, sed nec tantas gratias, quãtas meremini, sermonibus explicare. Impendo tamen per litteras debitum sospitationis officium, paginámque pectoris mei in quo affectum vestri auditare suscepi, paginæ conlocutione transmitto; simulque deprecor, vt cõmuni Domino supplicetis, vt citius nos faciat fructũ de nostra capere præsentia; quosque suæ inspirationis instinctu connexit, vultum etiam mutua visione coniungat; vt desideriũ in nobis, quod accendit affatus, restinguat obtutus. De columnis verò gratias ago, &, sicut iussistis, quia modo propter imminẽtem hyemem vehicula illuc dirigere non possum, post sanctum Pascha, propitia Diuinitate transmittam. De minoribus vero, sicut verbo mandastis, si inueniri possunt, mihi vel decem necessarias esse significo. Sed si dominus prospera vniuersa concesserit, antequam vehicula dirigam ad vos hominem destinabo. 63. C

*Ruricius Episcopus fratri Volusiano Episcopo.*

ITa quod prius est, charitatem antiquam, & insitam nobis, partim (quoniam confidendum est) negligentia nostra, partim necessitate temporis, partim corporis infirmitate faciente, lõga delebit obliuio, vt penitus immemores nostri facti non solum vos nullis officiis, sed nec litteris requiramus. Miror nobilitatem tuam quasi filiũ ad me litteras destinare, cùm sine vllo respectu religionis aut propinquitatis tibi iniuriæ nostræ sic placeant, vt eas vindicare non velis. Vnde nisi existimationem personæ meæ, aut officii cogitassem, portitorem litterarum tuarum talem ad te miserã, quales homines meos non matrona vestra, sed domina procax & effrænata animum perduxit, cuius mores situ tanto tempore cum famæ tuæ diminutione, aut voluntariè, aut necessitate supportas, alios nouerit nec velle ferre, nec esse contentos. Nam quod scribis, te metu hostium hebetem factum; timere hostem non debet extraneum, qui consueuit sustinere domesticum. 64. D

## *Finiunt Epistolæ Domini Ruricij Episcopi Lemouiceni.*

*Ita expressit m. s. vbi nota hunc vocari Episcopum Lemouicensem. lege apud Fortunatum de Ruricio seniore & iuniore.*

# EPISTOLAE DESIDERII EPISCOPI CADVRCENI AD


*Abbonem Epistola* 9.
*Aspasiam* 14.
*Cæsarium* 13.
*Chodulfum* 8.
*Dadonem* 10.
*Dagobertum Regem* 5.
*Felicem* 15.
*Grimoaldum Maiorem domus* 2. 6.
*Medoaldum* 7.
*Paulum* 11.
*Salustium* 1.
*Sigebertum Regem* 3. 4.
*Sulpitium* 12.
*Pro Vutedio commendatitia ad Episcopos, Comites &c.* 16


Anno 1608. Ingolstadij primùm ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli editæ.

## INCIPIVNT EPISTVLÆ DOMINI DESIDERII EPISCOPI CARDVCENI, AD DIVERSOS PORRECTÆ. NVNC AD SALVSTIVM EPISCOPVM.

*Domino ſanctiſsimo, atque præ optimis mihi in Chriſto diligendo Saluſtio Præſuli Deſiderius veſter.*

1. MVLTIPLICES & ineffabiles veſtræ beatitudini pro inquiſitionis ſtudio, vel eulogiarum præcepta benedictione † gratias iure perſoluimus, & quamlibet indigni, Domini optamus pietatem, qui nobis citius locum tribuat veſtræ gratiæ ſeruiendi. Illud namque quod zelo zelati eſtis pro noſtra exiguitate, nõ omittitis ſolertiam egregii & nobilis paſtoris, dum viriliter & vigilanter agere adorti eſtis. Vtinam † etiam in nobis diuina pietas perficere dignaretur. Quia ille rectè vigilat, qui aſpectu veri luminis, & intimæ contemplationis ſemper oculus apertos gerit, Quia de re neceſſe eſt, vt mentem ſemper ad interiora & ſublimia ſuſpendamus; ne per corporis negligentiam ad ima trahamur. Igitur de eo quod ſollicitudo veſtra ſciſcitare ſtuduit, veſtra dilectio comperiat omnes optimates & Principes, iuxta quod antea † eum ipſis habebamus conglutinatam amicitiam, Gratias Chriſto, qui eſt bonorum omnium diſpenſator, ſatis amabiliter nos receperunt, & nos eos eatenus in DEI nomine retinemus, vt charitas mutua nunquam decidat, ſed aucta magis in dies floreſcat: & cum amico veſtro FLAVADO firmiter & amabiliter in charitate conſolidati ſumus. De cætero verò ſatis, & eum pleniſſimo affectu, vt præfati ſumus, pro tantæ inquiſitionis veſtræ dilectione gratias agimus. Salutamus præterea veſtram almitatem eo affectu, quo † nobis oblata eſſe non ambigo, & ſupplex quæſo: vt pro mea extremitate pio domino † digneris exorare. Vale vir Dei, & memento mei.

*m. ſ. gratiarum iura.* — *† m. ſ. etenim.* — *† m. ſ. cũ ipſis habebamus conglutinata amicitia.* — *† m. ſ. nob. latere non am.* — *† m. ſ. digneris.*

### Item Epiſtula domni Deſiderij ad Grimoaldum.

*Domino Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino, & in Chriſto filio Grimoaldo Maiori Domus Deſiderius peccator.*

2. NOn ignotum vobis famulum, ac benè cupientem, cupio eſſe commendatum. Adeſt enim frater meus Lupus Abba, cuius mentem agni cupio agminibus intereſſe. Iſte ad vos ex diuino Deſiderio pergit, & poſtulat ſe noſtris affatibus commẽdari, quatenus eum veſtra induſtria glorioſi Principis domini Siggeberti Regis obtutibus repræſentet. Age ergò virum egregiè, mihique patrone, & iſtum habe, vt ſupra petii, per omnia ſodalem; quatenus gaudeat ſe noſtris apicibus veſtræ eminentiæ commendatum. Interea ſalute vberi fuſa, precor impensè, vt quod ipſe ſuggeſſerit, conditiones Monaſterij noſtri, † quod nuper in honorẽ ſancti Amãti ædificaui, digneris recipere per omnia commendatas. Et talem exinde curam geratis, vt æternam retributionẽ pro eiusmodi beneficio expectetis. Dignamini etiã expectationem noſtram de veſtra, ac domni Regis ſalute; patrumque, vel fratrum veſtrorum reciprocante nos pagina † conſolari manu propria. Incolumem Excellentiam veſtram ſuperna pietas tueatur.

*† m. ſ. quem.* — *† m. ſ. conſolare.*

### Item Epiſtula domni Deſiderij ad domnum Sigebertum Regem.

*Domino glorioſiſsimo, triumphali palmate coronato, ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ filio Sigiberto Regi, ſeruus veſter Deſiderius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.*

DVm & contigit de præcelſo domno noſtro genitore veſtro, quod nec pietati veſtræ tam cito fuerat optabile. Vos, reuerentiſſime domine, tam de nos ſeruos veſtros, quàm & de cũctos fideles integram dignamini habere mercedem. Vt quos genitor veſter pie enutriuit, veſter rigor æquanimiter portet. & dũ vos Deus omnipotens ſua pietate in regni ſolio ſublimauit, & tãtum vobis dedit prudentiæ intellectum; præſumimus commonere celſitudinem gloriæ veſtræ, vt ſemper † protectoris veſtri memoriã intimiore corde retineatis. Semper cogitetis, quid poſt regni ſceptra futuri eſtis, & ad qualem remunerationem pro operum qualitate venietis. Nos pro Epiſtolæ parcitate modicũ quid monuim⁹. Vos taliter in omni opere, in omni cauſa, in omni iudicio voſmetipſos exhibere, vt quando perfidi Reges cum iniquis damnantur, vos pro bonis operibus † æternam remunerationem percipiatis. Explicit. 3.

*† ſ. pro genitoris, vel præceſſoris vel protectoris noſtri.* — *† m. ſ. æterna remuneratione.*

### Item Epiſtula domni Deſiderij ad domnum Sigebertum Regem.

*Domino glorioſiſsimo, atque piiſsimo, vbique præcelſo ſanctæ Eccleſiæ Filio Sigeberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei, atque per gratiam eius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.*

QVod vos pia ſollicitudine dignati eſtis litteris cõſolare, inſufficiens eſt mens noſtra gratiarum iura perſoluere. Qua de re ſingulari poſtulatione credidi depoſcendum, vt ea me dignatione iubeatis peculiarius confouere, qua Domini Genitoris veſtri circa meam puſillulam, exiguamque perſonam habita eſt gratia familiaritatis. Volui quidem ſic obtemperare, vt nõ prius ad vrbem redirem, donec, ſi potuiſſet fieri, veſtri culminis præclaram celſitudinem vidiſſem. Sed quia hoc difficile fuit, ideo nunc latorem præſentium commẽdare præſumo. Per quem officia ſalutationum digno culmini 4.

mini vestro honore persoluens, quæso, vt petitiones ipsius in effectu positas, me de vestræ excellentiæ incolumitate † dignetis facere certiorem,

† dignemini.

## Item Epistula domni Desiderii Episcopi, ad domnum Dagobertum Regem.

*Domino gloriosissimo, atque piissimo, vbique præferendo, vndique præcelso, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ filio, Dagoberto Regi, Desiderius seruus seruorum Dei, & vester fidelis.*

5. DVm, plerumque pro conditione Ecclesiastica me necessitas compellat ad celsitudinem culminis vestri apices dirigere, ipsa tamen recordatio contubernii, & † dulcedo auspicatæ indolis pubertatis monet, vt frequenter, si fieri possit, me exiguum famulum solertissimis obtutibus vestris præoptem præsentari. Qua de re salutationis obsequio eo quo decet honore prælato quæso, vt de cõditione Cadurchæ Ecclesiæ, cui Deo auctore, ex iussu vestro præsedeo, pro qua nunc præsentium latores apicum ad excellentiam dominationis vestræ festinant, pro diuino respectu vel iustitiæ contemplatione integra mercede studeatis habere, solertissimo libramine causam trutinate; & qua iustitiam perspicitis ponderare, illuc sententiã declinare. Nec solum de hac re, sed omni tempore de omni conditione sententiam Regis iustitia præcedat & veritas. Iudicium quoque misericordia comitetur, propter illud Apostoli: Iudicium sine misericordia erit ei, qui non fecerit misericordiam. Age ergò præcellentissime Princeps, mi domine Dagoberte, age taliter, vt dum singularem inter homines regni apicem obtines, ad æterni regni singularem gloriam sine confusione attingere possis. Me quoque non superfluum iudicetis pro pia commotione, sed amanté mente amés pro salubri exhortatione. Explicit.

† m. s. dulcedo. f. dulcitudo.

Iacob. 2. 13.

## 6. Item Epistula domni Desiderii ad Grimoaldum Præpositum Palatii.

*Domino Inlustri, totius aulæ, immoque regni † Rectori Grimoaldo Maiori Dominus, Desiderius exiguus seruus Dei.*

† m. s. Rectorẽ G. maiorẽ. Et nota quod in hac Epistola m. s. eiusdem errores etiã manifestos exprimimus, vt fides ademitas constet.

PAgellati officio suggero, vt harum portitorem apicum commendatum digneris recipere, & quæque ore proprio suggesserit effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me vestris animis eo ordine commendate, quo parentum vestrorum affectu sum vnico deuinctus, precor vt illam gratiam genitoris vestri, erga me tenere digneris, † quæ me vobis faciat placabilem, & vestram mihi præstet semper optabilem. De condicionnecula etiã Ecclesiæ nostræ, & pauperum suorum singulari mercede studere habere, easque per omnia habete commendatas. Nos quoque in sinu gratiæ vestræ, non vt meremur, sed vt optamus, atque confidimus, paterno confouete affectu. Et si de hoc, quod suggessimus, sperata conceditis, simul & de vestra ac Domini Regis, vel fratrum vestrorum incolumitate, aut † quicquid nos scire recte censeris, quod in illa regione agitur, rescripti nos serie dignamini certificate. Incolumem vitam vestram superna pietas tueatur.

† m. s. quæ quæ.

## Item Epistula domni Desiderii ad Medoaldum Treuericæ vrbis Episcopum.

*Domino semper suo Medoaldo Papæ Desiderius peccator.*

7. SI gratiarum iura beneficiis vestris recompensare voluero, non sapiam. pro illa scilicet supereminentia bona, quæ anno præsenti erga nos largitas vestra desseminare studuit. Pro impensas videlicet superfluentes, pro itinerarium multimodas necessitates. Nec solum famulantium oportuna subsidia non pauca misistis, sed etiam nosmet & expensis, & muneribus ampliastis. Implesti, beate pater, largitatis officium, sustinuisti peregrinationem nostram, compassus es laboribus nostris, & longe à solo patrio positos, ita paterno affectu fouistis, vt nec regionis vbertatem, nec parentum † dulcedinem ex inopia desideratem. Dominus noster Iesus Christus, in cuius amore id impendisti, tibi pro nostra extremitate retributor exsistat. Nunc igitur famulatus mei iura persoluens supplico, vt quem tunc beneficus consolastis, nunc orationibus beneficio iuues. Latorem præterea præsentis officii communem Claudium Abbatem recipite per omnia commendatum, & munuscula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cùm se de mundo oportunitas contulerit, de vestra, & domni Regis, vel fratrum ac filiorum vestrorum mereamur incolumitate rescripti serie consolari.

† m. s. dulcedinem & inopia desiderii.

## Itẽ Epistula domni Desiderii ad Chodusũ.

*Domino Inlustri, & à nobis peculiarius suscipiendo domino & in Christo Filio Chodufo Desiderius. peccator.*

IN sancti Apostoli Pauli dictis scriptum habetur: 8.
quod vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Iam quantum me hactenus de gratia vestra dolui contristatum, superabũdare me de vestra gratulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate sum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor, cùm recolo, quanta erga me dulcedo vestra est pia voluntate diffusa. Vnde gratulatione maxima præsentem paginam ad dominationem vestram destinaui, per quam salute vberi fusa, precor Dominum, vt magis, magisque suam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat successibus abundare. Et quia scriptum legimus: Generatio rectorum benedicetur, Tu vir excellentissime benedictiones paternas semper memoriæ viuacitate conuersa, & si qua sunt, vel quod monuit, vel quod egit, quasi ante oculos præsentato tenne memoratu. Multa enim sunt de eius gestis tuis auribus recolenda, quæ si gestis adicias vitæ huius & intenta meditatione conserues, Ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo probabiliter probe polleas, & instinc cursu feliciter auspicato, paternis muneratus præmiis adiungatis. Interea, quanquam necessarium esse non ducam, latorem præsentis officii multa deuotione commendo, & vbi quod aut iste dixerit, aut aditum cognosceris oportunum, cõditiones patroni vestri beati Stefani, cuius administrationem gerere videor, habete receptas, & per omnia commendatas, vt ipsi domini rerum, quibus vice nostri Redemptoris seruire videmur, ipsi vobis impendia æterna compensent ac supplementum suæ tribuant largitatis.

Rom. 5. 20.

Psal. 111.

## Itẽ Epistula domni Desiderii ad Abbonẽ.

9.

*Domino semper suo † Abboni Papæ Desiderius peccator.*

† m. s. Abboni.

DVm lator præsentium apicum † ab obseruando illo Monasterio iussus accedit, & quia necesse est vestro eum patrocinio commendemus; igitur famulatus mei officia persoluens supplico, vt eum sicut famulum gratia pietatis vestræ recipiat commendatum, & de cõdiciunculas domni Stefani, vndecunque fuerint exortas, adhibete sollicitudinem. Sicut me de vestra gratia confidere, vt credo, nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in nostris supplimentis, & Ecclesiæ, cui seruimus, vel pauperum eius oportunitatibus præstes, quid vigilando prospicias, quidne experientiæ actionis tribuas. Nosti omnia, omnioque non ambigens, quibus laboribus † vrgemur, quibusque fatiga-

† m. s. ad obseruãdo illo monasterio & quere commisũ.

† m. s. vrgimur.

mur ærumnis Hoc solum cupimus te velle. Nam posse daturus est ille, sub cuius nomine nos præsidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt istum famulum batum optatem frequenter, si possibilitas arrideret, sacris vestris interesse colloquiis, vt sicut nos sub sęculi habitu in contubernio serenissimi Flothari Principis mutuis solebamus releuare tabellis, ita iam nunc illa ad plenum deposita vanitate dulcia liceret Christi ruminare præcepta. Sed quia sicut mens anhelat, affectus sequi non præualet; hoc sufficiat dicere † dum fauore vestræ charitatis non mediocriter sum recreatus. Proinde gratissima effusa salutatione, pergo, vt quem tunc & affatibus bonis, & benigna charitate consolastis, semper in memoriam vestri † interni intimum teneatis latorem, præterea præsentis officii, qua valeo insinuatione, vobis commendo, & precor, vt in omnes conditiones, quas exerit, benignum iubearis præbere fauorem & per ipsum, vel quandocumque aditus extiterit, de vestra felicitate mereamur certificari. Vale vir Dei, & memento mei.

[Margin: videtur se aliquid deesse. — † donum — † m. s. int]

## Item Epistula domni Desiderii ad domnum Dadonem Episcopum.

*Sancto ac præferendo Apostolico patri Dadoni Papæ Desiderius seruus seruorum Dei.*

10. DVm plurima tempora elabuntur, quod præsentiam vestram videre nequimus, nunc immensa se gratulatio méti obiecit, dum aliquatenus vel post diutina interualla sese oportunitas † præhibuit, qua vel pagellari officio me vestris conspectibus præsentarem. igitur debito obsequio humiliter exhibito, illud peculiaris peroro, vt quem quondam in ipso flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuisti, semper concedere digneris illum meum Dadonem. Maneat pristina inter nos atque illum tuum, immò nostrum † Eligium inconuulsa charitas, indisiuncta, vt fuit quondam, fraternitas. Mutuis nos iuuemus precibus, vt quemadmodũ in aula terreni Principis socii fuimus; ita in illo superni Regis cœlesti palatio simul viuere mereamur. Et licet de nostro collegio duos iam amiserim germanos, habemus pro his venerabilem Paulum, nec minus prædicabilem meritis Sulpitium. Quisquis igitur nostrum quantum plus præualet, tanto amplius profectuum gradus conscendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me vestris orationibus, quàm meis viribus attingere posse confido. Tantum est, vt indesinenter vos orare dignetis; & pietas Domini nostri Iesu Christi, credo, præstabit, quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

[Margin: † præbuit — m. s. Eligiũ.]

## Item Epistula domni Desiderii ad domnum Paulum Episcopum.

*Domno semper suo Paulo Episcopo Desiderius peccator.*

11. IAm credo ad aures tuas perlatũ, qualiter Monasteriũ construere cœperim, & Basilicam mihi Domino cooperante consummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apostolicam dignationem vestram, vt ibidem ad Dedicationem interesse dignemini. Et cùm nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis simul diebus commorantes, de illa perenni ac desiderabili vita, de qua mutuo suspirare solebamus, familiaria colloquia desidero, vt habeamus. Alios etenim plures Episcopos interesse faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent. Quorum nos contubernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur charissime, quantum longius, tantum velocius; vt post diuturnam corporis absentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit credo Dominus de se concionantibus, adstabit orantibus. Nec nos deseret vnquam qui passus est pro nobis, de sede † veniens paterna. Orantem te pro nobis potentia Domini nostri Iesu Christi conseruare dignetur.

[Margin: † m. s. venire.]

## Item Epistula Domini Desiderii ad domnum Sulpitium.

*Sancto Patriarchæ Sulpitio Desiderius seruus seruorum Dei.*

COndecet primæ sedis Antistitem, vt solers circa cum consacerdotum exhibeatur solicitudo; vt dum vicissim iura charitatis glutinantur, facilius deitatis consortio interesse mereantur. Iuxta illud, quod sacratissimo eximii vatis ore pollicitus: Ego, inquit, inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo. Nec non & Domini dictũ: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo & ego in medio eorũ, quapropter, Papa beatissime, vestra sit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumq; inter fratres serpit, vestro libramine radicitus euellatur. Nam nostri erit studii solatia oportuna præbere. De cætero prece qua valeo supplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adsistitis, nostri memoriam sacris precibus interseratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præsentiarum rependitis. Qui quamuis non, sicut oportet, oramus, orandi tamen instantiam non omittimus. Memento mei Papa beatissime, & cultoris tui merita orationibus foue. 12.

[Margin: Iere 7. Matt. 18.]

## Item Epistula Domini Desiderii ad domnum Cæsarium.

*Domno semper suo Cæsario Episcopo Desiderius peccator.*

DEsiderabilia nobis gaudia eueniunt, quotiens se aditus præbet, ex quo pusillitatis nostræ litteras Almitati vestræ possumus dirigere. Ideoque prælata occursionis obsequia fraterna charitate mouemus, vt causas vnde mutua fuit confabulatio, id est, de id, quod ad profectũ animæ pertinere noscuntur, toto conatu, omnique adnisu elaboretis adsequere. Sicut è contra illa, quæ euidenter saluti animæ obsunt, tota virtute studeatis fugere. Et quia charitas omnia suffert, sicut nos videtis de vestra salute sollicitudinem gerere, ita vos quoque de nostra exiguitate dignamini sollicitare, ne, quod absit, culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoque in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egestatem de aqua; quam fons præbeat in hac Cadurcina ciuitate habemus. Sed voluntas nobis inest, si † possis permittit, vt per tubos ligneos subterraneo officio ad ipsam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de ipso faciatis. & vnde iuberis nos plenissimè † te seruimus. Agat Apostolica dignatio vestra taliter tàm de prælata monitione, quàm & de vltima suggestione, sicut nos in omnibus efficacius de parte vestra confidimus. Incolumem Pontificatum vestrum diuina pietas custodiat. 13.

[Margin: 1. Cor. 13. — † Fort. possessio vel possessor. — † Fort. reseruamus.]

## Item Epistula Domni Desiderii ad quandam Sanctimonialem.

Deside-

14. *Desiderius Episcopus Aspasiæ Abbatissæ salutem.*

Luc. 7. LAcrimis tuis hactenus motus hanc tibi historiam
de Euangelio egregiæ illius fœminæ destinaui. In
ipsa quippe diuinam consolationem reperies, & timo-
rem, consolationem quidem, quoniam qui de peccati
onere resipiscet, hanc animam pia Domini benignitas
non refutat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad
seruitutem Domini, continuo ad tentationes sustinen-
Eccl. 2.1 das se fortiter paret, dicente Salomone: Fili accedens
ad seruitutem Domini, sta in timore, & præpara ani-
Luc. 15. mam tuam ad tentationem. Gaudium quidem, est in
7. tuis lacrimis, & exultatio fit in cœlis, dum ipsa sponte
damnas, quod male sponte contraxeras. Absit enim, ne
sicut Eua seducta est per serpentem, ita tu ad rediuiuas
recidiuas. miserias cupias reuertere. Ergo compatiatur anima tua
dolori meo, vt ego possim vulnere sanato lætificari de
bono tuo. Age pœnitentiam, quantum melius potes;
Prou. 4. & omni custodia serua cor tuum. Confido ego in Do-
23. mino meo Iesu Christo, quia cito obliterabit omnem
† f. confessionis. maculam tuæ † confessionis bona confessio. Vigila as-
sidue, & ora, vt nullatenus retrorsum respicias. Me-
Luc. 9. 61. mento quid Veritas dicat: Nemo ait, ponens manum in
aratro, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum.
Respicere autem retro nihil est aliud, quàm pœnitere
quenquam, & abiicere quod cœperit bonum, & rur-
sum mundialibus negotiis implicari. Recordare etiam
Gen. 19. vxoris Loth quod vtique Dominus speciè hactenus per
Euangelium pœnitentibus fuisse noscitur protestatus.
Ergò in hac historia continetur & magnus pœnitentiæ
fructus, & impletum in cœlis gaudium coram Angelis
sanctis. Cùm illa, quæ fuerat ante peccatrix, meruit
Luc. 9 suis lacrimis promere spem salutis. Oro ergo, & per
Dominum Iesum Christum te obtestor, vt non des am-
plius diabolo locum, sed in ieiuniis, & obsecrationi-
bus, & vigiliis te instanter impendas, & quantum sen-
tis te hominum destitutum præsidio, tantum tibi diui-
num adesse flagites adiumentum. Iterum ac sæpius mo-
neo, vt hæc à te historia frequentius relegatur. Et in tan-
tum pro te insta, vt etiam pro me apud Dominum te
credam posse aliquid obtinere.

15. Item Epistola Domni Desiderij ad Felicem Narbonæ vrbis Episcopum.

*Domino semper suo Felici Præsuli Desiderius peccator.*

ANte dies aliquot quidam frater litteras vestras
nobis exhibuit, plenas doloris & mœstitiæ, qua-
A rum tetra superficies nihil serenum, nihil iucundum, vel
ad charitatem pertinens innuebat; siquidem à summis
ad ima vsque molestiæ exitiales querimoniæ ibi iacebant.
Et forsitan mea negligentia, non mea culpa ita confe-
cta. Non enim reor me hactenus adeò fuisse vestra of-
fensa pulsatum, vt huiusmodi iurgia pontificalia visce-
ra † replerent. Et licet vestræ aures viperea infusione † m. s. repleren-
subpletæ serpentis erumperent sibilum, nostra tamen tur.
præcordia præcepta Christi meditabantur in arcanum.
Et quamuis serpentina astutia iurgiorum propinaret
venena; ego tamen, vt de vestra essem caritate depulsus,
magis mœrendo dolebam. Proinde precor propensius,
si in me remansit actio culpæ, vestra pia almitas interce-
dat, vt sententiæ aduersæ prorsus aduertat. Sin autem
fucta me ambiunt accusatione vexare, contuendum cen-
seo, & à vestra censura oppido fore cauendum; vt aures
vestras viperina venena, ac velut † Sirenarum cantu le- † m. s. Serena-
B talis sibilus non infundat, Ego me vestrum, non vt opi- rum.
nor, iniusto iudicio subdo, vos propensa ratione tracta-
te, vt indemnem nequaquam damnare † dicere iubea- † fort. temere.
tis: quapropter salute humillima precor, effusa, vt quia
dudum me qualibet minorem iudicio tamen parem
esse duxistis, non nos separet vitiosa & pertinax audacia
suadentium, quos pia hactenus & salutifera caritas ne-
ctere iussit. Ego itaque ac si supra vires fari queat, iussio-
ni non obsisto; dummodo à vestræ dignationis gratia
non auellar. Quod minus vtilis styli exarauit impressio,
affatu latoris præsentium est ore commissum, ipsum di-
ligenter auscultate; & tunc verè cognoscetis, quantum
vobis honoris reseruet. Date igitur veniam, date gra-
tiam, date piam affatur copiam, vt qui pro Christi exem-
ploante vestra vestigia caput humile subdet, non con-
culcandum, sed potius eleuandum vestra bona pietate
se putet. Certè multo melius est cum humilibus in con-
spectu Dei exaltari, quàm cum superbis humiliari.

C

*Dominis sanctis, & cum summa veneratione memorandis domnis Episcopis & Abbatibus, nec non & sublimibus atque Magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defensoribus, Centenis, & hominibus Publica vel Ecclesiastica agentibus, Desiderius seruus seruorum Dei, vrbis Cadurcæ Episcopus.* 16.

QVæsumus domni, vt pro nobis orare dignemini, &
harum portitorem, Vnredium Presbyterum, vnà
cum puero itineris sui comite, commendatum recipia-
ris. Quia non, vt multi † girouagi, circumuentiones † gyro-
prætendit, sed pro rationabili peregrinatione Hispania- uagi.
rum petit Ague itaque vt à nullo inquietetur, neque pa-
tiatur iniuriam. Sed magis vestro aditu in antea proficis-
catur securus. Propitij recenseatis domni semper nobis.

*Finis dictio sancti Desiderij Episcopi.*

# AD DESIDERIVM EPISCOPVM CADVRCENVM EPISTOLÆ.


*Abbonis Epiſtola* 13.
*Auiulfi* 3.
*Bertegyſeli* 2.
*Chanulfi* 14.
*Conſtantij* 4. 15.
*Dadonis* 4.
*Elegij* 6.
*Felicis Epiſtola* 21.
*Galli* 20.
*Palladij* 18.
*Pauli* 11. 12.
*Rauracij* 7.
*Sigeberti Regis* 9. 17.
*Sulpitij* 1. 10.
*Veri* 16. 19.


*ITEM*

† al. quorum ordinis. † Epiſtola Sulpitij ad Verum.

*Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij ſancti Galli edita.*

## INCIPIVNT EPISTOLÆ DIVERSORVM PONTIFICVM AD DOMNVM DESIDERIVM DATÆ:

*NVNC*

### Epiſtola Domini Sulpitij ad Domnum Deſiderium.

*Domino ſemper proprio atque Apoſtolica ſede colendo Domno Deſiderio Cadurcæ vrbis Pontifici Sulpitius † Britorica vrbis Epiſcopus.* († ſ. Biturica.)

EXCITAVIT animum paruitatis meæ eximia dulcedo magnitudinis tuæ, vt Pontificalem ſacerdotij veſtri laudem inſignem, vel ex parte tenuem præſumam differere ſermonem. Sed vniuerſa, ſubito virtus defecit in verbis, quem exſuperauit tantæ materia dictionis: vt rudimenta tantarum † anguſtiarum ſtudia animo librante penſatam, ipſius magnitudinins molo, victus ſuccubui, vnde meo ſaltem voto ſatisfeci. † etſi veſtro implere ſuffragio non valui, libens tamen qui aliud nihil domioationi veſtræ prodeſſe appareo, ſed vos ſemper pietate conſueta tanti habetis inquiſitionem nos velle frequenter viſitare. Vnde imprimis incolumitatem veſtram inquirentes, quod optamus potius tàm † motu corporis quàm linguæ mutuó ſermone complere, dum regionum longinquitas non diſcrepat aſpectum, niſi tantùm modo fraudat interiectionis ſpatium, & ipſum tamen dilectio cernit intuitum cùm figurat † animos recordatum. Ergo nihil perdet abſentiam, quod præſentialiter laborabit præſentiam, ſemper in dirigendis apicibus beatitudo veſtra ſoluit officium, vt plus debeat reddendum agminis famulatum, quàm meritis conſideret debitorem. Auctorem cœli præſumimus poſtulare, vt veſtram iubeat prætendere vitam curſibus annotum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples ſeruatur † nomine mundus. Et diu † firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapſa magis ſolidata reſurgunt. Iſtud manu propria fecit à tuis temporibus, veſtræ gratiæ ſeruire merear mihi peculiaris domine.

(Margin notes: † m. ſ. anguſtiorũ. † m. ſ. ac ſi. † m. ſ. motum. † ſ. animus. † m. ſ. nomini. † m. ſ. firmantur.)

### Item Epiſtola Bertigiſli Abbatis ad domnum Deſiderium, cum adhuc laicus in palatio degeret. 2.

*Domino inluſtri, à nobis ſumma dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando domino Deſiderio Theſaurario Bertegyſelus Abba.*

LIcet libenter ae frequenter noſtros miſſos pro ſuſcitanda incolumitate glorioſi Domini Daeoberti Regis debeamus dirigere, his tamen diebus ſpecialiter direximus famulum veſtrum Dulcidium Diaconum ad veſtram ſolertiam, vt per veſtram inſtantiam, & de ſoſpitate domno debeat ſollicitare, & de veſtra nos incolumitate poſſit certificare. Sicque de ambas partes, vt cupimus, votiua nobis gaudia valeat denuntiare. Et licet placitũ cum Philippo Patritio illuc ante ipſo domno habemus, pro eo, quod miniſteriales noſtros poſt ſe retinere videtur; vnde petimus, vt præſens frater † per veſtro conſilio, & efficaciſsimo adiutorio vos per omnia tuentes & inſinuantes, ipſa cauſa valeat effectum producere. De pueros etiam, quos ad opera dominica per veſtra ordinatione direximus, ſi aliquid faciũt, quod domno ſit placitum, veſtra inſinuatione diſcamus. Annis multis diuina potentia veſtram ad ornatum vel conſolationem multarum conſeruare dignetur, domine ſemper meus peculiaris patrone.

(Margin notes: ſ. Dagoberti. m. ſ. per veſtra inſtãtia. ſ. per veſtra cõſilia & efficaciſsima adiutoria nos.)

Epiſtola

## Epistula Auiulfi Episcopi ad domnum Desiderium.

3\. *Domino sancto, & Apostolica sede dignissimo domino & Patri Desiderio Papæ Auiulfus peccator.*

VNde nobis iussistis, & nos † sanctitatis vestræ innotuimus clericum vestrum nomine Druclulso per amicũ nos de Spania recepimus ipsum nunc † præsente misso vobis direximus. culpas precamur, vt † excusatæ sint, & ipse de cætero emendatus resideat Dõni pietas si ista nobis concedit, grandem nobis fiduciã de sua gratia facit. De cætero quod præsens missus vobis suggerit pro conditiones nostras domnus obtemperare dignetur, & ad effectum perducat, vt melius nobis delectet quousque audiuimus vestro semper seruitio inhærere Salutare quidem noo audeo. sed deprecor sanctitatem vestram, vt pro me humillimũ vestrum in sacris orationibus vestris memores esse dignemini.

*leg. sanctitatis. † m. s. pro præsente misso. m. s. excusata s. & s. d. c. e. resideat*

## 4. Epistula Constantij & Dadonis Episcoporum ad Domnum Desiderium.

*Domno semper nobis proprio, & post Deũ peculiari patrono Desiderio Papa Constantius & Dado Episcopi.*

SEcũdum quod per litteras vestras insinoastis, & iuxta quod filius vester domnus Godenus mandauerat eredimus, † quod hesterno ad illud monasterium venisset. sed dum † dabo odie apud Cariatone & Mautino † comitem videre minimè possumus, Flauianus autem denunciauit, vt quota feria apud ipsum iungamur. Et quia læsionem nobis inferre copit, epistulam sanctitatis vestræ ad ipsum deposcimus, vt dum nostra fiducia ruramur, vestra autoritate in omni parte muniamur. Prælata prios debita salutationis obsequia; rogamus impensè: vt pro nostra paruitate exorate dignetis; nosque semper io sinu gratiæ vestræ consouendos retineatis. Annis multis vobis seruire mereamur beatissime Papa.

*m. s. quod esterno ad illo monasterio. † locus corruptus. m. s. comitem.*

5\. *Domno sancto & Apostolica sede colendo Fratri Vero Rutenseo vbs Episcopo Sulpitius peccator.*

IN quantum vobis vir Apostolicus domnus Desiderius Caduteæ vrbis Episcopus per litteras suas innotuit, gtaui iniuria homines sui à Perricio † Diacono vestro in pattocia sua Aronnaco pertulerunt. Et audiuimus, quod Aprilis † kl vobiscum exinde placidum debeat habere. Propterea salutantes charitati vestræ rogamus, vt taliter aduersus domno Desiderio ordinetis emendati, si cognoseitis, quod superius † scripsit Diaconus exinde negligens est, qualiter vestra est prudentia, & si hoc fortasse ipse dicat, obaudire distulerit, & totaliter si noo emendatur, qualiter domno Desiderio voluntas est, non aliter fiat, oisi in placito, quod vobis sopta scriptus Pontifex denuntiauerit † memora.... diaconus vestro per fideiussores vna cum indiculo vestro ante paruitatem nostram faciatis dirigere. Interim oos exemplar epistulæ apud nos retinemus. Petimus vestræ dulcissimæ sanctitati, vt in sanctis orationibus vestris nos memores esse dignetis.

*m. s. Diacono. † Kal. April. Hic locus omnino corruptus est, fo. si cognoscitis, quod superius scripsi. Diaconus exinde negligens est qualiter vestra prudentia (etsi hoc fortasse ipse dicat) obaudire distulerit. M. s. memorauerit, sed hæc vox erasa fuit, & correcta ita vt nescias, an legendum sit memorato, an memoratus, for. leg. memoratum Diaconum vestrum.*

*Domno semper suo atque Apostolico Patri Desiderio Papæ Elegius seruus seruorum Dei.* 6.

QVotiens aditum scribendi gratiæ vestræ reperimus, totiens nobis † cumulus gaudij videtur adcielere. Quapropter cũ salutationis officio illud propensius præ cunctis conditionibus deposco, vt quotienscunque inter mũdanas sollicitudines mens ad statum quietis præualet attingere, memoriam prauitatis nost æ sacris precibus vestris subiungere nõ omittatis. Quod nequaquam credo, vt nostri obliuio vllatenus apud vos cadat, vt nec vestra apud nos vnquã senescere nouit. Sed non incongruè arbitraui rediuiua commonitione eadem ingerere, cùm nimirum constet, quod nulla in præsenti sæculo causa ita mentem stimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, & beata iustorum patria desiderij immensitate viscera, mentemque sollicitet. Quamobrem vt vndequisque attentius cogitat, inde frequẽrius & loqui studeat. Proinde mi vnanimes pia viscera Desiderij, memento semper Elegij tui, cum preces Domino fundes. Et quamuis nos terrarum interpositio longe ab alterutrum separet, nec queat nos subinde corporalis coniunctio sociare; in Christo semper simul versemur. Et ita viuere elaboremus, vt non post longum spatiũ anima simul & corpore sociemur, sociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præstabit, credo, nobis elementissimus Dominus noster Iesus Christus, cui gloria in æterna sæcula. Ameo. Saluto te supramodum sincerissimo affectu, salutat & Dado fidelis vtrorumque sodalis.

*m. s. cumulum.*

*Domno semper suo atque Apostolico Præsuli Desiderio Episcopo † Rauracius peccator.* 7.

CVm † humillimo salutationis officio commendo Apostolatui vestro seruulos vestros Nunmolum Presbyterum, & Garimundum, qoos ad vrbem vestram, & ad hospitiolum vestrũ Gregionacoſ, siue Abbates descriptionem mancipiorum † inquirendo direximus, supplicamus, vt commendatos ipsos recipere digneris. Et vbi ipsis necessitas extiterit, vestro auxilio in omnibus mereantur habere, vt quod Ecclesiæ vestræ Neruernensi ex ipso agro iustissimè redebetur, per eorum inquisitionem, vel vestro solatio perdere non debeamus. Simulqne suggerimus, vt de ipsa Cutrecella, vel hominibus inibi consistentibus sub vestra defensione tãquam propria familia digneris habere receptos & commendatos; vt de iudicom infestatione, sicut & immunitas nostra ex hoc continet, liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamor, vt redeuntibus famulis de vestræ felicitatis gaudio litteris nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis domine semper peculiaris atque Apostolice Papa.

*† an hic Rusticus † m. s. cũ humilitatis salutationis officiæ. Ad seruulos vestros Nummolo Presbytero & Garymundo. m. s. inquerida. m. s. gaudia.*

N B.

Hic in m. s. sequebatur epistola Desiderij, qua Vnedium in Hispanias euntem commendat Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Tribunis, &c. Quam epistolam supra cum epistolis Desiderij coniunximus, ordine decimam sextam & vltimam. 8.

*Sancto atque Apostolica sede dignissimo honorum titulis præferendo domno, & in Christo Patri Desiderio Papa Sigebertus Rex.* 9.

CVlminis vestri paginam deferente venerabili viro Bettore Abbate cum sanctis Eulogijs vestris me

cum summo gaudio comperite suscepisse. De id vero scripsistis, vt quam prospere nos diuina pietas degere permittebat, vobis insinuare deberemus. Cognoscite, vestra intercedente oratione, prosperè hactenus Christo præsule consistimus. Et gentes patriæ, nobis à Deo concessæ, pacifico ordine nobis obediunt gentes etiam barbaræ pagatismæ nobis cohabitant. De conditiones verò vestras, vnde iniunxistis, taliter Christo adiuuante ad effectum produximus, vestra fuit iniunctio. Proinde cum salutatione deuotissima petimus, vt per nos Domini nostri Iesu Christi misericordiam vbi iugiter sedulas funditis preces, exorare dignetis, vt sua largiente clementia, & hic pacificè viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

*leg. vt vestra.*

10. *Domno semper suspiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando domno Desiderio Papæ Sulpitius peccator.*

SIngularibus mysterijs pastorale competentar implestis officium, eo quod ad nostram paruitatem sollicitudinis destinantes affectu, dum gaudium, quod nobis ipsius Resurrectionis Dominicæ solennitatis principale contulit, pastoralis visitatio geminauit, in qua † vtrinque pattim & benedictio in oblationes, & affectio præfulsit in apices. Reddentes ergo munia sospitatis, optamus, vt multiplicatis annorum curriculis, vestris mereamur & Eulogijs recipi, & affatibus benedici annis innumeris vobis seruiam, & prosperis perseuerantibus polle beatissime Papa.

*m. s. vtraque parte Nam m s legit vterque partes.*

11. *Domino Reuerentissimo, palma triũphali decorato, ac Põtificali nomine adornato præcellentissimo Ecclesiæ speculatori Desiderio Papæ Paulus peccator.*

MVlta sum alacritate repletus, quia adoptatum, desiderabilemq; diem à diuina miseratione promerui, mellifluis reciprocis vestris reperire. Quas recensitas immensas creatori nostro egi prærogatiuas, quòd incolumem vos esse cognoui. De id vero quod ibi intimasti, vt de causa Inlustris matris familiæ Bobilanæ aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus præsentis latores officij vobis ore proprio edicere possunt. Præterea multiplices dominationi vestræ agimus gratias de eulogijs sanctis, da Faleino nobili, vel vasculis decem, quæ nobis tanti habuistis dirigere. Super excreuit quidem, & superabũdauit benedictio largitaris vestræ, adeo, vt dum nos vnam falerni amphoram deposcimus, vos eminentia vasa, & vt verius dicam, tunnas decem elegantissimi Falerni tanti habuistis dirigere. Nec solum sic inopiæ nostræ credidistis sufficere, sed etiam in multis adhuc excellẽtioribus donatis, magnificentiam erga nos vestram studuistis augmentare, dilatare, supp'ere, ac super excedere. Vnde pius Dominus vobis retributor & hic & in æternum existat. Nos enim non sufficimus tantas Almitati vestræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde illum, qui sufficiens est, supra quam petimus, aut intelligimus, largiri, in ipsum caussam remunerationis vestræ committimus. Nos quoque in sanctis, ac Deo placitis orationibus vestris commendamus, nostram animam in suffragio vestrarũ precum committimus. Nos sane, vt valemus, indesinenter pro † vos orationi insistimus, vt vos vndique gratiarum muneribus circumseptum, ad coronam gloriæ iubeat perducere, & nos per vestram intercessionẽ ad spem salutis, & portum quietis dignetur admittere, vestrique sequipedam permittat existere. Annis multis vobis, peculiatis domine, mereamur seruire.

*m. s. de eulogias sanctas de Falerno nobile vel vascula decem.*

*s. vobis.*

12. *Domno semper suo Desiderio Papæ Paulus peccator.*

APices sanctæ dominationis vestræ redeuntibus fratribus Frodoleno & Ruccone de Mettis accepimus, vbi nobis per singula pietas consueta instruere dignauit. vnde omnipotenti Domino gratias agimus, quod vos iuxta nostrum desideriũ incolumem cognouimus. De Regis conditione innotescimus, nuper per Viredunum † Remos pergit, ibique natiuitatem Domini expectat. † Inde autem Lenduno accedit, & inde in Masao, ac post ripa Reno pergit. agnoscatis Chainoaldum Episcopum ictuatum etiam fati munus implesse. Cæterum vt ad vestra beneficia mentis oculos reflectam, nec si lingua clamet ferrea, vt quidam Poeta ait, aut cẽtena sonent spiramina, nullatenus potest quis tanta narrare Dei magnalia, quantum eius in viscera vestra diffunditur gratia. Nos præcipuè nec factis possumus repensare, nec verbo explicare, quanta erga me dignatis impendere. Dominum tamen indesinenter oramus, ipse vobis pro nostra paruitate æternus retributor existat, & cœlestia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me vestra sublenet beate & venerabilis Papa.

*m. s. Remos. †*

13. *Domno semper proprio Desiderio Apostolico Papæ Abbo peccator.*

LItteras gratiæ vestræ tam per anteriores missos, qui cum filio vestro Chedeno venerunt, quam & quas postea cum Babone accepi, per quas præcepisti, vt de vestris conditionibus, iuxta quod Deus posse dabat, sollicitudinem gererem, Deo soli sufficit non latere. Quia cum integra fide & promptissima voluntate id adsecutus sum, & ordinationes † dominicas infirmatas sunt, vt de res illas, quas leua tenebat præsentaliter Bobila reuestita esse debeat. Nam per vestra gratia non nobis sine labore constauit. tamen dum scimus, quod iustitia est, credimus de Dei pietate, quod sic pro vestro prudentissimo consilio causa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem Rotounllo sicut scitis, dominus Dacobertus Rex ipsam pro amplius, quàm quingentos solidos in luminatia ad basilicas Metenses delegauit. Quia scitis, quod pater Bobilanæ Agylenus bne fratri nostro Vero Episcopo vendidit; & postea seruus tam ipsa portione, quàm & illa alia, quæ meorum consortes tenebant, ipse Seuerus redemit, & Domino Dacoberto vna cum alia sua facultate deligauit. Vos vero taliter cum domna Babila agite, vt exemplaria, † quæ pro filio vestro germano meo Gedeno, direxi, firmare debeat. Vos enim & in palatio Regis, vbi innutriti fuistis, benè cogniti estis. Quia melius est aliquid cum eo cõpartire, quàm solus nihil habere. Annis multis de vestra gratia congaudere domne semper meus.

*m s quæ.*

14. *Domno clementissimo, palmata triũphatione decorato, Põtificali officio coronato, domno semper meo Desiderio Papæ, Christique speculatori Chanulfus vester.*

IN primis quod nobis præcipuum & maximum est, salutare quidem non præsumo, deposco, vt nos domne in sanctis orationibus vestris Domino Deo cõmendare dignemini. deinde supplico Almitati vestræ, vt Dominus noster iubeat, vbi vestrum mereamur impendere occursum. Et quia hoc deuotio nostra desiderat, idemque ordinate, vbi vestram debeamus videre præsentiam. Orate pro nobis domine & semper desiderabilis pater.

Domno

15. *Domino semper nobis proprio Apostolico Patri Desiderio Papa Constantius peccator.*

COgnoscite domne nos orationibus vestris incolumes de palatio remeasse, & Regem modo Magantiæ esse. Et pro quo litteras præcipue misimus precamur obnixè, & tanquam pedibus vestris aduoluti quæsumus, vt si euenit, quod Natiuitatem Domini in territorio † Alugensi celebrare deliberetis, sic vos merear in Apostolatu videre, vt in ciuitatula vestra Albige ipsa solemnitate in Dei nomen celebrare debeatis non me spernere domne, non me despicere, non me tenuere, quo minus in tanta solemnitate non per te inlustretur, decoretur, orneiur Ecclesia; & ex tuo sancto ore benedictionem populus accipere mereatur. Interim quæso denunciate nobis, quàm celerius vltra Tarne accedere deliberatis, aut vbi possimus, quod sæpe desiderauimus, vestram videre præsentiam. Propterea enim de Natiuitate Domini de antea vobis suggessi, vt † alume antecedere non possint. Quia multi te desiderant, sed nemo plus, quàm ego. Pater iterum, iterumque suggero, & commemorare præsumo, vt non sic faciatis de ista Natiuitate Domini, sicut pridem, quando satis in domum vos habere volui, sed peccans meis obtinere non merui. Annis multis vobis seruire merear Domne † Desideri semper suscipiende pater.

*m. s. Alugensi.* — † — *m. s. Desiderij.*

16. *Domino semper suo Desiderio Papæ Verus peccator.*

IVssorium vestrum accepimus vnà cum † exemplari da litteris domni Sulpitii, vbi domnus innotuit, quod istum placitum de ista Synodo frater vester domnus Sulpitius alio tempore visus est inmurasse. Nos hoc gratiæ vestræ iam innotueramus per seruo vestro Becobeno Diacono, & postea per misso vestro. Sed quia Deo volente domnus innotuit, quod mea suggestio continebat, nos gratulati sumus, quod de vestra felicitate votiua gaudia meruimus cognoscere. Interea reddimus profusum nostri famulatus officium supplicantes vt pro nobis Domini misericordiam exorare digneris; & sæpius nos de vostra iubere felicitate consolare. Quia Dominus nouit omnipotens, quod ea, quæ bona sunt, de vos semper audire & videre optamus. Annis multis vobis seruire merear, Apostolice Pater.

*m. s. exemplaria de litteris Dõni Sulpitio. v. d. s quod istum placitum de isto Synodo.*

17. *Domino sancto & Apostolico in Christo Patri Desiderio Siggybertus Rex.*

DVm fabula currente à plures & fidelibus nostris cognouimus, quasi vocati † ab eodemque Patre nostro Vulfoleudo Episcopo Synodali consilio Kal. Septembris in regno nostro. Ignoramus in quo loco vna cum reliquos fratres & comprouinciales vestros debeatis coniungare. Licet nos statuta Canonum, & Ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conseruarunt, ita & nos conseruare optamus, tamen † dum ad nostiam antea notitiam non fuit perlatum; sic nobis cum nostris proceribus conuenit, vt sine nostra scientia † Synodale consilium in regno nostro non agatur. nec ad dictas Kal. Septembris, nulla coniunctio sacerdotum ex his qui ad nostram ditionẽ pertinere noscuntur, non fiatur. Postea verò opportuno tempore si nobis antea denuntiatur, vtrum pro statu ecclesiastico, aut pro regni vtilitate, siue etiam pro qualibet rationabili conditione conuentio esse decreuerit, non abnuimus. Sic tamen, vt diximus, vt in nostri prius deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta sanctitati vestræ destinare curauimus, per quæ petimus, vt pro nos orare dignetis, & ad istam coniunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis, & vt certius credatis, hunc † indiculum manu propria subter subscripsimus. Syggibertus Rex † Sub.

*m. s. ab eisque.* — *m. s. ad nostra antea noticia.* — *m. s. synodalis concily.* — *† m. s. indeculo.* — *† subscripsi.*



18. *Domino suo Desiderio Episcopo Palladius Episcopus.*

PRo intuitu fidei, & vnitate sacerdotum, quàm ecclesiarum vbique † diffusarum, spero ad pietatem vestram, vt hospitiola, † quæcunque in Cadurco ecclesia nostra videtur habere, hoc est, Bagidone, Pastoriaco, Bassiaco & Aleuernaco, vobis cum omnem rem mancipiis, vel terris, aut quidquid ad iure nostro pertinet, saluo iure Ecclesiæ nostræ, vobis in omnibus commendauimus, ita vt ab hodierno die omnes de parte nostra, qui in supradicta vrbe commanent, sint vobis commendati: & quoscunque de nostra præsentia hic direximus, vestra ordinatione, secundum quod decet, in omnibus potiantur. Similiter vbi Chromatia in re Ecclesiæ Bagidone commanet, quia frater suus Decotherius Presbyter † actorem ecclesiæ Sanctonicæ egit, & nunc ipsa Crumatia † qui ibidem per beneficium † præcaturiæ manere videtur, si eam cum omni re sua iubeas defensare, quomodo & deum mercedem habeas, & nos vobis gratias supplicationis agamus. Et per diem retributionis, & aduentum Domini nostri Iesu Christi adiurans rogo, vt sicut de affectione sanctæ animæ vestræ confidimus, sic integram dignetis adhibere sollicitudinem, † vt omnes iuris nostri homines, qui in vrbe vestra commanent, vnà cum antefata Cromatia, † piam vestri protectionem in omnibus mereantur promereri. Salutationum itaque iura persoluens, supplico, vt pro mea exiguitate orare dignemini, & vt certius nostra supplicatio habeat effectum, propria manu subter subscripsi, Palladius peccator hunc Mandatum meum relegi & S.

*† diffusam.* — *† quascunque.* — *† actor.* — *† leg. qua* — *† fort precatorie* — *† m. s. & dudum* — *† m. s. &* — *† m. s. pia vestri protectione.* — *& subscripsi.*

19. *Domino inlustri, & à nobis peculiarius suspiciendo pro Dei cultore eo nno Desiderio Optimati Verus peccator.*

ACcedentem filium nostrum Leodaldum Diaconum, oportunum duximus, vt dominationem vestræ caritatis inquirere deberemus; cùm sciamus deuotionem sanctæ animæ vestræ bona semper de parte nostra optare. Præsertim cùm nos vestro præ omnibus patrocinio potiamur. Propterea salutantes Eminentiam Vestram, rogamus, vt sicut cùm patrocinia vestra elegimus, & hactenus nos defensio protectionis vestræ insigniter muniuit, vt ita nunc quoque de conditiones nepotum nostrorum, vnde præfatum vobis suggerere rogamus, talem sollicitudinem atque instantiam adponatis; vnde sicut nos vobis sumus, ita ipsos quoque adquiratis per omnia debitores. Reduce etiam antefato de vestræ felicitatis eminentia rescripto reddito nostram sollicitudinem dignamini releuare. Dominus noster Iesus Christus custodiat corpus & animam vestram in die examinis sui, Amen.

20. *Domino semper suo, & Apostolico Patri Desiderio Papa Gallus peccator.*

DVm talis nuntius de clade à Massilia venit, quod omnem pæne prouinciam de populans vastet, domnus ordinet custodias mittere, & nullus de Cadurcino ad istas ferias in Rutenico, vel vicinas vrbes non præsumat exire, ne, quod absit, per quamlibet occasionem tantum malum in vrbem vestram videatur inferre, nam per ista contigua illis partibus loca † custodiæ positæ sunt, vt nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat, si non sollicitè † cogitabitis præuidere, periculum mortis instat. Præterea debita veneratione salutem mittens, quæso, vt in sanctis precibus vestris paruitatem nostram memorare dignemini, domne; † verius, pater.

*m. s. custodias positæ.* — *† rogabitis.* — *m. s. venus.*

21. *Domino semper præferendo, & cum omni veneratione nominando beatissimo Patri Desiderio Papæ Felix peccator.*

PRauorum adulantium concione percepta, ante hoc ferme biennium, reor misisse † epistolam, quæ serenissimā mentem vestram ac siquidem turbo pertransiens, nube obtexit, & licet non eo sensu fuerit edita, quo domnus censuit interpretandum, me tamen pœnitet incautè, & minus inculto sensu vel impolito sermone stilum exarasse, vnde † offensam sanctæ animæ vestræ potueram incurrere; nisi vestra bonitas causam admodiasset, pœnitet, inquam, me, & ter quaterque pœnitens, his excessibus veniam posco. postulo autem indulgentiam, quam tuis beneficiis, non meis meritis adipisci confido. Quam mihi gratiam ita nunc præstare dignabitis, vt nunquam me deinceps à sinu gratiæ vestræ, vel à clementissimo pietatis amplexu excludere, vel reiicere digneris. Inte hæc debita salutationis obsequia persoluens, illud peculiarius à sanctitate vestra petoro, vt omnibus maculis explosis in sacrosanctis precibus vestris nostri memoriam admiscere dignemini, domne, † verius & semper suspiciende Papa. Expliciunt.

† m. s. offensa.

† m. s. vero. f. venuste.

Item alia manu Faustus exemp. epistulæ meæ relegi & subscripsi. *Hæc subscriptio vnà cum aliorum Episcoporum subscriptionibus ad Epistolam Fausti, extant tom. 4. Bibliot. Patr. fol. 878. Margar. de la Bigne. edit. 2.*

## N B.

*Sequitur in m. s. Epistola Lucidi Presbyteri, errores Fausti, quibus temerè subscripserat, detestantis, quæ licet extet tom. 4. Bibliot. Patr. fol. 878. tamen quia in m. s. longè auctior est, ideò illam edimus supra inter Epistolas Fausti, &c. 4. fol. 431.*

## AD LECTOREM.

*IN præcedentibus plerisque Epistolis, maximè posterioribus, est incondita dictio, & errores nimis manifesti; quod maximè mirari quis posset, etiam in eorum Epistolis id hic euenire, qui alias sat elegante & Latino (vt illa tempora ferebant) sermone Epistolas dederunt. Vt proinde suspicio sit, vitia non tam auctorum esse, quàm exscriptoris. Hoc licet in aliquibus suspicari; non tamen in omnibus. Quare summa fide codicem m. s. expressi, errores manifestos etiam dedi. In dubiis & corruptis locis vel non diuinaui, vel id moneo. Neque enim dubito fore, vt docti hac editione excitentur ad inquirendos m. s. codices, ex quibus omnia restitui & persanari possint. Et quidem Faustus, Ruricius, Desiderius, aliique hic editi digni sunt, in quibus ornandis & restituendis docti laborent, quantum in Epistolis Symmachi, Sidonij, aliorumque à pluribus certatim videmus fieri. Tu beneuole lector hanc nostram primam editionem boni consule, & fruere.*

# FVLBERTI CARNOTENSIS EPISCOPI

## ANTIQVISSIMI EPISTOLÆ, ET ALIA OPERA.

Ex M.S. Cod. Biblioth. Reg. Colleg. Nauarræ, & Clarissimor. virorum D. Pau. Petauij Senat. Reg. & Nic. Fabri.

*Quæ tam ad refutandas hæreses huius temporis, quàm ad Gallorum Hist. pertinent.*

Reuerendissimo in Christo Patri D. Domino Philippo Hurault Episc. Carnotensi, Carolus de Villiers D. Theol. Parisiens. S. P. D.

*EN Fulbertus noster (Reuerend. Præsul) tandem è tumulo excitatus in solem prodijt, quem nec bimma ineri, nec vetustas rerum edax, absumere potuit. Non secus ergo vt Plinius C. Aelium Tuberonem functum præfectura, à rogo relatum domi fuisse narrat, sic è puluere & situ extractus, quicquid de eo auctore non exstabat, ad prælum reuocatur. Nactus siquidem manuscriptum ex Bibliotheca Collegij Regalis Nauarræ, in quo multa vetustate exesa ferme videbantur, hæc describenda curauimus, nostroque labore assecuti sumus, vt tam præclarum virtutis lumen sub modio non delitescat. Hoc vnum tamen silentio non inuoluam, me à doctissimo Petauio Senatore Regio æquissimo, & Nicolao Fabro viro Clarissimo, quem totius antiquitatis promum condum vere diximus quædam ex ipsorum Bibliothecis desumpta huic auctori inseruisse, quæ in nostro M. Sc. non exstabant. Hæc duobus viris præclarissimis tribuenda laus est, qui vt Fulbertus in lucem prodeat effecerunt. Nec verear ad illorum maiorem commendationem hoc addere, quod de Phidia summo sculptore refertur. Hic vbi Pisæum simulacrum fabricasset ex ebore, oleum effundi iussit circa pedes, coram ipsa statua, vt illam immortalem redderet. Sic Deum Opt. Max. credo oleo gratiæ suæ duos illos Clariss. viros inungi voluisse, vt ipsum Episcopum immortalitate donarent. Quod si me ad hanc societatem gloriæ admittere velis Reuer. Præsul, nullum præmium suspicio, vel in bonis numero, quod ad æs excæ maius. Et sane tanti facio Antiquitatis patres, vt nihil ex iis deperire velim. Vnde quicquid ex antiquo illo Patre repperi, in vnum congessi. Hunc igitur Reuer. Præs. non quam eleganter quæso, sed quam pie loquatur cogita. Etenim si illum semel audieris tandiu latuisse dolebis. Legisti credo quod cum Pio II. summo Pontifici nuntiatum fuisset, Taruisinum summum Præsulem agere animam, & iam inclusam præcordiis mortem tenere, exclamasse: Moritur ergo Præsul perfectus, cui reliquos similes esse oportebat. Sic cum tandiu Fulbertum latuisse audies, exclamabis, & tanta temporum serie illius memoriam obrutam fuisse ægre feres. Quis enim eo vel morum probitate clarior? quis in Religione Catholica propaganda ardentior? ita vt cultum pietatis cum lacte nutricis exsuxisse videatur. Verum scio magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestia laudationem hanc constare. O hominem litteratum! sed noster Fulbertus hoc titulo rusticiore contentus erit, si ò virum bonum dixeris. Effectum est modo vt diligentius sciant loqui homines, quam viuere. At tempore Fulberti vis scire quid liberalia studia conferebant? ad externa nihil, ad virtutem multum. Huius igitur scripta licet in multis obscura videantur, tamen nescio quid in his latentis pietatis deprehendere licebit. Et si cum Iuone Carnotensi hunc auctorem compares, scio cui palmam prætuleris. In illo siquidem eloquentia, in isto sola pietas viget. Ad extremum duos illos Episcopos, dicam audacter, duas illas Aquilas, ἀποκοροῦντας vere esse ab Ioue immissas (vt fabulantur Poëtæ) in hanc vrbem Carnotensem tanquam in vmbilicum Galliæ. Nam in medio Galliæ auctore Cæsare sita est, vt veritatem, quæ in modo consistit vtraque Religionis cultum indicarent. Gaudeat nũc & exultet Carnotensis ciuitas tantis Præsulibus illustrata, tot doctoribus aucta & exculta, obmutescat illa garrula meretrix quæ virus hæreseos tam late iaculatur. Iam enim exsurgit Fulbertus & sub tuo nomine apparet, Reuer. Præsul, vt maledicorum ora obstruat. Hunc ergo gratiorem tibi fore iudico, quod Episc. Carnotensis tibi eodem baculo pastorali donato, & Cancellarius quondam Roberti Regis Gall. tibi è nobilissimis maioribus & Cancellariorum dignitate insignitis oriundo dicatur. Hoc munere Reuerend. Præsul fruere æqui bonique consule, sic enim me tibi obsequentissimum si placuerit, deuincies.* Vale.

[Plin. lib. 7. Nat. Hist. ca. 52.] [Epiph. lib. 2. cont. hæres. c. 45] [Anth. 3. Piccolo. hist.] [Senec. de beata vita.] [Claud. in præfatio.] [Paneg. de Cons. Manlij.] [Cõmẽt. Cæs. lib. 7 de bell. Gall.]

# TESTIMONIA EX PROBATISSIMIS AVCTORIBVS EXCERPTA, QVIBVS PROBATVR quis fuerit Fulb. Episc.

## *Ex Joanne Tritemio.*

FVLBERTVS Episcopus Carnotensis in scripturis diuinis eruditissimus, & in secularium litterarum disciplinis omnium suo tempore doctorum doctissimus, Poëta clarus, & Dialecticus subtilissimus, multis annis scholæ publicæ præsidens plurimos doctissimos auditores enutriuit, vita quoque sanctissimus, multis legitur miraculis coruscasse, qui inter cætera scripsisse dicitur.
Epistol. ad diuersos lib. 1.
In laudes sanctæ Mariæ lib. 1.
Hymnos & Orationes varias, & quædam deuota.
Claruit temporibus Henrici Regis primi anno 1030.

*Ex veteri Annali Bibliotheca Regalis Collegij Nauarræ, in vita Rob. Regis.*

Fulbertus primo fuit Cancellarius Regis Francorum Roberti, & ex Cancellario factus Episcopus Carnot. vita honestissimus & in scientia clarissimus. Fundamenta sanctæ Ecclesiæ Dei Genitricis Carnot. iecit, & eadem perfecit miro lapideo tabulatu.

*& paulo post.*

Circa annum millesß. trigesß. nonum obiit Fulb. Episcopus Carnot. qui fecit legendam de Natiuitate Beatæ Mariæ & historiam, eique successit Theodoricus.

*Ex Biblioth. Senensi.*

Vmbertus seu Fulbertus Carnot. Episc. scripsit in illud Geneseos 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, anno Domini 1000.

*Ex Vuillel. Malmesb. lib. 3. de gestis Anglorum.*

Berengarius plane quamuis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit. Adeo pessimum est alios exemplo vel verbo à bono infirmare, quia fortassis peccatum te grauabit alienum, cum deletum fuerit tuum. Quod Episc. Carnotensem Fulbertum (quem Domini Mater olim ægrotum lacte mamillarum suarum visa fuit sanare) prædixisse aiunt. Nam cum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentib. sufficeret, ille inter oppositas cateruas oculo rimatus Berengarium, nisu quo valuit expellendum censuit, protestatus immanem draconem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu & illice anhelitu corrumpere.

*Ex veteri Annali Abbatia sancti Petri, qua sita est in Valle Carnotensi.*

Fulbertus Doctor sacræ Theologiæ egregius hic fuit tempore Roberti Regis filij Hugonis Capet, qui regnare cœpit anno 987. Hic Doctor & Episcopus gloriosus, speculum Ecclesiæ fidei Christianæ, multa scripta fecit ad laudem virginis gloriosæ, & inter cætera illam legendam quæ legitur in natiuitate eiusdem quæ incipit. Approbatæ consuetudinis. Huius tempore anno millesimo & vigesimo in nocte Natiuitatis Beatę Mariæ, Episcopatus sui anno quarto fuit ciuitas Carnotensis, & tota Ecclesia Beatæ Marię combusta. Quam idem Episcopus gloriosus sua industria, labore & sumptu à fundamento reędificauit, vt in legenda sancti Aniani habetur, &c. Iacet in Ecclesia sancti Petri in valle Carnotensi.

*Ex Vuillelmo Malmesburg. lib. 2. cap. 11. anno ab Incarn. 1032.*

Eiusdem Archipręsulis Ethelnothi tempore Rex Cnuto ad transmarinas Ecclesias pecunias mittens, maximè Carnotum ditauit, vbi tunc florebat Fulb. Episc. in sanctitate & philosophia nominatissimus. Qui inter cætera industriæ suæ documenta, Ecclesiæ Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, cuius fundamenta iecerat, summam manum mirifico effectu imposuit, quam etiam pro posse honorificare studens, musicis modulationibus crebro extulit. Quanto enim amore in honorem virginis anhelauerit, poterit conijcere qui audierit cantus cœlestia vota sonantes. Extat inter cætera Opuscula eius Epistolarum volumen, in quarum vna gratias agit Cnutoni Magnificentissimo Regi, quod largitatis suæ viscera in expensas Ecclesiæ Carn. effuderit.

EPITA-

EPITAPHIVM FVLBERTI EX M. Sc.

ANno ab incarnatione Dom. mill. xxviij. iiij. Id. April. obijt dilectus Deo & hominibus Pater noster venerandæ memoriæ Fulbertus, suæ tempestatis Pontificū decus, lux præclara mundo à Deo data, pauperum sustentator, desolatorū consolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquētissimus, & sapientissimus, tam in diuinis quam in liberalium artium libris. Qui ad restaurationem sancti Templi suæ Diocœsis, quod ipse post incendium à fundamento reædificare cœperat, bonam partem auri sui & argenti reliquit, & disciplinæ ac sapientiæ radiis illum locum illuminauit, & Clericis suis multa bona fecit.

Incipit Epitaphium.

*Quem tibi Carnotis concessit fons bonitatis,*
*Doctrina fluuium dupplicis egregium,*
*Pontificum sydus, Fulbertus fulgidus actu*
*Vestis pauperibus, victus & assiduus.*
*Inclausus tacet hic, factus de puluere puluis,*
*Et præstolatur surgere cum reliquis.*
*Virtutum cultor, vitiorum mortificator.*
*Auxiliante Deo, præstitit à puero,*
*Bis denos annos, atque vnum dimidiumque,*
*Virgo Maria tuæ præfuit Ecclesiæ,*
*Ingressurus erat Phœbus post limina septem,*
*Taurum, cum mæstum deseruit populum.*

FVLBERTI

# EPISCOPI CARNOTENSIS

## AD ADEODATVM, DE TRIBVS QVÆ SVNT maximè necessaria ad profectum Christianæ Religionis.

*Venerabili Patri & Domino sibi semper amādo Adeodato Fulbertus exiguus.*

### EPISTOLA I.

INTER hesterna & secreta colloquia, pro ædificandis fratribus adhuc infirmis, atque nouitiis, me ad scribendū tua imperiosa coarctauerat auctoritas Ecce habes pauperis quidem ingenij opusculū, sed non ignobile fidei monumentū. In quo quæso nō eloquētiæ ornatū, sed obedientiæ perpendas vota, nec eruditis auribus æstimes fatua verba reuelāda, ne pro rustico stilo sacra vilescat materia: alioquin de talibus præstat siluisse, quā aliquid inconditū edidisse. Incomprehensibilem enim diuini consilij altitudinē, sapientia humana puro cognitionis intuitu cōprehendere non potest, quia dū mens nostra, vltra se præcipitanter erigere vsq; ad inaccessibilem secretorum Dei visionem appetit: infirmitatis suæ obstaculo reuerberata, & intra ignorantiæ suæ angustias coarctata, nec quod vltra se est, valet comprehendere, nec quod intra se est æstimare: vnde scriptum est. *Altiora te ne quæsieris, & profunda consiliorum eius ne inuestigaueris. Posuit* (inquit Propheta) *tenebras latibulum suum:* has tenebras multi perscrutari incipiētes, & alia ex aliis asserentes, in crassas & palpabiles errorum tenebras deuoluti sunt. Porro mundi sapientia exterius eloquentia nitens, intus vacua à virtutis sapiētia manet, sēper enim quærit, & nunquā inuenit: quia profunda mysteriorum Dei non humanæ disputationi sed fidei oculis reuelantur, sicut Dominus in Euāgelio ait, *Pater gratias tibi ago quia abscondisti hæc à sapientib. & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Ergo mēs humana cū diuinæ dispositionis causas argumentis per se discutere non valet, ad hoc quod comprehendere nō valet, reuerenter erroneæ disputationis oculos claudat, nec inuisibilia ex visibilibus, nec incorruptibilia ex corruptibilibus metiri præsumat, ne dū cæca disputatione clausa pulsa, & aperta non videt, propriis definitionibus captiuata, & cæcum sensum sequēs in erroris præcipitium cadat. Tria siquidem nobis sunt ad profectum Christianæ Religionis proposita, sed ad consummatā iustitiam perinde necessaria, vt in his tota humanæ salutis summa consistat, sine his iustitia nomen habet virtutis, præmium non habet virtutis. Horum primum est intelligere, & firmiter tenere mysterium Trinitatis, & vnius veritatem Deitatis, Secundum salutaris Baptismi rationem nosse vel causam. Tertius in quo duo vitæ Sacramenta, id est Dominici corporis & sanguinis continentur. In his tribus multi nimis carnaliter intuentes, dum plus carnalem sensum, quàm fidei arcana mysteria contemplantur, in abruptum perniciosi erroris præcipitium deuoluti, nec rerum veritatem, nec Sacramentorum virtutem percipiunt, & ideo ab vnitate Ecclesiæ diuisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, magistri fiunt erroris. Prætermissa itaque luce veritatis, tenebrosas proponunt calumnias, & sacras scripturas verbis sacrilegis nituntur adulterare, aut furtiuis rasionibus recidere, sicut hoc quod Dominus ait: *Ego & Pater vnum sumus*, Arius dictum de vnitate substantiæ intelligere noluit. Sabellius ad personarum proprietatē (sumus) non retulit: & in hoc quod ait, *Pater maior me est*, Arius nō humanitati, sed diuinitati adscripsit, & ideo indignam vitā digna morte finiuit. Cuius auditores quoniam Spiritum sanctū Deum esse negabant, de Euangelio erasetūt illud quod Saluator ait. *Spiritus est Deus*, & de Epistola Ioanis erasetūt, *Et omnis spiritus qui soluit Iesū, ex Deo nō est* Sicut Nestorius qui dicebat Beatam Virginem non Dei, sed hominis tantum genitricem, vt aliam personam hominis, aliam faceret deitatis, neque vnum Christum in Verbo Dei & carne & anima credens, sed separatim alterum Filium Dei, alterum filium hominis prædicans, & illum Apostoli locū vbi dicit. *Quod apparuit in carne, viuificatum est in spiritu* Quem locū Macedonius per immutationem scripturæ Apostolicum dictum sic voluit definire, id est vt esset Deus apparuit in carne, & in eo quod ait idē Apostolus. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo* Marcion fantasiam corporis & non corpus confessus est, in Christo fuisse. Sed Dominus noster Iesus Christus in vnitate vnius eiusdemque personæ ex duabus, & in duabus substātiis, diuina scilicet & humana subsistens, & mira pretulit vt Deus, & infirma sustinuit vt homo, vt cum verum Deum sublimia opera loquerentur, verum hominem flebilia demonstrarent. *Deus* (inquit Apostolus) *erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, Deus in Christo, Filius Dei in filio hominis, diuinitas operabatur in homine; Demus verba hominis. *Pater maior me est*, Demus Verba

Dei. *Ego & Pater vnum sumus*, loquatur in Christo nostra infirmitas & conditio, *Filius*, inquit, *hominis non habet vbi caput suũ reclinet*. Intonet vox diuina: *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Quasi homo esurit, quasi Deus quinque hominum millia pascit, quasi homo dicit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, quasi Deus confidẽter ait, *Nemo tollet à me animam meam*, quasi homo in cruce pendet, quasi dominator latronem alloquitur, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Si quis ergo mẽte captus vnius Christum & Deum dicit esse substantiæ, compugnantibus inter se rebus, aut solum hominem eo ipsum, aut solum Deum dicet Crucifixum. Sed non est ita. Nam neque solus Deus mortem sentire, neque solus homo mortem superare potuisset, quam euidentissima ratione & substantiarum distinctione homo suscepit, & Deus vicit. B Sed Ariani vtramque formam distinguere nescientes, quæ erant hominis, ad Deum impie retulerunt. Nullam itaque tenentes inter cœlestia & terrestria rationẽ, dum dare proprietates suas partibus nesciunt, quantũ in ipsis est Dei substantiam diuiserũt, & dum ad sola hominis verba respiciunt, Deũ sine intellectus lumine perdiderunt, & cæcum sensum in præcipitia ducem sequentes, maluerunt dicere minorem Deum quam hominem & Deum. Nobis vero hãc substantiarum diuersitatem ex hoc perpendere promptum est; quod alia est illa natiuitas, vel natura, in qua iuxta Apostolũ, *Factus est ex muliere, factus sub lege*: alia qua erat in principio apud Deum, alia qua creatus ex Virgine Maria, humiliatus in terra, alia qua sine initio manens creauit Cælum & terram, alia qua dicitur in mœrore doluisse, C in lassitudine dormisse, inedia esurisse, fleuisse, alia qua dicitur paralyticos curasse; per quã nesciens gressum iubetur incedere, solutus in muliere sanguis venarum sistitur, cæcus à natiuitate illuminatur, imperio tumentes fluctus solidantur, mortui suscitantur. Quæ cum ita sint Christum in duabus substantiis consistentem vnum eumdemque Deum verum, eumdemque hominem verum esse fateatur necesse est, quisquis Religionis Christianæ non vult inaniter, imo damnabiliter portare vocabulum, ita vt vtriusque naturæ veritate seruata, verum Christum in virtutibus, & passionibus nec cõfundat fides vera nec diuidat, quia personalis vnitas, in eo diuisionẽ non recipit, & vtriusque naturæ veritas inconfusa persistit. Non enim alter Deus, alter homo, sed vnus idemque Christus Deus homo. Profecto idem Deus Christus est, qui mortem D carne sua suscepit, & idem homo Christus est, qui mortem sua diuinitate destruxit. Idem quippe Dei filius, qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus est quam mortalem Deus immortalis accepit, & idem Christus Dei filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ diuinitatis carne mortuus non amisit. Sed de hoc dictum satis pro modulo nostro æstimamus, non quibuslibet, sed quibus in scripturis versatur studiosa deuotio. Nobis plane ea singularis instat intentio, vt quoniam comperimus aliquos nimis carnaliter intuentes, quædam horum in quibus nostræ salutis mysterium constat, tanquam inania aut otiosa deputare, hos à tam perniciosæ opinionis vanitate reuocatos permonerem[a] in rebus Sacramentariis, non tantum quæ videtur spectare, E quantum inuisibilem mysteriorum potentiam fideliter æstimare. quid enim ad fidem venientes proficere arbitramur, si nihil vltra quàm quod visibilib. motibus agitur, regenerantis gratiæ præstet effectus? Scimus & vere scimus, nos prima natiuitate pollutos, secunda natiuitate mundatos, prima natiuitate captiuos, secũda natiuitate liberos, prima natiuitate terrenos, secũda natiuitate cœlestes, primæ natiuitatis vitio carnales, secundæ natiuitatis beneficio spirituales, per illam filios iræ, per istam filios gratiæ. Proinde quicquid prauum quisque concipit aduersus sacri Baptismi reuerentiam, sciat refundi in Dei iniuriam, qui ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in re-*

A *gnũ Dei.* Salutaris igitur disciplinæ gratia est, baptismi rationem nosse vel causam, sicut Apostolus ait. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul viuemus cum Christo. Commori enim cum Christo, & sepeliri ad hoc tendit, vt cum illo resurgere possimus; & cum illo viuere. Sed dicis mihi, quomodo hoc quod ad defunctos pertinet, in viuentibus possit impleri? Dominus noster Iesus Christus beneficia nobis sua pro nostra salute commendans, & sollicite sensibus nostris, memoriam suæ mortis & sepulturæ, atque etiam resurrectionis insculpens, ineffabilia contulit Baptismi munera, per quæ superueniẽte primæ originis fine, et commortui & intra sacrum gurgitem consepulti, demersi resurgeremus, vita emergente criminibus. Vide quid aB git artifex misericordiæ. Tale tibi inuenit tumuli genus, quo sciret peccata sepelire, & peccatorem nesciret obruere, vt descendente homine in fontem, tanquam in sepulchrum delictorum, reus exiret ad portum, & sola paterentur delicta naufragium. Proinde aqua & Spiritus sanctus sociantur causis, sed beneficiis separantur. Requiritur sane in baptismatis sacramentis aqua propter sepulturam, Spiritus sanctus propter vitam æternam. Remoue creatoris nomen, & non habet creatura quod præstet. Hæc similitudines mortis imitatur, ille veritatem salutis operatur. Sed fortasse ad credendum propositis mens titubat, nisi testimoniorum sequatur auctoritas. Audi igitur Apostolum ad Romanos. *An ignoratis quia quicumque baptisati sumus in Christo, in morte ipsius baptisati sumus?* Consepulti enim sumus cũ illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus reC surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, & cum dixisset, *consepulti* magnifice adiecit, *Si* inquit, *cõplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Sicut ergo Dominus noster Iesus Christus tribus diebus, & tribus noctibus corporaliter sub terræ sepulchro conditus fuisse describitur, & homo ita sub cognato terræ elemento trina vice demersus operitur, ac si vitalis imitatione mysterij dum demergitur sepelitur, dum educitur suscitatur. Inter hæc quid ad hæc aqua, & quid spiritus Sanctus operetur aduerte. Aqua velut morientem deducit in tumulum, Spiritus sanctus velut resurgentem perducit ad cœlum. Vtrum vero homo baptiset, an Deus, ratio ipsa declarat: Nam cum peccatore baptisante peccata donentur, dum nonnunquam criminoso baptismi mysterium celebrante crimina remittuntur, D hic homo qui videtur conferre quod non habet, vtique tanti muneris nõ author, sed minister intelligitur, vnde etiam Baptista ipse sanctissimus ait. *Qui me misit baptisare ipse mihi dixit, super quẽ videris Spiritũ sanctũ descendentem & manentẽ super eum, hic est qui baptisat in Spiritu sancto.* Quod nimirũ ipsa baptismatis verba ministri patenter insinuant, cũ baptismi sacra munera non à se arrogãter dari, sed ab ipso Deo auctore profitetur, sub verbis huiusmodi, Deus qui te regenerauit ex aqua & spiritu, ipse te linit Chrismate salutis. Non igitur audiendi sunt, qui dicunt ad fidem nostrã venientes, specialiter ab homine baptisati, vel Christianos primum aut Cathecumenos baptisatos: quod quidem hæretici de Baptista Ioanne intelligi volunt. *Hic videntur nonnulla deesse.* Sed quis eum CaE thecumenum dicere audeat, qui adhoc in vtero matris, Spiritu sancto est repletus, qui gratiam ante vitam, benedictionem meruit haurire antequam lucem? qui ad baptismum prælectus à Domino, ipso baptismi officio est sanctificatus: quodquidem baptismum sub Trinitatis Sacramento factum legitur. Dicente enim Domino, *Hic est filius meus dilectus*, Pater in voce, Spiritus sãctus in specie columbæ, Filius adfuisse probatur in corpore. Postremo de Cathecumeno baptista, non nos, sed ipsum baptismatis calumniantur auctorem. Nostrum vero baptismum conditor ac redemptor instituit dicens. *Ite, baptisate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* In quo sane mysterio, Spiritus sanctus Patri

&

& Filio inseparabili societate connectimur, & propterea, in Christo renati merito eum vitæ auctorem credunt sine quo omnino celebrari vitæ sacramenta nō possunt. Ipse enim cœlestium Charismatum author, ipse spiritualium munerum dispensator, ipse criminum absolutor, & peccatorum remissor. Quem enim vides naturæ debita laxare, authorem cognosce naturæ. Sic enim Spiritus sanctus, ita vnius est cum Patre potentiæ, vt in eius comparatione, nihil amplius paternæ possit adscribi gloriæ vel naturæ. Iam nunc ad illud Dominici corporis & sanguinis transeamus venerabile Sacramentum, quod quidem tantum formidabile est ad loquendum, quantum non terrenum, sed cœleste est mysterium, non humanæ æstimationi comparabile, sed admirabile, non disputandum, sed metuendum. De quo silere potius æstimauerim, quàm temeraria disputatione indigne aliquid definire, quia cœlestis altitudo mysterij plane non valet officio linguæ corruptibilis exponi. Est enim mysterium fide non specie æstimandum, nō visu corporeo, sed spiritu intuendum. Cui quidem ad vsum profuit, non superstitiosa mortalium cultura, sed cœlestis disciplinæ magistra auctoritas, non doctrina humana, sed institutio diuina. Cuius potentis mysterij secretum (quando quidem ratio rerum mole victa cōprehendere non valet) hoc tantum fides teneat, quia quicquid inter homines Deus egit aut pertulit, causa seruādi humani generis vel reparādi gratia fuit, in quo beneficia sua, quæ ab initio dederat, sic semper dilexit: vt nostris malis licet offensus pronior semper ad indulgentiam foret, quam ad vindictam. Inde est quod damnationis nostræ proscriptionem, quam primi parentis transgressio miserabiliter in posteros transfuderat, euacuare disponens, carnis nostræ morticinium suscepit, per quam immortalis moriendo captiuitatis nostrę causam soluisset. Inde est quod reparatam humanæ originis dignitatem sciens semper diabolum inuidere & nequitiæ suæ arte quærere, qualiter hominem à sui voluntate conditoris auerteret, & antiquę perditioni, si fas esset obnoxium redderet defectum nostrę fragilitatis miseratus, aduersus quotidianas nostrę prolapsionis offensas, sacrificij placabilis nobis prouidit expiamenta, vt quia corpus suū, quod semel pro nobis offerebat in pretiū, paulo post à nostris visibus sublaturus fuerat in cœlum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione, sub visibili creaturæ forma inuisibiliter virtus secreta in sacris solemnibus operatur. De quo sub hora passionis suæ ipse familiaribus suis ait, *Hoc est corpus meum*, & paulo post, *Hic est sanguis meus, noui Testamenti, qui pro vobis fundetur*, & alibi *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Qua viri magistri auctoritate animati, dum corpori & sanguini eius communicamus, audenter fatemur, nos in corpus illius transfundi, & ipsum in nobis manere. In nobis ipsum manere dico, non solum per concordiam voluntatis, sed etiam per naturæ vnitæ veritatem. Si enim Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter Christus in nobis manere existimandus est? qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem, sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ, ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita ergo in Deo sumus: quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Cum vero in re omni sint erga nos inæstimabiles diuitiæ Dei, adeo vt maiestate abscondita corruptibile pro nobis corpus induerit: contumeliis & passionibus subdiderit, quo opem ferret assumpto homini; quid indignum Deo iudicari potest, qui vterum Virginis subiit, si virginibus creaturis infunditur? quæ licet simplicis naturæ paulo ante præferant imaginem, postmodum cœlestis, vbi sanctificatione inspirata maiestas vera diffunditur, & quæ substantia panis & vini apparebat exterius, iam corpus Christi & sanguis fit interius. Gusta igitur & vide quam suauis cibus, & pergusta quid sapit. Sapit ni fallor cibum illum angelicum habētem intra se mystici saporis delectamentum, nō quod ore discernas, sed quod affectu interiori degustes. Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta inquam cælestis ferculi suauitatem, sed ne nausees terreni germinis saporem. De fide etenim interioris hominis procedit diuini gustus saporis dū certe per salutaris Eucharistiæ infusionem influit Christus in viscera animæ sumentis, quam diua mens castis penetralibus in ea videlicet forma suscipit, qua sub ipsa recordatione mysterij reuelante sibi præsentem intuetur, infantem videlicet materno in gremio, aut cunis puerilibus iacentem, aut ara crucis immolatum, aut sepulchro quiescentem, aut certe calcata morte resurgentem, siue supra cœlos euectum in gloria Patris sublimem. Iuxta quas species Christus gratum communicātis intrans habitaculū, tot, vt ita dicam, suauitatis odoribus mentem reficit, quot formis intimæ reuelationis oculus meditantis eum meruerit intueri. Nec vanum tibi videatur, quod iuxta animæ desiderantis intuitum dicimus Christum formari intra præcordia communicantis, cum non nescias, patres nostros veteris eremi solitudinē peragrantes Angelicis pastibus refectos, quib. imber fœcundus cibum vnicolorem, sed diuersi saporis intulit, & iuxta singulorum appetitum infundebat saporis varii oblectamenta, vt quicquid auiditas concupisceret, occulta largitoris dispensatio subinferret, quibus præbebant gustus, quod ignorabat aspectus, quia aliud erat quod videbatur, & aliud sumebatur. Desiste igitur mirari, quod legis manna sub vmbra signabat, hoc Dominici corporis pādit veritas patefacta, in quo Deifica maiestas miseranter nostræ infirmitati condescēdit, vt quo alimenti genere corpora alitur humana, idē in corpore sensualiter sapiat, sed Deus in pectore proficiat, sicut ipse ait: *Qui mādučat me, ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut mānducauerunt patres vestri manna in deserto & mortui sunt. Qui manducat hunc panē viuet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Iam iam procul remouendus est tonus lubricæ scrupulus dubietatis: cum is qui est author muneris testis est veritatis. Dubitari etenim nefas est, ad cuius nutum cuncta subito ex nihilo substiterunt, si pari potentia in spiritualibus Sacramentis, terrena materies, naturæ & generis sui meritum transcendēs in Christi substantiam commutetur, cum ipse dicat, *Hoc est corpus meum*, & paulo post, *Hic est sanguis meus*, Sed hanc Dei possibilitatē æstimatio humana non capit, nisi teipsū, quicunq; es, discutias, qualiter de massa perditionis, factus es in populum acquisitionis, & de vase iræ prodisti vas misericordiæ: vt qui paulo ante fueras alienus à vita, peregrinus à venia, subito initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innouatus, in corpus Ecclesiæ, non naturæ priuilegio, sed fidei pretio transisti, nullo molis corporeæ additamento, te ipso maior factus es, inuisibilis quantitatis augmento, in exterioribus idem es, in interioribus longe aliter es: Sicque de seruo filius effectus, præterita vilitate deposita, nouam subito induisti dignitatem, vt non solum hæres, sed corpus Christi factus, Deum in corpore tuo portares. Quæ res tantæ nouitatis, tantæ dignitatis, tam subitæ mutationis pretium? Vide in omnibus misericordiæ cœlestis artificium, vide regenerantis gratiæ mirabile Sacramētum, & aduerte in istis imperiosum Verbi operantis opificium, cuius nutu rerum elementa, de nihilo in hāc mundi formam mutabili ordine cōpaginata inexplicā-

bilem eius potentiam, ipsa suæ pulchritudinis specie restantur. Si ergo Deum omnia posse credis, & hoc consequitur, vt credas, nec humanis disputationibus discernere curiosus insistes, si creaturas quas de nihilo potuit creare, has ipsas multo magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem conuertere, & in sui corporis substantiam transfundere. Multo magis dico, non quod infirmioris potentiæ in rebus creandis, quàm immutandis fuisset. Sed humanæ opinioni vsuale, non diuinæ rationi comparabile. Ideo fides præ omnibus bonis summũ meritum est, hæc te inducat ad credendum, te consecrantis potentia roboret ad sumẽdum. Promittit digne sumentibus beatæ spem immortalitatis: iudicium minatur indignus, vt est illud Apostoli. *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Quo multi scelerum suorum conscientiam perhorrentes attentius se longe faciunt à Sacramento vitæ, non attendentes, quam terribiliter. Dominus comminatur dicens. *Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod alternantium causarum iudicium intuentibus, summa vigilantia est adhibenda, vt emendatis actibus nec indigne sumant, nec perniciose refugiant.

## EIVSDEM D. FVLBERTI Epistola.

*Domino suo Finardo sibi semper venerando, Fulbertus exiguus.*

NOuit, & vere nouit serenitatis vestræ prudentia, quod in Ecclesiasticis officiis plura sunt, in quibus Orientales Ecclesiæ & nostræ communi obseruatione sibi respondent. Sunt vero aliæ in quibus alias ab aliis cultu dispari, & varia obseruatione audiuimus dissonare. Sed nec pauca aut rara sunt, quæ ab aliis necessario seruanda, ab aliis non adeo curanda æstimantur. Nec tamen nos offendit obseruantiæ diuersitas, vbi fidei non sciinditur vnitas. Porro in multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamur, si audimus diuersam obseruationem, sed non diuersam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stet enim regina Ecclesia à dextris regis sui in vestitu de aurato circundata varietate. Nos vero trita & peruulgata patrum via incedẽtes, patrum memoriam in rationali pectoris nostri, id est præcedentium patrum exempla præ oculis habeamus, & quæ rationaliter eos egisse cognouimus, teneamus: ea vero quæ spirituali consilio ab his ordinata sũt, etiã si infirmitatis nostræ ignorãtia ad plenũ videre nõ possimus, temerariæ cauillationis dente non rodamus dũ tamẽ à fide hæc nequaquã exorbitare sentimus. Dicit scriptura, *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & nẽ dimittas legem matris tuæ.* Ante hos paucos dies vt meminisse licet, mihi vespertinis horis superuenisti, & repentina inquisitione me permouisti, de Hostia quam paulo ante promotus ad sacerdotium de manu Episcopi suscepisti, quæ ratio sit, videlicet vsque ad quadragesimam diem vsu quotidiano consumere, vel quos huius rei auctores haberemus. Cui quidem nisi sacerdotalem in vobis reuerentiam, & in omni genere doctrinæ probatam sapientiam offendere metuissem, respondissem verecunde quidem, non temeratie: humiliter, non procaciter, respondissem, inquam, quod infelix capella quondam respondit oui lanicinium quærenti: vel certè videri mihi poteram à planis aruie ligna in siluam vel aquas in mare comportare, aut Mineruã, vt aiunt, velle docere, si huic homini facerem verba, in quo totius doctrinæ thesaurum reconditum profiteor. Sed esto cet aliis vsitata, illis familiarem consuetudinem, istis paris adinirationem. Putabam & hoc certe omnibus Ecclesiis eatenus assuetum fore, vt nulli nouum esse videretur aut vanum: hæsitate diutius cœpi, an mihi adhuc codicem illum vnum haberem quem à natali patria inter cæteros deuexeram, in quo eiusmodi exẽplaria continebantur: Quem diu quæsitum, quoniam aut alicui præstitum, aut per tot locorum mutationem casu amissum non inuenio, repetita memoria quæ de illo recolo pauca vobis intimare non grauabor, præmonstrata occasione, qua quondam obseruantiæ huius causas & ego quoque requisieram. Nostri enim Episcopi prouinciales in huiusmodi ritum omnes consenniunt. Porro nostro tempore quidam inter cæteros ad sacerdotalem gradum admissus, hostiam quoque sicut & alij de manu Episcopi suscepit, quã in pergameno, in hos vsus parato inuolutam quotidiana celebratione soluebat, & portiunculam paruam, iuxta instantium dierum numerum computatam sumebat. Accidit vero vt quadam die expletis mysteriis dum vestimenta cum syndone altaris incautius colligeret, immemor Hostiæ sacræ diligentiam nequaquam adhibens, thesaurum cœlestem infelix amitteret. Veniens ad diuersorium, quæque necessaria curat, transigitur dies in crastinum, repetita celebratione frater ille instante hora communicandi Hostiam Sanctam non inueniens, turbatus nimium & consternatus, sursum deorsum cursitans, nec etiam signum aliquod inuenire potuit. Audiens Episcopus ex negligentia fratris ortum periculum, omnibus in commune fratribus vnius reatum pœnitẽdum instituit. Ipsum vero fratrem arctioris pœnitentiæ disciplina corrigendum proposuit. Hac ergo occasione accepta quærẽdũ ab Episcopo æstimaui, si videretur sibi salua ordinis religione sanctificatum panem primo aut secundo sanctificationis die posse totum simul percipere, quem videbat non sine periculo posse tanto tractu temporis minutatim sumere: præsertim cum ipse nosset rarissimos huius ordinis viros esse, qui in hac re peruigilem curam adhiberent. Hic ille increpitans tardioris sensus mei hebetudinem, respondit quidem ita esse quod quærebam, si discipulis quos ad prædicationis officium Dominus missurus in mundũ fuerat, si illis inquiens adhuc tardis & dubitãtibus potuisset sufficere resuscitati corporis speciẽ semel vidisse, quam semel visam noluit ab eis repente substrahere, sed per quadragenos dies complacitis horis glorificati corporis reuelata specie eos tanquam panis cœlestis suauitate refecit. Nam & Episcopus qui vices Christi tenet, sacerdotales viros in plebem subiectam missurus, sacri corporis Eucharistiam per quadragenos dies sumendam distribuit, vt dum verbi gratia quotidie cœlestis panis alimonia reficiuntur, tempus illud in mentem habeant, quo per quadraginta dies Dominus discipulis apparens, & conuescens, desideratæ visionis satietate refecit. Ad hoc Episcopi responsum, cum ego familiaritatis ausu studiosius perquirerem, num idem mysterium supplere potuisset panis à Presbytero quotidiana celebratione sacratus, vti in eo passionis Dominicæ & resuscitati corporis & manifestati discipulis speciem, satis fuisset nobis, Perpende, ait, sicut fili mi, multæ Ecclesiæ sunt per vniuersum orbem terrarum, perpetua diuersa loca, & tamen vna sancta est Catholica Ecclesia, propter vnam fidem: sic & multæ oblatæ propter vota offerentium, vnus panis est propter vnitatem corporis Christi. Nam panis ab Episcopo consecratus, & panis à Presbytero sanctificatus in vnum & idem corpus Christi transfunditur, propter secretam vnius operantis potentiæ virtutem. Sed quodammodo aliud esse dicitur, quod Virginali vtero sumpta carne crucis iniuriam sustinuit, de sepulchro resurgens discipulis apparuit, cuius memoriam in pane Presbyteris collato Episcopus agere videtur; aliud quid per mysterium agitur, dum Episcopi & omnes sacerdotes in mensa altaris, sub Sacramento communicatæ carnis panem sanctum secreta oratione

quotid e

quondie consecrare videntur, quod ad illud respicit, A quod consecranteanupet ordioan Presbyteri cum Pontificali oblarione perçipiunt. Nam illud Dominicum corpus ex mortuis suscitatum, & in cœlis locatum, iam non moritur, istud Sacramẽtorum, quondie nobis moritur, quotidie nobis reingit, apparet & comeditur. Sed nec in hoc mens fidelium scandalum dubietatis debet incurrere, qnod Christum semel gustata morte iam non vltra mortuum audit, cum carne assumpti hominis in paterna gloria sedentem, & hic sanctificatum panem verum Christi corpus audit nominari, dum & illud de Virgine assumptum, & istud de materiali & virginali creatura consecratum, vnos idemque artifex Spiritus inuisibili operatione in substantiam veræ carnis transfundit: Carnis videlicet non cuiuslibet, sed vere B Christi de qua ipse ait, *Nisi mãducaueritis carnẽ meam, non habebitis vitam in vobis.* Quod vtique exponi alio tempore indiget, & fidei oculis intueri. Hoc tantum quod ad præsẽs negotium spectat soluamus, quod quidem nec subitis nec nouis adinuentionibus constat expositum. Nosti populo Hebræorum sub Moyse & manna de cœlo per annos quadraginta subministratum: qui Moses dux populi secundis adiutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem populo, sustentabatur, per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Ecclesia nouitia, Pontificale onus in se suscipientes regendis populis inuigilant. Porro sumens de spiritu Moysi illis septuaginta senioribus dedit, per quos populum sibi commissum per quadraginta annos iudicauit, quia dux noster Dominus Iesus Christus discipulis quos ad prædi- C cationis officium missurus fuerat in mundum, Spiritualium dona Charismatum infudit. Illi post immolationem Agni Paschalis manna cœlitus misso per quadraginta annos sustentati sunt. Quem cibum cœlestem, quam suauitatem angelicam nõ per typicas aut vmbratilea figuras, sed per indubitatam vnionis veritatem repræsentat ille Dominicus cibus, quem per quadraginta dies sumendum tanquam salutis viaticum, Pontifex nouis Ecclesiæ cultoribus distribuit, quos suæ Pastoralis curæ vicarios adiutoras ad erudiendam plebem sibi cõmissam constituit, vt dum istum præ oculis habentes degustant, illum mente pertractent, qui de cruce morte triumphata ad Patrem ascendit, dumque à semel ipsis consecratum corpus percipiunt, illum fidei gustu experiantur; per quem quotidie Christus nobis moritur D & resurgit, per quem vsque ad consummationem sæculi manere se nobiscum pollicetur. Hæc pauca de multis, quæ repetita memoria, & multo ex tẽpore diffuta licet recitasse, ad præsens sufficiant, dum ego Codicem de eiusmodi exemplaribus à Romano Scrinio prolatum perlegam. Vobis facile est de paucis multa cogitare, aut certe quod irrationabiliter factum videtur, sanioris consilij ratione colligere.

*Domino suo Regi R. Serenissimo Fulbert. humilis Carnot. Episcop. in gratia Regis regum semper manere.*

## EPIST. III.

Gratias referimus benignitati vestræ, quod nuper misistis Legatum vestrum ad nos, qui & vestram nobis sospitatem nuntians nos lætificaret, & fortunæ nostræ modum sciscitatus à nobis, vestræ maiestati renuciaret. Ac tunc quidem scripsimus vobis de malis E quæ irrogat Ecclesiæ nostræ Gaufridus Vicecomes, qui nec Dominum, nec excellentiam vestram se reuereri satis superque indicat, cum & castellum de Galardone à vobis olim dirutum restituit, de quo dicere possumus, *Ecce ab oriente panditur malum*, Ecclesiæ nostræ. Et rursus alterum ædificare præsumpsit apud Isletas iuxta villas sanctæ Mariæ, de quo & recta dici potest, *en ab*



*occidente malum.* Nunc quoque de iisdem malis necessario scribentes conquerimur apud misericordiam vestram, consilium & auxilium petentes ab ea, quoniam à filio vestro H. super hæc mala nihil opis vel consolationis accepimus. pro quibus acti dolore cordis intrinsecus, iam in tantum mœrorem nostrum prodidimus, vt signa nostra iocunditatem & lætitiam significare solita, ab intonando desinere, & tristitiam nostram arrestari quodammodo iusserimus, officiumque diuinum hactenus in Ecclesia nostra per Dei gratiam, cum magna cordis & oris iubilatione celebrari solitum, depressis modo miserabiliter vocibus & pene silentio proximis fieri. Vnde pietatem vestram cum fletu cordis & mentis genua flexi, precamur, succurrite sanctæ Dei genitricis Ecclesiæ, cui nos fideles vestros quantum possumus, licet indignos, præesse voluistis, quorum à vobis solummodo post Dominum, in his quæ ingeruntur molestiis, consolatio & respiratio funditus pendet. Cogitate ergo qualiter ab his liberemur, & vt mœrorem nostrum conuertatis in gaudium, obsecrando Comitem Odonem, & ei vestra regali auctoritate viuaciter imperando vt prædictas diabolici instinctus machinas, vero animo destrui iubeat, vel ipse destruat; propter Dominum, & fidelitatem vestram, & sanctæ Mariæ honorem & nostri adhuc sui fidelis amorem. Quod si nec per vos, nec per illum irrita fuerit, hæc quasi perpetua nostri loci confusio, quid restat aliud, nisi vt penitus interdicatis agi diuinum officium in toto Episcopatu nostro? ipsi inde, heu inuiti, & maxima necessitate coacti, aliquo exulãtes, nec oculis nostris videre diutius sanctæ Ecclesiæ conculcationem ferentes. Quod ne facere cogamur, vestram misericordiam iterum iterumq; flebiliter oramus, ne illud quod absit, apud extraneum Regem, vel Imperatorem fateri compellamur à vobis exules, noluisse vos vel non valuisse, sponsam Christi sanctam Ecclesiam vobis regere commissam intueri.

*Domino suo Rob. Regi benignissimo Fulbert. Dei & sua gratia Carnot. Episcop. statum plenæ fœlicitatis.*

## EPIST. IV.

Postquam transmisimus vobis literas per Ra. Geufridum Clericum querimoniæ nostræ, de oppressione quam Ecclesia nostra patitur, locuti sumus cum domino Rege H. filio vestro, sciscitantes ab eo, cur nobis in tanta necessitate non succurrerit. Qui se contra nos humiliter purgans respondit, quia procul à nobis erat, ideo facultatem sibi veniendi in auxilium nostrum non fuisse, imo copiam virorum, qui se comitarentur non habuisse. Cuius nos purgationis causam minime discredentes, pro illo vestram clementiam oramus, ne fiat aliena vestro genito paternitatis vestræ gratia, si sanctæ Ecclesiæ non præstitit opem, quæ impossibilis erat ei præstari. Ad vos tandem dilectissime domine, nostri adiutorii summa redit, cuius gratuita bonitate præsulis honore fungimur, & tutela cuius posse eripi à malorum iniuriis omnino confidimus. Sed ab iis quæ modo nobis incumbũt, sine multo labore vestro speramus erui, dummodo prece & obsecratione, cũ Odone Comite obnixe agatis, quatenus idem nos ab illis expediat. Cæterũ serenissimam pietatem vestram appellamus pro eodem Rege filio vestro, qui satis superque desolatus incedit. Neque enim in domo vestra cum securitate vel charitate licet ei manere, neque foris est ei vnde viuat, cum honore Regi competente. Vnde vos oportet aliquid boni consilij reperire, & illi impendere, ne dum ille quasi peregrinus & profugus agit, paterni animi fama vobis depereat.

*Sancto ac venerabili Archiepisc. suo Bomberto Fulbert. fidelitatis obsequium & summi pastoris benedictionem.*

## EPISTOL. V.

PRimum quidem benedicimus Dominum Patrem ingenitum, Filiumque suum vnigenitum Iesum Christum Dominum nostrum, Spiritum sanctum Paraclitum vnum verum Dominum, qui cuncta creauit, qui te quoque dilectissime Pater, multa sapientia illustrauit, ad docendum populum suum, & decore sanctitatis ad præbendum bonæ vitæ exemplum decenter ornauit. Deinde magnas tibi referimus grates, B quod nos licet immeritos, atque ignotos, salutationis tuæ pariterque munere gratiæ dignatus es præuenire. Vnde profecto nos in amorem tuum sic animasti, vt perennem tui memoriam in intimo cordis nostri vigere velimus, vt saltem per crebra orationum suffragia, si aliter facultas nō suppetierit, tuæ benignitati vicem rependere satagamus. Significauit autem nobis filius noster tuusque fidelis Hildninus tuæ charitatis erga nos insignia, fideliter asserens vnum de nostris Priscianis te velle, quem & per eundem libenter mittimus, quidquid etiā de nostro petieris hilarissime tibi si possibile fuerit transmissuri, ipsam quoque præsentiam nostram, si tibi opus esset, ac voluntas, nobisque potestas, obsequentissime præstaturi. Ad vltimum saluere te semper optamus, precantes vt illam nouam ac gloriosam adoptionis C prolem summi regis Regem videlicet Stephanum intimans excellentiæ seu ex nostra parte, & vniuersarum congregationum quæ sunt in Episcopatu nostro, Canonicorum scilicet & Monachorum orationum fidelia. Vale.

*Noto notus R. Fulbertus.*

## EPIST. VI.

HOc à vobis exigo securitatem de mea vita, & membris, & terra quam habes, vel per vestrum consilium acquiram. De auxilio vestro contra omnes homines salua fidelitate Rotberti, de receptu Vindonici castri ad meum vsum & meorum fidelium, qui vobis as- D securabunt illud. Commendationem vestrorum militum, qui de nostro casamento beneficium tenent, salua fidelitate vestra. Iniustitiam de querimonia Sanctionia & Huberti, & de querimoniis Canonicorum Ecclesiæ nostræ, & de legibus atriorum nostrorum. Si hæc facere vultis, paratus sum conuentionem quam vobiscum inij obseruare; si non vultis, nolite me itinere fatigare. Vale.

*Gloria & honore digno Patri & Archiepiscopo suo Leutherico Fulbert. humilis Episcopus cum venerabili Cenomanensium Episcop. Ausgando salutem.*

## EPIST. VII.

SCientes vos habere zelum diuinæ legis, nec minus opitulari velle quam debeta fratribus vestris, sed & plurimum posse fiducialiter à vobis auxilium petimus in necessitatibus nostris, in præcursorem Antichristi Hebertum Comitem Cenom. qui sedem Episcopalē eiusdem ciuitatis euertere nititur. Episcopū enim prædictum videlicet Ausgaudum in ea cum pace manere non finit: domos eius & terras & fruges & omnia victualia insuper & præbendas canonicas Ecclesiæ peruasit. Hæc itaque vos ad viuum sentire volumus, A nisuque indissimulato propellere: & vt facilem modum habeat petitio nostra, precamur vos illi commonitorium scribere, vt iam dicto Episcopo sua reddat. Alioquin pro certo nouerit se à vobis & suffraganeis vestris excommunicatum iri, ex illo die quo eum excommunicauerit Ausgaudus Episcopus. Commonitorium autem quod illi sacrilegio vestra dignatio mittet, nobis transcribi volumus, & mitti. Vale in infinitum Angele magni consilii, te consule Christo seruiet.

*Venerabili Fratri & Coepis. Fulbert. F. salutem.*

## EPIST. VIII.

B SVperfluum duxi longam fabulam nostri senis transcribere, & mittere tibi, cum totam rationem eius, si qua est, ex mea breui responsione facile percipere possis, fuitque huiusmodi. Fratri in domino & consacerdoti suo Ausgaudo F. Absit frater, vt credatur verum esse quod scripsisti meum Archipræsulem, & me tuam confessionem publicasse, non est enim verum. Tumque dum talia scribis, benemeritis de te ingratus es, & iniuste contumeliam facis. Si qua enim honesta tua nouimus, aut sperauimus, fideliter ea publicauimus, ad testimonium tuæ probitatis, contra illos maxime qui discessionem tuam ab Episcopatu auaritiæ, vel ignauiæ, vel turpitudini ascribere nitebantur. Si quæ vero occulta, quæ pœnitenda forent nostræ fidei credidisti, caute celata sunt. At si talia confessus es, quæ C & prius postmodum ore vulgi ventilata sint, ea non occultare nequimus. Comperi autem ex literis tuis tibi molestum esse, quod te Monasticæ vitæ diximus amatorem, quod quia nocere non intelligo, molestum esse demiror. Amor namque religionis Episcopali gradu quem repetis, dignum te potius, qam indignum efficeret, si nihil aliud impediret. Vtrum autem sit, vel quid sit quod impediat, sagacitatem tuam non arbitror ignorare. Si quædam grauis causa quam dissimulas non obstaret, ea est huiusmodi. Si de repetendo Episcopio querimoniam incipere velis, non satis apparet, cui eam iure intendere possis. Nullus enim te expulit, nullus cathedram tuam te renitente peruasit, sed tu temet vltro causa ægritudinis, vt aiebas, curam Episcopalem simul & cathedram reliquisti vt perhibent. Et siue Franconem D tunc Decanum Parisiensis Ecclesiæ, siue quemlibet aliū subrogari tibi verbis, & scriptis à rege petisti. Quod si ita est, & sic tibi consequenter substitutus est Franco eligente clero suffragante populo, dono regis, approbatione Rom. Pontific. per manum Metropolitan. Senonensis, fulcitur vtique substitutio & consecratio eius fauore & auctoritate Beati Gregor. Papæ, qui scriptis suis, sicut nulli Pontificum non petenti, pro qualibet ægritudine succedendum fore docuit, ita voluntarie renuncianti sedi suæ successorem nullomodo denegauit. Sed quid aliud est quare te Episcopatu carere oporteat, tu ne noueris. Sin autem hoc tanti nobis esse videtur, ni te facere valeat, recuperationis exortam. Quapropter desine curiosos instigatores audire, desine Reges & Præ- E sules inefficacis querimoniæ tædiosis scripitationibus fatigare, & Ecclesiæ Parisiensi te importune obtrudere velle. Quæ vt fateor, nec patronum te habuisse gauisa est, nec doluit amissile. Quippe cum neque ex præsentia tua doctrinæ profectum, neque ex absentia, senserit detrimentum. Vale memor nostri.

Fulbert.

A *Ful. Dei Gratia Carn. Epiſc. Domino H. Turonenſium ſubdecano ſibi dilectiſsimo gratiam & benedictionem Dei.*

## EPIST. IX.

CVm veſtram Charitatem nouerim plurimis in obſequiis libenter mihi paruiſſe, adhuc etiam parere cupientem, via ſatietatem cedere, mando vobis obnixe precans vt accingamini ad cauſam quam expono. Apud vos morabatur olim quidam bonorum extortor, legum contortor Girardus nomine, qui ſuſceptum vnum caballum à ſamulo noſtro Deodato debuit comparare triginta duubus ſolidis, pro arrabone datis duodecim nummis, cumque reliquos ſperaret Deodatus ad præfixum terminum ſe recepturum, ſeſellit eum ille ſubdolus, à nobis Turonem profugiens, nec equum poſtea, nec pretium temirtens, quamuis eum Deodatus ſępe vtrumlibet agere per legatos poſtulanerit. Hac de cauſa mitto ad vos vnum ex noſtris hominibus, qui ipſum G. notum vobis ſaciat, in audientiaque veſtra vice Deodati hanc ipſi querelam intendat, qualibet lege cenſueriris reuicturus eum, ſi forte vt eſt impurus diſſimulauerit ſe rem iſtam ſcire, aut ſi ita eſt, etiam negauerit. Deinceps talem in eum qualem Ius poſcit, date quæſo ſententiam, vt vel Deodato rem ſuam legaliter ſoluat, vel debitas pœnas luat. Vigeat ſemper alacritas veſtra.

*Patri & conſacerdoti ſuo Fulbertus.*

## EPIST. X.

CRede Pater nullam me compotionem vnguentri laboraſſe, poſtquam ad ordinem Epiſcopalem acceſſi, quod tamen pauxillum ex dono cuiuſdam medici ſupererat, mihi ſraudans tibi largior, rogato ſoſpitatis auctore Chriſto, vt tibi illud faciat ſalutare. Vale.

*Venerando Pariſiorum Antiſtiti Frater Fulbertus Dei gratia Carnot. Epiſcop. totius proſperitatis munus.*

## EPIST. XI.

LAndunenſem illum Sacrilegam, res Eccleſiæ veſtræ diripientem propter has cauſas excommunicare diſtulimus. Primo, quia deſuit qui ipſi ferre auderet noſtram excommunicationem, deinde quia parum vobis aut nihil ſortaſſis prodeſſet, ſi illa neſciens excommunicaretur in Eccleſia noſtra. Tertio, quia expectaiumus vt in conoentu noſtrorum Comprouincialium Epiſcoporum vtilius hoc fieret. Quod etiā adhuc expectandum vobis videtur, ſi animi veſtri ſerenitas acquieſcat. De Liſiardo autem Archiepiſcopo veſtro, quem ſcripſiſtis in vos ſuperbum ac rebellem eſſe, non opus eſt nos conſulere, cum optime nonerit prudentia veſtra quid de huiuſmodi lex diuina ſentiat; neque nos oporteat quemquam abſentem & cauſa indiſcuſſa iudicare. Volumus autem vos ſcire, quod Adeoldus noſter de Nouingento, cui anathematis ſententiam intentatis, propter querelam quam habent contra eum Monachi ſancti Dionyſii, dicit ſe paratum eſſe ad iuſtificandum in audientia veſtra, atque noſtra, proinde ſi litem hanc cito iuſtoque fine determinare vultis, conſtituite diem, quo vobis & Monachi ſancti Dionyſij apud ſanctum Arnulpbum occurrere valeamus, qui locus vobis ad conueniendum oportunior eſſe videtur. Valete.



*Domino ſeruus, magno Præſuli Fulbertus H. ſuorum minimus quod potis erit ſtrenuum fidelitatis obſequium.*

## EPIST. XII.

EX hoc Domine mi reuerendiſſime, quod te propter mores tuos matura ſanctitate ſuauiſſime redolentes, erga tibi ſubditos eo animo eſſe intelligo, vt bonos ſinceri amoris gratia complectaris, malis pij cordis miſerationem impendas, vllum vero odiſſe velut nocentiſſimam peſtem horreas, magnæ reuelationis ſolatium mihi comparatur, valde metuenti, eo quod nimis ſum ad iraſcendum pronus, gratia tua
B & ſi non funditus aliquatenus tamen caruiſſe, cui enim etiam grauioribus delictis obnoxio, apud tam bonæ moralitatis virum non deſperanda ſit venia, conſiderato quod delinquēti potius compatieris quam odis, compatientem vero ad ignoſcendum minime eſſe difficilem, ipſum quidem, dummodo correctionem exhibeat, maioris abs te vſum fructum dilectionis habiturum. Tanta itaque vi bonitatis animatus ſupplico, vt cum mihi pro meis offenſis miſereſcas, tum etiam eis renunciatum ire conanti, veniamque poſtulanti parcens, amoris ſinum amplius relaxes. Vnde abſit vt te remoretur illa cogitatio, me ſcilicet iræ vitio perennem ſeciſſe deditionem, quandoquidem multis aſtantibus, necnon etiam in præſentia tui, cui plus omnibus cultum reuerentiæ debeo, ali-
C quoties iraſci non omittam. Certe quantò crebrius huiuſmodi vitium manifeſtatus, & maiore hominum frequentia redarguitur, tanto celerius hinc euaſurum qui vere captiuus eius effici voluerit, auctore Abbatis Serapionis collatione crediderim. Quare cum alios mihi ſuccenſere cupiam, te potiſſimum vt id ſedulo agas oro. Te enim ſuper cunctos mortales quid ſimplicitas adulationis ignara ſatetur, animæ meæ viſceribus diligendum mandaui. Sum namque diuina procurante gratia diſciplinę tuæ vernaculus à puero, nec vlli vmquam tanta meæ conſcientiæ ſecreta, nam aliis quædam, tibi omnia detexi. Quæſo ergo te profuſis lachrimis faciem mentis, ne mei cura poſthabita, neceſſariam caſtigationis vel admonitionis eleemoſynam mihi ſubſtrahas. Nam ſi hoc, auertat autem diuina
D pietas, egeris, nunquam tanta mole frangar incommodi, quam cum me videro ſic à te neglectū & iri. Rogatis opuſculum meum corrigere, Vale ſumma ſpes conſilij mei, poſt Dominum. Amen.

*Domino ſuo R. Regi benigniſsimo Fulbert. humilis Sacerdos in perpetuum vigere.*

## EPIST. XIII.

SAcram maieſtatis veſtræ nupertime ſuſcepi monentem me VI. Cal. Aug. veſtro & Henrici intereſſe colloquio, non ſolum veſtri obſequii, ſed & noſtræ cōmoditatis cauſa, vnde ſuppliciter vobis pro tanta erga
E me pietatis affectione gratulans reſcribo, me iam diu infirmatum, ægritudinem hoc tēpore maxime reuereri, longum iter aggredi non audere, ſucceſſu vero temporis oportunioris, annuente Deo, libenter vos eò, ſiue alias comitaturum eſſe, quamquam præſens ſi valetudo non obſiſteret, longe tamen ante præmoneri me tanti itineris oporteret. Valete fœliciter.

*Venerando Normanorum Principi R. Fulbertus Dei gratia Carnotens. Episcop. salutem & orationum suffragia.*

EPIST. XIV.

MVlta bona fecistis Ecclesiæ sanctæ Mariæ Dominæ nostræ. Retiibuat vobis Deus per intercessionem ipsius. Nos quoque pro illis animæ vestræ corporique vestro & fideles sumus & semper esse valeamus. Sed nuper ad vos insperata venit legatio, quod ipsam terram quam nobis dedistis, Baldricus Minister renocauerit, nostro Ministro quem ibi præfecimos, aliquid disponendi potestatem interdiaerit, suas etiam res inuaserit, nostris hominibus nouam engariam induxerit, banniendo scilicet vt irent ad Molendinum sancti Audoeni, quinque leucis vt fertur ab eorum auspiciis remotum. Si hæc, optime princeps, vestro iussu, quod minimè credimus, facta sunt, plurimũ vestri causa dolemus, & vt corrigantur suppliciter postulamus. Quinetiam iubeat prudentia vestra ministris vestris, ne vlterius inquietent nostros homines, & deinceps terram prædictam ita vos possidere sinant, vt eam à benignissima vestra manu suscepimus. Vigeat diutissime incolumitas & potentia vestra.

*Domino suo Regi Fulbertus & Andegauorum Comes salutem & fidele seruitium.*

EPIST. XV.

GVillelmus Pictauorum Comes herus meus loquutus est mihi nuper dicens, quod postquam Itali discessetunt à vobis diffisi, quod vos Regem habere petierit filium suum ad Regem quibos ille inuitus coactusque respondit, tandem acquiescere voluntati eorum, si consentirent illis cuncti Marchiones Italiæ & Episcopi, ac cæteri meliores. Illi promiserunt, quod recta fide facerent illos consentire, si possent. Nunc ergo mandat vobis, postulans suppliciter gratiam vestram, vt detineatis homines de Lotharingia, & Fredericum ducem atque alios quos poteritis, ne concordent cum Rege Cono. Inflectendo eos quantum quiueritis ad auxilium eius, dabit vobis pro hoc negotio mille libras Den. & C. pallias. Et Dominæ Reginæ Constantiæ quingentas libras nummorum. Orat vos vt ipsi eam faluteris, & filium vestrum Regem ex parte sua, & ego precor significari mihi litteris, aut nuntiis quid animi vobis sit, super hoc, quod ipse vos rogat vt renuntiem illi.

*Piissimo duci Aquitanorum Guillielmo Fulbertus humilis Episcopus.*

EPIST. XVI.

NOn est mirum, serenissime Princeps, si quid moueris animo contra me, de hoc quod sapientissimo ac sanctissimo Patri nostro Hilario tibique debita seruitia non rependo. Magnam enim honorificentiam exhibuisti mihi, largosque dedisti munificentiæ fructus pro quibus nihil præsentis emolumenti recepisse videris. Sed est quod te reconfortare plurimum potest, hoc videlicet quod tuas gazas in Ecclesiæ beatæ Mariæ restaurationem expensas, non solum integras, verum etiam multiplicatas ab ipsa recipies. Ex parte vero mea, quamuis perexilis portio mercedis æstimari possit, tamen quidquid sum & possum tuum A est. Si autem de malitia sæculi ortæ difficultates meum iter impediunt, vt frequentare non possim, & dilationes meas expectare tædet, fac benignissime atque dilectissime Princeps, de illa dignitate quam mihi commiseras, quidquid animæ tuæ beneplacitum fuerit, certo sciens quod ea causa beneuolẽtiam meam erga te nunquam senties imminutam. Cætera quædam quæ scribere nolui, Legato vestro, Domino videlicet Raimone referente cognoscas. Vale.

*Fulbertus Dei gratia Carnot. Episcopus Comiti Gualterio cæterisque filiis fidelibusque suis salutem & benedictionem.*

B EPIST. XVII.

SCiatis fratres quia Rex R. benefacit cum Christianos adiuuat & hæreticos damnat, ad hoc debent eum confortare & adiuuare mecum omnes sui fideles, quia hoc ministerium eius est, per quod saluus esse debet. Sciatis iterum quod Arc. Cenom. requisiuit à me consilium, quid deberet facere de Reginardo hæretico, qui persequebatur Ecclesiam Dei. Et ego ei dedi tale consilium, quale ad suum ordinem pertinebat, & ecce mitto vobis vtrumque scriptum, & complanctum suum, & consilium meum quod dedi ei secundum ordinem suum. Si quis autem falsarius dicat quod ego alterum ei consilium deinceps vel scripserim vel C dixerim, vel mandauerim; Rogo vt me sicut Patrem vestrum spiritualem deffeudatis, quia fiducialiter hoc facere potestis. Vale.

*Caro suo Heb. Fulbertus humilis Episcopus.*

EPIST. XVIII.

SCio te fili, meum desiderare aduentum, sed retardant templi restauratio, mandata Regis, prædonum instantiã, Messiuæ feriæ, Lemouicensis Episcopi causæ pacandæ difficultas, via scrupulosa. Ægre fero D moras meas, satiusque mihi fuisset, rem sancti Patris Hilarii non suscepisse curandam, quam tali modo tractare. Sed hac consolatione respiro, quia quod potes, vice mea facis. Precor ergo vt propositum vrgeas strenue tam in spititualibus, quam in singularibus agens. Si Ro. præpositum indiligenter villicati nosti, fer causam ad notitiam Ducis nostri, vt eius arbitratu vel corrigatur, vel mutetur. Saluta caros nostros R. Hu. Dur. & alios tam clericos quam laicos. Frater Theodoldus obiit, frater Ebrardus Monachus euasit scholarum ferulam, & Cancellarii tabulas tibi seruo, bona parans, meliora deuouens, tu quoque pro nobis ora feliciter. Vale.

*Fulbertus Dei Gratia Episcop.*

E EPIST. XIX.

GVntatto Huberto Vicecomiti, Rogerio, Bucardo, Hugoni filio Hugonis, Ottredo, Hamelino, Hugoni filio Herbrandi; & Vaori Guismandi & omnibus illis qui tenent Casamentum San. Ma. Car. ec. per donum Reginaldi Episcopi.

Voco vos & admoneo, ex parte Dei & sanctæ Mariæ & nostra, vt infrà proximum Pascha veniatis ad nos, aut nostrum seruitium facere, aut de vestris Casamentis legitimam rationem reddere. Quod si non feceritis excommunicabo vos, propter contumeliam vestram, &

interdicam

& interdicam vt non audiatis diuinum officium. Nec viui recipiatis communionem, neque mortui sepulturam. Quinetiam Castellum Vindocinium & territorium eius anathematizabo, vt in eis diuinum officium non celebretur, neque mortuus sepeliatur: postea vero ipsa Casamenta quæ teneris aut vni aut pluribus dabo, vltra etiam vobiscum de illis non concordabo. Deus vos conuertat filij mei.

*Venerabili Viro & Consacerdoti suo F. F. ea quæ sunt veræ pacis.*

## EPIST. XX.

TV frater dilectissime ex abundantia charitatis honore me nimio ac sapientiæ laude dignaris. Ego vero meam personam humilem virtutisque inopem, sicut & video & agnosco. Verum vtcunque se habeat pusillitas mea, hoc tamen nefas inhumanitatis admittere nec velle, nec posse me fateor, vt de ærumnis te sanctæ Ecclesiæ sine compassione zeloque iustitiæ audiam querelantem, at quia compassio vbi corde concepta est, mox consolationem edere gliscit, & plagam vltionis infligere zelos, nosque tamen ad primum quam ad secundum proniores esse oportet, ego quoque priusquam zelum in tuos hostes exerceam, consolatoria te ratione conuenio. Rogo itaque frater, ne vi molestiarum impulsus indiscretius irascaris. Ne forte ad impatientiam, inde ad arma prorumpas, & cum gladium alienum vsurpaueris, tuum facias non timeri. Rogo iterum ne fias ob multam iniuriam tristis, turbulentus & anxius, sed delectare semper in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Vsum fructum vero altarium quem tui antecessores Laicis tradiderunt, te alendis debilibus publica voce destinare suadeo. Tum ne quis illis inde fraudem aliquid interminari, & si qui in hãc fraudem irruperint, sicut fures sacrorum, & occisores pauperum anathemate condemnari. Ne verearis quæso homines innocenter offendere propter Dominum vt sis eo dignus. Si Deus pro te, quis contra te, est enim pro te semper in sua causa. Deus est etiam tecum vt ait, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Quid ergo times defendere Dei causam, cum ipse tecum sit ad cooperandum pro te, sit ad tutandum? Confortate itaque frater in Domino & in potentia virtutis eius: confortare, inquam, confide & gaude, exulta, & tripudia, & alacri animo ad certamen eius prolude, cum Propheta dicendo, *Congratulamini populi & vincimini, accingimini vos, inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum & non fiet, quia vobiscum Dominus.* Et quia certo scio communem Dominum tibi in sua causa esse patrocinaturum, me quoque seruulum eius non defuturum polliceor, siue ad coercendum manus persequentium, siue ad ora contradicentium obstruenda. Ad summam autem securum te requiescere iubeo inter medios cleros, quandiu te audiero persecutoribus Ecclesiæ non cedentem. Galleranum vero vt petisti conueniam. Et causa discussa quid inde sentiam, vel quid te facere oporteat, aut verbis aut, literis innotescam.

*Pleno virtutis & gratia circumfuso, charissimo patri Abboni Fulbertus suus.*

## EPIST. XXI.

QVanam te resalutatione digner ô sacer Abba, & ô magne philosophe? quid rependam muneria



A sanctæ amicitiæ quam promiserunt signa gemmatæ facundiæ, vix æstimare sufficio. Nam cum illa quæ dicuntur esse victor animo teneas, cum illa quæ non esse forsitan vilipendas, quid ego conferre possim, quod tu aut non habeas, aut non habere contemnas? sed quoniam philosophicis essentiis magnum quiddam superest, atque ex his quæ non esse dicuntur quædam perpetua fiunt, ideoque sapientibus aliquando grata sunt, recipe quæso quod ab vtroque tibi lectum offero. Denique vt participãdo super essentiam deitatis dominus fias, sic te resaluto, ac perennem fidelitatis habitum amicitiæ tuæ rependo, hac scilicet differentia tuam beneuolentiam meamque distinguens, vt illa pro maiestate personæ gratia vocetur vt domini, ista fidelitas vt alumni. Præceptis itaque tuis modestissime deseruire cupiens, Mediolano discipulo quod precatus es facio, quæque tibi scribenda petisti, en omnia fere iuxta fidem exarata

B transmitto. Abbate sancti Petri grauiter ægrotante, sed adhuc mentis & sermonis compote, Megenardus monachus ante mihi non mediocriter charus, noctu sese de claustro surripuit, & ad Theobaldum Comitem qui Blesis tunc morabatur, Abbatiæ petendæ gratia properauit, Comes illum postridie remisit ad nos cum legatis; qui denunciarent recipiendum magnifice sicut Abbatem monachis & canonicis. At vero nobis fere omnibus ea res æque noua & horribilis fuit. Respondimus itaque longe nobis aliter videri. Nec enim legitime fieri Abbatem, nec debere recipi, qui abbatiam alterius, ipso viuente, per ambitionem quærit, qui à fratribus nõ eligitur, & super illos nititur dominari. Postremo qui noster neque monachus sit, neque clericus, & plures habeat testes curialiter agitandi quam mona-

C stice viuendi. Hæc ille non grataniter accipiens ad Comitem redequitat, iram quoque iuuenis aduersum nos vehemẽter inflammat. Sed die quinto postquam suum ambitum publicauit, prædictus Abbas ægritudinem suam morte limitat. Conueniunt ad Capitulum monachi nostri, & quidam canonici, quos ratio postulabat admitti. Interrogamus an aliqui fratrum incœpto Megenardi faueant: negant singuli, negant omnes. Decreuimus ergo quosdam eorum esse mittendos ad Comitem, nobis videlicet designatum Episcopum, vt Patris obitum nunciarẽt. & alterius eligendi regularem precarentur licentiam. Quib. missis ecce alij duo, Viuianus scilicet & Durandus, alter illiteratus, alter literarum male sanus interpres, ambo Præpositi simulantes causa communis cõmodi ad obedientias suas se velle exire, ac ne aliorsum pergerent sibi interdicente Decano monasterij, Me-

D genardum tamen secuti sunt, cui cœptam præsumptionem occulte persuaserant, vt Blesis in præsentia Domini Theobaldi ipsum Megenardum à fratribus peti ac eligi per fidem meruiti sunt. Horum suffragio lætus Comes statim eum baculo pastorali publice donat. Quo audito fratres qui in claustro remanserant, contra hanc fraudulentiam zelo diuinæ legis accincti libellum reprobationis fecerunt: atque subscripserunt huiusmodi. Sciat omnis Ecclesia quia Megenardum Monachum nostrum, Abbatem fieri non eligimus, non laudamus, non volumus, non consentimus, sed reprobamus, refutamus, & omnino contradicimus. Nos vero de cœnobio sancti Petri quorum nomina scripta sunt, Durandus

E Decanus, Gaudricus, Genesius, Robertus, Isembertus, Marcuinus, Alueus, Guarnerus, Richerus Voatinus, Herbertus, Euradus, Benedictus, Galretus, Beringerus, Herbertus, Bernardus. Isti itaque omnes sua nomina aut subscripserunt, aut subscribi fecerunt me vidente. Die proxima Comes Theobaldus redit, se in Monasterium recipi cum processione præmãdat. Monachi respondent se libenter hoc agere, si præsumptorem illum non adduxerit secum. Ille denuo ratus, ipso die tamen sustinuit, sed in sequenti cum strepitu comminantium in sancti Petri Monasterium suum

Megenardum obtrusit. Ad cuius violentum ingressum sancti fratres contaminari ipsius communicatione timentes, sanctuario Domini salutato cum lachrymis exierunt; atque refugium aliud nescientes, ad limina principalis Ecclesiæ confugerunt. Ibi quoq; non inuento pastore vtrinque desertæ oues mœstis sese vocibus consolantur. Sed recipit sancta Mater Domini solita pietate, recipit Rodulphus tuus dulci benignitate. Inde transierunt ad cœnobium sancti Patris Herberti, cuius diues charitas de paupere censu quæque potest illis necessaria subministrat. Cæterum ille cuius fratres importunitate depulsi sunt, ab Heruiso quodam, vt addunt, Britannicæ regionis Episcopo, IIII. Non. Febr. Abbas simulatus est in suburbio Carnotensi absente Clero, indignante populo, legato Archipræsulis palam contradicente ne id fieret, reclamantibus etiam quibusdam Monachis, qui in loco remanserant vero vultu, viua voce atque regulari auctoritate. Sed quid inter furentes ratio? Sed & nunc ille primas in Abbatiæ suggestu, seculari potentia fretus, de peracta victoria gloriosus, fautores eius Abbates, Episcopos atque ipsum Papam ambiēdo, ne quid grauius statuatur in illum modis omnibus elaborant. Iacet interim victa, confusaque fratrū expulsorum humilitas, nec est Præsul in Galliis cuius viscera tangat affectio pietatis, aut zelus sacræ legis inflammet, vt consurgat ad frangendos impetus errorum, ad releuandas spes dolore tabescentium. Defuncta etenim est Dionysij fortitudo, non comparet pietas Martini. Tuquoque dereliquisti nos sancte Pater Hilari, qui olim vnitatem Ecclesiæ Spiritus sancti gladio tuebaris. O derelicta, ô mœsta, ô desolata Galliarum Ecclesia! quæ iam erit spes salutis vlterior? Vbi amplius afflicta Christiani anima respirabit? Hoc nempe solum vel maxime nos confortare videbatur, quod si contingeret ruinas mœnium tuorum resarciri non posse, liceret saltem ad firmum adhuc Capitolium Monasticæ vitæ confugere. Quod etiam si furibus irreptare aut impune quibuslibet ambitiosis inuadere licet, proh dolor! funditus cecidisti? vnde iā ad te reuertens venerāde Pater, quem ego credo & video ad nitorem à Domino nobis esse prouisum cum Domino meo, tuoque fideli Rodulpho deprecor & obtestor per ea quæ tibi data sunt sapientiæ sanctæ charismata, per dulcedinem fraternæ charitatis, si quid potes impugna hostes Domini, fratres allisos refoue, nec perire sinas inopia solatii tui, pro quibus credis esse fusum sanguinem Christi. Vale.

*Domino sancto & Vniuersali Papæ Ioanni, Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia.*

## EPISTOLA. XXII.

GRatias omnipotenti Deo, qui more benignitatis suæ tuam Pater, humilitatem respexit, & summo vt decebat dignitatis apice sublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, teque vnum omnes beatissimum prædicant, contemplantur altitudinem tuam sancti viri, & gaudent quod eis similitudine omnium virtutum alludis. Respiciunt persecutores Ecclesiæ districtionis tuæ baculum formidantes. Suspiciunt ij qui flagellantur ab impiis, & respirant sperantes adhuc restare sibi consolationis remedium. De quorum numero sum ego magnæ & præclaræ Ecclesiæ pusillus Episcopus, qui tibi Pater, de angustiis meis querimoniam scribens auxilium tuæ pietatis imploro. Est enim quidam Comes malefactor nomine Rodulphus, nimium vicinus nobis, qui res Ecclesiæ nostræ per iniustam occasionem inuasit, vnum de clericis nostris suis manibus interfecit, duos

A alios captos sacramentis illigauit. Et de his omnibus appellatus in curia Regis, & coram plena Ecclesia sæpe vocatus, non propter hominem nec propter Deum ad iustitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus est. Nunc vero ad limina sancti Petri contendit, tanquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem, vnde venire non vult ad emendationem. Vnde rogamus te dilectissime Pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est, vt eum de sanguine atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua prouidentia nouit. Nec tua sanctitas iniuste in communionem recipiat, quem diuina auctoritas sicut Ethnicum alie-
B nat. Vnde bone pastor, euigila super nos, ne per iniuriam tuam grex domini detrimentum sustineat.

*Dilectissimo Patri & Archiepiscopo suo Leutherico, Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus orationis suffragium.*

## EPISTOLA XXIII.

MVltum amoris atque fidelitatis tibi Pater me debere censeo, per cuius manum à Deo benedictionem & sacram vnctionem accepi. Vnde animus meus ita pendet ex tuo, vt quicquid te iusta ra-
C tione aut contristat aut hilarat, idem me si resipiscam, simili modo afficiat. Congratulor itaque tibi super inuentis sacris; & Deo, qui ea tempore tuo reuelare maluit, pronus gratias ago. Deinde vero quod Arnulphum Casatum Ecclesiæ nostræ tibi tuisque scripsisti iniurium, ægre contra illum & accepi & fero. Vnde mox ad villam Alogiam, vbi tunc esse dicebatur, misi legatum meum, sed in alias partes abierat. Vxor tamen eius mihi remandauit, quod vbi redierit statim ad me veniet. Quod si veniens tibi satis facere voluerit, per meas literas scies. Alioquin vltra terminum qui à te præfixus est, in nostra communione non erit. Simoniacum vero Presbyterum de quo mihi mandasti, in diœcesim Ordinatoris sui repelli suadeo; aut si in tua manserit, ab officio suspendi, ne Ecclesiæ tuæ candor immundæ hæresis contagione sordescat.
D Vale Pater optime, filij tui memor.

*Dilectissimo Patri & Archiepiscopo suo Leutherico, Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus suffragium orationis & obsequium fidelitatis.*

## EPIST. XXIV.

ARnulphum fidelem meum arguendo conueni de his iniuriis vnde mihi querimoniam scripsistis. Sed ille respondit se non diffugere iudicium, sponte venire ad placitum. Vnde per consilium & suasum eius totam hanc causam in vestram dispositionem mittimus: vt constituatis diem quo vos & nos,
E & alij quorum interest conuenire possimus, iuxta castellum Ebre, videlicet super ipsam terram sancti Benedicti, de qua contentio. Arnulphus enim in expeditionem cum Odone Comite proficisci constituit. Vnde vos talem diem præscribere oportet, vt & ille de expeditione possit esse reuersus, & ego meis negotiis exoccupatus possim vobis occurrere. Vale.

Sancto

*Sancto & vener. suo Leutherico, Fulbertus Episcoporum humillimus fidelitatis affectum & obsequium.*

## EPIST. XXV.

DE Presbytero vestro ab alio Episcopo per pecuniam ordinato, ex auctoritate sanctorum Canonum tale vobis consilium dono. Primùm degradetur. Deinde ab Ecclesia separatus, duobus annis seuerę pœnitentia mulctetur, vt honoris gradus quos pretio taxauerat, lachrymis conquirere & reparare contendat. Postea si dignè pœnituerit, restauretur. Hæc verò quæ diximus, cùm in alijs locis tum satis expressè inuenietis in Canone Tolerano 11. cap. 9. Cæterum rebaptisationes & reordationes fieri Canones vetant. Propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis ei suos gradus per instrumenta & per vestimenta quæ ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum Ostiarij, & cætera. In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Nouissimè autem benedictione lætificabitis eum sic concludendo: Benedictio Dei Patris, & Filij & Spiritus sancti super te descendat, vt sis confirmatus in ordine sacerdotali, & offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

*Plurima scientia & sanctitate pollenti Patri & Archiepiscopo Leutherico, vtinam Dei paruulus orationis suffragium.*

## EPIST. XXVI.

QVod aduersarium nostrum Gozonem excommunicastis, à Domino mercedem, & à nobis fideles gratias habeatis. Hoc enim faciendo, & Domino præbuistis obsequium, & vestro discipulo dilectionis indiculum. Quapropter si me vestra dignatio de hac ac de alia causa rogauerit, benignam se vobis & obsequentem nostra humilitas exhibebit. Valete.

*Charissimo Patri & Archiepiscopo suo Leutherico. Fulbertus Episcopus.*

## EPIST. XXVII.

PRorera nauis Regiæ cautus & circumspectus esto. Terreni Spiritus insolenter assibilant. Fluctus huius sęculi intumescunt. Promontoria mundanæ potestatis pericula minantur, & mores more piratarum insidiantur hypocritę. Inter hæc omnia tendendum ad portum cœlestis patriæ. Noli ergo tute ipse tibi bitalassum dubietatis ac duplicitatis in corde tuo miscere. Simplex est enim vis Domini, & qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Si de via legis diuinæ qualiber occasione seductus aberraueris, in tartaream Carybdim naufragus demergeris. Regat te manus valida omnipotentis Domini. Vale.

*Senonensium Præsuli Leutherico Fulbertus Carnotus sacerdos.*

## EPIST. XXVIII.

QVod me Pater, amicum appellas; gratanter aduerterem si te quoque exhiberes amicum. Sed cùm sine meo consilio Episcopos ordinando dignitatem suã Ecclesiæ Carnotensi derogas, cùmque in eodem negotio legem canonicam multimodè soluis, non solum me lædis, sed omnes pariter qui iustitiam colunt, & ego quidem mecum adhuc multa patior. Sed lex ipsa diuina suam iniuriam bene ex parte vindicat, quæ dum à te resoluitur, tua opera cassat. Hoc pridem in T. factum, in

A G. nuper iterasti; qui sic à te pastor est institutus, vt nec gregem sibi commissum nouerit, nec grex ipsum recipere velit: reprobatus itaque & à finibus Episcopatus exorris cum palam intrare per ostium non potest, vt legitimus pastor, nec aliũde furtiuus ascendere, per violentiam Regis irrumpere nititur vt tyrannus. Nec miror adeò si iuuenis ille tali potuit ambitione temptari, cui vel ætas illa, vel quæ eius ætatis pedisequa solet esse, locum forsitan obtineat excusandi. Sed tu Pater non solum mirandus, sed insuper exhorrendus, quem nec imprudentia fallit, nec casus turbat, nec vrget vlla necessitas: sed scienter & quasi cum deliberatione quadam vltrò te atque alios perdas. Nec illud sanè tibi tacere debeo, quod ad tuas ordinationes Dominum F. Trecassensem Episcopum periculosè tibi socium addis, quẽ
B certam ob causam esse non dubitas imparatum. In qua re dupliciter te delinquere constat, cùm eum ad tantam præsumptionem animando, de pœnitentia prioris culpæ facis esse securum. De his ergo & huiusmodi te resipiscere iam, & pœnitere oportet, si cum Apostolo horrendum credis incidere in manus Domini viuentis. Sed ego fortassis asperè loqui videar, apud te tamen vt credo non male mereri, si sis de quo dicitur: *Argue sapientem, & diliget te.* Cæterùm in fine huius schedulæ exoratum te volo, ne amodo (sicut soles) scripta mea publicando mihi inimicos adquiras. Vnde si morem tuum immutare nolis, ego tamen idcirco vera vel dicere, vel scribere non desistam. Vale.

C *Venerando Senonensium Præsuli Leutherico Fulbertus Carnotensium humilis sacerdos.*

## EPIST. XXIX.

LIteras ex parte vestra suscepimus, suadentes recipere, quod homicidæ Siluanectenses offerunt, vt mereantur absolui. Nos autem in quibus oportet vobis vt Patri semper obedire, parati sumus: sed in hoc ad præsens ideo non oportet, quia neque iustum, neque commodum est; & iustum non esse leges scriptæ demonstrant. Commodum verò non est, vt mors sanctorum, quæ in conspectu Domini pretiosa est, apud homines vili pretio constet. Quod si quis instituerit, omnium
D sanctorum qui eadem causa perituri sunt, reus sanguinis erit. Sanctitas vestra valeat semper & vigeat.

*Sacro Senonensium Archipræsuli Leutherico Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus virtutem sua dignitatis excellentia competentem.*

## EPIST. XXX.

AVrelianensem Odolricum ego quidem ad Episcopatum non elegi, sicut vobis dictum est, sed à clero & populo suæ ciuitatis electum sacraui Presbyterum. Quod cum Romam ire velle audistis, & ibi creari Episcopum, dissuasi vestri honoris gratia. Sed & ipse gratanter dissuadenti paruit, suggerentibus fidelibus
E suis Rodulpho scilicet & Herfridu. Multis occupatus pauca rescribere cogor. Saluto vos quantum possum in Domino, paternitati vestræ deuotus suffraganeus.

*Patri ac Primati suo Leutherico, Fulb. Episcopus.*

## EPIST. XXXI.

GRatias ago vigilantiæ tuæ, quæ meæ simplicitati præmonitorium facit. Verè enim indigeo præmoneri de multis propter meæ indiscretionis seu negligentiæ morbum. Verum in hac causa qua de nunc agis, id est nè quibuslibet Episcopandis citò manus imponam, opus non esse arbitror monitore. Nam & si tu in isto negotio cõsilio meo, vt decuerat, hactenus vti voluisses,

A & ordo noster & tua res aliter processisset. Sed omitto præterita; de futuris plurimum bonæ spei capio ex eo quod nunc cum sanctis viris ac sapientibus agis, Patrem nostrum Odilonem loquor & asseclas eius. Consilio enim illorum spero te non solum animæ periculum euadere, sed etiam huius vitæ gloriam & honorem posse recuperare. Vale memor mei, tibi in omnibus bonis obedire & opitulari parati.

*Venerabili Senonensium Archiepiscopo Leutherico, Fulbertus Dei gratia Carnotensium humilis Episcopus orationis suffragium.*

EPIST. XXXII.

B VIdes Pater & audis quanta bellorum incendia nostris in partibus exardescunt. Vnde periculosum esse timeo, nos ad metas destinatæ Synodi conuenire. Quid autem super hoc tuæ prouidentiæ videatur, citò mihi remanda.

*Venerabili Senonensium Archiepiscopo Leutherico, Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus à summo Domino, Euge bone serue.*

EPIST. XXXIII.

PLacuit excellentiæ vestræ sciscitari à nobis quid agendum sit de quodam viro, qui filium suum tenendo ad confirmationem factus est de patre patrinus, videlicet vtrum ab vxore sua matre eiusdem pueri sit separandus, an non. C Nos verò quid sancti patres de tali causa statuerunt, id censemus esse tenendum. Inuenimus ergo statutum in Concilio Leptinensi cap. 7. sub Zacharia Papa, sub principe Carlomagno hoc modo: Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab vxore, & alteram non accipiat. Simili modo & mulier alterũ non accipiat. Itẽ in eodem: Nullus proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat vxorem, nec illam cuius filium, vel filiam ad confirmationem tenuerit. Vbi autem factum fuerit, separentur. Credo ista tibi sufficere, pauca sapienti. Vale.

D *Leuthericus Senonensium Archiepiscopus, & Fulbertus Carnotensium Episcopus Clero sanctæ Parisiensis Ecclesiæ temperantiam in prosperis, fortitudinem in aduersis, charitatem vbique.*

EPIST. XXXIIII.

AVdiuimus charissimi, famam iniuriarum, quas patitur Episcopus vester, & corde compatimur: vos quoque illas ita sentire credimus, sicut fideles filios, & bono capiti bene cohærentia membra. Sed miramur quare in tanto mœrore constituti, nec ad nos petendæ consolationis causa venistis, nec saltem literas direxistis. Nam neque plaga vestra tanta est, vt inuenire nequeat consolationis remedium, neque verus medicus ille dereliquit Ecclesiam: qui se nobis omnibus diebus E vsque ad consummationem sæculi promisit ad futurum. Miramur iterũ cur impios homines qui diuinis sanctionibus aduersantur, & in vestrum pastorem contumaces existunt, in communionem recipitis contra canonicam regulam, quam vobis ignorare nefas est, & periculosum soluere. Quod si putatis eos tandiu vobis in communione habendos, quo vsque Episcopo vestro palam excõmunicentur, corrigit hanc æstimationem Petrus Apostolus in sermone habito ad Romanos de ordinatione Clementis his verbis: Quædam, inquit, fratres ex vobis ipsis intelligere debetis, si qua sunt quæ vester Episcopus propter insidias malorum hominum non posset euidentius & manifestius proloqui verbi gratia, si inimicus est alicui pro actib[us] suis, vos nolite expectare, vt ipse vobis dicat, sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absque commotione obsecundare, & auertere vos ab eo cui ipsum sentitis aduersum. Hæc & plura huiusmodi beatus Petrus in prædicto sermone. Nos autem fratres dum talia vobis proponimus, nolite æstimare, absit enim, vt sinistrum aliquid de vobis suspicemur, sed officium nostrum facimus cum aut vos, aut alios fratres nostros ad cautelæ vigilantiam excitamus. Non enim sine causa scriptum est Propheticum illud de pennatis animalibus, quæ se inuicem aliorum commotione contingunt. Vnde nos quoque inuicem nobis rependi postulantes, agili penna exhortationis vos ad hoc excitare cupimus, vt sitis in lege Domini studiosi ad obedientiam & suffragium vestri pastoris pro amore deuoti; ad resistendum verò aduersarijs eius sagaciter instructi, fideliter animati. Inter quos videlicet aduersarios vnus est nomine Lysiardus olim quidem Archidiaconus: qui cùm esse deberet oculus Episcopi sui, dispensator pauperum, catechisator insipientium, apostatauit ab omnibus his, & factus est Episcopo suo quasi clauus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris insipientibus: quia superba & contumeliosa maledicta in Episcopum suum iaculans, serenitatem speculationis eius turbat, decimas & oblationes altarium, stipem videlicet pauperum, suo Episcopo inconsulto sæculari militiæ tradit. Et cùm talia facit, dat insipientibus erroris & perditionis exemplum, quibus impendere debuerat veræ scientiæ catechismum. Quid dicemus de iuramento fidelitatis, quod ita contaminat, vt Episcopo suo non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat? Non autem de corde temerè ipsius iudicamus, cùm veraciter in sacro poëmate dictum est, Ex operum specie clarescũt intima cordis. Is itaque pro contumacia sua, qua pœna dignus sit, si ruina angeli non sufficit ad exemplum, contumacis Chore manifestat interitus. Pro perfidia verò sua & contumeliosa maledictione, quid meruerit, suspendium Iudæ, & sororis Aaron lepra testatur. O hominem infœlicem nimiũ, cui tam horrenda tempestas diuinæ vltionis incumbit! Condemnat illum testamentum vetus his verbis: Qui maledixerit patri, morte moriatur. Condemnat illum lex Christianorum iudicum hac sententia: Si quis Episcopo aliquam iniuriam, aut iniustam dehonorationem fecerit, de vita cõponat, & omnia quæ habere visus fuerit, Ecclesiæ cui præesse dignoscitur, integerrimè societur. Excommunicat illum Gangrense concilium cap. 7. & 8. degradat illum Carthaginẽse concilium cap. 57. sed & alia plura. Quapropter & nos à sanctorum patrum sententia discrepare nolentes, consequenter illum à cõmunione separamus, quantum nostræ potestati conceditur, donec resipiscat, & Episcopo suo dignè humiliatus satisfaciat: & nisi citò resipiscens ad satisfactionem venerit, in plenario Synodo perpetuo anathemate feriemr. Mandamus autem vobis, vt ipsi Lisiardo has literas ostendatis, vt tam horrenda pericula, vel grauiter admonitus exire meminerit. Patet enim adhuc euadẽdi locus, dicente Domino per Ezechielem: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit vniuersa præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Et per Ioannem: Filioli hæc scribo vobis, vt non peccetis, & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum iustum, ipse est exoratio pro peccatis nostris. Et ipse Dominus ait: Gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agẽte, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Certum enim habet Catholica fides, vt verbis beati Fulgentij vtar, quia quocunque tempore homo egerit pœnitentiam, quamlibet annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei non solùm corporis, sed etiã cordis lachrimas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Verùm, vt ait Pater Augu-

stinus,

stinos, qui veniam pœuitenti promisit, dissimulāti diem crastinum non spōdit. Rogamus etiam fratres, vt domnum F. venerabilem Episcopum vice nostra salutare & confortare memineritis; certo soientes sua tristia uostra asse, nostra prospera sua. Valete cum ipso.

*Dilecto Patri & Coepiscopo suo, G. Fulbertus viuere, & valere.*

EPIST. XXXV.

VEster clericus propinqous noster F. ad nos veniens eo se gratiosiorem exbibuit, quo de vnbis bene per omnia uuuciauit. Vnde nune illum salutationis gerulum facienges, & claritati vestræ comparati munusculis exotare voiumus, si non est importuuum, vt eam gratiam sibi sentiat prodesse, quam apud vos iàmdudum uos credimus babuisse. Vala.

*Charo Patri & Coepiscopo suo Guidoni Fulbertus.*

EPIST. XXXVI.

SIdiacono qui se presbytarum simulauit, missámque celebrare præsumpsit, modum pœnitentiæ in diuinis legibus propriè statutum non inuenimus, per ratiocinationem similium sic æstimare possumus. Chore, Dathan & Abiron iudicio Dei condemnati, & horribili morte mulctati sunt, eo quòd Aarō sacerdoti se comparare, eiúsque officium vsurpare præsumpserunt. Hic autem Leuita more illorum illicite sibi sacerdotium vsurpauit. Quis ergo in isto dubitet esse mortale cōmissum, qui in illis Deo iudice videt motte punitum? At quia iam Saluator noster, qui venit saluare quod perierat, non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat; clementer agitur vt degradentur huiusmodi, & inter laicos pœnitentiam agant Sed ne nimis austeritatem vateris legis hæc ratiocinatio sapere videatur, proponamus & nouam. Legitur in quodam capitulo, Statutum sæpissimè & inhibitum est, vt missarum celebrationes in locis incougruentibus omnino non fiant. Et quibusdam interpositis sequitur: Quia sicut non est concessum, vt alii missam canteut & sacrificia consecreut, quàm illi qui ad hoc ab Episcopis sunt consecrati: ita nou est licitum vt in alijs domibus, vel altaribus, aut locis missas celebrate præsumaut, quàm ab Episcopis consecratis, &c. In fine capituli: Si quis ergo post tot prohibitiones hęc decreta apostolica, & synodali auctoritate renouata temetare præsumpserit, gradus sui periculo subiacebit. Videmus ergo capitulum nouæ legis, vetustæ cōgruere, nec opus est amplius quid de illo diacono faciendū sit dubitare. Est enim procul dubio extra chorum deponendus, pœnitantia plectendus. Quod si de longitudine pœnitentiæ quæstio fiat, meminisse debemus illius sententiæ, quæ ad hanc quæstionem respondet hoc modo: Mensuram temporis in agēda pœnitantia idcirco non satis attētè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, sed magis in arbitrio Antistitis statuendum relinquunt: quia apud Dominum non tātùm valet mensura temporis, quàm doloris: nec abstinentia tantùm ciborum, sed mortificatio potius vitiorum. In vestra ergo manu situm est, pœnitentiam eius vel breniare, vel protelare, iuxta quod eum in pœnitendo diligentem, seu negligentem videritis. Valeat sanctitas vestra.

*Dilectissimo Patri & Coepiscopo suo Guidoni Fulbertus orationis suffragium.*

EPIST. XXXVII.

ROgamus charitatem vestram pro his seruis Ecclesiæ nostræ, qui sub vestra potestate degunt: vt eis patrocinari dignemini, & vt nobis constituatis terminū post octauas beati Martini, quando & vbi nostri legati possint occurrere vobis, ad definiendam causam eorum quæ propter obitum antecessoris vestri indefinita remāsit. Rogamus etiam ne nobis scripto significare grauemini, cur Siluanectis non fuerit sacratio vestra. Vale.

*Egregie dilecto Coepiscopo suo Guidoni, Fulb.*

EPIST. XXXVIII.

AMor iustitiæ, qui tuam Pater animam imbuit ab natiuitate, fecit eam offensam, & ab excessibus captam: cuius rei fidem cùm ea aliorum dictis, tum ex literis tuis euidenter accepi: sed ab ordinatione Eballi Remensis Archiepiscopi non valde tibi metuendum puto esse, si est, vt dicitur, à Christianis ab infantia Christianis, sano sensu sacris literis eruditus, sobrius, castus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nulla infamiæ nota turbatus, tandémque à Clero & populo suæ ciuitatis electus. Magni etenim viri, vt optimè nosti, Ambrosius Mediolanensis, & Germanus Antissiodorensis, alijque nonnulli, quia tales in laico habitu extiterunt, subitò nobis sancti Præsules exierunt. Dominus verò Papa, cuius animaduersionem te reueteri significasti, non quod tibi meritò debeat succensere, si te grauiter collapsæ sanctæ Remensis Ecclesiæ aliquam spem resurrectionis audierit prouidisse. Vale in perpetuum memor mei verè fidelis tui: illi quoque valeant, qui tuam memoriam mihi commendauerunt.

*Venerabili Bituricensium Præsuli Guid. Fulbert. Carnotensium humilis Episcopus incrementa virtutum.*

EPIST. XXXIX.

LEgatum vestrum diu detinui, quia Salomon Abbas cum quibusdam Monachis aberat, sine quorum consultu vobis respooderi non oportebat. Quos vbi redierunt, commonui vt sese ad audientiam præsentarent contra domnum Tedfridum, ipsi verò responderunt se messiuo tempore occupatos, lites ad præsens agitare non posse: sed idib. Octobris in Aurelianensi concilio quod futurum esse destinauimus, constituēt vobis proximum audientiæ & diem & locum: tantummodo fratrem suum Dodonem, qui est apud vos reddatis ei infrà prædictum terminum. Interea oblatæ sunt nobis quædam literæ sub vestro nomine conscriptæ ad domnum Arnulphum Abbatem sancti Petri, significantes vos excommunicasse Monachos nostros. Sed auctoritatem qua vobis id liceat, me non memini vidisse. At si apud vos habetur, nobis eam debetis ostendere: ua forte si non ostendatur, aut temerè aut minimè excommunicati esse dicantur. In litteris etiam quas mihi nuperrimè direxistis, confictam inueni reprehensionem meam de ordinatione Salomonis Abbatis hoc modo. Miramur qua auctoritate fieri potuit, vt sine audientia subditis prælato præpositus sit. Quod vt puto mirari non debetis, quia non est: sed illud potius attendere, quod est. Non enim hoc sine audientia factum est. Neque subditus Salomon Tedfrido adhuc prælato prępositus est. Dominus namque Tedfridus à suis Monachis criminatus, vt scitis, apud me de infamia sua querimoniam fecit, eorúmque malitiam se ferre non posse dicens, sub audientia mea & eorum qui mecum erant prælationi suæ perpetualiter renuntiauit, astruens Abbatem Monachorum Bonæ vallis vlterius se non esse futurum. Sicque petitā à nobis migrandi licentia transiuit ad vos. Monachi verò, qui in Bona valle remanserant, hoc scientes alium quendam ex fratribus suis electom, eo quod irreprehensibilis esse videatur, obtulerunt Odoni Comiti Abbatia illa donandum, vt mos

erat, mihique deinde consecrandum. Is interim locum pastoris tenet. Si quis ergo est qui me super hoc facto præsumptionis arguat, nouerit me respódere paratum, & hoc tam ratione quàm auctoritate approbaturum. Quod si quis Abbatum vel animi, vel corporis ægritudine molestatus, prælationem suam io perpetuum renunciando deserat, Episcopus ipsius diœcœsis in loco eius alterum debeat ordinare. Valete.

*Vitæ pariter & doctrina meritis venerando Abbati, & Archiepiscopo G. Fulbertus humilis Episcopus vtriusque officij præmia gloriosa.*

## EPIST. XL.

SI de mea dilectione confidis Pater, sicut literæ tuæ significant, securus esto, quia rem tenes, non te fallit opinio. Proinde quicquid à me competenter exposcis, facilè impetras, & nunc quidem specialiter de audientia domni T. venerabilis sacerdotis, ne queratur diutius defraudari oportunitate iudicii. Quod ego tibi hactenus Deum testor, non insidiando distuli, sed prouidendo dissuasi, sciens quia causa eius infimæ turpitudinis est; & sentinæ modo, quo amplius agitatur, eo dirius fœtet. Nec verò turpis tantùm, sed & periculosa est, adeo, vt si venerit ad iudicium aut ipse aut accusator, eius, cum magna sit contumelia degradandus. Hoc itaque prouidens, & illud euangelicum mente reuoluens, Nolite iudicare, nolite condemnare, & cætera, hærebam timoratè suspensus & expectans, vt Dominus tantum dedecus Ecclesiæ suæ publica discussione, vel insultatione piaret. Nunc autem impatientia domni T. non permittit hoc fieri, sed pertinaciter instat, ac piè dissimulantes ad iudicium vehementius vrget; Tantum ergo quamuis inuictus & coactus cedo, diémque & locum vt rogasti constituo, iam non audiens relinquere indiscussum, quod Deum puto nolle præterire inultum. In perpetuum vale.

*Fratri & coepiscopo suo, F. Fulbertus.*

## EPIST. XLI.

QVod ad præsens vestrum placitum non adeò de malitia huius temporis ortæ difficultates obsistūt, vobis exponēdæ per ocium, sed quod præsens dicerem, per hos apices significare curaui. Defensores legū paucos, impugnatores verò plures esse videtis. Quinetiam Dominus noster Rex, cui summum iustitiæ caput incumbit, perfidia malorum sic circumuentus est, vt ad præsens neque se vindicare, neque nos vt oportet adiuuare præualeat. Non hæc idcirco dixerim, vt fortitudinem animi vestri frangere velim, sed vt sane discretione causam vestram tractare memineritis. Igitur si Abbas sancti Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognouerit, & illam deinceps subiectionem promiserit, quæ vobis Canonicè debetur, hortor & suadeo vt recipiatis; Sacramenta verò, & cætera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem regis Domini missa faciatis: vt religionem magis quàm sæcularem ambitionem vos sectari cognoscat. At si Abbas in tantam superbiam intumuerit, vt ipsam quoque subiectionem Canonicam vobis derogare contendat, superbiæ, cui non parcit Deus, Dei seruus quomodo parcat, nescio. Valete.

*Patri & Coepiscopo Franco Fulb. Episcopus plus boni quàm sit meritus.*

## EPIST. XLII.

GAuleranno misi literas huiusmodi, Fulbert. Episc. Gaul. plus honoris quam sit meritus, Rogo fra-ter & moueo, vt emendes culpas quas habes contra A Dominum, & me & Parisiorum Episcopum qui complanctum facit de te. Quod si non feceris ante mediam quadragesimam, abinde faciemus de te sicut de homine qui grauiter peccat, & non vult emendari. Si ergo G. se non iustificauerit vobis ante terminum præscriptum, tunc facite de illo ministerium vestrum. Valete quàm plurimum.

*Fulbertus Dei gratia Carnot. Episc.*

## EPIST. XLIII.

VEnerabilem Patrem & Coëpiscopum suum F. cum venerit Dominus inuenerit vigilantem. Cōmonitus B à legato vestro à vobis de iustitia prosequenda in diem & locum destinatum à vobis, respondit se esse præmonitum ab Odone Comite sub nomine Sacramēti de facienda expeditione contra Fulconem circa eundem diem. Verùm infrà octo dies ex quo illa expeditio vel facta erit, vel omissa, venturum se esse ad iustitiam pollicetur. Sed quando ille promissionis suæ adimpiendæ terminum fixum non statuit, & multæ causæ protelationis incidere possunt, vel certè quæ nobis conueniendi adimant facultatem, suademus si honestè possit, per vestros necessarios rem accelerare, & vestrum nobis Casatum firmiter alligare. Nescitis enim quid fortuna parturiat. Valete.

C *Sancto & sapienti viro G. Abbati & Archiepiscopo F. humilis Episcopus vera dilectionis affectum.*

## EPIST. XLIV.

NOuerit prudentia vestra sancte Pater, quod domnus T. Abbas discedens tristitiam nobis reliquit & lachrimas: non quod innocentiam eius si esset, nequiremus facere tutam: sed quia culpam nec purgare, nec tegere poteramus. Vnde si vestro ducatu quasi ad examinationem venire affectat cum periculo sui gradus, & communi dedecore sacerdotum, conatus eius inefficaces sagaci ratione compescere vos oportet, seruantes illud Apostolicum: Si præoccupatus fuerit homo in ali- D quo delicto, &c. Vale.

*Domino Patri & Coepiscopo suo, A. Fulbertus omnium expetendorum summa.*

## EPIST. XLV.

GAudeo signis officii vestri curam vos habere monentibus, quòd me alloqui vultis, quòd querimoniæ nostræ finem facere, quod incesta connubia castigare. Sunt enim hæc studiosi, iusti atque casti animi indicia. Et quia me his gerēdis diem, locúmque statuere voluistis, sit dies in X. Kal. Martij locus, Mastugiaci. Quod si occurritis Haimonem adducere mementote: alioquin resignate mihi tempestiuè, ne frustra viam tan- E ti laboris ingrediar. Valete.

*Adaro Laudunēsium Præsuli Fulb. Carnotensiū sacerdos.*

## EPIST. XLVI.

DE grandi iniuria nobis facta conquerimur apud te magne Pater, quem ex debito charitatis & officij talia curare oportet. Causa verò huiusmodi est. Quodam Ecclesiæ nostræ subdecano defuncto, petiit à nobis R. Siluanectensis Episcopus dari sibi, aut fratri suo ministerium eius. Nos autem respondimus non conuenire sibi, eo quod Episcopus esset, neque fratri ętate adhuc & moribus immaturo. Tunc elegimus de numero sa-

cerdotum nostrorum ad illud officium faciendum quē-
dam scientem ac religiosum virum. Quod factum præ-
dictus R. matérque, fratri ipsius adeo inuiderunt, vt
sancto viro coram pluribus qui testes inde sunt, terribi-
lia minarentur: Et dictum facto non caruit. Venerunt
enim de ciuitate Siluanectis ad nostram quidam ex do-
mesticis eorum sic necessarij, vt absentia illorum nec
per vnum diem ignorari potuerit, qui interdiu quidem
latuerunt, sed profunda nocte egressi, sanctum illum
Presbyterum more solito venientē ad Ecclesiam, quasi
lupum rapidum lanceis falcatis, & gladijs in ipso atrio
principalis Ecclesiæ trucidauerunt. Clerici autem eius
qui expeditum Dominum tardè secuti sunt, inuenerūt
eum adhuc extrema verba protomartyris Stephani re-
plicantem. Porrò carnifices præsidio noctis incogniti
iam diffugerant: & cui crimen hoc intēderetur, erat in-
certum, cùm quidam propter minas præteritas domum
R. quæ erat apud nos suspectam habētes, reperetunt in
ea vernaculum quendam vestes suas & calciamenta to-
ta siccantem. Ex quo signo coniectura est inccepta, cum
ad causam huius lauacri dicendam homo acrius vrgere-
tur, se facto de quo agebatur affuisse confessus est, so-
ciósque prodidit, & ordinem rei gestę exposuit. Nos de-
nique totum hoc altios perscrutantes, pro certo ita esse
comperimus. Comperimus inquam inuidiæ liuorem,
fraudem malitiæ, sacrilegij nefas crudele, cruentum, &
singulare facinus in occisione sanctissimi sacerdotis.
Nunc ergo tanta causa quæ iudicio eius obscura nō est,
solam vt vides vltionem expostulat: Sed cùm iuris sit ad
vtilitatem Reipublicæ cunctos punire, maleficos, illos
C tamen vehementius exturbare necesse est, qui in Deū &
sanctos eius tam impiè, támque crudeliter audēt. Quid
enim mali vlterius, vel certè æquè magnum excogitari
queat? Multo nimirū sæuius illi complices Chore pec-
casse videntur, quos tamen iudicio Dei terra viuos ab-
sorbuit. Nam si illi sanctos Dei contempserant, non vti-
que trucidarant. Quod si tales socordia, vel iniquitas iu-
dicum reliquerit impunitos, cùm hoc facere conspirare
sit in contumeliam Dei, & exponere seruos eius ad cæ-
dē: quid restat nisi vt ipsius summi iudicis ira desæuiēs
& hos & illos inaudita mortis atrocitate disperdat? Pro-
inde nos quibus idem Dominus Ecclesiæ suæ Tribuna-
lia commisit, apprimè oscitātes sumus. Quod ego te fa-
cere deprecor magne Pater, cui Deus bene suadēdi co-
piam incomparabilem dedit, simúlque vt ipse mecum
D prædictos maleficos citra legitimam satisfactionem ex
communices, quos tamen vsque in finem à communio-
ne priuandos esse non nescis. Vale.

*Virtute magis prædito quam prædicato Præsuli. A. Fulbertus.*

## EPIST. XLVII.

VEstræ sospitati amicè gratulātes, valetudini quo-
que vestri fidelis & amici vestri Ebali, si diuina be-
nignitas allucescat, quanta nouimus ope subuenire pa-
rauimus, mittendo Galeni potiones III. & totidem
theriacæ diatessaron, quæ quid valeant, & modus ac-
ceptionis vel seruationis earum, in vestris antidatorijs
E facilè reperitur. Vulgaginem etiam petitam vobis mit-
timus quamuis ætatem vestram tali iam vomito fatigari
non suademus, sed eo potius si opus sit alleuari, qui
frequenter & sine periculo fieri possit ex oximelle &
raphanis valerianæ, quod seniori magis conducibile est
morantem aluum laxatiuis pillulis incitari. Da quibus
vltro vobis ferè nonaginta oblatis, cætera bona nostra
vestra putare. Vale.

A *Venerabili Turonensium Archipræsuli A. F. humilis Episcopus semper agere prudenter ac simpliciter.*

## EPIST. XLVIII.

ET nunc quidem gratia Dei sic agitis, cum licet non
inconsulti fratrum tamē consilia captatis. Respon-
demus itaque vobis, quia si pallium requisistis à Roma-
no Pontifice, & ipse vobis illud sine causa legitima de-
negauit, propter hoc non est opus dimittere ministra-
tium vestrum: vt si vestra tarditate nondum est requi-
situm, cautela est expectare donec requiratur, ne vos
ex improuiso præsumptionis arguere possit. Continen-
B tur enim quædam reuerēda nobis in priuilegijs Roma-
næ Ecclesiæ, quæ propter negligentiam nostram non
facilè inueniuntur in armarijs nostris. Valete.

*Venerabili Siluanectensium Episcopo R. F. Dei gratia Carnotensium sacerdos.*

## EPIST. XLIX.

QVia iudicio contendere magis quàm veniam po-
stulare statuistis, restat vobis conuenire iudices,
qui præfixis loco & tempore nos in alterutrum legali
ratione iustificent. Non enim vsurpamus officium iu-
dicis in isto negotio, sicut vos velle dicitis, cum nullus
esse possit suæ causæ, & assertor & iudex. Verùm enim
C vero satis admirari nequimus, quidnam mali est quod
tam audacter ad iudicium properatis, nisi fortè quod
abhorrere humanum est, publicè damnari eligitis quàm
secreta satisfactione purgari. Quid enim aliud in iudi-
cio mereatur manifestæ culpæ odiosa defensio, & vestra
quidē colpa sic manifesta est, vt nullo excusationis ge-
nere valeat obumbrari. Vox enim sanguinis fratris ve-
stri & sacerdotis Eurardi, postquā ad aures supremi iu-
dicis ascendit, per totam Galliam vehemēter infremuit.
Qui vt certo scimus non est occisus ob aliam causam
quam ob vestræ cupiditatis iniustam calumniam. Vide-
rint iudices vtrum affectus referatur ad causam. Vale.

*Venerabili Siluanectensium Episcopo R. Fulb. Dei gratia Carnotensium sacerdos.*

D

## EPIST. L.

NOn oportet nostri ordinis viros in superfluis scri-
ptitationibus occupari, multa enim & magna ne-
gotia nobis expedienda, si non dissimulamus incūbunt.
Sufficiant nobis super his vnde agimus, literæ nuper à
nobis missæ, quarum erat extremitas. Viderint iudices
vtrum effectus referatur ad causam. Quæ enim ibi scri-
pta sunt, aut si eam legitima assertione confirmabimus,
aut vos infirmare & pernegare patiemur: Si data fuerit
consilij iudicijque occasio: Sin autem contenti erimus
ea præmonuisse, quæ vos credimus emendare debuisse.
Vale.

E *Fulbertus Episcopus, Venerabili Consacerdoti suo R. boni propositi finem optimum.*

## EPIST. LI.

MVlier illa de cuius causa nostram humilitatem
consulere voluistis, impedita est vinculo iura-
menti, nec potest inire connubium sine crimine periu-
rij, nisi per consensum, aut post obitum illius, cui se ta-
li iuramento conditionaliter obligauit. Vale.

*Venerabili Rothomagensium Archipræsuli R. Fulbertus humilis Episcopus, si quod valet orationis suffragium.*

EPIST. LII.

PRocacitas G. cuius mihi mentionem fecistis, satis superque fatigauit me de nouis connubijs expetendis: sed ego semper obstiti, dicens non licere ei sua vxore viuente alteram vsurpare. Nunc ergo tandem rogauit me seu callidè, siue simpliciter, vt sibi aut vxorem suam fugitiuam redderem, aut eam si redire recusaret excõmunicarē. Alioquin diceret quod ego & illa faceremus eum mœchari. Conuenta igitur de hac causa mulier, respondit mihi nunquam se redituram ad illum: & quia certo nouerat mores suos cum moribus G. conuenire non posse, velle se potius renunciare sæculo & Monacham deuenire, tantum Galerenus sibi vel centũ libras nummorum Carnotensium ferendas ad Monasterium daret. Ego autem inter hæc Monachã illã nec fieri prohibeo, nec compello, sed nec vt ad virum odientem peritura redeat, coarctare præsumo. G autem sæpe mittit ad me licentiam ineundi connubij noui, petens illam se gurpisse, suámque pecuniam recepisse, licet verè protestans. Ego verò interdico ei licentiã istam, donec vxor eius aut Monacha facta sit, aut defuncta. Quorum vtrũ prius futurum sit, nescio. Si ergo de hac causa mei consilium vultis, quod ego facio, idem vos facere suadeo, hoc adijciens, vt si causam hanc acri censura pertractare velitis, ex mea parte non contradictionem sed suffragiũ C vos habere sciatis. Capitula canonum ad hanc causam pertinentia nobis subscribere non vacauit ad præsens, hostium persecutione turbatis. Scribemus autem & hæc, & alia libenter in obsequium vestrum, si Deus cõcesserit nobis salutem & pacem. Valete.

*Charo suo R. Fulbertus Episcopus.*

EPIST. LIII.

OCcupatus erga plurima paucis tibi sic respondere compellor. Ecclesiæ nomen extra quam veri sacrificij non est locus, interpretatione sua pluralitatem innuit. Sacerdotalis quoque salutatio qua Dominus vobiscum dicitur, nõ est vnum solum, sed ad plures dirigitur. Sed & ille versiculus de quo mihi quæstionem fecisti, planè sibi circumstantes requirit. Pro his ergo atque alijs huiusmodi non ex auctoritate quidem canonum quos mihi modo retractare non licuit, sed meo interim arbitratu tutius esse suadeo, te à Missarum celebratione suspendere, quàm eas sine duarum saltẽ aut triũ fideliũ attestatione celebrare. Scrupulus autem ille de offerentibus ita solui potest, quod dum sacrificam' illi pro quibus agitur, per manus nostras offertur Deo sacrificium laudis. Hæc ad præsens me respondisse cõtentus auero. Quod si noua legendo vel tractando verum de his quippiam magis ratum inuenero, tibi charitatiuè rescribam. At si, tu te prior aliquid tale reperetis, eandem nobis exhibe charitatem. Vale.

*Venerando Remorum Archipræsuli Ebalo Fulb. Carnotensium humilis Episcopus.*

EPIST. LIIII.

ANgustiæ tuæ compatiens Odonem Comitem arguendo conueni: respondit tandem quod in eo deliquerat emendare se velle, & ad tollendam animi tui ægritudinem adiuuare: quod maximè desideras, vt Remensis Ecclesia respiret ad pristinam dignitatem. Si hęc tibi facere voluerit, recipere suadeo, vt quam primum expeditus redeas ad officium tuum. Deinde suggaro, A etsi non indiges, vt ad pacem pauperum componẽdam tota mente satagas, quos sui Reges, & Principes vehementer affligunt. Præterea Beroldo Episcopo referente, audiui sic te mœrore afflictum, vt curam gregis Domini relinquere velis. Quod ego acriter & amicè redarguo, testans te si hoc egeris, non fuisse pastorem. Vale memor mei peccatoris in orationibus tuis.

*Diligendo semper atque venerando Remorum Archiepiscopo E. Fulbertus Carnoten. humilis Episcopus, communicare fontem intimæ charitatis.*

EPIST. LV.

B DE vestra bonitate, non de nostro merito confidentes, deprecamur optime Pater, vt notum habere dignemini, hunc charum nostrum nomine Hubertum, qui de patria sua causa discendæ honestatis egressus, & apud nos aliquandiu demoratus, talem se nobis exhibuit, vt non minus quàm frater vterinus amari, & honorari meruerit. Nunc vero eadem causa permotus, Monasterium beati Remigij, quod vestrum est visitare disposuit: vbi si in aliquo fuerit indigus vestræ opis, sentiat quæsumus viscera pietatis. Vale.

*Venerabili Archiepiscopo Rothomagensium R. Fulb. humilis Episcop. fideles orationes.*

EPIST. LVI.

COmpatior tibi sancte Pater super aduersis quæ Indignè passus es, præsertim ab eo qui & se, & sua tuæ fidelitati debuerat, super illo quoque debeo vehementer, fratre & Coëpiscopo nostro, dum staret, in tanta nunc flagitiorum, atque facinorum præcipitia lapso. Sed tibi Pater hæc vel magna consolatio est, quia si abstulit interiora non potuit. Habes enim ex Dei gratia charitatem qua ipsum errantem reuoces frænum Canonicæ districtionis, quo detractantem coërceas, virgam, qua ferias, his vtere competenter, donec absolutionem promeritus dicere tibi gaudeat, Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vale.

D *Venerabili Leodicensium Episc. R. Fulb. Carn. Episc omnia charitatis obsequia.*

EPIST. LVII.

CVm dispersas oues sollicitè ac longi itineris labore quæritis, læti perpendimus, Pater, quod pastoris nomen negligentia non cassatis: de illa tamen oue quæ in nostris pascuis obseruatur, fratrem A. subdiaconum loquor, securus esto, quia Dei gratia bene ruminat, & luporum insidias sagaciter cauet. Nec appelletis eum vltra militem fugitiuum, quoniam accuratè se præparat ad debellanda coram Deo, & nobis agmina vitiorum. Veniet autem ad vos quantocius poterit, sed si nostra humilitas inuenire queat gratiam in oculis vestris, simE pliciter exoramus vt nobis eum remittere, ac vestris literis commandare dignemini, vt præsentia eius sit pignus vestræ charitatis erga nos, ac nostræ fidelitatis erga vos in perpetuum. Valete.

*Venerando Lexouiensium Pontifici R. Fulbert. Carnot. Episcop. salutem & fideles orationes.*

EPIST. LVIII.

PResbyteri Canonicorum nostrorum ex Ecclesiis quas habent in Episcopatu vestro venerunt ad nos, dicentes,

diceotes, quòd vos interdixistis eis ministerium suum, ideo quod de ipsis Ecclesijs non ferunt vobis Synodū, & nos quidem eam vobis iure soluendam esse non ignoramus: sed Tedoldus præpositus noster, ac vester seruus, nō bene rē intelleant hactenus, eo deceptus, quod nulla Ecclesiarum quas nostri Canonici possident in Episcopatu nostro obligata est huiusmodi debito, remittente videlicet antecessorū meorum pijssima liberalitate. Sed ea quantalibet charitate fulta, quantalibet laude digna, vestro tamen iori minimè præiudicat. Nunc itaque serenitati vestræ supplicamus, vt concedatis eis officium suum agendi licentiam, paratis à modo aut vestram synodum vobis reddere, aut in vsus fratrum nostrorum necessarios retinere, si charitati vestræ placuerit, sanctorum Patrum meorum supra memoratum remissionis exemplum obseruare, si non merui, vt causa mei aliquid faciatis, restat spero aliquando meritum iri opitulante gratia Christi. Valete charissime Pater, & mementote mei in orationibus vestris.

*Venerabili Parisiorum Episcopo F. Fulbertus humilis sacerdos.*

## EPIST. LIX.

DOleo super te charissime cùm te à pristina virtute apostatare video. Olim apud me conquerebaris de tuo antecessore, qui sacrilega temeritate, altaria laicis in beneficium dederat: nunc mihi suades vt ego similiter faciam. O cœlum! ô terra, quid clamem, aut quid tuis meritis digno modo te obiurgare possim? sed compesco nunc feruentes animi mei fluctus, donec te præsentialiter exquisitis increpationum tormentis excruciem. Vale interim.

*Venerabili Patri & Cœpiscopo suo G. Fulbertus.*

## EPIST. LX.

AD benedictionem Henrici Regiæ prolis voto quidem rapior, sed aduersa me corporis valetudo retardat. Tentarem tamē vt cunque moderatis equitationibus eò peruenire, si non absterreret sæuitia matris eius, cui satis creditur cum mala promittit, fidem facientibus gestis eius. Qua difficultate prohibitus, rogo vestrā charitatem dilectissime, vt vice mea suadeatis domno Archiepiscopo Remensi cæterisque primoribus, ne qua occasione differant benedictionem iuuenis supradicti. Spero enim illum Deo, & bonis hominibus placiturum. Vale.

*Sancto ac venerabili Archiepiscopo Leutherico Fulbertus Episcopus de virtute in virtutem progredi.*

## EPIST. LXI.

DE Guidone excommunicato nostro nos appellas reuerende Pater, dicens quod Episcopali se velit examinari iudicio, & ecclesiastica satisfactione purgari. At nos precem tuam, seu verba minime paruipendentes tibi respondemus nos eius libenter misereri velle, sed examinationem eius vltra non curare. Apud nos enim iam de ipso sicut de manifesto reo optimè factum est Episcopale, hoc est canonicum ac decretale iudiciū, dum illum secūdum auctoritatem canonū ac decreta sanctorum patrum excommunicauimus. Dicimus autem illum manifestè reum propter rationes subscriptas. Primo que quia causa cupiditatis eius fratris ac matris quoque ipsius occisus est immerito noster Subdecanus. Deinde quia sciuit insidias illi prætendendas, nec mihi patefecit. Tertio quod insidiatores eius quos disturbare potuit, non disturbauit, sed & præsentia sua domum ex qua sanctæ ecclesiæ nostræ seruire debuerat, eis receptādis dolosè vacuam fecit. Quarto quòd malo eius cōsensit. His itaq; modis nobis apertè reus comprobatur, vn-



de vocatus & per sex menses expectatus dum confessionis ac pœnitentiæ remedia à nobis quærere distulit, A iure meritam excommunicationis sententiam pertulit. Cùm ergo contradictis irrefragabilibus scilicet causis, plures enim earum verè testes existunt parati quemlibet resistentem conuincere: cum ille, inquam propter has causas indubitabili crimine teneatur obnoxius, quis curet examinationem eius? an quia manifesta culpa examinari egeat, an fortè crederetur examinatus si culpam se non habere peierādo, culpam accumularet, sed vt scientes aliquem peierare sinant, ab animo sacerdotum religio prohibet. Iam verò tam euidens peccatum, quæ purgatio maneat, nisi confessio & pœnitentia? hanc si expeteret, audiens extra ciuitatem sibi infestam me esse propter amorem Dei, cuius misericordiæ me commonefecisti, B adhuc apud me locum eius reperiret, atque hæc ei forsitan aliquando absolutionem pareret. Quod si noe noluerit, quando tu consilium statueris de maioribus, & vilioribus tractaturus cum illis & hæc recensurus adero, tecum si mandaueris. Et si quid in illum actum est, bene stat, à stipulatione tua ratur, sin minus corrigatur. Vale.

*Fratri Theoderico, Fulb. sacerdos.*

## EPIST. LXII.

QVod te pridem ordinare noluimus mirātur tecū, vt aiūt, amici tui, insuper & Dominus noster Rex, & cur omissum sit, causam ignorantes omnes fere id iniuste, ac contumeliose factum clamant. Nos verò qui nō C iniuste, nec contumeliose factum esse scimus non vnam tantum, sed plures veras & autent cas inde reddimus rationes, quæ tibi, & illis fidem recti persuadeāt, ac à praua suspicione remoueant. Vna igitur causarum hæc fuit, quia die illo quo sacrandus esse videbaris, cōprouincialium Episcoporum qui aberant, nec litteras, nec legatos habuimus. Quod solum tātum valet, vt si nullo amplius adminiculo indigeres, tamen sine isto regulariter ordinari non posses. Talem enim ordinationem irritam esse testantur Niceni concilij capitulum quartum, & Antiocheni eorum decimum. Hæc tamen causa datis inducijs corrigi potuisset. Altera fuit, quod sub ipso deliberatæ ordinationis articulo propter crimē homicidij, quod audierat, missum à domino Papa vidimus interdictum. Quod si ille non mitteret, esset tamen obseruanda sen- D tentia Apostoli dicentis, oportere non solum Episcopum, sed presbyterum quoque, & diaconum sine crimine esse. Nec spernēdum illud quod apertissime scriptum est in Rhegiensi concilio his verbis; Qui deinceps non prouehātur ad sacerdotium ex regulis canonum, necessario credimus inserendum, id est qui in aliquo crimine detecti sunt, & cætera, vsque subiacebit. At si quis obijciat aliquem ex Patribus post peractam pœnitentiam & longam anachoresim propter religionem suam raptum fuisse ad Episcopatum: respondetur quod legi cōmuni & vniuersali singulares personæ vel causæ non præiudicēt. Deinde certe quod nihil valet exemplorū inductio, vbi neq; personarum neq; negotiorum similitudo consequitur. Nunc cætera videamus. Tertiam nobis causam tua confessio dedit, quæ nos maxime à tua ordinatione E deterruit: Nam pro captu nostræ simplicitatis cæteras quidem graues, sed tertiam hanc magis periculosam esse rati sumus. Proprium capitulum huius causæ noluimus ascribere, sed commune hoc est Concilij Niceni capitulum nonum: Si qui sine examinatione promoti Presbyteri sunt, & postea examinati confessi sunt peccata sua, & cùm confessi non fuissent, contra regulam venientes homines manus eis temere imposuerunt, hos Ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehensibile est defendit Ecclesia. Quartum verò promouit proscriptio refragantium clericorum & ex tota timore electio, verum non electio. Nam cùm sit electio vnius de pluribus maxime complaciti secūdum liberam

V

arbitrij voluntatem acceptio, Quomodo electio rectè dici possit, vbi sic à Principe vnus obtruditur, vt nec clero, nec populo nec ipsis summis Sacerdotibus ad aliū deflectere cōcedatur. De violentia huiusmodi Constātinus Augustus talem cōtra se, & contra alios Principes sententiam dedit. Quæcunque, inquit, contra leges fuerint à Principibus obtenta, non valeant. Et Rhegiense concilium: Sed nec ille, inquit, deinceps Episcopus erit, quem nec clerus nec populus propriæ ciuitatis elegerit. Ecce tibi promissas rationes exsoluimus. Quæ si iustæ sunt, displicere non debent. Adiecimus etiam pauca propter breuitatem capitula diuinæ legis. Quam primo quidem condere magni consilij, postea violare summæ reuerentiæ, seruare hactenus gloriæ tantæ fuit, vt quisquis secundum illam vixerit, procul dubio inter beatos computatus sit. Propter has itaque rationes non audentes tibi manus imponere vt pote deinceps ordinandi potentia cariturí præuaricatores legis esse noluimus. O sacrilegam impietatem! in ipso sinu sanctæ Matris Ecclesiæ à fautoribus tuis penè perempti sumus: & quidem ita catū fuit euasisse viuos, vt subsecutæ prædę leuis esse iactura videatur: sed quia hæc scandala propter te nobis fiunt, iā vt desistant te apud eos obtinere oportet, apud quos hanc persequendi sacerdotes gratiam inuenisti. Nosti enim quid portendatur homini per quem scandalum venit. De cætero autem, frater, est quod te celare non debemus, videris enim nobis vehementer errare, qui sine respectu Dei præsulatum violentus inuadis. Nam si sola dānatur ambitio, quid de violentię importunitate censebitur? Verùm non solum hoc, sed in ipsa violata nec postea reconciliata Ecclesia, missarum solemnia celebrare præsumis: vtrum tamen imprudenter, an consulto facias hæc, habemus incertum. Sed si imprudenter, instruenda simplicitas si verò consulto, præsumptio est punienda. Nam si te canones scire constat, & tamen imprudenter obsurdescere, & contraire contendis, non modo præsulatum fugientem non assequeris, sed nec quod apprehendisse debueras, Presbyterium tenuisti. Vale.

*Venerabili Aurelianorum Episcopo T. Fulb. Carnot. sacerdos obsequium dilectionis sine fuco dissimulationis.*

## EPIST. LXII.

GRatulor diligentiæ tuæ. Licet inter multa aduersantia sua strenuè capessenti, me quoque de negotiis ad me pertinentibus amicè commonenti. At ego cōmonitionem tuam benigne suscipio: in cæteris quidem quę mihi scripsisti libēter tibi prout decuerit & tempus erit, obtemperaturus. De processione verò Ecclesiæ nostræ ad vestram fieri solita, Clericos nostros conueniēs audiui ab eis quod optime noueram, & te ipsum æquo animo concredere volo: videlicet quod damnatis incendio, & ad Ecclesiæ restaurationem inhiantibus, aliisque plurimis miseriis valida necessitate occupatis, processio non fit ad præsens facilis, successu vero prospero facultatis cum magno gaudio ac debita deuotione se illam facturos. Vale cum beatissimo Clero tuo, & grege tibi commisso, cohortans eos orare Deum, vt liberet nos ab aduersis nostris.

*Dilectissimo fratri & Coepiscopo suo T, Fulbertus.*

## EPIST. LXIII.

ILlatam vobis iniuriam verè meam facio, compassionis affectu, in eos qui sacro ordini fecere contumeliam zelo feruens; sed nec vobis vtile esse video, nec mihi tutum, vt zelus noster ad vindictam excommunicationis erumpat. Expectandum, & commonitoriis vtēdum esse reor, donec illos aut pœnitentia corrigat, aut summi iudicis sententia mulctet. Vale.

A *Venerabili Coepiscopo suo O. Fulbertus.*

## EPIST. LXIIII.

DE causa vnde simplicitatem nostram consulere voluistis, in sexto libro capitulorum nonagesimo primo ita scriptum inuenimus. Si vir & mulier coniunxerint se in matrimonio, & postea dixerit mulier de viro non posse nubere cum eo, si poterit probare quod verum sit accipiat alium, eo quod iuxta Apostolum non potuit illi reddere vir suus debitum. De profectione autem nostra ad sanctum Hilarium, præfixum adhuc terminum non habemus. Viuite feliciter in Christo Iesu Domino nostro. Vale.

B *Dilectissimo Coepiscopo suo O. Fulbertus, ex animo quicquid verus amicus.*

## EPIST. LXV.

PRimum gratias ago charissime, quod nobis ad concilium & comitatum & obsequium pollicemini. Quod dum facitis, ingenita benignitate vestra multum nos hilaratis: & nobis quidem desiderium esset memorato concilio interesse, sicut etiam venerabili Archiepiscopo nostro Leutherico in audientia vestra nos dixisse meminimus, sed difficultates ex malitia huius temporis obortæ non sinunt. Quod etiam vos illi notum facere precamur ne sit nostra expectatione suspensus. Cæterùm exoptabilis colloquij vestri oportunitatē ad præsēs non habemus, nisi fortè vobis Nouigentum placuerit propinquare. Vale.

C

*Dilecto suo. O Fulbertus.*

## EPIST. LXVI.

QVod vobis olim charissime per veredarium vestrum literas non remisi, in causa fuit quia vos quam primum visere destinabam, idque etsi distuli, desiderare non destiti. Sed interim vos scire volo quod vtique velle scio: me scilicet ad præsens Dei gratia bene valere vestris obsequiis spiritualiter instantem corporaliter apparatum, sicut nemo fidelius excepto illo sancto D Monachorum Archangelo Odilone, cui me in nullo cōparare præsumo. Cuius etiam charitas si qualiter afficiat animam tuam aggrediar dicere, deficit, ne rem inenarrabilem videat velle narrare. Plura me scribere prohibuit tam multiplex negotiorum occupatio, quam etiam legatus morarum impatiens. Sed hoc vnum tandem apud vestram benignitatem deprecor, vt cùm nostrum Archangelum vice nostra salutaueritis, cum simplicitate Monastica hilaritatem Angelicam quæ vobis præsto est induatis. Valete prosperè in virtute Dei.

*Venerabili patri suo Odiloni Ful. Sacerdos non meriti confidentia, sed pietatis affectu præsumptum orationis suffragium.*

E

## EPIST. LXVII.

MAgnum mihi desiderium fuit, & adhuc quidem est ad vos veniendi, sed obortæ nuper in nostro Episcopatu dissensionum causæ, propositum iterò omittere coēgerunt. Quod vobis quam primum his pauculis apicibus significare curaui, ne sublimitas vestra sit ad præsens de meæ pusillitatis expectatione suspensa. Veniam autem aliquado si licuerit ad vos, quos verè inhabitat Spiritus sanctus, consilium diuini oraculi petiturus. Valete in Domino semper, iterum dico valete.

Pruden-

*Prudenter & præclare magnifico Patri O. Fulbertus suus.*

## EPIST. LXVIII.

VT ab alio liberaliter acceptus, sic nunquam quas opere nequeo, affectu saltem gratias recompenso. Tali enim apparatu in Epistola tua dignatus sum, quali non festiuior expectetur in ferculo Salomonis inter organa vatum, & ardentes cincendelas virginum, Angelicum mihi manna posuisti non sine mystica dape columbarum ac turturum. Propinabas interea charitatis nectar. Quo inhiaoter hausto & ad cordis interiora transmisso, si non Prophetice vt Dauid verbum bonum, Panegyricè tamen, vt fit, & imprecatorie sicut filio refocillatus Israël tibi Patri filius eructare gaudebam. Paterna deinde cura significasti te meæ valetudinis habitum sagaciter explorasse, atq; vbi vitalis calor aliquod in me dabat sospitatis indicium gratulari, dolere morbi signũ & formidare periculum. Nec verò tandem benignitas tua plagam meam relinquere passa est suæ curationis exortem, quin arte diuina mirabiliter vsus liquorem quendam instar vini Sami prius infudisti, qui indigestum humorem excoqueret, dehinc alterũ oliuo persimilem, quo totus omnino tumor atque dolor mitigatus abscederet. Nunc ergo tua curatus industria, tuis epulis recreatus, dignum duco vt omnes meæ vires tuæ voluntatis semper adminiculentur effectui. Nec aliquatenus à tua sententia discrepatum ire statuo: quæ tecum Domino quantum homini datur idem velle, atque nolle confido. Decet itaque Pater, vt tu quoque vicissim meum seruulum de te pendentem, téque non sine magna fiducia respectãtem, sacris intercessionibus adiuues. Sũ enim valde miserabilis homo, qui cum ad propriam nõ sufficerem, ad publicã curam nescio qua seu ratione, seu temeritate perductus sum. idq; certe est neq; dissimules, quod te specialiter mihi facit consilij atque auxilij, debitoremque te suasore non desero hunc laborem. Vale.

*Sanctissimo atque dilectissimo Patri O. Fulbertus humilis sacerdos orationis suffragium.*

## EPIST. LXIX.

VOlebam vobis occurrere Pater, vt mandani per R. diaconem meum: sed domestici mei nouo quodam rumore permoti, nec me iter ad præsens agere, nec se itineris mei fore comites adquiescunt, donec tutius id fieri posse perpendant.

*Fulbertus indignus Episcopus ineffabiliter charo Patri, & Domino suo O. cum Cherubin & Seraphim odas loqui.*

## EPIST. LXX.

QVantas animo concipere possum tibi gratias habeo sancte Pater, qui meo arbitratu tædiosam & vix tolerabilem importunitatem meã quasi pro delitiis habes: seruoq; & sua tibi debenti omnia versa vice dominus paras obsequia. Vere viuit hic, & fulgurat illa foetis & speciosa charitas, quæ secundum Apostolum, patiens est, benigna est, & cuius vigor nunquam excidit: hac denique præsentialiter fruendi desiderio maceror, sed graui ad presens difficultate detineor. Malefactor enim ille Gaufridus, quem pro multis facinoribus excommunicaueram, incerto vtrum desperatus, an versus in amentiam, collecta multitudine militum quo ducce dessent ignorantium, villas nostras improuiso incẽdio concremauit, nobisq; quantas potest machinatur insidias. Super his itaq; ne tãtæ causæ indiscussæ, vel multæ remaneant, necessario mihi conueniendus est penitus Odo Comes. Quod si dissimulauerit, restabit Regis & Richardi rogare patrocinia. Quod si isti quoque opitu-

A lari neglexerint, quid melius mihi tester non video, quàm hæc missa facere, & Christo secretius deseruire. Valete.

*Quem iugiter in sinu memoriæ fouet Domno Abbati G. Fulbertus Carnotensium sacerdos abundantiam charitatis.*

## EPIST. LXXI.

PEregrinus quidam frater nomine Hermengaud, nos cõsolationem petiturus adiit vultu, sermone, & habitu pœnitentis. Senius enim & squalidus, pallentique macie deformatus, sua culpa de vestri cœnobij paradiso se conquerebatur expulsum. in corpore fesso morientẽ

B animam circunferre. Quod verbum interius admittentes compassione carere, vosque pro illo non rogare nequimus. Precamur itaque si vis, si fas est, in nomine eius Domini qui iuxta est his qui tribulato sunt corde, vt paterna pietate recipiatis hunc filium iam tandem sero postliminio reuertentem: quo de conuerso peccatore non tantùm angeli Dei, verùm etiam ipsi fratres, quorum propinsius interest gratulentur. Valete memores vestri, nostri non immemores.

*Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus, Richardo Abbati, & omnibus sancti Medard monachis orationis suffragium.*

## EPIST. LXXII.

C QVandiu de vobis quæ de bonis & sapientibus viris audiuimus, gaudentes Domino gratias agebamus. At nunc sinistro rumore læti, vestrum periculum formidamus. Dicuntur enim vestri domestici atrium & Ecclesiam beati Medardi cruenta cæde violasse. Dicitur de vobis quod in eadem violata Ecclesia sine Episcopali reconciliatione Deo sacrificare præsumitis. Quod si verum est, profectò præsumptio ista & noua est, & nimia, & bonis omnibus insectanda. Quid enim mali est quod in sancta Ecclesia machinari incipitis? Vultis dare partes laicorum Presbyteris, Presbyterorum laicis? Vbi vobis conceditur Ecclesiam aut nouam dedicare, aut profanatam reconciliare? Sed nec oratorij quidem domum vobis ædificare nisi per Episcopum licet. Positi namque estis omnino sub potestate ipsius, qui, vt

D ait Hieronymus, potestatem habet peccantem monachum tradere Sathanæ in interitũ carnis. Sed ne parua auctoritate fretus hęc dicere videar, testem mihi allego magnã Synodũ Chalcedonensem duodetriginta Episcoporum sub Papa Leone sub Martiano principe celebratam, in qua Eutices Abbas Constantinopolitanus condemnatus est. In qua etiam de supradictis causis sancitum est: Placuit neminem aut ædificare aut constituere monasteria, aut oratorij domum sine conscientia ipsius ciuitatis Episcopi. Eos vero qui per singulas ciuitates seu possessiones in monasterijs sunt, subiectos esse debere Episcopo, & quieti operã dare, atque obseruare ieiunia & orationes in locis in quibus semel Deo se deuouerunt permanentes: & neq; cõmunicãre, Ecclesiasticas neq; seculares aliquas attrectare actiones, relinquẽ-

E res propria monasteria, nisi forte iubeantur propter vrgentes necessitates ab ipsius ciuitatis Episcopo. Item in eadem: Iubemus monasteriis aut martyriis cõstitutis, vt in potestate sint eius, qui in ea est ciuitate Episcopus secundũ traditionem sanctorum patrum; ne per præsumptionem recedant à suo Episcopo. Eos vero qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem, quocũq; modo, vel si noluerint subiacere proprio Episcopo si quidẽ fuerint clerici personarũ ordinatione subiaceãt condẽnationibus canonum: si vero laici vel monachi fuerint, cõmunione priuentur. Poterã alia multa de legibus diuinis huic rationi firmamenta subnectere, sed breuẽ me scribere memini, Et, vt ait Isidorus, sicut militi illa arma

sufficiunt, quæ ferre ad tempus congruenter potest: sic nobis de multis sententiis paucæ, prout tempus exegerit. Nunc vobis charitatiuè volo suadere, vt sano consilio præbeatis assensum: ad subiectionem Episcopi vestri simpliciter redeatis. De præterita culpa requiratis veniam: de futura assumatis cautelam; vt & vobis fiat quies de obedientia, & nobis de vestra quiete lætitia. Alioquin pro certo sciatis, quia si (quod absit) in contumacia contra illum manseritis, in proximo conuentu Episcoporum graue dispendium incurretis. Valete.

*Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus Gauslino Abbati regulariter agere.*

EPIST. LXXIII.

PRæsul Aurelianorum, qui vos excommunicauit, Coëpiscopos suos idem facere poscit. At ego correctionis vestræ non expers III. kalend. Octob. ei respectum dedi. Vnde nunc frater commoneo, vt gradus humilitatis interim vel vsque ad tertium relegens Episcopo vestro subiiciamini, sicut decet. Aut si vobis non ita faciendum esse videtur, cur fieri non debeat rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem neque modum ratiocinationis inuenire possum, qui vos ab iugo subiectionis huius absoluat. At si quis alius præter vos inuenisse fateatur, nouum illum Rhetorem de cœlo magis cecidisse, quàm descendisse crediderim. Viuite. Nequis vos seducat inanibus verbis. Valete.

*Fulbertus Dei gratia Carnot. Episcopus G. suo Clerico.*

EPIST. LXXIV.

QVicquid boni de te sperare præsumpseram, totum vere in contrarium cedit, non solum enim nullum ex te consilium vel auxilium capio, verùm insuper odiū pro dilectione reddis, & iniuriis me afficis immerentem. De quibus iam apud te per verba legati bis querimoniam feci per scripta mea, nunc tertiò queror. Doleo namque quòd temetipsum Ecclesiæ nostræ Ministerio fraudas, profanæ vitæ & armatæ militiæ mancipatum: quòd decimas & oblationes nostras ausu sacrilego detines, quòd Monachorum nostrorum Ecclesias inuasisti, quod tui domestici Canonicorum villas, præda & incēdio vastant, hæc denique omnia (vt dictum est) indignè mihi abs te fieri queror, cui nihil vnquam incommodi vel opera mea, vel instinctu memini contigisse. Quod si quid esset vnde me suspectum haberes, pro incerta causa certas offensiones non oporteret inferre. At si quid in te manifestè peccassem, & tu scripturarum consiliis adquiescere velles, tuum tamen Præsulem cum patientia sustineres. Sed dum discretionis oculum ira turbat, cupiditas cæcat, nec causam satis diligēter attendis, nec opem consilij salutaris admittis. Vnde iam tibi satis expectato prænuntio, quòd si ante natale domini resipiscens ad correctionem non veneris, senties me diuinas leges acriter insequentem, quem modò negligis suauiter admonentem. Vale interim.

*Charo suo D. Fulbertus Sacerdos.*

EPIST. LXXV.

NE turberis fili mi, nec decidat cor tuum ab amore & fiducia nostri. Non enim dereliquit te anima mea: sed quia minus credere sibi & obediens esse videbaris, paululum dissimulato vultu ad exemplū domini ire se longius finxit. At nūc ad hospitalitatem amici pectoris dulciter reuocata, & oblato pane diuinarum scripturarum, oblectata in ipsius panis fractione omnem vultus ambiguitatem deponit, & antiqua specie tibi renitens hilarescit. Precor itaque si copia vehiculorum suppetit, vt nos corporaliter visites: si non à nobis tibi mitti iure debitam mandes. Vale.

A

*Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus charo suo Her.*

EPIST. LXXVI.

AVctor signatæ schedulæ, quā mihi mittere voluisti, seu fideliter siue impurè id agas, consulit tamē iusta, leniterque blanditur. Iustum est enim ecclesiam te in qua sis ordinatus, quoad in ea tuiò degere possis, non deserere, ouésque tibi commissas studiosè curare. Blandum etiam est appellari filium, desiderium significare viuendi, corollarium gratiæ polliceri. Vnde si hæc

B fideliter oblata probaueris, fideliter autem dico sine circumuentione animæ tuæ, pernoxia iuramenta non suadeo refutare. Nam quod in ordinatione ipsius erratum est, neque tu corrigere potes, nec amodo sic tua refert, vt ob aliorum culpam tuum debeas officium deuitare. Tamen quicquid huius egeris cum Rogerio Episcopo te ante pertractare moneo, & cum domno Rodulpho cui tecum vna causa est, & par pœna exilij. Vale non dubius amicitiæ meæ.

*Fulbertus Dei gratia si quidem fidelibus, adhuc vt aiunt. R. G. A.*

EPIST LXXVII.

C NEc porta iustitiæ, nec ianua misericordiæ vobis clausa est apud nos. Neque verò de Brictio Episcopo fecimus ostiarium, qui vos, vt significatis, à nostris penetralibus arceret: sed vtrumque aditum seruandum rationi commisimus. Si vultis intrare per portam iustitiæ, defendite culpam. Si per ianuam misericordię, agite pœnitentiam, aliter enim vos ratio non admittet. Hæc breuiter rescribentes, vobiscum sentire putamus, dum terminos sanctorum Patrum nec ipsi transgredimur, nec vobis transgredi suademus. Valete.

*Fulbertus Dei gratia Carnot, Episcopus D. Episc. designato quicquid sibi.*

EPIST. LXXVIII.

D SIc estis per Dei gratiam in arbitrij vestri libertate positi, & finitimorum Episcoporum copia fulti, vt in manus Episcopi Siluanectensis incidere nulla vos necessitudo cōpellat. Sed ne ciuitati vel Ecclesiæ Catalaunorum suum derogetis honorem, meminisse vos decet, quod in antiqua descriptione Prouinciæ Belgicæ secundæ ipsa ciuitas à Remensi tertium locum habeat. Sapiēti pauca. Valete intrando per ostium in ouile ouium.

*Fulbertus Episcoporum humillimus H. suo salutem.*

EPIST. LXXIX.

E ABsentia tua sæpe commemorat quàm necessarius eras præsens. Sed hoc me consolor, quòd obsequia tibi delegauerim qui sis dignus recipere, & vtrunque remunerare paratus. Spero enim vt mihi quoque de tuis bene meritis, si qua Deo dante fuerint, tecum mercedis portiuncula cedat. Opitulabor itaque ad bene promerendum ex animo. Sed veniendi ad vos diem statuere dubito quia & ibi victualia mihi puto deesse, & in mea diocœsi multis occupor. Fac tu interim quod te facere opto, & credo, lectioni, orationi, & eruditioni, fratrum operam tuam cum alacritate diuide. animæ simul & corporis curam gerēs, non propter sæculi lassitudinem premij vigor euanescat. De re sancti Patris Hilarij, & nostra fideliter disponenda, scio te non indigere monitis,

dum-

dum modò fures caueas. Vestes & cætera ornamenta Ecclesiæ, quæ lauari volunt, procura vt festa Paschalia suo candore venustent. Lazarus noster & totum pomarium gaudeant suo cultu. Vinitorem quoque & agricolam te esse memineris. De vario numero Psalmorum, qui adijciuntur à quibusdam in tempore ieiunii, per singulas horas canonicas in fine post orationem dominicam, & capitula quæ sequuntur, regulam non inuenio. Psalmi quidem meo arbitratu superflui essent, nisi eos curaret Psalmistarum deuotio. Finitis autem capitulis post orationem dominicam vbi dicitur, Domine exaudi orationem meam, statim esset subdenda oratio, quæ ex libro Sacramentario recitatur. Patere tamen Ecclesiam retinere suum vsum ad præsens. De significatione Clericalis ornatus Amalaricus sic breuiter: Desideramus recapitulare omnem ornatum Clericorum. Caput Clerici in superiore parte discoopertum: Mens est, vbi est Dei imago. In inferiore parte circundatum capillis, quasi aliquibus de præsenti necessitate. Amictus est castigatio vocis. Alba cæterorum inferiorum sensuum præsidente Magistra ratione, & interius per disciplinam continentiæ constringente, quasi quodam cingulo voluptatem carnis. Calciamenta, prohibitio pedum ad malum festinare. Sandalia ornatus ad iter Prædicatoris, qui cælestia non debet abscondere, neq; terrenis inbiare. Secūdā tunica, opera mentis sunt. Casula, opera corporis pia. Stola iugum Christi, quod est Euangelium. Dalmatica diaconi, idest ministri, cura proximorum est. Sudarium piæ & mundæ cogitationes, quibus detergimus molestias animi ex infirmitate corporis. Pallium Archiepisc. torques deuotissimæ prædicationis, & in veteri testamento & in nouo. Hactenus Amalarius. Mitto tibi Cyprianum, Porphyrium, & vitas Patrum cum psalterio, vt petisti. Moneo etiam vt cùm Donatum construxeris, nihil mandes ineptæ leuitatis, vt sit causa ioci, sed omnia seria. Spectaculum enim factus es: caue, vide etiam ne tuæ assetulæ inedialis nuditate laborent. Salutamus fratres nostros in Domino, & tute vale. Presbytero benedicendi os non alligabis, nisi ea præcepto Episc. fui. Quod oblitus fueram, prohibetur tamen Agathensi Canone.

*Fulbertus Humilis Episc. fratri H.*

## EPIST. LXXX.

DIc charissimo nobis Principi G. perpetuam fœlicitatem cum orationibus, ex parte nostra, & totius Cleri, ac populi nostri, propter eleemosynam quam misit ad restaurationem Ecclesiæ nostræ. Deinde vero nos prædicasse publicè, sicut ipse mandauit virtutem Dei per meritum sancti Ioannis ostensum in districtione Gausberti cum exultatione & gaudio omnium qui audierunt. Monuisse quoque Bituricensem Archiepiscopum per quendam Monachum suum, vt se peccare non negligat cum ipso Domino Guillelmo & Episcopis eius, priusquam sibi exinde scandalum oriatur. Tibi etiam misisse sibi exponendas sententias Baccharij, Bedæ & Rabani, de fine Salomonis vnde fecerat quæstionem. Sed & de præbenda quæ vacat, sicut & de omni bono voluntati eius me præbere consensum. Præterea scias me propter te magistro S. veniam indulsisse. Cæterū Triginus summonebat vt mitterē vobis aliquē procuratorem ad colligendas fruges: sed ego totum hoc curæ tuæ committo, te exercitās, illum probans. Adiutorem scholarum nolo tibi mittere, qui nōdum assecutus sit maturitatem ætatis, & grauitatem morum. Vtere interim clientelæ tuæ qualicunque subsidio, donec causam communi consilio pertractemus. Vale.

## EPIST. LXXXI.

CVm audio te facere quod debes, lætor quāuis trepidem de futuris. Vnde summam bonitatem deprecans, vt te dignetur regere. Te quoque moneo vt habenis præceptorū eius obtemperare memineris. Iterum dico vale. Baccharij iā certam inuenies sententiam, Bedæ & Rabani, quorum tamen trium sententiales hic quoque subnotare non piguit. Baccharius ait: Salomon ille mirabilis, qui meruit astrui Domino, sapientię copulari, in alienigenarum mulierum incurrit amplexus, & in vinculo libidinis laqueatus, etiam sacrilegij errore se polluit, quando simulacrum Camos Moabitarum idoli fabricauit. Sed quia per Prophetam culpam erroris agnouit, nunquid misericordiæ cœlestis est exortis? Ac forsitam dicas. Nusquam eum in canone lego pœnituisse, neque misericordiam consecutum. Non ambigo frater de pœnitētia eius, quæ non inscribitur publicis legibus. Et fortasse ideò acceptabilior iudicatur, quia nō ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ Domino reste pœnituit. Veniam autem ex hoc consecutū esse agnoscimus, quia cùm solutus fuisset à corpore, sepultū illum inter regum Israelitarum corpora, scriptura cōmemorat. Quod tamen alibi peccatoribus Regibus abnegatū esse cognoscimus, qui vsque in finem vitæ suæ in propositi peruersitate manserunt, & ideò quia inter Reges iustos meruit sepeliri, non fuit alienus à venia. Veniam autem ipsam sine pœnitentia nō potuit promereri. Beda in opusculo super lib. Regum capitulo 39. præmissis paucis ait. Vbi hoc quoque ni fallor palam ostenditur, quod vtinam non ostenderetur: quia videlicet Salomon de cōmisso idololatriæ scelere nunquam perfectè pœnituit. Nā si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia vt idola quæ ædificauerat, de ciuitate sācta tollerentur; & nō in scandalum stultorum, quæ ipse cùm fuisset sapiens, erronea fecerat, quasi sapiēter ac rectè facta relinqueret. Rabanus sic sub persona Isidori in expositione eiusdem libri. Iam porrò de aliis operibus Salomonis quid dicam, quem vehementer arguit sācta scriptura & damnat, nihilque de pœnitentia eius vel in eum indulgentia Domini omnino commemorat. Nec prorsus occurrit, quod saltem in allegoria bene significet, hæc est flenda submersio.

*Fulb. humilis Episc. H. suo salutem.*

## EPIST. LXXXII.

DIu sustinui sperans te esse venturum, vt dixeras. Vnde iam nimia dilatione commotus arguo apud te solum. Cur enim te mendacem mihi & ingratum exhibuisti cum tibi dulce esse debuisset paratos si qui forent de venatione tua cibos te patri inferre, vt aliquam benedictionem mereris accipere. Noli iam morari diutius si gaudere vis de humili gratia nostra. Vale & veni, aut rescribe mihi quid pro certo sperare debeam de te.

*Fulbertus Carnot. humilis Episcopus R. Sanctæ Ecclesiæ Aurelianensis æconomo.*

## EPIST. LXXXIII.

QVid me scribere mones vilia clerico, quodque de scientia magni pendis facis amicè, facis vt Christianæ philosophiæ cultor, inuidiæ pur⁹. Ego verò etsi ignarus mei moduli, nō præsumo grandia, tamen memor in quo parere possum exhortationi sanctæ deesse nō volo. Scripsi itaque sicut monuisti, quid mihi videatur agendū de Presbytero illo, qui missas celebrare, & non communicasse compertus est, in hunc modum. Videtur namque diligēter inquirenda esse causa, qua sacro sāctam communionem subterfugerit: videlicet vtrum heretica infidelitas sit, an timor ex cōscientia planè mortalis criminis, an timor ex cōsciētia ebriositatis, aut libidinis. Quæ quidē miseri sacerdotes mortalia peccata esse aut nesciūt, aut scire dissimulāt, remordente tamen cōscientia mala: an sit tædiō ex multa celebratione missarum, an

timur indiscretas, quo pusillanimes afficiuntur interdũ pro leuibus culpis, an morbos reumatizantis & nauseãtis stomachi, an passio cerebri mentem lædens. Si ergo infidelitas in causa inuẽta fuerit, aut aliud planè mortale crimen, deponendus est auctoritate Canonica vsque ad legitimam satisfactionem. Si autem appetitus ebriositatis aut libidinis, quando quidem & ipsæ mortiferæ sunt, ab officio remouendus est: & tandiu abstinentia castigandus est, quousque relicto vitio, & per Dei gratiam superato, reuocari videatur idoneus. At si ea frequenti missarum celebratione tædium, ita corripiendus, & per annum integrum à communione pellendus, sicut scriptum est in 13. Concilio Toletano cap. 5. Si verò indiscretus timor de leui culpa, castigandus esse videtur cum pietate, sicut legitur in capitulario lib. 1. ca. 6. At si prænotata passio stomachi, vel cerebri fuerit in causa, quiescere debet à Ministerio, donec recuperet sospitatem. Si autem præter supradicta aliud aliquid in causa inuentum fuerit, ex ipsorum comparatione, per ratiocinationem facilè tractabitur. His breuiter assignatis salueto in Domino Iesu Christo vir optime, qui me multosque alios iugiter & interrogatus, & dum prudenter interrogas, bene doces. Valete.

*Benignissimo atque dilectissimo Domino suo Roberto Fulbertus Dei gratia Carnotensium sacerdos.*

## EPIST. LXXXIV.

COgnita benigna voluntate vestra consilioq; prudentiæ vestræ comperto, quia sanum est, vt solet, voluntati assequor, consilio adquiesco, & iter institutum ad præsens omitteos, vt tempus à nobis constitutum differo peragendũ, si annuerit dominus. Si ergo de iustitia, de pace, de statu regni, de honore ecclesiæ vultis agere, ecce habetis me paruum satellitem pro viribus opitulari paratum. Vale.

*In perpetuum diligendo Domino suo Regique Roberto Fulbertus sacerdos.*

## EPIST. LXXXV.

QVæso domine mi, ne indignanter accipias quòd tibi proxima Dominica Parisius non occurri: Scias enim pro certo quod nuntii fefellerunt me, dicentes te illuc ipso die non affore: sed propter ordinationẽ cuiusdam Episcopi me vocari, quem omnino non noueram, nec sacratam tuam nec epistolam Archipræsulis mei de ordinatione ipsius acceperam. Vnde si quid delicti penes me est, seductum aliena fallacia, facilis tamen debet esse remissio apud Regiam pietatem, cùm etiam apud forenses iudices status sit huiusmodi venialis. In toto corde meo diligo te, ne repellas me à mandatis tuis. Vale.

*Regi Sacerdos R. Fulbertus fidelis, & promus.*

## EPIST. LXXXVI.

ACcepta legatione vestra per R. sanctæ crucis œconomum destinatum, peregrinationem iterum intermisi. Nũc quid me velit serenitas tua colloquio magis, si fieri possit, quàm legatis aut literis cupiam edoceri. Venirem antè ipse protinus ad vos huius rei gratia, si commodè possem. sed venire in armis sacrum tempus abnuit ac religio nostri ordinis. Venire inermes, longa via interminatur, ac malitia secularis. Est enim mihi O. coluber in via, R. cerastes in semita. Cæterùm ex arbitrio vestro pendeat, amodo quo pacto voluntatem vestram mihi placeat indicare, quoniam apud me definitum, voluntati vestræ, quæ vobis non noceat, conuenire. Valete regaliter.

*Dilectissimo Domino suo Regi Francorum R. Fulbertus humilis Episcopus sanctæ crucis augmentum.*

## IN EPIST. LXXXVII.

SI nobis omnes peruagãdæ facultates simul cum voluntate suppeterent, interesset vestræ pietatis leuitatem nostram arguere, & ad nostræ Ecclesiæ quæ destructa est, restaurationem assiduam reuocare. Nunc verò cùm omnes eiusmodi facultates desint, & nos ad assiduitatem necessitudo magna coerceat, quomodo sapientiæ vestræ dignum videri possit, vt vel nos, vel clerum nostrum de qualibet longa processione commoneatur; sustinete potius, Sancte Pater, sustinete imbecillitatem nostram, supplete indigentiam nostram, vt Deus omni bono resocillat charam animã vestram. Valete regaliter.

*Benignissimo Domino suo Regique R. Fulbertus humilis sacerdos, si qua potest orationis suffragia.*

## EPIST. LXXXVIII.

EX parte celsitudinis vestræ dictum est nobis, quòd domnum Franconem Parisiensi Ecclesiæ dare vultis Episcopum, & ad hoc peragendum nostræ humilitatis habere fauorem. Nobis autem videtur, quia si Episcopus de quo agitur, aptus est Clericus, est optimè literatus, & ad sermonem faciendum agilis: in qua re omnes Episcopos decet esse, non minus quàm in operatione potentes atque disertos. Vnde si hoc fieri posse Canonici Domini Archiepiscopi Senonensis & Coepiscoporum nostrorum probauit sagacitas, nostrum etiam qui de hac discussione appellati non fuimus, habetis assensum. In nullo enim quod bonum sit coram Domino, vestræ voluntati nitimur contraire. Vigeat excellentia vestra.

*Dilectissimo Domino Regiq; R. Fulbertus humilis Episcopus humilitatem in prosperis, fiduciam in aduersis.*

## EPIST. LXXXIX.

DE Lisardo Clerico, qui Meldensis Episcopij res odiosa importunitate peruasit, tale consilium damus. Præcipite Archiepiscopo Senonensi, vt vel Episcopium ipse visitet, vestræque & suæ ditioni reuocet, vt dignum est: vel si id facere prohibeatur, mandet prædicto L. per literas ex sua & nostra, suorum videlicet suffraganeorum parte conscriptas, vt cedat loco & rebus stultè peruasis, & de præsumptione sua nobis satisfacere studeat ante proximam festiuitatem sancti Petri Apostolorum Principis. Quod si facere neglexerit, ex tunc in antea à nobis omnibus excommunicatus sit. Valete.

*Dilectissimo Domino suo R. Fulbertus Episcoporum humillimus consilium & fortitudinem à Domino.*

## EPIST. XC.

CVm præsentia mea nequeo, saltem literis tẽ reuiso domine, sciscitans de fortunis tuis, & exponens aliqua eorum quæ gerãtur in partibus nostris. Carnotẽses adhuc plerosque detineo, ne in tuũ nocumentum erumpant. Sed Hereb. & Gaufr. nullo interdicto refrenare potui. Faciunt tibi mala quę possunt, minantur quæ non possunt. Virtus Altissimi conterat & disperdat superbiã illorum. Quidam autem vernaculi tui, qui ab eisdem malefactoribus iniuriam passi sunt, M. scilicet de Villeri monte & filij eius iram suam retorquent in terrã sanctæ

sanctarum dominæ nostræ, diripientes fruges & cætera bona nostra, quæ in vicinia sua sunt. Nos inulta verò A hæc patimur propter te, expectantes & deprecantes iustitiam tuam. Sunt hæc & alia multa mi domine, quæ me nimis angustiant. Satis enim oneri esse videbatur aduersa corporis valetudo: sed tamen illud ægrius tolerabam, quod res Ecclesiæ in superfluorum domesticorum victualia sic expendere compellebar ea praua consuetudine prædecessorum meorum: vt officium hospitalitatis & eleemosynæ, sicut mea interest, administrare non possem. Nunc autem res ipsas quantulæ erãt, passim inimici diripiunt. additur his malis incendium Ecclesiæ nostræ. Quoniam cùm vnde restaurem, sicut decet, non habeo, mihi quoque necessarios sumptus indulgeri decreto. His itaque & pluribus aliis difficulta- B tibus circumuentus, quas vel pudoris lex, vel breuitatis enumerare vetat, mecum agito, non vt ærumnas in hac vitæ euadere coner, quod est impossibile, sed vt aliquo labore quamuis arduo valeam restaurare, Ecclesiæ opem. Huius verò consultationis meæ finem tibi Domino meo reuelatum ire disposui, cùm Deus dederit tui opportunitatem alloqui. Valete perenniter.

*Serenissimo Regi francorum R. Fulb. humilis Carnot. Episcopus, quod decet & prodest.*

EPIST. XCI.

GRatulor tibi Domine mi, quod fonte bonitatis vt semper irrigans negotium Dei, mandasti mihi tra- C ctare, vt expedit. Talia denique te regem præcipere decens est, subditosq; tibi capessere tutum. Sed illud miror, quòd Odonem Comitem in mea deliberatione vel posuisse vel positurũ esse dixisti, quid facere debeat de receptione Meldensis Episcopi, cùm abhinc anno ferè dimidio nec ipsum viderim, nec de tali negotio legationem eius acceperim. Attamen si aspirante Deo ad nos venire & consiliis meis adquiescere voluerit, desinet proculdubio rem Ecclesiasticam vsurpare, diuinam vitionem in se prouocare, tuisque sacris ordinationibus contraire. Vale.

*Regis sacerdos, Domino fidelis R. Fulb.*

EPIST. XCII.

D VT vobis proximo Sabbato Turonis occurrerem, quia serò commonitorium accepi, non parui. Si quæ aliæ causæ sunt tacentur ad præsens, quia minus vos tacitæ quàm expositæ lædunt. Vale nunc & semper.

*Excellentissimo & charo Domino suo R. Fulbertus Carnotensium Episcopus cursum honestis continuum ad beatitudinis finem.*

EPIST. XCIII.

INter multas sollicitudines meas, cura tui Domine, me E non mediocriter afficit. Cùm enim te prudenter agere accipio, lætor: sin autem, tristor & timeo. Audito igitur inter alia quòd proxima solemnitate Natalis domini consilium habiturus sis cum Principibus regni de pace componenda, gaudeo. Sed audito quòd Aureliana ciuitas videlicet incẽdio vastata, sacrilegiis prosanata & insuper excommunicatione damnata, nec post reconciliata, miror, & paueo. Quanto enim dolore putas afficiendos esse sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei & tuam ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint vbi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi sacro sanctam Eucharistiam absoluiè percipere? Absit hoc à te charissime domine, vt tu in tanta solemnitate aut diuinis officiis careas, aut illicitè vel indignè te sciente A vsurpari permittas? Quod ideò te præmonere curaui, ve vel illum locum facias recõciliari, aut vbi melius sit, solemnitatem celebrare memineris. Velim autem suadere tibi, si possim, ne dimittas propter iram quæ Dei iustitiam non operatur, quin Episcopo tuo treugam des, pollicenre iustitiam, insuper & conductum præbeas, si velit, ad reconciliandas ecclesias suas. Quod si detrectauerit, ipse in periculo, tu nauigabis in portu. Cæterum quia tuis obsequiis me tunc affuturum esse mandasti, apud sanctum Maximinum hospitari postulo, quod nec monachis quidem ipsius loci fere ingratum puto: vt ibi natalitia nocte celebratis vigiliis, sequenti mane in tuum seruitium possim esse paratus. Vale semper & prosperè in Domino.

B *Dilectissimo Domino suo regi R. Fulbertus humilis Episcopus, omnia decentia Regem.*

EPIST. XCIIII.

DIgnum est scire te negotia regni tui. Nouerit ergo prudẽtia tua, quod Gulielmus de Beilissimo vltus perfidiam filij tui, coniecit eum in carcerem, vnde non egredietur, vt ait, sine consilio nostro. Mandat autem se esse paratum ad facienda quæ mandasti per H. monachum. Cæterũ vt à tuæ sanctitatis præsentia me redisse cognouit, Comes Odo, qui tunc Turonis agebat, mandauit, vt post duas dies Blesis sibi occurrerem ad audiẽdum quid dicerent legati Romanorum. Sed quoniã id C meã parum intererat, valetudine quoque prohibente, non parui, mandat autem & annixe precatur maiestatem tuam ipse Comes, ne te properante ingeras in suũ nocumentum, sed mittas ad eum M. de Caprosis, qui tibi referat verba Romanorum, & G. Ducis Aquitanorum, & sua. Vale.

*Robertus nutu Dei Francorum Rex Guarlino præsuli Biturensium salutem.*

EPIST. XCV.

VOlo vos scire animi mei motũ qualiter se habet, vt fortè accidere solet, cum mens humana mouetur, si quid mirabile præter solitum insperatè auditur. D Dum ergo die Sabbati iam exacto sederem ad cœnam, allata fuit mihi quædam Epist à Vuillelmo Comite missa de quodam portento mirabili auditu, scilicet tribus diebus ante solemnitatem Ioannis Baptistæ in quibusdam partibus regni mei, videlicet in partibus Aquitaniæ iuxta plagam maritimam pluisse de cœlo talis naturæ sanguinem, vt cum fortuitu cadebat super carnem hominis, aut super vestimentum, aut super petram, non posset auferri lauando. Si vero cadebat super lignum, tum bene lauabatur. Si quidem per eandem Epistolam petiit à me idem Guillelmus Comes vt ego requirerem à mei regni sapientibus quid hoc portentum significaret. Ego vero volo & precor vt perquiratis in quibusdam historiis, si nunquam accidisset huius simile, & E quod factum sequeretur huius rei portentum, mihique hoc eodem legato rescribite quomodo acciderit, & in qua historia inueniri possit. At tamen deprecor ne differatis ad rescribendum mihi, quia tandiu legatum huius portenti teneo, donec mihi respondeatis. Valete.

*Domino regi Francorum excellentissimo Roberto humilis Guarlinus æterni Regis consortium.*

EPIST. XCVI.

QVod placuit nobis interrogare de prodigio quod accidit, hoc nobis ex historiis aperte patet, Quod

sanguis super gladium, aut ciuile bellum, aut gẽtem super gentem exurgere portẽdit. Valerius Rufus in libro memorabilium, capitulo quarto de prodigijs refert, Caio Volumnio, Seruilio Sulpicio consulibus in vrbe Roma initium motusq; bellorum ciuilium hoc prodigium portendere, carnis in modum nimbi dissipatæ partes ceciderunt. Quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aues, reliquum humi per aliquot dies neque odore certo, neque deformi aspectu mutatum iacuit. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse, etiam metentibus cruentas spicas in corbem cecidisse, per oppida cerneres aquas sanguine mixtas fluxisse. Cronica Eusebij de prodigiis hoc refert, Valentiniano Imperãte post solis occasum ab aquilone cælum quasi ignis aut sanguis effectum est. Gentis Hunnorum parte recepta, recuperatio in Gallos sequuta est. Item anno Leonis Imperatoris septimo medio Tolosæ ciuitatis sanguis erupit de terra, & tota die fluxit, significans dominationem Gotthorum sublatam; item Historia Longobardorum libro quarto, cap. sexto, Tempore Theodberti Regis Francorum signum sanguineum in cœlo apparuit, & quasi hastæ sanguineæ. Eo tempore ipse Theodbertus cum Lottario auunculo suo bellum gerens eius exercitũ vehementer afflixit. Item in eadem historia temporibus Iustiniani in prouincia præcipuè Liguriæ maxima pestilentia exorta est. Subito enim apparebant quædam signacula per domos, Hostia, vasa vel vestimenta. Quæ si quis voluisset abluere, magis magisque apparebant: post annum vero expletum cœperunt nasci in inguinibus hominum vel in aliis debilitatioribus locis glãdulæ in modũ nucis seu dactili, quas mox sequebatur febriũ intolerabilis æstus, itaut in triduo homo extingueretur, sin vero aliquis triduum transegisset habebat spem viuendi: erat autem vbique pauor, vbique luctus, vbiq; lachrimæ. Nam vt vulgi rumor habebat fugientis cladem vitæ, relinquebantur domus desertæ habitatoribus solis catulis domus seruantibus. Peculia sola remanebant in pascuis nullo astante pastore, cerneres pridem villas seu castra repleta agminibus hominum, postera die vniuersis fugientibus cuncta esse in summo silentio. Fugiebãt filij cadauera insepulta parentum relinquentes. Parentes obliti pietatis in viscera natos relinquebant æstuantes. Si quẽ forte antiqua pietas perstringebat vt vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus. Et dum obsequebatur perimebatur; dum funeri obsequium præbebat ipsius funus sine obsequio manebat. Videres sæculum in antiquum redactum silentiũ, nulla vox in rure, nullus sibilus, nullæ insidiæ bestiarum in pecudibus, nulla damna in domesticis volucribus. Sata transgressa metendi tempus intacta expectabant messorem. Vinea amissis foliis radiantibus vuis illæsa manebat hyeme propinquante. Nocturnis seu diurnis horis personabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus. Nulla erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor, & tamen visum oculorum superabant cadauera mortuorum. Pastoralia loca versa fuerant in sepulturam hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia bestiarum. Hæc de historiis pauca prænotauimus. Quod vero cecidit super petram & ablui non poterat, videtur significare Ecclesiam sanctam quæ super petram, id est Christum, fundata tribulationem passura sit: quod vero super carnem hominis, & vestimentum eius cecidit, ablui poterat. Non incongruè accipitur per carnem populus, per vestimentum substantia, quæ ad adiutorium huius vitæ cõceditur. Ligno etiam datur intelligi vitale lignum sãctę crucis, & baptismum quo sumus regenerati ad vitam. Lignum ad humorem aquæ virescit. Et quando Iudaicus populus in eremo sitiuit, & præ amaritudine aquas bibere non potuit: iubente Domino misit Moses lignum in aquam, & conuersa est amaritudo in dulcedinem, & refocillatus est populus. Arca enim Noe de lignis fabricata quid significet non ignoratis. In quibus omnibus per lignum non nisi misericordiam suam Dominus operatus est. Quia igitur de ligno sanguis lauabatur, creditur quod per pœnitẽtiam & eleemosynam & cæteros fructus misericordiæ, qui inter sinum Matris Ecclesiæ exercentur, seueritas & indignatio iusti iudicis Dei, quæ merito peccatoribus debetur, & ad misericordiã possit reflecti: misericors est enim Dominus adeo sicut Psalmista loquitur, *Vt non solùm homines, sed etiam iumenta saluet.* Omnipotens Deus dilatet imperium vestrum, & dextra vos semper protegat ad pacem sanctæ Ecclesiæ, vitam vobis longæuam tribuat, & sua vos benedictione in omnibus exornet.

*Pio regi R. Fulbertus humilis Episcopus omnia fidelia.*

## EPIST. XCV.

Sacra vestra monitus sum inquirere festinanter, & scribere vobis, si qua historia sanguinem pluisse referat, & si factum fuit, quid futurum portenderit. Liuium, Valerium, Orosium, & plures alios huius rei relatores inueni, de quibus ad præsens solum Gregorium Turonensem Episcopum testem esse productum sufficiat propter autoritatem religionis suæ. Ait ergo Gregorius idem in sexto lib. historiarum cap. XIIII. Anno sexto regni Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntrani XXI. mense Ianuario, pluuiæ, coruscationes, atque tonitrua grauia fuerũt: flores in arboribus ostensi sunt: stella, quam cometem superius nominaui, apparuit, vt in circuitu eius magna nigredo esset, & illa tanquam si intra foramen aliquod posita, ita inter tenebras relucebat scintillans, spargensque comas: prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magnus incendii apparebat à lõgè. Visa est ad partem occidentis in hora noctis prima. In die autem sancto Paschæ apud Suessionis Ciuitatẽ cœlum ardere visum est, ita vt duo apparerent incendia, & vnum erat maius, aliud verò minus. Post duarum vero horarum spatium coniuncta sunt simul, factaque in farum magnum euanuerunt. In Parisino vero termino verus sãguis ex nube defluxit, & super vestimenta multorum hominum cecidit, & ita tabe maculauit, vt ipsi propria indumenta horrentes abnuerent. Tribus enim locis in termino ciuitatis illius hoc prodigium apparuit. In Siluanectensi verò territorio hominis cuiusdam domus cum ille manè surgeret, sanguine respersa abintus apparuit. Magna autem eo anno lues in populo fuit. Valetudines verò variæ, melinæ, cum pustulis & vesicis, multum populum affecerunt morte. Multi tamen adhibentes studium euaserunt. Audiuimus autem eo anno in Narbonensem vrbem inguinarium morbum grauiter deseuisse, ita vt nullum esset spatium vitæ, cùm homo correptus fuisset ab eo. Hactenus Gregorius Turonensis. Liquet igitur ex hac & ex supra historiis memoratis, quod pluuia sanguinis publicam stragem futuram esse portendat. Quod autem nuper huiusmodi cruorem in quadam parte regni vestri pluisse audistis, & quod ille cruor vbi supra petrã, vel super carnem hominis ceciderat, ablui non poterat; vbi autem super lignum ceciderat, facilè abluebatur: per hoc tria hominum genera significata esse videntur, per lapidem impij, per carnem fornicarij, per lignum verò quod neque durum est vt lapis, neque molle vt caro, illi qui neque impij sunt, neque fornicarij. Cùm ergo venerit super illam gentem, cui portenditur, gladius siue pestilentia designata per sanguinem. Si antea duri molles fuerint mutati in melius, non morientur perpetualiter in sanguine suo. Medij verò per angustiam mortis, vel aliter poterunt liberari pro arbitrio secretissimi atque præstantissimi iudicis. Vale pijssime rex.

Domino

*Domino suo regi R. Comes Odo.*

## EPIST. XCVI.

PAuca tibi Domine dicere volo, si audire dignetis. Comes Richardus tuus fidelis monuit me venire ad iustitiam, aut ad concordiam de querelis, quas habebat contra me. Ego verò misi causam hanc totam in manu ipsius. Tum ille ex consensu tuo constituit mihi placitum, quando, & vbi hoc perfici posset. Sed instante termino cùm ad hoc peragendum paratus essem, mandauit mihi ne me fatigarem ad condictum placitum veniendo: quia non erat tibi cordi, aliam iustificationem siue concordiam recipere, nisi hoc tantum vt faceres mihi defendere quod non essem dignus vllum beneficium tenere de te. Nec sibi competere dicebat, vt me ad talẽ iudicium exhiberet sine conuentu PARIVM suorum. Hæc causa est cur tibi ad placitum non occurri, sed de te domine mi valde miror, qui me tam præpropere causa indiscussa tuo beneficio iudicabas indignum. Nam si respiciatur ad conditionem generis, daret Dei gratia quod hæreditabilis sim. Si ad qualitatem beneficij quod mihi dedisti, constat quia non est de tuo fisco, sed de his quæ mihi per tuam gratiã ex maioribus meis hereditario iure contingunt. Si ad seruitij meritum, ipse profectò nosti, donec tuam gratiam habui, quomodo tibi seruierim domi, & militiæ, & peregrè. At postquam tuam gratiam auertisti à me, & honorem quem dederas mihi tollere nisus es, si me & honorem meum defendendo aliqua tibi ingrata commisi, feci hoc lacessitus iniuriis, & necessitate coactus. Quomodo enim dimittere possum & non defendã honorẽ meum? Deum & animam meam testor, quòd magis eligerem honoratus mori, quàm dishonoratus. At si me dishonorare velle desistas, nihil in mundo est magis quàm gratiam tuã vel habere vel promereri desiderem. Discordia enim tua mihi quidem molestissima est. Sed & tibi mi domine, tollit officij tui radicem, & fructum, iustitiam loquor & pacem. Vnde suppliciter exoro clementiam illam quæ tibi naturaliter adest, si maligno consilio non tollatur, vt iam tandem à persecutione mea desistas, méque tibi siue per domesticos tuos, seu per manus Principum reconciliari permittas. Vale.

*Nobilissimo regi Danemarchia Cnuto Fulb. Dei gratia Carnotensium Episcopus cum suis Clericis & Monachis orationis suffragium.*

## EPIST. XCVII.

QVando munus tuum nobis oblatum vidimus, sagacitatem tuam & religionem pariter admirati sumus. Sagacitatem quidem, quòd homo nostræ linguæ ignarus lõgoque à nobis terræ marisque interuallo diuisus, non solum ea quæ circa te sunt strenuè capessas, sed etiam ea quæ circa nos diligenter inquiras. Religionem verò, cùm te, quem paganorum principem audieramus, non modò Christianum, verum etiam erga Ecclesias atque Dei seruos benignissimum largitorem agnoscimus. Vnde gratias agentes Regi regum, ex cuius dispositione talia descendunt, rogamus vt ipse regnum tuum in vobis prosperari faciat, & animam tuam à peccatis absoluat per æternum & consubstantialem sibi vnigenitum Christum Dominum nostrum in vnitate Spiritus sancti. Amen. Vale memor nostri non immemor tui.

*Nobili comiti S. Fulb. Dei gratia Carnot. Episcopus, fideles orationes.*

## EPIST. XCVIII

SI in eligendo vestræ charitatis Episcopo regulariter ageretis, suffragium nostræ humilitatis non deforet iuxta modum rationis. Nunc autem Palatinus aut publicus rumor est, quod ille Clericus quem eligere vultis, fauorem nostrum sit aucupatus promissionum sibilis & pecuniæ visco. Dicunt etiam quod sine iussu Regis & consensu Episcoporum comprouincialium, ædes & rem Episcopalem inuaserit. Quæ si sint vera, non sunt regularia. Nec me vel vobis vel aliis contra ius & fas opitulari oportet. Valete.

*Fulbertus Carnot. humilis Episcopus Fulc. Comiti salutem.*

## EPIST. XCIX.

DOleo super te nobilis homo, cùm te audio errare & periclitari. Errare dico, quòd cùm debeas Deũ timere, sanctos honorare, Ecclesiam defendere, contemnis Deum, sanctos inhonoras, res Ecclesiæ inuadis & aufers. Periclitari: quoniam qui talia agunt, non habent partem in regno Dei. Propter hæc peccata monuit Archiepiscopus Turonensis omnes Episcopos nostros, & inter alios me pusillum, vt te excommunicaremus. Sed ego censui pium esse vt te prius monerem, & deprecor, vt habeas misericordiam de anima tua, placans Deum. Iam enim propè est tuus finis. Festina igitur quæso, reconciliari Christo saluatori nostro: quia non est salus homini nisi per ipsum. Tene in memoria verbum hoc: Qui confitendo & pœnitendo finem facit peccatis suis, antequam moriatur, finem habebit in altero sæculo pœna ipsius: & qui peccatis mortalibus pœnitendo non facit finem, pœna ipsius erit sine fine. Euigila igitur propter temetipsum, sicut homo in proximo moriturus: & reconciliare Christo, ne moriaris Apostolica auctoritate damnatus. Vale & remanda mihi velociter atque veraciter voluntatem tuam.

*Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus Comiti Fulconi commonitorium salutis.*

## EPIST. C.

TAm horrendo facinore præsentiam domini Regis tui dedecorante satellites, vt mundani iudices asserant capitale te quoq; reum maiestatis, qui eis postea patrocinium tuum & recepracula præbuisti. Proinde rogabatur à multis, vt die sancto Pentecostes, & te & illos excommunicaremus. Sed nos tuæ prouidentes saluti, trium hebdomadarum ab ipso die petiuimus inducias, vt literis te conuenire possemus. Talem etiam à Rege conditionem impetrauimus, si veneris in iudicium, vt non super vitas, aut super membro, sed super facultates vltio reflectatur. Vnde te commonemus, vt ante præscriptum terminum auctores tanti sceleris aut in iudicium adducas, aut propter honorem Regis repudies. Temetipsum deinde sicut per Abbatem sancti Albini promisisti, expurges, & humili satisfactione Regis animum places. Quod si reos ipsos nec ad iustitiam ducere, nec propter seniorem tuum repudiare volueris, Christianam communionem nobiscum vlterius non habebis. Vigila ergo sicut pro temetipso, & quid habeas animi citò mihi remanda. Optimam partem consilij det tibi Deus eligere.

*Glorioso Duci Aquitanorum Guilelmo Fulbertus Episcopus orationis suffragium.*

## EPIST. CI.

DE forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hæc vobis quæ sequuntur breuiter ex librorum auctoritate notaui. Qui domino suo fidelitatem iurat, ista 6. in memoria semper habere debet. Incolume, tutum,

honestum, vtile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit domino in damnum de corpote suo. Turum, ne sit ei in damnum de secreto suo vel de munitionibus per quas tutua esse potest. Honestum, ne sit ei in damnum de sua iustitia, vel de alus causis quæ ad honestatem eius pertioere videntur. Vtile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile vel possibile, ne id bonum quod dominus suus leuiter facere poterar, faciat ei difficils: né ve id quod possibile erar, reddat ei impossibile. Vt auté fidelis hæc nocumeota caneat, iustum est: sed non ideo sacramentum meretur; non enim sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est. Restat ergo vt in eisdem 6. supradictis consilium & auxilium domino suo fideliter præstet, si beneficio dignus videri vult, & saluos esse de fidelitate quam inuenit. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Quod si non fecerit, meritò censebitur malefidus: sicut ille, si in eorum præuaricatione vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidua, & periurua. Scripsissem vobis latius, si occupatus non essem eum alus multis, tum etiam restauratione ciuitatis & ecclesiæ nostræ quæ tota nuper horrendo incendio conflagrauit. Quo damno etsi aliquantisper non moueri non possumus, spe tamen diuini atq; vestri solatij respiramus.

*Clarissimo Duci Aquitanorum G. Fulbertus Episcopus, vtile & honestum.*

## EPIST. CII.

GAuderem dilectissime Princeps, ad dedicationem vestram deuotus occurrere, nisi me ecclesiæ nostræ nullo modo negligéda necessitas detineret. Gratia namque Dei cum adiutorio vestro criptas nostras peruoluimus, easque priusquam hyemalis inclementia lædat, cooperire satagimus. Volo autem vos scire, quòd literæ quas priorea Episcopi Azelino misistis, Regi relatæ sunt: qui etiam valde contristatus est de sua vtilitate, quam ibi scriptam inuenit. Fecissetq; Bituricensis Episcopua iuxta consilium nostrum, vt ait de Lemouicensi Episcopo, nisi eum regaliter iræ formido detineret. Sed quia Rex proximo rugitu, vt dicitur, venire habet in syluam legium, quæ vicina est (vt scitis) monasterio sancti Benedicti, ego quoque Deo fauente illuc ire disposui, scitarus quales inueniam erga vos & regem & Archiepiscopum, vel quales reddere possim. Et quod interim effecero, aut ipse vobis referam, aut literis innotescam. Vale fœliciter.

*Dilecto semperque diligendo Domino & Duci Aquitanorum G. Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus. In hac vita se & sua omnia, in altera gaudia sempiterna.*

## EPST. CIII.

DOleo vir optime, quod nuper in conuentu Regis atque nostro loquendi tecum oportunitatem non habui, non de sæculari negotio, sed de loco sancti patris Hilarij, cuius rectores nos esse bonitas tua voluit. Sed huius temporis malitia non permittit. Mando itaque tibi, & precor absens id quod tūc præsens intimare volebam, videlicet vt secundum beneplacitum cordis tui constituas tibi alium thesaurarium & capitiarium de bonis clericis qui sunt in tua vicinia, quos via longa & periculosa non disturbet ab officio, sicut me & meos hactenus disturbauit. Nec me putes obsecro ita prauū, vt propter hoc tibi videar minus esse fidelis. Agnosco enim me perpetuum debitorem esse fidelitatis animæ tuæ & corpori, propter benignitatem quam mihi immerito exhibuisti. Vnde certo scias quia si tibi aut populo tuo mei ministerij necessitas immineret, & hoc mihi mandare dignum duceres, subuenirem tibi Deo duce, si non possem aliter vel in habitu paoperis peregrini. Precor autem bonitatem tuam, vt Raimoni reuelare digneris damnum quod pertulit in seruitio nostro. Vale nunc & semper piissime atq; benignissime: ego verò nunquam obliuiscar te.

*Nobilissimo ac piissimo Duci Aquitanorum G. Fulbertus. Dei gratia Carnotensium Episcopus, salutem & orationum fidelia.*

## EPIST. CIV.

VEstram, optime Princeps, erga me beneuolentiam experius sum cunctis amicorum meorum beneuolentijs affectu mihi duciorem, effectu quoque vtiliorem. Nam alij quidem amici mei vix patem aliquando meritis meis vicem rependunt. Vobis autem me licet immerentem gratuitis beneficiis accumulare mira charitatis abundantia placet. Iam ferè tertio anno præterito quod sic agitis, erubescerem munera vestra gratis suscepisse. Incertus essem dum Iesum Christum & sanctam Mariam genitricem eius, in cuius officio expensa sunt, mercedem vobis reddituros. Præterea non defuit mihi animus vos adeundi, & in vestra regione vobis obsequendi. Sed multæ causæ difficultatis obstiterunt. Ob quod gerendum pro certo noueritis cuncta me difficilia postpositurum, si quomodo fuerit possibile, hæc dicens reuelare cupio mirabilem affectus vestri erga me dulcedinem, in cuius literis nuper legi quod gauderetis me superstitē esse in regionibus nostris quasi sperantes vnquam in vestris me videre. Vnde auctori totius boni supplico, vt & vos in hac vita longum tempus superesse faciat, & me vobiscum superstitem adhuc beato Hilario vobisq; deseruire concedat. Fratrem Hildegarium vestrum & nostrum fidelem rogatis nos vobis remittere, sed deplorat quāsi iā diu nostri pectoris mamillas non suxerit. Quibus aliquandiu refici serenitatem vestram humiliter postulat, vt aspiratione dulcior vobis ac vestris postmodum complaceat. Valeatis fœliciter cum omnibus vestris.

*Dilectissimo Domino suo Roberto Regi ac Reginæ Constantiæ verum in Domino constantissime Fulbertus humilis Carno. Episcopus fidelitatis obsequium, & orat suffragia, quantum scit ac potest.*

## EPIST. CV.

COgnita per nuncium vestrum alacritate vestra, gaudio magno repleti sumus, Deo gratias agentes: vobis enim incolumibus, nos bene valituros per Dei gratiam & vestram speramus. Quoniam autem placuit bonitati vestræ consulere nos super habitu nostro, scribimus vobis multis nos ad præsens incommodis vrgeri, quæ nobis infert Gaufridus Vicecomes de Castro Dunensi. Refecit enim ante natale Domini Castellum de Galardone, quod olim destruxistis, & ecce tertia die post Epiphaniam Domini cœpit facere alterū castellū apud Illerasintta villas S. Mariæ. Vndè legatos nostros misimus ad filium vestrum Regem Henricum, & Odonem Comitem, incerti vtrū illorum assensu tanta mala præsumpserit, aliter enim hæc illum aggredi vix opinabile est. Sed si illi nos in tantis aduersitatibus nō adiuuerint, ad vos post Dominum respicimus, vt per vos ab huiusmodi oppressione liberemur. Dolemus autem vos ita nunc in aliis partibus occupatos, vt vestro succursu de præsenti respirare nequeamus. Quod si cito nobis à filio vestro subuentum non fuerit, communi nostrorum cōsilio, diuinum officium desiturum in toto Episcopatu nostro noueritis. Si Comes Odo apud vos est, monete illum vt subueniat nobis propter Dominum, & fidelitatem vestram.

*Dilectissimo*

*Dilectissimo domino suo Fulberto Episcopus O. cui optat iuxta Domini praeceptum serpentinam prudentiam columbina simplicitate praeditam.*

## EPIST. CVI.

QVod tuo, beatissime Pater, aliorum que multorũ relatu perceperam, id ipsum nuper domino Berardo Suessionis Episcopo referente cognoui. Scilicet incurrisse te grauissimum Reginæ odium fauentem potius merito suo, de constituendo Rege maiore filio, quem dicunt simulatorem esse, segnem, mollem, in negligendo iure patris futurum, fratri suo minori attribuentes his contraria. Te quamplurimi Episcoporum rodent clanculum. Vnde quantum ex verbis supradict Præsidis aduerti, ceu tutum coëpiscoporum tuorum Francigenarum super hoc agendum negotium, intimare tibi non me piguit: vt si fortè sanior est, ei ne refrageris, & à periculo tibi caueas. Est autem hæc eorum ad componendam vtrinque litem sententia, patre viuente nullum Regem sibi creari. Quod si acrius in institerit in vita patris hoc fieri, quem meliorem senserit, ad Regem debere sublimari. Videris pater Prudentissime, ne sis plus æquo iustus, nec à sanctis consacerdotibus tuis perperam dissideas.

## EPIST. CVII.

CErtum est & omnibus qui fundamenta Catholicæ puritatis nouerunt, totius Ecclesiæ soliditatem in pace consistere, & signum Christi discipulatus in dilectione. Nam sicut in Euangelio Dominum dixisse legimus, *Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis*: & iterum, *in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem,* liquet ergo neminem fore Christi discipulum, nisi signo dilectionis ac pacis fuerit insignitus. Hoc vero signaculum nõ adipiscitur, nisi ab iis in quibus fuerit vnitas volũtatum. Vnitas autem voluntatum inueniri non potest, nisi in his qui suum velle & nolle in vnius propositi iudicio constituunt. Vnde & autor pacis nullum ordinem in Ecclesia sine Prælati regimine relinquens, pro certo insinuat, nulla alia ratione fragilitatem humanæ labilitatis ad vnitatem Spiritus posse redigi, siue in pace conseruari. Quare nos pauci fratres in Cœnobio cui Cella Bononi nomen, & Deo pro posse famulantes, quia vinculum pacis & signaculum Christianæ disciplinæ dilectionem per vnitatem cordis, vel animæ possidere cupimus, post obitum Domini Garini Abbatis viri religiosi elegimus fratrem quemdam morum probitate ornatum Benardum, quem nobis vice Patris præesse volumus. Et in definitione eius, sententiarum nostrarum vitari diuersitatem, ne diuersa sentientes, à Christi doctrina inueniamur extranei. Facta est autem electio ista consilio, atq; autoritate domini Abbatis maioris Monasterij post excessum gloriosi Principis Odonis, à quo huius rei curam susceperat. Qui hoc in conuentu Monachorum ritu celebri peracto, obtulit etiam fratrem prædictũ nobilissimæ Comitissæ, sub cuius ditione locus ipse consistit, & Stephano Comiti eius filio, à quibus donũ rerum temporalium, ad idem pertinentium Cœnobium suscepit. De hinc vero statim eum venerabili Manardo, Trecasinorum Præsuli, cuius Ecclesiastica auctoritate electionem huiusmodi corroborari oportuit, atque ab ipso animarum curam suscipi, nec non Abbatis benedictionem secundum institutionem Patrum celebrari. Quod ipse benignissimè annuit, & omnia prout mos expostulat Ecclesiasticus, vt pote vir prudentissimus atque eruditione clarus compleuit.

*Domino & venerabili sanctoque carissimo fratri & compresbytero Fulb. frater Odilo salutem in Domino.*

## EPIST. CVIII.

O Illustrissime vir, quid sibi vult quæstio prolata nobis à quodam vestro fideli Clerico, placuit vt ipse fatetur paternitati vestræ, me licet indignũ iudicem fieri vitæ vestræ, mandando mihi vt literarum describerem vobis quid mihi videtur de vestra quantum dici fas est irreprehensibili conuersatione. Sed oculi caligine cæcitatis obiecti, non valent perspicuè intueri splendorem firmamenti, & globos stellarum cœli. Splendorem firmamenti voco & stellam, stellam etiam matutinam te vocabo, Danielis Prophetæ vsus testimonio, *qui docti fuerint* inquit, *fulgebunt sicut splendor firmamẽti. Et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Vos enim qui talis ac tantus estis, quem nec quidem dignè cogitare valeo, nostro deberis æstimari iudicio? Nos enim qui ignorantiæ tenebris pressi, nosmetipsos non possumus dignoscere, iustorum vitam nostro arbitrio nullomodo debemus æstimare. Vos omnis homo adeo laude dignum merito iudicat, vt plus de vobis mirari libeat, quã aliquid dicere liceat. Obrueretur intellectus nostræ paruitatis, pondere vestræ quæstiunis: nisi esset in promptu recordatio diuini sermonis. Vt enim daret exemplum fidelibus auctor vitæ & salutis, vt ipse melius scitis, vt pote vir per omnia Euangelicus veniens in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos suos, *quem dicut homines esse filium hominis?* & post pauca, *vos autem quem me esse dicitis?* non idcirco interrogat, quem nemo nouit, & quem nihil latet, veluti qui nesciat, sed vt Prælatis Ecclesiæ exemplum de se interrogandi præbeat. Et ideo vnusquisq; præpositus Ecclesiæ a subditis debet exquirere cuius famæ cuiusve sit opinionis, & si aliquid de se audierit, Deo à quo si quid boni est habeat gratias & referat, vt de virtutibus in virtutem ipso annuente fœlici cursu perueniat, vsquequo Dominũ Deorum in Sion videre queat. Si vero sinistrũ aliquid de se audierit, pœniteat, & de cætero sollicitè emendare satagat: sed & si vos mouet exemplo doctorum de vobis interrogandi auctoritas, prædicãda à nobis est vestræ sapientiæ claritas, vestræ fidei puritas, vestræq; industriæ probitas, quippe quia caret omnino silentio veritas, sed ab homine idiota & sine litteris non potest prædicari Deo amabilis & in mũdo odibilis. Hæc de vobis nunc & alias, & in communi locutione, non aliqua fraude adulationis deceptus, non alicuius muneris, laudis vel pecuniæ cupid⁹ retuli, sed quod veraciter credo, & quod vt fiat quàm maximè opto, dicere etiam non recuso, nec recusabo. Si autem me adulatorem iudicaueritis, audite scripturã, *fili mi si te lactauerint peccatores ne acquiescas illis.* Non est tamen culpabile si illos laudamus quos dignos laude credimos, dicẽte scriptura, *laudet te alienum & non os tuum.* Si autem aliquis velit opponere quod scriptura dicit ne laudes hominẽ in vita sua & ego assẽtio, quia mortali vita vos mortuos carissimo Qui ab Apostolo audistis, *Mortui enim estis, & vita vestra abscõdita est cũ Christo in Deo.* Et cũ ipso, & verbis & operibus dicitis. Si enim viuimus, Domino viuimus si vero morimur, Domino morimur Siue enim viuimus siue morimur, Domini sumus. De cætero charissi. vt quidam sapiens ait, *Omnia fugere poterit homo præter cor suum.* Nun enim potest à se quisquã recedere. Vbicunque enim abierit, conscientia sua illum non derelinquit & Apostolus Paulus, *Nemo scit quæ sũt hominis nisi Spiritus hominis qui in ipso est.* Dicerem tamen aliquid exhortandi gratia sed quomodo debet docere indoctus, quem vnctio Spiritualis docet de omnibus? Sed vt illud tetigeram Euangelicum, adhuc vnum tibi deest, quid illud sit quam optime nosti. Vale, &c.

# ALIÆ EPISTOLAE CANONICORVM CARN. ET GVIL. ET ALIORVM PLVRIMORVM HILDEG.

*Clarissimo Turonensium Arch. H. A. Decanus & tota congregatio Can. sanctæ Mariæ Carnotensium prona atq; deuota fidelitatis obsequium, & orat. suffragium.*

## EPIST. CIX.

NVper antequam Romanum iter agere cœpisset beatiss. Pater noster Fulbertus Episc. vestro vt scitis dulci vsus est colloquio. Vnde reuersus dum quadam die in Conuentu nostro resideret, de ipso itinere nobiscum agens, conquerentibus nobis post abscessum eius multa nos à pluribus aduersa passuros, & nominatim à Fuchetio eiusque nepotulo suorum quoque manipulis futum, ille constanter & cõfortatoriè vt solet in talibus respondit. Malorum iniurias boni æquanimiter ferre debent. Vt enim ipsi legitis in quadam homilia beati Papæ Gregorij, *bonus non fuit qui si quis malos nõ tolerauit* Adiecit præterea se vobis inde fuisse loquutum, vos etiam illi & nobis prodesse, de ipsis malefactoribus adiutorium promisisse. Quod si necessitas vrgeret, præcepit statim vestræ paternitatis solatiũ nos adire. Quod nuc facimus potent. Pater, variis pulsi tribulationibus. Nam vt alias omittamus, illi anathematizari, quorum supta meminimus, postquam dilectissimus Pater noster
B viam suam tenuit, terras nostras quæ sunt in ministerio Heruei & Tetoldi, quasi lupi canias ouium irrumpentes nobis immerentibus prædati sunt. Neque etiam rabidis eorum morsibus ouium damna suffecerũt: Immo vero ad deuastaodam quandam pastoris ipsius potestatem quæ dicitur Ermenulphi villa, se conuerterunt. Proinde rogamus vos iustissime Pater, vt propter amorem sanctæ sanctarum Dominæ nostræ, cui seruimus licet indigni, ipsius quoq; dilectissimi vestri qui vobis plurimum cõfidit, & nos abiens vestro patrocinio commisit, prædam suam & nostram reddere faciatis, cum nepote vestro Gaudfrido magnopere satagẽdo, quatenus ipsi lupi, res Domini præsulis, & oostras deinceps non diripiant, vel donec annuente Deo ipse redeat Valere & vos supplices vestros, quidquid de ijs egeritis, in andando rescire digoamini.

C *Venerabili Lex. Pont. Herb. Congreg. Canon sanctæ Mariæ Carn. plurimum saluere & orat. suffragia.*

## EPIST. CX.

IVbes inclite Præsul, nos dare tibi circadas de Ecclesiis nostris quæ sunt in Episcopio tuo. At nos serenitati tuæ verum quiddam intimare volumus, scilicet quod Episcopi Beatæ Mariæ in quorum Diœcesi possidemus Ecclesias, hunc semper amoris & reuerentię cultum exhibuerũt sanctæ sanctarum Dominæ nostræ, vt à nobis eius licet indignis famulis nequaquam exigerẽt id obsequij quod requiris. Vide quæso ne importuni vocemur, dum rogamus te benigne Pater, vt honesta sanctorum Patrum sequens vestigia, nos huius pensionis engaria nullatenus obliges, ne in hac parte nobis officiendi primus author ipse noteris. Optamus etenim potius non paruo tuę ipsius vtilitatis amore ducti, in albo fœlicis ordinis benefactorum nostrorum te

A recenseri, vt cum pro illis, tum etiam pro te iuge Domino sacrificium offerentes, ac humanitatis tuæ beneficia coram illo recitantes, dignum te libro quoque vitæ cælestis inseri prædicemus. Præterea non arbitramur notitiæ tuæ amplitudinem præterisse Dominum nostrum Fulbertum Episc. cui te valde carum esse scimus, Romam pergere. Quod ideo memoramus, vt si liberalitati tuæ placuerit nostræ petitioni fauere, nos id illi cum redierit innotescemus, tibi quidem pro hoc bene ac sapienter facto nimium gratulaturo. Quod si non, oramus saltem nos expecta supplices tuos, illum reuersum super hoc cõsultum ire debentes, à cuius nutu pendent nostra consilia, neque interim vllum interdictum facias Ecclesiis nostris. Bene agendo valeas, de sacrario tui pectoris, quid oraculi super hæc egrediatur, nobis rescribere ne graueris, iterum iterumque ac semper valeas.

*Amicus amico Ildeg. Sigefrido totius boni sufficientiam precatur.*

## EPIST. CXI.

DVm apod nos moratreris, inter primos amicorum meorum habitus quid mihi tuis obseqiis plerumque debito pollicitus sis, memorem te esse puto. Ipse tamen eius rei te commonefaciens, rogo vt secundum promissionem tuam mittas equum Ambulatorium, qualem te dare nos quoque recipere deceat, cum illis equidem sentio qui amicitiam non propter se tantum, sed & propter vtilitatem censent esse expetendam. Diu viuens, & bene agens præmio æterno potiaris.

*Hildegarius Domini Fulb. discipulus Sigefrido Ric. com. Capell. adhuc salutem.*

## EPIST. CXII.

C VErbis tuis fidem minimè seruans diu me fefellisti. Vnde cùm me deceptum esse doleam, tum pro mendacio tuo pudor mihi maximus ingeritur Non enim deceret rantamque personam probrosum falsitatis nomen subire. Horrendum etiam esset in sacrilegij crimen incidere, quia sicut legitur, *verba sacerdotis aut vera aut sacrilega.* Obsecro itaque per sanctam amicitiam quæ inter nos esse debet, vt honestæ veritatis famæ te reconcilies, mittendo mihi ad præsens per Gauterium Monachum olim meum, meritò mihi promissum abs te Caballum. Quod ni feceris, noueris te funditus ab amore nostro decidisse, teste conscientia mea, dixerim in hoc quod ego te rogo, non magis vtilitatem meam quam tuam, & simul honorem exopto.

Quem

*Quem pura dilectionis affectu colit seniorem suum E. H. plurimum salutis.*

EPIST. CXIII.

POtionem Iera quam Dominus Præsul tibi mittit sumes, cum aqua calida ante crepusculum diei, nocte qua debes eam accipere noo cœnabis. Et ipsa nocte positam potionem io quo distempesanda est, asperges salis gemma, vel si hæc non ad est, delicato sale ad pensum vnius scrupuli. Accepta potiooe sedeas ante focum, absque vllo tumultu, cauens tibi penitus à frigore, & si paululum cubueris nonnocebit, oolo tamen vt dormias, cum primum senties moueri tibi ventrem, deambula pedetentim, & sic ad secessum vade, si propter solutionem tandem cœperit te sitis, nequaquam bibes, nisi paululum aceti cum aqua calida mixti, propter stomachum diluendum seu releuandum. Quod etiam non vrgente siti facere poteris solutione propemodum vacante, prandere differes, quo vsque senties catarticum nihil amplius operari velle. Cum sederis ad mēsam vide ne quid nimis. Neqoe manduces aliquid stipticum, vel plus æquo salsum. Plura de obseroationis modo notarem, nisi pauca sufficerent sapienti. Hoc tamen scribere me iubet nescia simulare charitas, vt talem potionis huius sentias effectum, quateous semper incolumis perseueres. Vale.

*Hildegarus G. verba transformare in act.*

EPIST. CXIV.

TVæ mihi Domine caritatiuæ promissionis nuntium hactenus sustinens laboraui nimium. Sollicitus namque quid tuæ celsitudini meæ paruitati placuisset designare, percunctabar vnde sese recipetent viatores, quosque pendens, ab vrbis vallo hue respiciente. Nemine vero dante responsum tui de parte, mœstus redibam domum iam facta nocte. Sed quia in humanis perfectum nil exstat ex toto, humano parcimus ingenio. Peto tamen tali ne proruas in verba talis excusationis, quin quod pollicitus es adimplere studeas, sine fuco dilationis: igitur vt certiorem reddas, mando & deprecor quatenus ionuere digneris, quid me agere iubeas. Nolo mi Domine, hæsites in calamo, booum opus habens in animo, quoniam in perfectione erit ex Dei auxilio. Vale.

*Hildegarus G. bene optata consequi.*

EPIST. CXV.

TAntam apud me tua prudens simplicicitas iouenit gratiam, vt quod à me petisti oon magis ipse fieri, qoam ego velim. Sed quoniam in præsentiarum facultas non suppetit, animus meus, verens me tibi suspectum esse, quasi verba dare molientem. Quod oon esse meom credas per fidem quæ inter nos est, obsecro, rogans te modicum tempus adhuc sustinere, donec grauissimis quibus impedior officiis expeditus, operam tibi dare queam. Quod si fortè moratum impatiens mox ad me adueneris, si votis tuis minus respondero, oequaquam id mihi causam perdoctus iure succensebis. Vale ounc & semper. R. Turonensis.

*Hand. præsuli H. Turonensis Archiep. salutem.*

EPIST. CXVI.

QVamuis tua ouper ad me directa Epistola sibi condigna mereatur rescripta, satius tamen existimaui responsis, interim suæ cootumaciæ debitis supersedēre, quam tuæ saluti quantum ad nos non consulere, & inter consulendum quibusdam Epistolæ locis discretè & humiliter non respondere. Medicorum enim est melancholicis siue maniacis, seu qualibet alia valetudine laborantibus, licet, ingratis & conuicijs artificem lacessentibus, nihilominus tamen suæ artis experimenta impendere, & vt curentur attentius insistere. Vnde & me nec professum quidem, medicum quippe imperitissimum, si tamē ad hoc iure prælationis vt cuuque prouectum, qui te si exorbites debeam corrigere, oporretque ex coemptis sanctorum Patrum medelis tibi, licet iograto medicari, & curis, velis nolis insistere. Sed priusquam ad hoc veniam, liber, vt dixi, quibusdam tuæ Epistolæ locis obuiare. Nam cætera quæ plurimam partem illius occupant prætereunda censeo. Quod ergo me inconsultæ conceptionis fuisse, & temerè ac sine culpa te non vocatum à diuino officio separasse criminaris, certa & inexpugnabili contradictione destruo. Inconsulta oamquo conceptio oon fuit, quæ tibi conditionem quid potius velles eligendum proposuit. Quod si bene aduertisses, inconsultum non dixisses. Inconsultus igitur fecisti, qui te vt post clarius liquebit, in peiorem partem flexisti, non temerè verò ac non sine culpa te & tuos fuisse interdictos, testantur reliquiæ vinearum in quibus vestra fixisti castra. Quod in exemplum datum cæteris quibus acerrimè culparis, fidem facit. Te quoque vocatum esse, qui tibi missas à me sciat literas; quis vel non insanus asserat? Te igitur frater rationabiliter pro tua culpa & canonicè vocatum & à diuino officio separatum recognoscendo plange, & plangēdo ad satisfactionem reuertere. Quod si quadragenario vocationis spacio lege Canonum te deffendere niteris, scio quia singulares causæ vel personæ oon præiudicant legi. Nam te in furorem versum, & ex Præsule ducem tot armatorum factum, totam nostram patriam crudeliter vastare cernens, ferrum ignes, diuersasque nobis mortes minatum, immioentique plagæ quadragenariæ vocationis spatium vt desisteret nihil videns prodesse, venabulum mox tibi excommunicationis opposui, vt eo saltem viso territus te, & totus vel ad momentum refrenares, & Præsulem qoem amiseras recognosceres. Sed tu maluisti illo excommunicationis venabulo configi, quàm à cœpta tyrannide, vel ad punctum refrenari. Nam quod dicis te Regis hoc iussu fecisse, oec nego, nec affirmo, nec quid hoc leuet intelligo. Cuiuscumque enim hoc iussu feceris, eadem culpa ac si nullus iusserit vrgeris. Nam ad exaggerationem tuæ culpæ, ista satis transgressio sufficit, quod præter mea tui Archiepiscopi consulta, contra Canonicam auctoritatem tale aliquid incipere præsumpsisti. Quodque etiam me iubeote non debuisses facere, hoc te ipso consultore fecisti. Quod autem ais, te io malum Odonis agere impulsum, oec etiam ei palmitem destruxisti, sed vineas Canooicorum sancti Mauricij præter cætera quæ in tuam matrem Ecclesiam iussu tui Diui Fulconis intulisti, opprobria, radice tenus comminuisti. His de causis excommunicatorias tibi literas, quas contra ius & fas audaciæ notas dicis, misi. Nec te oportuit tuum Magistrum & Dominum tam temerè reprehendere, vt à tuo iocœpto resipisceres transmisi, non vt te vellem flecti in eam partem qua corruisti. Quod discretè an indiscretè fecerim, tui iuridicialis libra penset, qui consultorem quærere mones. At si iodiscretè ac sine causa temerariam in te, quod absit, excommunicationem intorsissem, sustinere tamen iudicium tui pastoris, & à sacta celebratione cessare debuisti. Quod quia non fecisti, & consultrice soperbia tui Magistri interdicta patul pendisti, prudens in voraginem te excommunicationis præcipitasti. Accipe super hoc quid Beatus Gregorius dicit. Verum inquit iuste an iniuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subiectus est, & cum iniustè forsitam ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex

alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est ligari metuat vel iniustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne & si iniustè ligatus est, ex ipsa tumidę reprehensionis superbia culpa quæ non erat fiat. Hactenus Beatus Gregorius. Hac igitur frater argumentatione conuictus cum sis, excommunicatum te recognoscẽdo iterum plange, & plangendo ad satisfactionem reuertere. Atque his tuæ Epistolę iocis tantum nos respondisse sufficiat, cęteris aliquis otiosus respondeat. Nam ego illa quę magis sunt necessaria & pollicitus sum H. fratri prosequar. Contemplor ex motibus tui corporis diuersa genera passionum tuam germinare animam: quibus si aliquo medicamine priusquam in vires prodeant, non occurritur, mirabilem tuę animæ generabunt mortem. Sed congrua cuique passioni ignorabitur medicina, nisi origines, & vt ita dicam, radices earum, intentissima discretione fuerint exploratæ. Omnium itaque passionum animæ, vnus fons atque principium est. Secundum qualitatem vero partis quæ in anima vitiata fuerit, vnaquęque passio vocabulum sortitur. Quod & corporalium morborum docetur exemplo. Si enim vis noxij humoris obsederit caput, Cephalalgica passio nuncupatur, si pedes Podagrica, si manus Chyragrica nominatur. Totque vocabula vni᷒ humoris sortitur incommoditas, quot membrorum obsederit portiones. De visibilibus ergo ad inuisibilia transeuntes, vniuscuiusque animæ partibus vnum quodque vitium inesse credimus, quam sapientissimi quique tripartitæ definierunt esse virtutis. Nam & rationabilis est, & irascibilis, & concupiscibilis. Secundum ergo qualitatem vitiatę partis, infectio cuiusque pestis nominatur, nam si rationabilem partem infecerit, Cenodoxię, elationis, inuidiæ, superbię, præsumptionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulnerauerit, furorem, impatientiam, tristitiam, acediam, pusillanimitatem, crudelitatemque parturiet. Si concupiscibilem infecerit portionem, Gastrimargiam, fornicationem, Philargyriam, & desideria noxia terrenaq; generabit. Animaduerto igitur frater, ex motibus tui vt dixi corporis, tuam animam generare mortem. Nam cum tu tantam in me tuum pęsertim Magistrum, superbiam, contemptionem, & præsumptionem demonstrares, apparet rationabilis tuæ animæ partem, miserabiliter esse corruptam. Certis enim iudicijs hæc tria in te notantur, superbia videlicet, quod tam superbè Arch. respondes. Contemptio quod sua interdicta paruipendis, quæ licet iniusta, quod absit, essent, tamen sicut superius probaui, timenda tibi esse debuissent. Præsumptio quoque, quod iustè an iniustè interdictus ad sacram celebrationem accedis. Quorum trium iudicia rationabilem, vt dixi, animæ tuæ partem prædicant esse vitiatam. Reliqua autem si qua in te germinant tute ipse videris. Nam huic ego parti quam tam horribiliter corruptam cerno, quiddam ex sanctorum Patrum coëmptis, sicut pollicitus sum medelis, quo reuoceris ad salutem procurabo. Sed hæc procuratio nil tibi proderit, si prius vulneri quo ad mortem infixus es, satisfactionis medela non subuenerit. Quo, vt dico, per satisfactionem sanato, tumores illico superbiæ, contemptionis & pręsumptionis quos in tuam animam induruisse suspicor, falce discretionis amputabis. Deinde amputationis illius vulnera recentia, ne aliquam aliam passionem generent, pœnalis cauterio timoris vstulabis, quam vsturam ne frigus impietatis tangat, caritatis ardore & oleo souebis misericordiæ. Quod si ita feceris, & superbia illa, qua instigante responsa in me tam torua iaculatus es, & contemptio qua meum interdictum parui pendis, & præsumptio, qua excommunicatus ad sacram celebrationem accedis, peribunt. Et rationalis pars tuæ animæ magna ex parte ad incorruptionem reuertetur. Post hæc autem has virtutis species, humilitatem, patientiam, & obedientiam in vnum melle diuinorum eloquiorum con-
A ficies, & in buxula tuæ mentis hoc antidotum diligenter recondes, vnde quotidianam tua anima diætam sumens, non solum has pestes in perpetuum non germinabit, sed etiam à cæteris omnibus incorrupta fulgebit. His te frater monens, non fastu doctoris efferor, sed officium meæ prælationis trepidus exequor, quibus si annueris, tuæ vt arbitror saluti prouidebis. Si autem, quod absit, aliter pariter neglexeris, quod meis repugnent factis, ab hoc te errore dominica voce reprimo, qua ait, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque ergo dixerint vobis seruate & facite, secundum vero opera illorum nolite facere: dicũt enim & non faciunt.* Scribis enim & Pharisęis, vt tu ipse melius nosti, commissa erat doctrina legis, vt eam exponerent auditoribus suis. Ideo Dominus dixit; *Super*
B *cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, id est super doctrinam legis, quorum dictis posthabitis factis, auditores obtemperare iussit, cum ait, Quęcunque ergo dixerint vobis seruate & facite, secundum vero opera illorum nolite facere. Pharisęi enim quod docebant malis operibus destruebant, quod Dominus subsequenter adiunxit, Dicunt enim & non faciunt. Tales sunt modò in Ecclesia Episcopi Presbyteri & Abbates, qui benè docent & malè viuunt, de quorum numero & me esse confiteor. Sed tamen quia super cathedram doctrinæ & prælationis, licet indignus & imperitus, nec dicta factis compensans, sedeo, si quid boni à me in illa cathedra sedente pręceptum tibi fuerit, dominica vt audis, admonitione obseruare debebis. Quod si
C neglexeris, dominicis præceptis apertissimè contraibis. Vale.

*Domino Arib. Sancto & Venerabili Abbati G. Dei gratia Dux Aquitaniæ prospera cuncta.*

## EPIT. CXVII.

CAritatem vestram iam secundo interpellaui, vt mitteretis ad Carrofcum Monasterium quosdam ex Monachis vestris, qui essent feruentes in obseruanda regula sancti Benedicti, quorum sancta conuersatio fratribus ipsius loci bonum præberet exemplum, & eorum Abbatem fasce regiminis leuaret. Quoniam verò petitioni meę nondum acquieuistis, nunc quoque tertio ad ostium vestræ caritatis pulso, instar illius Euangelici petitoris amicum obnixè rogantis, vt si non propter amici-
D tiam, saltem propter improbitatem meam accõmodetis mihi quotquot habeo necessarios. Obsecro igitur vos in nomine sanctæ Trinitatis, quæ Deus vnus est, vt decem fratres ex Collegio vestri angelici Ordinis mihi transmittatis, memores tandem illius Apostolici dicti, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Valete, cum omnibus vestris.

*Sancto & venerabili Andegauensium Episcopo H. humilis Pictauorum sacerdos suffragium orationis & fidelitatis obsequium.*

## EPIST. CXVIII.

E CVm mihi constans dilectionis vestræ sit habitus, eo magis gauderem Præsul optime, quo vobis sępius placitura facerem. Nouerit ergo serenitas vestra, quod libentissime venirem ad preciosissimam Dedicationis templi vestri solemnitatem, nisi detineret me causa huiusmodi. Dominus noster Guillelmus Comes habito consilio cum Italis præcepit mihi, & Dominis meis Istoni atq; Rohoos coepiscopis sua quædam seria procurare, quę nullatenus sunt nobis postponenda. Hac causa quia caritatem vestram inuitatus adire nequeo, non parum animum meum occupauit ægritudinis affectus: sed hoc consolor, quia spero me per Dei gratiam alias officiis vestris alacriter affuturum. Valete.

G. Dei

*G. Dei Gratia dux Aquitaniæ Domino Leoni Verzelensium Episc. salutem.*

## EPIST. CXIX.

ITali suaserunt mihi & filio meo intromittere de regno Italiæ Facientes nobis Sacramentum & ipsius regni & Romani Imperij acquirendi, per rectam fidē, quantum potuerunt. Vnde mando vobis & precor vestram gratiam, vt adiuuetis nos de hac causa sicut melius scitis & potestis. Modo appareat si verum est, quod semper mihi dixistis, vos amicum meum esse, & rerum mearum curam habiturum, si opus asset. Hoc scitote, quia si nostris partibus faueritis numquam vidistis tam bonos dies, quam illos, quibus nos in illum honorem mitteris, nam omnia nostra procul dubio vestra erunt. Remandate mihi quam bene possum cōfidere in amore vestro, & adiutorio. Valete.

*Domino suo Cariss. Fulbertus Præsuli H. omnium expetendorum summam optat.*

## EPIST. CXX.

QVod ante vindemias non reuiso vos, Pater dilectiss. fratris B. morbus me detinet cum opportunum fuerit, annuente Deo, libentissimè id acturum. Scripto vestro interim quæso mihi innotescere, quomodo vos agatis, & qualiter condiscipuli mei se gerant in scolis, & an melius solitò celebrēt Canonicas horas. Mitto vobis vnum ex duobus libellis, quos amicus noster Comes G. rogauit transcribi. Immissum cuidam hunc librum in a camera mea celabat obliuio, putante me illum vobis esse delatum. Si vos vel vestros in quærendo laborare feci, mea culpa. Salutate precor vice mea Dominum meum Sigonem & Hilduinum, Priorem, animum meum, & alterum animæ meæ dimidium. Cæteri vestri omnes salui sunt in Christo, summa omnium salute vos protegente. Amen.

*Fratri E. H. Omne bonum optat.*

## EPIST. CXXI.

VOlo scribas mihi carissime, quam benè tibi procedat scolasticum officium à Domino meo Præsule rogatu meo nuper tibi commissum, quantum eius gratiam inieris, qui te demulceant, qui mordeant, quam incolumis tu te consistis. Prosperitas tua salus mihi est, aduersitas ægritudo. Valeas semper in Christo.

*Arch. I. humilis Episc. æternam salutem.*

## EPIST. CXXII.

MAgnas gratias referimus vestræ caritati petitionem nostram explere sub rationabili conditione promittenti. Cui cōditioni velle nos alacriter deseruire, sed minimè posse magnitudini vestræ notum facimus. Ductores enī itineris ipsi multis occupati immittere vobis non possumus, Nec ab ipso comite Vu. quærere valemus, quoniā abest in expeditionē profectus, vt aiūt, non rediturus vsque ad decimam septimum Calendas Nouemb. cum sequenti die simus dedicaturi Ecclesiam nostram. Nolumus ergo excellentiam vestram fatigatum iri, ne fortè cum volumus præsentia vestra gaudere, aliquo vestri incommodo, obiter vobis illato turbemur. quod si accideret, lætitia vestræ solemnitatis in maximum verteretur mœrorem. Valete fœliciter.

*Quem ingiter in præcordijs animæ suæ fouet D. & Patri suo F. Her. perpetuo vigere.*

## EPIST. CXXIII.

DVx noster G. vobis amicissimus profecturus est in Italiam Iouis proximè venturo sciscitari de causa filij sui, si cum honore & incolumitate sua fieri queat, Itali enim elegerunt eum sibi ad Regem, facientes ei Sacramentum, & Italiæ regnum concedēdi, & Romanum Imperium acquirendi, per rectam fidem quantum possunt. Hac de causa præcessurus est prudentis Pater filium, quem supra dixi, cum ipsis deliberaturus. Nunc ergo prudentiæ vestræ est decernere, vtrum ad nos illo absente veniatis iuxta condictum. Si veneritis, victualia vobis Deo largiente non deerunt. Vnde quodlibet vobis placuerit literis mihi rogo significari. Inter ea & semper cum omnibus vestris bene valeatis sanctiss. Pater vitæ nobis dulcedo pariter & gloria. Si transieritis Bituricas cum Odone de dolis amicè loquimini. Inuenit illum in Romano itinere prudentem virum, & spero vobis obsequentissimum fore, si quid obsequij vultis ab eo, est etiam Comiti nostro G. fidelissimus & familiarissimus. Fulco Comes appellatus à Comite Guill. ne vobis inter viam techinam moliatur, respondit in vera fide, sicut vobis visum est nullam se moliturum, velle etiam sibi præmandari vestrum aduentum, vt conducat vos per sua: Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum.

*Marchioni Clariss. & vxori suæ B. prudentissimæ G. Dei gratia Dux Aquitaniæ in perpetuo vigere.*

## EPIST. CXXIV.

QVod cœptum est de filio meo, non videtur mihi ratum fore, nec vtile, nec honestum Gens enim vestra infida est, insidiæ graues contra nos oriuntur: si eas vel cauere vel superare non possumus, regnum nobis minimè proderit, fama nostra periclitabitur. In nostris etiam partibus diuersi diuersa iam incœptant, nouis rebus animati, quibus nos ad præsens intentos vident, & in futuro arctius occupari putāt, quæ nec posse reprimi vobis alias intentis, vos ipsi etiam turpe & inutile decernitis. Quo circa per fidem & amicitiā quæ inter nos est obsecramus, vos operam date qualiter absque nostro & vestro dedecore, ab incæpto desistatur, cauentes ne filius meus vel quilibet alius hoc rescicat, donec inuicem secretò loquamur. Quod si Deo disponente non dimittitur quin fiat, curate vt consensu Arch. Mediol. & Episc. Verzelensis, & aliorum quorum interest, effectum obtineat. Vale.

*Domino G. Duci frater Leo seruitium.*

## EPIST. CXXV.

NE tristeris amice carissima, si Longobardi te deceperunt, ego certe optimum tibi dabo consilium, si mihi credere volueris. Esto vir fortis, & de præteritis ne cures, & de futuris caueas. Per tuum fidelissimum hominem mihi mandes, quid velis facere. & ego optimum tibi dabo consilium, mitte mihi Mulam mirabilem & frænum preciosum & tapetum mirabile, pro quo te rogaui ante sex annos, amen dico tibi non perdes mercedem tuam, & quidquid volueris dabo tibi. Vale.

*Domino Leoni Verzolensium Episcopo Guillelmus Pictauiensis amicus eius carissimus salutem & seruitutem.*

## EPIT. CXXVI.

MInime tristor carissime, super Longobardorum deceptione, nô enim deceperũs me, qui nequaquam habuissem fidem promissis eorum, de præteritis eorum fallaciis ego non curo, de futuris per Dei gratiã mihi cauebo. Non parum autẽ miror de re qui & nostram præteritorum habes memoriam, & non minus futurorum iactatis habere prouidentiam quod illius C. partibus cõsensisti, qui nec in sua terra aliquid tibi vmquam donauit, neque posse donare fertur, nec aliquid aufferre in regno Italiæ. Sed quamuis in hac causa non bene tibimet consuluisse videatis, & mihi amicos meos probanti suffragium nullum præbueris, expectabo tamen illud optimum consilium, quod mihi te daturum promittis, si tibi credere voluero. Manda mihi per litteras, quomodo vis vt tibi credam, & quæ beneficia mihi prouenient per tuum consilium, ex dono illius C. si regnum Italiæ quod mihi promittitur, & quod adipisci possem, Deo volente, si multum curarem quærare d. sidero. Mulam quam rogasti non possum ad præsens tibi mittere, quia non habeo talem qualem ad opus tuum vellem, nec reperitur in nostris partibus mula cornuta, vel quæ tres caudas habeat, vel quinque pedes vel alia huiusmodi, vt congrue possis dicere eam mirabilem, mittam verò tibi quam citius potero, vnã optimam ex melioribus quas reperire possim in nostra patria, cum fræno pretioso. Cætarũ tapetum tibi possem mittere nisi fuissem oblitus quantæ lõgitudinis & latitudinis iam dudum requisisti. Rememora ergo precor quã longum & latũ esse velis, & mittetur tibi, si inuenire potuero. Sin autẽ iubebo tibi fieri quale volueris si consuetudo fuerit illud texi apud nostrates. Nec pro his quæro mercedem illam quam pollicetis, vt dones mihi quæcũque voluero, quod fieri non potest. Peto autem vt etiam si nihil tibi dedero memor sis mei in orationibus tuis, & ores pro me vt *inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini & protegar à templo sancto eius.* Et illud optimũ consilium quod mihi spõdes ne differas. Promissiones tuæ excitant me habere in te multam fiduciam, quia meum est amico credere, & de promissis eius non diffidere. Et meum est aut nunquam promittere aut, promissa adimplere. Superius Sermone nostro lusimus tecum, Domine Leo frater carissime, nunc seria verba dicemus Longobardos non arguo deceptionis, quam in me exercere vellent. Quantum enim in ipsis fuit partum erat mihi regnum Italiæ, si vnum facere voluissem quod nefas iudicaui, scilicet vt ex voluntate eorum Episc. qui essent Italiæ deponerẽ, & alios rursum illorum arbitrio eleuarem. Sed absit à me rem huiusmodi facere, vt Pastores Ecclesiæ, quibus mei Patres semper honorem exhibuerunt, quos ipse quantum valui semper exaltaui, sine crimine inhonorem. Sub hac conditione vellent quidam primorum Italiæ me seu filium meum Regem facere. Non laudauit mihi hanc vituperabilem conditionem prudens Marchio Maginfridus, nec frater eius Alricus bonus Episcopus, quorũ me sanissimo plerumq; vti consilio nunquam pœnituit, quos sapientia omnes Italos præstãtioris ingenij, fidei & bonitatis esse censeo. Si quid rerum mearum tibi pro certo placuerit, quod mittere possim aut debeam, non te frustrabitur spes tua. Æquam mihi quæso repende vicem, vt & ipse votis meis imparem te non efficias. In proxima ventura festiuitate sanctæ Dei Genitricis Mariæ litteras tuas opto videre, quibus animi tui secreta animo meo fidissimè pandãtur. In Christo viuas & valeas.

*Domino suo F. H. Fidelis eius ad votum omnia bene contingere.*

## EPIST. CXXVII.

PRiorem tuæ pœnitẽtiæ caufam, super Honore Beati Hilarij suscepto, iustam esse noui Pater. Obsequẽs igitur mandatis tuis cum sim tuorum minimus, vtraque necessarij nomine dignus, illud competenter dixerim, quod tui præsentia carere multũ mihi sit incõmodum, vtpote rudi quondie tuis eruditionibus egenti, necnõ ab obsequio Almæ Dei Parẽtis iam diu vacanti: ferro tamẽ hoc, & tuas licet graues ad nos veniendi protelationes, quia sic iubes vtcumq; satagerem, dũ certus essem Ecclesiam sancti Hil. à te in proximo frequentandam aliquatenus exaltari. Tanti mihi aliquatenus prouentura, corã Deo & hominibus grata, cuius spe vehementer captus mirum in modum tamen à Clientela tua tãdiu abesse & à supradictæ Dominæ seruitio quasi emancipatiorem pertulerim. Cum ergo te plus biennio detinuerit hæc sollicitudo Pastoralis, hinc Principum discordia, nescio quando nisi illis abeuntibus componenda, orturis forsitan alijs pluribus causis, te iidẽ remoraturis, vix ausim sperare, te vel semel Pictauorũ fines reuisare, & prout te geris animo illi egregio confessori Christi deseruire. Sperabo tamen etiã adhuc sicut promittis, vice tua quod potero seruiens, interim lætũ rei exitum mihi tibique anouere, Dominũ assiduis vocibus & anhelis precibus orans. Dic quæso Pater quis vnquam tiro sine duce militauit? quis alto mari sine remige credere se voluit? G. Comes amicus tuus & Canonici nostri te resalutant adhuc fideliter. Iordanus enã Lemouicensis Episc. cui olim suffragiũ præstitisti, apud Archiepiscopum Bituricẽsem, plurima te salute impertiens rogat supplicitet, vt mittas ei vitã sancti Leonardi, in Episcopatu suo quiescentis, vt aiũt, sic vbi reperire poteris, pulchrè dicas hoc fœneratum esse. Ex mea quoq; parte nõ vos pœniteat, te dico Dominum meum carissimum tuum quoque Sigonem, probis moribus & artibus magnum, centenas milenas excipere salutes, ne se quæso scripti mei tædeat & ineptiarum. Quædam legatis dicere iussi quæ audire poteris cum volueris. Vale charissime Pater.

*Domino Fulb. Venerabili Carnot. Episc. Guillelmus Dei gratia Dux Aquitaniæ salutem & caras amicitias.*

## EPIST. CXXVIII.

CVm primum ad nos Pictauum, Præsul optime, venire dignatus es, & nostræ petitioni vt curam loci sancti Hilarij gereres acquiescere, gaudium magnũ fuit nobis. Sed huic gaudio intercedit ægritudo, quod ad nos redire dissimulas. Vnde precamur gratiam, noli dimittere quin venias, si fieri potest in octauis Pentecostes. Sin autem vel octo diebus ante natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ totum iter ancipisceris, & apud nos satis multũ habebis sin manseris nobiscũ plus quatriduõ in ipsius tẽporis articulo plurimũ nos recreabis. O si venisses proximis præteritis Rogationibus, quantã nobis & Episcopis nostris lætitiam fecisses, tẽpestiuè si velles Carnotum ad diem festum reuersurus pentecostẽ, vel si te subducere velles, ne ires ad Curiã Domini Regis satis honestam causam habiturus! Quem in præsenti adire dimitto, minores inimicitias me suscepturũ putans, ob meam absentiam, quam si essem cum Domino Rege vel Regina, non consensurus in ordinando Rege absque meo fratre Odone Comite. Quem enim ipse Regem fieri voluerit, ipsum & me velle pro certo noueritis. De eius cum Domino Rege concordia quid audietis & vbi sit, si nosti peto rescribere, an noui Regis erit sacratio, aut non, aut quatus. Vale.

*Domino suo F. Episc. H. Seruulus eius gaudium perpetuæ salutis.*

EPIST. CXXIX.

IN literis amici tui G. Comitis, multam deprehendere potes erga te benignitatem, familiaritatem, amicitiam, sustinentiam, quæ non opus est mihi exponere, tibi optime scienti. Vita tua ac illius Comite, non amittes susceptum honorem si tenere volueris. Suadeo ergo ne facias vel scribas ei repudium, si intelligis fore tibi vtile, & Ecclesiæ tuæ restaurationi, & si est tibi animus, & facultas ad ipsum veniendi vt rogat, & mihi Vicarium subrogandi vel socium addendi. Nullatenus enim ferre possum nisi iussione tua coactus, vel absentari penitus me, vel abesse diutius obsequiis Almæ Dei Genitricis & tuis, desiderans vt ceruus ad fontes aquarum tuis plenius instrui documentis, omni auro & argento, ipsa etiam vita mihi carioribus. Volo interim mandes mihi bone Pater, quid mercedis erit labori meo, tantulo scilicet, vtrum iubeas ad præsens non obturari os bouis triturantis. An velut Isaac Iacob filium suum benedicens, caligantibus oculis Prophetans, in præsentique filium non videns, multa mihi bona in posterum prouideas. Feria secunda post Octauas Pentecostes proficiscar ad te, si potero, resciturus vtrum venias ad Comitem in Natali sancti Ioannis. Vale.

*Domino R. venerando atque amabili Decano sancti Hilarij H. æternam salutem.*

EPIST. CXXX.

MVltæ vobis gratiæ referātur, ex parte Dei & Domini mei Episcopi, & mea, sicut dicitis rem sancti Hilarii bene custodistis. Hinc profecto vos eius fidelem esse amicum nostrum, quorum vicem exequi studueritis, certissimū probatis. Quia vero vobis in præsēti vos adire non licet, de quibus nos interrogastis, significare curauimus, vt triginta quinque libras, & alias quas vobis dimisi, in opus sancti Hilarii per consilium boni ducis G. expendatis, nullam mihi partem reseruantes. Non enim possum me intromittere amplius de officio sancti Hilarij, cum etiam via sit mihi dominoque meo Episcopo difficilis propter sæculi malitiam quam nostis, & ita sanctæ Mariæ seruitio tenear astrictus, vt ab hoc fine damno vel culpa dimoueri nequeam. Sed & ipsius Dei Genitricis eminentiam apud sanctum Hilarium si qua ex me est, huius rei deprecari posse reor offensam, nec enim illum honorem cuilibet inferiorem postposuerim, sed clientelæ Matris Domini, quæ etiam Archangelorum omnium dignitati prælata est, iure vt puta eius alumnus quantuluscumque me reddiderim. Dicetis ergo illi prudentissimo Duci ex parte Domini mei Episcopi, vt tali rectori committat locum sancti Hilarii, quem nec difficultas itineris, nec imperitia Ecclesiastici Ordinis ab eius obsequio detineat. Et hæ sunt rationes de quibus Raginaldus Vice-Dominus ad seniorem meum Episcopum loquutus est, & vnde talem vobis finem mandamus. Nunc vestram caritatem, quæ semper mihi fuit præstātissima, rogo dilectissime, vt omnes Clericos Domini nostri dulcissimi ac Beatissimi Patris Hilarij à paruo vsque ad maiorem, ex meo nomine salutetis, & omnibus orationum fideliа dicatis. Ipsi etiam Comiti centenas millenas salutes ex mea parte conferatis, quem præ omnibus laicis diligo, memoriam eius in orationibus meis ad Dominum faciens, qualescunque ei pro amore, & beneficijs, quæ mihi exhibuit indesinenter gratias agens. Similiter autem Dominum meum Isambertum Episc. salutare obsecro, cuius in me benignitatis, ac hilaritatis, quanta fuerit

A gratia nullatenus dicere, nec quanta eius probitatis sit magnitudo. Sed & filium Comitis & Dominam Comitissam, necnon & alia bene, quorum beneuolentia etsi immeritus gauderem, eodem salutis munere cunctos impertiri ne pigeat. Ad summam vos ipsum bene valere optans finem orationis facio.

*Sacro Cen. Archip. L. Canonici Mariæ Carnotensis Christo salutem & adhuc fidelitatis obsequium.*

EPIST. CXXXI.

B MVltum miramur venerande Pater, quod bonis initiis, tam malos exitus habuisti, videlicet quod nobis Pastore carentibus, in altero substituendo primum benè fauisti, & postremò sententiam tuam deprauasti, alium quem nos elegeramus ordinando. Ne autem dicas ignorasse te electionem nostram, mandauimus tibi per Diaconos nostros, Odelarium & Fortimundum, elegisse nos A. Decanum cum litteris nostris, idipsum continentibus, qui talis nobis videbatur, qualem Episcopum ordinari debere dicit Concilium Carthaginense quartum. Quod si post hæc alium tibi obtulerunt vel Rex, vel aliqui ex nostris minus sapientibus, oportuisset te causam diligenter attendere, & inter nos ipsos diiudicare, quorum sanior habetur electio, sicut in decretis Leonis Papæ significari optimè nosti his verbis. C *Ille omnibus preponetur quem cleri plebisque consensus concorditer postularint, ita vt si in aliam forte personam partiū se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is saltem alteri praponatur qui maioribus & studijs iuuatur, & meritis.* Volumus autem scire te quod ipsam electionem nostram mandauimus Domino Regi per suos Monachos, Hernaldum Priorem & Restaldum præpositum sancti Dionysii, quibus obijcientibus nobis de Theodorico ordinando, regiam voluntatem iniunximus, vt dicerent Reginam id temerè fieri iubere. Vocaret autem nos antea si sibi placeret, ad curiam suam, vel suæ voluntati consensuros, vel cum dissentiremus ostensuros. His vero dictis nostris ipse Dominus Rex contemptis, qualem sibi libuit personam D absque nostra petitione ordinari violenter voluit. Immemor fortasse illius dicti Constantini Christ. Imperatoris. De violentia Principum contra se & contra alios principes ita se habentis. *Quacunque inquit contra leges fuerint à Principibus obtenta, non valeat.* Sed vt ad præsens de ipso taceamus, qui sane viderit virum omnia rectè agat, ne post factum pœniteat. Ad te Pater querimoniæ nostræ flectimus articulum, quem Ecclesiæ nostræ curam neglexisse, imo authoritati tuæ derogare vehementer dolemus, posthabito supradicto Leonis Papæ decreto. Quod si obseruasses, rationabiliter vtique egisses, & benè nobis, vt filiis Pater consuluisses. At ipso violato quam multa alia sanctorum Patrum violaueris tu te considera. Nos tamen pauca tibi de multis scribimus. Legitur in decretis Celestini Papæ. E *Nullus inuitis detur Episcopus, Clerici, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur:* & post pauca, *Sit facultas Clericis retinendi, si se viderint pragrauari, & quos sibi ingeri ex transuerso nouerint, non timeant refutare: quod si non debitum primum est, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere iudicium.* Item ex Concilio Carthaginensi tertio: *Et illud est statuendum, vt quando ad eligendum Episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia facta sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est. Sed postulentur ad numerum supradictorū duo vel tres, & in eadem plebe qui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium. Postremo illa etiam quæ obijciuntur pertractētur, & cum purgatus fuerit, sub cōspectu publico ita demum ordinetur.* Ecce quomodo Patrum

sententiæ violentur. Nobis enim inuitis obtrudere vultis Episcopum, nec conceditur liberum de eo nobis, qui nos recturus sit habere iudicium, & quum huic qui ordinandus erat contradiceretur, minime purgata sunt, quæ objiciebantur, nec personæ, vel rationes contradicentium discussæ. Quæ cum ita sint, cumque legem Canonicam in hoc negotio multis modis solueris, monemus te non increpando, neque dijudicando, sed affectu filiorum obsecrando, ipsi legi quam offenderis reconciliatum iri, pœnitendo, aut culpam confitendo. Nec pudeat te dicere necessariis tuis secretò Dominum timentibus, & in lege ipsius bene eruditis, iam tandem te animaduertisse ea quæ fiunt contra statuta Canonum, non debere stare, sed & facientes pœnitere oportere. Quod si forte Rea autoritate tua deinceps corroborari volueris, quod sine solutione Canonum stare non possit, videris Pater, ne B adijcias peccatum super peccatum, sed aut quantum poteris id corroborare, dissimula, aut manifestè salua legum autoritate, id te exequi non valere proclama. Postremo suppliciter oramus, hæc scripta nostra minime publicari, quæ apud tui cari pectoris secretum promere audemus. Rescribe vero nobis si quid tibi videtur contra hæc rationabiliter opponendum. Augeat tibi Deus Spiritum consilij & fortitudinis, sapientiæ & intellectus.

*Canonici Carnot. sanctis præsulibus G. Beluacensi, O. Aurelianensi, A. Turonensi, famuli eorum & fratres in Domino salutem.* C

## EPIST. CXXXII.

Conquerimur apud vos Patres, de Archiepiscopo nostro, & Rege, qui nobis inuitis Episcopum donare volunt quendam idiotam, vt scitis, & eiusmodi officio indignum & ignarum, precantes auxilium vestrum, vt vigiletis sicut boni Ecclesiæ pastores, ad portas eius, ne introeat in illam ille talis, qui non quæsierit *intrare per ostium, sed aliunde ascendere, sicut fur & latro.* Vobis tribus portas custodientibus sciatis, pro certo quartum custodem addi, Odonem Comitem, & nunquam recepturum illum in ciuitatem suam, nisi prius vestro iudicio examinatum, vtrum recipi debeat an non. Vigilate igitur attentius & diligenter inquirite causam cum vestris sapientibus clericis, & nobis famulis vestris, si dignemini, nec propter Regis reuerentiam hoc agere pigritemini, quasi hoc pertineat ad fidelitatem eius. Verè etenim illi fideliores eritis, si quæ sunt corrigenda in regno eius correxeritis, & animum eius ad eandem correctionem compuleritis. Volumus autem scire vos Decanum quem elegeramus factum esse Monachum, nihilominus tamen nos cum optare nobis fieri Episcopum: cum reprobatus fuerit ille lupus, quem probare potestis indignum. Quod vos inuicem cautè & diligenter & secretè deliberare petimus, vtrum fieri possit an non, & no- A bis seruis vestris, ac fratribus deliberationis vestræ finem innotescere, siue literis, siue legato fideli, hæc autem verba nostra videte interim ne publicentur. Valete.

*Quem super omnes Abbates diligunt sanctissimo Patri O. Canonici sanctæ Mariæ omnium virtutum gratia præfulgere.*

## EPIST. CXXXIII.

Obsecramus vos in nomine sanctæ Trinitatis, ne faueatis contra ius & fas Theodorico simulato Episcopo, neque suadeatis Odoni Comiti facere cum eo concordiam, contra sanctorum Canonum auctoritatem. Clarissimum speculum posuit vos Deus in mundo, videte ne qualibet nigredine obscuremini, qua offuscantur alii, sed semper vero lumine resplendeatis, quo & alij possint illustrari. Valete beatissime Pater & rescribite nobis, quid melius de hac causa vobis videtur.

*In Christo sibi dilecto semperque diligendo Domino R. H. seruus eius fidelis, quæ retro sunt obliuisci & iugiter in anteriora tendere.*

## EPIST. CXXXIV.

Causa Charitatis pollicitus sum conuersari me cum Heberto nepote tuo, vsquequo fruges nouæ colligantur, amicè illum habiturus, interim quasi præsentiæ tuæ Vicarium. Scripta quæ tibi mitti poscis partim mittimus, partim minimè, quia non sunt missu facilia: quæ vero mittuntur, & difficilia sunt cognitu, & perneceessaria, de Sacramento videlicet corporis & sanguinis Domini, quæ si non dignè ac fideliter percipimus, viuere non habemus. De cogitationibus autem, quæ se nolentibus nobis ingerunt, ita sentiebat carissimus pater noster Fulb. nil eas nocere si tandem menti minimè placuerint. Signo Crucis abigendas esse ab animo, velut muscas ab oculis importunas, rationem ponendam esse mentis custodem, rerum vtilium receptricem, quibus dum occupata fuerit, ab D inutilibus impeti vel penetrari non possit, cui sententiæ multas alias in vitis Patrum consentientes reperire potes, quæ tuum animum optimè releuabunt, opitulante Christi gratia, sine qua nihil valemus, vel sumus. Cætera verò quæ ad præsens non mittuntur, quia nec adeo scriptu facilia, nec satis idoneum gerulum habere modo videntur, Deo volente, spero me tibi missurum vel delaturum, cum oportunum tempus & latorem inuenerim. Valeas animo meo carissime, mortuus huic mundo Christum tibi viuere notis, virtuti viuas, sit tibi mors vitium, ora pro me famulo tuo Pater.

SERMO-

# SERMONES FVLBERTI EPISCOPI CARNOTENSIS AD POPVLVM.

PATRES venerabiles, cari fratres A filij Dei, aliquid vobis volumos memorare de ijs, quæ nonquam vos obliuisci oporiet, videlicet quomodo credere debeatis, & viuere, & si quis peccaoerit quomodo possit recuperare. Tria sút hæc: fides Catholica hæc est vt vnum Dominum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Multi suot auté qui non possont hoc intelligere, nisi per quasdá quasi similitudines inducantur. Quapropter dicamus & nos aliquid tale. In sole sunt tres naturaliter, sphera, claritas, calor. Sphera solis naturaliter est splédeos & calens. Summus Pater naturaliter est sapiés, & amás, sphera solis, & splendor, & calor, non sunt tres soles, sed vnus sol, summus Pater & sapientia eius, & Amor eios, non sunt tres Dij, sed vous est Deus, sapiétia filius, Dei est, Spiritus Sanctus amor est, Pater itaq; & Filius, & Spititus Sanctus vnus Deus est, hic Deus ante sæcula & nunc, & séper fecit omnia visibilia & iouisibilia: Quæritur autem cur Deos Pater filium suum, idem sapientiam homioem fieri voluit? respondeamus quam breuissime possumus, propter hominem vtique rediB mendom, qui culpa sua petierat, & per se non poterat reparari. Nam antequam peccares homo, erat prudens & immortalis, & arbitrio liber, fuit tamen tanta calliditas diaboli, vt seduceret eum & redderet insipientem, mortalem & fragilem: quomodo ergo posset stultus, & fragilis, & mortalis effectus, diabolum reuincere & recuperare per se, quod perdiderat, quæque sibi adhuc validus non defendit, nullomodo erat tamen impossibile non impleri quod volebat Omnipotens.

*Sermo Fulberti Episc. ad populum.*

FRatres credo quod omnes, qui præsenti Basilica contioemur, per fidem Christiani sumus. Reddamus ergo in primis Deo gratias, qui nos ad fidem suam vocare dignatus est, & per Baptismi gratiam à peccato mundare, & à diabolo liberare. Dicite Deo gratias fratres, si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per Baptismum data est, verè fœlices essemus. Sed non permansimus, cecidimus enim per nostram culpam, non solum in peccata, sed etiá in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separátur, qualia sunt homicidia, adulteria, forC nicationes, sacrilegia, rapinæ, furta, falsa testimooia, superbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua. Sic ergo Deo gratias agamus pro bonitate sua, sic nos culpabiles confiteamur pro malitia nostra, & dicamus singuli, peccatores sumus. Fratres vere tales sumus coram Deo, & Sanctis eius, sed misericordia eius magna est, qui nobis adhuc donat locum siue tempus emendationis. Emédemus ergò in melius ioxta scripturam quæ ignorando peccauimus, quod si nescitis qualiter emendare debeatis, dicendum est vobis. In primis peccare desistite, quandiu enim quis dominum offendere non cessat, nec eius pœnitentia fructuosa est, & qui in hac vita criminali peccato finem nó imposuerit, veniam in altera non habebit. Quapropter vt dixi necessarium est in primis crimini finem dare, deinde vero commissa delere, per pœnitentiam, per eleemosynam, per orationé. Modum pœnitentiæ vobis constituét sacerdotes. Modus elemosynæ est, secundum facultatem & bonam voluntatem vestram. Modum Orationis constituit nobis Christus diuersa sub conditione, quam nostis, videlicet A vt dimittat sicut & nos, &c. Hortamur itaque fratres vt crimina fugiatis, inionctam vobis pœnitétiam alacriter suspiciatis, strenue peragatis. Non sont enim condignæ passiones huius temporis ad futurá gloriam quæ reuelabitur in nobis. Eleemosyná quoq; pro posse faciatis, quia sicut aqua extinguit igné, ita eleemosyna extinguit peccatum. Oremus tam pro inuicem quam pro nobis, dicéte Apostolo, *confitemini alter utrum peccata vestra, orate pro inuicem vt saluemini*. Nouimus autem, per pœnitentiam multos euasisse periculum mortis, alios per orationem. Enitamor etiam fratres inter tales inueniri, *quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*. Præstet vires imbecillitati nostræ ille qui dixit, *confidite, ego vici mundum*, Dominus noster Iesus Christus qui cú Patre & Spirito sancto viuit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

*Sermo Fulberti Episc. ad populú, de Purificatione B. Mariæ.*

VOlum' vobis breuiter exponere fratres, vnde cœpit solemnitas Purificationis, quá hodie celebratis, & quid Cerei significent quos offertis. Solemnitas ergo ista processit ex lege. Præcepit enim Deus in lege vt mulier quæ de viri sui cócepru primogenitú pareret, quadragesimo die natiuitatis præsentaret eom Domino in templo, cum hostijs: & hic dies Purificationis vocatur, quod præceptum Purificationis & oblationis impleuetúr aliæ matres ex necessitate, quia pollutæ, & peccatrices erant. Quando vero Christus natus est de beatissima Virgine Maria, ipsa nó indigebat legali purificatione, quia munda erat & sancta. Humilitatis tamen & obedientiæ causa legi se subdens, obedire legi quamuis non indigeret, obtulit in téplo Dei, filium suum cum hostijs quadragesimo die natiuitatis, sicut est hodie. Sed præsétatio illa insignis & gloriosa fuit: mouente enim Spiritu sancto, occurrerunt ei sáctus Propheta Simeon, & Anna sancta vidua & Prophetissa, laudantes & benedicentes Dominum, de aduentu Christi, sicut legitur in Euangelio miracula præbentes. Christus namque in carne veniens, fratres, osté debat pariter & humilitatis exemplú, & diuinæ pietatis indicia. Sicut in natiuitate sua, cú iaceret humiliter in præsepio, noua stella, & laudibus Angelicis celebrabatur in cælo: sic & modo cum paruulus infantulus præsentaretur in templo, ad declarandá diuinitatem suá in carne latitantem, corda Prophetarum illumioabat Spiritu sancto. Nos ergo qui illum verum Dominum & hominem adoramus, in memoriam Præsentationis eius in templo, celebramus hunc diem cum oblatione Cereorom. Per lumen cerei, diuinitatem, per ceram sigoificátes carnem ipsius virginalem. Apis enim & mellis, & ceræ opifex sine coitu maris, & fœminæ procreatur. Pater ergo quia Præsentatio Christi in Templo processit ex obedientia legis, & nostra significatiua oblatio est, ex dulci & venerabili memoria suæ præsentationis. Nunc ergo scientes, quam ex bonis principijs solemnitas ista prodijt, & quam piam sanctamque significationem nostra oblatio gerit, solemnitatem diuinis laudibus & operibus exornemus, & oblationem pio celebremus affectu. Rogaotes pijssimam Dei matrem vt ipsa nos, & monera nostra, filio suo gratificare dignetur, & ad similitudinem oblationis nostræ, quæ munda, clara & feruida esse videtur, depulsat nobis ab ipso múditiam cordis & corporis, lumen scientiæ, feruorem fidei & charitatis, quatenus suæ gratiæ dono accensi, per Spiritum sanctum illuminati, gratificatis métibus in té-

plo sancto gloriæ suæ valeamus appaiere, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

*Sermo Domini Fulberti Carnot. Episc. de Natiuitate Beatissimæ Mariæ Virginis.*

A Pprobatæ cõsuetudinis est apud Christianos Sanctorum patrũm dies natalitios obseruare diligẽter, & præcipuè virtutes eorũ assignatas litteris in Ecclesia recitare ad laudem Dei, ex cuius munere sunt, & ad instrumenta minorum. Inter omnes sanctos, memoria beatissimæ Virginis eò frequentius agitur atq; festiuius, quo maiorẽ gratiam apud Dominum, creditur inuenisse. Vnde post alia quædam ipsius antiquiora solẽnia, nõ fuit cõtenta deuotio fidelium, quin natiuitatis solemne super-adderet hodiernum. Hac itaq; die peculiariter in B Ecclesia recitandus esse videtur ille liber, qui de ortu eius, & vita scriptus inueniebatur, si non iudicassent eũ Patres inter Apocrypha numerandum. At quoniã magnis ac sapientibus viris ita visum est, nos alia quædã, sed non aliena legentes, Ecclesiasticum morem debitis officiis exequamur. Beata ergo Domini mater & perpetua virgo Maria, priusquam nasceretur oraculis enunciata est, & designata miraculis, nata vero progenie diuinitus ordinata, priuilegio virtutum insignis enituit, Saluatorem edidit à quo glorificata in cœlo, nũquam terrigenis patrocinari desistit. Propositionem sequatur ordine sua narratio, Iamque referamus vnum de prætaxatis oraculis, ac deinde paucis expediamus. Dixit æternus ad veterem, Deus ad serpentem, *inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuũ & semen illius* Quid est fratres in C hoc loco serpẽtis caput cõterere, nisi principalẽ diaboli suggestionem, id est concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quæratur, quænã mulier huiusmodi victoriam operata sit? profecto non reperitur in linea generationis humanæ, donec perueniatur ad illã de qua agimus sanctarum sanctam. At si Interrogetur, in quo serpentis caput vel ipsa contriuerit? nimirum in eo quod virginitatem simul & humilitatem Deo sacrificauit. Virginitate namq; seruata probatur extinxisse concupiscẽtiam carnis: humilitate, quæ facit pauperem spiritu, concupiscẽtiam mentis. Sicque principali suggestione diaboli victa, vitiosũ caput virtutis pede cõtriuit. Non tamen hoc solo, sed eo quam maxime triumphauit, quod de sua mundissima carne, corporata sapientia, vicit vs- D quequaq; malitiam, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Hæc est ergo mulier ad quam diuinum illud intẽdebat oraculum, hanc quãdoq; nascituram innuebat, hanc singulariter intimabat. Expedito quã paucis oraculo, vnum quodque de miraculis absoluatur. Acceptæ sunt à sancto Moyse singulæ virgæ de singulis tribubus Israel, nominibus earum inscriptæ, iubente Domino, & positæ in tabernaculo eius: inter quas vna quæ fuerat Aaroni inuenta est sequenti die germinasse, floruisse, fronduisse, & peperisse amygdala. Sciens ergo Dominus hoc opus suũ magni esse mysterij, iussit seruari virgam ad monimentum. Monebantur E enim filii Israel præsentia virgæ, quærere sollicitè, quid significaret tam mirabile factũ, quod longè post aperiẽs diuinus Esaias, *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eũ Spiritus Domini.* Ad hæc verba tanquã auditores eius dicerent, ô Pater Esaia obscure loqueris, dic nobis quæso ipsam rẽ manifeste: adiecit claritatẽ & ait, *Ecce virgo concipiet & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emanuel.* Filiũ quoq; virginis, id est Emanuelem præclare describẽs, *Puer* (inquit) *natus est nobis, filius datus est nobis, & vocabitur nomẽ eius admirabilis, cõsiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperiũ & regni eius nõ erit finis.* Qu... ergo Deus designauit miraculo, hoc à secreto, Esaias, prodidit vaticinio, Et quod vates cecinit, cõsequenter rei exitus approbauit. Nã sicut illa virga sine radice, sine quolibet naturæ vel artis admini-

A culo fructificauit, ita virgo Maria sine cõiugali opere filiũ procreauit, filiũ sane flore designatũ & fructu, flore propter speciẽ, fructu, propter vtilitatẽ. *Est enim speciosus forma præ filijs hominũ*, & vitalis refectio non solum hominũ, sed etiam Angelorũ. Hinc breuiter asserta propositionis particula prima, quod sequitur attingamus. Nata est igitur beatissima Virgo sicut legimus, patre Nazareno, matre Bethleemita, quas vrbes Christi natiuitati vel conuersationi destinatas esse Prophetæ nõ tacuerũt. Descendit autẽ ab radice illius fide præclari Abrahæ cui superne promissa fuerat benedictio omniũ gentium in semine suo, & ab stirpe Dauid, quẽ Deus propter notã sibi probitatẽ egregia laude sublimauit, dicẽs, *Inueni virum secundum cor meum.* De regali nẽpe Tribu simul & Sacerdotali duxit originem, quę summũ regem atque B Pontificẽ erat paritura. Non tamen hæc idcirco diximus, quod Dominus, qui peccatores vocare venit, dedignatus sit matrem suã peccatores habere cognatos, inter quos speciosa velut inter spinas liliũ appareret. Hæc itaq; electa & insignis inter filias, non fortuitu quidem, aut solo placito parentũ, vt plerique, sed diuina dispensatione nomẽ accepit, itaut ipsa quoq, vocabuli sui figura magnũ quiddam innueret, interpretatur enim maris stella. Quid ergo mysticum hæc interpretatio gerat, per similitudinem ostendamus. Nautis quippe mare transeuntibus, notare opus est stellam hanc, longe à summo cœli cardine coruscantem, & ex respectu illius æstimare atq; dirigere cursum suũ, vt portum destinatum apprehendere possint. Simili modo fratres oportet vniuersos Christicolas, inter fluctus huius sæculi remigantes attẽ- C dere maris stellam hanc, id est Mariã, quæ supremo rerũ cardini Deo proxima est, & respectu exempli eius cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit, non iactabitur vanę gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur Scyllea voragine voluptatũ, sed prospere veniet ad portum quietis æternæ. Hic si quis Interroget dicens, quid ergo putas qualis olim in anima fuerit, vel nunc sit, hæc persona, quæ sic omnibus sanctis spectãda atq; imitanda proponitur? veraciter respondemus, quia longe perfectior quam nostra oratione demõstrari possit. Tamẽ ne ibi nihil dicere arguamur, vbi maior affluit copia dicendorum, reseruantes multa atque magna facundis, saltem pauca dicamus super hoc, & quæ facile probentur audita. Hoc igitur in primis astruere fas est, D quod anima ipsius & caro quam elegit, habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris ab omni malitia & immonditia purissima fuerunt affirmante scriptura, *quoniam in maleuolã animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Item ẽ cõtra confidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiæ Dei nuntius asserebat inesse. Quod attestante Archangelo quamuis nemo sana mente discredat, tamen si quis adhuc pio desiderio quærat argumenta virtutum ex verbis & factis eius quæ scriptura commemorat, tanto sibi facilius occurrent, quantò ipse in quærendo fidelior erit. Sunt autem ea eis quædam omni fere Christiano perspicua. Quis enim est qui cum iocunda E admiratione non speculetur ipsius maturæ adolescentiæ fortitudinem, & prudentiam, & fidem in colloquio Angelico, vbi tam constanter eloquitur, tam prudenter interrogat, tam facile credit? Quis enim nõ videat ac videndo miretur iustitiam eius, quia sic vniuersa præcepta diuinæ legis satagebat implere, vt nec ad se pertinentia inexpleta relinqueret? Verbi gratia: post partum enim purificatione legali quam agebat, non egebat, quia virũ in concipiendo non nouerat. De temperantia quoq; ipsius superius dictum est, quæ Deo Virginitatis Lilium in humilitatis valle produxit. Cũ ergo virtutibus supradictis facta eius plena sunt atq; dicta; manifestum est non solum attestatione Angelica, sed etiã rerum argumẽto nullum virtutis Beatissimæ Virgini defuisse. Depromebant itaq; virtutes in cogitatione & affectu cordis eius ineffabilem harmoniam, quã ipsa creatrix & inhabitatrix

trix eius Dei sapientia delectabatur audire, coruscabāt fo is in superficie sermonis & actus, vnde merito possēt homines glorificate Deum, & exempla salutis accipere. Tali ergo tantæq; personæ, quid tandē ad honoris cumulum potuit accedere maius, eo quod Dei filiū Virgo concepit Virgo mater edidit, hac nempè dignitate venerabilis, facta est ipsis quoque sanctorū Ordinibos Angelorum. Quod opere manifesto declarauit illa magnus atq; fortis Archangelus Gabriel, qui eam antequā Dei mater fieret, quia futuram nouerat, tanta veneratione salutando præuenit, hac eadē dignitate facta est etiam imperiosa, secundum caritatam erga super os, ac super infetos per discretionem. Vnde plurima scripta sunt exemplorū argumenta de quibus ad præsans quędam sufficiat memorata. Illa igitur olim in auxiliū magni patris Basilij misit sanctum Angelum, & mortuum suscitauit, qui male viuētem pessum dedit persecutorē eius Iulianum Apostatam, & hæc historia notissima est. Illa etiam te, ô peccator quondā Theophile pœnitentē & suppliciter inuocantē ab ipsis diaboli faucibus potēter eripuit. Sed quid grauemur huius lapsi reparationē paucis effari, cū audire sit operę pretiū? Is ergo Theophilus incedens olim in patria cuiusdam Episcopi Ciliciorū, vt scriptura quædā testatur, propter infortunia sua in tristitiam cecidit, vnde contulit sese ad quemdā Iudæum maleficum eius consilium & auxilium petens, hoc mediatore locutus cum diabolo Christianitatē abnegauit, diabolū adorauit, eique de sua mancipatione chyrographum tradidit annulo suo signatū. Postea vero facti pœnitēs, multumq; se animo angēs quid faceret, quo se verteret, tandē collectis fidei & spei viribus, confugit ad Ecclesiam quandam beatæ Mariæ matris Domini memoriæ dedicatam, vbi quadraginta dierū afflictione mactatus animo contrito nomen eius inuocabat iugiter, ac patrocinium implorabat, quid multa? Respexit hunc propitia misericordiæ mater, & per visionē illi apparens de impietate coarguit ad Christi cōfessionem excitans. Consolata est dolentem pollicēdo veniā, & ne dubitaret de promisso supradictū Chyrographum diabolo potenter ereptū, captiuo reddidit in pignus libertatis. Quod cum euigilans supra pectus suū positum inueniret, quam lætus extiterit, quā pio affectu voces exultationis & cōfessionis ediderit, nō est facile dictu. Noctem vero illam consecuta est Dominica dies, qua Theophilus, quasi cū Domino à mortuis resurgens Episcopo se coram populo præsentauit. Et rem sicut erat exposuit. Videres populū modo ex auditu tā horrendi sceleris expauēre, modo considerata macie vultuq; pœnitentis collachrimari. Sed audito quantam & quam celerem misericordiā fuerat consecutus, omnes qui mala conscientia territi pænè defecerant, ad spem veniæ cum gaudio respirabant. Iam vero vt rem breui fine concludamus, Episcopo iubente male cautū Chyrographū Theophilus igne cremauit. Deinde suffragante Clero & populo ductus ad altare, cum sacrosanctam communionem de manu Episcopi ore susciperet, facies refulsit vt sol. Peractoq; deinceps triduo, cū laudibus in Ecclesia piæ matris Domini, per quā recōciliatus fuerat, à laboribus suis beato fine quieuit. Talibus ergo factis approbatur, quia Domini mater vbique imperiosa est, vbique magnifica, certa cui pronum est sanctos Angelos in ministerium mittere, & ad beneplacitum suum inferorū pacta cassare, his quoque & alijs infiniti numeri beneficijs quæ vel scripta sunt, vel passim iugi sentiuntur effectu, quod & iustis & peccatoribus fideliter inuocantibus se præsto est, & nunquam eis opitulari desistit. Veniant igitur ad eam iusti cū Basilio laudantes ac benedicentes, effectumq; celerē suis sanctis desiderijs postulantes sine dubio percepturi. Veniant peccatores cū Theophilo tundentes sua pectora cum interno fleto, ipsi quoque si verè pœniteāt desideratam veniam adepturi, de quorū numero tibi assistētibus nobis vt subuenire iā & auxiliari digneris implo-

A ramus. O præelecta! ô sancta! ô venerabilis & imperiosa! ô clemens & propitia Domina nostra quò possimus recuperare & habere perpetuam gratiam filij tui Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat vnus Deus in æternum. Amen.

*Sermo de eiusdem Natiuitate Mariæ Virginis.*

FRatres charissimi, in hac die celebramos natalem gloriosæ Dominæ nostræ Mariæ videlicet Redēptoris nostri Matris. Volumus vobis aliquid referre breuiter de natalibus eius, & vita & fine, & adiutorijs quæ ipsa Christianis & iustis & peccatoribus impendere solet. Hæc itaq; nata est de stirpe Abrahæ atque Dauid Regis, quibus à Deo promissio facta est, quod in semine ipsorū
B id est in Christo, benedicēdæ forent omnes tribus terræ. Nata est autem iuxta relationem & scripturas sanctorum Patrum, in ciuitate Nazareth, patre nomine Ioachim ex eadem vrbe oriundo, matre vero Anna nomine oriunda ex ciuitate Bethleem. Vita quorum simplex & recta ante Dominū, apud homines irreprehensibilis & pia erat. Nam omnem substantiam suam trifariè diuidebant, vnā partem templo, & templi seruitoribus impendebant, aliam peregrinis & pauperibus erogabant, tertiā sibi & suæ familiolæ vsibus reseruabant. Ita illi Deo, & hominibus pauperes, annos circiter viginti, castum Domini coniugium, sine liberorum procreatione exercebant. Vouerunt tamen si forte Deus donaret eis sobolem, eam se Domini seruitio mancipaturos. Euolutis ergo tot annorum curriculis missus est Angelus Domini prius ad Ioachim, deinum ad Annā,
C nuncians eis nascituram filiam nomine Mariam, cui similis sāctitate, nec antea nata fuerit, nec postea nasceratur. Factum est itaque iuxta verbum Angeli, nata est in ciuitate Nazareth sanctissima virgo Maria, & māsit ibi tribus annis in paterna domo postea vero sicut parētes illam Deo vouerant, ducta Hierosolymis in tēplo Domini conuersata est vsque ad quartum decimum annū, ieiunijs & orationibus seruiēs die ac nocte, & virginitatem suam vouens, quod ante virgo vlla nō fecerat, Angelicis colloquijs frequenter vtēs, deinde cum esset reuersa ad domum parentum suorum in ciuitatem Nazareth, missus est ad eam Angelus Gabriel à Deo nuncians ei Conceptionem filij Dei. Fuit ergo cōceptus Dei filius in Nazareth, natus in Bethleem. Post natiuita-
D tem vero Christi mansit cum filio vsque ad Passionem crucis, vbi Christus virginem Matrem virgini discipulo Ioanni Apostolo commendauit. Hic ministrauit ei post Passionem & Resurrectionem & Ascensionē Domini in finem. Fuit autē sepulta sanctissima in valle Iosaphat vbi est ædificata Ecclesia in honorem eius, & sanctus Ioannes sepultus est Ephesi. Post vero cum religiosi Christiani, reliquias matris eius videlicet Domini respicere vellent, sepulchrum vacuū inuenerūt: sed & in sepulchro Beati Ioannis respicientes, non inuenerunt nisi manna. Credit itaque Christiana pietas quia Christus Deus Dei filius matrē suā gloriosè resuscitauerit, & exaltauerit super cœlos & quod Beatus Ioannes Virgo & Euangelista, qui ei ministrauit in terra, gloriam eius participare mereatur in cœlo. Est autē ineffabile quā gratiam & gloriam dederit Dominus Matri suæ, hoc
E tamen certo scimus quia iusti quidquid ab eo postulat, per intercessionē matris celerius impetrat, peccatores quoq; sæpius misericordiā sunt cōsecuti: habemus plura exempla de vtrisque, sed ad præsens hæc sufficiant.

*Sermo Domini Fulb. Carnot. Episc. in ortu almæ Virginis Mariæ inuiolatæ,* ex M. S. Bibl. sancti Victoris Paris.

MVtuæ dilectionis amore & sedulę adhortationis nutu à quibusdam Deo sacratissimis & dilectis cogimur de sanctissimi, & vltra quā dici possit dilectę

Virginis, sponsa scilicet & matre Domini Maria aliquã
alloquutionem facere. de ortu videlicet eius, nõ histo-
rialiter texere, sed mysticis exornare laudibus, & bene-
ficiis congratulari, ad cuius tanti mysterij materiã, nec
omnis potest sufficere mundus, si in vnum etiam coeat
ordinem. Erit autem eis inceptum, & executio meritũ
quorum obtentu peruenerit ad portum sine naufragio
remigium. Igitur nimis amabilem, ac salutiferã omni-
bus sæculis, & terricolis Matris veri æternique Regis &
Domini nostri natiuitatem cernua humilitate recẽsen-
tes, & annua orbita recolẽtes solertia, primo tantũ du-
ximus, vtrorũque sexuum collegia, etiam diuinam &
gloriosam festiuitatem quibusdã adhortationibus in-
uitare. Vt dũ vtrarumque partiũ deuoto his sacris fe-
stis nefas duxerit interesse, vna omnium vota capacius
eiusdẽ sacræ Virginis circa se, persentiant adesse iuua-
mina. Est enim ista suscepta festiuitas, non modicis nec
paucis præfulgens mysteriis, aut reliquorum sanctorũ
festiuitatibus coæquanda, sed tantum est excellentior
quantum constat eam omnibus hominibus præferen-
dam, cuius hodie prælucida recitãtur natiuitatis initia.
Ad cuius ergo magnificentiam collaudandã, & gloriã
perferendam tanta valeant exuberare præconia, quan-
tum illi congruit. quæ cũctas super excellit in præemi-
nendo creaturas, & Angelicam diuinitatẽ. Et vbi vsquã
inueniri poterat locus, qui infra se cõcluderet maiesta-
tem coæqualem Patri, auctorem omnium rerum, nisi
vterus Mariæ ante sæcula præscitus; in hunc siquidem
tota diuinitas cum humanitate versata est. Et qui in co-
æqualitate cuncta disponebat cælestia, & terrestria, in
virginea perãgusta sepia venturã & promissã præpara-
bat carnis suæ redemptionẽ. Felix talis partus & ortus,
de cuius substantia assũpta est talis virgo, quæ tolleret
veternas parentum offensas, & releuaret cõcussum or-
bẽ qui sub seuo duri erat hostis dominio. Cuius itaque
partus, vt cẽsemus ad nihil extitit, nisi vt fieret eius sã-
cta pudicitia domus & susceptio filij Altissimi. Ad quid
enim aliud; ergo ne huius castitas aut ante partum, vel
post dignum pignus genitũ, fœdata est aliquo cõtagio;
Hanc enim nulla grauitas aut effœta successio filiorum
fregit, vt solet eis contingere quæ humanã sobolẽ ma-
ternis egerunt visceribus. Felix enim culpa, sed sancta
Coniugalis societas, quæ tale ac tantũ specialeq; vel sin
gulare decus profudit in Orbe: de cõcesso nuptiali con-
tubernio. Denique in huius cõceptione necessaria haud
dubium est quin vtrumque parentẽ viuificus & ardens
Spiritus singulari munere repleuerit, quod quæ ab eis
sanctorum Angelorum custodia seu visitatio numquã
abfuerit. Merito siquidem huius sanctæ Virginis; mul-
tum adeo laudãdi sunt & extollẽdi sanctissimi procrea-
tores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se
præstiterũt, vt nõ immerito de eorũ stirpe prodiret ta-
lis successio, quę fieret & priscis ætatibus & subsequẽ-
tibus exemplum totius bonitatis. Fælix, & præ cæteris
patribus fælicior, qui tãtæ prolis meruit vocitari patra-
tor. Fælix & iam qui non plures, sed vnam promeruit
suscipere natam, quæ vnicum conciperet & proferret
Dei filium. Nec enim decebat vt huius singularis virgi-
nis sanctissimi progenitores fœdarẽtur plurimorũ pro-
pagatione filiorum. qui erant futuri vnicæ Matris Do-
mini prouisores & educatores egregij. Vere beata &
omni veneratione habenda, & quodã priuilegio sacro
prædicanda, mater huius sanctæ, quæ omniũ antecessit
matres in concipiendo & generando eam, quæ suũ &
omniũ generaret Creatorẽ. Gaude & lętare, ô felix, pro
tali filia. quoniam tali dote donata es, qua nulla ante te
vel postea meruit antecelli. Quanta putamus prouisio
fuerit sanctorũ Angelorũ, circa tã Deo gratissimos pa-
rentes, ab initio suæ procreationis. & excubatio super
tã ingentem sobolẽ; Nunquid abfuisse credendus est
Spiritus sanctus ab ista eximia puella, quã sua obũbra-
re disponebat virtute; Nulli enim fidelium dubium est,
quod circa eam omnis frequentia cælestium agminum

A inuigilabat, vt pote quam supra se exaltandam minimè
ambiebant. O nimis superque Beata Virgo, quæ nulli
comparanda est merito, nec coæquanda castitatis titu-
lo! Verè etenim beata illa sæcula, quę ex sacrato vtero te
meruerint excipere suo in tẽpore. Sanè si qui sollicita
mente & studiosa inuestigatione perquirant, cur sãcto-
rũ præcedentium, memoriæ huius præfatæ Virginis tẽ-
poranea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim nõ
exornauerunt, vt ad omniũ notitiam vulgarent; noue-
rint nõ ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni
& admirando huius sacræ puellæ præconio exortura
erat, & ob id si quid ex eius ortu protulerunt, sagaci in-
dustria cælandũ æmulis & infidelibus decreuerunt, ne
inueniret cæca garrulitas perfidorũ vndè maternum si-
num Ecclesiæ verberaret, sua multiplici fallacia. Nã &
B hoc quod leui & subtili relatione, aut forsitan cõscrip-
tione de Matris Domini Natiuitate & infantia eiusdem
Domini persceperunt, ita versuta & argumentosa falla-
cia deturparunt, vt nec vera deinceps à quibusdã Ec-
clesiasticis doctoribus recitentur, quamuis minimè re-
pudiantur. Exstat vero quædã non vsitata relatio, quæ
clarissimi interpretis Hieronymi prænotatur nomine,
referens Beatum Mathæum post editum Euangeliũ or-
tum præfatæ Virginis atque initiamenta puerilia Iesu
Christi, ita obscuris manu propria obsignasse literis He-
braicis, vt nullis infideliũ illud vellet patere superfluis
& mordacibus rictibus, quæ nũc à prælibato interprete
feruntur trãsportata quibusdam obnixè petentibus ad
Latinæ linguæ notitiam. Et quia hæc relatio inter sacræ
scripturæ Canones non habetur inserta, ideo vnanimis
Ecclesiæ conuẽtus in recitando aperte nec omnino eli-
C git, nec non recipiendo reijcit: cum nonnulla reperiã-
tur dicta vel facta, quæ in præfata serie impossibilia vi-
deantur, quæ tamen volentibus & amantibus legere
non denegat fidelium industria. Nobis autem & omni-
bus Ecclesiæ filijs, satis superque sit fides & deuota cre-
dulitas, qua vere eam confitemur Virginem, & in ortu
& in omni sua operatione. Huius namque pater & ma-
ter carnales fuisse feruntur, Ioachim & Anna, quę bene
sibi de nominis interpretatione competunt, Ioachim
quippè præparatio Domini dicitur, Anna vero gratia
Dei interpretatur. In horum duorum nominum inter-
pretatione quid innuitur, nisi gratia quã simul adeptã
sunt; vbi namque poterit esse gratia nisi vbi famulatur
præparatio conscientiæ? & vbi locum habebit prępara-
tio operationis, nisi vbi ante præcesserit Dei largita
gratia? Sic ergo in vnum duæ compactæ gratiæ dispo-
D nente Dei nutu proferunt ex se gratiam non paruam,
profuturam valdè cũctis hominibus: Hæc paucis dicta
de sanctorum parentum digna commemoratione satis
sint. Nunc ad euoluenda ea quæ Christus dederit ve-
niamus. Propterea honorificentissime summi authoris
& creatoris genitricem cum mentis iubilatione reci-
pientes, omni conatu elaborate, vt tanta hodierni diei
iocunditas, dum mundanis excolitur & honoratur ob-
sequijs, hanc interior & pura conscientia iustis & cõ-
sequentibus prosequatur seruitijs. Namque qui piorũ
venerantur sacra merita, quique omnimodis intercessio-
ne optant supernorum agminum festis, sic in præsenti-
bus exerceantur Sanctorum natalitijs, vt non contin-
gat illic eis abesse deinceps, de quorum hic congratu-
lantur triumphis. Quapropter præsenti celebratione,
omnium prudentium Virginum Reginam sedulis ex-
E poscite precibus, quæ principatũ obtinet inter choros
sanctarum Virginum, suo interuentu efficiat possibile
quo sanctæ Ecclesiæ concentus, cum eam humili qua
valet operatione, percolit in terris, demum in lætitia
perenni, de eius vtraque congaudeat sublimatione &
gloria. Ista est enim præcipua festiuitas, in qua omnis
Angelorum militia exultat, in qua Prophetarum pan-
duntur vaticinia, in qua & iam gentilium reserantur
prænuntia scripta, in qua oritur sponsa sine exemplo,
Deo coniuncta, decus suæ casta corporis materia, oritur

liminis

lumen in tenebris, ad exturbandas veterum piaculorum nebulas. Hæc est inquam dies, in qua prælucida stella, imo lumen inseparabile maris, hoc est huius mundi, velut Eous cum decoris amœnitate, ex mortali genitura cunctis qui saluandi sunt illuxit. Hæc est honoranda dies lætitiæ, in qua iuxta mundi qualitates, præparatur vas virgineum, diuinis Charismatibus vt margaritis ineffabiliter ornatum, in quo qualitas Dei mixta homini compaginaretur corporaliter, non secundum propagationē, sed secundum Spiritus sancti operationem. Quis quæso vnquam aut ante hanc Virginem, aut post hanc, in omni terrarum spacio audire valuit, vt factor omnium rerum, possessor cœli & terræ, Rex Regum & Dominus Dominorum, sol iustitiæ, lumen insuperabile, intra virginis se arcta concluderet septa. O magna & admirabilis ipsius Dei distributio, imo miseratio! vt enim Protoplastum parētem & successionem filiorum eius innouaret, quem constat ob hoc editum, vt superbientium Angelorum suppleret numerum & ordinem, non indigne pertulit, intra virginis aluum cœlitus se corporari, vt consocialē formam non secundum diuinæ substantiæ quantitatem vel qualitatem, sed iuxta corporeum incrementum absq; macula peccati sibi compactum eo erigeret vnde & suasor, & ille succubuit, perfida fraudatione præcepti vterque eiectus est. Ecce itaque cuncti qui ad sacram conuenitis virginis natiuitatem, omnes corporeos vobiscum affertis sensus, fortassis & iam non desunt vobis interiores cordis intellectus. Haud dubium enim cum dispertitor suarum virtutum vnumquemque vestrûm suo donauerit dono, qui scit in singulis ita dispertire sua dona & munera prout quisque laborat, vt efficiatur eius habitaculum. Operatur autem hæc, vt ait Apostolus, vnus atque idem Spiritus, qui in cunctis secundum gratiarum rationem spargitur, & in singulis vnice inuenitur. Erigite ergò mentes vestras ad præsentis matris festiuitatem, vt nullum mentis vel corporis domicilium seu iubilatio inueniatur, quæ non tota concrepet in tam præclara procreatione. Congaudeant in hac celebritatē vterque sexus & conditio dominorum seu subiectorum, quia per hanc virginem vtrorumque venit redemptio, scilicet immaculatus Dominus carnaliter prodiēs de illius vtero. Gaudeant senes Deo placentes, quoniam ab aula cœli descendit ille, in eius puellæ viscera, qui nouit non modo animas tantum, verumetiam corpora, ad meliorem iuuentutem referre à veteri ruina, iuxta sententiam Dauidicam, *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*. Imitentur etiam fidem Antiquorum Patrum, ex qua constat illos placuisse Deo, nec à memoria illorum refugiat, quoniam per huius Virginis partum & iam in extrema eorum sorte, cōceditur illis repetitio veræ salutis. Lætentur iuuenes fortes in hac die, quoniam hodie prodijt in hanc lucem Virgo ex cuius secretis natus est iuuenis, speciosus præ natis hominum, de cuius labijs diffusa est omnis gratia perlata per quadripartita mundi climata. Virtutem quoque corporis in animi vigorem transmutent, & per huius sacræ Virginis obtentum suam Christo commendent iuuentutem. Congratulentur etiam pueri & infantes in huius maximè puellæ initio, sua Christo & Mariæ dicantes crescentia membra, quoniam habent puerum castitatis, & puritatis ministrum, & Mariam singularis pudicitiæ, ex cuius vtero sancto Christi infantia est suscepta. Psallant spirituali lætitia in hac die, & illi qui forte exercuerunt dominatum super sæculi negotia, quoniam per Virginem venit Dominus omnium potestatum & Virtutum & Dominationum. Gaudeant subditi, & si quos premit alternum iugum, quoniam quandoque exsoluet filius Virginis, imo Dei, si ei placuerint, iniqua iuga à ceruicibus illorum depellere, ac superiores efficiet eos Dominus suis, & per suæ matris suffragium. Cum ergo ad omnium virorum ætates nostra collocutio atque exhortatio peruenerit, rectum videtur vt ad illum sexum nostra denuò dirigatur oratio, ex quo scimus Dominum carnalia initia sumpsisse.

A Ille enim maledictionis notam primæ Virginis, in benedictionem secundæ transmutauit Virginis, qui ante rerum formam præsciuerat ex eodem sexu suum in fine temporum procreandum fore filium, qui vniuersis omne afferret gaudium. Vere beata collaudanda Dei beneficia, quæ per illum sexum decreuerunt prouenire nostra in tempora, à quo primo terrigenæ propinatum est iniquæ suasionis medicamentum. O Eua tunc infelix! non solum pro inobedientiæ piaculo, verumetiam pro maledictionis titulo, nunc vero fœlix pro immutationis largifluo dono. Lætare tu mater omnium, non solum quia euasisti proscriptionis excidium, sed etiam quia de tua consimili prole profudisti eum in sæculum, qui te tuamque progeniem mortis de compede misericorditer eruit. Insultas denique ei modo qui te dudum suo ve-B nefico suasu infecerat, quia habes tuum plastem siue parentem propitium, qui suo triumpho nobili, procacem exturbauit mi hostis dominatum. Exi nunc ô fallax & inuentor antiqui criminis, à secundo noxio sexu, quia ipse qui sine carnali onere, ab eodem pullulauit ordine, suam hodie genitricem, istam fecit prodire in lucem. Terreat te procul secundæ Virginis de cœlo collapsa benedictio, qui lætatus es in primæ virginis opprobrio. Namque qui gaudebas in articulo conditionis humanæ, primos à suo fœlici incolatu exturbasse colonos, nunc à secundo homine filio Virginis æterna exultatione nexus es. Quocirca habentes ob oculos sacratissimæ Virginis sanctissimam diei venerationem, non in mūda-C nis lætitijs exercere corda vestra, sed totum mentis ingenium figite in præclaræ virginis superna illa facta, in quibus diuina laude ab Angelis festiuis honoratur seruitijs. Procurate Principem vestram festiuis vt valetis laudibus, & benignis operibus prosequi, vt possitis cum ea absque coruscantium defectione lampadarum, *Agnū sequi quocunque ierit*. Hodie primiceria & ductrix Virginum à sanctis Prophetis vaticinata oritur, congratulentur ei cunctæ virgines, quia nascitur pudica puella, quæ amatorem peperit integræ castitatis. Fœlices illæ, quæ sine cognitionis ludibrio, tam mirificam Dei Genitricem, quantum in ipsis est, prosecutæ fuerint puritatis cōnexcio. Ergo quia gaudenter suscipitis eius ortum, ad cuius vos non hæsitatis pertinere colloquium, satagite vos ita D exercere in cœlestibus negotijs, vt post exuperatos caducæ pestis labores, dum ventum fuerit ad præoptatū diuinæ portæ spectaculum, pulsantes non repudiemini, sicut de ineptis virginibus dicitur, quæ à sponso reprobatæ sunt propter suam inertiam, dum in vasis suis habere oleum, hoc est, bona opera neglexere: sed potius cum ipso ad cœlestia palatia simul, & cum beata genitrice eius progredi valeatis. Cum igitur ista solemnitas omnibus fidelibus congrua ab omnium conuenticulis Catholicorum debito honore prosequatur, præcipue tunc à sacris virginibus valde prosequenda est, & percolenda, quia hodie decus prudentum virginum, flos campi idem sanctæ Ecclesiæ, quæ preciosissimis impletur margaritis, ex lilio conuallium, idem humilium hominum processit ad ortum. Gaudete per omnem modum omnes virgines, quæ vos tam sancto & prælucido dono Dei ditatas E fore cognoscitis, sperate in ea, quæ huius doni compos effecta est, & ante partum & post parturitionem. Magnificate eam indefessa morum exhibitione, quoniam pro perseuerantia virginis, cum tympanis exultationis & lætitiæ, coram præsentia matris Domini, quia in sydereis cubilibus habebitis cum ea gratulari, si cœptam animi corporisque integritatem sincera probitate seruaueritis. Hilares estote & vos puellæ æuo teneræ, quia habetis & vos puellam Angelorum Dominam quasi primis auspicijs nunc pubescentem. Aduocate Angelos ad custodiam puritatis vestræ, quia ipsa in tenera sorte mundialiter posita, cum regina ipsorum etiam futura secum eorū suffragia, sedula oratione contrahebat. Lætamini etiam vos iam maturæ virgines, & quæ forte iam ad aniles metas peruenistis, quia pro longæua perseuerātia ve-

ſtra, non ſolum pollicita præmia, verum laudem egregiam cum præſenti ·caprahitis apud cœleſtem auctorem. Ne ſubſtrahatis vos à præfatæ matris iubilatione coniugatæ, & coniugali iugo ſubnexæ, quoniam qui ſuæ matri, & omnibus piis virginibus contribuit integritatis palmã, ipſe vos naturali fœdere mutua copulatione iunxit, quo decentem & genuinum ſeruantes modum caſtitatia filios procreetis. Nec enim multum longè à caſtitatis munere aberitis, ſi filios non pro appetitione libidinis, ſed pro amore ſucceſſionis educatis. Ne deſperetis, ô viri vel fœminæ, quocumque modo carnaliter corrupti, quoniam illa cœleſtis manſio, non de virgineo tantum ordine, ſed & de quibuſdam non ſolum iuſtis, ſed & publicanis, & ante peccatoribus impletur. Quantoque vos conſpicitis apud maieſtatem Domini noxios exiſtere, eo amplius reſpirate ad genitricem Domini plenam miſericordiæ, habetis apud Patrem aduocatum ipſum filium virginis, & ipſe propitiabitur peccatis veſtris tantum, vt veniam de ipſo ac matre eius ſperetis, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus. Per omnia ſæculorum. Amen.

*In natale tuo nobis pia mater adeſto,*
*Virtutes augens, culparum pondera delens.*

### *Fulberti Epiſc. Carnotenſis Sermo contra Iudæos.*

FIlij Iudæorum dicunt, non eſt mirum ſi modo captiui ſumus, ſi Hieruſalem non tenentes regem proprium non habemus: fuimus enim ſimiliter pro peccatis noſtris in Babylone captiui, regem proprium non habentes, & poſtea reuerſi in patriam habuimus reges, & principes. Hæc eſt ergo ſpes noſtra, vt adhuc nobis ſimiliter eueniat cum placuerit Deo. Alij dicunt, forſitã in aliqua parte mundi nobis incognita poteſt eſſe congregata multitudo Iudęorum, quæ habeat proprium regem, ideoque non ablatum adhuc eſt ſceptrum de Iuda. Alij dicunt eſſe in regionibus Iudæos prudentes atq; potentes, qui virga directionis optimè gubernant domos & familias ſuas, ideoq; non eſſe ablatum ſceptrum de Iuda. Quibus nos primo reſpondemus, quoniam ſi ita accipienda eſt prophetia illa ſicut illi dicũt, neq; venit Meſſias, neque venturus eſt, donec omnes Iudæi patres familias vel mortui ſint, vel ita impotentes, vt nullus eorum ſit in mundo, qui ſciat vel poſſit regere domum ſuã, quod quia futurum non eſt, vſque ad illum diem qui eſt finis omnium mortalium, nec Meſſias ante veniet: quod ſi ita eſt, ad quid putamus Meſſias vltimo die vt veniat, quã vt eos omnes ſepeliat mortuos, quos ſanaturus ſperabatur infirmos? Hæccine erat expectatio gentium! quod non debent ſceptrum Iuda tam commune facere, nec tot reges quot patres familias in ſua gente numerare, nuſquam ante factum, neq; Patriarcham ſuum ita delirum fingere, vt grandæuus ſenex mox moriturus magnas nugas cum magno conatu prolaturus diceret, Cõgregamini filij, & cætera. Item ſi Prophetia illa ſic intelligẽda eſt, quid prophetauit ille Patriarcha ſuis Hebæis, quod prophetare non poſſet quilibet Gentilis cæteris Paganis? neq; enim defuturi erant eis patres familias vſq; ad finẽ. Item qui ſic exponit, regni maieſtatem minuit, Prophetiæ derogat, certum de aduentu Chriſti ſignum mandat, niſi bonorum omnium interitum. Aliter nos primo reſpondemus, quia malè interpretantur Prophetiam hanc, ſingulariter enim enunciatum ſceptrum regni, pluraliter exponendo, in baculos priuatorum diſſipant. Sicq; adultera ſceptra ſanctum & plenum Deo Prophetam, vt fatuum & delirum ſenem reputari cõpellũt. Quid enim Iſraël prophetaſſe videretur ſuis Hebræis, quod prophetare non poſſet quilibet Græcus, Latinus, aut Barbarus Genti ſuæ? Sequens profecto ſicut primus planè ſatagit, vt ſalutem perpetualiter aduentus Chriſti effugere poſſit. Si ſciret vſpiam eſſe regem ex Iudæis, negabit veniſſe Chriſtum, quia non putabit ablatum eſſe ſceptrum de

A Iuda, ſi neſcierit tantumdem valebit, quia licet neſciat, vbi tamen credet eſſe alicubi, ideo Chriſtum non veniſſe credet. Nos vero ita reſpondere volumus vt demonſtremus quod ei nil proſit, ad negandum aduentũ Chriſti, ſiue vnum regem, ſiue plures oſtendat de genere Iudæorum qui non ſunt reges Iuda. Quod cum demõſtratum fuerit, de his qui alicubi ſunt ſi forte monſtrentur, ſuperuacaneum videbitur agere. Tria ergo ſunt, ſine quibus regnum eſſe non poteſt, terra videlicet, in qua regnum ſit: populus, qui terram ipſam inhabitet: & perſona regis electi, qui terram vindicet, & populum regat. Terra autem regni de quo agimus eſt prouincia Hieroſolymitana, quæ dicitur terra Ioda. Populus huius terræ fuit tribus Iuda. Reges eius vſque ad Chriſtum omnes de tribu Iuda. Sicut ergo domus conſtat partibus ſuis, id eſt terra Iuda, & rege de tribu Iuda, & ſicut non eſt do-

B mus ſi deſit fundamentum, aut parietes aut recta, ita non eſt regnum ſi deſit terra, aut populus, aut Rex. Vbi enim pars deeſt, totum eſſe neceſſe non poteſt. Et vbi totum eſt partes quoq; omnes eſſe eſt. Si ergo perdita vna parte, totum nõ eſt, quantò magis omnibus perditis, quod ad nihilum redactũ eſt. Regnum autem Iuda terra ſua caruit, ex quo ipſa terra in manus alienigenarum venit. Populo caruit, poſtquam tribus Iuda in omnes nationes diſperſa eſt. Rege vero diu ante caruerat. Sic regnum Iuda omnibus partibus ſuis dimiſſis regnum eſſe deſijt. Eſt igitur ex tunc ablatum plane ſceptrum de Iudá, & declaratũ, quia Chriſtus venit. Si ergo conſtituas, vel mendoſè fingas, vnum Iudæum, verbigratia Mardocheũ in Babylonia regem, vel certe in Samaria, vbi decem tribus Iudæorũ habitabant, habentes proprium regem, qui dicebatur rex Iſraël, non erit tamẽ rex Iuda, ſed rex Iſraël, vel Babyloniæ, ad quos nullum reſpectum habet Prophetia, quæ dicit, *nõ auferetur ſceptrũ de Iuda.* Rurſus regum Iuda cau-

C ſa effectiua erant ſacerdotes qui vngebant eos in reges. Populus autem Iudæorum ſacerdotes cum loco ſacrificandi perdidit: regnum igitur ac ſceptrum indubitanter amiſit; vbi enim effectiua cauſa non eſt, effectus qui ex ea naſcatur, eſſe nullatenus poteſt.

### *Idem Sermo contra Iudæos.*

COntra errores infidelium aliqua neceſſaria dicere volentes, mox à Iudæis incipimus. Ipſi ergo nobis Catholicis in eo ſe conſentire dicunt, quod vnum Dominum colimus omnium Creatorem. Diſſentiunt autem in his, quod Trinitatem perſonarum in vnitate Deitatis non agnoſcunt, & quod Chriſtum negant Deum eſſe, & quod eum nondum veniſſe dicunt. Nos autem ab hac vltima parte contradicere inchoantes gradatim veniamus ad ſummam. Chriſtum veniſſe probant innumerabilia. De quibus vnum eſt vaticinium Patriarchæ Iacob, & legiſlatoris Moyſi, qui certum ſignum aduentus oſtenderunt in ſceptro regni Iuda, dicẽtes. *Nõ auferetur ſcep-*

D *trũ de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Hanc autem Prophetiam idcirco ducibus viris ſimul adſcribimus, quia vnus illorum protulit, eam alter retulit, ac ſcribendo corroborauit. At ille qui protulit eam, id eſt ſanctus Patriarcha Iacob, erat tũc aduena & peregrin⁹ in Ægypto, cum filijs ſuis, nihilque de regia dignitate pertinere videbatur ad eos niſi promiſſio tantũ perficienda poſteris ipſorum ad nos. Præuidebat tamen ille vir ſpiritalis, tale quoddam regnum eſſe futurum de genere ſuo, quale in Exodo legimus dicẽte Domino ad filios ipſius. *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactũ meum, eritis mihi in peculiũ de cũctis populis. Mea eſt enim omnis terra, & vos mihi eritis in regnũ Sacerdotale.* Sacerdotale igitur regnũ præuidebat, in quo ſolo ſacrificaretur Deo, & tale quod ſine ſacerdocio ſubſiſtere non poſſet. Cuius regni locum cõmendat Moſes in Deuteronomio dicẽs, *Caue ne offeras hoſtiã tuã in omni loco quẽ videris, ſed in eo quẽ elegerit Dominus in vna tribuũ tuarum.* Et de iam facta electione

tribus &

& loci, canit Rex Dei Psaltes dicẽs. *Repulit tabernaculum Ioseph & tribũ Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* De hoc itaque vaticinans Patriarcha, & pro fine eius aduentum Messiæ significans, breuiter loquebatur dicẽs. *Nõ auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, sed sensus istius Prophetiæ sic accipiẽdus est, ac si paulo pluribus verbis explicaretur hoc modo. Domus Iuda quæ nũc modica est & peregrina, crescet olim in populum magnũ, & habebit in terra promissionis Dominicæ Patriam suã & Reges siue Duces ex genere suo. Nec tolletur postea regimen siue dominatio ipsius populi, de manu sui generis. Ita vt transmutetur in manu alieni Rectoris donec veniat Christus. Cum ergo videritis, ô Iudæi, sceptrum Iuda in B manu Regis alienigenæ transmutatum, hoc certo signo Christum venisse cognoscite. Nec expectetis vlterius temporale regnum quod transijt, sed gaudete perpetualiter conregnare Christo qui venit. Huius itaque Prophetiæ veritatem effectus rerum euidenter est consecutus. Postquam enim Deus in terra promissionis, elegit sibi locũ regni sacerdotalis, sicut præscripserat Moyses, & sic Dauid postea factum esse cecinit, non fuit in forte tribus Iuda rector, nisi de genere legitimo vsque ad tempus Herodis alienigenæ, qui post Hircanum regnauit Hierosolymis sub Cæsare Augusto. Quo tempore natus est Dominus Iesus in Bethleem Iudæ. Sed ex illo tempore ablatũ est sceptrum de Iuda temporale, & dux de fœmore eius. Ex tunc igitur Prophetica veritate constat, venisse Christum qui regnaturus erat in æternum. C Christũ etiã demõstrat venisse cessatio veteris sacrificij facta in aduentu eius, sicut Prophetauerat Malachias his verbis. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiã de manibus vestris, quia ab Oriente sole, vsq; ad Occidentem, nomen meum clarũ factũ est in gentibus, in omni loco offertur nomini meo sacrificium mundum, quoniam magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens* Huic Prophetiæ aliorũ abũdè præsagia cõsonabant. Sed cũ Iudæi nullatenus eis adquiescere vellẽt, sed sẽper inhiarẽt iugulare victimas, & comedere carnes, cõpescuit Dominus superstitionẽ ipsorũ magna vi, extrudens eos de loco regni, in quo solo, & nũquam alibi sacrificare concesserat eis lex. Sicque tandem persenserunt inuiti, verum esse præsagium defuncti sacerdotij D sui, cum neque extra haberent sacrificandi licentiam, nec intra sua quondam mœnia facultatem. Transacto itaque veteri sacerdotio, quod ad tempus fuerat institutum, successit nouum atque sempiternum Christi sacerdotium, de quo Psalmista prædixerat *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Mutatio quoque legis Christum venisse demonstrat, quæ facta est ipso veniente, sicut supra dixerat diuinus Esaïas his verbis *Erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini, præparatus in cacumine montium, & exaltabitur super colles: & venient ad eum vniuersi gentes & dicent, venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & annuntiabit vobis viam salutis, & ingrediemur in ea. Ex Sion enim prodiet lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Quis autẽ adeo rudis, vt nõ intelli- E gat in his verbis mõtẽ eleuatũ super mõtes, Christũ esse regẽ super Principes? In huius ergo regis aduẽtu videbat Propheta legẽ exituram esse, non de mõte Sina, ad erudiendã vnã gentẽ sicut prius, sed de mõte Sion ad docẽdas gentes, sicut nunc factum esse videmus. Vetus autem lex quinquagesimo die post immolationem Paschalis Agni data est Moysi, noua lex quinquagesimo die post occisionem & resurrectionem veri Agni, sanctis Apostolis inspirata est, de qua lege dicit etiam sanctus Hieremias. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & confirmabo super domum Iacob Testamentum nouum, nõ secundum Testamentum quod constitui patribus, in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti, & cætera.* Quoniã igitur in aduẽtũ Christi nouã legem ab ipso ferendã esse

A Prophetæ prædixerant, & ipsa iamdudũ prolata est, legislatorem quoq; Christum prius venisse manifestum est. Sanctissimus quoque Daniel non solum venisse Christum, verumetiam tempus vnctionis & passionis eius, & finem sacerdotij perpetuamq; desolationem Iudæorum computando, demonstrat in persona Gabrielis Archangeli, ad se loquentis his verbis, *Septuaginta Hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum meum & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & vngatur sanctus sanctorum* Et paulo post, *Occidetur*, inquit, *Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est.* Itẽ paulo post, *Et in dimidio Hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, &* B *in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio* Huius ergo prophetiæ cõpẽdiũ est, quantũ ad præsentem ratione pertinet, quod in Hebdomada septuagesima vngẽdus & occidendus esset Christus, & vetus sacerdotiũ defecturũ Hæc autẽ Hebdomada euoluebatur, perpetuaque desolatio secutura erat, Imperãte Tiberio successore Augusti, quãdo baptizatus & fuerit crucifixus Iesus Dominus. Ex tunc igitur Prophetica veritate non solum venisse Christum, sed etiam vnctum esse constat, & passum, vetusq; sacrificium defecisse desolatione secuta Item Christũ venisse, & quis esset Christus indicauit olim forma humilitatis eius ac passionis à multis vatibus particulatim descripta, & in solo Iesu Domino nostro tota simul inuenta. Nos autem verbi gratia partem descriptionis illius subC iicimus, sicut est quod in Bethleem nasci dignatus est, iuxta Prophetiam Micheæ. Quod super asinum sedens venit Hierosolymam, & in tempore passionis veste rubea indutus est. *Et sicut ouis ad occisionem ductus est & cum iniquis reputatus est*, sicut deplorauerat Isaias. *Quod triginta argenteis venũdatus est, ac spinis coronatus & lapide occlusus est*, fuerat Ieremias, vt lamentatus, *transfixis palmis ac pedibus, felle & aceto potatus est, & diuiserunt vestimẽta eius, & super tunicam eius missa est sors, & ipse collocatus in obscuris sicut mortui sæculi*, testante Dauid, *quod cæsus est & consputus, & lancea vulneratus*, dolẽre Iob Talis itaq; descriptio Prophetarũ de humilitate & Passi. Christi, quoniã in solo Iesu Christo Domino nostro tota inuẽta est, non solũ venisse Christũ, sed ipsum solum verũ esse Christũ ostendit. Item Christum venisse, & quis esset D Christus olim præsens indicatio contemporalium sibi vatũ ostendit, velut Zachariæ & Elisabeth, Simeonis & Annæ, quorum gesta seu vaticinia nota sunt, & Ioannis Baptistæ dicentis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quando enim isti Dominũ Iesũ personaliter indicarunt, non modo venisse Christũ, sed quis esset Christus sine dubio ostenderũt. Item signa vel miracula, quæ in natiuitate & Baptismo & Passione Domini nostri Iesu quasi extrinsecus, sed tamen diuinitus facta sunt, non modo venisse Christum, sed ipsum vere esse declarauerunt, sicut visiones Angelorum lætantium in natiuitate eius, sicut stella noua rutilans, ad indicium eius, sicut Magi cum muneribus venientes ad cunabula eius, quæ miracula sic turbauerunt Regem abusiuum, vt in æmu- E lationem Christi nati coæuorum eius infantium crudelissimam stragem ederet. Præterea sicut tonitruum paternæ vocis, & Spiritus sancti columbina species in Baptismo eius, & sicut quando sol obscuratus est, & terra tremuit, & velum templi scissum est in occisione eius. Super hæc omnia Christum venisse demonstrant opera & sermones eius, de quibus ipse confutabat olim incredulitatẽ Iudæorũ dicẽs. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et de quibus corroborabat inter alios fidẽ discipulorum Ioãnis Baptistæ dicẽs. *Hæc dicite Ioanni quæ audistis & vidistis Cæci vidẽt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt pauperes euangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me* Hæc enim & alia multa facturum esse Christum Prophetæ prædixerant. Quæ omnia

quoniam à Domino nostro Iesu Christo fieri videbantur, ipsum verè Christum esse probabant. Cætera verò Christi aduentus argumenta sicut est, *quod in omnem terram exiuit sonus Apostolorū, & quod in ipso benedices videntur omnes trib° terræ*, & alia innumerabilia sponte prætereimus, quia satis copiosè quod propositum fuerat demōstrauimus, id est Christū tēpore suo venisse. Nec habet Iudæus quid hiscere contra. Nā si dixerit sceptrum de Iuda esse ablatum, perspicuè falsum est, quia circiter annos mille dispersa est tribus Iuda in omnes ventos, & locum regni Sacerdotalis alieni possident. Quod si dixerit sacerdotium eius non esse defunctum, mētitur planè, quia nec extra Hierusalem habet sacrificandi licentiam, nec intra facultatem. At si dixerit testamentum non esse finitum, & hoc præcipue falsum est, quia sine sanguine sacrificij non stat ius veteris testamenti. Si dixerit numerum sancti Danielis, in tempore supradicto, non fuisse completum, hoc quoque falsum esse rationes Chronicorum facile probant. Si dixerit illum non esse Christum, cui superius relata descriptio conuenit, cum testimonio Prophetarum, tum etiam eo falsus esse probatur, quod nullus est alius cui conuenire possit. Si nouis & iudicibus Prophetis obgannire tērsuerit, refellunt eum veteres & circum fulgentia signorum miracula. Si autem miracula Natiuitatis, & cætera facta fuisse non credit, arguit eum innocentium cædes, & historiæ multæ. Magnifica vero Christi opera obumbrare non valet, quia literarum, ædificiorum & alijs signis impressa, vel expressa sunt vt sine ruina mundi dispatere non possint. Tanta igitur ratione conuictus, tantisque sanctorum testimonijs confutatus Iudæus, si legali & Propheticæ autoritati non acquiescit, extra synagogam eijciendus est. Hactenus expedito, quia venit Christus & quādo, & quis sit, ab hinc quia verus Deus est ingrediamur ostendere. Hoc ergo primum ponimus, Christum super omnes homines alijs excellere, sua quædam gloriosa propria manifestant, à Prophetis exposita, velut hoc quia est homo de virgine natus, Esaia teste, *Et Christus est homo sine adiutorio inter mortuos liber*, teste Dauid. Nec enim aliud, hominem Virgo mater peperit, nec alius virtute sua liber à mortuis resurrexit. Deinde vero sunt alia Christi propria quibus omnem supereminet creaturam, sicut illud ab Esaia cum admiratione prolatum. *Domine quis credidit auditui nostro & brachiū Domini cui, reuelatum est?* & illud Dauidicū, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genuite*. Neque enim Angelus neque alia creatura Dei brachium est, aut in æterno die naturalis Dei filius est. De qua filiatione vel generatione diuina satis extat copiosa Theologorum authoritas; vnde Rex mirè sapiens subtilissimam quæstionem proponebat dicēs, *quis ascendit in cælū atque descendit? quis continuit spiritū in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimēto? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen filij eius si nosti?* Ex his ergo proprijs supradictis quæ Christum à creatura separant, fit pro ratione demōstratio diuinitatis eius hoc modo. Quidquid est, aut creator, aut creatura: proinde quod est, si creatura non est, creator est. Cum ergo Christus sit Dei brachium, quod creatura non est, sine dubio creator est. Item filius naturalis, etsi numero differt à patre suo quoniam alter est, naturali tamen definitione patri suo vnum idemque est. At Christus Dei filius naturalis est. Christus igitur idem quod Pater, id est Deus est. Liquet igitur Christum quia Dei brachium est Dominum esse, & quia Dei filius est esse Deum. Præter hæc denique sunt vaticinia quædam de Christi diuinitate sic aperta, vt in eorum tractatu nō sit opus vti ratiocinatione. Quoniam euidenter illum ipso nomine Dominum clamant cum laudibus Deo dignis, quamuis non sine commemoratione humanitatis eius, qua sit Deus verus, & homo simul esse credatur. De quibus illud Dauidicū. *Sedes tua Deus in sæculū sæculi, & cætera* Et illud Esaiæ, *paruulus natus est nobis, fili° datus est nobis, vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, De° fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperiū & pacis nō erit finis* Vbi in his verbis Esaiæ cauenda est falsa Iudæorum interpretatio, qua vaticinium illud ad Ezechiæ nomen inflectere laborant, quando cum Christianis simplicibus altercantur: falsa, certè, quia non habetur scriptum in Hebraico, & vocabitur nomen eius Ezechias, quod interpretatur fortis Domini, sed vocabitur nomen eius El gibor, quod interpretatur Deus fortis, quod nomen, id est, El, soli Deo conuenit, & non Ezechiæ, cui nec cætera quæ sequuntur conuenire possunt. Cæterum in vaticinio Dauid, simul cum diuinitate Christi, diligenter attendenda est distinctio Patris, Filij, & Spiritus sancti Cum enim dicitur, *sedes tua Deus in sæculū sæculi, virga directionis, virga regni tui, dilexisti iustitiam & odisti iniquitatē*, ad filium Domini loquitur. Cū dicit *propterea vnxit te Deus, Deus tuus*, de Deo Patre loquitur. Cum vero subiungit. *oleo lætitiæ*, Spiritum sanctum significat, nihilominus Deum, vt loco suo demonstrabitur.

*Sermo contra Iudæos.*

MAgna dissensio est inter filios hominum cum de multis alijs, tum etiā de confessione fidei. Quod videns Apostolus dicebat, *nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gētibus autē stultitiā, ipsis autē vocatis Iudæis atque Græcis Dei virtutem & Dei sapientiam.* Non solum autem Gentiles & Iudæi, sed & ipsi quidem qui se Christianos appellari volunt, nimiam habent inter se differentiam. Cum alij eorum Catholici sint, alij hæretici multis modis. Ego vero Fulbertus qui pono talia, licet peccator & indignus Episcopus, tamen quia vel fide Catholicum me esse desidero, atque profiteor, gratia Dei volo, alijs quibus potero de mea fide & suo errore aliquam portiunculam reddere rationis eius, quæ in me satis est & copiosè. Et primum quidem Iudæis. Hi ergo nobis consentire dicunt. In hoc vnum Deum confitemur omnium creatorem. Dissentiunt autem de multis, sed periculosius ferè de his, quod Trinitatem personarum in vnitate diuinitatis non agnoscunt, & quod Christum Deum esse negant, vel quod nondum venisse dicunt. Qui tamen de hoc vltimo siue tertio, eos rationabiliter conuincere puto, quod non habeat postea multum laborare de cæteris Probato enim quia venit Christus, ipse poterit deinceps intimare quærenti Iudæo, quid sentire de cæteris vel, quid facere debeat. Iam ergo incipiamus. Christum venisse probat impleta Prophetia, quam scripserat Moyses in hæc verba. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittēd° est, & ipse erit expectatio gentium* Non est enim ablatū regimen tribus Iuda de manu sui generis, & transpositum in manus regum alienigenarū vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, quem nos Catholici Christiani suscepimus: est autem ex tunc reuera ablatum sceptrum de Iuda, & transpositum in manus extraneas, eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Ex tunc igitur authoritate Prophetica patet, venisse illum qui mittendus erat, id est Christum. Ecce propositionem nostram succinctè cōclusimus, nunc ad approbationem ipsius historicam veritatem breuiter attingamus. Demonstrantes quales Iudæorum populus de genere suo rectores habuerit, quādo amiserit, & quomodo sibi oblatio regiminis & aduentus Messiæ concurrerint in diebus Herodis. Igitur post Moysem, qui prophetiam hanc protulit & Iesum successorem eius, Rectores habuit populus Iudaïcus de genere suo, qui Iudices appellati sunt vsque ad tempus Samuelis prophetæ. Deinde qui Reges appellati sunt, similiter de genere suo, Saülem, Dauid & plures alios vsque ad transmigrationem Babylonis. In ipsa quoque transmigratione non defuerunt illi de genere suo rectores & consolatores Deo pleni, & ipsis Regibus excellentiores, sicut Ieremias & Daniel prophetæ. Post reditum de

Babylone

Babylone fuerunt illi similiter de genere suo bene disciplinata regimina Pontificum vsque ad Aristobuli tempus, qui Pontifex Iudaici populi similites de genete suo, & rex vltimus fuit. Hunc autem Aristobulum expugnata Hierosolyma vinctum cum liberis Romā misit Pompeius Romanorum Dux, Hircano fratri eius Pontificatum relinquens. Omnem vero Iudæorum gentem ex tunc Romano Imperio tributariam fecit, nec multo post Hircano à Parthis capto, qui Iudæorum vltimus Pontifex per legitimam successionem generis fuit, Herodes primos ex alieno genere Rex Iudæorum factus est per Senatus Consultum Imperante Augusto. Quo tempore Christus secundum Prophetiæ fidem in Bethleem natus est. Hactenus ergo, id est vsq; ad regnum Herodis, & non postea rectores habuit legitimè populus Iudaicus de genere suo: regno namque Iudæorum disrupto atque mutato, Sacerdotiū quoque disruptū atque mutatū est. Herodes enim postquam regnum Iudæorum à Romanis accepit, antiquo iure, hoc est per legitimam successionem generis non constituebat Pontifices, sed promiscuè quibusque ignobilibus sacerdotia promittebat ad tempus. Sacra quoque veste summi Pontificis sub signaculo clausa, nusquam vsum eius Pontificibus permittebat. Hunc ergo peruersum morem tenuit post ipsum Archelaüs successor eius. Hunc deinceps tenuere Romani præpositi, donec tandem post Passionem Christi destructa Hierosolyma & dispersa gente Iudæorum, neque ciuitas illis, neque Rex, neque Pōtifex, neque populus fuit. Et ista desolatio iugis facta est vsque in hodiernum diem. Si ergo hæc ita sunt, imo quia ita sunt, quod ex Prophetia concluseramus, per historiam consequenter approbauimus, id est ex tempore quo regimen de Iuda ablatum est, & princeps de fœmore eius, venisse Messiam. Nunc si habent Iudæi quid contra murmurent, audiatur. Hic solent autem trifariam verba dare contra rationem istam, quidam ex eis Iudæi. Primum non credimus, inquiunt, venisse Christum, quia virgā regiminis Iuda non putamus ablatam. Sunt enim in multis regionibus Iudæi locupletes & ingeniosi qui regant strenuè familias suas, & quia tales rectores adbuc esse videmus, dicimus, nondum esse ablatum sceptrum de Iuda, neque venisse Christum adhuc. Potest eos quiuis iocosa vrbanitate deludere, simulq; ratione confutare hoc modo. O Iudæi fœlices infortunio! si est verum quod dicitis, numquid non ille vos copiose mireuè beauit, qui vos pessundedit atque dissipauit, si cum in patria vnum regem amiseritis, nunc in exilio tam multa regum millia vel inuenistis, vel recuperastis? Sed nullus eorum chrismate legali vel spirituali vnctus est, nullū populus sequitur, nec ipse populo præest, quapropter nullus eorum neq; Rex, neque Pontifex, neq; Propheta, neque Dux tribus Iudæ vel est, vel certè appellari potest. Vnde.n causæ effectiuæ desunt, ibi effectus illarum esse minime possunt. O igitur dolor vel risus, contra stultam atque infœlicem sortem partis Iudæorum, qui cum insolenter & inconfessè regimen suum putant in turbā mittere, & applaudere sibi de multitudine regum, nullū rectorem penitus cōprobantur habere. Sufficere possit ista ratio quā diximus, ad confutationē primæ partis. Sed quia bonæ causę satis nobis rationes abūdant, non pigeat illos iteratò per impossibile oppugnare, hoc modo. Prophetia de qua nūc agimus, aut respicit ad tales reges, id est rusticos, siue priuatos, aut minimè. At si respicit, & propter illorum præsentem existentiam in hac vita, constat inter vos nōdum venisse Christū, propterea idem constabit numquā esse venturum donec omnes ita deleti sint, vt nullus eorum sit in mundo qui regat familiam suam, hoc autem quando erit? nisi in consummatione sæculi, cum defunctis omnibus nullus erit iam neque pœnitentiæ, neque veniæ locus: & quid putabimus, vt tunc veniat Messias nisi mortuos sepelire? Hæccine ergo erit expectatio gentium? itane promissa Prophetia redigetur ad nihilum? Absit: impossibile est enim mentiri Deum qui certo

misit certo termino ante finem sæculi, Christum suum
A ad saluandum genus humanum mittere. Falsi sunt igitur illi, qui dicunt Prophetiam hanc ad finē talium rectorum respicere, quales certum est, vsque in finem sæculi perdurare. His ita refutatis de hac obiectione refutati Iudæi transeunt ad alteram dicentes: Non credimus venisse Christum, quia sceptrum de Iuda non putamus ablatum. Qui scit enim vtrum in aliqua parte mundi sit congregata multitudo Iudæorum, quæ regem vnctum atque sacratum habeat super se de genere suo? Ad hoc respondemus, quod nullus vtrinque nostrum scit, nec audiuit in diebus nostris Iudæum regem in vlla regione mundi regnare, sed tamen si aliquis Iudæus regnaret in Iudæa, nunc nihilominus ablatum esset sceptrum de Iuda. Per se enim regnum Iuda diuisum est ab alijs regnis, cōstans propria regione, quæ dicitur terra Iuda, & Ben-
B iamin, proprio rege qui de tribu Iuda. Et sicut domus quælibet proprijs partibus constat, id est fundamento, parietibus & tecto, quarum si vna defuerit, domus esse non possit, ita regnum Iuda partibus supradictis. Nam siue patria, siue populus, siue rex desit, regnum esse non possit. Vbi enim pars deest, totum esse non potest, & cōtra vbi totum est, partes quoque esse necesse est. Quod si vna parte pereunte nomen totius perit, quanto magis cunctis pereuntibus totum non subsistit? Regnum autem Iuda terram suam perdidit, quando ipsa in manus extraneas venit, populo caruit, postquam in omnes nationes dispersus est populus. Rege vero legitimo longe ante caruerat, sicque regnum Iuda, omnibus partibus suis amissis, regnum esse desiuit. Manifestum est igitur,
C & ad extranea regna nihil pertinere sceptrum de Iuda, & de suo iure esse ablatum. Quod si quis stultus putet esse, vel dici regnum Iuda, vbicunque regnat Iudæus super Iudæos, refellitur & re & scriptura. Nam cum regnarent duo reges super gentē Iudæorū, vnus in Hierusalem super duas tribus, & alter in Samaria super decem tribus, ille tantū vocabatur, & erat Rex Iuda qui regnabat in Hierusalem. Ille denique Rex Israël, qui regnabat in Samaria. Sic ergo sceptrum Iuda non pertinet ad illū, qui decem tribubus Iudæorum præest in Samaria, multo minus pertinebit ad illum, qui mendosè fingitur rex esse aliquot Iud. in India. Dicamus iterum. Rex Iuda est vir oriundus de tribu Iuda electus, & à legitimo sacerdote sacro Charismate vnctus ad regendum populū, qui habitat in terra Iuda. Omnis autem Rex extraneus ab
D hac definitione alienus est. Nullus igitur ipsorum Rex Iuda est. Non enim possunt habere cōmunem essentiam quæ non habent cōmunem definitionem. Porro conclusionem hanc altera consequitur, hoc modo. Nam si de tribu Iuda legitime Rex esse non poterat, nisi quem sacerdos ipse quoque vnctus atque sacratus, legitima vnctione sacraret. Sacerdos autem in gente Iudæorum non fuit, postquam Chrisma perdiderunt, & exulauerunt de loco, in quo solo eis sacrificare licebat, postquā sacerdotes qui reges vnxerunt non extiterunt, nec reges quidē existere potuerunt. Vbi enim causæ effectiuæ desunt, effectus earum minime esse possunt. Concluditur itaque non solum de Iuda sceptrum ablatum, sed ne regē quidem ibi postea fieri potuisse. Nunc veniamus ad tertiū. Nam est nobis, inquiunt, tanti signi, quod exules sumus
E nunc & sine rege id est principe, vt propterea credamus venisse Messiam. Fuimus enim similiter in Babylone, nō tamen vllo modo venit Messias, sed postea reuersi Hierosolymam habuimus regnum & sacerdotium: hæc est ergo spes nostra, vt similiter nobis restituris, cum placuerit Deo rursus hæc aduenient. Respondemus quod nunc exules, & sine principe vos esse dixistis & verū est, ibi enim collectus erat in vnum populus Hierosolymis, id est tribus Iuda & Benjamin, habens secum regem & sacerdotes, & Prophetas suos, & promissionem datam à Domino, quod post peractam pœnitentiam lxx. annorum redituri essent in terram suam quam nondum tradiderat Dominus alienigenis ad habitandum, sed

sicut nunc deserta remanserat. Nunc vero non est vobis collectus populus, sicut tunc, neque rex, neque sacerdotes, neque Prophetæ, neque terra deserta vobis reseruata, nec promissio data à Domino quod post lss. annos illuc redeatis, sicut tunc: sed est potius sententia data à Domino, quod perpetua sit hæc desolatio vestra, quod in loco suo satis demonstratus, quæ vobis iam circiter annos mille persoluit, nil fraudatura vos de cæteris, vsque in finem.

*Deus vnus est in Trinitate.*

MOyses ait. In principio fecit Deus cœlum & terram. Dixitque Deus. Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dauid inquit. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Isaias ait. Ego primus & ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mēsa est cœlos. Et paulo post. Et tunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius. Aggæus. Spiritus meus erit in medio vestri: post ea. Ecce ego commouebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus. Isidorus. Christus ex Patre ita emicuit, velut splendor à lumine, velut verbum ab ore, velut sapientia ex corde.

Quod Christus à Deo sit genitus, Dauid inquit. Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genuite. Salomon in Prouerbiis. Quis ascendit in cœlum, atque descendit? Quis continuit spiritū in manibus suis; Quis colligauit aquas quasi vestimento? Quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomen est, & quod nomen filij eius si nosti? Isaias. Nūquid qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Et qui generationem aliis tribuo, sterilis ero, ait Dominus? Quod ante sæcula genitus est ineffabiliter. Micheas ait. Egressus eius à principio à diebus æternitatis. Dauid. Ante solem permanet nomen eius. Salomon in Prouerb. c. 22. Nondum erant abyssi, & ego concepta erā. Nec dū fontes aquarū erupperant, & ego parturiebar, quādo præparabat cœlos aderam, cum eo componens omnia. Isaias, In humilitate iudiciū eius sublatū est. Generationem eius quis enarrabit? Iob. Sapientia Dei patris vndè venit? Later enim ab oculis hominum, & à volucribus cœli abscons̄a est.

Quod cum Patre & Dominus est. Dauid inquit. Sedes tua Deus in sæculum sæculi: Virga directionis virga regni tui. Moyses. Creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Zacharias. Post gloriam misit me ad gentes, &c. Item. Lauda & lætare Sion quia ecce venio, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me.

Quod in humilitate venturus esset, Isaias dixit. Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinum. Ieremias. Tibi peccauimus expectatio Israël, saluator eius. Quare sicut colonus futurus est in terra, & quasi viator declinans ad manendum. Quare futurus est quasi vir vagus, & qui non potest saluari.

Quod occidendus esset. Isaias inquit. Sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Dauid. Vir Gabriel Post hebdomadas septuaginta occidetur Christus.

Quod resurrecturus esset. Dauid ait. Caro mea requiescet in spe, &c. Item, Resurrexi & adhuc sum tecum.

Oseas. Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.

*De termino aduentus eius Moyses vel Israel.*

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Daniel. Adhoc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me, in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & locutus est mihi. Dixitq;, Daniel. Nunc egressus sum vt docerem te & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo aduerte sermonem & intellige visionem. Septuaginta heb-
A domades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super
vrbem sanctam, vt consumatur præuaricatio, & finem
accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & adducatur iu-
stitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vn-
gatur sanctus sanctorum. Scito ergò, & animaduerte, ab
exitu sermonis vt iterū reædificetur Ierusalem: Vsq; ad
Christum ducentæ hebdomadæ, & septem hebdomadæ
sexaginta duæ erunt. Et rursum. Ædificabitur platea &
muri in angustia temporū. Et post hebdomadas septua-
ginta duas, occidetur Christus, & non erit eius populus
qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dis-
sipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas.
Et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem
pactum multis hebdomada vna. Et in dimidio hebdo-
madæ hostia & sacrificium, & in templo erit abomina-
B tio desolationis, & vsque ad consummationem & finem
perseuerabit desolatio.

Domine quis credidit auditui nostro? & brachium
domini cui reuelatum est? & ascendit sicut virgultum
coram eo, & sicut radix de terra sitienti. et non est spe-
cies ei neq; decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus.
Et desiderauimus eum despectum & nouissimum viro-
rum, virum dolorum & scientem infirmitatem. Et quasi
absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputa-
uimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolo-
res nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi
leprosum, & percussum à Deo, & humiliatū. Ipse autem
vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est
propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eū,
C & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues erra-
uimus. Vnusquis que in viam suam declinauit, & Domi-
nus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus
est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis
ad occisionem ductus est, & quasi agnus corā tondente
se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de
Iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit?
Quia abscissus est de terra viuentium. Propter scelus po-
puli mei percussi eum & dabit impios pro sepultura, &
diuitem pro morte sua, eo quod iniquitatem nō fecerit,
nec dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit contere-
re eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam
suam videbit semen longæuum, & voluntas Domini in
manu eius dirigetur, pro eo quod tradidit in mortē ani-
mam suam, & cum sceleratis reputatus est. Et ipse pec-
D cata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit, vt
non perirent, dicit Dominus omnipotens.

Christus ait. Gaudium est Angelis super vno pecca-
tore pœnitētiam agente, quam super nonaginta nouem
iustis, qui non indigent pœnitentia. Ioan. Apost, sic ait,
inter cætera ad iā baptizatos. Filioli hæc scribo vobis vt
non peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus
apud patrem Iesum iustum: ipse est exoratio pro pecca-
tis nostris. Iacobus ait. Confitemini alterutrum peccata
vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Fulgenti. Quo-
cumque tempore homo egerit pœnitentiam quamlibet
annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis,
& pro eis in conspectu Domini non solum corporis, sed
etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum
maculas bonis operibus diluere curauerit, omniū pec-
E catorum indulgentiā habebit. Ezechiel. Si impius ege-
rit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus
est, & custodierit præcepta mea vniuersa, & fecerit iusti-
tiam, vita viuet & non morietur: omnium iniquitatum
eius quas operatus est non recordabor. In iustitia sua
quam operatus est viuet. Nunquid voluntatis meæ est
mors impij? dicit Dominus Deus & non vt conuerta-
tur à viis suis & viuat? Si autem auerterit se iustus à iu-
stitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abo-
minationes quas operari solet impius, nunquid viuet?
Omnes iustitiæ eius quas fecerit non recordabuntur: in
præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo
quod peccauit, in ipsis morietur.

Vnum-

Vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israël, ait Dominus. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.

*Pœnit. Laicorum secundum Fulbert. Episcop.*

Si quis hominem occiderit spontè vij. annis pœniteat. Si immeritum x. ann. pœniteat. Si Diaconum xiij. ann. pœnit. Si Presbyterum xx. & vno anno pœnit. si quis hominem non spôte occiderit iij ann. pœnit si publico bello j. anno pœnit. si quis hominem debilitauerit iij. xl pœnit. si quis membrum principale alicui tulerit iij. an & dimidio pœn. si quis Sodomiticus vel cum pecude semel vij. annis pœnit. si consueuerit xiv. an. pœn. si quis fornicatur inter fœmora semel iv. quadragenis pœnit. si consueuerit iij. annis, si paruulus oppressus hoc patitur vna quadrag. pœnit. si per se ipsum ij. quadrag. pœnit. si consueuerit vno anno p. si quis adulterat simpliciter v. annis pœnit. si dupliciter x annis p. si quis raptum fecerit iij. an. vno de his foris Ecclesia pœniteat si quis Nonnam corruperit vij. ann. pœn. si quis consanguineā v. ann. p si quis diuinos consulit iij an. p si quis sacrilegus vel periurus extiterit vij. an. p. si quis iurat contra pacem j. anno p. cum eleemosynis & redeat, si quis pertinaciter odit, excommunicetur.

*Mulierum pœnitentia per Fulbert. Episcop.*

Si qua mulier ij. fratrib. nupserit v. an. pœnit. si qua partum necat, aut excitat spontè, si iam viuit xij. an si nō viuit adhuc vj. annis post pœn. & semper sexta feria ieiunet. Si mater dormiēs filium vel filiam oppresserit iij. annis pœnit. si infans alicubi ceciderit & obierit, parens j. an. p. si infans mortuus fuerit per negligentiam sine baptismo iij. ann. p. i. ex his foris & semper sexta feria ieiunet. Fidelis beneviuens securus hinc exit. Baptisatus ad horam. Agens pœnitentiam dum sanus est & reconciliatur Et postea bene viuit securus. Qui positus in vltima necessitate pœnitentiam accipit & exit. Fateor non illi negamus quod petit, sed non præsumo dicere quia benè exit. Do ergo consilium, dimitte incertum, & tene certum, & dum sanus es agas pœnitentiam, vt mortuus habeas securitatem.

Hoc vero tempore postea quam resurrectio Domini nostri Iesu Christi, manifestissimum iudicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum signorum quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus, sed quædā pauca pro multis, eademque factu facillima, & obseruatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina Sicuti & Baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini, quæ vnus quisque cum percipit quo referātur imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneremur.

Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur iubere. Figura ergo est, dicet hæreticus, præcipiens Passioni Domini esse communicandum tantum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Hunc quandoque per cibū & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Eccl in prædestinatis & vocatis & iustific. & glorific. sanctis & fidelibus eius. Quorum primum iam factum est, id est prædestinatio, secundum & tertium factū est, & fit & fiet, id est vocatio, & iustificatio Quartum vero nunc in spe, in re autē futurum est, id est glorificatio. Huius rei sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierū in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur: quibusdā ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit. Ipse Dominus paulo post exponit quid sit manducare corpus eius & sanguinem bibere. *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo,* Hoc est ergo manducare illam escam, & illum potum bibere, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo nō manet Christus, procul dubio non mādúcat eius carnē, nec bibit eius sanguinem, etiam si tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducet & bibat. Item paulo post August in 12. tract. Signū quia manducauit & bibit, hoc est si manet & manetur, si habitat ac inhabitatur, si hæret, & nō deseratur.

*Haymo super Epist. ad Corinth.*

Caro quam Verbum Dei Patris assumpsit in vtero Virginali in vnitate suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia, vnum corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus est Christi, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus Diuinitatis enim plenitudo quæ fuit in illo replet istū panē, & ipsa diuinitas Verbi, quæ implet cœlum & terrā, & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per vniuersum orbem sanctificatur & facit vnum corpus Christi esse. Et sicut ille panis & sanguis in corpus Christi transeunt, ita omnis qui in Ecclesia dignè comedit illud, vnū corpus Christi est, sicut ipse dixit. Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Tamen illa caro quam assumpsit, & iste panis, omnisque Ecclesia, non faciūt tria corpora Christi, sed vnū corpus. Et sicut qui corpori & sanguini Christi communicant, vnum corpus cum eo efficiuntur, sic & qui communicant scienter de idolothitis, vnum cum diabolo corpus existunt.

*In Symbolo Ephesini Concilij.*

Necessario & hoc addiscimus: annunciantes enim secundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cœlis Ascensionē, pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti. Non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati & verbo coniūcti secundum dignitatis vnitatem, aut sic diuinam possidentes habitationem, sed verè viuificatricem & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, quia propriæ carni vnitus est, viuificatricē eam esse professus est. Et ideo quamuis dicat ad nos, *Amen Amē dico vobis nisi mādúcaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē,* non tamen eā vt hominis vnius ex nobis æstimare debemus: quomodo enim iuxta naturā suam viuificatrix esse caro hominis poterit? sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis & factus est & vocatus. Syluester Papa. Primus Adā suasu serpentis mortem incurrit, & eiectus de Paradiso deliciarum Dei, in labore & sudore edit panem Terra autē de qua factus est, virgo erat. Oportuit ergo secundū Adam de virgine nasci, qui serpētem tentaturē se vinceret, & hominem de captiuitate eius, quem primum vicerat, liberaret. Quoniā qui Adæ victor in Paradiso extiterat, ipse tentator Domini factus est in deserto, vt qui vicerat manducantem, vinceretur à ieiunante. Et sicut mortem non inueniunt nisi qui nati sunt ex carne Adæ, ita vitam non inueniunt nisi qui renati fuerunt ex aqua &

Spiritu sancto, & cacnem Christi & sanguinem suæ carni & sangui ossociaoernnr, qui vicit diabolum, Paradrsum reddidir, & vitæ æternæ ianuam patefecit.

---

## ALIA QVÆ SEQVVNTVR DOMINI FVLBERTI PROSÆ & Versus ex manuscripto petuntur.

### *Hymnus seu Prosa de Sancto Pantaleone.*

QVantas cædes Chcistiani gregis inhorcuerir, sub Maximiani quondam impia Tycannrde, reuolutæ manifestanr scriprurarum pagioæ.

Tune Eustorchius senator quidam Nicomediæ habitabat, quidam & natus oomine Pantaleon, & decore corpocali clarus & ingenio.

Vnde parer, more pattum, lætos ac sollicitus, fecic eum l berales arres apprehendete, vt non esset speciosa lampas sine lumine.

Tum discendæ salutacis disciplinæ gratia, medico Maximiani tradidit Eufrocino, quo ductore cœpit esse fcequens io Palatio.

Impetatoc autem eius honestate cognira, asserir ac consequenter attestanrut alij, digna quod persona talis sit astare Cæsari.

Inter hæc, quidam sacerdos in eodem Oppido nuncuparus Hermolaiis, meru sæui Pciocipis, latebra se recondebat obsoletæ tegetis.

Qua Panraleonem sæpe traosceuotem conspicans, vas electionis esse compertt per Spirirum, & modestè pcouocanir intus ad colloquium.

Qoærir ergo nomen, genus, studiumque pueri, quætit sectam, ille notans quæsitorum ordinem, diligenrer contcapensat responsotum fcriem.

Soluir primum ac secundum, tune exponens cætera, serutor inquir documenta Hypoeratis medici, atque magni præcessoris eius Æsculapij.

Hos putamus esse Deos, qui viuaci nomine, quæ descripta reliqueront, prosequentes approbant, dum languote fatigans, sanitatem cepacant, miseris.

Ad hæc senex Hermolaus, os maturum reserans, non contendo teplicate, omnia quæ pcotulir, sed quæ breuiter dixisse non absurdè poruir.

Care fili, verba mea vigilanter accipe, fortiterque cerebrosa retine memocia: nam magistros credo tuos noo docete talia.

Duas esse medicinas Cbristianis nouimus, vnam quidem de terrenis, de supernis alteram, quarum vt diuecsos ortus, sic & efficaciam.

Medici tercens longam per expetientiam, surculorum didiceruot vices, & similium quæ permurant qualirates bumanorum eorporum.

Nullus tamen in hac arte, sic probatus eastitit, cui non essenr ad curandum aliæ difficiles, aliæque passionum protsus incurabiles.

Hoe testatut ille vir Hypocrac, qui fuit hoc de cœlo sublimatus vir Esculapius, quibus nenio ventilarur maior esse medicus.

Ar supernæ medicinæ Cbristus authoc emicac, qui curare sola potest iussiooe morbidos, & ad vitam de sepulchco reuocare mortuos.

Qui dederar cæco naro, post creata lumina, ac de cumba iam fœtente suscirarus Lazarus, cæterque miragesta, quocum noo est numetus.

Sed de Christo quid dicatur, cum nos eius seruuli mira quæque faciamus, in ipsius numine, tibi quoque non negaodo foce saoe erederetuc.

A Tnte ergo, care fili, sapienter collige, argumeota manifestis sumens ab operibus, quis eocum sit habendus Deus atque Domious.

Cœpit antem ratione tali puer allici, postquam singulis diebus sacerdotem visere, ac de Christo sciscitari, mulra plura dicere.

Quadam ergo die solus à magistro cediens, dum de via declinarer, interemptom puerum, atque iuxta vidit eius pecemprotem Colubrum.

Quo spectaculo parum pertremefactus abstitit, sed quam primum cesipiscens viuidè ceferbuit, sicque precem Deo veco primitiuam obtulit.

O Iesu, quem posse cuncta Christiani perhibent, si Collegio tuo cum me dignaris iungere, præsta quæso quod fidenter iam præsumo posceta.

B Precoc ergo per virturem tui magni nominis, vt reuiuar iste puer, crepet iste coluber, quo proberis esse viræ atque mortis arbiter.

Ad hanc vocem, ô fides, ô mira Dei bonitas! mortuus resurgit infans, & Chelindrus fioditur, laus præclara de gentili ore Deo funditur.

Te nunc inquir benedico Iesu potentissime, non te semel beoedicam Deus atque Domine, tu sis omni benedictus sæculorum tempore.

Curtit ergo lætabundus, tyro Christi nobilis, & ad pedes Hermolai procedir Presbyteri, instans sibi non sardari, sacri fontem lauacri.

*De Sancto Piato Hymnus.*

C IN tellure Beneuenri elatis ortus patribus, insignis mundo Piarus sacris fultus moribus.

Mox puet Cbristum sequendo admirandis nisibus insignis, post adultus vilipendir vanam mundi gloriam, de suis nil resecaans, præter vestem simpliccm.

Sed quæcumque possidebat dans fomentis pauperũ, nescius Romam pergit, iam vir eatans, illic & coniungitur Dionysio, suisque sanctis consodalibus.

Sic io cœtum tantorum virotum lumen viget additus Dionysio, bis perfectis prædicare Christum genti Gallicæ.

Tornacum versus Piatus se dicexit inclytus, cum Parisius irer Beatus Dionysius.

Totnaco ergo diffundendo latè sancti verbi semina, Christo conuectit vitorum ter dena millia.

D Præter paruos, & secundi sexus turbam maximam Christicolum, geminis intec hæc coruscans virturum miraculis.

Edomabar parcitate duras vires corporis, vt frangendo robocarus, hosti non succumberer, & illum fortiter debellaret.

Ar Cæsac Maximianus vt Piati bausit famam virulentis autibus, comprehcodi iussit eum, ad occaodum protinus.

Vtque fama est, illi militare prõptus, atque vinci nescius, nexus vicit flagra vicit & omnes impetus.

Decolatur namque randem læto certo Martytum, palmam gessit Laureatus ad cœli palatium.

Dumque gleba conderetur gloriosi corpus Martyris, fusus odor est superni circumcirca nectaris.

E Ne quid mundus hæsitaret de salute Spiritus, cuius caro tunc probabat cegnare cœlitus.

*Prosa de Natiuitate Domini.*

SOnent cegi naro noua Cantica, cuius Pater fecit omnia, mater est Virgo sacratissima.

Genetans nescit hic fœminam, illa est sine viro grauida.

Verbum corde Patris genitum ante sæcula.

Aluo matris prodit corporatum post tempora.

O mira genitura! ô stupenda natiuitas! ô proles gloriosa!

Humanata

Humanata diuinitas, sic te nasciturum Filium Dei, vates tno docti Spiritu prædixerant,

Sic te oriente ex virgine sacra, pacem tertis Angeli nunciant.

Elementa vultus ex hilarant, omnes sancti clamantes iubilant,

Salue clamando, nosque salua Deitas, in personis trina simplex exousia.

*Hymnus de Trinitate.*

VErbum Dei Spiritumque legifer in genesi, Rex Dauid secundo Psalmo post tricenum cecinit, sic vterque Trinitatem vnitatis prodidit,

Sapiens cum genitore sancto suo, Salomon, plane verbo declarauit, esse Deo Filium, Verbum scilicet æternum corde eius genitum.

Moysi & Esaïæ testis est Psalmographus; quia filius cum Patre Deus est & Dominus, nil enim Patre Deo gignitur nisi Deus.

Deum hominē futurum esse sicut extitit, post Psalmistam Esaias liquido perdocuit, dispensatio salutem illa nobis edidit.

Quodque Deus nasciturus esset matre Virgine, idem ante Gabrielem iussus est prædicere, talis porro docet ortus auctorem munditiæ.

Legislator Danielque notauerunt terminum, quando Rex venturus esset expectatus gentium.

Is neglectus perdidit male populum Iudaïcum.

Summum regem affuturum pauperem & humilem, ostendit Propheta quasi iam visibilem, corruit superbus hostis ante cuius faciem.

*In festo sancti Ægidij Abbatis ad Matutinum Inuitatoriū.*

ADoremus regem totius bonitatis, auctorem, qui sanctum Ægidium exornat & gratiæ donis, & iustitiæ præmiis.

*In matutinis Laudibus Responsoria.*

DOminum semper & vbique regnantem, in sancto suo Ægidio mirificum prædicemus. Iubilemus Deo gratulantibus animis, qui patronum nostrum Ægidium decorauit gratia sanctitatis. Deus vt tandem nos vigilantes inuenias, cari tui Ægidij nobis merita suffragentur Benedictus sit vniuersalis Dominus, quem beatus nobiscum benedicit Ægidius. Laus iocunda resonet Deo viuo & vero in sancti sui Ægidij miraculis gloriosi. Sancte confessor & patrone noster Ægidi, per cuius merita Dominum glorificamus, apud illum pro nobis te intercedere sentiamus. Benedicimus te clementissime Deus, qui diem festum Beati Ægidij, in laudem tuam nobis expendere tribuisti, teque suppliciter exoramus, vt sanctis tuis quibus honorificentiam exhibemus, virtute ac præmio sociari mereamur.

*Prosa & alia resp.*

SAnctus Ægidius natione Græcus præclaris parentibus originem duxit, corpore valens & acer ingenio. Fœliciter adultus est ac liberaliter eruditus. In rerum quoque possessione non tenuis, sed ingentem copiā prouida largitas erogauit. Hic inter prospera voluptate non est resolutus, nec inter aspera à diabolo est superatus. Inediam, sitim, algores, & vigilias, pro Christi amore delicias computabat. Affectus iniuriis, & grauiter sauciatus affligentibus se deprecabatur veniā. Credebat quod didicerat à vero magistro, in patientia tandē animas possideri. Virtute itaque vectus ad sublimia, Sacerdotali meruit infula decorari. Obtinuit enim illud Sapientis, quod in tempore iræ factus est reconciliatio.

A Fidelis Christi confessor Aegidius, genere clarus, sed scientiæ, virtute & opere longe clarior extitit. Legitur quidem regia stirpe fuisse progenitus Sed hic æuo tener ad liberalia rudiméta dispositus, doctores summos breui æquiparauit. Dum potentis ingenij motum, nec leuitas præcipitem ageret, nec desidia tardum. Docto docili quoque puero gratia Dei non defuit, vitam eius omni morum honestate commendans. Iam iamque foris scintillabat indiciis, succensa velut lampas charitatis.

Vestem ægro cuidam mendicanti, qua non superflua regebatur, quamuis adhuc pædagogi sententiam sibi æstimaret formidabilem dedit. Prodit exemplo quoddam memorabile signum, quo Deum Ægidio cooperari compertum est. Nam vt æger attigit oblatam sibi vestem, simul recepit pristinam sanitatem. Parentibus au-
B tem in pace defunctis, patrimonij sui Christum fecit hæredem Mirabili modo pauperando ditescens, dum temporalium impendiis æterna lucratur. At vbi sancti viri virtus, præ magnitudine sua latere non potuit, confluebant plurimi, corporis animæque beneficia postulātea. Nec vero vbi dator hilaris & quod daretur abunde non aderat, suo munere frustrabantur. Cumque mira gesta laudum præconia sequerentur. Mare transito natalem Græciam sua præsentia viduauit, incautum esse iudicans leuis famæ precio, thesaurum bonæ conscientiæ venditare, innatali permanens. Mirabile quidem est, quanto in eo succreuerit parcimoniæ virtus, cum multo tempore ab ipsius quoque panis abstineret edulio. Vnde facile patet eum nec pulmentaria, nec quælibet gulæ irritamenta quærentem, ad superna euolasse regna.

C

*Prosa de Diuo Martino.*

INter Patres Monachalis vel Clericalis ordinis, virtutis excellentia Martinus notabilis. Non quilibet dē pluribus, sed ille solitarius. Primo deinde Turonicæ Præsul paterque patriæ. Diserta quem prudentia fortisque tēperantia, quin vniuersa sanctitas ornauit, hoc est charitas Is pauperi quam diuidit, se veste Christus induit. Dans signa tantæ gratiæ necdum renato cernere. Mox fonte cœli roscido sancto repletus Spiritu, diuoque fretus numine. Et vt potens Apostolus, confutat ortas hæreses, iussu repellit dæmones, medetur lepræ osculo, & mortuis precatio Quid igne rapto cœlitus, cremasse fana funditus, grauesque moles per fidem, hunc
D transtulisse prædicem. Dedisse cæcis sydera, sentire surdis organa, mutisque præcinentibus, aptasse claudos saltibus. Quot gesserit huiusmodi miraculorum millia, fugit ligati calculo, velut saburra pontica.

*De sancto Lamberto.*

MAgna vox laude sonora te decet per omnis, quo poli chorea aucta tali compare, terra plaudit & resultat digna tanto Præsule. O Sacer Lamberte martyr vota nostra suscipe.

*Pro Rege.*

REgum princeps æque virtus, cuius nutu mundi
E cœlum gyrat, terra perstat. Disponuntur sæcula Regi Roberto nato stirpe nobilissima, sic domare des superbos, & subiectis parcere, vt hic regnans gloriosus quondam viuat in æthere.

VERSICVLI DOMINI FVLBERTI de Beata Virgine.

Solem iustitiæ regem paritura supremum,
Stella Maria maris hodie processit ad ortum,
Cernere diuinum lumen gaudete fideles.

Respons.

Stirps Iesse virgam produxit, virgaque florem,
Et super hunc florem requiescit Spiritus almus,
Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius.

Respons.

Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem,
Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam,
Vt vitium virtus operiret, gratia culpam.

De sancta Cruce.

Vexillum regis venerabile, cuncta regentis,
O crux sancta micans super omnia sydera cœli,
Mortifero lapsis gustu, quæ sola reportas
Antidotum vitæ, fructum suspensa perennem,
Te colo, te fateor venerans, te pronus adoro.
Christus, principium, finis, surrectio, vita,
Merces, lux, requies, sanctorum doxa, corona,
Pro seruis Dominus redimendis hostia factus,
In te suspendens per lignum toxica ligni
Purgauit, clausa reserando limina vitæ.
Tanta pari ego sum libertatis bone Pastor,
Sed mala semper agens, nunquam tibi digna rependi;
Heu mihi iam bibulæ numerum transcendit arenæ
Sarcina multorum mihi quæ creuere malorum.
Sed quia peccantis potius bona quam mala quæris,
Plusque tibi peccat spem qui peccando relinquit,
Ad te confugio, tibi supplico confiteorque,
Parce precor, miserere mei, miserere meorum,
Defuncti qui sunt, & in hac qui luce parentum,
Qui bona fecerunt, his per te centupla redde,
Qui mala conuertens peccamina, cuncta remittis
Omnes hoc signo qui te venerantur & orant
Dirige, sustenta, custodi, protege, salua,
Da procul à nobis, elatio sistat vt omnis,
Quo tibi submissi placeamus pectore puro.
Protege nos iugiter, ventosa laudis ab aura,
Et nobis dignas, confer tibi soluere grates,
Inuidiæ maculam de mentibus ablue nostris,
Infundens nobis ignem cœlestis amoris.
Iræ compesce nil stimulos, fac nos patientes,
Tristitiamque fugans, in damnis spem retinentes,
Crimen auaritiæ nobis dona fugiamus,
Vt pietatis opus placite tibi ferre queamus,
Ingluuiem ventris nos vincere sobrietate
Luxuriaque luem, castè concede pudore,
Vt per te mundi, per te quoque viribus aucti,
Constanter vitam studeamus adire supernam.

De timore, spe, & amore.

Primus ab illicitis hominum se continet ordo,
Aut pœnæ metuens, aut prœmidus emolumenti,
Aut bene complacita captus virtutis amore,
Qui spectare licet finem videntur ad vnum,
Vt vitium vitent, velut exitiale venenum,
In paritate tamen meriti, discretius absunt,
Vnde nec vnita veniunt ad præmia palma,
Primus enim coleret genium si posset inulte,
Sed vehementer ait, Zelantis abhorreo vultum
Iudicis, & dira flammis ardere gehenna.
Atque secundus idem faciat, si præmia desint,
Sed vigili ratione sagax, dum gaudia pensat
Vera, voluptatem cautè postponit inertem.
Tertius ingenue bonus egregieque decorus
Te contemplatur, te diligit, aurea virtus:
Mallet nempe mori, quam viuens te viduari:
Sunt igitur species ex affectu venientes
De quibus effugiant, vt ab ordine discrepet ordo.
Nam quis sollicite dubitet præferre timori
Securam spei requiem? sed ipse docenter
A Vt præcellenti venerans assurgit amori.
Interea pater optimus, hæc speculatus ab alto
Cuius iudicij nihil est quod fallat acumen,
Ille inquit meus est, vernaculus iste satelles.
Hac mea conformis mea dilectissima proles.
Tunc varijs meritis distantia præmia librant,
Magna quidem primo tribuit, maiora secundo,
In solo totum confert probitatis amice.

De eadem re breuius.

Tres causæ faciunt homines peccata cauere,
Horror supplicij, spes mercis, amor probitatis:
Quæ quamuis finem videantur tendere ad vnum,
Scilicet vt vitio careant, distant tamen hoc, quod
Seruulus & miles seu regis filius atque
Principium eiusdem cupidus habet incrementum,
B Virtutis totam summam sincerus amator.
At si proficiat timor in spem, spes in amorem,
De seruo miles venit & de milite proles
Probra cauet, vel flagra pauens, vel præmia captans,
Vel virtutis amans, distant vt cælo satelles,
Rex, duo proficiunt, status est tibi, tertie summus.

Fulbertus de seipso.

Mi factor, mea vita, salus, fiducia sola
Da mihi consilium & votum viresque sequendi,
Ambiguus quid agam, quo tandem fine quiescam:
Nam vereor temere suscepto Pontificatu
Seruandis ouibus mage quam prodesse nocere,
Atque ideo puto cedendum melioribus esse,
Sed recolens quod non opibus neque sanguine fretus,
C Conscendi cathedram, pauper de sorde leuatus,
Arbitror hoc à te factum sicut tuus est mos,
Nec mutare locum nisi significaueris ausim,
Quamuis illa se moneat mens conscia vitæ,
Tu scis sancte Pater, quid sit tibi gratius horum,
Vtilius, mihi precor inde tuam pietatem,
Vt mihi digneris hoc inspirare labenti,
Consilium præsensque iuues ad perficiendum.

Idem de seipso.

Te de pauperibus natum suscepit alendum
Christus, & immeritum sic enutriuit & auxit,
Vt collata tibi miretur munera mundus,
Nam puero faciles prouidit adesse magistros,
Et iuuenem perduxit ad hoc vt Episcopus esses,
Reges, Pontifices, populi, te magnificabant,
D Seruum censentes prudentem, atque fidelem
Esse pij Domini, sed proh pudor! ipse nefanda
Prudens nec fidus fueras vt res manifestat,
Nam contra memorare pudet quam nequiter ipsum
Læseris, & sanctos eius tua praua tuentes,
Quæ vix vlla satis possunt tormenta piari;
Præstolatur adhuc Dominus tamen ille benignus
Et te vincere perpetitur, si forte resipiscens,
Segnitiem zelo perimas meritoque reatum.
Virtus est Domino parendi firma voluntas,
Virtus est medium retinendi accepta voluntas.

De signis, & mensibus & diebus & horis compendium compoti.

E Annum sol duodena means per signa rotundat,
Cunctaque ter denis percurrit signa diebus,
Atque decem horis, & dimidium, faciuntque
Partes hæ duodenario si multiplicentur,
Trecentum sexagenos, & quinque dies, &
Sex horas, quas quadrantem liquet esse diei,
Hoc igitur numero proprium sol perficit annum.
Sed quia planius est toto quam parte diei,
Annum metiri voluit chorus Astrologorum,
Trecentum sexagenis & quinque diebus:
Claudit tres annos; quarto superaddit vnum,
Qui de quatuor annorum quadrantibus exit.
Hunc bisextilem dixerunt propter hoc annum,

Hu

*His quando sexto Martis notat ante Kalendas*
*Annos prateritos supplent redimensque futuros,*
*Per menses anni soles ita distribuerunt:*
*Ianus & Augustus, iaculoque December acutus,*
*Fert quarto nonas, nono decimoque Kalendas:*
*Post Idus soles triginta scilicet vnum,*
*Mars, Maius, Iulius libripens October & equus:*
*Sexto nonas septeno decimoque Kalendas:*
*Post Idus soles triginta, rursus & vnum,*
*Iunius, Aprilem, post Septembremque Nouember,*
*Quarto nonas octauo decimoque Kalendas,*
*Post Idus soles triginta, Februus autem*
*Fert quarto nonas, sextodecimo Kalendas,*
*Post Idus soles viginti pauper & octo,*
*Sed per bisextum gaudet sibi crescere nonum.*
*An numerat proprias mensis sibi quisque Kalendas,*
*Nullus & octauo Mensis non computet Idus.*
Martis v *Mensis habet numerum normalem quisq; notatum.*
April. *Annus habet concurrentes qui conuenientes*
i. *Donant scire dies, qui menses rite Kalendas,*
Maius *Hi sunt normales numeri qui mensibus harent.*
iii. *Quinque placent Marti, nec displicet vnus Aprili,*
Iun.vi *Maius habet ternos, duplicat sibi Iunius ipsos,*
Iul.i. *Vnus item Iulio, tibi sunt Auguste quaterni*
Aug. *September VII. binis October mensis agit remi,*
iiii. *Quinque Nouember abhinc, repetens septemque*
Sep. *December.*
vii. *Nec cupiunt Iano tres nec sex tollere Febro.*
Oct ii *Huic alter numerus concurrit ad inueniendum,*
Nou.v *Qua sibi quisque die mensis velit esse Kalendas*
Dec. *Septem lineolis ipsum tibi cerne notatum,*
vii. *Harum septem lineolarum qualibet vna,*
Ian. *Spectatur numeri summas gestare quaternas,*
iii. *Et sic viginti summa numerantur & octo*
fol. vi. *Diuisa totidem certa ratione per annos,*
B.i.ii. *Ha quoque summa solares vocitantur epacta,*
iii.iv. *Hi concurrentes numeri versantur in annis*
B. vi. *Vnus bissexto, duo non, neque III. neque quadri,*
vii. *Sex sunt bissexto, non vos VII. vne gemelli*
viii. *Quadri ad bissextum, quini sex VII. aliorsum,*
B.iiii. *Seni ad bissextum, tres quadri, quinque seorsum,*
v.vi. *Septem bissextant IIII duo tresque recusant*
vii. *Quini bissextant sex septem vnusque reiectant,*
B.ii. *Tres bissexte quadris quinis nec iungito senis.*
iii.iv. De Philomela.
v. *Aurea personet lyra clara modulamina,*
B vii. *Simplex corda sit extensa voce quindenaria,*
ii.iii *Primum sonum nunc reddat lege Hippodorica,*
B.v.vi. *Philomela demus laudes in voce organica,*
vii.i. *Dulce melos decantantes sicut docet musica,*
B iii. *Sine cuius arte vera nulla valent cantica,*
iv.v. *Cum telluris vere nouo producuntur germina,*
vi. *Nemorosa circum circa frondescunt & brachia,*
*Flagrat odor quam suauis florida per gramina*
*Hilarescit Philomela dulcis soni conscia,*
*Et extendens modulando gutturis spiramina,*
*Reddit veris & astiui temporis praconia:*
*Instat noctis & diei voce sub dulcisona,*
*Soporatis dans quietem cantus per discrimina,*
*Nec non pulchra viatori laboris solatia,*
*Vocis eius pulchritudo clarior quam cythara,*
*Vincit omnis cantitando volucrum cateruula,*
*Implet siluas atque cuncta modulis arbustula,*
*Gloriosa valde facta veris pra latitia,*
*Volitando scandit alta arborum cacumina,*
*Ac festina satis gliscit sib lare carmina*
*Cedit anceps ad frondosa resonans vmbracula,*
*Cedit olor, & suauis ipsius melodia*
*Cedit tibi timpanistra & sonora tibia:*
*Quamuis enim videaris corpore permodica,*
*Tamen cuncti capiuntur tua dulci melodia,*
*Nemo dedit voci tua hac dulcia carmina,*
*Nisi solus Rex calestis qui gubernat omnia.*

De sancto Carauno.

A *Carus abunde Caraune nites,*
*Idque vocamine significas,*
*Lyricos ideo tibi versiculos canimus hilares,*
*Et amore pio tu pio martyr*
*Posce nobis veniam,*
*Roma superba suis titulis hunc genitoribus*
*Eximium tulit ingenii valide puerum,*
*Animo facilem, specie nitidum,*
*Tu quoque Martyr posce nobis veniam.*
*Prandia lauta modum turbant plerumque dieta,*
*Indulges stomacho, mentem male crapula vexat:*
*Si pareas epulis, sequitur detractio vel laus,*
*Vt medium teneas labor est & valde cauendum,*
*Ne tibi tristitiam pariat, sicut suus est mos.*
B *Si possis igitur, prorsus hac prandia vita,*
*At si non liceat, hilaris cautusque recumbe,*
*Et libra cuncta parum tua, qua tibi regula dictat.*
*Nec summam nimiam, conjectant multa minuta.*

Hymnus.

*Sanctum simpliciter patrem cole pauperum caterua,*
*Quantumque nosti laudibus honora,*
*Ad normam redigit qui subditos secla paruitatis,*
*Potens nouandi sicut & creandi,*
*Et gratia damnati, longi sibi subueniat laboris,*
*Opem ferendo pacis & quietis,*
*Iam proceres legum rationibus ante desuetis*
*Qua recte discunt strenue capessunt,*
*Prado manum cohibet, furca memor & latrone coram,*
C *Inermis alte pracinit viator,*
*Dente saturnali restringitur euagata vitis,*
*Cultuque tellus senta mansuescit.*
*Gaudet lancea falx, gaudet spata deuenire vomer,*
*Pax ditat imos, pauperat superbos,*
*Salue summe pater, & fer & omnib. integram salutem,*
*Quicumque pacis diligunt quietem,*
*Et qui bella volunt, hos contere dextra potenti,*
*Trudens gehenna filios maligni.*
*Sex gradibus consummatur perfectio casta.*
*Primum dum vigilas fluxum nescire petulcum,*
*Quem sequitur, lasciua dein non voluere corde,*
*Tum ne vel leniter speciem cernendo cupiscas,*
*Quartus erit nec simpliciter genitale moueri,*
D *Quintus ob auditum veneris nil mente vagari,*
*Vltimus in somnis, nullo phantasmate ludi,*
*Hoc sibi nemo rapit, sed Christi gratia prastat,*
*Est tamen obseruanda diuturna medela dieta,*
*Libra cibi solidi, simplex emina falerni*
*Praterea labor, excubia, rogatio crebra*
*Ne carne languentem necet incrassata pudorem,*
*Castus agit, quem nulla libido monet vigilantem,*
*Nec violare potest sopitum illusio foeda.*

*Tu qui de nihilo mundum finxisse probaris,*
*Nam tibi materies nulla coaua fuit.*
*Et nutu facili, noto tibi tempore solues*
*Tam diuturne dehinc, quam prius extiteras.*
E *Quantulus hic noster modus est, quo secula voluis*
*Cum vitisque iubes, strenua bella geris.*
*Regem militibus propriis, te semper adesse,*
*Ad bene certandum, nos vegetando proba.*

*Preces alia.*

KYrie Rex genitor ingenite vera essentia eleison.
Kyrie luminis fons & rerum conditor eleison.
Kyrie qui nos tuæ imagini signasti specie eleison.
Kyrie qui perfecta es sapientia eleison.
Kyrie lux oriens per quem sunt omnia eleison,
Kyrie Dei forma humanæ particeps eleison.
Kyrie Spiritus viuificæ vitæ vis eleison.

Kyrie vtriusque vita, in quo cuncta sunt, eleison.
Kyrie expurgator scelerum, largitor gratiæ, propter nostras offensas noli nos relinquere, ô consolator dolentis animæ, eleison.

HYMNVS.

*Nuntiam vobis fero de supernis,*
*Natus est Christus, dominator orbis,*
*In Bethleem Iudæ. sic enim Propheta*
*Dixerat ante.*
*Hunc canit latus chorus Angelorum.*
*Stella declarat, veniunt Eoi*
*Principes dignum celebrare cultum,*
*Mystica dona.*
*Thus Deo, mirrham tribuunt sepulchro,*
*Auream regi speciem decenti,*
*Dum colunt vnum, meminere trino*
*Tres dare terna.*
*Gloriam trina monadi canamus,*
*Cum Deo dinæ genitore prolis,*
*Flaminis nec non ab vtroque fuso*
*Corde fideli.*

*In vitis patrum veterum quiddam legi iocundum.*
*Exemplo tamen habile, quod vobis dico rithmice*
*Ioannes Abbas paruulus statura non virtutibus,*
*Ita maiori socio qui cum erat in heremo.*
*Volo dicebat viuere securo sicut Angelus,*
*Nec veste nec cibo frui, qui laboretur manibus,*
*Respondit frater, moneo, ne sis inceptis properus,*
*Quod tibi postmodum sit non cepisse satius,*
*At ille qui non dimicat, non cadit neque superat,*
*Et audus heremum interiorem penetrat.*
*Septem dies gramineo vix vbi durat pabulo,*
*Octaua fames imperat, vt ad sodalem redeat,*
*Qui sero clausa ianua, tutus sedet in cellula,*
*Cum minor voce debilis, appellat frater aperi.*
*Ioannes opis indigus, notis assistit foribus:*
*Ne spernat tua pietas quem redigit necessitas,*
*Respondet ille deintus, Ioannes factus est Angelus,*
*Miratur cœli cardines, vltra non curat homines,*
*Foris Ioannes excubat, malamque noctem tolerat,*
*Et prater voluntariam hanc agit pœnitentiam,*
*Facto mane recipitur, satisque verbis vritur,*
*Sic intentus ad crustula fert patienter omnia.*
*Refocillatus Domino grates agit et socio,*
*Dehinc rastellum brachiis tentat mouere languidis*
*Castigatus angustia de leuitate nimia,*
*Cum Angelus non potuit vir bonus esse didicit.*

HYMNVS.

*Organum mentis tibi quaeso nostra,*
*Temperans plectro moderare linguæ,*
*Cuius ad laudem, cupide mouemur,*
*Spiritus alme.*
*Tu Dei Patris genitique pura*
*Charitas, qua se pariter benigno*
*Consonent, & quâ bona audit auctor,*
*Esse creata.*
*Tu fidem spiras, sacra iura dictas,*
*Gratia largus, venia reperta,*
*Victor errorum, prob e veritatis*
*Testificator.*
*Cum venis culpam lachrimæ sequaces,*
*Diluunt vita, recalescit ignis,*
*Atque compuncti, cremat aru cordis*
*Thus pietatis.*
*Gloriam trinæ monadi canamus,*
*Cum Deo dinæ genitore prolis*
*Flaminis, nec non ab vtroque fuso,*
*Corde fideli.*

RESPONS.

*Chorus nouæ Hierusalem,*
*Nouam meli dulcedinem,*
*Promat colens cum sobriis,*
A *Paschale festum gaudiis.*
*Quo Christus inuictus leo,*
*Dracone surgens obruto,*
*Dum viua voce personat,*
*A morte functos excitat.*
*Quam deuorarat improbus*
*Prædam refudit tartarus,*
*Captiuitate libera,*
*Iesum sequuntur agmina.*
*Triumphat ille splendida,*
*Et dignus amplitudine,*
*Soli que poli que patriam*
*Vnam facit rempublicam.*
*Ipsum canendo supplices*
B *Regem precemur milites,*
*Vt in suo clarissimo,*
*Nos ordinet Palatio:*
*Per secla meta nescia,*
*Patri supremo gloria,*
*Honorque sit cum Filio,*
*Et Spiritu paraclito.* Amen.

MOTÆ SEV CONIECTVRÆ IN D. Fulberti Epist.

COl. 433 Aduerte Lector, hæc verba, *duo vita sacramenta, id est Dominici corporis & sanguinis continentur.*] Ne putes reuera duo esse Sacramenta corpus & sanguinem Christi Domini. D. Thom. siquidem par. 3. art.
C 2. quæst. 73. quærens vtrum Sacramentum Eucharistiæ sit vnum vel plura. Resp. quod materialiter sunt plura signa, sed formaliter, & perfectiue vnum Sacramentum, in quantum ex eis perficitur vna refectio.

Col. 434. *Furtiuis euasionibus recedere.* Sic solēt hæretici. D. Hil. ad Const. Aug. sic ait. *At nunc qui Ariana & pestifera contagione inquinati sunt, non cessant ore impio, & sacrilego animo Euangeliorum sinceritatem corrumpere.* Et Synesius Epistol. quinta, appellat hæreticos, *βαπζιτας πονηρους τον θειον νομισμα, δηλαδη δογμα παραχαραττοντας*, id est, trapezitas malos, qui velut monetam ita diuinum dogma peruertunt, & adulterant. Quam rectius tuba illa Romani sermonis, Latinæque eloquentiæ Rhodanus, hoc est D. Hilarius ad Const. August.
D *Catholicus sum*, inquit *nolo esse hæreticus, Christianus sum non Arianus, Et mihi melius est, in hoc sæculo mori, quam alicuius priuati potentia dominante, castam veritatis dignitatem corrumpere.*

Col. 435. vbi habetur, *Alia qua creatus ex Virgine Maria,*] Hic verbum creare sumitur improprie, id est formatus, aut natus. Recte siquidem, Beda Vener. lib. 4. in in Lucam; Christus, inquit, conceptus ex vtero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne.

Col. 436. *Cathecumenos baptisatos.*) Annotaui hic nonnulla deesse, & reuera sensus non cohæret. Habetur in eadem pagina, nostrum baptisma, sic patres olim in neutro vsurpabant, sic sæpius in Constitutionibus Caroli magni reperitur.

E Col. 438. vbi habetur. *Sub ipsa recordatione mysterij reuelante.*) Adde Spiritu reuelante.

IN EPIST. II. FVLB.

COl. 439. fit mentio de hostia quæ reseruabatur, & iis qui ad sacerdotium promouebantur, dabatur de manu Episcopi, vt vsque ad quadragesimam diem, vsu quotidiano consumerent: hæc consuetudo obsoleuit, tamen hoc fidem nostram confirmat contra Neotericorum falsam opinionem, qui hostiam sacram reseruari non debere clamitant. Eodem folio vbi legitur, *Laniciaium*, melior lectio erit, si lanicium legas.

## IN EPIST. III.

IN hac Epistola fit mentio Gaufridi Comitis & Odonis. De quodam Gaufrido duce habetur mentio in veteri manuscripto Bibliothec. Reg. Nauarræ Collegij hoc modo. ( Hoc tempore, nimirum Regis Rob. Gaudefridus Dux Comitatum Montensem depopulatus est.) Puto quantum coniectura possim assequi, debere legi, Carnotensem. Odonis etiam Comitis fit mētio. Hoc tempore Odo filius Odonis Campaniæ Comes Blesensis, & Carnotensis, duxit Mathildem filiam Richardi primi ducis Normaniæ.

B

## IN EPIST. V.

HIc fit mentio Hilduini. Habetur in veteri Cronico tempore Rob. Regis. Circa hoc temp. millesimo nono fundatum est Cœnobium Bettense ab Hilduino de proprio suo. Hic autem Hilduinus nuper ex grandæuo milite in clerum promotus fuerat. Dictique Cœnobij tunc pauperis fuit primus Abbas. Quis autem fuerit, *Stephanus Rex*, vix colligi potest ex historia: vbi legitur, *Intimans excellentia vestra ex nostra parte.* ) Adde, verbum salutes.

## IN EPIST. VI.

VBi legitur, *Militum qui de nostro Casamento beneficium tenent.* Casamentum, oritur a nomine casa, vnde casates, serui & domestici, casamentum, domos Rostica, Gal. *ferme* in Const. Caroli magni hæc verba reperiuntur.

C

## IN EPIST. VII.

FVlbertus scribit ad Leutb. Archiep. Seno. & ponitur in tabulis Democharis 62. obijt anno 1031. qui sedem suscepit anno 1000. de ipso sic legitur in veteri manuscrip. Chronic. Anno millesi. decimo quarto Rex. Rob. misit exercitum suum cum Leutherico Archiep. Senonensi & Raynaldo Episcop. parisiens. ad obsidendam vrbem Senonensem & capiendum non Benardum tyrannum, sed Regnoldum Filium From. comitis. Et tandem capta est consilio Raynal. Episc. paris. Fit autem mentio Ausgaudi Epis. Cenomanensis qui in tabulis Democh. vocatur Ausgaudus & est 28.

D

## IN EPIST. VIII.

HIc fit mentio Franconis Decani parisiensis, ( *Est sic legendum, non Parisiensis* Qui in tabulis Democh. inter Episc. parisienses annumeratur 6.

## IN EPIST. XIII.

HAbet vetus manuscript. hæc verba. ( Henricus & Rob. reges ad Charum fluuium colloquuntur anno 1023. & Gaguinus in vita Rob. sic habet. ) Henricus Imperator & Rob. Rex Francor. super Charum fluuium apud Enosium conuenerunt de statu Ecclesiæ, imperij & regni amicabiliter tractaturi anno 1023.

E

## IN EPIST. XIV.

HAbetur in manuscr. nostro Chronic. ( Anno millesi. tertiodecimo obijt Richardus Dux Normaniæ, pius, tertius Norman. Dux, Monachorum auctor prouisor Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum suffragator, orphanorum tutor, & viduarum defensor in multis bellis victor extitit. Nota interim verbum *banniendo,*) id est obligando, in Const. Car. mag. ( vt

A nullus ad placitum banniatur, id est ad iurisdictiones, vel iudicia, vel conuentus: sic enim placita sonant. i. obligetur. Videtur autem deductum à nostro, *band,*) Galli & *arriere band.* )

## IN EPIST. XV.

HIc fit mentio, *Regis Cono.* ) habetur in nostro veteri Chroni. ( Cono Dux valde potens ad imperium aspirans instinctu Albini Archiep. Moguntini repudiatus est.

B

## IN EPIST. XXII.

DE Abbone habetur mentio in nostro Chron. anno mil. 12. florebant in scientia litterarum in Lotharingia Lerigeus Abbas Lobiens. Audbold Episcop Vltraiect. in Francia Fulbert. Carnot. & Abbo sancti Benedicti Abbas supra Ligerim.

## IN EPIST. XXXI.

DE Odilone fit in pluribus locis mentio. In nostro ver. Chron. an. mill. 20 florebat religio per famosos Abbates sanctitate præstantes, in Burgundia per Odilonem Cluniacensem, pietate ingenti, & Guill. Diuionensem. De eo sic Petrus Damianus in eius vita.

C Hic sanctus Auerniæ ex equestri genere ortundus, dum adhuc infans esset, tanto repente omnium membrorum torpore laborabat, vt vix incederet ad ianuam Basilicæ Dei genitricis solus relictus, pedibus vix repens, cornua altaris manibus apprehendens, diuinæ virtutis auxilium sensit, & omni languore sanatus Monachus factus post Maiolum Abbas creatus est.

## IN EPIST. XXXVIII.

IN tabolis Democh. *Ebalus* ) Archiepis. Remens. annumet. 40.

D

## IN EPIST. XLV.

IN tabolis Democh. hic Episc. non *Adarus*, sed Aderbero vocatur, est 36. Epis. Laud. in duobus M. sc. inscribitur hæc Epist. *Adaro Laud. Episc. non praclaro,*) vt habent excusæ à D. Mali.

## IN EPIST. XLVII.

QVis sit iste *Archiepis. Tur.* & quo nomine sit insignitus, vix colligi potest ex tabolis Democh. requisiuerat Pallium Archipræs. à summo Pontifice, & ei denegatum fuerat. Describitur autem Pallium à Lothario Card. qui postea fuit Innoc. III. in lib. de offi. Missæ, hoc modo, Pallium istud quo maiores Episcopi vtuntur, est de candida lana contextum, de super habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab vtraque parte pendentes, quatuor cruces purpureas, ante, retro, à dextris, à sinistris, sed à sinistris duplex est, & simplex à dextris, Tres etiam acus aureæ infiguntur pallio, ante pectus, super humerum & post tergum, super dextrum humerum non infigitur, hæc qualibet acus pretiosum continet lapidem.

E Quid autem hæc significent idem Loth, sic interpretatur. ( Pallium istud significat disciplinam, qua te ipsos & subditos tegere debent, per hanc acquiritur torques aurea, quam legitime certantes accipiunt, de qua Salomon in Prouerb. *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & legem matris tuæ, & addetur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* ) Pallium de lana contextum, habens circulum, & ( Hæc omnia moralibus sunt imbuta mysteriis, & dictis grauida sacramentis. In lana quippe notatur asperitas, in candore benignitas designatur, Nam

Ecclesiastica disciplina, contra rebelles obstinatos, seueritatem exercet, sed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem. Propterea de lana non cuiuslibet animalis, sed ouis tantum efficitur. Circulus Pallij per quem humeri constringuntur, est timor Domini, per quem opera coercentur, ne vel ad illicita defluant, vel ad superflua relaxentur. Quatuor cruces sunt virtutes Card. iustitia, fortitudo, prudentia, temper. quæ nisi crucis Christi sanguine purpurentur, falsum sibi virtutis nomen vsurpant. Pallium duplex in sinistra, sed simplex in dextra, quia vita præsens quæ per sinistram significatur, multis est subiecta molestiis, sed vita futura quæ per dextram significatur, in vna semper collocata est quiete. Tercacus, quæ Pallio insiguntur, ante pectus, super humerum sinistrum, post tergum, designant compassionem proximi, ministrationem officij, districtionem iudicij, quarum prima pungit animum, secunda per laborem, tertia per terrorem. Super dextrum humerum non infigitur acus, quoniam in æterna quiete, nullus est afflictionis aculeus. Acus est aurea, sed inferius acuta, & superius rotunda, lapidem continens pretiosum, quia nimirum bonus Pastor, propter curam animi, in terris affligitur, sed in cœlis æternaliter coronabitur, vbi pretiosam illam margaritam habebit. Cum Pallio isto confertur Pontificalis officij plenitudo. Nam antequam Metropolitanus Pallio decoretur, non debet Clericos ordinare, Pontifices consecrare, vel Ecclesias dedicare. Huc vsque Loth. Card.

## IN EPIST. XLIX.

HIc Episc. Syluanect. vocatur Rolandus à Demochare, & annumeratur 39.

## IN EPIST. LI.

ARchipræsul ille Rotbomag. à Demochare vocatur Robertus Richardi Norm. Ducis primi filius.

## IN EPIST. LVII.

DEmochares istum Episcopum appellat Rogerium, & ponitur in suis tabulis. 6.

## IN EPIST. LIX.

SVccessit Roberto Regi Henricus filius, quem ille moriens hærede nuncupatat, vt nonnulli scribunt, minorem filium. Huic consilio Constantia Regina obstabat, & Robertum alterum filium regem salutabat. Odoque Campaniæ & Balduinus Flandriæ Comites, ac non pauci præterea non contemnenda nobilitate in armis aderant, cæteri minore inuidia. Tandem Robertus iure Regis cedere coactus, Ducatu Burgundiæ nobilissimo ac opulentissimo contentus. Paul. Æmil. in vita Henrici.

## IN EPISTOA LXII.

HIc Episc. appellatur Theodoricus à Democh. & annumeratur 49.

## IN EPIST. LXVIII.

HAbetur hic textus, *Inter organa vatum, & ardentes cincendelas virginum.* Sic habetur in nostro M. S. & in M. S. D. Pataui viri Conf. & doctissimi, in Catholico Ianuensi sic interpretatur. Cincendela, à candeo candea, dicitur, insule genus scrabronum quod volans candet, cicendulum, ponitur pro candela, nam dicitur à candeo.

## IN EPISTOLA. XC.

VBi habetur, *Incendium Ecclesia nostra.* ) Ex veteri Annali Abbat. S. Petri in valle Carnot. id est in legenda sancti Aniani. ( Anno millesi. vigesi. in nocte natiuitatis Episc. Fulb. anno. 4. fuit ciuitas Carnotens. & tota Ecclesia Beatę Mariæ combusta, quam idem Episcopus gloriosus sua industrie & labore sumptu à fundamento reædificauit.

## EPIST. XCIV.

HIc vocatur à Demochare Ganglino.

## IN EPIST. XCV.

VBi habetur hic textus, *Valetudines varia Mellna.* ) Sic habetur in M. S. sed apud Greg. Turonensem habetur, morbiue.

## IN EPIST. XCVI.

HAbetur in nostro veteri Chron. in vita Roberti. Quod Mathildis soror ducis Richardi, & vxor Odonis Comitis Carnot. obiit absque liberis. Post cuius obitum dictus Odo terram quam ei Richardus dederat in matrimonium contractu, scilicet mediam partem Castri Drocosoni, noluit Odo Duci Richardo reddere, vnde bellum exarsit inter eos. Postea Rex Robertus conuocans eos, pace peracta, amicos reddidit apud Caloras. Fit autem mentio *Parium Frãcia* ) Horum Origo. *In Feudorum Longobard. traditione traditur.* ) Fuit enim in primario quoque Feudo, stabilitus certus Vassallorum numerus, qui Pares aut liberi Feudales dicebantur, etiam Domini sui colentes, & de Feudalibus causis iudicentes, quibus hoc nomine ingentes prærogatiuæ cum nobilitate attribuebantur. Hi Vassalli iudicantes dicebantur Pares, quia Pari inter se iurisdictione, auctoritate, dignitate, priuilegioque erant ac munere. Omnes Carolo magno Regi & Imperatori institutionẽ duodecim Parium Galliæ acceptam ferunt, quia fabulis veteribus Gallice conscriptis sic fuit traditum. Verumtamen res non ita se habet, cum eo tempore Feudi non fuerint patrimoniales aut hereditarij. Creati enim sunt cum iam Ducum aut Comitum dignitatem obtinerent, neque est credibile hos ante fuisse pares, quam Duces essent aut Comites. Itaque postquam Remenses Arch. & Laonenses & Lingonenses Episcopi Duces sunt facti ( qui Comitatus fuerant ante ) tunc pares creati sunt. Regnante autem Roberto Rege, anno 1015. Eudus Campaniæ Comes, Ogerio fratri Episcopo & Bellouacensi Ecclesiæ dedit Bellonacorum Comitatum, circumscriptum suis finibus. Quo tempore certum est creatos fuisse pares. Vide Comment. Ioan. Tillij de rebus Gall. lib. 2. de Paribus Galliæ.

## IN EPIST. XCVII.

HÆc Epistola inscribitur in excussis Regi Danomarc. Chuclo, sed melius Cnuto, sic enim testatur Guiller. Malmesb. de gestis Angl. lib. 2, cap. 2. an. ab Incar. 1032. Eiusdem inquit Archipres. & Helnothi hortatu, Cnuto Rex ad transmarinas Ecclesias misit pecunias, maxime Carnotum, vbi tunc florebat Fulbertus Episcop. in sanctitate & Philosophia nominatissimus.

In

A

### EPIST. CVIII.

HIc *Archangelus Monachorum Odilo.*] Sic enim appellat Fulbertus; testimonium de sanctitate & morum probitate Fulbert. refert amplissimum. Multum est laudari à laudato viro.

### IN EPIST. CIX.

FVlbertum Romam cum Roberto Rege petiisse, peregrinationis causa suspicor. Rex etenim Robertus, inquit Paulus Æmil. in illius vita, cum Romæ esset ad Diui Apostoli aram, scriptum obtulit pridie festiuitatis Apostoli, in quo Antiphona, *Cornelio Centurio*, continebatur, in veteri Manuscripto Chron. B [Anno millesi. 26. Robert. Rex Francorum piissimus Romam causa deuotionis, & peregrinationis proficiscens, pridie vigiliæ Apost. Pauli obtulit Antiphon. *Cornel. Centurio.* Hic enim erat numinis reuerentissimus, liberalibus studiis, sacrisque disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus. Antiphonas, sacraque responsa quædam edidit, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata, receptaque, eiusmodi sunt. Sancti Spiritus, ô Constantia Martyrum. Quod responsorium composuisse ferunt, cum Constantia illius vxor, Robertum Maritum rogasset vt in illius gratiam aliquod carmen conderet. C Cum Auallonem obsideret, nullo oppugnante quassanteue, sed eo in tabernaculo partem corruisse sua sponte magnam murorum hymnos concinnante ferūt, velut diuinitus ac superis veneratori suo gratiam præsentem referentibus. Pau. Æmil. in eius vita.

### IN EPIST. CX.

CAnonicos Carnotenses aliquando Episcopo Lexouiensi de Ecclesiis suis visitationis ius persoluisse apparet. *Nomen autem Circada*, oritur à circumeo, vtitur eo verbo sæpius Hincmarus Archiepisc. Rem. Epistol. 1. ad Lud. Balb. Imperator quem hortatur cap. 8. vt Eccl. in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, ante viginti annos impositas non affligantur.

### IN EPIST. CXIII.

B POtionem iera vocat, sacram medicinam. Quid sit autem potio iera sciunt medici, multiplex est genus. Nomen autem scirpuli interpretatur ipse Fulbert. sic, de vncia & partibus.

*Vncia viginti scirpulos & quatuor ambit*
*Dimidium stater, ac semiuncia dicitur eius,*
*Terna dua secla pars eademque duella,*
*Quarta siclus vel sicilicus, vel denique sicel.*
*Sextula sexta modo solet & modo secla vocari,*
*Octauam appellant dragmam.*

C Et de scirpulo, & partibus eius:

*Vnus item scirpulus calcis componitur octo,*
*Dimidium scirpuli est obul. pars quarta cerates,*
*Hinc sextam fingi placuit siliquamque vocari.*
*Vltimus est calcus, ciceris duo granula pensans.*

# EPISTOLAE ARNVLPHI EPISCOPI LEXOVIENSIS.

*Ex Bibliotheca Odonis Turnebi Hadriani. F. in lucem edita Parisijs Anno.* CIↃ. IↃ. LXXXV.

## Arnulphus Dei gratia Lexouiensis Ecclesiæ humilis minister, dilecto suo Egidio Rothomagensi Archiepiscopo, Salutem.

### EPISTOLA. I.

EPISTOLAS quæ aliquando di-
uersis à me sunt destinatæ personis
in libellum redigi, tuoq; desidsrio
postulas exhiberi: Adquieuissem li-
bentius, si scirê quod eas esses quasi
furtinum aliqnid habiturus, quia in
lucê prodire propriæ imperfectio-
nis conscîêtia non præsumunt. Ti-
meo enim si publicis exponêtur aspectibus, ne lectorê
ieiunæ macies orationis offêdat, mihiq; ad iactantiam
reputetur editio, quâ tâmê non fastus ostêtationis eli-
cuit, sed instantia tuæ charitatis extorsit. Decrenerâ eas
futuris non reseruare têporib. sed omni protinus abdi-
eare memoria, quia nô satis de cultu sermonis, vel sen-
tentiarû peritia confidebâ. Mallem siquidem eas rene-
bris dânasse perennibus, quâ ridendi materiam inuidiæ
præstitisse, quæ eo securius aliena subsannat, quia sna si-
mili periculo nô exponit. Non enim cæteri nos vel no-
stra tuis oculis intuêtur, à quo si quid in nobis bonû est
magnificatur attentius, & imperfectioni venia facilis in-
dulgetur, Animi si quidem eorû qnos odij sibi vel inui-
diæ vendicauit affectio, sicut benignitatem indulgentiæ
nesciût, sie rationis iudicium non attiogunt, sed omnia
metiuntur affectibus nihil sua meritorum æstimatiooe
taxantes. Ego itaque voluntati tuæ deesse non audeo, ne
forte verecundiam negligentiâ putes, quia sicut alter-
nis amicitia côualescir obsequiis, sic alterutrius incuria
procedente iaxatur. Summo itaque studio congregaui
quas potui, quia nulla earum apud me exemplaria resi-
debant, sed ab his à quib. aliquo casu seruatæ fuerât ve-
lut emendicatas accepi. Et antiquiores quidem studia
scilicet melioris ætatis elapsæ sunt, quæ recentius exer-
citia scholaria redolebant, quia ibi & sententiæ promp-
tiore tractabantur ingenio, & vsus accurari sermonis
copiam ministrabar. Tûc enim læta festiuo quodâ sche-
mate decurrebat oratio, cum ingenio doctrina concur-
rens rerum inuentiones cômoda fœcûdi sermonis elo-
cutione formabat. Quævero nouissime scripta sût, quê-
dâ trahût de præsenti senectute defectum, quia proue-
ctior ætas memoria iam segniore torpescit, & occupa-
tiones necessaria studiis spatia nô indulgent: quoniâ in-
stantia Pontificalis officij non tam figuris elocutionum,
quâ saluti prospicit animarum. Veruntamen si quâdoq;
me vel reuerentia personæ, vel negotij quâtitas prorra-
hit ad scribendum, omnia mihi cum difficultate proue-
niunt, cum & hebetiorem senectus reddat, & insolen-
ria tardiorem. Mitto itaque quod postulâti negare non
audeo, sciasque non exhiberi indici, sed amico, apud D
quem gratia potius patrocinetur ad veniam, quam exa-
ctior peritia reducat ad formam.

A gratulatione complecti. Timueram sane ne memoriam
mei apud vos diuturnitas temporis, vel distantia regio-
nû, vel ipsa nouissime vestra promotio deieuisset, quo-
niam nouæ dignitates veteres solent amicitias immuta-
re. Creat enim cor nouum & nouos affectus, nouæ con-
scientia dignitatis: diuitesque facti paupertatis amicos,
cum ipsa paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de ve-
teri videatur inopia resedisse. Solos autem venerantur
& diligunt qnos fortuna conducit, solisque gaudent su-
blimibus inhærere, ne maiestas dignitatis inferiorum
frequentia, vel humili mediocrium grauetur accessu. At
vero constantia vestra veterem amicum recenti memo-
ria continens, absentem præsenti charitate complecti-
tur, ipsumque spiritualibus oculis frequentius intuens,
Episcopalis nunc fastigij diuitias, gratiam & obsequium
non minus liberaliter offert, quàm mediocres olim pri-
B mitias iuuentutis. Retinendos creditis quos ad diligen-
dum liberalis inuitauit affectio, quos fidei veritas, non
dolus cupiditatis illexit, qui fidi personæ comites, non
fortunæ omnes vobis compartientur euentus. Et ego
quidem quantum ad me spectat, quem eiusdem ordinis
& similis, licet non tantæ dignitatis gratia sublimauit,
hâc in vobis virtutê lôganimitatis admiror, quæ scilicet
ibi tanto admirabilior est, vbi minoribus eundem exhi-
betis affectum. Viuebat autem vobis nihilominus apud
me vetus, sed non inueterata dilectio, quæ licet ab ado-
lescentia prima processerit, nullam adhuc potuit incur-
rere senectutem, sed me ad omnia quæ vobis placita
forent paratum tota deuotione seruabat. Quia igitur
ociosus amor esse non debet, sed alternis inuicem pas-
citur, & reuirescit obsequiis, id interim à dilectione ve-
stra petendum censui, vt ducem nostrum, cui ius suc-
C cessionis hæreditariæ, regni vestri gubernacula debet,
quantum honestate vestra poteritis, diligatis, mihique,
cum occasio suggesserit, quod placuerit iniungatis,
vt mutuæ dilectionis affectus mutua semper operis ex-
hibitione concrescat. Vale.

*Ad Robertum Lincolniensem Episcopum.*

### EPIST. II.

LIteras vestræ dilectionis accepi, quas tanta charita-
te complexus sum, quanta tanti viri gratiam decuit

*Ad Ernaldum Boneuallensem Abbatem.*

### EPIST. III.

VEnerabilis frater & amicus noster Philippus Ab-
bas infirmitatem vestram, cum magna nobis a-
maritudine nunciauit, affectum animi lacbrymarum
testimonio prosecutus. Quod verbum primo statim au-
ditu tanto nobis acerbius extitit, quanto proxime
de vestra fueramus præsentia gratulati. Cœperunt
igitur occurrere mihi quæ de vestra dilectione io-
cunda prouenerant, & si quid simile in futurum
sperabatur, semperque discurrens inter vtrumque
consideratio vim mœroris augebat. Occurrebat mi-
hi siquidem charitatis vestræ sanctum illud dulceq; col-
loquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum eru-
dire solertia, & aures iocundi sermonis suauitate mulce-
re.

re. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas diuina contulerat, in qua nescio an magis qui sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari. Hæc enim apud vos tanta sibi inuicem paritate respondent, vt neq; rerum maiestas verborum coartari videatur angustiis, nec sermonis dignitas aliqua sententiarum excellētia prægrauari, in his sane quæ vel intellectus cōcipere, vel humana facundia sufficit explanare. Palā est de illius hoc processisse doctrina, cuius spiritus familiariū mētes & linguas tā notitia veritatis, quā affluentia sermonis illustrat. Deniq; dolor in miserationē cōuersus est, dū incommoda vestra laboresq; contemplor, quib. innocētiā vestram solicitudo domestica, & persecutoris immanitas incessanter affligunt. Sed & de proximo sperata tranquillitas, quasi de manibus videbatur erepta, vt omnē vobis de præsenti crederetur fortuna requiem inuidisse. Potiorem tamē requiē, sicut præsumitur vobis, resolutio contulisset, quia regē in decore suo viderent oculi vestri, vt ad impleret vos lætitia cū vultu suo, quē propter se tot ad præsens tribulationibus passus est infestari. Nobis autem iocundū est vestra vel admodicū tēpus frui præsentia, vestro recreari colloquio, vestro cōsilio releuari, quoniā vestra si dilata est vobis retributio, non aufertur, sed reposita vobis est in tuto corona iustitiæ, depositūque fidele quod suum est, suo tempore qui cōmisit, agnoscet. Dum igitur his super statu vestro considerationib. mea mēs cōpassione debita raperetur, subitus tanquam ex insperato morbus obrepsit, vt facile credi posset vestræ partem infirmitatis in me compassionis affectio transfudisse. Hæc tamē est priuata passione sublata compassio, sed vtriq; prospiciens animus duplici cœpit statim incommodo laborare. Visitauit igitur vtrumque misericors & miserator Dominus, & vtrique ea ratione beneficium sanitatis indulsit, quia alter sine altero perfecte sanari minime potuisset. Vobis ergo seruatus sum; vestra mihi nihilominus sapientia reseruata, vt secundum legem Christi alter alterius onera inuicem supportemus, & secundum exuberantem charitatem alterius se totum gaudeat vtilitatibus impendisse.

*Ad Henricum Pisanum Legatum* Rom. *Ecclesiæ.*

INEPIST. IV.

POst discessum vestrum importunum tertianæ quater passus accessum, tandem ad medicinæ remedium salutare confugi, quod tamen paulò minus mihi molestum extitit, quā caloris intēperantia quæ præcessit. Habent enim medicinæ remedia nescio quid abominandę malignitatis admixtum, & ne gratis conferant omne beneficium, semper adiuncto maleficio recōpensant, vt etiam cum profuerint, indignius vlciscantur. Cōualui tamen, & per gratiam Dei & merita vestra, iocunda mihi spes notatæ sanitatis arridet, portumque salutis nostra creditur anchora continere. Aliquæ tamen adhuc præteritæ passionis inhæsēre reliquiæ macies, & ægritudinis cognata debilitas, delicatus appetitus, cuius fastidio nulla copia, nulla satisfacere potest industria ministrorū. Ad recidiuā medicus paratā dicit esse materiā, ideoque studiū subtilioris obseruantiæ scrupolosus imponit, ruptisque labiis & lingua palpitante rāta potum tribuit parcitate, vt sitim potius irritare, quā cōpescere velle credatur. Illud enim hominū genus quadā austeritate semper notabile, arti suæ reuerentiam, sola seueritatis exhibitione conquirit, & quasi de benignitate vilesceret, infamat omnia quæcūque miser patientis appetitus exposcit. Vtinā quod ad victualia pertinet idem nobis vsus & abstinētia præberetur, vt suspicionē communicatio tolleret, & fidē pietas compassionis augeret. Ad hæc defectum im peritiæ suæ culpæ semper ægrotātis adscribūt, vt æger & inedia pereat, & calumniæ contumelio crucietur, Denique ad mercedis augmētū sententiosis sermonibus incedētes, gratiā sibi misericordiæ diuinæ præripiunt, vt quod miseratio diuina cōtulit, de eorū videatur diligentia prouenisse. Hæc ad præsens apud celsitudinē vestrā incōmoda nos excusent, quia si

A persona corporalis impotētia detinet, maiestati tamen vestræ deuotio charitatis occurrit. Causas quoque nostrorū, quæ interim in vestro sunt auditorio ventiladæ; cōmendamus attētius, vt in eis apud vos amici diligētiam, & iudicis inueniant æquitatē, Domino quoque Regi supplices pro nobis gratias exhibere, quod infirmitati nostræ tanta liberalitate cōpassus est, & æs alienū quod tam ipsius, quā alia qualibet occasione contraxeram, si secus accideret, regali suscepit munificentia persoluendū, fidēque deuotionis nostræ & sedulitatē laudauit obsequii, eaque sibi sæpius extitisse fructuosa cognouit. Dulcius & efficacius inter omnia medicamenta accepi gratiā Domini mei, in opportunitate coprosius affluentem, cuius alacritas omnem protinus iniuriā passionis exclusit. felicem me, inquam, si vnquam inueniar B accepisse non ingrate, quod tāta tamque facili mihi bonitate collatum est, si vtilitatibus eius & gloriæ datum mihi fuerit totis facultatibus, toto studio, totis semper viribus inseruire. Licet autem maiestas beneficii modulum nostræ paruitatis excedat, dignissimus profecto dicendus est quisquis totum quod potest ad gratiarum congerit actionem.

*Ad G. Montalem.* EPIST. V.

QVoties literas tuæ deuotionis accipio causā mihi mœroris afferunt, & ad te semper amplius diligēdum sinceræ flammam charitatis accendunt. Et causam quidem mœroris afferunt, quoniā repræsentatur menti meæ frater ille meus, quē viuentem speciali præ cæteris amore dilexi, cuius quanto vita mihi iocūdior extitit, tāto defuncti lachrymosa recordatio plus doloris importat. Requiescebat in eo spiritus meus, quia ipsum vere me alterum poterā reputare, cui me & ipsum mihi nō C carnis identitas, licet ex eadem stirpe procederet, sed inseparabilis consentientiū vnitas asciuerat animorū, semper alteri collibuit, quod alteri collibebat: nec tā suum alter, quā alterius attendebat affectū, vt illius magis quā suo semper afficeretur incommodo, vel cōmodo lætaretur. Sublata est mihi animæ meæ eo decedēte pars altera, & intra secretū pectoris inane quiddā præcordia sēriūt, quoniā spiritus integritas, potiore sui parte deminuta languescit. At vero ad te, sicut dictum est, amplius diligendum flammam charitatis accēdit, quod huius te doloris sociā & vicariam fraternæ dilectionis agnosco. Inter te enim & ipsum, cū adhuc esses septennis, parētū interuētu contracta fuere sponsalia, dum illi sibi de bu- D mano coniugio noua amicitiarum fœdera compromittunt, & grata prouenturæ sobolis pignora contemplātur, & humanæ quidē cogitationes ad humanos libere disponuntur affectus: sed omnis est inanis affectio, cui nō desideratos diuina bonitas largitur effectus. Dum o. thalamus illi nuptialis, & cōiugalis puellæ mētales destinātur amplexus, quā nobilitas generis, quam formæ gratia, quam denique virginalis cōmendabat integritas, diuina sepulchrum illi dispositio præparabat, vt de flore iuuētutis in puluerē, de gloria pulchritudinis & virtutis in putredinē solueretur. Felix tamē ille, si prior, immo quia prior celestē thalamū ingressus est, vt adeptam mansionem dilectę suæ quandoque communicet, & ad agni nuptias pariter introducti, in cōspectu eius copulari valeatis, & in lætitia delectari. Felix tu, quæ corporales aliquādo superasti lasciuiæ voluntatis illecebras, quā ab eiuscemodi cōtracto zelus diuinæ bonitatis cō- E seruauit intactam, vt munere tibi perpetuæ virginitatis indulto, agnum sequi quocunque ierit, & spirituale illud cātieū possis cū assignatis millibus decātare. Nō ergo tibi sublata sunt, sed immutata sponsalia, vt iam non homini sed Deo spiritali copula coniūgaris, cuius desiderabilis te foueat & astringat amplexus, vt sit læua eius sub capite tuo, & dextera eius amplexetur te. Tui itaque studii erit apud hunc, ad quem toto corporis obsequio, tota animæ deuotione conuersa es, deuotis illum precibus commendare, quia zelum huius habitæ pro illo supplicatio nō offendet. Nouit enim inter te & ipsum nihil carnalis intercessione commercii, nouit

quia animus tuus in illa ætate nulla potuit concupiscẽtiæ macula deformari. Non est ergo quod inuideat, non est quod te minus reddat acceptam, sed potius in te castum tam piæ dilectionis approbabit affectum, scio sane quam studiose id agas Neque enim illius apud te potest præterisse memoria, quem defunctum non minus spirituali contẽplaris intuitu, quàm viuẽtem corporali mirabaris aspectu. Porro quãto sincerior extitit, tãto diuturnior factæ dilectionis affectio permanebit. Amor n. quem corruptarum carnium generant passiones, corruptioni semper obnoxius, quanto difficilius in principio regitur, tanto post modum facilius euanescit, adeo vt plerumque conuertatur in odium, & voluptas amaritudine compensetur. Sed & imperfectus est, multisq; declaratur indiciis ipsum ex vera charitate non nasci, quoniam tanto minus singulos necesse est diligas, quanto hunc in plures partieris affectum. Sed & qui diligitur sine querela participem non admittit, quoniam sibi derogatum reputat, quicquid alij senserit impertitum Sed in corruptibilis amor de ipsa sinceri spiritus veritate procedẽs, quãto fuerit dilatatus in plures, tanto maius de effusione contrahit incrementũ, nec inuidiam participatio generat, sed insolubilem sanctæ inter omnes concordiæ firmat amplexum. Hac igitur præsentem sponsum tuum charitate complectere, eumque non oculis corporis inquire, sed cordis, vt speciẽ eius, quoniam speciosus est, intueri, & suauitatẽ eius possis, quoniam suauis est, degustare. Age etiam gratias incessanter, quoniam spiritui corpus seruauit intactum, vt puritas inuicem puritati respondeat, & tu ei perpetuum valeas integritatis offerre.

*Ad Dominum Papam Adrianum.*

EPIST. VI.

LAtor præsentium magister Simon miserabiles ad Apostolicam sedem portat iniurias, quarum si ille locus Episcopum habuisset, audita à vobis prius esse debuerat vindicta, quam culpa. Audite eũ, & iniurias eius, immo vestras, seueritate debita vindicare, ne huiusmodi aduersus Apostolicam sedem insolescat audacia præsertim cũ in partibus illis in contemptum eius plæraque iam incipiant germina pullulare. Occurrendum est igitur ne tractu temporis impunita malignitas cõualescat, & vires iniquitati dissimulatio vestra, vel indulgentior gratia subministret. Iam enim nomen Apostolicum, quod hactenus in terra illa reuerẽtiæ fuerat & terroris, in causam scandali versum est, & contemptus: nec appellantem prouocatio liberat, sed in se potius vehemẽtiam iudicis exacerbat. Sensit hoc iste, qui propter appellationem reclusus in carcerem, ac miserabili tortus inedia, nec apud Tyrannũ sine pecunia, nec apud Episcopũ sine detrimento causæ potuit liberari. Et ego quidem pro causa ipsius obnoxius supplicare decreueram, sed apud misericordiam vestrã facile causam declarata perorabit afflictio, & apud gratiam vestram intercessio nostra solito congaudebit effectu. Verum priuatæ cõmunis causa præponderat quoniam de Ecclesiæ Dei libertate tractatur, nec iam spes restat vlla refugij si in irritũ deducta fuerit Apostolicæ protectionis auctoritas. Vindicate igitur, ne forte, quod absit, procedat temeritas in exemplum, sed clarius audita correctio imperitiam doceat & compescat audaciam.

*Ad eundem.*

EPIST. VII.

PEtitionem Baiocensis Ecclesiæ de reuocatione Episcopi sui debita deuotione prosequimur, preces nostras precibus eorum apud misericordiam vestram humiliter adiungentes. Supplicat cum eis quisquis antiqua Ecclesiæ detrimenta cognouit, quã ille de puluere paupertatis & deiectionis erectam, de paupere diuitẽ, de cõtemptibili venerabilem, de ignobili reddidit gloriosam. In quibus sane perficiendis quisquis laborem eius industriamque perspexerit, probabit tum in executione prudentiam, tum magnificentiam in effectu. Testantur hoc ædificiorum reparatio, reuocatio possessionum, & antiquæ restauratio dignitatis, quã in conculcationem dederat malignitas & impotentia peruersorum. Exultabunt igitur illi, si migraueritis, quo debellante deiecti sunt, iamque manus auidas reparãt ad rapinam, qui licentius cõsueuerant in iura Ecclesiæ malignari. Quia igitur filij & fideles Ecclesiæ imminentia iam sibi detrimenta præsentiunt, ad discretionis & misericordiæ vestræ subsidium singulare concurrunt, vt ad conseruanda quæ collegit suum Episcopum eis remittatis Homo enim consilij & fortitudinis est, potens in opere & sermone, in regalibus consiliis & negotiis Ecclesiasticis acceptus & efficax, plurimumque tam ipsi Archiepiscopo, quam omnibus prouincialibus Episcopis necessarius ad reprimendam & repellendam ab Ecclesia Dei insolentiam malignorum. Desideratur autem regressus eius ab his qui in terra prudentiores sunt, & si quis aduersus eum furtiua malignitate submurmurat, non tam charitate, quam inuidia; nec tantum delictis eius quãtum suspecta magnificentia commouetur. Dominus personam vestram Ecclesiæ suæ per tempora multa conseruet incolumem.

*Ad eundem.*

EPIST. VIII.

LIteras iãdudum vestræ timidus offero maiestati; quia diu est quod coram vestra non apparui Sãctitate. Venturus autem fueram iam tertio, nisi me fallax inuidi casus importunitas impedisset, quo tribus annis iam hoc propositum meum ad contrarios rapuit violenter euentus. Primo siquidem per bella Francorum, deinde per insperatum Comitis Andegauensis interitũ nouissime per Regiam quæ in filium eius ita recrudruit, ad quam non solum ciuitatis nostræ, sed ipsius etiam Ecclesiæ limina tremuerunt. Verum nunc respirandi fiduciam parant tum partis nostræ iustitia, tũ Ducis nostri virtus illustrior, quæ gladios hostium quandoque perterruit, & ad pacis inclinauit affectum. Cum igitur, Deo volente, sublata fuerit, vel dilata turbatio, nihil poterit incolumem retinere, quin me quam citius pedibus vestræ Sanctitatis aduoluam, gratissime suscepturus omnia, quibus moram meam quantumcunque excusabilis appareat, vestra paternitas increpabit. Neq; enim apud eum audeo desperare de venia, cuius benignitas manifestæ excusationis impotentiam non excludit. Iterũ autem ex veteri procedit audacia, quod venientem ad vos venerabilem & dilectum fratrem nostrum Episcopum Constantinum precibus commendare præsumo, quamuis pro eo plurimum facere videatur ad gratiam, quod inter initia noui Episcopatus nihil faciendum potius reputauit, quàm Romani Pontificis gratiam quærere, seque totum familiaritati Romanæ Ecclesiæ eò deuotius quò velocius mancipare.

*Ad eundem.*

EPIST. IX.

PRo causa ex mandato vestro dirimenda, quæ inter Abbatẽ Gemmeticanum, & monachos vertebatur, ad ipsũ monasteriũ vsq; descendimus, vt nobis facilius de proximo facies Ecclesiæ & rerum veritas innotescere posset, ac sine sumptu & labore partium ipsa cõmodius cõtrouersia terminari. Cæterũ in quamcunque partem debeat culpa conferri, certũ est monasterium antiquum & nobile miserabiliter in spiritual. & tẽporalib. defecisse, tantusque inter Abbatẽ & monachos omnes, exceptis trib. vel quatuor, zelus exarsit, vt in omne tempus de reformanda inter eos cõcordia desperetur. Tot. n. in ipsum turpitudines publice protulerũt, vt necesse sit semper vtraque partẽ de vera alterius gratia dubitare, quoniam quiescente fortasse litigio, odiosa probrorum memoria non quiescet. Proposuerunt siquidem aduersus eum tria capitula, primum de turpi & innaturali incontinentia, secũdũ de simonia, tertium de dilapidatione, per quã non tantũ ad inopiã, sed & ad extremam inediã se dicebãt esse deductos. Ne vero confusionẽ facerer multitudo, si de trib. promiscue tractaretur, elegerũt primũ illud de incõtinẽtia capitulũ: super quo septẽ accusatores

cuſatores monachos ſacerdotes, & nouem poſt modum teſtes monachos iudem, ſed diuerſorum ordinum produxerunt. Quorum diligentius explorato teſtimonio, cognouimus V. ſingulos de ſingulis actib. ſingulare teſtimonium perhibere, nec aliquem eorum aliquid cũ alio percepiſſe, ſed per ſe ſigillatim vnumquemq. quod dixerat inueniſſe. Duorum autem qui vnius actus atteſtatione producti ſunt, reperimus, alterum laïcum nullius ordinis olim militem, ideoq; ad exhibẽdam in presbyterũ criminis probationem minus idoneum. Alter vero cum eo detracto ſolitarius remaneret, à nobis eſt minus ſufficiens reputatus. Porro de duob. nouiſſimis, qui similiter in vnius, ſed alterius actus teſtimonio proceſſerunt, alter ſubdiac. & adoleſcẽs inuentus eſt, qui & ipſe eũ ob vlteriorẽ Abatis familiaritatẽ ſuſpect⁹ eſſe fratrib. incepiſſet, ſe nihil inhoneſtũ de Abbate percepiſſe conſtantiſſime coram omnib. affirmauit. Vnde pro minori ætate, & ordine, & inconſtantia ſermonis excluſus, ſocium nihilominus ſolitarium fecit. Licet illũ quoq. laſciuius ſe geſſiſſe & pars aduerſa diceret, & fama conſentiens prædicaret. Quib. omnibus diligenter audiris & cognitis, viſũ eſt nobis ſententia cuncta quæ proceſſerant, non ad probationem, ſed ad præſumptionem poſſe proficere, quia probationis priuilegiũ ſolitaria teſtimonia non merentur. Quia igitur præſumptioni ſtandum eſt, donec in cõtrarium probetur, Abbati eſt à nobis adiudicata purgatio, ſeptima quidem manu, trium ſcilicet Abbatum, & trium monachorum ſacerdotum notę, opinionis, & nominis; quorum iuramentis vulneratæ famæ neceſſarium poſſet remedium comparare. Appellatum eſt ergo à monachis ad octauas Pentec. Apoſtoli poſtulati & traditi, patribuſque mandatum, ne interim ab eis appellati nominis Apoſtolici reuerentia læderetur.

*Ad Magiſtrum Petrum Helya.* EPIST. X.

SI ab adoleſcente noſtro laudabilis indoles & induſtria ſperata defecit, certus ſum à magiſtro nec doctrinam, nec diligentiam defeciſſe. Debueram vobis, ſi ſe tractabilem præbuiſſet, ſed pluris me conſtituit fluxa eius & repugnans inſolentia debitorem. Quanto enim in eo proſecutio veſtra minus inuenit obſequij, tãto plus laboris impendi, plus moleſtiarum oportuit ſuſtineri. Eſt igitur voluntas noſtra, quod redeat vt tam à nobis, quàm à patre fratribuſque correptus, poſſit ad vos aliquando mutata in melius voluntate reuerti.

*Ad Dominum Papam Alexãdrum cum eſſet Cancellarius.*
EPIST. XI.

BAndinum veſtrum ad Regem vſq; perduxi, qui dignationi veſtræ gratias agens, eum maiori Procuratori domus ſuæ tradidit informandum, vt idem ei & neceſſaria prouideret, & inter alios nobiles eum regalibus obſequiis familiarius adhiberet. Et ille quidẽ imperata diligenter exequutus, ſed etiam imperium quandoq; eleganti præuenit ingenio, promptus ad omnia, quib. debet ingenui adoleſcẽtis induſtria collaudari. Sine igitur aucupationi, ſeu venationi, quib. ſtudiis Rex multus inſiſtit ſeu rebus bellicis intenderetur, regios diſcurſus indefeſſa celeritate proſequebatur: cęteriſque pigritantib. non ſolum regi, ſed & omnib. qui cum ipſo erant vigilanter aſſiſtebat, tanquam ſi vniuſcuiuſque eſſet ſpecialiter obſequio deputatus. Vnde plurimam apud regem & apud omnes laudem & gratiam impẽſa ſedulitate promeruit. At ſi de moribus ducitis inquirendum, Gallicanam poroſus incontinentiam, ſeueritatis Italicæ modeſtiam cõſeruauit, veſtræ memor per omnia diſciplinæ. Non eum reddidit ſermo petulans, vel effuſus infectum, non regales diuitiæ fortioris adoleſcentię robur emollierunt, non opinionem eius aliqua reſperſit infamia, ſed teſtis conſcientiæ pudor ad omnem aſpectum & omne alloquium faciem eius caſto laudabilis verecundiæ rubore ſuffundit. Atque hæc mihi quandoq; ad Curiam redeũti per pleroſq; comperta ſunt ſed gratius habui quòd hæc & alia de ipſius ore Regis accepi. Adiunxit enim, nullum

A inter tot nobiles tantæ induſtriæ, tamque bonæ indolis puerum ſe habere, magiſque ipſum in agnoſcenda domus Regiæ diſciplina paruo tempore profeciſſe, quam alij triennio profeciſſent. Compertum ſe habere puerũ nobilis eſſe proſapiæ, cuius ingenuos mores vltro tã prudentia quam benignitas innata formaret. Placere ſibi ſi apud eum aliquãdiu moraretur, veſtro tamen remittendum arbitrio, quam primum æſtiualis intemperantia præteriſſet. Exiſtimabitis fortaſſis quæ ſcribo fallaces eſſe blandicias, ſed nec ſapientem fallere tutum eſt, nec mendacio conuenit labia pollui ſacerdotis. Vale.

*Ad Abbatem ſancti Ebrulfi.*
EPIST. XII.

SCire debetis omnes obligationes prædeceſſoris veſtri in perſonam veſtram recta via tranſiſſe, quibuſcunque B monaſterium veſtrum in deceſſu ipſius extitit obligatũ: ſed eædem obligationes, ſi forte fuerant, religione qualibet interueniente firmatæ, eidem vinculo vos credatis obnoxium, quem in locum illius ſucceſſiſſe conſtat, & omnes tam vtilitates quàm onera monaſterij ſuſcepiſſe. Propter quod Hugonis & Drogonis de cambioni grauiter inſtantia nos infeſtat ſuper pecunia, quam prædicto prędeceſſori veſtro totique capitulo crediderit, cuius ſolutionem certum eſt ipſum & vniuerſitatem totam fide per vicarias manus corporaliter interueniẽte firmaſſe. Ad maiorem quoque cautelam decem de fidelibus monaſterij pari vinculo ſe nihilominus aſtrinxerũt, quos ſcilicet creditorum, prouidentia magis idoneos credidit ad ſoluendum. Poſt modum verò qua fide, qua diligentia negotium veſtrum geſſerim apud eos, veſtra præſentia recognouit, cùm vobis & vſuras remitti fecerim, & C neceſſitatem ſolutionis in duorum annorum curricula prorogari. Cumque nulla inter vos poſſet, niſi me interueniente, prouenire concordia, obligaui me pro vobis, promiſſo ſcilicet, quod ſuo tempore fidem debitam facerem, placitis conuentionibus exhiberi. Porro ſanctitas veſtra minorem meritis meis gratiam retulit, minorem Epiſcopali reuerentiam detulit dignitati, minus opinioni ſuę, minus fidei fratrũ, ſaluti q; proſpexit. Quid enim ſi ſemel cõſenſit vniuerſitas obligari, nũquid reatus Abbatis, aut depoſitio potuit eos ęre alieno quod contraxerant, fideque ſuper ipſo præſtita, liberare? In vos tamen hæc potius quam in ipſos debet culpa conferri, cum eas circa ſpiritualia propenſius occupatis, ipſi fidei & diligẽ D tiæ veſtræ ſuam & poteſtatem crediderint & ſalutem. Quod ſi vos curam animarum ſuſcepiſtis bona fide gerendam, ad conſeruandam fidem eorum principaliter intendere debuiſtis, præſertim cùm huiuſmodi tranſgreſſio ſoleat criminalis etiam in ſæcularibus æſtimari. Super quod ſi ignorantiam eorum ſimplicitas fidelis excuſat, in vos tam veſtra quam ea quæ eorum futura eſſet ſi reſciſſent, iure culpa transfertur, duplici ſque reatus duplex vos conſtituit negligentia tranſgreſſorem. Accedit quod prudentiam veſtram ſemel iterumque commonui, vt creditores exorare, adhibita etiam noſtra interceſſione, velletis: quod facile fieri poterat, vt ſolis precib. ſalua vobis adhuc eſſe poſſet & vtilitas & honeſtas. Redite igitur ad cor, & contemptum hunc conſilio meliore deponite, fidem noſtram & veſtram & fratrum veſtrorum E ab hac, ſi etiam eſt calumnia, liberate, quoniam res iſta plurimam opinioni veſtræ iam intulit læſionem, & ſi fortaſſis non abſtulerit conſcientiæ puritatem. Quod ſi veteri propoſito decreuiſtis inſiſtere, me quidẽ mendacem promiſſionis exiſtere nõ oportet, ſed vbi conſilij mãſuetudo non proficit, manum fortitudinis conuenit adhibere. Studii itaque veſtri ſit infra proximum Pentecoſten ſatisfacere, ſicut in noſtra fuit præſentia conſtitutum. Alioquin ex eã die fraternitatem veſtram ab officio altaris noueritis, ea qua pręeminemus auctoritate, ſuſpenſam: fratrum vero veſtrorum conſcientiæ relinquo, quo modo munus offerant ad altare, ſi non fuerit creditoribus ſatisfactum, quibus ipſi ſe, etſi non propriis, vicariis tamen manibus aſtrinxerunt.

*Ad Abbatem sancti Ebrulfi.*

EPIST. XIII.

PRo Vvilmo monacho olim nos fraternitati tuę semel & iterũ scripsisse meminimus, vt eũ in monasterio tuo in quo professus est, reciperes, & paratum ad omnem humilitatem & obedientiam benignitate debita consoueres. Quod si aduersus eum fraternitas tua aliquid haberet, quominus recipiendum esse decerneres, idipsum nobis, assignato tibi loco & tempore congruo demonstrares, ne aut ipse sine culpa, societate collegij priuaretur, aut quies fratrum importuno reprobandæ personæ turbaretur accessu. Ouis enim ad ouile potius humeris est reportanda pastoris, quam luporum morsibus exponẽda, ad cuius salutem impretiabilis ille Christi sanguis effusus est, & institutionis Euangelicæ doctrina concurrit. Nos vero cum tu nec monachum iuxta mandata reciperes, nec post secundam etiam vocationẽ nostro te conspectui præsentares, ne in contemptum Episcopalis reuerentia verteretur, ad veniendum te mandato seueriore compulimus, prædicto fratri de exclusione, nobis de inobedientia responsurum post modum, tamen ne quid motu quolibet facere crederemur, nostri quanta iniuriam nostram facilitate remisimus, vt & tu exemplo nostro posses ad misericordiam inuitari. Tu vero quam durum te & inexorabilem præstiteris, meministi, asserens sæpe dictum fratrem publica totius capituli sententia condemnatum exisse, pro delicto quodã, quod, sicut aiebas, secundũ priuatas institutiones vestras veniã non meretur. Ille vero cum delictum modis omnib. aẽtentiamque capituli pernegasset, innocentiam suã testimonio capituli cum omni, sicut visum est, securitate cõmisit. Placuit itaq; nobis consilio magnorũ virorum qui aderant, ipsum & religiosas ad capitulum vice nostra destinare personas, per quas nobis exquisitã remitteret attestatio publica veritatẽ. Tu autem in absentem testimoniũ dici multa instantia postulabas, nec te permissurum pro nobis ipsum vel capitulum iurare; vel aliquid quod sibi diceretur audire. cum in inquisitione criminis reos præsentes esse oporteat, & omnẽ eis audiendi & respondendi copiam indulgeri. Super quo, quia de sæpe dicti fratris crimine noluisti nos facere certiores, necesse habemus ipsum interim innocentem reputare, quem nec propria cõfessio, nec attestatio quælibet aliena cõuincit. Neq; enim ipsum pro simplici delatione tua condẽnari canonicus ordo permittit, præsertim cũ te eum aliquandiu exosum habuisse constet, nec adhuc rancorẽ veteris iracundiæ sepelisse. Per præsentia itaque scripta tibi mãdamus, vt eum in claustro cum cæteris fratrib. sine dilatione salua omni pristini status sui integritate recipias, nec vllis eum molestiis inquietes, sed tãto eũ benigniori charitate confoueas, quanto ipsum es seueriori vehementia persecutus. Ad benigni siquidem patris amplexũ filialis deuotio cõualescit, & sicut odia prouocãtur iniuria, sic benignitate gratia cõparatur. Quod si fraternitas tua præsentib. detrectauerit obedire mandatis, ab altaris officio te noueris, ea qua tibi præeminemus auctoritate, E suspẽsum, donec & fratri de iniuria, & nobis sit de contemptu ordine iudiciario satisfactum. Nosse siquidẽ debes in eo qui religionem professus est, inobedientiã crimen esse, ipsumq; ad exactissimã diligentiam teneri, qui obedientiam Prælato suo viua voce & scripto, iuramento etiam corporaliter interueniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signauit.

*Ad Vuillm. Cenomanensem Episcopum.*

EPIST. XIV.

DOminus Rad. thesaurarius Rothomagensis amicus noster est, compertumq; habet quod ego apud sanctitatem vestram iamdudum plurimam sim gratiam consequutus. Inde est quod nostra apud vos intercessione postulat adiuuari, quoniam in duobus se grauari conqueritur, super assignatione loci, quẽ vos ei & Domino Pictaum ad agendum de causa quæ inter eos vertitur, assignastis. Cum enim ciuitas vestra in medio sit fere cõ-

A stituta, paulo tamen à Rothom. ciuitate remotior, vos eum quasi in occursum aduersarii sui ad vlteriora loca trahere destinastis. In quo videtur ei quod affectio vestra in fauorẽ oppositæ partis cœperit esse procliuior, quia statim ei de spatii distributione adeo propitius extitistis, vt aduersario sl. tantum milliaria ad veniendũ, & ei centum, ipsaq; importuniora præfixeritis, ad eundũ. Quod si ei censuistis pro Episcopali reuerentia deferendum, id eatenus faciẽdum est, ne in onus aut præiudiciũ alterius liberalitas effusa procedat. Sic.n. inter partes media debet esse iudicantis religio, vt liberã de pari singulis exhibeat æquitatem, ne sententiam dictasse videatur affectio, sed iustitia rationis instrumentis cõpẽsata formasse. Rogat igitur, nosque pro eo supplicamus attentius, vt locus B eis ad agendum facta æquius spatii distributione Cenoman. assignetur, aut citra, vt & nos interesse possimus, quia ob familiaritatem vtriusque partis & gratiã, plurimam inter eos componendi fiduciam obtinemus. De alterius vero loci & temporis assignatione, de vobis conqueri pars illa nõ poterit, quoniam hic citatus semel pro simplici absentia condemnari non potest, donec secundo, vel tertio etiam citatus fortasse sit, vt pro multiplici absentia de manifesta contumacia condemnetur. Val.

*Ad Hugonem Rothomagensem Archiepiscopum.*

EPIST. XV.

SVper iniuria quam nobis infert Dominus Sieannensis literas vestræ maiestatis accepimus, continentes quod ipse nobis sacerdotem ad Ecclesiam illam de qua C agitur per manum vestram consentit offerri. Et nos nimirum sanctæ & benignæ nobis diligentiæ vestræ gratias agimus, sed versuti hominis timemus astutias, ne hoc facto & prudẽtiã vestrã circũuenite, & iustitiæ nostræ præiudicium comparate disponat. Iudicatũ.n. est inter nos, & à delegatis ab Apostolica sede iudicib. imperatum, vt nobis ablata restituat, & excõmunicatos ad satisfactionem venire cõpellat, sacerdotem offerat, per quem & Ecclesiam & popolũ nobis, tanquã pastori & Episcopo animarum suarum, faciat obedire. In quo si de alterius & non de ipsius manu suscipimus sacerdotẽ, non restituta nobis videbitur, sed sequestrata possessio, plurimumque hoc poterit partem nostram cũ de dominio tractabitur, D impedire. Sed nec ad obsequendum iudicibus sola sufficit sacerdotis oblatio, nisi & ea quæ præscripta sunt nobis integre fecerit exhiberi. Si tamẽ ad præsens de ea inter nos compositione tractaretur, quæ omne in futuro litigium tolleret, possemus ad omnem temperantiã cõsilio vestræ paternitatis adduci, sed aduersario ad pugnã se totis viribus accingenti vires addere, non est imprudantis tantum hominis, sed insani.

*Ad Danielem Priorem sanctæ Barbaræ.*

EPIST XVI.

AD gerendam sollicitudinem domus tuæ non pro tua te, frater, virtute vocauimus, sed pro diuinæ fiducia bonitatis, quæ his qui ad regimen animarum pure vocantur & humiliter obedire consentiunt, vberiorẽ largiri gratiam consueuit. Sicut autẽ non debebas te nõ vocatus ingerere, ita vocatus recusare nõ debes, quia nõ minus delictum tumor inobedientię, quam zelus ambitionis importat. Quod si non ex tumore, sed ex humilitate potius, sicut putas, & timore desistis, pusillanimitatem hæc mihi sapit humilitas, quanto studiosius deuitanda est, quanto magis periculo desperationis accedit. Sed & si qua vnquam ratione ab hac vocatione fueras absoluendus, non debuisti apud fratres tuos, nec apud auctoritatem nostram literis excusari, nec propriæ voluntati, cui te renunciasse cognoscis, morem gerere, sed personam tuam, quæ magis nostra quàm tua est, pedib. nostris humilis & deuotus offerre, fratrumq; tuorum trahi desideriis, & mandatis Pontificalibus inclinari. Porro mora tua rerum temporalium, & quod grauius est, periculum cõtinet animarum, quia incustoditas oues luporum incursibus esse constat expositas, detrimentumque omne ab eo requirendum est, qui debitam custodiam

detrectat

detrectat aliquibus occasionibus adhibere. Veni igitur, quoniam cum ipso onere gratia nihi diuina concrescet, & nos personam tuam, & dumum ipsam solita, vel maiore etiam charitate fouebimus. Et si qua fortè intrinsecus difficultas emerserit, ego in manu forti ante faciem tuam protinus omnia complanabo. Veni, inquam, & infra octauam diem post acceptionem præsentium literarum iter aggredere, nullasque inueniendo causas dilationis admittas, nisi quas necessitas inuincibilis, vel enormis damni euitatio suggesserit admittendas. Quod si non feceris, exinde te, tanquam inobedientem, Episcopali autoritate ab omnium Ecclesiarum introitu summouemus.

*Ad Ernaldum Bonevall. Abbatem.*

## EPIST. XVII.

DE aduentu vestro nihil audieram priusquam vester ad me nuncius peruenisset. Neque enim videram Dominum Ebroicensem, sed eadem die ipsum literas vestras Turonum, quò ad Regem veneramus accepi, literarúmque breuitatem iocunda communis amici suppleuit oratio. Gauisus sum de incolumitate vestra, gauisus de peregrinationis prouentu, gauisus quòd vestram prudentiam & honestatem honore debito Romana recognouit Ecclesia. Ad cumulum tamen exultationis accessit, quòd in proximo visitare nos dilectio vestra constituit, vt & mutuis exhilaremur aspectibus, & iocundis alternæ collocutionis affatibus delectemur. Communicabimus etenim quæ nos interim blanda vel aspera contigerunt, quoniam hæc inter amicos communicatio mouet affectus, vt prospera quidem propter congratulationem dulciora faciat, & aduersa per compatientiam leuiora. Porro siquidem leuius quod alius mecum pari compassione supportat, ipsámque inter amicus facit exuberare lætitiā, conscia participatio gaudiorum. Quanta igitur possum acceleratione festino, Lexouiúmque ipso Kal. Mart. die, Domino volente, perueniam: ibidem per dies aliquot, vel in vicinia moraturus. Nuntium autem vestrum per aliquantulum temporis modestè detinui, quoniam incertum me de reditu meo gratia quæ inter Reges vertebantur negotia detinebant.

*Ad Rad. Dedicetio London. Archid.*

## EPIST. XVIII.

AV diui te causa studiorum Parisius aduenisse, audiui & lætatus sum: Lætatus equidem, vt eius quem diligebam præsens me lætificaret aspectus, & iocunda collocutionis alternæ collatio delectaret. Optabā quoque, vt aliqua exhibendi tibi officij refulgeret occasio, cuius me dudum merita præuenerunt. Licet enim solum veritas amicitiæ requirat affectum, liberale tamen obsequium non excludit, sed eo potiùs illustratur, quoniam, vt ait sanctus ille, probatio dilectionis exhibitio est operis. Mouet autem quod cùm secundo iam veneris, noluisti ad amicum vel ad momentum etiam declinare, neque saltem percusorem debitæ salutationis alloquium paucis consignatum apicibus destinare. Hæsi diutius, quotiésque ab illis partibus aliquis apparebat, diuinabam quòd ille mihi iucundum Rad. mei nunciaret aduentum, frustratus totiens, ex hoc nunc nihil audeo diuinare, sed charitatem tuam duxi literis præsentibus, si fortè obdormierit, excitandam, aut si quem fortè concepit falsa suspicione languorem, de perseuerantiæ meæ nuncio conualescat. Noueris enim nihil tibi apud me de pristina charitate perisse, sed quasi duplicatus amor est, cùm eum tibi mea mens cogatur exsoluere, quem aliquando duobus impendebat affectum, sublatus siquidem est è medio cōmunis amicus noster Rad. de Flur. qui dimidium animæ meæ videtur moriens abstulisse. Ipsius mihi semper est colenda memoria, ipsius amor semper, quibuscunque modis id fieri potuerit, instaurandus. Duobus autem modis defuncto vicem amicitiæ iudicu rependendam, vt primò scilicet pijs apud Deum intercessionibus adiuuetur: secundò hi quos ipse dilexerat dilectione vicaria diligantur. Inde est quòd amor noster ab illo in te quasi quodam hæreditariæ successionis iure transfusus est, vt iam te nōn simplici, sed duplicato complectar affectū. Tibi enim præ cæteris hæc est deferenda successio, quem ille præ cæteris diligebat, tibique eam quasi quodam testamento specialis amicitiæ prærogatiua consignat. Gere igitur suum amicitiæ morem, certisque clarescat indicijs ipsam nouas vires de noua duplicatione traxisse. Scribe autem interim aliquid, vt in alterius vtriusque videar suscepisse sermonem. Iniunge quod vis, vt in altero vtrique videar obsequium præstitisse: visitā nos, vt possim vtriusque personam in altero contemplari. Scribe, inquam, quia si scripseris, hoc ipsum tibi studij poterit augere materiam, nec propositi operis prouectum impediet aut prouentum. Iniunge aliquid, vt aliqua amicitiæ perseuerantis argumēta procedant, quia eam efficacius comprobat petendi fiducia, quàm liberalitas offerendi. Visita nos quia te, cùm desiderium nostrum, tum loci propinquitas, tum etiam solemnitas inuitat. Dominus quoque Vvillermus de Ver ex promissione tenetur vt veniat, vobisque inuicem solatiari poteritis, & nobis sanctæ solennitatis gaudia duplicare. Valete.

*Ad Dominum Papam Alexandrum de promotione sua.*

## EPIST. XIX.

BEnedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui Ecclesiam, suam immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui mirabili semper benignitate diligit & conseruat. Licet enim ipsam aliquibus quandoque vexari patiatur iniurijs, facit tamen cum tentatione prouentum, vt possit sustinere, nec vnquam portas inferi aduersus eam præualere permittit. Neque enim expedit vt continuæ prosperitatis status eam insolentem reddat, vel otiositas negligentem, sed humilitatem conseruet afflictio, & vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum ipsa tanquam aurū in fornace probatur: & ad augmentum coronæ cuncta proficiunt, dum eam vis aduersitatis fortiorem reddit, & malignitatis infestatio cautiorem. Ipse verò miserator & misericors Dominus ad tempora tribulationis viros virtutis & consilij prouidet & præformat, qui temeritatis audaciam repellere valeant, & malignitatis astutiā nouerint declinare. Quod in sanctæ & gloriosæ recordationis Innocentio Papa satis euidenter apparuit, qui extollentem se aduersus omne quod dicitur aut quod colitur, Deus deiecit hæreticum, quem nobilitas generis, quem diuitiarum cumulus, quem peccatrix eloquētia, quem prudentia sæcularis, quem denique sæcularium hominum fauor publicus attollebat. Præualuit in athleta Dei veritas falsitati, & humilitati robustæ superbia cessit ambitio, & de iniquitate iustitia triumphauit. Vidimus siquidem ipsum exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiuimus, & ecce non erat: quæsiuimus, & non est inuentus locus eius, quia nec inter mortuos tumulum, neque titulum meruit sepulturę. Dominus autem sublimauit cornu Christi sui, vt in eo vnitas Ecclesiæ reformari posset, & regnum ipsius omnibus dominari. Memini ego, nec idá vestra reor excidisse memoria, quanta ad mandata eius Principes reuerentia mouerentur, quàm sublimis extiterit, quantáque maiestate refulsit Ecclesia, quantum in diebus eius religio munda & immaculata profecerit, adeò vt plures hodie religiosorum deserta contineant, quàm ferarum olim habuerint bestiarum. Arbitrabatur ille ad regendos ho-

mines vtendū potius sobriæ seueritatis disciplina, quàm remissæ misericordiæ lenitate, Deo potiùs quàm hominibus placere desiderans, ne ob gratiam hominum, coram Deo posset contemptibilis apparere. Vnde & virtus eius semper inter aduersa maior enituit, nec tanta postmodum prosperitatis eius insignia claruerint, quanta præcedentis aduersitatis adhuc magnalia celebrātur. Neque enim confidebat in homine, neque carnem ponebat brachium suum, sed potiùs confidebat in Domino, & erat Dominus fiducia eius. Porrò schismata hæc in Ecclesia Romana frequentiùs accidisse, etiam Lateranensis Palatij picturæ demunstrant, vbi Catholicorum patrum pedibus, pro scabello schismatici præsumptores adscripti sunt, vbi superborum & sublimium colla sapientia propria virtute conterit & conculcat. Quod sanè ea ratione factum, vt sanctis patribus cedat ad gloriā victoriæ testis adscriptio, in qua præsumptores illi vel compressionis pœnam sustinent, vel præsumptionis veniam deprecantur. Vnde & sancti Apostolatus vestri cathedra sine scabello esse non debuit, sed nobiliore scabello debuit illustrari. Neque enim incerta vobis est, aut longinqua victoria, sed humilitas verecundiæ vestræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu sancto patribus distulit obedire. Pari etenim culpæ tenetur obnoxius, qui vocationem Domini præuenit, vel recusat oblatam. Redibit tamen in proximo, Deo volente, serenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula dissoluetur, redintegrata vnitate Catholica ab omni parte pedibus vestris vniuersitas fidelis occurret. Interim autem quæcunque cæteros studia remorentur, quibuscunque desiderijs prophana trahatur ambitio, quantacunque temeritate detestabilis erumpat inuidia, ego minor licet omnibus, non minore tamen gaudio quam cæteri gloriam vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri vicarium, pastorem & Episcopum omnium qui Christiano nomine censentur agnosco, & vobiscum catholicam profiteor vnitatem. Gaudeo itaque quoniam desideratus dies, dies scilicet exultationis illuxit, quo reuera restitutam credimus virtutibus gratiam, virgam vitijs, terrorem principibus, Ecclesiæ libertatem. Gaudeo, inquam, quia ex hoc nunc sermo Dei non erit alligatus, sed verbum eius quod in ore vestro verum est, quod impossibile credebatur, facili consummabit effectu. Properassem igitur iam ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos, vt ariditatem meam, quasi cupiosior de proximo benedictionis vestræ rigarem vbertas, nisi me zelus vtilitatis vestræ maximè tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit, festinaui ad nostri notitiam Principis id perferre, vt vacantem animum eius fauore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præueniret: faciliùs etenim est animos occupare vacantes, quàm ipsos à conceptis affectibus reuocare. Hæsit ille aliquandiu, sed statim operante Spiritus sancti gratia confirmatus, nullum se alium quàm vos suscepturum hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cùm proximè de differenda vestra susceptione Imperatoris literas accepisset, cui discurrentibus inuicem literis & legatis, plurima videtur charitate coniunctus, ne preces eius spreuisse, & in præiudicium eius festinasse videretur, generale quidem suppressit edictum, sed nequaquam manus aut linguam à literarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quenquam nostrum voluit continere. Arbitratus est siquidem minus valituram pro vobis edicti iactantiam, quàm operis veritatem. Firma apud eum est & indubitata vestri Apostolatus auctoritas, atque in quancunque partem cor prædicti principis fuerit inclinatum, iste proculdubio non sequetur errantem. Mei autem studij erit omnes circa eum quasi vigilias obseruare, ne ora loquentium iniqua conualeant, sed ipse in vestra sicut semel incepit, obedientia perseueret. Felicem enim me, inquam, si vnquam in hoc vel in alio beneficentiæ vestræ gratus inueniar, vt deuotionis meæ saltem inter cæteros aliquando velit vestra dignatio reminisci. Vestrum quoque est, quoties refulget occasio, prouincias omnes frequentibus visitare mandatis, vt ab omni parte nomini vestro & obedientiæ pariter assuescant, quia nō erit qui vel literas non recipere, vel mandatis audeat obuiare.

*Rescriptum Domini Papæ Alexandri.*

## EPIST. XX.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Arnulpho Lexouiensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Literas à tua nobis prudentia destinatas tantò hilariori mente suscepimus, quantò de vberiori pinguedine charitatis, & ampliori feruore deuotionis eas nouimus processisse. Quas & nos ipsi attentè satis ac diligenter inspeximus, & vt conceptæ dilectionis integritas & probatæ fidei certitudo in tenebris non lateret, sed fieret ignorantibus manifesta, eas in fratrum nostrorum auditorio publicè fecimus recitari. Ipsæ profectò & deuotissimi continebant puritatem animi, nec minus luculentam profūdi pectoris eloquentiam redolebant. Nouimus autem & immemores non existimus, qualiter sicut & ipsa tua scripta plenariè continebant, diuæ ac reuerendæ memoriæ Innocent. Pap. antecessori nostro, schismaticus ille, qui & generositate naturæ, rerum copia terrenarum, prudentia sæculari, & gratia labiorum, mira æstimatione reddebatur insignis, nefaria temeritate successit, & innocentem noxius, fortis debilem, armatus inermem, schismaticus catholicum impugnabat. Cæterum ad quem finem res ipsa, Deo miserante, peruenerit, deuoti & fideles Ecclesiæ filij, per gloriam meritorum; mali verò, per suppliciorum grauamina cognouerunt. Quid etiam de alijs similia præsumentibus, antea sæpenumerò contigisset, tu tam fecundè, quàm eleganter in illis eisdem literis expressisti. Temporibusque nostris optimus Deus voluit hæreses suscitare, vt qui probati sunt, manifesti fiant, & vt per nostrum & aliorum catholicorum studium & laborē granis à paleis in area Domini segregatis, seb sinata & hæreses conterantur. Credimus siquidem, & de gratia diuina confidimus, quòd in proximo sedatis fluctibus procellarum, & venturum turbine propulsato, dies nobis serenus & fulgidus arridebit. Et calcatis inimicis Ecclesiæ tranquilla in portu Petri nauicula residebit. persoluimus autem gratias omnium conditori, laudum præconia referentes, quod magnificum illum & serenissimum orbis Principem Henricum Regem Anglorum audimus firmum & stabilem in Catholicæ vnitate Ecclesiæ permanere, & quòd per tuam præsertim inductionem idem in sancto proposito animum solidauit. Rogamus sanè vt ita vigil semper circa eum & sollicitus perseueres, ne per frequentes vexationes Imperatoris & nunciorum suorum, à deuotione Ecclesiæ & nostra, quod absit, velit modo quolibet declinare. Volumus quidem te apud eundem Regem & Episcopos atque adiacentes personas, quasi quendam Apostolum & nuncium veritatis in illis partibus, experiri. Circumpositos quoque & vicinos Episcopos, & tam Ecclesiasticas quàm sæculares personas, nobiles præcipuè ac potentes ad hoc ipsum efficaci studio & omni diligentia exhorteris. Nos enim personam tuam quam sincera charitate in Domino diligamus, atque ad honorem & exaltationem tuam quàm prompto animo desideremus intendere, per illum dilectionis feruorem, quem circa te & ante promotionem nostrā habuimus discretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare. Præterea qualiter Fridericus Romanorum Imperator, auorum suorum sceleratissima vestigia subsecutus, circa sacrosanctam Ecclesiam Romanam in præsenti se habeat, & olim

olim habuerit, & qualem circa eam animum gerat, qui A vtique specialis eius patronus deberet & defensor existere, multis rerum indiciis à longis retro temporibus, ad notitiam tuam non ambigimus peruenisse. A tempore siquidem antecessoris nostri piæ recordationis Adriani Papæ, & ab exordio dignitatis suæ cœpit sanctā Romanam Ecclesiam, tanquā tyrannus, opprimere & nō mediocriter infestare: Archiepiscopos namque & Episcopos à sede Apostolica redeuntes, in ignominiam & detrimentum Ecclesiæ plerunque capi turpiter & inhonestè præcepit: eósque fecit carceris custodiæ mancipari. Nos quoque in minori officio constituti, qui cum venerabili fratre nostro B. nunc Portuensi Episcopo, ad eum fuimus delegati, qualiter apud Bisuntium ipse tractauerit, & quā indignè receperit, non opus est nos in præsenti referre, quia credimus te id ipsum B plenariè cognouisse. Veniente etiam prædicto antecessore nostro, patrimonium beati Petri violenter inuasit, & eandē Romanā Ecclesiam nisus est modis omnibus cōculcare, ita quòd à pluribus dicebatur, & quasi fama communis habebat, quoniam eo superstite Oct. qui sēper fuit domesticus Ecclesiæ inimicus ordinare Apostolicū, immo Apostaticū, si opportunitatem acciperet, intendebat. Quia vero illo viuente omnipotens Deus non permisit eum conceptam vesaniam exercere, post mortem eius opportunitate concepta prædictum Oct. schismaticum, symoniacum & manifestissimum inuasorem, qui cum tribus tantùm maliciæ suæ complicibus, sicut totus penè mundus agnouit, post canonicam & vnanimem electionem nostram mantum arripuit, & ita se damnabili præsumptione intrusit, in tanta iniquitate modis omnibus manu tenuit, & quidquid ille fecit, so- C lo fauore, potētia, & auctoritate ipsius, & nunciorum suorū, qui in vrbe præsentes extiterant, eum fecisse absque ambiguitate tenemus. Vnde ad confirmationē ipsius, immo vt omnē videretur in Ecclesia Dei auctoritatē habere, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, apud Papiam, contra sacrorum instituta Canonum, prout ei placuit, conuocauit. Ille autem, sicut homo qui nec in Deo, nec in iustitia confidebat, in ipsius Imperatoris præsentia per aliquot dies, velut pro certo accepimus, insignia Pontificatus abiecit, sicut etiā in nostro & fratrum nostrorū conspectu, dū Romæ olim nos teneret inclusos, suam malinam recognoscēs, facere voluit, ea quidem conditione seruata, vt nos ei postmodum reddere deberemus. Cúmque nos ea reci- D pere sub hac conditione nollemus, ipse in sua pertinacia & damnabili præsumptione permansit. Certùm vt prædictus Imperator Ecclesiam Dei suæ videretur subiugare & supponere ditioni, & eam in supremam redigere seruitutem, memorato apostatico, sicut dictum est, Pontificalia insignia reddidit, & eum de Papatu, quod est à sæculis inauditum, per annulum, prout dicitur, inuestiuit. Quosdam etiam Episcopos, aliis discretioribus & honestioribus occultè de illo conciliabulo fugientibus, & reuerentiam exhibere laïcali violentia tyrānica oppressione coëgit. Sic enim Reges & Principes diuersarum partium sibi intendit: tum spirituali, tum materiali gladio subiugare, si in hac parte, quod absit, nefandissimum eius propositum præualeret. Ad hæc, iuxta prudentiæ tuæ consilium, Rothomagensi Archiepiscopo, eiúsque suffraganeis, & aliis per Normaniam con- E stitutis, exhortationis literas destinamus. De cætero memoratum Fredericum Imperatorem, pro eo quod Oct. scismaticum recepit, & ei pertinaciter adhærere præsumit, cum eodem Oct. & cum aliis principalibus fautoribus suis, nos de communi fratrum nostrorum consilio, in cœna Domini publicè ac solemniter excommunicasse cognoscas. Data Anagn. kalend. Aprilis.

*Ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ.*

EPIST. XXI.

QVanta tempestate laboret Ecclesia, atque in quāto videatur periculo constituta, vestra quos hic dolor tangit prudentia non ignorat. Et filii quidē Babylonis prospiciunt & exultant, qui quasi certū auspicantes de procella tuin quātitate naufragium, ad diripiendas sarcinas & ipsa nauigii tabulata concurrunt. Nobis autem securitatem præstat diuina promissio, qua portas inferi aduersus eam præualere non sinit, sed vexationis iniurias victoriæ certitudo compensat. Neque enim desperationi locus est, vbi causam rectitudo commendat, & virtutem patientiæ firmat interim B conscientia veritatis. Causæ siquidem nostræ nec ignota veritas est, nec incerta iustitia, sed res luce clarior & prauitatis nube negotium purgat, & omni iudicium absoluit errore. Si enim persona personæ cōparetur, nostram perfectio scientiæ, & omnium virtutum format integritas, quod non magis nostræ, quā aduersariæ quoque partis testimonio confirmatur. Alteri verò si nobilitas generis & quæsita ob hoc ipsum potentiū gratia subtrahatur, non erit vnde ad maiestatis Apostolicæ fastigium audeat aspirare. Sed & si facta electionū inuicem conferātur electionem nostram omni ordine, omni solemnitate, omni denique ratione subnixam; alteram plenam impudentia constat, & omni rationis adminiculo destitutam. Nunquid enim vnius Episcopi, ipsiusque quem nostis & duorum Cardinalium toti C Ecclesiæ præiudicabit auctoritas, & reprobata vniuersitate Catholica intra quaternitatis huius angustias coarctata credetur? Nunquid consecrationi ritè ac solenniter per eam cuius interest multitudinē celebratæ; ea quæ post modū per paucas ipsaque emēdicatas manus cōtracta est poterit præualere? Nunquid impudentiam coniecti sibi propriis manibus indumenti minax redēptorum satellitū violentia consecrabit? Certum siquidē est Oct. Ecclesiam beati Petri, cum ibi celebranda foret electio, armatorum copia cōpleuisse, vt quod de meritis suis & sanctorum patrū gratia non sperabat, strictus in ceruices resistentium gladius vsurparet. Denique consensu omnium in personam sanctissimi patris Alexandri firmato dum ipse laudabili verecūdia renuit D & excusat, impositumque sibi manibus ferè omnium pluuiale repellit, dissimulare vlterius ambitio non potuit vel differre, sed effusa temeritate nullo adhuc Cardinalium, sicut dicitur, prosequente cucurrit ad cathedram, ea nimirum fiducia, quòd tot iis armatis non posset ab inermibus amoueri. Pari quoque palatium festinatione conscendit, vt primus vtramque cathedram videretur insedisse, & quem iure nō poterat, saltem de festinatione sortiretur ascensum. quo prædicti tres eum de tota vniuersitate secuti sunt. Alij gladiis discurrentibus territi, cum electo suo in munitionem proximam concesserunt, vbi eos aduersarius ille nouem diebus obsessos gladiis tenuit & inclusos, exiguam sicut poterant alimoniam toto illo tempore mendicantes. Vnde etiam sibi mentiendi causam componit iniquitas, asserens Oct. priusquam alter eligeretur, per nouem dies E Apostolatus cathedram solitarium insedisse, quasi ille ab initio licet renuerit non fuisset electus, vniusq; violenta possessio sanctificare iniustitiam, & ambitionis audaciam valeat expiare. Porrò illi de carcere beneficio Senatus educti ad locum quo apostolica insignia seruabantur, Domino miserante perducti sunt, vt electio manciparetur effectui, & electus gratiam consecrationis per manum Hostiensis Episcopi, ad quem hoc iure speciali pertinebat, acciperet. Denique Cardinales & Episcopi, qui per diuersas Prouincias legationis fungebantur officio, ad eum pari deuotione cōuersi sunt, totique iam Ecclesiæ Dei indubitatæ tranquillitatis spes

nitas arrideret, nisi homo ille ad præparatū Imperatoris auxilium transfugisset. Verùm ille gloriæ suæ & non Dei sedulus æmulator, desiderij complendi, quod de proauorum exemplo conceperat, occasionem lætabundus accepit. Nostis enim prædecessores eius ad subiugandam ditioni suæ Romanam Ecclesiam à longis retrò temporibus aspirasse, ipsosque aduersus eam semper vel suscitasse, vel fouisse schismaticos quo magis iure eius, cui ipsi ministerium debent, affectatum possent imperium exercere, eamque ad suam conuerso ordine non disponere, sed euertere voluntatem. Benè tamen, quoniam quisquis ad hanc de confidētia potestatis illius prorupit audaciam, in ruinam sibi factus est, cæteris in exemplū, quò confusa deinceps cessaret elatio, & sua Ecclesiæ Dei dignitas & reuerentia seruaretur. Cæterùm hic blanda schismatici desperantis humiliatione seductus est, dum ille personam suam arbitrio eius exponit & causam, neque se quicquam fore, nisi de sola ipsius voluntate præsumit. Vnde & ad pedes eius ipsa dicitur Apostolatus insignia resignasse, posteaque de manu ipsius inuestituram accepisse per annulum, vt veteri scilicet quæstione composita, regnum planè de sacerdotio, de spiritualibus temporalia, de Ecclesiasticis viderentur sæcularia triumphasse. Indignum facinus, omnibúsque sæculis detestanda malitia, ordinationem scilicet diuinam qualibet temeritate conuertere, & redemptam sanguine Christi perimere libertatem. Prædictus itaque Princeps negotium suum, tanquam sub vmbra pietatis exercens, Ecclesiasticum congregauit sæculari potestate conuentum, vt præsumptionē schismatici illius proprio roboraret assensu, & quos posset ad obedientiam illius tyrannicæ potestatis terroribus inclinaret, ea siquidem intentione, vt vtriusque gladij virtute comminuta pristinam reformet imperij maiestatem, vt vtriusque inuicem cooperante potentia, omnia regna propriæ subiiciat ditioni. Porrò illi quos schismatico conciliauerat necessitas aut volūtas, falsitatis & blasphemiæ symbolum conscripserunt, vt quod de veritate non possunt, saltem conquisitæ multitudinis suffragio præualere credantur. Quod scriptum si fortè contigerit ad sapientiæ vestræ venire conspectū, multa plenum falsitate credatis, licet etiam si absolutam contineret in omnibus veritatem, nihil quod ibi dispositum sit, aliquem de iure sortiretur effectum. Neque enim arbitrium dici potest, ad quod voluntaria partiū compromissio non astringit, nec iudicialis sententia, quę nec ab ordinaria iurisdictione, nec à delegata procedit. Sed & causam communem priuata auctoritate decidere, qua arrogantia præsumpserunt, nobisque tāquam inferioribus imponere magistratum, quos diuina bonitas pares ordine, & eadem spectabiles constituit dignitate. Sed neque causa dici debet, vbi inter cōsentientes nullum potuit esse litigium, neque sine contradictione quæstio vel formari potuit, vel absolui. Ad hæc si quod de Oct. factum est ab initio fortè non valuit, ex post facto illorum nullo iure valuit, confirmari cum ipse iā ab eo qui poterat condēnationis sententiā, debitique pœnā anathematis excepisset. Scio sapientiā vestram validioribus argumētis, potioribusque rationibus abundare, vt Papiense illud Conciliabulum nullius reputetis extitisse momenti, à vobis etiā minus intelligentium simplicitas valeat edoceri. Benedictus autem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, vt eam semper & agnitione veritatis illustret, & pedes eius à iustitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris prouexit inuidia, virtus altissimi manifesta deiecit, sic omnibus quos deuotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit & triumphum. Cùmque multis constet cæteras regiones abundasse portentis, sola Gallia monstra non habuit, sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, vir-

A tutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulsit. Vnde nūc quoque personarum penitus qualitate discussa, factisque electionum plenius exploratis, in personam sanctissimi patris Alexandri, de verè Catholici & serenissimi Regis sui beneplacito conuenerunt, literasque eius & nuncios passim & suscipiunt & honorant. Sed quia inter ipsum & Principem nostrū, Deo volente, nouiter est reformata concordia, placuit ob gratiam ipsius ad momentum differre publicandæ susceptionis edictum, donec iste noster Ecclesiā regni sui consuluisse posset, & quod mente concepit, assensus vestri conniuentia confirmasse. Neque enim prudentiam Regalis excellētiæ decuit, aliquid super tanto negotio inconsulta vestra sapientia diffinire, ne gloriam B suam alteri dedisse videretur, & reuerentiam vestram minoris quàm debuit æstimasse. Quæ tamen super hoc ipsius ab initio voluntas extiterit, multis declarauit indiciis & expressit, quoniam patris Alexandri nuncios & literas cum reuerentia semper excepit & gratia, nullūque se alium suscepturum, adhibita sæpe coram omnibus asseueratione, prædixit. Porrò literas Oct. ablatas tenuit manu Regia, velut immundū aliquid sordidumque contingere, sed in contēptum eius ligneæ tabellæ, quam ipse de puluere sustulit manibus offerētis impositas, ipse statim coram nuncio post dorsum suum quā sublimius potuit, risu multitudinis quæ aderat prosequente, proiecit. Ex his igitur manifestum est voluntatem eius in fauorem domini Alexandri, sine omni ambiguitate firmatam, ipsumque vestrum magis ob reue- C rentiam quæsisse consilium, quàm pro absoluenda qualibet super hoc negotio quæstione. Solent enim Principes Dominique terrarū, maiora negotia quadam semper mora suspendere, vt dilatione crescat auctoritas, & maior lætitia desideria protracta cōsummet. Super quo planè cum in idem fauor Principis veritasque concurrant, manifestè vobis viam responsionis gratia diuinæ bonitatis assignat. Oportet tamē vos propter aliquos, qui inter vos sunt, sollicitè prouidere qui se schismatico illi dicunt cognatione coniūctos, ne malignitas fortè præualeat, & eam quæ ex Deo est supplantet carnis affectio charitatem. Sed cùm vniuersitas vestra conuenerit, nolite quorumlibet expectare sententias, nec eorum timeatis offensam, sed cōceptum statim in virtute spiritus vsurpate sermonem, ne dissimulatio vestra pra- D uitati præstet audaciam, vestróque silentio blasphemiarum primitiæ conualescant. Tempestiuius igitur zelus iustitiæ per os vestrum de libertate conscientiæ, & confidentia veritatis erumpat, vt quasi quodam spirituali tonitruo terreatur iniquitas, & præparata ad subuersionem fidei fallacia suffocetur. Dominus mentes vestras in bonum sua pietate dirigat & confirmet, vt Ecclesiæ eius studio, vestra reformetur integritas, & quæ vos tantis vltrò beneficiis & honore præuenit, gratos in opportunitate sentiat & fideles.

*Ad Ioh. Neapol. & Vuillm. Papiensem Cardinalem.*

E

## EPIST. XXII.

AVdita sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione condolui, quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius specialis. Mihi enim dolor ille specialius incumbebat, quē ipsa semper hactenus tanta charitate dilexit, tanta familiaritate dignata est, tot beneficiis & honoribus illustrauit. Postmodum autem audito in cuius personam omniū ferè vota conuenerāt mœrorē gaudio, plorationem cythara, vocem plāctus organo commutaui. Gauisus siquidē sum paucos à generali concordia desciuisse, quorum numerus nihil aut parum vnitati Catholicæ poterit derogare. Gauisus, inquam, quia ei rerum summa commissa est, per quem facilè restauranda libertas Ecclesiæ creditur & hone-

ſtas. Portò mea non fuit interim otioſa deuotio, ſed apud eos in quorum oculis Deus mihi dedit aliquid au- A ctoritatis & gratiæ, cauſam Eccleſiæ perorauí, & Principem noſtrum Regem Anglorum, in fauorem partis huius primus & ſolus adh bito quod oportuit inſtantiæ confirmaui. Profectò veniſſem iam ad pedes Apoſtolicæ beatitudinis amplectendos, & miſcendum deſiderabile cum veſtra charitate colloquium, niſi belligerante in partibus noſtris Principe, multis me importunitatibus neceſſitas improba detineret. Veſtræ itaque benignitatis erit & gratiæ, abſentiam meam interim apud eum veſtra ſupplere præſentia, obſequiúmque meum, ſi aliqua videbitur parte opportunum, offerre, quoniã ad omne quod paucis mihi fuerit apicibus indicatum, paratus ſum ei & vobis tota deuotione totam impendere facultatem.

*Ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ de Electione domini Papæ Alexandri.*

EPIST. XXIII.

QVàm vtilis apud Principes noſtros ad agnitionem ſancti Apoſtolatus, reuerentiſſimi Domini & patris noſtri Alexandri Papæ diligentia noſtræ deuotionis extiterit, ad notitiam veſtram fidelium relatione peruenieraet peruenit. Neq; enim neceſſaria mihi eſt in hac parte iactantia, vt rei vobis veritas innoteſcat, quoniam me etiam diſſimulante latere non poterit, quod Normania tota mirata eſt, & ipſa de longinquo nihilominus Anglia recognouit Bene autem mihi; quia iam fructum C diligentiæ huius præmiumque laboris accipio, quoniã mihi ſalua eſt gloria mea, teſtimonium ſcilicet cõſcientiæ meæ, penes quam gratiæ Apoſtolicæ plenitudinem & indubitatam diuinæ benedictionis percipio veritatem. Gaudeo itaque ſciens me re vera matris meæ gremio contineri, ipſiuſque ſacris foueri complexibus & ſinceris vberibus allactari. Gaudeo inquam, cognoſcẽs quàm obſtinato ſchiſmatici miſerandæ cæcitatis claudantur errore, quorum oculos circumfuſæ lucis radij non illuſtrant, ſed ipſe potiùs excedens manifeſtæ fulgor claritatis offundit. Iudicati ſunt, debitámque commiſſi reatus excepere ſententiam, quos Eccleſia tanquã degeneres Sathanæ tradidit in interitum carnis, & à Catholica depulit vnitate. Neque caret executione ſententia, ſed indilato mancipatur effectui, cùm eos inte- D rim & conſcientia torqueat, & imminens quotidie præualentis Eccleſiæ triumphus affligat. Porrò benignius Eccleſiæ ſuæ ſapientia diuina prouidit manifeſtam faciens omnibus veritatem, vt nec ſimplicitas ignorantiã, nec malignitas probabile quidlibet valeat alligare, Si enim eos quos ab vnitate Catholica profana ſeiunxit ambitio, numerus, vel opinio, vel quælibet electionis forma defenderet, aliqua fortaſſis erroris materia contrahi potuiſſet. Sed tres tantùm de tota vniuerſitate ſeducti ſunt, & hi ſanè, quos magis ſupportare videbatur Eccleſia, quàm in aliquo de eorum induſtria gloriari, quia ſcilicet eos nec virtutis elegantia, nec literarũ peritia commendabat. Nunquid enim is qui inter eos ætate præcedebat & ordine, Tuſcul. loquor, horam quie- E tis & prandij ſolitus obſeruare: Epicurus alter reputabatur, ab omnibus omnium négligens, niſi alicuius fortè quod oblata ſperati prouẽtus auſpicatio præueniret. Quod adeo verum eſt, vt cæteris laborantibus ſolus præmature, ſicut dicitur, ab electione diſceſſerit, quoniam hora prandij videbatur inſtare, ne auidus deſiderio ſuo fraudaretur exactor, & inania aduerſus negligẽtes manus inciperent viſcera murmurare. Alius affectatæ cancellariæ confuſus opprobrio, & alienæ prælationis honore deiectus, conceptum de inuidia perſonale odium in Eccleſiam conuertere temeraria malignitate præſumpſit. Tertius verò ſolius inter alios perituræ priuilegio carnis exultans, arbitratus eſt nihil negandum ſanguini, nihil ſacris Canonibus deferendum. Neque enim poteſt debitam eis exhibere reuerentiam, quos ignorat Ideóque ſimilem ſibi Brutum brutus elegit, vt in vtroque ſibi inuicem dè pari literarum imperitia reſponderet. Sed & Apoſtolicæ ſeueritatis eos diſciplina terrebat, ne eorum præcipitem cohiberet audaciam, & vagos temerariæ cupiditatis frænaret excurſus. Hic numerus, hæc tanta peritia, hoc tam venerabile ſanctumque collegium, Eccleſiam Dei, immaculatam ſcilicet ſponſam dilecti filij ſui, renitentibus vniuerſis affectauit ad propriam pertrahere voluptatem, & à dextris Regis ad deteſtabiles Sathanæ transferre complexus. Viſa tamen totius ferè vniuerſitatis concordia deſperati, ad vnitatem ſtatim redituri fuerant vel inuiti: B ſed ſtupentibus ipſis, ideóque ceſſantibus ſchiſmatici maioris diutius effrænata non tulit ambitio. præparatoque furtim, ſicut dicitur, pluuiali de manibus offerentis arrepto, in humeros ſuos tanta feſtinatione coniecit, vt hærentibus collo fimbrijs pauimentum lamberet pars ſuperior indumenti. Sic indutus ad cathedram, nullo adhuc etiam prædictorum comitante, cucurrit, nomen ipſe ſibi victoris acclamans, & ad ſuffragandum ſibi & decantandas laudes præparator impudenter exhortans. Mirum ſpectaculum, nec manifeſto carens futuræ veritatis auſpicio, ſcilicet quod hic ei in ruinam quandoq; vertetur aſcenſus, ſicut ipſa præſumptæ chlamydis inuerſa conuerſio præſignabat. Interea reſeratis Eccleſiæ foribus, infame illud maledictorum genus irrupit: hoc enim cognationis illius vetus agnomẽ eſt, de qua ad effundendam benedictionem in omnes gentes Pontifex dicebatur aſſumi. Qualiter autem de ſtirpe maledictionis poſſit benedictio propagari, facilè non apparet, præſertim per iſtum, in quo vetuſtæ maledictionis opprobrium, merita contractæ nouiter execrationis attollũt. Diſcurrẽtibus igitur armatis, cœpit per Eccleſiam, quaſi quædam Theatralis ſcena, diſponi dum parietes fulgor illuſtraret armorum, & laſciua quaſi triumphantium acclamatio reſultaret. Horum manibus denique pluuiali compoſito, ad Palatium vſque perductus eſt, comitantibus his pauciſque ſacerdotibus, quorum infamis quæſtus eſt ſimplicitatem peregrinorum eludere, & aſſiduis altare beati Petri ſacrilegijs infeſtare. Porrò hæc initia eius non ſunt meliori gauiſa proceſſu, ſi quis vel emendicatæ execrationis ordinem, vel redemptam laicę gratiam poteſtatis exquirat. Nonne enim ſacrilegij facinus de maiori cumulum iniquitate cõtraxit, cum ſimoniacam conſtet interceſſiſſe per omnia prauitatem, ſicut refuſa Senatui populoque Romano pecunia, publiciſque palam ædificijs impenſa conuincit. Sed & hoc iminanius eſt, quòd redemptam ſanguine Chriſti proſtituit libertatem, quatenus Eccleſia, quæ iure ſuo cunctis ſemper eſt dominata Principibus, Officialis ſui mãciparetur obſequio, quo & incomparabilis priuilegium maieſtatis amitteret, & ad miſerabilem ſtatum conditionis nouiſſimè deueniret. Et nos quidem non potuimus hæc oculis præſentibus intueri, ſed veritas ad nos per eos qui viderunt fideli relatione peruenit. Quod autem publicè geſtum eſt, multorum nobis teſtimonio potuit confirmari, præſertim cùm teſtes prærepta dignitatis honore præfulgeant, & ſimplex abſolutam reddat concordia veritatem. Hac igitur parte de qualitate negotij, & perſonarum meritis æſtimata, iocundum mihi eſt ad partem alteram oculos animumque conuertere, & opus eorum qui elegerunt per ſingulas partes toto mentis gaudio contemplari, eique referre gratias, qui ſancto collegio veſtro prudentiam contulit & virtutem, qua & ſerpentis declinare malitiam, & graſſantis ſuperbiæ valuiſtis repellere prauitatem. Sed neque nomen partis tantilla eorum meretur exceptio, nec vniuerſitatem noſtram partis decet appellationę cenſeri, quia perditorum ſegregatio munerum nõ minuit electorum, nec detrimentum ſentit area domini, ſi granis manentibus paleæ ventilabro purgante, diſcedũt,

Igitur omnia recensenti manifestum quòd sanctitatis zelus consecrauit initia, processum iuncta prudentiæ fortitudo direxit, patientia debito consummabit effectu, pacem Deo volente perseuerantiæ fides inconcussa præstabit. Nihil hîc carnale, nihil terrenum, nihil vestri ad priuatam vtilitatem oculi respexerunt, sed ad cõmune bonum, & honorem Ecclesiæ, totis vos constat anhelasse desideriis, totis viribus insudasse. Prædicabitur itaque nomen vestrum, & à mari vsque ad mare excellentiæ vestræ gloria personabit, formámque dabit posteris & exemplum, ne à iustitia & veritate persecutionis cuiuslibet errore discedant. Ad hæc, spiritus quoque testimonium perhibet spiritui nostro, quia nobiscum schismaticum illum publica omnium conscientia respuit & condemnat, & electum nobis Antistitem sinceræ charitatis & reuerentiæ brachijs amplexatur. Opera siquidem illius manifesta sunt, opera scilicet maledictionis & scandali, opus autem istius in benedictione est, & fauor eius in gentes quotidie conualescit. Corda enim omnium nobiscum sunt, eorum etiam quorum linguæ nobis qualibet sæculari necessitate reclamant, adeo vt si nondum de corporibus, de cordibus tamen omnium verum sit Ecclesiam triumphasse. Nõne enim in eos qui ab hac fidei vnitate dissentiunt vltio diuina manifestè procedit, & voluntas eius euidentibus indicijs declarata patescit? Nonne Princeps ille, cui similem à multo tempore Roma non habuit, cuius dominus apprehendisse dexteram dicebatur, cuius ferè vsque ad remota Orientis terror excesserat à die susceptionis Oct. diuino cœpit iudicio reprobari, adeo vt his quos ante securos mœnia non reddebant, congredi cominus ausi sint, & ei de prosperitate successuum insultare? Re vera digitus Dei est hic, dexteræ Excelsi repentina mutatio parcentis adhuc & in ira corripere differentis. Vtinam saperet, & intelligeret, & nouissima prouideret, quia tot detrimenta præsentium quædam sunt indicia futurorum. Omnibus igitur ab initio ritè perspectis, domini & patres mei, magna vos conuenit exultatione gaudere, quod de omni carne singulariter estis ad hoc tempus electi, per quos fidei veritas, per quos forma iustitiæ, per quos Ecclesiæ libertas inconuulsa seruetur. Quòd enim nos in hac vobiscum vnitate consistimus, quòd hæreticam prauitatem cum suo detestamur auctore, vobis debetur gratia, qui cœpistis, à quibus nos auctoritatem duximus & exemplum. Ipsi itaque duces nostri, ipsi re vera de fortissimis Israël estis, quibus lectulus Salomonis datus est, propter timores nocturnos fidelibus excubijs ambiendus. Ad vos, velut ad lucernam super candelabrum positam, Orientalis pariter & Occidentalis concurrit Ecclesia, sed ad insulas quæ procul sunt, sonus veritatis exiuit, à quibus, tanquam à finibus terræ, plerique iam per discrimina multa venerunt audire sapientiam Salomonis. Licet enim nos plurima locorum spatia disiungant, charitas semper indiuisa coniungit quos vnus spiritus, vna fides, vna confessio dirigit ad salutem. In hac decreuimus vobiscum constantia permanere, in hac vobiscum viuendum est, in hac cùm voluntas diuina decreuerit moriendum, quia neque mors, neque vita, neque aliquid vnquam ab huius nos sententiæ professione seiunget. Interim si domino nostro & vobis nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet deuotio charitatis absentiam, quoniam venerabilibus patribus nostris sedis Apostolicæ legatis assistimus, cum eis toto studio sanctæ Romanæ Ecclesiæ vtilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectio, vt eis plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reuerentia disciplinæ. Viri sunt, quorum sanctitatem miratur populus, sapientiam clerus vsquequaque collaudat, ad virtutem seueritatis Principes expauescunt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperant, vt neque seueritas disciplinæ pereat, & in omni parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia conualescat. Porrò super facto illo, in quo Regẽ Francorum adoet sus eos scandalizatum audistis, prorsus excusabiles sine omni dubitatione credatis, quia nũquam ad consensum dispensationis illius pertrahi potuissent, nisi eos inexpugnabilis necessitas, & inæstimabile bonũ recompensationis illicò venturæ traxisset. Conuenerãt siquidem ex mandato Regum venerabiles de regno vtriusque personæ, vt de Romani Pontificis susceptione tractarent, de quo nihil adhuc publicè fuerat constitutum. Stabant itaque fratres illi causam Ecclesiæ, non sine magno discrimine prosequentes, quoniam apud plerosque fauor iniquitatis conualuerat, adeo vt qui manifestè repudium veritatis suggerere non audebãt, differendum potius, sæculari quadam astutia prædicarent. Euentum scilicet rei dubiæ potius expectandum, quàm subiiciendam fortuitis casibus tantorum Principum maiestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis inuolui, quos securiùs illæsos sola poterat expectatio conseruare, Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus, iugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Soluendum morte alterutrius quæstionis incertum, atque interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere, donec diuina voluntas signis euidentioribus appareret. Accedebat legatorum Imperatoris & Cardinalium, maledicti scilicet Iohannis & Guidonis instantiã, quibus dari videbatur de modica dilatione triumphus, si fratres vestros vel ad modicum tempus qualibet occasio suspendisset. Præterea cùm animos regum in fauorẽ domini nostri omnium conscientia crederet inclinatos, in partes imperatoris cessisse dilatione præstita crederẽtur, & paulo minus detrimenti suspicio, quàm notitia fortè veritatis afferret. Sed & Rex Francorum rei diffinitionem Regis Anglorum voluntati commiserat, nihil se facturum publice contestatus, nisi quòd ipsius ei sententia prædictasset. Præualuerat itaque consilium dilationis, vt quãtò spatiosius, tantò vtilius vtrique Regi posset esse consultum, atque interim aliqua possent de ipsis euentibus auspicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum tota causa pendebat, exaudiendus erat potiùs quàm seueritatis alicuius austeritate terrendus, de cuius simplici fauore in momento Francorum, Anglorum, Hispaniæ, Hiberniæ, & nouissimè etiam Noruegiæ, regna cœpistis. Sed & vnde quis orituram super eo præsumpsisset offensam, quòd ab initio pro bono pacis scripto etiam interueniente, Regum sanctitas, religio Præsulum, Principum fides, populi congratulatio deuota firmauit, nec rei efficientiam communibus regulis, sed quod magis accelerari posset, Ecclesiasticæ potiùs indulgentiæ destinauit. Quòd si quid de indulgentia contra easdem regulas constat esse delictum, nihil tamen criminis intercessit, volnúsque modicum totius operis sanitas asseruata compensat. Hic certe zelus eorum, hæc fuit dispensationis intentio, quam non vltronea voluntas obtulit, sed importunitas necessitatis extorsit, quoniam si ea die sermo non fuisset consummatus in bonum, proculdubio fratres vestri repulsam diutinam vel perennem, sub dilationis imagine reportassent.

*Ad Dominum Papam Alexandrum.*

## EPIST. XL.

GRata mihi refulget occasio, multis expectata temporibus, multis artibus exquisita, videndi scilicet faciem Domini mei, & matrem meam sanctam Romanam Ecclesiam visitandi. Iocundum est me quibuslibet offerre periculis, quibuslibet inferre laboribus, vt merear aliquãdo frui desiderato vestræ serenitatis aspectu, & iocondo sacri sermonis alloquio recreari. Iturus alia vice fueram destinandus à Principe, sed importuna me bellorum emergentium retraxit inuidia, quibus transigendi

gendis studium diligentiæ meæ, cum necessitas Ecclesiæ, tum Reipublicæ requirebat vtilitas. Quod si quidem iter desiderio magis quàm imperio mandantis assumpseram, vt impetrata potiùs quàm iuncta legatio videretur. Nunc auté compositis omnibus non missor, sed sola deuotione ductus, aduenio ad exhibendum beneplacito domini mei corpus & spiritum, ad impendendas vtilitatibus vestris omnes tanquam ex debito peculii facultates. Attamen vt veniam, oportuit me causas quasi necessitatis inquirere, quia nequaquam mihi patuisset egressus, nisi aliqua crederet importunitate compelli. Cùm enim Principi nostra semper sit officiosa præsentia; non tam me deuotioni meæ morem gerere, quàm ad publicas vtilitates & sua vellet obsequia retinere. Cùm autem venero, facie comparebit quid ascribi deuotioni, quid necessitati debeat imputari. Nemo igitur non ex animo quidem, sed tamen verbo tenus impetrata licentia, si nolui mihi de silentio ipsios facere quæstionem, quoniam & si non facies oculis, votis tamen oratio respondebat, nec abiicienda videbatur occasio, quæ tanto desiderio quærebatur. Venio, inquam, non insidias hostium, non itineris difficultates, non aëris intemperiem, non iniurias maris attendens, ea certè fiducia, quoniam merita vestra præcedent faciem meam, &, Deo volente, de omnibus locis obstantia quælibet amouebunt. Interim indicandam vobis censui compositæ necessitatis astutiam, quæ me à Regiis occupationibus reddidit absolutum. Reportauerunt Syluester Thesaurarius Ecclesiæ meæ, & Ioannes Nepos Sagani Episcopi ad Cenomanum & Abrinconẽsem Episcopos literas à sede vestra, super quibusdam causis aduersus me absque omni appellationis remedio terminandis. Quarum cognitioni dominum VVillelmum Parisiensem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, contigit interesse, ipsoque præsente prædictus Thesaurarius omnes querimonias quas habebat refutauit in manibus iudicum, & quod eas aduersum me deinceps non moueret fide corporaliter interueniente firmauit. Ego autem ei eorum intercessione gratiam reddidi, & licet ingratus manifestusque calumniator in omnibus appareret; delictum omne eaque plurimumque inter necessitudine iunctos vertitur, facilitate remisi. Verum Ioannes cum hinc inde rationibus diligenter auditis cõtrariam sententiam reportasset, ad solatium confusionis suæ magis, quàm ad causæ remedium, sedem Apostolicam ad Kal. Februar. appellauit, licet de medio omnem appellandi licentiam, eo quod ipse à vobis reportanerat oraculo sustulisset. Cùm itaque rebus iudicatis standum sit, præsertim vbi nulla possunt appellatione suspendi, certum est quia ad resricationem rei iudicatæ nulla me necessitatis trahit instantia, sed optatam duxi de appellatione materiam, ne vestram scilicet viderer reuerentiam neglexisse, si prouocatus ad vestram præsentiam non venissem. Cæterum quia tot pericula fallere temeraria festinatione non possum; oportebit me fortassis ad complanandos transitus, & præparationem securitatis, spatiosum tempus impendere. Ideoque si Ioannes ille præuenerit; bonum vobis erit & vtile, vt ipsum vsque ad nostrum detineatis aduentum, quia auunculum eius & ipsum in personam vestram & statum totius Ecclesiæ grauissimè deliquisse, manifesta vobis veritate constabit.

*Ad eandem.*

## EPIST. LXI.

EST quiddam in quo maiestatis apud vos reus inueniar, nisi vestram fidelibus indiciis præmonierо sanctitatem. Habuit Ecclesia Sagana Episcopum, cui me fraterni sanguinis necessitudo coniunxit, sed arctiùs gratia beneficentiæ liberalis astrinxit: hic cùm prædictam Ecclesiam suscepisset, magnam temporalibus curam, maiorem spiritualibus homo sanctus impendit. Ipsam igitur thesauris ornatam, instructam ædificiis, possessionibus reddidit ampliatam, adeo quod pro 13. Canonicis quos sæculares appellant, ipsisque pauperibus, moriens ibidem 36. Canonicis regulares cum omni ædificiorum sufficientia, & redditum copia dereliquit. Cumque eam in temporalibus nobilem reddidisset, in spiritualibus semper nobiliorem studuit exhibere vir magnificus, & omni sanctitate laudabilis, cui nec sanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia sanctitatem. Quod bonum à prædecessoribus vestris viris Apostolicis, Honorio primùm, postmodum Innocentio, denique Eugenio & Adriano cœptum est & firmatum, præcedente siquidem gloriosissimi Regis Anglorum Henrici deuotione, qui ob eandem causam Ecclesiæ bona contulit, & præcepit regalia valituro in perpetuum munimine roborauit. Cumque res hæc à prædicto viro religiosissimo Honorio traxisset initium, ab irreparabili viro Innocentio meruit incrementum, cuius auctoritate prædictus Episcopus electus ab Ecclesia sancti Victoris Parisiensis personas accepit, quarum sanctitas & prudentia suis meritis tantæ rei posset initia consecrare. Quorum studiis tantum inter varias tribulationes sanctum opus excreuit, vt inter omnes Gallicanas Ecclesia illa cœperit de nobilioribus illius ordinis æstimari, si quis circa eos hospitalitatis gratiam vel ordinis vellet attendere disciplinam. Porro ne qua posset otiri sæcularitatis in posterum reuocandæ suspicio, & quia potior fructus poterat de regularium administratione sperari, statum est & Romanæ Ecclesiæ nihilominus auctoritate firmatum, quòd in regulares personas sicut præbendæ, ita & archidiaconatus, & omnium rerum tam potestas, quàm administratio conferretur, ita nimirum, vt omnes obuentiones deberent in commune referri, ne cupiditati daretur occasio, si eas liceret priuatis vsibus applicare. Quod adeò verum est, vt defuncto sæpedicto Episcopo eum qui successit episcopari Ecclesia Romana nulla ratione permiserit, donec eundem ordinem in propria persona professus est, & quod ipsum in Ecclesia fide bona seruaret, iuramento corporaliter interueniente firmauit. Tantus siquidem fauor religionis extitit apud eam, ne statuæ aureæ, quod absit, caput æneum ipsios opificio diceretur affixum. Verùm Episcopus iste qui ad præsens, Domino permittente, successit, detestabilem concepisse prædicatur affectum, scilicet plantationem hanc penitus euellendi; destruendique bonum, quod fidelium deuotio, quod auctoritas Principum; quod sanctorum religio, quod Ecclesiæ Romanæ priuilegia duraturo in perpetuum anathemate firmauerunt. Quod si totum à discretione vestra non poterit impetrare, Archidiaconatus saltem ad sæculares studebit reuocare personas; scilicet vt habeat carnalis affectio quod nepotibus tribuat & propinquis. Sed hunc ipsum pietatis specie palliabit affectum, dicturus Ecclesiam illam idoneas non habere personas, quæ talibus sufficere probentur officiis tanquam si sanctæ simplicitati præualere debeat sæcularis astutia, aut de Ecclesia sancti Victoris, aut sancti Rufi, vel aliis similibus personæ non possint auctoritate vestra ad hæc officia dispensanda transferri. Et ego quidem Ecclesiæ illius Archidiaconus extiti, ipsiusq; beneficiis educatus sum, ipsius institutionibus eruditus. iustumq; est ipsius me semper detrimentis occurrere, & vtilitatibus debita diligentia prouidere. Sed & bonum quod tanto domini & fratris mei labore contractum est, humeris meis sustinendum memoria fraternæ charitatis imponit, propter quod inter me & Episcopum loci illius cùm domesticus noster extiterit, multisque à me beneficiis sit præuentus, nouiter est obor-

ta discordia, quia fratrum illorum iniurias sustinere non poterant, eiq; ad ordinis subuersionem, opem & consilium non præstabam. Vnde illum & eos qui cum ipso sunt tanquam aduersarios nostros & manifestos hostes sapienter accipite, quoniam yltrices linguæ neq; fidem, neq; facilem promerentur auditum. Quòd si fortè preces aliquæ super hac causa vobis porrectæ sunt, securè tanquam subreptitias æstimate, neq; necesse est Ecclesiā aliquod propter eas pati dispendium, quoniam ad conseruandam vobis fidem & gratiam eius à quo missæ sūt, satis erit absq; omni offensa si in propriis postulationibus fuerit exauditus. Ad summam loquar ad dominum meum, cùm sim puluis & cinis. Iocundum sit ei eloquiū meum, vt piæ postulatio voluntatis optati gratiam consequantur effectus. Domine personam vestram publica commendat opinio, animosq; & aures omnium operum vestrorum expectatio curiosa suspendit, dum malignandi materiam venatur iniquitas, & gloriam nomini vestro deuotio fidelis inquirit. Absit igitur à vobis vt prædecessorum vestrorum sancta plantatio vestris conuellatur manibus, vestris viribus extirpetur. Absit vt per vos tot Romanorum Pontificum anathemata ducantur in irritum. Absit vt per eos remota sæcularitas auctoritatia vestræ sententia reuocetur.

*Ad eundem.*

## EPIST. XLII.

SI ad vestrum literæ peruenere conspectum, quibus ego maiestatem vestram studui præmunire, super zelo quem ad remouendam de Ecclesia sua religionem, Sag. intendit Episcopus, miror admodum, multiq; mirati sunt, quomodo factum huiusmodi, scriptumq; publicum super eo facto vestræ potuit subripi sanctitati. Quid enim? Episcopalem Ecclesiam miserabili paupertate damnatam, religiosus Episcopus redditibus, ædificiis, ornamentis, & ea ad quam plurimum intendebat religione fundauerat, ipsamq; de paupere diuitem, prædicabilem de obscura: de ignobili, si dici fas est, fecerat gloriosam. Quod factum tota sanè partium nostrarum venerabatur Ecclesia, omnisq; vbiq; religio commendabat, si quis vel effusam in omnes charitatem, vel ordinis vellet attendere disciplinā, Nec ab ipso tantùm hoc, sed multarum venerabilium personarum studiis multarum fuerat auctoritate perfectum, quoniam ad studia laborum eius prospera semper optati prouentus auspicia concurrebant, adeo vt ad constitutionem Ecclesiæ illius contendere virtus & fortuna viderentur. Exultabat Apostolica sedes, quod prima tantæ religionis fundamenta iecisset, quod promotionem eius continuo fouere non destitisset ausilio, quod consummationem eius priuilegiis, & valituro in perpetuum anathemate communisset. Omnibus si quidem priuilegiis eius in perpetuum vice salutationis inuenitur ascriptum, quo manifeste voluntas declaratur auctoris, quod id stabile fore voluerit, non alienis reliquerit arbitriis immutandum. Res quippe transitoria titulo perpetuitatis non meretur inscribi; quoniam quæ taliter inscribuntur, vel perseuerantiæ statum retinent, vel tituli falsitatem. Quod autem dicitur prædecessorem successori suo legem dare non posse, vel præcise falsum est, vel omnia possunt impunè sanctorum patrum instituta conuelli, quorum tamen sapientiam narrant populi, quorum laudem Ecclesia nuntiat, & sepulcbra eorum frequentibus miraculis gloria magnificentiæ cælestis illustrat. Priuilegia siquidem Romanorū pōtificum, quasi quædam ipsorū testamenta credenda sunt, nec à morte testatoris exspirāt, sed potius ab ipsa contrahūt firmitaté, nec defectu personæ sublata perit auctoritas eorū quę religiosè semel instituta noscuntur. Nos tamen errores prædecessorū a successoribus posse corrigi nō negamus, & ipsorum etiā in melius posse bona mutari, vbi maior scilicet mutationem suadet vtilitas, nullumq; sentit religio detrimentum. A In præiudicium siquidé religionis nihil agendum est, cui quicquid aduersatur diuinæ constat contrarium esse voluntati. Qua nimirū ratione sæculares Canonicos quos appellaut, pro regularibus inducēdis vidimus amoueri, licet Ecclesiæ eorū in eo statu aliqua sedis Apostolicæ priuilegia metuissent. In quibus cōstat aduersus priuilegia nihil esse commissum, in quibus auctoris animum potius contemplari conuenit, quā apices amplexari, quoniā in nullo voluntas ipsius offēditur, vbi voluntatis intentio fidelius obseruatur. Si quid autem humanius fuerit institutum, quod etiā sedis Apostolicæ scripta confirmét, eo nec perfectionis prouectus excluditur, nec deuotionis terminus assignatur. Semper enim in anteriora liberè debent studia sanctitatis extendi, sicq; oportet interpretari quæ scripta sunt, ne nostris B videantur processibus inuidere, quia tunc rectè suus minori bono fauor impenditur, cùm nequaquam boni maioris incrementa tollūtur. Ecclesia enim eos qui ad superiora desiderio perfectionis aspirant, non permittit occasionibus impediri, quin libero erūpant ad maiora cōsensu, sicq; primæ imperfectionis priuilegia remouet, vt gratiam nouæ perfectionis amplectens, vetera nouis non tam videatur soluere, quàm implere. At vero sacras veterum institutiones in deterius deuocare non conuenit, nec auctoritatem præbere defectus, vt inde fomenta comparentur audaciæ, vnde timeri debuit seueritas disciplinæ. Planè sunt quædam quibus, vt fiant, consensum adhibere non licet, quæ tamen si facta sunt, dissimulare necesse est, quia non possunt habere remedium: vel si quid recompensationis habent discreta C mansuetudine dispensare. Culpam tamen indulgentia præuenire non debet, ne securitas alat audaciam, & ad delinquendum fiducia remissionis inuitet. Debet ergo seueritas prohibitos cohibere conceptus, ne temerario compleantur effectu, debet nihilominus excessus illicitos congrua animaduersione punire, nisi eum vel violentia potestatis eripiat, vel pœnitentia tēperet disciplinā. Tunc enim in potestate iudicis est mollire sententiā, & mitius iudicare quàm leges, cùm rerū vel personarū merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet. In æstimanda tamen necessitate non conuenit pusillanimes inueniri, ne virtuti subduxisse materiā, vel de diuina videamur gratia desperare. Scio quosdam dispensationū prodigos tantæ benignitatis existere, vt nihil reseruent D legibus, affectibus omnia largiantur, nec offēsam rationis attendunt, dum hominū sibi præcauisse videantur offensam. Metuunt igitur affectatos de prærogatiua potentiæ suæ, potius quā de merito rationis effectus, & nomine necessitatis indulgentis quamlibet excusantes, diuinæ gratiæ bonitaté non sustinēt experiri, sed humanū fauorem pre omnibus auspicantes, fugaces auras & inanes ventos studiis fallacibus amplectuntur. Quieti scilicet Ecclesiæ prouidere se prędicāt, cuius prostituunt libertaté, & maiestatem redigunt in contemptū, quæ tamē in virtute sanctorum debet apparere terribilis vt castrorū acies ordinata. Solebat si quidem terribilis supremis potestatibus imminere, earūq; patienter expugnare potentiā, dum tribulationibus constanter exposita, liberationē nō nisi de liberatore pauperū expectabat. Liberat E enim Dominus pauperem à potente, & inopem cui non cōparet adiutor, quoniā fidelis est, neq; vires nostras patitur viribus tentationis excedi, sed facit cū tentatione prouentū, vt possimus sustinere. Verumtamen nos gratiam istam pusillanimitate desperationis excludimus, quoties desperato virtutis effectu humanis fauoribus inclinamus, & accelerato veritatis iustitiæq; naufragio salutaris experientiæ præpedimus euentum. Oportebat magis secundum doctrinam Psalmistæ, sperare in Domino, & facere bonitatem, quoniam non derelinquit sperantes in se in tempore tribulationis, & in die superborum sine adiutorio. Oportebat in mandatis eius & iustificationibus exerceri, non statim manus imbellesa captiuan-

captiuandas offerre, quia non potest sequi sine concertatione victoria, nec corona sine legitimo certamine prouenire. Lex autem certaminis est, vti viribus, virtutem patientiæ & longanimitatis amplecti, non inter initia trahi fauoribus, & desperato diuinæ bonitatis auxilio cedere, quoniam qui sperant in eum non confundentur: qui autem hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Nonne vtilius erat ipsam hominum gratiam de diuina bonitate sperare, & nõ ei de diminutis offensa parare materiam, cum corda etiam Regum in manu Dei sint, & ea quò voluerit, inclinabit. Ab H. experimẽto didicimus diuino quodam iudicio sæpius euenire, quod hi qui ob affectationem fauoris humani reuerentiam diuinæ maiestatis offendunt, diuinæ quidem dispendium faciunt, sed humanam quam affectauerant minimè consequuntur. Sicut enim disciplina cautelam, B sic insolentem pronior indulgẽtia creat audaciam, gratuitumq; liberalitatis alienæ benaficium suorum reputant præmia meritorum, ipsumq; quandoq; beneficium putant iniuriam, quod minoris propria existimatione fuerint æstimati. Quod ego vobis in hoc facto vereor accidisse, sicut sanctitati vestræ post modũ euidentibus liquebit indiciis, cùm ad aures vestras veridica relatione peruenerit, quanta malignitate & audacia prædictus Episcopus infirmitatẽ status vestri publicè prædicauerit, & hostium Ecclesiæ victoriam rediens dixerit imminere. Extant qui audierunt per quos vobis hæc & alia maligniora suo tempore plenius innotescent, vt nulla fidã veritatis suspicio debeat impedire. Loquar tamen interim ad Dominum meum, vtinam complaceant ei eloquia mea. Loquar inquam, quia apud eum mihi sermo est, apud quem non eget vel intercessora religio, vel iustitia defensore. Domine quotquot ordinis illius obseruantiam profitentur aut diligunt, per omnes Gallorum Ecclesias & Anglorum, audito hoc verbo scandalizati sunt, quærentes quid antecessorum vestrorum, quid deniq; C vestrum tam recens soluerit anathema, cùm nulla vis necessitatis appareat, nec tanto vulneri remediũ aliquod aliqua recompensatione videatur afferri. Omnes redditus, & omnes obuentiones archidiaconatus illius, quæ ad communes vsus regularium fratrum fuerant assignatæ, sine causæ cognitione sublatæ sunt, atq; vnius personæ ipsiusq. sæcularis sumptibus attributæ. Quærunt igitur de iure quod suum est sine iudicio spoliati, subductoq; quod pauperibus solebat erogare religio, nihil se præter vacuas manus exhibere deplorant. Procedit interim inter cilicia pauperum fratrum & sordes, cartularij filius sericis adornatus & variis, quem ipsi inusitæ dissimilitudinis animal intuentes, quasi seminarium quoddam reuocandæ sæcularitatis tacitis, quod solum audẽt, animis execrantur, condemnant. Auget metum quòd alius adhuc vacans Archidiaconatus in eadem seruatur Ecclesia, minori nepotulo conferendus, quàm citò in legitimam ætatem vidabitur excreuisse. præterea priore claustri remoto, quia acrioris ingenij credebatur, & ad D iniurias Ecclesiæ non silabat ex conscientia, Episcopus Priorem constituit idiotam, vt ipse scilicet locum suppleat idiotæ, & bona eorum in vsus proprios sine contradictione conuertat. Agite ergo, & Apostolicam vobis domesticæ seueritatis reuocare prudentiam, vt quod sanctitati vestræ subreptũ est, ipsa sactitas vestra reducat ad formã, quatenus sanctæ institutionis reformetur integritas, & ad vires pristinas tam vestra quàm prædecessorum vestrorum priuilegia conualescant, Sic enim obstruetur os loquentium iniqua, & in laudem & gloriam nominis vestri fideles vestri libertate solita proclamabunt, & exempli terrore sublato status Ecclesiæ tranquillitate pristina conquiescet. Timeo ne audacius fortè loquutus sim, quàm vestræ debuerim maiestati, sed me sanctæ opinionis vestræ zelus impulit ad loquendũ, & Ecclesiæ illius indigna contritio, cui multis ex causis ab antiquo sum plurima charitate deuinctus. Scio quia acceptior erit in auribus vestris diligentiæ deuota præ- A sumptio, quàm fallax assentatio blandientis.

*Ad eundem.*

## EPIST. XLIII.

Quoties aliquis apud maiestatem nostrã humilitatis nostræ precibus expetit adiuuari, honestatis & iustitiç diligentius habendam considero rationem, si personam honestas, vel causam videatur iustitia commendare. Hæ etenim duæ virtutes sunt quas apud excellentiã vestram nullo patrocinio nouimus indigere, quibus vltro gratiam exhibetis, cùm altera vos in præconium, altera mundo proposuerit ad exemplum. Hoc nimirum prætextu pro P. Pictauiensi Archidiacono precaturus accedo, quem Ecclesię suæ vtilem perhibent tum B sedulitas officij, tum beneficentia in subiectos, tum bonitas in consortes, tum deniq; circa Ecclesiam suam nouarum amplificatio facultatum. Idcirco si causæ ipsius qualitas inquiratur, id iuris se in quodã Archipresbyteratu suo contendit habere, quod tam ipsi quàm omnibus aliis Archidiaconis in omnibus Archipresbyteratibus suis vetus Ecclesiæ illius consuetudo cõfirmat. Porro superuacua videtur quæstione vexari, cùm sola sit de sola Archipresbyteri electione contentio, cum ab Archidiacono facta ad Episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eamq; potest auctoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare. Cæterùm si eo inuito in Archidiaconatu eius Archipresbyter fuerit instituturus, plurimum vtilitatibus eius & honori constabit esse subtractum, cùm ei in Archidiaconatu suo alius quodammodo Archidiaconus annascatur.

*Ad eundem.*

## EPIST. XLIV.

C Quibus periculis exponere, quibus impendere laboribus personam meam destinauerim, vt mererer ad sublimitatis vestræ venire conspectum, nouerunt hi qui procinctum meum ad terras peragrandas, & maria pariter exploranda viderunt. Iturus eram, sed iter meũ diuulgato fama præcessit iudicio, vt facilè mihi possent insidiæ præparari. Ego enim homo sum cui celebrem multæ causæ contulere notitiam, & cui apud hostes Ecclesiæ plurimam zelus iustitiæ contraxit inuidiam, sibiq; crederent successisse, si in persona mea & malignitati suę satisfacerent, & vestram possent offendere maiestatem. Retinuit itaq; me Rex noster, qui mea quidem voluntate præcedente mittebat, negotiaq; sua partim distulit, partim minoribus nunciis perferenda commisit. Intra pectus itaque meum maior anhelantis desiderij feruor exæstuat, dilationem hanc quasi vulnerati cordis affectione deplorans quod pedes vestros amplecti, & serenitatem vestram mihi non datur oculis præsentibus in- D tueri. Facio interim quod possum, & me totum honori & vtilitati Ecclesiæ, quoties occasio refulget, impendo, tanta siquidem voluntate, vt à plerisq; de immodestia videar arguendus. Animo enim diligenti nihil satis est, neque magna deuotio cuiuslibet operis exhibitione placatur, sed suos semper in anteriora conatus extendit, hoc vobis apud me studium, hæc continui laboris instantia, hic irreuocabilis perseuerantię viuit affectus.

*Ad eundem.*

## EPIST. XLV.

Dominus Remiba, Aurelianensis amicus noster est, mutuisq; obsequiis plurima nobis inuicem sumus charitate coniũcti. Inde est quod nostris ad præsẽs apud maiestatem vestram precibus petiit adiuuari, ea nimirũ fiducia, quia nouit quod vota nostra apud benignitatem vestrã desideratum crebrius consequuntur effectum. Priuatus eum sententia vestra præcentoria, quam habebat

pro delicto quodam, quod ipse, sicut asserit, non de malitia qualiber, sed de sola simplicitate commisit. A Existimauit enim factum illud ad tenorem iuramenti publici non spectare, neq; se religionem credidit excedere sacramenti, si non communicabat aliis quod singulariter de sola ipsius voluntate pendebat. Côuentus autem à fratribus non restitit improbè, nec superbè respondit, sed statim errorem suũ, si tamen error erat, ad publicam voluit corrigere voluntatem. In quo si certũ est nec præcessisse malitiã, nec superbiam successisse, delicti quantitas fines clementię non excedit, poterisq; ex hoc nunc Rom. Pôtificis misericordia subuenire, in qua nobis diuina bonitas & remediũ salutare constituit, & refugium singulare. B Siquidem quantum ad culpam satis vindicatum est, quia homini verecundo ad maiorem pœnam confusio, quàm magna etiam detrimenta procedit. Porro cũ ei ad veniã simplicitas, nihilominus ad gratiã deuotio suffragatur, quia verum est ipsum semper Romanę Ecclesiæ secundum facultatem suã humilibus obsequiis inseruisse. Pro omnibus itaq; quæ prædicta sunt fiducialiter accedimus ad rogandũ, & quia gloriosum nobis erit tãtum à dignatione vestra beneficium impetrasse, & iocundum aliquid consolationis amico in tanta amaritudine perquisisse.

*Ad eundem.*

EPIST. XLVI. C

REgressus ab Anglia ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos debui cucurrisse, sed expectanda fuit occasio, qua me magis traxisse necessitas videretur, quàm deuotio perduxisse. Animus siquidẽ Principis nostri aliquantulũ ab ea, qua sanctitatem vestram olim cõplexus est, charitate desciuit, adeo vt inter familiares suos quãdoq; conquestus sit se minorem in vobis quam sperauerat gratiam inuenisse. Ait in opportunitatibus suis vos esse difficilẽ, in postulationibus scrupulosum, acceptos vobis esse & iugiter in Curia demorari quosdã, qui mendaciis suis gloriam Regiæ serenitatis offuscant. Conuenire siquidem Apostolicam sedem ex multis partibus multos quorũ aures illi prauę veneno malignitatis inficiunt, vt sic opinionem eius quasi transmissã ad omnes D gentes delatione denigrẽt. Furtiuè quidem id agi, vt iniquitatis operante mysterio quãto magis res silentio premenda dicitur, tanto diffundatur in plures, quantoq; secretius agitur, tãto sit efficacior ad nocendũ. Non tamen arbitratur id de vestra conscientia vel voluntate procedere, sed eis de diuturna apud vos commoratione paratur occasio, & audaciam comparata assiduitas impunita fallendi. Addit impetratu facile quicquid ab eius ęmulis imploratur, vota autẽ eius exquisita subtilitate discuti, vel tædiosa dilatione suspẽdi. Si quos ergo de suis autos auctoritatis loquor ad pręsentiam vestram venire contingat, hi qui familiarius ei assistunt, incertũ suspicionis in malum, fallaci statim adulatione confirmãt. Consueuit enim illud hominũ genus de minimis maxima fabricare, & sicut inter eos nulla fides est, sic nullus veræ charitatis affectus, vniuscuiusq; studium, alium quibus potest E modis excludere, vt solitarię sibi familiaritatis priuilegiũ gaudeat adquisisse. Accessurum sibi putant quicquid alij fuerit derogatum, prouentusq; suos reputant, aliorũ semper vtilitatibus obuiare. Ego igitur qui quantũ damnosa sit suspicatio Principum, licet innocens, frequẽtibus detrimentis agnoui, occasionem censui postulandã, qua vel ab eo sicut quandoq; mitterer, vel aliqua me trahere necessitatis instantia videretur. Quę quia differebatur, nihil enim onerosum mihi vestræ gratia benignitatis imponit, mittendũ duxi, vt diligentis absentiam legatio suppleat, quæ bene meritæ maiestati vestræ deuotionem meam, tam viua voce, quàm literis repræsentet. Vester sum sanctæ Rom. Ecclesiæ tam verna, quàm filius, cuius me assiduè reminiscor exhilaratum gratia, præuentum beneficiis, honoribus ampliatum. Nihil vnquam partã tæ dignationi referam, nihil dignum tot meritis exhibebo, sed & si non debitorem operis exhibitio, perfecta tamen charitas consummatę deuotionis absoluit.

*Ad Gilleb. London. Episcopum.*

EPIST. XLVII.

LAtor præsentium amicus noster est, nostrisq; petit precibus apud vos adiuuari, eoq; instantius, quia confidit quòd preces nostræ apud charitatem vestram vtilem sine difficultate sortiãtur effectum. Gaudet quod amatori iustitiæ, veritatis sit delegata cognitio, quod precum nostrarum suffragio munitus accedit, vt in prouentũ eius apud vos sincera fraternæ religio charitati concurrat. Licet autem pluralitas instrumẽtorum viã possit aperire iudicio, omnem tamen absoluet testium numerositas & veritas notoria quæstionem, desertaq; prouocatio morã iudicis excitabit, quam scilicet aduersarius huius censuit opponendam, eo quidem astu, vt ei vacaret affectatam rapinam in bona pauperis licentius exercere. Verum quid in malę fidei possessorem sine titulo, super principali causa, quid in desertorem appellationis super sumptibus & expensis decernendum sit, vestra peritia non ignorat, ne scilicet vis aut dolus immunita prętereant, vel immeritum patiatur innocentia detrimentum. Porrò negotiorum vobis in expedito Romani Pontificis collocauit auctoritas, sublato nimirum appellationis obstaculo, in quo sibi calumniatores plerumq; occasionem vexandi constituunt, & refugium euadendi. Nunc enim patebit vobis, licet inuita, quasi quibusdam terminis circumscripta malignitas, cùm nec ad præsens forum vestrum possit excedere, nec seueritatis vestræ sententiam declinare. Valete.

*Ad Abbatem Gristemensem.*

EPIST. XLVIII.

QVartusdecimus mensis agitur, vel fortassis exactus est, ex quo ad aliud regnum & transmarinas regiones à monasterio tuo sine Episcopi tui benedictione & conscientia discessisti. Quanta autem interim idem monasterium in spiritualibus & temporalibus detrimẽta perpessum sit, & fratres sentiunt, & tota regio protestatur. Nunciatur vero nobis te in Anglia nihil nisi lites & calumnias exercere, & cum graui monasterij tui sumptu, sine vtili causa totam disquirere regionem. Super quo reuocandum te duximus, & in virtute obedientiæ iniungendum, vt infra Kal. Augusti dispositis rebus illis, vtiliter ad monasterium reuertaris, nisi vel infirmitate, vel tempestate marina fueris impeditus. Nosse etenim debes quòd propensior cura animabus est impendenda quàm rebus. Ideoq; nisi infra diem assignatam veneris, nos tibi mandatum mittere seuerius oportebit.

*Ad Henricum Pisan. Cardinalem.*

EPIST. XLIX.

IN quo verbo Reges nostri de susceptione domini Papæ conuenerint, vestra sapientia non ignorat. Et noster quidem ad Ecclesiasticas personas regni sui legatos destinauit in Angliam, cum literis quas à Domino Papa receperat, & scripto illo quod à schismaticis est de Papiensi conuenticulo fabricatum, vt scilicet vtroque scripto, tanquam allegationibus partium vtrinque proposito, rectius possint, quasi de iudicio formare consiliũ, & liquidius de contẽplatione falsitatis oppositæ cognoscere veritatem. Cui sane colloquio, quia corporaliter adesse non potui, per Epistolam saltem interesse curaui, vt personæ vicem pagina suppleat, & viuę vocis instantiam Epistola fidelis instauret. Cuius etiam Epistolæ transcriptum sanctitati vestræ censui destinandum, vt deuotionem meam, quamuis parum vtilem, officiosam tamen vestra

vestra dilectio recognoscat. De cætero, Librum Ennodij vobis mitto, alieouin quidem, sed si experientia vestra probauerit, transcriptum cum quanta fieri poterit festinatione remittam. Ego autem librum illum non viderã, priusquam mihi vostro fuisset assignatus iudicio, visoque miratus sumqua primum ab auctore confidentia editus, aut quo post modum ab alijs fuerit fauore transcriptus. Neq; enim mihi dignus videtur, cuius studio vel scripturæ tantum tempus debeat, siue census impendi, cum & volumen effusum sit, & ad intelligenda quæ scripta sunt singula mulus & tædiosis oporteat iterationibos replicari. Prima siquidem facie difficilis & obscurus incedit, & cùm rerum difficultatem stilus lucidior debeat aperire, intelligentiam potius sermo tenebrosus obtundit. Cumque multũ habeat laboris inspectio, nihil habet assecutio voluptatis, quia nec absolutione sentẽtia complacet, nec oratio venustate. Summa eius intentio est, aliter omnia dixisse qoam cæteri, ideoque totum quod loquitur exquisita quadam intricatione complicat & innodat, vt rectiùs Innodius quàm Ennodius debeat appellari. Porro in metricis producta breuiat, suaque nihilominus auctoritate breuiãda producit, nullaque vitium falsitatis vitture redimitur, quia ipsum nec cultus orationis, nec dignitas materiæ recompensat. Vnusquisque tamen ad obseruandas propositæ legis tenetur aogustias, dicendique libertatem necessitate supprimit quisquis se ad obseruãtias huiusmodi arbitrio propriæ voluntatis astringit. Facilem verò duplex culpa veniam non meretur, cùm & intellectum retundit obscuritas, & aures metricæ corruptio iocunditatis offendit. Credo ego librum hunc apud veteres nec notitiam habuisse, nec gratiam, ideoque nec in manus venisse multorum, sed sepultum diutius veteri quolibet armario latuisse, donec nouiter in lucem merito obscuritatis & noua peregrini nominis admiratione processit. Sunt enim quidam, qui eò difficilia maioris æstimant, quia minus intellecta mirantur, ea minoris & tanquam puerilia reputant, quæ iucunda lucidi sermonis serenitas illustrat. Cæterùm obscuritatem, tanqoam tenebras euitandam, Seneca noster, & Tullius & cæteri quorum scripta comprobantur, ostendunt. Iulius quoque Cæsar culpabiles esse denunciat, qui ea volunt loqui vel scribere, quæ homines mirentur potiùs quam intelligant, & se tanquam scopulum ita fugere insolens atque infrequens verbum. Legite tamen, ipsumque non de æstimatione mea, sed de vestra potius experientia iudicate, ne meritis eius ignorantis mea præiudicium irrogasse dicamr, ipsumque vestri fauoris sententia defraudasse. Quod si irrefragabilem quæritis, de prosa ferre sententiam, ipsam secundum verborum merita iudicate, quia verum est ipsum pari peritis circa tempora syllabarum & dictionum naturam virtutemque versari. Valete.

*Ad Ernaldum Pict. Archidi.*

EPIST. L.

QVod aliquid à vobis censeo postulandum, cùm petitionis honestas, tum vestræ benignitatis intuitus, non præcedentium facit confidentia meritorum. Verum si operis exhibitio non præcessit, paulo minus tamen sibi videtur meruisse deuotio, quæ ad omnia si occasio processisset, promptam se semper extitisse cognoscit. In omnibus enim non iam requirenda sunt opera, quàm affectus, nec adeo quid feceris requirendum est, quantom qua feceris voluntate Sic est intentio operi nomen imponit trahitque factum ipsum potius de animi qualitate substantiam, quam de beneficij quantitate. Inde est quod pro magistro Meschino amico & antiquo sodali nostro, preces vestræ porrigo sanctitatis vt veteri si quis est animi rancore deposito, exoratum vos mereat inuenire super petitione illa, super qua litteris etiam Apostolicis instructus Pictauensi Ecclesiæ supplicabis. Promisit mihi quoniam ex hoc nunc vestro se totum tanquam magistri & patris mancipabit obseqoio, vt si quid de præterito negligentius, vel inconsultius actum est, futuri temporis officia recompensent.

*Ad Papam Adrianum.*

EPIST. LI

ADolescens quem ad accingendum militiæ cingulo vestra mihi dignatio commendauit, cùm diuertisset aliquatenus, quia securum per vrbem transitum non habebat, infirmatus redijt, tantique incendio caloris accensus est, vt de salute eius timendum plurimi credidissent. Viribus tamen de hilaritate promissæ instructionis assumptis, ad Milonem vestrum & patrem Radicosum vsque perductus est. Plurimumque pater super ægritudine filij de beneficij vestri gratia solamen accepit. Cùm verò adolescenti requiem suasissem, & ego ei per assignatam personam nihilominus fidem debitæ promissionis implorem, venire semper vsque ad condictum locũ simulata valetudine apud indulgentiam paterna pietatis obtinuit. Sane cum in via non destinaret infirmitas, sed importuno semper ascensu morbo morbus accederet, veritus sum ne quod de diuturnitate præcauisse putaueram, ex ipsa mihi breuitate temporis eueniret. Expertus sum affectiones animorum plurimum conferre, vel aoferre corporibus, sæpiusque de earum qualitatibus ipsorum vel periculum procedere, vel salutem. Ferebatur enim animo magis quam corpore, quia vires corporis animi restaurabat hilaritas, fortiusque trahebatur desiderio quàm ægritudine tardaretur. Peruenimus itaque Lucã, vbi sic, vt apparuit, infra decem dies vel plures arma coaptari non poterant, nec is cui parabantur, quoniã in lectum decubuerat, percipere potuisset. Porro miles quidam qui mihi à patre fuerat assignatus, cœpit vtilius de necessitate consilium, habitaque omnium ratione petiit sibi in eam causam 40. libras pruuen.: numeratis. Affectabat enim meliores equos longiore tractu temporis explorare. Cæteraque omnia quanto spaciosius, tãto commodius comparare. Quoniam repentinos emptorer sæpe circumuenit sagax astutia venditorum. Adquieui libentius, neque enim poteram incertam porri valetudinem expectare, nec esset mihi totum morari diutius, ne prænunciato aduentu meo mihi inter vias insidiæ pararentur. Adieci autem nomine expensarum ad moram reditumque quod oportuit, ne de eo quod ad aliud destinatum erat, aliquid detrahere necessitas aliqua coegisset. Visi sunt mihi multas vobis super beneficio vestro gratias habuisse, mihique ipsi ab eis sunt grates exhibitæ, quasi de reliquiis & vestrarum plenitudine gratiarum.

*Ad VValt. Albanens. Episcopum.*

EPIST. LII.

QVerimoniam quam ex literis, quas mihi à vobis nouissimè destinatas accepi, gratam admodum habui quia magis excitat gratiam, quam delictum arguere videbatur. Questus enim estis post aliquot Epistolas vestras, nullum vos à nobis accepisse rescriptum, & nos deuotionem vestram inter cæteros, non nisi verbis communibus salutasse. In quo intellexi quod benignitas vestra multo desiderio ad complexum nobis mutuæ charitatis occurrit, quod ego multis quæsisse studiis, multis debueram obsequiis redemisse. Et fecissem, nisi occasionem mihi tulisset absentia, quæ mihi semper hactenus optatum vestræ serenitatis inuidit aspectum. Magnum erat mihi, si præsens in oculis vestris gratiã inuenissem. Maius est, quod eam mihi vltro vsque ad Occidẽtis nouissima destinatis. Pulchrum sanè & prædicandæ liberalitatis officium, nullis impensum meritis, nullis redemptum precibus, nullis beneficijs comparatũ. Nihil in eo est quod beneficij minuit maiestatem. Apud alios si quidẽ actus meræ liberalitatis euanuit, sed vbiq; inter contra-

hentes animos negotium geritur, dum spes creditrix & debitrix gratiæ res compensant. Magnum tamen est hodie, si quis amicorum meritis pari præmiorum compensatione respondeat, maius est omne meritum animi magnitudine præuenire. Præuenistis autem me, vestrumque tantæ dignationis æstimatione fecistis, quia mihi iudicium existimationis vestræ, & dilectionis exhibetis affectum. Multa igitur mihi de iudicio existimationis vestræ crescit elatio, mihi de confidentia gratiæ securitas ad omnes præparatur euentus. Magnum siquidem est iudicium simul & gratiam meruisse prudentis, cùm alterum illustret ad gloriam, alterum proficiat ad prouentum. Quid ergo? Quid retribuam Domino meo pro his quæ attribuit mihi? Nempe totum deuotionis affectum, quo nihil maius offerri, nihil impendi gratius, nihil potest pretiosius æstimari. Hoc etenim impenso totum impenditur, quicquid vel animus cogitando, vel operando corpus vel facultates conferunt erogando. Hoc igitur apud vos iudicium mihi perseueret & gratia. Vobis nihilominus apud me promissæ deuotionis non tepescet affectus, vt scilicet alter in alterius opportunitatibus monitore non egeat, sed zelum charitatis alternæ communicati officij probet effectus.

*Ad Episcopum Engolismensem.*

EPIST. LIII.

LAtor præsentium filium minorem eunti ad scholas auunculo commendauit, ratus quod ipsum ad propensiorem pueri curam propinqui gratia sanguinis inclinaret. Ille verò his quæ ad exhibitionem pueri comparata fuerant, profusius erogatis, puerum ipsum cuidam clerico nomine pignoris obligauit, licet contractus eiusmodi nec de iure teneret, nec bonis etiam moribus conueniret. Libera siquidem persona sine proprio consensu non potuit obligari, puerumque id ætatis consentire non posse vestra peritia non ignorat. Cæterum non tantùm sortis, sed etiam vsurarũ nomine retinetur, factumque tam enorme non à sæculari persona, sed à clerico quodam, ipsoque domestico vestro, vel domestici filio fieri prædicatur. Mirantur qui audiunt hæc à vobis inter ipsa sancti Episcopatus vestri primordia sustineri, quæ nec iustitiæ rigor incorrepta relinquere, nec impunita debuit seueritas Ecclesiastica præterire. Clericus etenim vester manifestè de plagio confitetur, sed & vsuras quas detestatur Ecclesia nihilominus impudenter exposcit. Quod si vsuras, quoniam odiosæ sunt, in sumptum exhibitionis impensæ puero malignitas astuta conuertit, respondemus vbi principalis obligatio sublata est, puerum de accessoriis non teneri, sed eum iniuriarum competere potius actionem, quod ingenuum puerum, liberalibus artibus applicandũ, subductum patri, propositis non permiserit officiis applicari. Denique ego ouem meam à vobis, tanquam à iudice, aduersus confitentem de criminibus instanter exposco, vobisque prouidendum est, vt circa hoc vobis sinceritas formæ, nobis charitas fraternitatis, puero debitæ pietatis conseruetur affectus, quoniam si reum per culpam vestram, quod absit, contingat elabi, nos à reo fortassis in iudicem actione subsidiaria conuertemur. Quod si non vlciscendum delictum hoc, sed inter eos manuductio vestra potiùs decreuerit componendum, patri iusto, quoniam vir bonæ opinionis est, fides indubitata adhiberi.

*Ad Ernaldum Bonevall. Abbatem.*

EPIST. LIV.

LIteræ quas nouissimas vestra mihi charitas destinauit, apud eum qui perferendas acceperat, aliquandiu substiterunt. Vnde factum est vt eas non profecturis, nec proficiscentis acceperim, sed profecti: quem nec resalutare possem, nec si quid concepissem animo remandare. Feci ego quod potui. Holocaustum obtuli pro vobis medullatum, quod sua nimirum pinguedine complaceret, ipsamque oblationem deuotus impinguaret offerentis affectus. Holocaustum, inquam, obtuli medullatum in quo scilicet medullã diuinitatis corporea species obumbraret, procedensque de intimi cordis medullis oratio suam sacrificio contineret melodiã, hic enim ille vitulus saginatus est, hic mons ille coagulatus & pinguis, hic Christus ille vnctus oleo exultationis præ participibus suis, de cuius plenitudine licet omnes acceperint, ipsa tamen effusio non minuit effundentem. Nihil offerri preciosius, nihil efficacius potest, nihil ei qui offert, vel ei pro quo offertur vtilius, si dignitati sacrificij personarum indignitas non obsistat. Oportet enim offerentem puras manus inferre, ne quod impreciabile est, omnique veneratione dignissimũ, vel sub precij recidat vilitatem, vel causis indignioribus expandatur. Oportet eum pro quo offertur fide recognoscere, charitate complecti, prosequi desiderio, totãque sibi in eo diuinæ propitiationis fiduciam collocare. His autem concurrentibus vtriusque partis versatur vtilitas, vt qui pro aliis offerunt, pro seipsis inueniantur offerre. Magnum sanè, prædicandumque beneficium, quod erogatũ alij proficit, ipsumque nihilominus adiuuat erogantẽ. Quoscunque enim sacerdos effusa charitatis latitudine cõplectatur, totum simul omnium, totum vniuscuiusque est singillatim, nec integritatem diuidit communicatio plurium, nec soliditatem minuit participatio diuersorum. Sic est, totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiusque in solidũ te cohæredẽ hæreditatis admittit, quã totam mihi nihilominus repromittit. Quod enim spirituale est, neque terminis circumscribitur, nec aliquibus angustiis coarctatur, nec impensum taresecit impendio, nec aliqua potest integritatis suæ detrimẽta sentire. Totum itaque pro vobis obtuli, totum prouentui meo nihilominus reseruans, cùm scilicet vtrique sic cesserit in salutem, vt & iter vestrum cum prosperitate dirigeret, & mihi gratiam diuinæ propitiationis augeret.

*Ad Egidium Rothom. Archid.*

EPIST. LV.

SErmonem habitum in Concilio Turonensi scripto tradere, quorũdam prouocatione compulsus sum, qui licet in proximo consistentes, ea quæ dicta sunt multitudinis obsistante tumultu, nec satis audire, nec intelligere potuerunt. Feci quod rogatus sum, sed inuitus; quia quædam sunt quorum simplex pronunciatio plus fauoris, quàm laudis diligens inspectio promeretur. In his enim quæ in commune dicenda sunt, communi conuenit intelligentiæ deseruire, vt omnia quæ dicuntur omnium statim capiat intellectus, ideoque verbis propè communibus decurrit oratio, ne subtilius artificium lucem rerum & verborum, quasi nube quadam difficultatis obducat. Et quia tractatus eiusmodi ad mouendos plerumque destinantur affectus, oportet quasi cæsuris frequentibus, & breuioribus articulis incitare sermonem, ne longioribus periodis torpescat oratio, sed animus velut interpellatione commotus assurgat. Si igitur animus ad aliquid intellectu disponente mouendus est, sermonis prorsus est obseruanda serenitas, quoniam tenebræ plus semper odij contrahunt quàm fauoris, sæpiusque pes incedentis offenditur, nisi præuio dirigatur aspectu. In his verò quæ scribuntur, videntur quasi cum fiducia quadam legẽtium prouocati iudicia, nec tam formandis affectibus verba componi, quàm examinationi publicæ, quæ palam proponuntur exponi. Siquidem in his quæ proponuntur oculis frequens celebratur inspectio, & modò fructus sententiæ, modò cultus orationis exquiritur, vt spatiose possint merita studiorum adhibita rationis æstimatione pensari. In aliis verò discussionis moram celeritas pronunciationis excludit, vbi currentis linguæ lubricum vix celeri etiam consequimur intellectu, & sæpe quod incitatiùs dicitur,

dicitur, desides vehementius excitat, & informat affectus. Supee quo non videbantur mihi in scripturam redigenda quæ dicta sunt, sed sicut tanquam ex tempore dicta sunt, ita statim cum tempore prætcrirent, quoniam eis cùm dieerentur gratiam potius ministrauit occasio, quàm cuiuslibet peritia facultatis. Tempote siquidem schismatis agebatur quod in diebus istis, maxime aduersus libertatem Ecclesiæ Dei, sæcularis potentiæ firmau it audaciam: ideoqne nos diligentius de vnitate & libertate tractauimus, vt animos eorum qui aderant ad insistédum consolatio firmiores redderet, & ad resistendum exhortatio fortiores. Lege itaque, adhibita tamen dilectionis indulgentia qua cœpisti, vt scilicet imperfectum meum videant oculi tui, nec ad exactum quod legeris producatur examen, sed semper media benignius æquitate cognoscas.

*Sermo habitus in Concilio Turonensi.*

HOdiernum sermonem, domini & patres mei, mihi domini nostri qui præsidet, Romani videlicet Pontificis, iniungit auctoritas. Et ego quidem munus iniunctum magis de necessitate obedientiæ, quam de animi voluntate suscipio. Mallem vt in alium declinasset ista dignatio, cuius & vita commendabilior esset, & maior tam scientiæ quàm eloquentiæ plenitudo. Quis enim ego sum, qui in auribus tot, tam prudentium, tam venerabilium personarum quemlibet mihi debeam vsurpare sermonem? Sed & quis ego sum, qui mandato Romani Pontificis audeam obuiare? Angustiæ mihi sunt vndique. Inter verecundiam & necessitatem constitutus sum. Altera me monet vt sileam, altera quasi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obediendum enim est sine mora, sed verecundia linguam reprimit, obstruit intellectum, & à facie reuerentiæ vestræ stupore quodam reddit pauidum & confusum. Scio enim quia tria solent in prædicatore requiri, sanctitas conuersationis, plenitudo scientiæ, fœcundior eloquentiæ vena. Sanctitas conuersationis inquiritur, quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit eius prædicatio gratiosa. Cuius enim vita contemnitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Timere habet ne fortè incipientem loqui statim vox diuina reprimat, & condemnet: Quare tu enarras iustitias meas, qui proiecisti sermones meos retrorsum; Perfectio scientiæ quæritur, vt habeat prædicator vnde possit de thesauro cordis sui proferre noua & vetera, & eruditum nouerit expectantibus explicare sermonem, & secundum personarum qualitates temperare, quod dixerit, vt sciat quibus debeat lac potum dare non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Eloquentia desideratur. Ad quid? Quia sicut si non habuerit sciéntiam, non habebit quid dicat, ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quo modo dicat. Vtrumque autem necessarium est, & habere quid dicas, & scire quomodo dicas. Sententiarum siquidem excellentia sermonis elegantiam quærit, vt verborum dignitas rerum maiestati respondeat, & sibi inuicem quasi concentu quodam res & verba concurrant. Ita est vt sermo prædicatoris omni acceptione dignus sit, requiritur in prædicatore religio ad reuerentiam sermonis, scientia ad doctrinam, eloquentia vt commendet ad gratiam. Vt scilicet sermo sanctus sit, prudens sit, illustris sit. Ego verò qui vobis producor in medium, nihil habeo penes me, nisi conscientiam peccatricem, minorem scientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideo oportunius mihi fuerat silere quàm loqui, pasci quàm pascere, & aures vobis potius exhibere quàm linguam. Nulla mihi in memetipso fiducia est, sed ad sanctitatem præcipientis, & merita vestra conuertor. Quibus, intercedentibus, aliquid mihi fortassis largietur gratia illius qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Os meum obedientiæ necessitas aperit, vtinam gratia eius per merita vestra sermone

A adimpleat oportuno. In omni itaque sermone, domini & patres mei charissimi, videtur mihi, quia circa id quod principaliter intenditur duo sunt studiosius obseruanda, causa scilicet & tempus. Et causam quidem ratio subministrat, tempus autem oportunum reddit occasio. Occasio autem est oportunitas sumpta ex tempore, sicut viro placuit eloquenti. Ita est. Nisi id quod dicitur causam de ratione contrahat euidentem, ipsum dicitur otiosum. Si importunè dictum fuerit, reputatur infestum. Quæ autem otiosa vel infesta sunt, raro desideratos assequuntur euentus. Et ideo cum multa de scriptis sanctis possent vtiliter ac probabiliter in commune proferri; ad ea potissimum sermo conuertendus est, ad quæ nos & vrgens necessitas impellit, & euidens inuitat vtilitas. Ad quid? Ad tentandum vobiscum de

B vnitate & libertate Ecclesiæ Dei. Sine his enim duabus non potest Ecclesia salua consistere, sed nec consistere quidem: quia nisi Ecclesia habuerit vnitatem, non erit vna. Si vna non fuerit, non erit. omne enim quod est, ideo est, quia vnum est, quod autem vnum non est, amittit pariter cum vnitate substantiam. Item, nisi habuerit libertatem, misera erit: pro eodem autem ei est miseram esse, & non esse: immo deterius est miseram esse, quàm non esse. Melius, inquit, ei erat si natus non fuisset homo ille, de Iuda dictum est, quoniam melius erat ei natum non esse, quàm ad eiusmodi miseriam natum esse Ideo, domini & patres charissimi, vt status Ecclesiæ conseruetur incolumis, oportet vnitati eius & libertati sollicitè prouideri. Vtraque enim his diebus, hac tempestate, sicut nos miserabiliter experimur, mul-

C tis vrgetur incommodis, multis iniuriis infestatur, quia alteram scindere nititur schismaticorum ambitio, alteram quærit auferre violentia tyrannorum. Vtrumque tamen eis per Dei gratiam impossibile erit. Impossibile siquidem est, spirituale Ecclesiasticæ vnitatis scindere sacramentum quod inter Christum & Ecclesiam, ipso patre auctore, indissolubili fœdere connexum est & firmatum. Impossibile est suam Ecclesiæ Dei tollere libertatem, quam dominici sanguinis consecrauit effusio. Licet enim paleæ de area Domini quandoque ventilabro leuitatis aut vanitatis auolent & abscedant, propter abscessum tamen earum non minuitur fructus areæ, sed purgatur. Item, licet Principes tenebrarum aduersus Ecclesiam Dei vehementer insurgant, portæ

D tamen inferi aduersus eam præualere non possunt. Ita, domini mei, salua nobis semper est vnitas, salua semper est libertas Ecclesiæ, quia neque tunica inconsutilis scindi potest, neque Christi sanguis in irritum deuocari. Et licet exierint à nobis aliqui qui nobiscum erant, sed de nobis non erant, non est scissa tamen veritas vnitatis propter eos, quos separauit à nobis propriæ malitia prauitatis. Et licet ij quos dicimus tyranni terrarum circa temporalia bona, & ipsa etiam corpora nostra desæuiant, vt edant carnes nostras, infirmantur & cadunt. Et si circa diripiendas inutiles sarcinas occupantur, Ecclesia tamen Dei nihil ominus quæ disponenda sunt libera potestate disponit; immo etiam ipsos, quasi seruos nequam, spirituali potestate retrudit in carcerem, vbi eos nimirum, quasi compedibus

E quibusdam vinculo anathematis, & opprobrio perpetuæ maledictionis astringit. In quo etiam laudabile videtur operari virtus diuina miraculum, dum nobis in vnitate nostra & libertate degentibus, ipsi se solos ab vnitate catholica separant, & detestandæ subiiciunt seruituti. Nos tamen, charissimi fratres & domini, non debemus malum pro malo reddere, neque vinci à malo, sed vincere in bono malum: & ideo ad reuocationem eorum qui foris sunt summa charitate debemus intendere, vt ipsi vnitati nostræ possint, Domino miserante, connecti, quatenus ij qui quietem Ecclesiasticæ libertatis impugnant, meliore ducti consilio resipiscãt, & tam de reuocatione eorum quàm istorum pœnitentia crescat fœcunditas vnitatis, & inconcussa seruetur

A desiderandæ tranquillitas libertatis Ad hoc scilicet omnem nos conuenit diligentiam adhibere, omnem propter hoc sustinere vexationem, omne periculum experiri. Hoc enim speciale debitum nostræ professionis, Episcopi sumus. Ad hoc sacramentis Ecclesiasticis sanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illustrari. Ex ea etiam causa hic primas obtinemus in Concilio cathedras, primos in cœnis recubitus, salutationes in foro. Ex eadem causa populorum nobis multitudines inclinantur, vt de manu nostra partem aliquam commissæ nobis benedictionis accipiant. Quærunt enim accipere de plenitudine nostra, quod nos accepimus de plenitudine Christi. Hic ordo est, vnguentum præcedit in capite: A capite descendit in barbam, barbam quidem Aaron: A barba vsque in oram vestimenti defluxit. B A capite, scilicet Christo, in barbam, scilicet Prælatos Ecclesiæ, à Prælatis in populum, in subiectos. In capite autem omnis perfectionis est plenitudo, omnis perfectio plenitudinis. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, solidæ scilicet & perfectæ. In ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. In ipso totus Spiritus Patris. Nihil ibi perfectioni detractum est. Nihil ibi plenitudini derogatum: & de plenitudine ista nos omnes accepimus, maiores & minores. De plenitudine quidem, sed non plenitudinem ipsam, sibi enim plenitudinem reseruauit. Circa nos autem diuisiones gratiarum factæ sunt: Vnus autem Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in singulis; diuidit enim singulis, prout vult. Vbi enim vult spirat, & quantum vult inspirat. C Nos autem in medio constituti inter Christum & populum, priuilegium gratiæ consequuti sumus, & prærogatiuam dignitatis adepti. Priuilegium gratiæ, quia prius & copiosius nobis infunditur, quod à nobis in alios transfundatur. Prærogatiuam dignitatis, quoniam superiores & propinquiores sumus. Superiores, quoniam constituti sumus Principes super omnem terram. Constitues eos, inquit, Principes super omnem terram. De Apostolis dictum est: vtique & de nobis, qui loca Apostolorum minoribus re vera meritis, sed maioribus consolationibus obtinemus. Qualis autem est hic principatus noster? vtique sublimis & fortis. Nimis, inquit Propheta, honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Propinquiores sumus: amicos siquidem nos appellat, & ad argumentum propen- D sioris amicitiæ indultas nobis, non partem sed copiam totius familiaritatis ostendit. Iam non dicam, inquit, vos seruos, sed amicos meos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis. Verum est. Nobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Nos habemus oculos intuendi & aures audiendi. Multæ & magnæ sunt circa nos dignationes tuæ, bone Iesu, multa & inæstimabilia beneficia tua. Gratia tua vltro nos præuenit & subsequitur, nihil aut parum est quod meritis nostris arrogare possimus, cùm tu gratiam per gratiam semper effusa munificentia largiaris. Quid ergo retribuemus tibi? quid retribuam, inquit, Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Quærit ne sibi re- E stitui? quærit reuera. Quoniam grauis etiam exactor est. Non conuenit debitorem suum in sortem tantum, sed etiam in vsuras. Quare, inquit, non posuisti pecuniam meam ad mensam, vt cum redirem vtique cum vsuris, eam exegissem à te? Quia ergo sibi retribui quærit, consulamus Prophetam, quid tantæ maiestati digne possit in causam retributionis offerri. Expedit nobis vt qui nos de qualitate nostri principatus edocuit, nihilominus de quantitate retributionis edoceat. Oportet enim vt quod nomine retributionis offertur, ad honorem cedat, accedat ad gratiam. Alioquin non parit gratiam, sed offensam. Audiamus ergo quid dicat: Constitues eos Principes super omnem terram. Ecce meritum eius circa nos: quid autem sibi retribui quærat, consequenter adiungit: Memores erunt nominis tui, Domine. Memoriam nominis sui tantum sibi quærit nomine retributionis offerri. Cuius nominis? nempe multa nomina habet. Habet quædam nomina de veteri instrumento significationis absconditæ, habet quædam ad nouum specialius pertinentia testamentum, suauitatem redolentia, exhibentia gratiam. Quæ quamuis constet originem traxisse de veteri, plus tamen celebritatis & frequentiæ de præsenti nouitate sumpserunt. Quæ sunt illa? Iesus Christus: Iesus interpretatur saluator. Christus vnctus. Vbi vnctio, ibi suauitas: manifestè nomen istud Christus suauitatem redolet vnctionis; Iesus salutis gratiam repromittit. Credo tamen quod in hoc loco Propheta aliud nomen quærat intelligi, quoniam nomina illa propter suauitatem & gratiam deuotionem quidem & fiduciam præstant: hic vero alterius cuiusdam nominis memoriam quærit, cuius seueritas nobis cautelam diligentiæ, & timorem reuerentiæ donet. Quod est illud? Deus. Deus interpretatur timor. Ipse autem in hoc loco timentes esse nos exigit & prudentes. Commisit enim nobis hæreditatem suam, quam nisi timentibus non committit. Dedisti, inquit, hæreditatem timentibus nomen tuum. Domine. Hæreditas autem eius illa est, quam ipse à patre merito & postulatione passionis accepit. Postula inquit, à me, & dabo tibi g. h. t. hæreditas autem hæc vniuersitas fidelium est, quæ nomine censetur Ecclesiæ, quæ Catholicam continet vnitatem. Hanc fidei nostræ credidit, hanc sollicitudini commendauit. Ad curam igitur & custodiam eius cum omni timore omnem nos oportet diligentiam adhibere. Nulla nos absterrere debet comminatio, nulla persecutio retardare. Participes consolationum facti sumus. Iustum est vt socij simus etiam tribulationum. Ex aduerso stare nos conuenit, & opponere nosmetipsos murum pro domo Israël. Quod sanè nobis non facile quidem, sed possibile tamen erit, si constanter in vnitate Catholica consenserimus permanere. Porro fratres sumus ex eodem patre Christo, & ex eadem matre Ecclesia, per regenerationem aquæ & spiritus de filiis iræ translati in adoptionem gloriæ filiorum Dei. Bonum itaque est, quia vtile: iocundum, quia delectabile, nos hac spiritali fraternitate coniunctos, in vnitate consistere vt sit scilicet nobis, sicut in primitiua Ecclesia, multitudinis credentium cor vnum & anima vna. Sit in nobis vnus spiritus, vna fides. Vnitas enim fidei concordiam parit, Concordia mater est vnitatis. Vnitas vero fidei tribuit libertatem. Ex fide siquidem vita nobis & victoria est. Iustus, inquit, meus ex fide viuit. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. sed & sancti per fidem vicerunt regna: regnum Sathanæ, regnum mundi, regnum cœlorum. Et de regno quidem mundi & regno Sathanæ manifestius: sed & regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ita omnia regna vnitas fidei, & fides vnitatis expugnat. Totis itaque studiis debemus insistere, & alter alterum cohortari, vt stemus simul, quia si steterimus simul, alteri ab altero plus fiduciæ & virtutis accrescet. Si steterimus simul, aduersariis nostris non tantum resistere poterimus, sed & cum fiducia prouocare. Si steterimus simul, Ecclesia Dei apparebit terribilis, vt castrorum acies ordinata. Stemus, inquit ille Propheta, stemus simul. Quis est aduersarius meus? quis contradicit mihi? accedat ad me. Quia aliquem sibi senserat fideliter assistentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, domini & patres mei, habemus aliquos nobis fideliter assistentes: habemus enim assistentem nobis gratiam ciuium supernorum, habemus assistentia nobis merita & orationes vestras, habemus assistentem nobis fidem & deuotionem catholicorum Regum, qui vnitatem catholicam nobiscum & verbo profitentur, & operibus exequuntur. Omnes ferè quicunque censentur nomine Christiano. Comparatione vero tantæ multitudinis, modica est vnius exceptio. Vnus

siquidem

ſiquidem excipitur, & ipſe ſolus. væ autem ſoli: quia A
ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Sed & ipſe per miſericordiam Dei conuertetur & viuet, quoniam ipſe eſt inter Principes terræ multa prudentia, & virtute laudabilis, niſi gloriam ſuam diuinæ gloriæ præponere decreuiſſet. Vtinam humilietur ſub potenti manu Dei, & principatum Eccleſiæ ſuo præeſſe principatui recognoſcat, vtinam intelligat quia ſi Chriſtum, ſponſum ſcilicet Eccleſiæ dominum confitetur, neceſſe habet & Eccleſiam quæ ſponſa eſt nihilominus dominam confiteri. Præterea ſpecialem cauſam habet, qua ſanctam Romanam Eccleſiam dominam recognoſcere debet: alioquin manifeſtiſſimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus hiſtorias, certum erit prædeceſſores eius imperium non de alio iure, B
quàm de ſola ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratia percepiſſe. Nihil igitur plus iuris vendicare Principes poſſunt, quàm quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus aſſiſtentem nobis etiam Chriſtum. Neque enim Eccleſiam ea nobis conditione tradidit, vt relinqueret: ſemper aſſiſtit. Non relinquam, inquit, vos orphanos, vado & venio ad vos, vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi permanſurus. Adiutor itaque & protector nobis eſt in ſalutem. Cum adiutorio itaque tot aſſiſtentium nobis nulla nos debet abſterrere comminatio, nulla perſecutio reuocare, immo ſtare debemus ex aduerſo, & opponere noſmetipſos murum pro domo Iſrael. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Immò etiam ad confidentiam victoriæ obtinendæ ſuo nos inuitat exemplo. Confidite, inquit, ego vici mundum. C
Si ſemel victus eſt, non erat inuincibilis mundus: facilius nobis erit victoria victum vincere quàm inuictum. Chriſtus vincendum aggreſſus eſt, & deuicit. Dicebatur aliquando: Vide Domine & conſidera, quoniam erectus eſt inimicus: nunc autem dicitur, quoniam deiectus eſt inimicus. Fiducialiter aggredi poſſumus iacentem & victum; quia ſi deiectus eſt, non reſurget; ſi victus, non præſumet. Nulla ipſius ex hoc nunc reſurrectio, vel præſumptio præualebit. Timeo tamen, ne aliquis forte ſubmurmuret, præſumptuoſum dicens æmulari tantæ perfectionis exemplum. Facile, inquit, erat Chriſto mundum vincere, qui creauerat mundum. Omnipotens enim nomen eius, cui idem eſt & velle & poſſe; mihi non ita, quoniam infirmus ſum, & conturbata ſunt omnia oſſa mea. Omne ſcilicet robur na- D
turæ meæ peccati corruptione concuſſum, & ideo ſubſtantia mea tanquam nihilum coram ipſo. Sed nequaquam, domini & patres mei, diffidendum, nequaquam deſperandum eſt: quia ſicut verba Chriſti nobis ad doctrinam, ita opera proponuntur ad formam. Et ſicut per doctrinam impoſſibile nobis eſt ſcientiæ illius plenitudinem obtinere, ita per exempla ad æqualitatem virtutum eius non poterimus peruenire. Sed licet attingere non valeamus eminentiam maieſtatis, proficere tamen poterimus ad aliquam ſaltem ſimilitudinem ſanctitatis. Proderit imitari, etſi nemo valeat adæquari. Citra perfectionem eius ſubſiſtit noſtra perfectio. Proſequi debemus, et ſi conſequi non poſſimus. Non eiſdem paſſibus, ſed eodem tramite, E
eiſdem eſt veſtigiis inſiſtendum. Quòd ſi aliqua etiam de hominibus exempla quærantur, multos homines victores mundi poterimus inuenire. Videamus Apoſtolum, hominem ſcilicet peccatorem, ſicut & nos, non quantum nos, qui dicat ſe minimum Apoſtolorum, & indignum vocari Apoſtolum, quoniam perſecutus eſt Eccleſiam Dei: Bonum, inquit, certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Certauit Apoſtolus, de certamine victoriam, de victoria conſequutus coronam. Cucurrit & conſummauit curſum, ideoque brauium aſſecutus eſt. Idem brauium, quod corona. Tu autem qui es qui quæris coronam ſine victoria, vel ſine concertatione victoriam? Impoſſibile eſt de facto, ſine concertatione viciſſe. Improbabile eſt de iure coronam, ſine victoria poſtulare. Neque enim coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Lex autem certaminis perſeuerantia eſt. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Idem profecto ſalus, quod brauium & corona. Amplius ſi maior vobis de hominibus placeat pluralitas, exemplorum infinita ferè martyrum millia nobis occurrent, qui ad certamen iſtud toto deſiderio occurrerunt, & demum victoriam euentam quidem, ſed tamen cum lætitia & gloria perceperunt. Nunquid non ibant Apoſtoli, gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati? Nunquid non Stephanus inter lapides ipſos pro lapidantibus ſupplicat & exorat? Nunquid non Petrus & Andræas de cruce prædicant veritatem? Nunquid Laurentius de craticula tyranno lætabundus inſultat? Nunquid non carnifices ipſos ad equuleum præuenire inuincibilis Vincentij fortitudo feſtinat? Sed & ſi de infirmiore ſexu quæratur exemplum, Agathes lætiſſimè & gratulanter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata, agonem ſuum domino precibus commendabat. Prius me deficiet dies, immo totum longioris anni ſpatium expirabit, quàm ſanctorum victoriæ planè valeant enarrari. Hi reuera fuere viri fortes, & ad bella doctiſſimi, qui humilitate ſuperbiam, tyrannidem patientia deuicerunt. Cæterum benignius agit cum infirmitate noſtra miſericors & miſerator Dominus. Ipſe enim conſcius eſt infirmitatis noſtræ, vt pote qui nouit figmentum noſtrum. Tolerabilem itaque facit patientiam noſtram. Reuera ſicut dictum eſt facit cum labore prouentum. Nulla ergo aduerſum nos veteris ſæuitiæ commenta procedunt, immo etiam ſuſtinemur in equis & curribus ambulare, in magnis quandoque & mirabilibus ſuper nos epulari ſplendide, precioſis indui honoribus, & diuitiis abundare. Paupertatem Chriſti verbo prædicamus, ſed minus exhibemus exemplo: niſi quia fortaſſe paupertatem eius in nobis ſpiritualiter diuitiarum contemptus & humilitas ſancta reſtaurat. Neque enim requiritur à nobis diuitiarum indigentia, ſed contemptus. Diuitiæ, inquit, ſi affluant, nolite cor apponere, non dixit, ne affluant, ſed ne cor apponatur. Porro cor prohibuit apponere, ſed non manum. Profecto Propheta in omni affluentia diuitiarum pauperem ſe prædicat & egenum. Poſſumus itaque licitè diuitias poſſidere, ſi tamen earum nos non reputauerimus dominos, ſed miniſtros: ſi intellexerimus patrimonium pauperum eſſe patrimonium Chriſti, ſi prouentibus Eccleſiæ, ſi pauperum neceſſitatibus erogantur. Alioquin fures & latrones nos ratio manifeſta conuincet, ſi res alienas inuitis dominis noſtro præſumpſerimus arbitrio contrectare. Quia igitur diſtribuendæ ſunt, non retinendæ diuitiæ, nuſquam iuſtius, nuſquam poſſunt liberalius erogari, quàm in eos qui exulantem Eccleſiam proſequuntur, qui propter cauſam Chriſti rerum ſuarum diſpendia pertulerunt. Cauſa communis eſt, ſed in eos omne detrimentum, omnis eſt conuerſa vexatio. Nos enim intra domeſticos parietes noſtros tribunalia noſtra ſublimiter inſidemus, ipſi ſedibus ſuis contumelioſè & violenter eiecti peragrant regiones. Nobis omne ſolatium cum affluentia diuina pietas adminiſtrat, ipſi de manibus alienis ſubſidia vitæ cum ſilentio patienter expectant. Nobis neceſſariorum noſtrorum & familiarum ordo longus aſſiſtit. Ipſi inter ignotos vitam quaſi ſolitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis conſolationem emendicata ſuffragia præſtiterint, indignum eſt ab eis beneficia quærere, quibus tu conſueueris exhibere. Aperiamus itaque eis viſcera pietatis, & in eos omnem compaſſionis & venerationis effundamus affectum, ipſoſque cum omni beneficentia & gratia complectamur: quia tunc adimplebi-

mus legem Christi, si alter alterius inuicem onera comportemus. Viri prudentes sunt, & multa commendabiles honestare, quos Dominus elegit, tanquam aurum in fornace probandos, vt per eos impendio personarum & rerum, Ecclesiæ victoria consummetur. Felices sunt quibus datum est pro æternis transitoria commutare. Feliciores sunt, qui mortem vel corporales iniurias sunt experti, & impreciabilem sanguinem Christi suo indigno & corruptibili sanguine compensarunt. Quid enim? Nunquid sanguinem Christi in causam nostræ redemptionis expendimus, vt ipsum ei in tempore retributionis, scilicet cùm ipse requisierit, solueremus? Mutuatus est peccator, & non soluet: nos autem, Domino miserante, soluemus, qui confitemur nos non artificio ciuili, sed re ipsa interueniente naturaliter obligatos. Vtinam, bone Iesu, detur & mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare. Vtinam sanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat in solutum, vel quia crediti & debiti sanguinis, scilicet tui & mei, inuicem æstimatio non concurrit, saltem benignissima acceptilatione liberatus absoluar, qua scilicet cõsueuisti iustitiam accepto ferre sine operibus, & prẹmia sine meritis, pro gratia scilicet bonæ actionis gratiam retributionis inferre.

*Sermo in Synodo.*

Qvis putas fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus, inuenerit vigilantem. Ecclesia, sicut nostis fratres charissimi, congregatio fidelium dicitur. Fideles autem sunt, qui censentur nomine Christiano, qui scilicet de agnitione fidei catholicæ Christiani nominis contrahunt dignitatem. Fides enim ista de Christo, & à Christo est, ideoque Christiana de nomine proprij nuncupatur auctoris: catholica vero, id est communis, tam propter præcepta generalium regularum, quàm propter vniformem in omnes æternæ retributionis euentum. Neque enim fides ista iam vel certis est consignata personis, vel quibuslibet locorum coarctatur angustiis, sed ab ouibus quæ perierant domus Israel in omnes gentes veritatis doctrina transfusa est, postquam scilicet in omnem terram sonus Apostolicæ prædicationis exiuit. Per hanc ergo fidem purgatis ignorantiæ tenebris, & veterum detersa caligine figurarum, misericors & miserator Dominus Ecclesiam suam sic notitia veritatis illustrat, vt operibus nihilominus charitatis informet, quatenus procedente gratia ei se ad complexandum indulgeat, & exhibeat ad videndum. Ad hoc eam de tenebris vocauit in admirabile lumen suum, ad hoc eam secum assumpsit in eiusdem corporis vnitatem. Ad hoc eam de seruitute corruptionis, proprij quoque sanguinis impendio liberauit. Ipsa enim precium sanguinis eius est, retributio passionis, gloria maiestatis. Quod enim assecutio hæreditatis istius ei cedat ad gloriam manifestè, de ipsius congratulatione suscepimus: quia in susceptione ipsius à patre eam studiosius commendat, & etiam lætabundus exultat. Funes, inquit, ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Præclara est, quoniam pulchra & decora est. Pulchra, quoniam tota pulchra est, non habens maculam neque rugam. Cuius claritatis & pulchritudinis quantus ipse zelator sit, ipsa etiam nominum multitudo, quibus eam frequenter appellat, euidenter ostendit. Nempe multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur. Neque enim vno nomine contentus esse potuit, vt in ea diuersitatem virtutum distingueret, & in se circa eam totum dilectionis aperiret affectum. Modo itaq; eam electam, modo dilectam, modo sponsam nominat, aut reginam, multisque aliis nominibus quæ spiritualibus sunt plena mysteriis, & sacris significationibus illustrata. Ego tamen ad præsens paucis esse contentus decreui, quia sapientibus loquor, quibus plenius quàm mihi innotuerunt nomina, & nominum sacramenta. Electa dicitur. Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum. Electa dicitur, propter virtutum eminentiam qua præcellit. Thronus autem iste qui in ea constituendus dicitur, Altissimi thronus est, qui non potest nisi in eminentia collocari, quia ipse est qui in altis habitat, immo etiam in altissimis: Ego, inquit, in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis. In altissimis habitat, quoniam cœli cœlorum sedes & habitatio eius. Supra tertium etiam cœlum inuenitur à Paulo. Thronus autem hic in columna est, quia sicut columna ardua & subtilis est, sic ardua & angusta via quæ ducit ad vitam: vita vero Christus. Cæterum quod thronus iste constitutus in nube dicitur, diligentius attendendum est. Nunquid enim ipse inhabitat lucem inaccessibilem? Nunquid ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Lux scilicet perpetua, quæ lucebit sanctis Dei, quia fulgebunt sicut Sol in regno patris eius. Sed & thronus eius, sicut Sol in conspectu patris. Re vera lux est, & lucem in habitat. Sed inter nos & lucem illam ad præsens nubes interposita est, quæ non permittit nos eam perfectè his quos modo habemus oculis intueri, immo nobis nubes, & caligo in circuitu eius. Videmus tamen aliquatenus, sed per speculum, sed in ænigmate, sed interpositis corporalibus instrumentis. Visibilia enim quæ ab ipso creata sunt, quasi speculum, quasi instrumenta nobis sunt, per quæ quodammodo possimus ipsius inuisibilia contemplari. Inuisibilia siquidem eius per ea quæ facta sunt, ab eo conspiciuntur. Videbimus autem, Deo volente, perfectius in futuro, quando videbimus eum sicuti est, quando cognoscemus sicut & cogniti sumus, quando scilicet Regem in decore suo videbunt oculi nostri, quando transformabimur à claritate in claritatem, sicut à Domini spiritu. Quod mihi videtur desiderasse Propheta, cùm diceret: Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? quasi diceret, Video aliquantulum, sed obiecta est mihi nubes, interpositum velum, non video nisi interpositis corporalibus instrumentis. Vellem hæc omnia remoueri, vt viderem facie ad faciem, & appareret mihi Christus vita mea, & ego apparerem cum ipso in gloria. Item, dilecta dicitur, quia diligit & ipsa, neque enim diligeretur, nisi diligeret, ipse enim nisi diligentes se non diligit. Ego, inquit, diligentes me diligo. Præuenit tamen diligendo, quoniam ipse prior dilexit nos, sed ad hoc diligit, vt faciat diligentes. Nisi enim qui diligitur mutua ei dilectione respondeat, diuinæ reuocatur dilectionis affectus. Verum quanta inter ipsum & diligentem se discurrat alternæ charitatis affectio, difficile nobis, immo impossibile est explicare, quoniam nec ipsius Salomonis sapientia id perfectè nobis enarrare potuit, licet diligentissimè fuerit prosecutus inter eos modo complexus & oscula, modo aromata & vnguenta, modo languorem spiritus, modò animæ defectum, modò feruentem curiosæ æmulationis zelum, modo delicatum teneræ cõpassionis affectum. Quæ omnia mihi satis est breuiter attigisse, quia religio vestra hæc intra vos metipsos plenius per ipsa spiritualiter experimenta cognouit. Tertium nomen est quod posuimus, quod sponsa dicitur. Nullo alio nomine manifestius exprimi potuit inter eos sacramentum vnitatis, & sinceræ perfectio charitatis. Quæ enim verior vnitas & charitas est quàm duo in carne vna fieri, & ipsos vno eodemque spiritu vegetari? Quoniam ipse ab ea in vnitatem eiusdem carnis, & ipsa ab eo in vnitatem eiusdem spiritus est assumpta. Erunt itaque duo in carne vna. Profecto Christus & Ecclesia. Nempe Verbum caro factum est. Sed & totum corpus Ecclesiæ spiritu Christi vegetatur & regitur. Prudenter negotiata est Ecclesia, carnem dedit, vt acciperet spiritum, & ipse animatum corpus assumens, largitus

gius est nobis suam deitatem. Fœdus hoc in persona Christi celebratum est, quando scilicet cum humanitate diuinitas, & cum diuinitate conuenit humanitas. Sponsalia hæc ibidem, auctoritate Patris & sancti Spiritus obumbratione firmata sunt. Nec enim adhuc nisi sponsalia sunt, nondum celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatum. Porro complebuntur omnia in futuro, cùm sponsus aduenerit, & intrabunt qui parati inuenti fuerint cum ipso ad nuptias, imparati foribus excludentur. Qui vero ad agni nuptias fuerint introducti, ibi epulabuntur in conspectu eius, ibi delectabuntur in lætitia, ibi inebriabuntur ab vbertate domus eius, ibi torrente voluptatis potabit eos, ibi qui modò vacui sunt replebuntur in bonis domus eius, & qui inanes satiabuntur, quoniam apparebit gloria eius. Ibi sponsa coronam accipiet, quam ei Dominus præparauit in æternum, Vnde etiam regina vocari digna est. Iure id quidem, quoniam sponsa est regis: Christus enim rex est, cuius ipsa sponsa est, & rex, & filius regis. Non habet regnum fortuitum, sed hæreditarium, quia de patre: Deus, inquit, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Ad patrem loquitur: Deus, inquit, pater da regi, id est Christo filio tui regis scilicet qui rex es, iudicium & iustitiam, potentiam scilicet & scientiam iudicandi. Iustitia enim & iudicium, præparatio sedis eius. In his siquidem duobus consistit tota Regiæ maiestatis auctoritas, quia iudicium per seueritatem potentiæ vindicat, quæ malè commissa sunt coercet, ne iterum committantur. Punit siquidem excessus, & refrænat audaciam. Iustitia vero per discretionem scientiæ dirigit & informat. Informat ad virtutem, dirigit ad salutem. Patet itaque rex est, & filius rex est. Pater rex ab æterno, filius nihilominus secũdum diuinitatem rex ab æterno. Vnius eiusdemque regni non duo reges, sed vnus rex. Christus autem secundum humanitatem rex factus est ex tempore, & Ecclesia eiusdem regni constituta est cum ipso. Astitit, inquit, regina à dextris tuis. Christus ad dexteram Dei patris, in potioribus scilicet bonis gloriæ eius sedere dicitur, propter requiem consummatæ gloriæ quã accepit. Ecclesia à dextris Christi stare dicitur, non sedere, quia semper est in procinctu constituta. Astitit regina à dextris tuis. In hoc verbo videtur mihi propheta triplicem statum Ecclesiæ prospexisse. Videtur mihi primo eam considerare stantem ad dextram crucifixi, vbi sibi profluentia in salutem, de latere eius sacramenta suscipit & obseruat. Erant, inquit, iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Stabat & discipulus quem diligebat Iesus. Stabat Petrus, & alii forsitan fideles à longè prosequentes, vt viderent finem. Stabat & Centurio, manifestè protestans quia verè filius Dei erat iste. In ea paucitate tunc temporis tota ferè vniuersitas Ecclesiæ consistebat. Porro vnus ex militibus lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua: sanguis scilicet redemptionis, & aqua regenerationis. In his duobus omnium sacramentorum virtus & efficacia creditur emanasse. In fide enim passionis, & baptismatis ablutione saluamur. Qui enim crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Sanguis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Sed & aqua quæ visa est egredi de templo corporis Christi, à latere dextro, saluauit omnes ad quoscunque peruenit. Tres igitur testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus siquidem testimonium perhibet de Christo, quoniam Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Nobis autem aqua & sanguis reddunt testimonium ad salutem. Secundus autem status Ecclesiæ est à tempore resurrectionis Christi vsq; ad sæculi consummationem, quo tempore scilicet ipsa peregrinatur in terris, atque interim bona ista temporalia sobriæ sibi in vsus honestæ necessitatis assumit. Tota tamen spiritualiter in agnitione sacramentorum, in virtutum execu-

tione, in cælestium contemplatione consistit, atq; ideo quodammodo stare videtur etiam in præsenti, quoniam A spiritualia sunt hæc, & de beneficio ei diuinæ bonitatis indulta, vt ei de perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Porro tertius Ecclesiæ status consummatis omnibus complebitur in futuro, quando scilicet dextra ipsius amplexabitur eam, & æternæ beatitudinis plenitudo continebit. Astitit, inquit, regina à dextris tuis. In hoc verbo regnorum pluralitatem Christo & Ecclesiæ nolumus assignare, quia vnum & simplex regnum est, quod patri & filio secundum diuinitatem firmat deitatis æternitas, & quod filio virginis & Ecclesiæ gratia communicauit ex tempore. Nulla ergo inuidia est, Ecclesiam reginam, & cælorum etiam reginam appellari, cum Psalmista filios eius Deos & Dei filios confidenter appellet. Ego, inquit, dixi, B Dii estis, & filii Excelsi omnes. Ita, domini & patres mei, sicut diximus, multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur, & ipsorum diuersitate sacramentorum quoque diuersitas assignatur. Hanc igitur tam præclaram, tam acceptabilem sibi electus electam, dilectus dilectam, sponsus sponsam, rex reginam, Christus Ecclesiam fidei vestræ credidit, prudentiæ commendauit, vt scilicet ad curam & custodiam eius, cum timore nominis eius, omnem diligentiam, omnem sollicitudinem impendatis, quatenus omne opus eius studio vestro, quantum vobis possibile fuerit, dirigatur in bonum, & ipsa integra & illæsa sub vestra defensione, & Christi protectione consistat. Ad hoc siquidem fides & prudentia procuratoris inquiritur, vt per fidem sua domino seruetur vtilitas, per prudentiam ingruentes à fa- C milia molestiæ depellantur, fundatum est vestro tempore non soluetur. Solui autem necesse est, si inexperto regulam regula conseruanda mandatur, si imperito agricolæ credatur noua plantatio, si denique cuiquam alicuius rei magisterium credatur, cuius ille non attigit disciplinam. Perniciosè siquidem vinea propaganda committitur ei, cuius est studium potius extirpare. Vnde etiam si eum, de quo agitur, Girardum aliqua electionis forma defenderet, quia pro Ecclesiis libertas electionum introducta est, liquet, quia quod earum fauore comparatum est, hoc ad earum læsionem retorqueri non debet. Retorquebitur autem, si electionis fauor vsque in detrimentum principalis causæ processerit, si non quis, vel ad quid, sed qualiter electus sit, at- D tendatur: nec finis aut vtilitas operis, sed sola negotii series exquiratur. At vero quod hic electio nulla præcesserit & verum est, & omnis Ecclesia contestatur præter paucos, quos ad optandam sæcularem personam amor & desiderium sæcularitatis adduxit. Quorum primus adolescens & frater est, secũdus ex familiari neophitus, tertius nescio qua sanguinis cognatione coniunctus, quartus claustrali disciplinæ mancipatus à puero, imberbis adhuc, & nihil sitiens penitus nisi mũdum. Quos ille per furtiuas literas studio fratris, persuasionibus & promissis illectos ad hoc schisma protraxit, ratus securè quidlibet aduersus paupertatem Ecclesiæ præsumendum. Sperabat enim aduersus reliquos omnia posse trium aut quatuor huiusmodi testium depositione probari, quoniam negantis factum per rerum naturam nul- E la est probatio, auctori autem onus probationis incũbit. Sic opus illud primo quidem de ambitione conceptum est, eandem vero temeraria leuitate promotum, vt ad extremum posset periuriis consummari. Accessit etiam post modum propter iniuriam quam passus est ex incommoditate fiducia, ad quam tamen si eum inconsulta protraxit ambitio, nec innocentibus imputandum est, nec in detrimentum Ecclesiæ conuertendum. Porro in actores sceleris seueritatis Apostolicæ vindicta procedat, personæ vero quæ læsa est, salua tamen indemnitate Ecclesiæ, consulatur, vt reis pœna, læsis remedium, sua religioni iustitia conseruetur. Cæterum de eo quod factum est, innocentiam suam multis Comes excusat,

adeò vt auctores ipsos, licet ipsius se putauerint gratiam promereri, Ecclesiastico permiserit arbitrio puniendos: Neue aduersus libertatem Ecclesiæ laborare credatur, vniuersam Ecclesiæ dispositionem Archiepiscopi nostroque scilicet Episcoporum consilio relaxauit. Ecce domine in voluntate tua vniuersa sunt posita, nec est qui possit tuæ resistere voluntati, esto officii tui sedulus executor, ne personarum vel causæ merita confundantur; vt reos scilicet castigatio digna coërceat, læsos pia miseratio consoletur, regularis autem cõuentus accipiat patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum tuo, quod absit, opificio dicatur affixum, & vbi ex priuilegio prædecessorum tuorum Archidiacones sæculares esse non licet, sententia tua creet Episcopum sæcularem. Valeat in Christo sanctitas vestra.

*Ad Ricardum de Alm. Præcent. Lincolniensi.*

## EPIST. LVI.

Licet pro latore præsentium A. vestræ præsens supplicauerim charitati, preces tamen censui literis prosequendas, vt quantitatem desiderii mei tam viuæ vocis alloquium, quàm literarum instantia declararet. Sperat hic impetratis à me literis, à vobis impetrasse quod postulat, quia quasi certus est preces meas apud dilectionem vestram optato nullatenus frustrandas effectu. Cumque solus charitatis affectus omnem possit inter nos formasse fiduciam, accedit tamen quod vtilitatis vestræ detrimenta non quæro, quamuis gratia mea vestro iudicio quælibet plurimo prouentu dispendia recompenset. Facietis itaque cum hilaritate quod petitur, vt ipsa facilitate meriti quantitas augeatur, quia sæpius officii liberalis exhibitio creat vel firmat amicitiæ veritatem. Licet enim ipsa in sua simpliciter puritate consistat, tamen extrinseca frequenter accessione distrahitur, adeo vt iniuriis irritata deficiat, & quasi delinita beneficiis conualescat. Porro ipsa beneficiis odia conquiescunt, & mirabili mutatione in contrarios vertuntur affectus. Siquidem necesse est diligas quem odisti, si eum ad meliorem affectum à pristina malitia transisse cognoueris, affectumque tuum aliena sibi formidabit affectio, vt semper diligentem diligas, & oderis odientem. Oportet igitur vt sibi inuicem bene vtriusque conscientia respondeat, ideoque vltro citroque absconditæ voluntatis argumẽta procedant, quia operibus credendum esse ipsa nos Euangelicæ doctrina veritatis instruxit. Semper diligentis animus ad alterius est, quàm ad sua vota propensior, & præuenire desidiam reputans tota semper festinat diligentia præuenire.

*Ad Abbatem Cist. & fratres eius.*

## EPIST. LVII.

Confectus senio & aliquarum ægritudinum grauatus accessu, ad Medicinæ salutare remedium confugere, & confracta laboribus membra necessaria requie subleuare constitui. Siquidem in perniciem meam velut coniurata veniunt debilitas, infirmitas, & senectus, mihique tot incommodorum instantia fiduciam vitæ longioris abrumpit. Accedit extrinsecus negotiorum quibus distrahor importuna vexatio, quæ miserabiliter anhelantem, vel ad momentum etiam respirare non sinit. Siquidem sæpius ad Regalia cum cæteris trahor angarias, eorumque quibus deesse non possum, frequentibus infestor iniuriis, media omnia interim tot tantisque laboribus sumptibusq; consecrata sunt, vt nec ad tolerantiam corpus sufficiat, nec ad impẽdium facultates. Porro si hæc saluti etiam non obsisterent animarum; viro tamen bono tolerabilius videretur, si detrimenta præsentium ad prouentum proficerent æternorum. Sed hominum semper procedente malitia, & in deterius diebus singulis excedente, cùm bona, tum corpora, tum & animæ simul ruina pariter inuoluuntur, & formidabili plerunque consummantur euentu. Quia igitur sapientis est casus huiusmodi sagaci prouidentia præuenire, oportunitas loci mihi fuerat exquirẽda, vbi quietem meam nec causarũ tumultus infestet, nec incursus multitudinis interpellet, sed exẽplo meliore semper honestatis studia conualescant, & ad veræ virtutis opera omnis possit occasio deseruire. Super quo cùm ad multa loca multorum precibus & desideriis inuitarer, quidam locus ordinis vestri qui dicitur Mortui-maris inter cuncta complacuit, quia mihi visus est multis commoditatibus opportunus. Siquidem de antiqua familiaritate plurima sumus inuicem charitate coniuncti, mutuamque gratiam vetus notitia alterna operum exhibitione firmauit. Itaque extra terminos, intra quos secundum ordinem vestrum, arctioris abstinentiæ decreta seruantur, domum mihi moderato sumptu statui construendam, cuius sobria necessariis vsibus amplitudo sufficiat, mensuram tamen regularis ædificii non excedat. Sanè exclusi erimus, commeatu tamen familiari tam prouidè, quàm clementer indulto, vt à trãsgressione regularis obseruantiæ seueritas arceat, & tamen ab Ecclesia sanctisque fratrum colloquiis misericordia non excludat. Porro per exteriora nullus reseruatus ingressus est, quo scilicet inutilis frequentiæ tollatur occasio, & nihil nisi per communem portam sub oculis & sancta solertia ianitoris accedat. Scio plurimam eos de nostra commoratione concepisse lætitiam, atque eis vtinam inde proueniant commoda quæ præsumunt, vt scilicet dignus sit expectatione prouentus, & aliquid bonæ opinioni eorum de iudicio nostræ prælectionis accedat. Quia vero locum illum nouimus specialius ad vestram sollicitudinem pertinere, propositum nostrum vobis indicandum duximus, rogantes vt & vestræ charitati complaceat, sanctoque vestrarum precum suffragio muniamur, & auctoritas vestra vota sanctorum fratrum exhilaret, & rescripto quolibet aut mandato confirmet.

*Ad Papam Alexandrum.*

## EPIST. LVIII.

Est in Episcopatu cui, Deo permittente, deseruio, monasterium quoddam nomine Gristanum, quod aliquãdo suauitatis odorem circumquaque diffudit, sed in diebus Abbatis istius merita diu laborauit infamia, sic & præsentes vidisse constat & remotos audisse. Nec enim infra domesticos parietes contineri scandala potuerunt quæ procedente temeritatis audacia, publicis offerebantur aspectibus, & per ora publica personabant, quoniam fratres loci illius ab operibus eiusmodi nec timor Dei, nec hominum reuerentia cohibebat. Quorum quanto maior immanitas extitit, tanto latius celeriusque fama discurrente vulgata sunt, maiorẽmque apud omnes contraxit offensam, quod palam tanta à sanctuario procedere malitia videretur. Siquidem nulla vel modica erat intrinsecus regularis obseruantia disciplinæ, minor extrinsecus exhibitio charitatis; quia nec hospites agnoscere cõsueuerant, neque quicquam pauperibus impartire, sed ipsas etiam communis mensæ reliquias, ad impendendum priuatis affectibus dissolutionis impudentia reseruabat. Parua sunt hæc, sed ad sanguinem prorupit insania, vt à nulla specie criminis manus eorum seruarẽtur immunes. Constat eos in claustro strictis inuicem concurrisse cultellis, sicut cicatrices vix obductæ, & recentia quoque vulnera protestantur. Ac nisi de cultellis eorum pugionem prouida sustulisset antiquitas, sæpius vsque ad alternas etiam mortes intemperantia desæuisset. In monasterio ipso immersam aquæ frigidiori mulierẽ vis algoris extinxit. Vt enim miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis sæcu-

lariter

larium personarum frequētes inuitarent accessus, sanitatis remedia promittebant ei qui se incantatæ ab eis, nescio quibus carminibus, aquæ septies sustineret immergi. Ægra itaque mulier aquæ glaciali frequēter immersa inter manus cōprimentium monachorū cōngelata decessit, dum vim algoris ægritudo non sustinet, & profana religio naturam potius irritat ad perniciem, quàm Dei misericordiam ad salutem. Ministrum coquinæ cum debitum pronus exequeretur officium quidam è monachis interfecit, quia dicebatur aliquando de nimia illius circa vxorem suam frequentia murmurasse. Ceruicem itaq; ipsius adacto totis viribus pistillo grandiore cōfregit, & innoxio sanguine pulmenta, quæ tam ipsi, quàm cæteris fratribus parabantur, aspersit. Super quibus cum ego sæpius Abbatem charitate debita commonerem, nec enim seuerius cogere permittebar, dissimulandū potius, quàm districtione monastica censuit occurrendum. Dedit itaque dissimulatio remissa fiduciam, quia sibi nihil non licere credebant, quos nec ratio propria, nec aliena correptio refrænabat. Porro nulla Abbati disciplinæ restabat auctoritas, quia etiam à reprobis eorum disciplina contemnitur, in quibus bene compositæ mentis opera non videntur. Augebat audaciam quod eis in claustro necessaria non dabantur, sed ad recompensationem subtractæ necessitatis liberior eis euagandi licentia laxabatur. Solent enim huiusmodi personæ patientius inopiam portare quàm regulam, & à Prælatis suis peccandi libertatem quamlibet egestate mercantur. Ad hæc, vt nulla eis effluendi deesset occasio, Abbas sæpius quasi ad disponenda bona monasterij nauigabat in Angliam, vbi sine consorte degens & iudice, gulæ & lateri sicut dicebatur indulgens, parum aliquid præter vagos discursus, & lites superuacuas exercebat. Vbi nouissimè per continuum ferè bienniū demoratus, Episcopalis edicti necessitate reductus est, statumque monasterij deteriorem satis quàm reliquerat reuersus inuenit. Cumque statim cœpisset monachorum contentionibus infestari, festinantem redire prohibui, nisi ordinato monasterio prius mihi personas idoneas quæ curam gererent vicariæ sollicitudinis assignasset. Ipse vero Episcopali, qua ei præmineo, auctoritate neglecta, & debito obedientiæ, de cuius exhibitione vinculo iuratæ professionis tenetur astrictus, sine conscientia mea reuersus est, nemine domi relicto qui sciret vel curam ordinis gerere, vel temporalia dispensare. Quod statim miserabiliter ipse rerum declarauit euentus, quia is quem Procuratorem reliquerat, ebrius in Refectorio super cœnam duos de fratribus cultello percussit, atque ab eis incontinenti pertica, quam casus obtulit, interfectus. Quo facto veterum criminum renouata memoria, ab omnibus omnia quasi sub vnum reducebantur aspectum, omnesque publicæ existimationis & famæ iudicio condemnati sunt, quia nullus erat quem nocentem non fecisset operatio vel cōsensus. Itaque eiiciendos omnes plerique dixerunt, & personas noui ordinis penitus inducendas, vt & in istos vindicaret eiectio, & ordinis obseruantiam nouorum institutio restauraret. Porro ego eiectis interfectoribus, quia sic tam ratio, quàm metus potentiæ sæcularis exegit, ad momentum quæ mihi visa sunt disponenda disposui, nec enim quicquam perpetuum constitui poterat, cùm de nullo eorum satis bene vel fama vel conscientia responderet. Feci tamen quod potui, donec fortiore consilio possit omnis plantatio, quam pater celestis non plantauit, auelli. Vestris hoc reseruatur manibus, vestris erit viribus adimplendum, quia ei quod radices altius egit manus non præualent imbecilles. Super quo si ad communia totius ferè regionis vota respicitis, ij quos ad perpetuam dissolutionem par conuictus, alternique consensus gratia fœderauit, segregandi sunt, & sigillatim per regularia monasteria dispergendi, vt occasionem peccandi, quam de prauæ familiaritatis consortio quæsierunt, apud ignotos de diuisione & diuersitate conuersationis amittant. Commune votum est, ipsique etiam Principi complaceret, in regulares Canonicos monasterium transformari, vt ipsa species ordinis innouata, plenius omnem possit tollere vetustatem, & cætera exempli seueritate monasteria terreantur. Sunt enim aliqua, quorum in tantam dissolutio prorupit audaciam, vt confusionem suam deprehensa etiam non agnoscat iniquitas, sed induratis frontibus semper obstinatio conualescit. Sic autem locus ille in statum dignioris ordinis exurgeret, & vbique semper quasi præsens esse Apostolica seueritas crederetur. Præterea prouinciam nostram frequentibus monasteriis, ipsisque nobilibus certum est abundare, Canonicas regulares paucas haber, ipsasque pauperrimas, adeo vt ad quærendum ordinem illum plerumque nostrates oporteat ad regiones extraneas demigrare. Bonum itaque plerisque videretur, si paucitas monachorum dissoluta in multitudinem regularium excresceret clericorum, & collatis vtiliter eis qui ab institutione materna desciuisse noscuntur, cæteri materno possent gremio cōtineri, ne tanquam ablactati ad ignotarū matrum seueriores depellantur amplexus. Siquidem hoc facto in nocentes vtilis vindicta proceder, quæ sublata corporibus peccandi licentia, totum ad salutem conferet animarum, & ad consecranda nouellæ plantationis auspicia proniora fauoris publici vota concurrent.

*Ad Ricardum Pictau. Archid.*

## EPIST. LIX.

QVod dilectio vestra propriam senectutis meæ sollicitudinem gerat, multis claret indiciis, eoque maximè quod vtilia debilitati meæ tanto tamque liberali studio subsidia prouidetis. Siquidem ad varios labores frequens me trahit occasio, nec fidem excusationi malitia temporis adhibet, sed quod infirmitatis est desidiam reputat, aut figmentum; adeo vt sæpius impotentiam ipsam cogatur expugnare necessitas, miserisq; conatibus sepultæ virtutis instaurare defectum. Perniciosum autem est valetudinem infestare laboribus: ne fortè vexatio vim doloris augeat, & nouum aliquod ægritudo de concussionis iniuria contrahat incrementum. Inuenit igitur gratia vestra subsidium senectuti, laborique remedium, quod tam debile corpus vegetari debeat, quàm vexationum instantia temperari. Siquidem duos equos à vobis exactiore diligentia perquisitos accepi, quos ipsa statim pulchritudo primo commendauit aspectu, post modum omni vitio mundos inspectio diligentior approbauit. Feruntur planè, neque sessorem qualibet inæqualitate concutiunt, nec celeritatem retardat æqualitas, neque pes aliquo vnquam cespite retusus offendit. Non est opus eos fræno cohibere, vel vrgere calcaribus; quia tanta facilitate cuilibet mācipantur obsequio, vt omnem sessoris explorasse videantur affectum. Denique tanta progressus eorum suauitate procedit, vt qui insider non incidere, sed labi; nec se tam equo vehi, quàm quasi nauicula quadam subuehi verius arbitretur. Porro varietas ipsa ad augmentū quoque voluptatis accedit, quia tædium identitatis nouitate distinguitur, nec eidem sellæ semper inhærere necesse est, sed modò huic, modò alteri quantum libuerit insidere. Videntur mihi virtutem pristinam, patientiam pristinam reddidisse, iuniorumque discursus tanta leuitate confector, vt membra nequaquam contineri, sed potius suaui motu sentiam vegetari. Reddidistis me mihi, immo eis qui meo quondam fruebantur, sed modo fungebantur obsequio, & de claustris domesticis clementer eductum ad solita publicæ congratulationis gaudia reduxistis.

*Ad Laurentium Vvestmonast. Abbatem.*

EPIST. LX.

PRo Simone nostro gratias vestræ refero charitati, quia ipsum innatæ vobis bonitatis oculo respexistis, ipsique beneficium non temporale, sed in longiora duraturum tempora pronida munificentia præstitistis. Magnum est quod ad horam subuenit indigenti, maius quod in dies annosque renascitur, quod vt sæpius conferat frequenti reuolutione denuo reformatur. Sanè beneficium hoc non minuitur tempore, sed augetur, prouentusque perseuerantiam rediuiuę conseruat industria largitatis. Multa simplicem donationem cōmoda prosequentur, totiesque donatum iri videbitur, quoties noui redeuntium fructuum manipuli congerentur. Maius etiam est ius aliquod donasse quàm corpus, quoniam iura freqnenti perceptione subnixa sunt, simplici vero traditione cuiuslibet corporis donatio consummatur. Ius dedistis, ne citius mnnificentiæ vestræ gratia præteriret, vt sicut apud vos virtutis non respicit affectio, ita prorogata in perpetnum liberalitatis vestræ beneficia conualerent. Præterea liberalitati prudentia discretionis accessit, quoniam ei dedistis, cuius vobis honestas, cuius industria, cuius sedulitas officiosa complacuit. Nec ignotæ personæ, oec inutili contulistis, si ei culus merita præcesserant & seqnentur, qui vobis animo & corpore ad cumnlum gratiarū referat actiones, vt iure debeatis de exteriori fructu & conscientiæ testimonio gloriari. Ego tameo impensum quod fecistis reputo mihi potins, quia quod prius differebatur, ad prima statim intercessionis meæ verba concessum est, vt meam specialiter ex eo videremini gratiam affectasse. Sanè maior extitit in exhibendo donatoris hilaritas, quàm in accipiendo desiderium postulantis. Pulcbrum sanè & prædicandum beneficium, nulla suspensum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis comparatū. Nihil in eo fuit quod beneficij minueret maiestatem. Præuenistis me qui omnes occasiones venari decreuerā, vt vos impenso quolibet liberaliter officio præuenirem. Igitur me debitorem me magnificentia vestra cōstituit, vt ea nunc soluere debeam, non donare: quia quod bene merenti rependitur, illustrari donationis nomine non meretur.

*Ad Ioan. & Vvill. Cardinal. pro Rogo Eboracen. Archiepiscopo.*

EPIST. LXI.

QVa fide, quo studio, quo affectu, circa initia tempestatis istius ad vnitatem Ecclesiæ, & honorem Romani Pontificis dominus Eboracensis intenderit, vestra qui ex magna parte vidistis & audistis, prudentia non ignorat. Meruit excedentem gratiam excedens strenui propugnatoris audacia, sibique inuicem frequeotibus officijs tam operum magnificeotia quām rerum munificentia cōcurrunt. Præsumebat non defuturam gratiam perseuerantiæ meritorum, sed iam pristina perseuerantibus meritis gratia refulget, verum in pœnam quoq; conuersa est ipsorum expectatio præmiorum. Perseuerat semper, & alijs tepescentibus ipsius deuotio non tepescit, quia videt totam nondum conquieuisse malitiam, & ab his quorum fides inuictissima credebatur, profana consilia percussis etiam fœderibus agitari. Vtinam ad notitiam Romani Pontificis & vestram, relatione veridica perueniret, quantum nouiter apud Principem nostrum, Regem loquor Anglorum, Catholici sacerdotis industria sancta profecit, cum eum scilicet ad schisma maximi quoque principum inuitarēt, ipsūq; metus seueritatis Apostolicæ perterreret. Siquidem virtus eius præcipuè nobis nimirum & aliis annitentibus, eum in fide & obedientia Ecclesiæ cōfirmauit, seque Romano Pontifici pariturum super eo casu quem audistis, quantum dictauerit ratio, vel laxauerit misericordia, coram multis Ecclesiasticis sæcularibusque personis publicè in manu Rhotomagensis Archiepiscopi fide corporaliter interueniente firmauit. Porro ipse ad visitandum Romanam Ecclesiam plurimo iamdudum desiderio tractus est, vt ope & consilio vestro motum maiestatis Apostolicæ, si quem aduersus eum de falsa suggestione contraxit, reuocaret in gratiam; ipsique & vobis in omnibus sinceritatem conscientiæ suæ certissimis indiciis approbaret. Accingebatur iam, cùm à Rege ipso & nuntiis eius qui nouiter à vobis reuersi sunt terribile percipit indicium, Imperatorem scilicet ipsum singulariter excepisse, cùm aliis, interuentu Regis, securitatem transitus indulgeret, quia scilicet præsumpserat in personā eius anathematis intorquere sententiam, & nomen eius in omnibus quos frequenter celebrauerat conuentibus Ecclesiasticis infamare. Prouidete itaque amico vestro, ne illum ad partes illas aliqua necessitatis instantia trahi, neque caput eius tot tantisque periculis permittatis exponi. Ad hæc, bonum est Ecclesiæ Dei viros fideles iuxta iofideles aliquando commorari, vt ipsorum virtute & prudentia malitia reprimi possit, & inconstantia contineri. Profecto apud nos prænaluisse credebatur iniquitas, nisi sacerdotum industria restitisset, per quos repressa viriliter intemperantia requieuit: & ad vnitatem quos velut in fugam terror Ecclesiasticæ potestatis impulerat, sunt reuersi. Nondum tamen nauim nostram portum perfectæ securitatis credimus obtinere, quin adhuc & anchora possit de percepta statione conuelli, & nauis ipsa rursus ad procellas pristinas flatu malitiæ reuocari. Vtilius ergo fore credimus eos qui prouidere possunt oon amoueri, sed ad solertem vigiles adhibere custodiam, vt quoslibet euentus prudenter & instanter obseruent, & momentaneam hominum fidem necessaria stabilitate confirmēt. Ad quod virum de quo scribimus multis experimentis nouimus efficacem, eique ad referendas vobis gratiarum actiones maiorem deuotio, quàm vexatio tribuat intellectum.

*Ad Dominum Papam Alexand. pro Ioscelo Salesbiriensi Episcopo.*

EPIST. LXII.

PRo venerabili patre nostro, & amico charissimo Io. Salesbiriensi Episcopo, maiestati vestræ preces affectuosas offerimus, & benignitati deuotas gratiarū exsolnimus actiones. Pepercit ei misericordia vestra, parcendumque impotentiæ eius ratio postulabat, quia grauitate corporis, ætatis prouectu, debilitate plurima circumuentus, quantum æstimare possumus ad vestram non posset præseotiam peruenire. Super eo autem pro quo grauiorem ei vobis placuit irrogare sententiam, quantum de intimo conscientiæ eius, quantum de opinione & attestatione publica, quantum de propria existimatione præsumimus, quod ad factum illud lamentabile pertinet, omnino credimus innocentem: quia nec honestas hominis, nec liberalis animi nota māsuetudo, nec adeo tot informata temporibus, tot experimentis altius erudita prouidi senis prudentia desciuisset. Porrò voluntas illa ab his à quibus opus illud tam malitiosè commissum est, omni studio seruabatur abscondita, ne cuiusquam præsciētia concepti maleficij præpediret effectum. Quis vero qui eiusmodi malitiæ concepisset affectum personæ cuiquam, præsertim Ecclesiasticæ reuelarem, cùm non in vnius tantum caput stringi gladius, sed in ceruicem totius Ecclesiæ videretur. Vidimus nos virum istum pro quo scribimus, in initio tempestatis inter Coëpiscopos scopo illi studiosius adhærentem, multasque iniurias pro libertate Ecclesiæ & ipsius

gratia

graria pertulisse. Quæ sanè ei apud eum perseuerauit A gratia, donec Ragialdus Archidiaconus, qui huic ea quam scitis etiam sanguinis affectione deuinctus est, regalibus mancipatus obsequiis regalia cœpit ad vos mãdata deferre, quæ vtilitatibus Archiepiscopi credebantur in aliquibus obuiare. Decretum est igitur patrem punire pro filio, vt eum ab obsequiis illis paterni compassio doloris auerteret, vel in vtrumq; grauior animaduersio vindicaret. Vtinam ille zeli feruorem temperasset ad tempus, quia in causa Ecclesiæ quam susceperat solerti mansuetudine vtilius proficere potuit, si pacificus esset ingressus eius, si suas vindicare distulisset offensas, neq; serpentinis infestationibus iocunda nouæ coronæ gaudia demigrasset. Sanè de eo quod de corona factum est, Episcopi neque tunc, nec adhuc se credunt in aliquo deliquisse, quia sicut aiunt literarum vestrarum B præcessit auctoritas, & eos ad hoc ipsum multis exemplis antiquitas informabat. Si tamen in hoc eos aliqua in parte deliquisse constaret, delicti tamen quantitas bonitatis Apostolicæ misericordiam non excedit, & de reliquo secundum assignatum à sanctitate vestra modum, de huius innocentia diligentiæ vestræ scinota. prorsus ambiguitate constabit. Supplicamus igitur precesque cum fiducia ducimus offerendas, quia ex hoc nunc tempus est miserendi, & post diuina flagella paternæ pietatis visceribus abundare. Absit enim à benignitate vestra vt personam venerabilem, tot acceptam bonis, tot laudibus illustratam, nouissima senectutis suæ mœrore faciat & amaritudine consummare. Profectò preces nulla nos audacia compulisset offerre, nisi secundum rerum veri- C tatem, & personæ meritum ipsum Apostolica dignum misericordia crederemus.

*Ad eundem pro Gill. Londoniens Episcopo.*

## EPIST. LXIII.

PErsonam domini Londoniensis apud excellentiam vestram diligentius commendare superuacuum duxi, quia quod publicè notum est, nec accusatione solemni, nec multa commendationis instantia certum est indigere. Siquidem plenitudo virtutis eius & scientiæ tot apud nos enituit argumentis, tot subnixa suffragiis, tot vtilitatibus approbata est, vt quod in multos digna- D tio diuina distribuit, hoc in ipsum maioris affluentiæ gratia cumularit. Tractus est tamen iam diu homo sanctus in causam, & sermonibus odij circundatus, & expugnatus est gratis, & inuidiæ quæstionibus infestatus. Tractus est, inquam, homo sanctus in causam; si tamen causa dicenda est, vbi nullam potuit contradictio facere quæstionem, vbi nullum litigium, nulla iudiciarij ordinis forma processit: vbi sine reo & teste idem actor & iudex solitariam formauit de singulari voluntate sententiam. Felicem se iste & omni donatum beatitudine iudicaret, si ei iudex suus auditorij communis aream impertisset, si citatus venire, si conuentus E respondere, si denique dubium experiri potuisset sententiæ fatalis euentum. Sed in ipsum de alio regno, de transmarinis partibus, de longinquo scilicet velut in occultis sagitta transmissa est, & hostis dum præuideri metuit, gladium protinus capiti nescientis illisit. Solent patres filiorum delictis virgam prius adhibere quã baculum, & si correctio moderata non proficit, seueriora post modum flagella consumunt. Vtilius fuerat pepercisse personæ, in qua se nouerat totam scandalizare prouinciam, quia ad bonum pacis non tam pœna vnius, quàm multorum gratia profuisset. Videtur de motu animi magis quàm de charitate processisse quod factum est, quia totam se protinus ad pœnam irrogandam potentia præsidentis effudit, nihil reseruans in posterum, in quo vel dispensare prudentia posset, vel misericordia subuenire. Fuerat fortassis primum ab Episcopali suspendendus officio, ab altaris ministerio



A prohibendus, à liminibus sequestrandus Ecclesiæ, vt contumax nouissimè gladio feriretur: nec ad perniciem fratris libentius cucurrisse, sed cogi videretur inuitus. Neque enim salutem hominis velle credendus est, qui festinat ad sanguinem, sed delinquentes Ecclesiastica etiam censura præmunit, vt scilicet liberentur dilecti, quos preciosi sanguinis redemit effusio, & fugiant a facie arcus, vt in contumaces tantum spicula superbè prouocata descendant. Quod si etiam certum sit transitum litteris & legatis ad eum peruium non fuisse, sed omnem viam legitimis edictis sæcularis potentiæ terrore præclusam, delictum alienum innocentiæ istius præiudicare non debuit, nec ipsi de iure potuit pœna quam non merebatur infligi. Veruntamen est delusa potestatis astutia sagacitate perferentium aliquas ad B ipsum literas, & mandata venisse, quibus tota diligentia paruit; omnibus scilicet vel denuntiatis publicè, vel effectui debito mancipatis. Porro si in tanto discrimine rerum consulenda videtur præsidentis auctoritas, nuntiis huius ad eum omnis negabatur accessus, nullumque paternæ charitatis extabat indicium, vbi ei consilij gratia simul & remedij copia tollebatur. Ad hæc nobis qui rerum veritatem ex magna parte tam experimento, quàm fideli de proximo relatione cognouimus, licet apud maiestatem vestram de pura testimonium conscientia perhibere, virum inter minas alterius potestatis & alterius insidias constitutum, quatenus ad eum peruenire potuit, Ecclesiasticis semper præceptionibus obedisse, nec ab initio discordiæ causam, vel C postea fomentum aliquod audaciæ præstitisse. Ille verò, sicut dictum est, non obseruata causa, vel ordine, visum, cuius locus est in Ecclesia, ad scandalum omnium bonorum in facie confudit Ecclesiæ, & animam sanctam amaritudine simul & mœrore compleuit. Benedictus autem Deus, qui aduersus huiusmodi sanctam Romanam Ecclesiam nobis ad solemne refugium, & remedium salutare constituit, vt eius scilicet præsulatu reducatur ad formam, quod cuiuslibet insolentia vel imperitia denigrauit ad culpam. Siquidem quod actum fuerat vestræ nimirum discretionis auctoritate correctum est, accepto scilicet ab isto iuramento, quod in tempore vobis complacito, super his de quibus agebatur, mandatis Apostolicis obediret. Stabat ergo vir in- D nocens sub vestri securus expectatione mandati, sed posterior emissa est seuerior quidem priore sententia, nulloque mandato, nulloque præmisso cuiuslibet vocationis aut conuentionis alloquio, in idem vinculum, immo fortius literis maiestatis vestræ retrusus est, eique solatium mansuetudinis vestræ in quo respirare cœperat est ablatum. Mirati sunt qui audierunt tantum aduersus innocentiam personæ, tantum aduersus ordinem iurisprudentiæ vestræ subripi potuisse, cùm ipsum à religione iuramenti nullatenus desciuisse constaret, nec ipsum post modum in aliquo iudicialis experientia condemnasset. Certum est, & omnibus regni il- E lius incolis manifestum, hominem sanctum in his quæ malè acta sunt nihil voluntate, nihil consilio, nihil ope deliquisse; eique generale testimonium de pura omnium conscientia perhibetur, ipsum Ecclesiasticis semper præceptionibus fideliter obedisse. Sanè verum est tam ipsum quàm alios incumbentis potentiæ vehementiam timuisse, maiorisque periculi necessitate compulsos dissimulasse plerunque, & sæpius exhibuisse modestiam quàm rigorem, & tanquam seductores motum potestatis consultis aliquando blanditiis deliniisse, vt eis veritatem iustitiæ, quatenus id fieri poterat, puritas conscientiæ reseruaret. Profectò in articulo diei illius vidimus statum Ecclesiæ partium nostrarum sub tanto discrimine constitutum, vt scissuræ quantitatem nulla potentia, nullæ diuitiæ, nulla posset ad plenum diligentia resarcire: nec exsors tanti mali ipsa etiam Romana Ecclesia præterisset, nisi incendium quod excrescebat Pontificalis

temperantia restinxisset. Super quo quantas possumus A de intimo cordium sanctæ prouidentiæ vestræ gratiarum referimus actiones, quod paterna nobis clementia pepercistis, & malum à nobis longanimi patientia studuistis auertere, quod nostris credebatur proculdubio ceruicibus imminere. Inde est quod post multos metus laborésque diurnos, & naufragium imminens, portus nobis securitatis & tranquillitatis incipit apparere, certaque spe per merita vestra lætos exitus, & iocundos præstolamur euentus. Porro licet personam pro qua scribimus facile sit in omnibus excusari, testimonia tamen & preces venerabilium personarum benignitati vestræ credidit offerendas, quæ nulla vnquam audacia vestram attentarent in aliquo fallere sanctitatem. Quod si ad omnimodam fidei firmitatem vlterius procedendum crediderit vestra discretio, paratus est coram legatis vestris aut personis quibus hoc vobis delegare pla- B cuerit, omnem à se culpam manifesta veritate depellere, & si res altius discussæ fuerint, inuenietur in plerisque laudem quoque plurimam sagaci solertia meruisse. Affectabat omni desiderio ad vestram venire præsentiam, idque iam secundo an posset expertus est, sed progressum aliquatenus ætas prouectior, personę grauitas, difficultas itineris, & senectuti semper cognata debilitas reduxerunt. Ad hæc non solum nostra pro eo, sed totius regni, immo etiam regnorum desideria, pietatis vestræ genibus aduoluuntur, vt secundum datum vobis à Deo spiritum, iustitiam eius conseruetis illæsam, aut si quid etiam imperfectionis est, oculi vestri videant æquitatem, quia nihil de indulgentię beneficio consequetur. quod non excedentia personæ merita recom- C pensent. Et nos siquidem ista ad nullius suggillationem, sed ad huius prouentum scribenda censuimus, quia & huic Apostolica poterit gratia prouidere, & aliis nihilominus de eiusdem discretionis & mansuetudinis copia subuenire.

*Ad Egidium Ebroicensem electum.*

EPIST. LXIV.

BEnedictus Deus qui ad Episcopale vos vocat officium, & ad onera nostra pariter comportanda conducit. Gaudemus planè vestra ad honorem debitum merita promoueri, sed maiore gaudio commouemur, quia sapientiam vestram ex hoc nunc totam scimus vtilitatibus Ecclesiæ mancipari. Me vero commune gaudium D iustum est speciali lætitia celebrare, quia personā meam bonitas vestra speciali semper dilectione complexa est, & ego ad honoris vestri prouentum totis semper desideriis anhelaui. Concurrebant siquidem hinc inde alterna mutuæ charitatis officia, cum alter non magis suis quàm alterius optaret oportunitatibus inseruire. Benè autem nobis in hac parte prouidentia diuina consuluit, quod cum sapientiam vestram ad alias partes multorum desideria traherent, ipsa vos nostræ præsertim prouinciæ reseruauit. Iustum sanè est eius vos potissimum obligari muneribus, eius necessitatibus inseruire, quæ vos suis aluit vberibus, suo fouit amplexu, suis honoribus ampliauit. Mihi vero benignior indulgentia diuinæ propitiationis artifit, quæ me ab amico nec diuersitate professionis abiunxit, nec locorum distantia separauit, sed nos E quasi cōtigua positione coniunctos, ad frequentes comparauit occursus, vt ad communicanda profusæ charitatis officia ipsa locorum occasio seruiat, & propinquitate corporum nihilominus propinquitas respondeat animorum. Interim profusis desideriis & deuotis orationibus arbitror insistendum, vt initia consecrationis vestræ diuina benignitas felici secundet auspicio, & ad executionem Episcopalis officij vos exuberantis gratiæ virtute confirmet.

*Ad Bald. Nouiomens. Episcopum.*

EPIST. LXV.

VEnerunt ad nos sacerdotes quidam de Episcopatu vestro, quos ad fraternitates constituendas, & faciendas collectas ad reædificationem Ecclesiæ nostræ, quia periti & instructi super huiusmodi officio dicebantur, duximus remittendos. Cum autem perlustrato Episcopatu apud nos aliquandiu resedissent, omnes fere quasi facto agmine fuga clandestina discesserunt. Me quidam in summa maiore xxx. lib. suis fideiussorio nomine obligatum creditoribus relinquentes, quas ego omnium omnes seruata promissionis meæ veritate persolui. Sed & latori præsentium R. sacerdoti nostri eadem fraude LXX solidos abstulerunt, cùm ipsi nobis tactis sacro-sanctis Euangeliis iuramentum corporale, se fidem bonam nobis seruaturos in tota executione negotij, præstitissent. Super quo charissimam nobis fraternitatē vestram obnixius exoramus, non tam sanè recuperationem pecuniæ, quàm vindictam tantæ fraudis & iniuriæ persequentes, vt nobis iustitia vestra satis fieri faciat, & tantum crimen animaduertione debita corrigatis.

*Ad Egidium Ebroicensem Episcopum.*

EPIST. LXVI.

SVper causa quę inter nos & Abbatem illum vertitur, dilectionem vestram ad pręsens non oportet esse sollicitam, quia vos nec infestum Principi, nec ingratum Abbati reddere volumus aut debemus. Apud alium decreuimus experiri, quē non tam facilè vel metus absterrere possit, vel fallaces blādiciæ delinire. Sicut autem ex literis promptum est intueri, nequaquam vos ab executione maior retardat auctoritas, neq; necessitatē nisi volenti supplicatio precantis indicit. Quod si de Abbatista vobis idem constat esse propositum, pro beneficio reputabim⁹ si nos præmunire voluerit, nec ad locū diemque præfixum frustra permiserit vestra gratia fatigari. Porro simpliciter ambulare nō potest qui lubricos tortuosi serpentis explorat anfractus, qui cum se plurimum profecisse crediderit, ad ipsa callidè se sentit initia reuolutum.

*Ad dominum Papam Alexandrum.*

EPIST. LXVII.

CAusam quæ inter venerabilem fratrem Hug. beati Vincentij Siluanectensem Abbatem & Garnerum sacerdotem super Ecclesia de marinis vertebatur, domno Henrico Siluanectensi Episcopo & nobis Apostolica delegauit auctoritas infra spatium duorum mensium, remota appellatione, ordine iudiciario decidēdam. Nos vero vtriq; parti infra tempus nobis assignatum, locum & tēpus præfiximus opportunum, & adhibitis nobiscum religiosis & prudentibus personis, scilicet sancti Victoris Parisiensis, & sanctæ Genouefæ & Augensi, & de Mortuo-mari Abbatibus; Gaufrido quoque Antissiodorensi & R. de Curæio & Ric. tunc Constan. Archi. nunc Abrincensi Episcopo, multisq; aliis tota fide & diligentia mandatis Apostolicis studuimus obedire. Abbas igitur qui actoris in ea causa fungebatur officio, & possessorium in sacerdotem iudicium intendebat, super quæstione facti multo tum testimoniis vsus est, ac tandem septem prælectos testes, V. scilicet sacerdotes regulares Canonicos, & duos alios presbyteros experientiæ nostræ proposuit, quos diligenti examinationi subiectos, in omnium prorsus inuenimus testificatione concordes. Auditis quoq; nihilominus allegationibus sacerdotis ei dicendi in personas testium quod vellet fecimus potestatem, sed multis propositis, & attentè discussis, nihil inuentum est per quod aliquem eorum repellere

lere posset, vel existimationi alicuius in aliquo derogare. Receptis itaque septem prætaxatorum testium iuramentis, Abbati possessionem Ecclesiæ restituimus, quia visum est nobis debere de veritate tortaliumque testium assertione constare. Sacerdos autem nihilominus audientiam Romani Pontificis appellauit, sed quia refugium appellationis de causa Apostolica auctoritate sublatum erat, sicut prudentia vestra nouit, nec ipse de iure appellare potuit, neque nos debuimus exaudire: Dominoque Rothomagensi Archiepiscopo, in cuius diœcesi prædicta Ecclesia constituta est, ea qua fungebamur auctoritate mandauimus, vt sicut à nobis iudicatum erat, inuiolabiliter faceret obseruari: & ipse prudenter, prout decuit; adquieuit, sicut ex literis eius promptum est intueri. Verum, quia audiuimus sacerdotem niti refricare quod factum est, ad postulationem Abbatis apud Celsitudinem vestram veritatis testimonium perhibemus nos, scilicet quale proposuimus ab Apostolica maiestate suscepisse mandatum, & ea ratione quam diximus & ordine terminasse.

*Ad eundem.*

EPIST. LXVIII.

NVntios & literas vestras dominus Rex Anglorum tantò maiore lætitia & alacritate suscepit, quantò maiorem eis benignitatis vestræ gratiam promittere videbantur. Vnde petitione vestra de pace Cantuariensis Archiepiscopi & suorum restitutione benignius exaudita, eum ad Archiepiscopatum suum redire, ipsumque cum omni integritate, qua tenebat quando exiuit, recipere, & deinceps in bona pace & securitate possidere, ad honorem siquidem Dei & Ecclesiæ, salua nimirum regni sui pristina dignitate, concessit. Visum nobis est verbum hoc nunciis vestris, viris sanè prudentibus, placuisse: adeò vt eos qui præsentes erant, statim absoluerint; & ad eos absoluendos qui erant in Anglia, alter eorum, magister scilicet Viuianus ilicò transire, alter citra mare ad executionem condictæ pacis consenserint remanere. Post modum reuocato consensu, verbum conseruandæ in futurum Regiæ dignitatis admittere noluerunt, ea quæ disposita fuerant exsequi recusantes; cùm Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, religiosæ personæ, optimates regni qui aderant pro bono tantæ pacis multis precibus institissent quoniam, in obseruatione regiæ dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas Ecclesiastica prægrauari. Siquidem dignitas Ecclesiastica Regiam prouehit, potius quàm adiuuat dignitatem, & Regalis dignitas Ecclesiasticam conseruare potius consueuit, quàm tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi inuicem complexibus dignitas Ecclesiastica, & Regalis occurrunt, cùm nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur. Genibus itaque pietatis vestræ quanta deuotione possumus aduoluti suppliciter obnixèque deposcimus, ne sapientia vestra quasi literarum apices & conceptiones verborum, potius quàm rem ipsam duxerit amplectenda, sed secundum datum à Deo vobis spiritum discretionis id agite, ne causa vnius in multorum & ferè innumerabilium perniciem conuertatur, quia ad bonum pacis quandoque magis proficit mansuetudo gratiæ, quàm seueritas disciplinæ.

*Ad Abbatem Gristanensem.*

EPIST. LXIX.

QVot scandala, quæ detrimenta domui tuæ ex causa absentiarum tuarum prouenerint, tua fraternitas non ignorat. Super quo cùm rem ad nostram certum



sit diligentiam pertinere, præcepimus te vagos cohibere discursus, & debitas super gregem tibi commissum vigilias vigilare: nec ad remotas discedere regiones, nisi prius disposita domo personas nobis assignasses idoneas, quæ curam domus interim gerere possent, eique in spiritualibus & temporalibus vtiliter prouidere. Tu vero neglecta Episcopalis auctoritate mandati, immo tua & animarum tibi commissarum salute postposita, sine nostra conscientia discessisti, nemine domi relicto: cuius res aut prouidentia dirigi posset, aut diligentia gubernari. Vnde sicut ad tuam credimus notitiam peruenisse, tot in eodem loco postmodum probra commissa sunt, vt & regionem nostram scandalizatam esse constet, & monasterium turpiter infamatum. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, vt infra vicesimam diem post acceptionem præsentium literarum, remota omni occasione redeas, nisi aut maris inclementia, aut corporali; quod absit, fueris infirmitate detentus. Alioquin ex ea die ab officio altaris & introitu omnium ecclesiarum, ea qua tibi præeminemus, te noueris auctoritate suspensum.

*Ad monachos Bernacenses.*

EPIST. LXX.

SIcut electionem vestrã indulgentiore gratia præuenire curauimus, ita factam quarum in nobis est, approbamus, & personam electam plurimæ dilectionis brachiis amplexamur. Quod autem ad assignandã vobis diem benedictionis nuntium destinastis, miror admodum quod id quod per Priorem & maiorum personarum numerum competentem fuerat implorandum, personam, ipsamque solam & sine literis, nec moribus graue, nec ætate misistis, qui me benignè satis & vtiliter ad omnia respondentem superbis obtimuit irritare sermonibus, nec superbs ad magnum animi motũ audacia prouocare. Stulto itaq; secundum stultitiam suã responso quod oportuit dato, vobis tanquam dilectis in Christo fratribus, per proprium nuncium & literas duximus respondendum, ne quis vos, quod absit, de benignitate & gratia nostra fallaci malignitate desperare compellat. Sciatis itaq; me infra decimũ aut duodecimum diem, ad Ecclesiam vestram, volente Domino, rediturum, & tunc Priorem ad nos cum numero fratrum cõpetente & electa persona venire volumus, vt per eos nobis, sicut ordo Canonicus exigit, repræsẽtetur electio, & auctoritatis nostræ munimine roboretur. Tunc communicato nimirum vestro nostrorumq; consilio, ad benedictionem dies opportunus poterit assignari, & nos si quid obstaculi videbitur apparere, modis omnibus amouere curabimus, & dare suum negotio præeunte semper diuina gratia complementum.

*Ad dominum Papam Alexandrum.*

EPIST. LXXI.

CAusam quæ inter Hermerium sacerdotem & Abbatem de Cultura, super diminutione presbyteratus Ecclesiæ de Brusium vertebatur, maiestas vestra paruitati nostræ delegauit ordine iudiciario decidendam. Proposuit itaque Hermerius presbyter presbyteratum prædictæ Ecclesiæ, quem gerebat ab Abbate, per violentiam decurtari, sibique integritatem eius restitui, sicut antecessores possederunt instanter exegit: proposita ad probationem testium multitudine, in quibus necessitas aut ratio postularet. Abbas vero inter antecessorem suum & Geruasium prædecessorem Hermerij super eadem re controuersiam extitisse respondit, causamque à præsentia domini Cenomanensis ad audientiam Turonensis Archiepiscopi per appellationem fuisse translatam, ibique litigium omne compositione amicabili diffinitum. Super quo literas domini Archiepiscopi exhibuit, formam transactionis

plenius continentes, donationis nomine non mereat. A
*Videntur multa deesse.*

*Ad Henricum Fiscadens. Abbatem.*

## EPIST. LXXII.

AMici nostri qui diebus istis Ierosolymam profecti sunt, ex equite me peditem reddiderunt, Et quia indignum est hominem opinionis meæ per manus humilium in equitem reformari, in vestram id duxi gloriam conferendum, quem non solum equestris ordinis dignitas, sed etiam regij sanguinis excellentia sublimauit. Hoc etiam eo studiosius vestris censui meritis reseruandum, quia eos quibus tribuit vestra reddit industria cautiores, cum ita viris prudentibus amicam B parsimoniam in ipsa largiendi liberalitate seruens, vt & amicus semper apud vos possit inuenire quod placeat, & vobis opportuna non desit materia largiendi. Inde est quod apud vos vtiliter & doctrina quæritur & prouëtua, vt & ditiores copia faciat, & prudĕtis doctiores. Sic enim vestra operatur inter vtrunque discretio, vt quod virtutis est vtrinque reducens, quod vitij est separet ac repellat, ne vel sobrietatem tollat effusio, vel parcitas quandoque manus contrahat affluentes. Si tamen in alterutro peccandum est, malim facilis quàm difficilis, promptior aliquando quàm tardior inueniri. Porro inter omnia quæ donantur, equus est id quod donatorem pluribus occasionibus reddit obnoxium, quia si quid à laude minus est, ij quibus datur statim culpæ donatoris attribuunt, reique imperfectionem, C licet de inopia quandoque proueniat, imperfectioni voluntatis ascribunt. Si durius ambulat, concussionis arguunt donatorem; seque ruinæ destinatos prædicant, si pes vnquam fortuitum cespitem retusus offendat. Si durus est, aiunt ipsum de veteri domino traxisse duritiam, qui amicos segnius audire consueuerit, quàm equus calcaribus obedire. Si minus elegantis formæ, si minus habeat venustatis, asserunt rem * formem non satis dignitati donatoris vel donatarij conuenire. Interea si quid imprecandum est, non equo, sed auctori potius imprecantur, qui tot scandalis iniuriam magis irrogasse videatur, quàm beneficium contulisse. Palam esse nolle, eum à se quicquam vlterius implorari, qui id dederit quod negasse satius fuerat, quàm adiŭcto maleficio præstitisse. Certum est etiam D quosdam non tantum calumniatores, sed ingratos etiam inueniri, falsa rei donatæ vitia confingentes, vt omni gratiarum debito videantur absolui. Quisquis tamen accipit, ipsa statim susceptione redditur obligatus, & si penes eum res donata resederit, allegantı vitia ratio quasi cuiusdam legitimæ præscriptionis occurrit. Siquidem in rebus donatis nec quanto minoris, nec redhibitoria locum habet, sed omnem actionem exceptio spontaneæ liberalitatis elidit. Quod si aliena bene merentibus gratia non respondeat, merces tamen sua virtuti non deerit, quæ potius interioris fructus lucis considerans, satis habet simpliciter apud se de bono felicis conscientiæ testimonio gloriari. Nec enim subiecta est externæ dis- E positionis arbitrio, sed in sua propriæ puritatis maiestate consistens, ab indignioribus præmia non inquirit: ita tamen vt neque ex eis honestè prouenientia respuat, nec pro desiderio eorum vel vsu si qua nouit potiora diminat. Quod si quem fructus trahit exterior, is, sicut ait sapiens ille, non potest nisi similem materiæ sperare sententiam, quoniam sortuitis intentus non nisi fortuitos experietur euentus.

*De Natiuitate Domini.*

SEmper ab æterno nascens ex tempore nasci
Sustinet humana conditione Deus:
Virgineumque vterum virtus sacra patris obumbrat,
Qua verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles patrem matrémque figura
Exprimit, & speciem reddit vtrique suam.
Sic eius species speciem est imitata paternam,
Vt sit eo viso visus & ipse pater.
Virgineoque sibi fabricans de corpore corpus,
Humanam ex homine contrahit effigiem.
Exhibet vna duas species persona, Deusque
Factus homo proprium seruat vtrique genus:
B Seruat enim propriam naturæ simplicitatem
Hic in carne Deus, cum Deitate caro.
Non commiscentur, nec enim confusa resoluit
Vel carnem Deitas, vel caro mixta Deum.
Regnat in assumpta Deitatis gloria carne,
Nec maiestatem carnea vela grauant.
Virgineaque fide veterem purgante reatum
Numinis aduentu est sanctificata caro.
Credit & exhibuit mundam deuoto matrem,
Magnificatque Deum, magnificata Deo.
Virginia integritas saluo fœcunda pudore
Concipit, atque virum parturit absque viro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris
Absque viro genitus, editus absque via.
Ergo alterna nouum fœdus commercia miscent,
C Et vetus in pacem vertitur ira nouam.
Humanis siquidem blando diuina fauore
Occurrunt stabili conciliata fide.
Seruus adoptatur, redit exul, carcere clusus
Exit, & clecto porta negata patet.

*Ad Henricum Vuintoniensis. Episcopum.*

QVod per multiplices dispensat gratia formas,
Hoc in te totum contulit illa simul:
Contulit illa simul quicquid virtutis habere
Humanum corpus, mensque moderna potest.
Non aliud corpus hac dignum mente, nec ista
Mens alio fuerat corpore digna tegi.
Sic animus membris animo se membra coaptant,
D Vt nulla sese disparitate grauent.
Namque in regali mens regia corpore regnat,
Magnanimumque decent forma membra virum.
Compositi mores habitum faciémque venustant,
Et facit ad mores forma decora tuos.
Sublimes oculos & acuti luminis ignit
Excellens sensus ingeniique vigor.
Informat mentem ratio, facundia linguam,
Fœcundamque probat riuulus vber aquam.
Fulget Rhetorico celebris sententia cultu,
Allicit hæc animos, auribus ille placet.
Res precium verbis, rebus dant verba decorem,
Nescio plus placeas proficiasue magis.

E *De innouatione vernali.*

QVicquid hyems tanquam veteri deforme senecta
Absque decore diu fecerat esse suo,
Ver nouat, atque nouo compubescentia flore
Imperat ad ternos cuncta redire dies.
Rupta videbantur antiqui fœdera nexus,
Conuulsúsque odiis cedere sanctus amor.
Visa Elementorum communio sacra reuelli,
Et fœtus eadem velle vorare suos.
In veterémque pari conuersa furore tumultum,
Inuisam rebus accelerare necem.
Autumnus senior gelidè post credita spectans
Semina, crediderat fœnus obisse suum.

Nunc

Nunc ea secretus mouet ignis & abdita virtus
 Naturæ, sancti conscia consilij:
Seminibusque adhibens causas, & semina causis,
 Ad celeste suum docta figurat opus.
Sol oriens hilari perlucidus ore redemptis
 Ignibus, astrictam frigore soluit humum:
Aeriámque nouo faciem splendore serenans,
 Purgatum exhilarat lenior aura diem.
Vndique sollicitat iuuenem lascivia mundum,
 Fœcundosque aperit prodiga terra sinus.
Gramine vestitur humus, arbor frondibus, offert
 Gemmam vitis, ager lilia, spina rosam.
Alternant & opus & opes Elementa vicissim,
 Séque fauore pari materiáque iouant,
Ergo vetustatem mundi natura reformans,
 Auspiciis fertur in sua vota suis:
Námque voluntatem comitata potentia semper
 Num patitur frustra quod voluisse Deam,
Assurgit lætus speranti mundus & audax
 In faciem pueri cogitat ire senex.
Nec reditum metuit veteris tristisque figuræ
 Prorsus obisse hyemem, non abiisse putans.
Elatusque nouæ successu prosperitatis,
 Ad votum dictat sæcla futura suum.
Ergo sibi quarta breuiandos destinat annos,
 Vitribus esultent omnia temporibus.
Ne soluatur aquis vel frigore torpeat annus
 Perpetuáque fluant tempora temperie.

*De alterna temporum successione.*

TEmpora circuitu veteri reuoluta vicissim,
 Effectus variant restituúntque suos,
Manet hyems partis autumni semina seruat,
 Vere nouo stabili restituenda fide,
Ver mundi sterilis gelida præeunte senecta
 Soluitur in fœtus, luxuriátque nouos,
Productosque fouens blando natura fauore,
 Æstiuoiu formam prouehit auspicio,
Autumni demum prouentibus omnia cedunt,
 Cui totas reliquus congerit annus opes.
Quod concepit hyems, peperit ver, nutriit æstas,
 Hic metit atque suo conficit arbitrio.
Sola reseruantur conceptibus apta futuris
 Semina, dispositas nata nouare vires,
Sic abit vt redeat, redit vt retranseat annus,
 Præcipitem reuocans præcipitánsque rotam.
Sic rata perpetuos agit alternatio menses,
 Et veteres nouat inueterátque nouos.
Hunc diuina frequens ludit sapientia ludum,
 Et varianda mouens inuariata manet.

*Ad Poetam mendicum.*

VErsus mendicos & Musæ pauperis ausum,
 Compositásque odi Cæciliane preces.
Importuna graues exactio suscitat iras,
 Et geminæ stimulos improbitatis habet.
Qui petit, hoc ipso statim incipit esse molestus:
 Si petat adiuncta qualibet arte magis.
Artis enim studiis formata precatio quandam
 Contrahit ex fraudis suspicione notam.
Et permixta dolis exactio lædit vtroque,
 Fallit & emungit insidiosa rapax.
Inuisos igitur geminata molestia versus
 Reddit, nilque sui metra fauoris habent.
Si vis ergo summæ Musæ seruare fauorem,
 Gratuitis aures mulceat alloquiis.
Importunus enim est quisquis sibi postulat aurem
 Laudibus impleri, muneribusque manum

A *Ad Scæuam de anu non reformanda.*

SCæua senescentis dominæ marcere decorem,
 Et teneros queritur consenuisse dies.
Ergo peregrinas esplorat sedulus artes,
 Et species multo comparat ære nouas,
Nilque redempturo faciem medicamine vexans,
 Deplorat medicas nil potuisse manus.
Non hac Scæua potest naturam fallere cura,
 Ars defœmatam nulla refœmat anum.
Si vis in lucem faciem reuocare sepultam,
 Et speciem dominæ reddere, tolle dies:
Tolle dies, annosa creant dispendia rugas,
 Multiplicátque cutem multiplicata dies.

B *Ad iuuenem & puellam affectiosius se inuicem intuentes.*

OCcurrunt blando sibi lumina vestra furore,
 Et voto arrident intima corda pari:
Alterno facies sibi dant responsa rubore:
 Et tener affectum prodit vtrinque pudor.
Mutua discurrens vltro citroque voluntas
 Lascivum mentem fœdus inire facit.
Alternis radiis oculorum flamma refulget,
 Perplexusque oculos fœderat intuitus.
Ipsæ animæ proprias quasi permutasse videntur
 Sedes, inque nouis degere corporibus.
Complexus tacitos animorum gratia nectit,
C  Corporeisque parat nexibus auspicium:
Procedet felix duplicato copula nexu,
 Concurrentque suis corpora spiritibus.
Vtilis optatos dabit expectatio fructus,
 Et lætos pariet anxia vota dies.

*Ad lascivos Sodales.*

MEns mea virtutum studiis à tempore primo
 Instituit infames docta cauere vias,
Sed quo vita mihi securior esset apud vos,
 Cautus honestatis dissimulator eram.
Optabam credi similis non esse fauorem,
 Non mihi vera dabat, sed simulata Venus.
Seruiuit vobis nutu solertia solo,
D  Præstringens equidem sed meliore dolo.
Mens studiosa sua se clauserat integritate,
 Ne virtus faceret disparitásque grauem,
Ast vbi non potuit perfectio dissimulari,
 Séque suis virtus prodidit indiciis:
Inuidiæ stimulis angi stillare veneno
 In populos cœpit lingua maligna suo.
Confiteor placuisse, pudet: quoniam placuisse
 Turpibus, aut propter turpia, turpe bono.
Debueram clarè rupisse silentia, non me
 Defunctis tacito consepelisse metu.
Seruit enim sceleri virtus taciturna, reosque
 Absoluit, si non iudicat esse reos.
Pars vitij est vitium quouis palpare fauore,
 Nam palpando foues atque fouendo facis.
E Præstat opem tacitam viresque ministrat agendi
 Qui tacet, & poterat obuius isse malo.
Nam virtus vitij nec amat, nec sustinet vmbram;
 Nec luci tenebras contrahit ipsa suæ.

*Super sepulchrum Regis Henrici, in quo cerebrum & cor eius sepulta sunt.*

HEnrici cuius celebrat vox publica nomen,
 Hoc pro parte iacent membra sepulta loco.
Quem neque viuentem capiebat terra, nec vnus
 Defunctum potuit consepelire locus.
In tria partitus sua iura quibusque resignat

Partibus, illustrans sic tria regna tribus.
Spiritui cœlum, cordi cerebroque dicata est
Neustria, quod dederat Anglia corpus habet.
Hinc patres animumque trahens, sed fortè apud illos
Editus, hic gladium, sceptra gerebat ibi:
Quem decedentem cùm nox extrema Nouembris
Soluisset, secuit prima Decembris eum.

*Quomodo pauperi vel diuiti sit dandum.*

Res simplex triplici vitio damnata datoris
Expressit mentem rupta pusilla vetus.
Si quia fortè aliquid largiri curat egeno,
Ad paupertatis respiciatur onus.
Non Elephantus ei dandus, non Parthica tigris,
Non quicquam quod eum cogat egere magis:
Non volo quod faciat de paupere pauperiorem,
Id volo quod potius vtilitate probem.
Quid mihi si munus honor illustrauit inanis,
Cùm meus extincto frigeat igne focus?
Pane cibandus inops, non illudendus honore est,
Frigida de vacuo gratia ventre venit.
Contrà diuitibus munus quod quilibet offert,
Formet honore magis, vtilitate minus.
Illustret non subueniat, ne quando probetur
Munus quòd tantum, sed quia tale fuit.
Cumque datis insit animi donantis imago,
Nec dator affectum dissimulare queat,
Id des quod semper videare dedisse libenter,
Ne parcam prodant dona recisa manum.

*Epitaphium Matildis Imperatricis, Regis Henrici filiæ, & alterius Regis Henrici matris.*

Regia progenies, stirps Regia, Cæsaris vxor,
Hic est magna breui clausa Matilde loco.
Virtutum titulis humani culmen honoris
Excessit mulier, nil mulieris habens:
Septembris decima regno post regna recepto,
Creditur æternum continuasse diem.

*De eadem.*

Regis mater erat, & Regibus orta Matildis,
Exuleratque thoro nobiliore genus:
Sed magis egregia virtutum laude coruscans,
Fortunam generis vicerat atque thori.
Septembris decimo sub prima transit hora,
De nostra ad verum nocte recepta diem.

*Sub cruce ex persona Crucifixi.*

Sic cruce tollo crucem, moriens de morte triumpho,
Viuificans hominem mortificatus homo.
Gratia mandato præscribit, forma figuræ,
Res signo, morti vita, corona iugo.

*Ad nepotem suum, cum esset adolescens.*

Olim me celebrem Normania tota Poëtam
Dixit, vixque dabat Gallia tota parem.
Altera de primis me credidit, altera primum
Deque suis dixit illa, sed ista suum.
Magnus vbique tamen vario celebrabat honore,
Illustri peregrè, præcipuoque domi.
Nunc noua fortè nouum vatem te protulit ætas
Ad formam rudibus, inuidiámque bonis.
De pueroque senem formans doctrina Poëtam,
Indidit ætati non sua verba tuæ.
Verba senem sapiunt, ipsumque professa Maronem
Imberbi floret pagina canicie.
Ipsa tuos mirata dies & verba dierum
Palluit ad versus & mea Musa tuos.
Cumque meas solito sumpsissem more tabellas,
A Prinsuit linguam voce, manumque stilo.
Ergo tibi Musas sanctumque Helicona resigno,
Et dulces facti desero fontis aquas:
Tu cole quas nosti, quarum retinere fauorem
Non nisi sollerti sedulitate potes.

*Epitaphium Algari Constantiensis Episcopi.*

Præsulis Algari cineri natura sepulto
Non potuit meritum consepelire viri:
Nam terram titulis, cælum virtutibus implens,
Dum nobis moritur, vtsibi viuat, obit.
Ipsum igitur quia terra virum cælique loquuntur,
Consignasse breui sufficit elogio.
B Hunc & Martinum meritorum conscia terris
Abstulit, & cælo reddidit vna dies.

*Epitaphium Hugonis Rothomag. Archiepiscopi.*

Inter Pontifices speciali dignus honore
Hic nostræ carnis Hugo resignat onus,
Consignata breui clauduntur membra sepulchro,
Non tamen acta viri claudit vterque polus.
Quicquid dispensat & compartitur in omnes,
Gratia contulerat præstiteratque viros.
Fœcundos igitur virtutum copia fructus
Fecit, & vltra hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vitæ
Sustulit emeritum flebilis hora senem.
C Par Martine tibi consorsque futuris eandem
Sortitus rerum est commoriendo diem.

*Ad Ricardum Pictauiensem Archidiaconum.*

EPIST. LXXIII.

Librum de Ecclesiasticis officiis eo libentiùs vobis censui transmittendum, quia vellem vos exemptum sæcularibus, diuinis officiis toto studio mācipari. Quòd si vos ad illa quandoque necessitas, aut prouentus, aut superior gratia pertrahit, ordinis vestri semper habere memoriam; nec eis vos immisceatis, quorum executio professioni vestræ non congruit, sed eis dimittatis per quos ea specialius conuenit expediri. Porrò quædam sunt quibus vestram vos oportet omnino negare præsen-
D tiam, vbi scilicet corporalis pœna vel iudicium sanguinis fuerit irrogandum, quia forensium legum seueritas in plerisque mansuetudini miserationis Ecclesiasticæ non concordat.

*Ad legatos Albertum & Theodinum.*

EPIST. LXXIV.

Lator præsentium Roal. literas mihi vestræ sublimitatis attulit, quas ego inspectas diligētiùs de falsitate suspectas habui, quia in parte solœcismū habere, in parte contra consuetudinem vestrā aliquid præcipere videbantur. Ipsum itaque cum eisdem literis ad vos censui remittendum, ne circa executionem mandati vestri negligentiæ vel temeritatis argui possim, sed quid fie-
E ri velitis planiùs me & pleniùs instruatis. Vtile autem esset huic ad alium iudicem mitti, apud quem de proximo posset commodius experiri, quia ego propter quasdam necessarias causas in locis remotioribus his diebus longiorem moram habere disposui, atque ei difficile & nimis sumptuosum esset ibi necessariæ instructionis copiam exhibere.

*Ad Nicolaum Monachum de monasterio Arramato.*

EPIST. LXXV.

LIteras discretionis vestræ non sine magna admiratione perlegi, prudentiamque principis & religionem vestram impudici adolescentis fallacia dolui circumuentam. De eo autem quod scripsistis, ipsum vos pro intercessione mea in vlteriorem gratiam recepisse, meque id à vobis extorsisse literis frequentibus, sciatis me nunquam pro eo vobis, aut alij literas destinasse, nec vllas preces cuiquam pro eo vllo vnquam tempore porrexisse. (B) Siquidem mihi nulla cognatione coniunctus est, nullis acceptus meritis, nulla familiaritate deuinctus, immò rarissimè nostro se conspectui præsumit offerre, quoniam celebri respersus infamia, etiam in publicum prodire nocente cõscientia reformidat. Ego autem literas Comitis ab eo iam secundas accepi, quas tenerrima dictasse videbatur affectio, quia nihil literariæ continẽtiæ defuit, quod vel amor imperare voluerit, vel curiosa diligentia potuerit inuenire. Porro litteræ illæ stilum vestræ peritiæ redolebant, apicésque his quos nouiter à vestra sanctitate recepi, identitatem manus mihi certis indiciis penitus expresserũt. Super eo autem quod sigillum Comitis ipsũ falsasse dicitis, mutuamq; falsitatẽ litterarũ nomine Comitis pecuniam accepisse, si meritis (C) eius non ducitis indulgendũ, ordine iudiciario oportebit arguere diffidentem, & fortassis ad peragẽdũ reum probationum vobis copia deerit: & si ad testium depositionẽ causa peruenerit, triste fortassis in ipsa examinatione sortientur defectũ. Sed & si tenuerit actio, ipsam procul dubio inopia debitoris elidet, nisi vestra bonitas in hoc casu solita velit ei munificentia subuenire, meritisque eius in oportunitate sua compassio vestra debitas gratiarum referat actiones. Inhumanum etiam fortè reputaretur à pluribus, si adolescentem ingenuum liberalitas vestra traheret in discrimen, si vni saltem delicto post tot collata beneficia personæ id ętatis vestra beneuolentia non ignoscat. Si tamen initiam hanc acriore instantia per- (D) sequi destinatis ego seruum iudicare nõ debeo, Domino suo stet aut cadat: nec ego eum carceris ergastulo claudere, vel ferreis vellem arctare compedibus, neque bonitas vestra velle debet pro tam modica summa ipsum durioribus vinculis alligari. Vester est, quia vos eum vestrum beneficiis & doctrina fecistis, dominique Comitis Canonicus est, vt scripsistis, ideoque apud eum conueniendus est, & forũ illud cui obnoxius est tenetur agnoscere, iudicisque sui sententiis obedire. Sed & accipitur quem quarto mutatum, sicut scribitis, vestra per eum mihi magnificentia misit, tanquam alas habens, forsitan auolauit, aut ipsum adhuc ad longinquiora tempora reseruandum censuit, quo ipsum magis faciat prouectior mutatio gratiosum.

(E)

*Ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum.*

EPIST. LXXVI.

LAtor præsentium Ior. vester apud nos pluribus adolescentiæ suæ diebus commoratus est, vt in Ecclesia nostra diuinis informaretur officiis, & inter scholares liberalibus posset instrui disciplinis. Complacuit in eo fratribus nostris & nobis verecũda solertia, & quod primæ rudimenta virtutis spem bonam de reliquo promittebant, adiuncto quod suaui quadam & iocunda voce inter psallentes in Ecclesia ad deuotionem posset indurata etiam viscera commouere. Reuersus ad terram natiuitatis suæ, acceptum se vobis extitisse gauisus est, adeo vt vestra eum beneficiis gratia subleuaret, & ad subdiaconatus ordinem promoueret. Postmodum ad cismarinas partes trahẽte eum nescio qua opportunitate regressus, reliquos ordines sine vestra licentia & concessione

(A) percepit. Ratus super eo quod non de præsumptione sed simplicitate commissum est, benignitatem vestram non adeo commouendam. Vestra vero seueritas ipsum à minus caute perceptorum ordinum administratione suspendit, adiecta, sicut asserit, terribili comminatione: quod à vobis scilicet restituendus non sit, nisi hoc ei à maiori fuerit auctoritate concessum: ad Cardinales igitur per labores multos & pericula magna peruenit, sed ipsi nihil ei indulgere voluerunt, nisi prius de veritate facti vestrarum docerentur testimonio literarum. Dicunt etiam se nihil scripturos in Angliam, nisi prius cum domino Rege fuerint collocuti, quod qua consideratione (B) decreuerint, nos nescimus. Supplicamus nos interim & antiquiore præuentum gratia, gratia perseuerante prosequimur, vt ei apud vos nostra prosit oratio, quatenus aut ratio sustinere debuerit, aut misericordia subuenire.

*Ad Abbatem sancti Ebrulfi.*

EPIST. LXXVII.

SVper his pro quibus in sententiam commisisti, à memoria tua non credimus excidisse quomodo mãdato nostro stare promiseris, & præceptionibus obedire. Nos verò quibusdam ex causis adhuc formam distulimus assignare mandati, & modum satisfactionis imponere, quia (C) in hac re ea temperãtia vti volumus, vt quicquid fecerimus, ex sincerâ videatur procedere charitate & tu ad debitam humilitatem & obedientiam nostro prouoceris exemplo, dum tamen Ecclesiasticæ institutionis disciplina seruetur, quantum tuæ & nostræ saluti crediderimus expedire. Ne itaque res diutius hæreat in suspenso, & quadragesimale tempus quod extat specialius est pœnitentiæ dedicatum, si æternitati tuę, ea qua teneris astrictus necessitate, mandamus vt proxima tertia feria non præsentis, sed sequentis hebdomadæ apud Lexoueum nostro te conspectui repræsentes, vt adhibito religiosarum & prudentium personarum consilio, quod tibi mandandum fuerit auctore Domino disponatur. Siquidem oportet nos conscientias nostras ad festa præpara- (D) re Paschalia, vt Dominicæ resurrectionis esse participes per condignos fructus pœnitentiæ debeamus.

*Ad Abbatem de Curia Dei.*

EPIST. LXXVIII.

PRo filio vestro F. paternitati vestræ gratias tota deuotione referimus, quod ita circa eum copiosæ charitatis visceribus abundatis, vt ipsum tota diligẽtia religio vestra dirigat ad salutem, & in opportunitatibus suis paternum indulgentia largiatur affectum. Elegit apud vos abiectus esse in domo Dei sui magis quàm apud suos habitare in tabernaculis peccatorum; sed affectati ordinis austeritatem benignitatis vestræ gratia releuat, & hu- (E) militatem abiectionis dignatio recompensat. Certum est cuius & in hoc & aliis quæratis gratiam promereri, sed licet salua sint vobis præmia vestra, nostræ tamen ad gratiarum actiones affectio deuotionis accedit. Felicem ergo me, inquam, si vnquam inueniar accepisse non ingratè, si datum mihi fuerit aliquid quandoque rependere vestrorum excellentię meritorum.

*Ad Abbatem Cisterc.*

EPIST. LXXIX.

DVo sacerdotes Episcopatus nostri Arn. videlicet & Ric. sęculo renunciare disponentes, admonitione frequenti & studio fratris nostri Vuill. nunc Abbatis de Pinu, ad venerabilem & religiosum virũ Ric. Abbatem de Valascia refutans prius in manu nostra quas possederant Ecclesiis, se & sua deuotione promptissima contule-

runt. Quorum nos deuotionem fauore debito prosequentes, intuitu Abbatis de Valascia, qui ob sinceræ religionis & iodustriæ suę meritum plurima nobis charitate deuinctus est, rationum obligationes, & cætera quibus nobis tenebantur obnoxij, quoniam Officiales nostri fuerant, sine omni difficultate remisimus, & eos in prædicto monasterio Deo perpetuò seruituros eum facultatibus suis in maou Abbatis liberos & absolutos consignauimus. Post modū verò cùm deuoti monasterij probationem ingressum sperarentur, Abbas de Pinu ad aliud voluntate deuocata, opus cuius auctor prius vehementissimus extiterat, vehemētiore studio dissuasit, obiiciens quod vnus eorū antequā etiā pubertatis annos attigisset, sua persuasione io monasterio de Chaelis publicū religioois votum solemniter nuncupauerat, promissione quoq; adiecta quod eam non mutaret, nec reuocaret in posterū voluntatē. Qua occasione prudentibus & religiosis viris plurimum admirantibus, deuotum pariter & indeuotū abduxit cum ea procul dubio ratione, qua alterum extrahere nitebatur, alter in deuotionis suæ monasterio perpetuò permittendus fuerat commorari. Porro Abbas de Valascia, vtpote vir longanimis & multæ mā suetudinis, suas & monasterij sui vsque ad secundum vniuersitatis vestræ conuentum prosequi distulit iniurias, sperans profectò siquid perperam actum est, sine subterfugio reformandum, vbi nec excusatio veritatem impedit, nec cupiditas ęquitatem. Ego verò, quod ad Ecclesiam meam pertinet, nulla dissimulare valeo ratione, quoniam vnus eorum de quorum reuocatione tractatur, Arn. videlicet, librum quondam quem Ecclesiæ suæ parrochianorum collatio deuota contulerat, consilio & ministerio Abbatis de Pinu pignori pro 4. libris Andegauen. obligauit, quamuis ego sub anathemate prohibuissem ne id ipsum faceret, vel quicquam de rebus Ecclesiæ sine conscientia mea præsumeret asportare. Quoniam ergo sæpius commonitus & requisitus, librum Ecclesiæ suæ non restituit, eum excommunicatum, & ab omni sacerdotalis officij ministerio suspensum, donec de sacrilegio satisfecerit, noueritis emigrasse.

*Ad Henricum Fiscanensem Abbatem.*

## EPIST. LXXX.

CRedimus prudentiam vestram fideli memoria retinere causam quæ inter vos & latorem præsentium pauperem vertebatur, Apostolica nobis olim auctoritate commissam. Nos vero in hoc, sicut in aliis, dilectæ nobis gratiæ vestræ obsequium pronius exhibentes, ipsum de magna summa vobiscum pro modico transigere fecimus. Et vt modicum illud vtilius in futuro perciperet, ad vestram per omnia descendere voluntatem. Ipse vero iamdudum miserabilibus nos lamentis infestat, asserens quod placitum transactionis vestra ei magnificentia subtrahat, nec sanctitatem vestram in aliquo moueat vel miseria pauperis, vel veritas pactionis. Quod si quid aliquando forte solutum est, post multas fatigationes & tempora semper, vel specie vilius fuit, vel deteriori qualitate: super quo rogamus vos, & obnixis precibus obsecramus, quatenus in hoc honori suo, & iustitiæ pauperis, & molestiæ nostrę gratia vestra prouideat, eique quod sub tanta venerabilium personarum celebritate promissum est, non solum fideliter, sed etiam liberaliter tribui faciatis, ne forte homo vagus & pertinax ad subsidium maiestatis Apostolicæ recurrere compellatur, communem de nobis & vobis querimoniam portans, scilicet quod mandatum eius à nobis minus fideliter adimpletum sit, & à vobis fides transactionis minus veraciter obseruata.

*Ad dominum Papam Alexandrum.*

## EPIST. LXXXI.

CAusam quæ inter VVillelmum sacerdotem & Matthæum clericum vertebatur, super Ecclesia de Godaruilla, maiestas vestra paruitati nostræ delegauit sine appellationis obstaculo canonicè decidendam. Vtraque itaque parte in nostra præsentia constituta, proposuit VVill. se prędictam Ecclesiam legitime possedisse, & post modum se per violentiam absque omni iudicio spoliatum, & ideo restitutionem possessionis cum magna à nobis instantia postulabat. Ad probationem verò possessionis quam petebat quatuor deposuit sacerdotes, quorum vnus inutilis, tres reliqui satis concordes in examinatione reperti sunt. At Matthæum ipsum aliquando possedisse constantissime pernegauit, ipsumque coram delegatis à sublimitate vestra iudicibus, Domino scilicet Rothomagensi, qui tunc Ebroicensi Ecclesiæ pręerat, & Domino Egidio nunc Ebroicensi, qui tunc in Rothomagensi Ecclesia Archidiaconi fungebatur officio, super eadem Ecclesia quęstionem mouisse dixit & nouissime eidem quęstioni coram eis abrenunciasse publice, & eādem Ecclesiam abiurasse, & 40. solidos pro recompensatione expensarum quas fecerat accepisse. Super quo sacerdotem & acolythum & laicum quendam proposuit ad probandum, qui & ipsi in examinatione concordes inuenti sunt, idque prædictis iudicibus & toti Ecclesiæ Rothomagensi notissimum, quia hoc coram tota fere vniuersitate fuerat celebratum. Quia ergo pręiudicare videbatur abiurationis exceptio, neque nobis satis certam fidem eorum qui producti erant testificatio faciebat, duximus differendum, donec per iudices, quibus causa delegata fuisse dicebatur, & venerabiles personas quæ asserebantur nihilominus affuisse veritatis nobis posset innotescere plenitudo. Porro cum ipsi mecum ad Domini Archiepiscopi præsentiam conuenissent, & ego ab eo veritatis testimonium diligenter exigerē, VVillelmus non expectato testimonio eius, ad primam Domini vestram audientiam appellauit. Ego vero quia nolens agere cogi non poterat, & ad preces eius ipsiusque fauore videbatur sublatum appellationis obstaculum, ad læsionem eius retorquere non debui, sed alio sicut fuerat in possessione demisso, literas vtrique requisitas tradidi, per quas eorum quæ apud nos acta sunt veritas vestrę possit innotescere maiestati.

*Ad Dominum VVillelmum de Papia Cardinalem.*

## EPIST. LXXXII.

QVantam mihi gratiam in oculis vestris ab antiquo bonitas diuina contulerit, præstita frequentius beneficia comprobarunt. Et ego quidem toto animo gratus extiti, sed maiestatem dignationis vestræ non potuit debiti operis exhibitio compensare. Felicem tamen me, inquam, si vnquam inuenier accepisse non ingratè quod vos tanta semper hilaritate gratuito contulistis, si mea signo quolibet se redemptam deuotio recognoscat. Interim ad eandem experientiam in omni semper opportunitate conuertor, certus quod apud excellētiam vestram veritas amicitiæ nec defectum pati, nec aliquam potest incurrere senectutem. Inde est quod magister G. quem ad Dominū Papam pro quibusdam negotiis mitto, precor attentius vt habeat vestra beneuolentia commendatum, vt tam consilio vestro doctus quàm fretus auxilio, optatum in negotiis quę portat mereatur effectum.

*Ad legatos Albertum & Theodinum.*

EPIST. LXXXIII.

MAndatum veſtræ ſublimitatis accepi, vt Ric. Vrſelli prope diem Dominicæ Circuncißionis veſtro ſubmonerem conſpectui præſentari, reſponſurum Rob. cuidam ſuper Eccleſia de Cormorlem, quam ille ſibi dicit legitima pertinere. Feci itaque quod mandaſtis, quia propoſitum meum eſt cum omni humilitate & diligentia veſtris per omnia præceptionibus obedire. Is verò qui vocatur, de nimia temporis aſſignati breuitate conqueritur, quia tam modico tempore non poterit neceſſariam inſtructionem cum multo labore & plurimo etiã diſpendio comparare. Siquidem homo grauis eſt, & oportet eum de remotis & diſperſis locis ſubſidia petere, & poſtmodum ad vos in aliam tranſire prouinciam, cùm ei ad omnimodam præparationem non fuerit ſpacium 15. dierum indultum. Quod ſane ab aduerſario ſuo callide patet eſſe quæſitum, quia nullã concepit de iuſtitia & veritate fiduciam, ſed propter impotentiam perſonæ ſperat aliquid vexationibus & trãſactione qualibet extorquere. Porro Eccleſia illa in Epiſcopato Baiocenſi conſtituta eſt, neque cauſa vllo tempore ad Epiſcopi ſui peruenit examen: ſed ille quæſitis ab Apoſtolica ſede literis, quia rei veritas in Eccleſia Baiocenſi publice nota erat, cauſam ad alienum ſcilicet & ad Abrincenſem tranſduxit Epiſcopum, vt ibi liceret ei quicquid vellet audacius affirmare. Verùm dominus Abrincenſis, vir ſane religioſus & prudens, veritate diligentius inquiſita, cognouit Ricardum plus 30. annis continue poſſediſſe, & per vicarias ſemper deſeruiſſe perſonas; ſuoque iure beneficia percepiſſe. Conſtitit etiam Robertum eſſe filium ſacerdotis, quem certum erat eiuſdẽ Eccleſiæ vicarium extitiſſe, atque ipſum inde ſibi ad petitionẽ poſſeßionis fraudis præparaſſe materiam, quod ibi quæ patrem ſuum pro executione parrochialis officij contingebant, aliquando perceperat, & tam ſuis quàm matris & reliquæ paternæ familiæ neceſſitatibus impendebat. Repulſus igitur, & Ricardo litigij quiete conceſſa, ad audientiam Romani Pontificis ad kalend. Februa. appellauit. Miſit iſte, & reſponſum Apoſtolicæ maieſtatis expectat, ſperans quod de mãdato eius à religioſo Epiſcopo tam ſanctè factum eſt, ipſius nimirum auctoritate firmandum. Neque enim expedit prouinciæ noſtræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitia conualeſcit, filios ſacerdotum paternis altaribus adhiberi, ne inceſtuoſi concubinatus crimen ab ipſo vel à vobis profuſa benignitate videatur indultũ, ne ſpurcitiæ ſoboles ſanctuarium Domini exemplo paternæ prauitatis inceſtet. Oculi itaque veſtri videãt æquitatem, ſi ad recognitionem iam cognitæ veritatis, Epiſcopus ad quẽ ab initio cauſa ſuo ordine pertinebat, de ea legatione quam de veſtra voluntate ſuſcepit, debeat expectari, ſi appellationi ſedis Apoſtolicæ deferendum eſt, ſi religioſo Epiſcopo qui cognouit ex delegatione credendum, ſi denique ſpatium maius indulgẽdum eſt, vt perſpectis etiam omnibus filio noſtro in iure ſuo noſtra videatur interceßio profuiſſe.

*Ad Dominum Papam Alexandrum.*

EPIST. LXXXIV.

FElicem me & omni donatum beatitudine iudicarẽ, ſi vel ſemel adhuc me ad videndum faciem veſtram bonitas diuina perduceret, vt deſiderantibus oculis vultus veſtri ſerenitas illuceret, & ariditatem meam copioſior de proximo benedictionis veſtræ rigaret vbertas. Sed me cũ prouectior ætas, tum fortuitæ debilitatis incõmodum, tum ipſa reddit locorum diſtantia deſperatum: quia ad tot peragrandas regiones fortè nec temA pus ſpatium, nec potentiam debilitas indulgeret. Facio interim quod poſſum, & remoto corpore ſemper vobis inſtantia ſolicitæ deuotionis aßiſtit, & ad ſtatus veſtri proſperitatem & pacem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ perquirendam in omni loco quotiens reſulget occaſio prõptus & fidelis occurro. Siquidem in omnibus veſtra me ſemper & prædeceſſorum veſtrorum gratia fecit & beneficẽtia debitorem, nihilque mihi moleſtius eſt, quam quod omne quod poſſum ad debitas gratiarum non ſufficit actiones. Verùm quanto merita mea minora ſunt, tantò animus ad obſequendum propenſior eſt, tãtò obnixior ad agendum, vt ſcilicet impotẽtiæ defectum deuotio ſuppleat, quæ vbicũq; ſincera eſt rectiore iudicio B quolibet opere debet acceptior æſtimari. Viderunt hoc legati veſtri quoſcunq; ab initio ad partes noſtras veſtra deſtinauit auctoritas, fidemque & diligentiam meam euidentibus rerum argumentis experti ſunt, ſicut etiã literis eorum qui nouißimè venerũt, veſtræ potuit innoteſcere maieſtati. Siquidẽ cum ea propter quæ venerãt ad miſerabilẽ ſciſſuram negotia declinaſſent, & omnes qui interceſſerant deſperata cõcordia diſceßiſſent, ego tandem feruore charitatis vltrò ſolus acceßi, omnibusq; cum legatis veſtris vtili examinatione & prouida pertractatis, Principem noſtrum iam reuertentem in Angliã, de ipſo itinere reuocaui, ipſumque ad bonum pacis per miniſterium meum diuina benignitas inclinauit. In quo viſa eſt omnibus inſperatũ diuina pietas operata miraculum, quòd tantus Princeps à tanto indignationis & C iracundiæ motu ad opera pacis humilitatiſque cõuerſus eſt, ſeque legatis veſtris pro reuerentia Dei & gratia veſtra tractabilem exhibuit, & præſtitit obſequentem, ſicut de literis ipſius & eorum veſtra experiẽtia recognouit. Profecto ſi in eo quod ibi factum eſt honorem Eccleſiæ Dei veſtrumque vobis placuerit æſtimare profectum; magnum eſt, immo maximum quod feciſtis, ſi fuerit qui executioni mandare, & effectui mancipare procuret. Quod ſanè iam nõ erit difficile reputandum, quia operante pro Eccleſia ſua Spiritu ſancto tãtæ tunc Principem ſinceritas deuotionis aſtrinxit, vt nulla eum pœnitentia, nulla poſſit impudentia reuocare. Nec ego hæc ad iactantiam, vel vt mea videar merita prædicarẽ recenſeo, ſed deſiderabile mihi eſt, vt ſtudium meũ tot approbatum iudicijs, à memoria veſtra non excidat, ſed priſtina mihi ſemper apud maieſtatem veſtram gratia D perſeueret, vt in nouißimis diebus meis, ad quos me ſenectutis neceßitas odioſa perducit, fortius mihi ſemper in opportunitatibus manus veſtræ protectionis aßiſtat, nec quietem meam vexationibus cõcuti, nec Eccleſiam meã malignitate qualibet ſua patimini iuſtitia defraudari, vt ego eam in eo ſtatu conſeruare valeam, ad quẽ ipſã per merita veſtra Deo cooperante perduxit, vt moriens de paupere diuitem, de obſcura poßim relinquere glorioſam. Ad quod ſanè complendum quia per me nõ valeo temporis obſtantis malitia peruenire, ad ſolitum veſtræ benignitatis auxilium, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præſidium ſingulare in omni ſemper opportunitate conuertor, quia vos expertus ſum in omni ſemper petiE tione propitium, & in expugnandis difficultatibus meis penitus efficacem. Latorem ergo præſentium, Magiſtrũ Gillebertum, quem mihi cùm honeſtas, tum ſcientia, tum etiam beati Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi vlterior qua eum complectebatur gratia commẽdauit, ad pedes veſtræ dirigo ſanctitatis, vt per eum vobis veritas & iuſtitia negotiorum noſtrorũ plenius innoteſcat, & epiſtolæ breuitatem commodius ſermo viuus inſtaret. Rogo itaque vt ipſum bonitas veſtra ea qua me & meos ſemper conſueuiſtis benignitate ſuſcipiat, & diuturnitati negotiorum noſtrorum finẽ curetis imponere, ſuper quibus à vobis primos, ſecundos, & tertios iudices iam accepi: ſed tam ſpes mea, quàm eorum cognitio multis artibus eſt eluſa, ne poſſem vſque ad audientiam etiam peruenire. His autem quæ ex parte mea vobis iſte dixerit, fidẽ indubitatam habere poteritis, quia

sacrilegio maius est attentare etiam vestram in aliquo fallere sanctitatem.

*Ad eundem.*

EPIST. LXXXV.

EST quiddam quod tam meam quàm alias vehemẽter angit Ecclesias, quorumdam scilicet rapax & intemperans audacia monachorum, qui quo libetiùs effluant, sæcularis potentiæ præsidia rediměres, primò Episcopis omnem obedientiam subtrahunt, & parrochiales Ecclesias cum altarijs & decimationibus, cæterisque beneficijs de manu laica recipere pactis quibuslibet sacrilega temeritate præsumant. B In his ergo ab eis nec Canonicus ordo, nec Episcopalis assensus exigitur; sed deuocatis ad proprietaẽ omnibus, mercenarios in tanta paupertate ibi constituunt sacerdotes, vt ad exhibitionem suam & ad onera Ecclesiæ portanda non habeant quod opilioni sufficeret aut cursori. Generale est hoc, sed in Episcopatu meo vehementius hæc est grassata malignitas, nec iam nobis cuiuslibet rationis obtentu, sed fallacijs ac muneribus nobis præsidioq; violentiæ sæcularis obsistunt. Ad quod secundum ordinem institutionis Ecclesiasticæ reformandum, cùm ego aduersus Abbatem quendam & monachos monasterij cuiusdam in Episcopatu nostro, scilicet sancti Ebrulfi, à sublimitate vestra primos, secundos, & tertios iudices impetrauerim, C Abbate semper multis artibus obsistẽte, nihil est adhuc affectui mãcipatum, cum sacerdotes nostri in executione causæ apud iudices assignatos multis attenuati sumptibus, multis laboribus sint affecti. Habemus autem & alias causas aduersus eundem Abbatem de multiplici & contumaci inobedientia, cum tamẽ ad exhibendam nobis obediẽtiam & reuerentiam vinculo iuratæ professionis teneatur astrictus. De alio quoque periurio, quod post præstitum corporaliter iuramẽtum de exhibenda ad mandatum nostrum satisfactione, coram multis venerabilibus personis manifestè contraxit, in eo scilicet quod post sententiam suspensionis & anathematis, per quinquennium & eo amplius Missas & cætera præsumpsit diuina officia celebrare, donec cognita coram legatis vestris veritate quã dicimus de necessitate magis, quàm de pœnitentia nobis se præstitit D absoluendum, iurato nimirum quod ad mandatũ nostrum super tribus expressim staret excessibus, & modũ impositæ sibi satisfactionis impleret. De priuilegio quoque à vobis per subreptionem elicito idem Abbas vobis & Ecclesiæ nostræ tenetur obnoxius, super quo iam tertio ipsum ad vos cum priuilegio mitti inuenta nimirum falsitate iussistis. De heremo etiam quadam quæ à nobis & fundatore quibusdam regularibus & religiosis fratribus collata est, à prædicto Abbate & monachis post appellationem ad vos factam nouiter occupata, & alijs quibusdam quam reuerentiæ vestræ in domini veritate fides & sedulitas nuncij nostri plenius explicabit.

*Ad dominum Henricum Remensem Archiepiscopum.*

E EPIST. LXXXVI.

PHilippum vestrum de Chaumont cùm apud nos in Rothomagensi moraretur Ecclesia, honesta conuer- A satio notum nobis reddidit & acceptum. Accedebat ad gratiam quod in actibus eius Regij sanguinis excellẽtia resulgebat, dignamque tanta nobilitate liberalis prudẽtia formabat industriam, vt alios sicut genere, sic moribus excedere videretur. Traxit eum & desideriis nostris abstulit magnitudo vestra, vt propinquis genere fieret conuersatione propinquior, vestrisque cuius totus est mancipatus obsequijs, apud magnificẽtiam vestram doctrinæ prouentum sacetet & fortunæ. Exultauit igitur, & se in multis beneficentiã vestram sensisse gauisus est, tanto sane alacrior, quanto de primicijs gratiæ vestræ maior poterat de futuro fiducia prouenire. Interim tamen, sicut ipse lachrymose conquetitur, mota est aduersus innocentiam eius vestra serenitas, & à concepta B spe elongatus est aliquantulum amicus & proximus, nisi quia desperationem excludit sinceritas conscientiæ, & vestræ, si quid admissum est, humilis & deuota patientia disciplinæ. Prælegit enim apud misericordiam vestram deprecationis partibus vti magis quàm contentiosis excusationem litigiis instaurare, quia sicut magnanimitas vestra superbiæ cedere nescit, sic humilitati nõ sustinet obuiare. Sane dum nobiscum esset, intellexit sæpius quod plurimam nobis in oculis vestris gratiam bonitas diuina contulerat, quæ tanto prædicabilior est, quanto de gratuita liberalis animi vestri bonitate procedit. Preces itaque nostras de longinquo quærendas censuit, vt eas possit nobis velut aliquod acceptabile munus offerre quatenus nostra culpam ipsius, si qua est intercessio, C redimat, & ad indulgẽtiam motum seueritatis inclinet. Siquidem gloriosum erit vobis tantam apud maiestatem vestram gratiam gratiæ plenitudinem inuenisse, vt etiam à nobis in alios copiosæ dilectionis vestræ redundet vbertas.

*Ad Henricum Baiocensem Episcopum.*

EPIST. LXXXVII.

MEmini me pro latore præsentium olim vestræ excellentiæ supplicasse, quia mihi pro eo quorumdam quibus ego deesse non poteram instantia supplicabat. Exaudistis ex parte, quia ab irroganda seueriore sẽtentia temperastis ad tempus, nondum tamen ei optatũ beneficium perfectæ liberationis arrisit. Instant igitur D qui ab initio profusis precibus institerunt, eoque obnixius quia nouerũt quod dilectio vestra preces meas cõsueuerit exaudire. Preces igitur iterare compellit iterata precatio, & me genibus vestræ charitatis aduoluit, vt hic se multiplicatis precibus vberioris remediũ gratiæ gaudeat inuenisse. Audiui etiam dominum Archiepiscopum, & dominum Abrincensem scripsisse pro eo, eosque culpæ quam contraxit clemẽter ignoscere, quia ad inquisitionem vestram maluit humiliter confiteri quod fecerat, quàm duplicata culpa conscientiam suã obfuscare mendaciis, aut de vestra misericordia desperare. Preces itaque precibus & consilio eorum censui fiducialiùs adiungendas, vt si maiestas vestra admonitioni eorum duxerit obsequendum, mea quoque tantæ auctoritati intercessio suffragetur.

# ELENCHVS EPISTOLARVM, CONCIONUM, Epigrammatum Arnulphi, Lexouiensis Episcopi.


*Egidio Rothomag. Archiepiscopo* Col. 539.
*Roberto Lincolniensi Episcopo* ibidem.
*Ernaldo Bonenallensi Abbati,* col. 540. 549. 571
*Henrico Pisano, Legato Rom. Eccl.* col. 541. 568
*Ad G. Monialem,* col. 542
*Ad D. Papam Adrianum,* col. 543. 544. 570
*Magistro Petro Helia,* col. 545
*Ad D. Papam Alexandrum, cum esset Cancellarius, col. 545. de promotione sua, 550. 560. 562. 563. 566. 567. 584 pro Ioscelo Salisberiensi Episc. 588. pro Gill. London. Episc. 589. 592. 593. 594. 603. 604. & 606.*
*Abbati S. Ebrulfi,* col. 546. 547. 602
*Vuillelmo Cenomanensi Episcopo,* ibidem
*Hugoni Rothomag. Archiepisc.* col. 548
*Danieli Priori S. Barbara.* ibidem.
*Rad. Dedicejo Lond. Archidiacono,* col. 549
*Rescriptum D. Papa Alexandri,* col 552
*Ad Archiep. & Episcopos Anglia,* col 554
*Ioanni Neapolitano, & Vuillelmo Papiensi Cardinalibus,* col. 556
*Cardinalib. Rom. Eccl. de electione D. PP. Alexandri,* col. 557
*Gilleberto London. Episcopo,* col. 568
*Abbati Gristemensi,* ibidem.
*Ernaldo Pictaniensi Archidiac.* col. 569
*Vualt. Albaniensi Episcopo,* col. 570
*Episcopo Engolismensi,* col. 571
*Egidio Rothom. Archid.* col. 572
*Ricardo de Alm. pracent. Lincol.* col. 583
*Abb. Cisterc. & fratribus eius,* ibidem.
*Ricardo Pictaniensi Archid.* col. 586. 600
*Laurentio Vuestmonaster. Abbati,* col. 587
*Ioann. & Vuillelmo Cardinalib. pro Rogo Eborac. Archiep.* ibidem
*Egidio Ebroacensi electo,* col. 591. Episcopo 592
*Bald. Nouiom. Episcopo,* col. 562
*Abbati Gristan.* col. 593
*Monachis Bernacensibus,* col. 594
*Henrico Fiscanensi Abbati,* col. 595. 603
*Nicol. Monacho de Monasterio Arram.* col. 600
*Bartholomao Exoniensi Episcopo,* col. 601
*Abbati de-curia-Dei,* col. 602
*Abbati Cistercien.* ibidem
*D. Vuillel. de Papia Card.* col. 604
*Ad Legatos Albertum & Theod.* col. 604
*Henrico Remensi Archiep.* col. 607
*Henrico Bajocensi Episcopo,* col. 608


## Sermones seu conciones eiusd. Arnulphi.


*Sermo habitus in Concilio Turonensi,* col. 573
*Sermo in synodo,* col. 579


## Epigrammata varia eiusd.


*De natiuitate Domini,* col. 596
*Henrico Vuitonien. Episcopo,* ibidem.
*De innouatione vernali,* ibidem.
*De alterna temporum successione.* col. 597
*Poëta mendico,* ibidem.
*Ad iuuenem & puellam vehementi se affectu intuentes,* col. 598
*Ad lasciuos sodales,* ibidem.
*In tumulum Henrici regis, in quo cor & cerebrum eius condita sunt,* ibidem.
*Quomodo pauperi, vel diuiti dandum,* col. 599
*Tumulus Matilda Imperatricis,* ibidem.
*De eadem,* ibidem.
*Sub cruce, ex crucifixi persona,* ibidem.
*Ad nepotem suum,* ibidem.
*Epitaphium Algari Constantiensis Episcopi:,* col. 600
*Epitaphium Hugonis Rothomag. Archiep.* ibidem.


FINIS.

# LVPI APVD FERRARIAM MONASTERIVM SENONVM, IN GALLIA CLARISSIMI ABBATIS, QVI CAROLO CALVO VIXIT,

## *EPISTOLARVM LIBER, AN. M. D. LXXXVIII. PRIMVM*

*in lucem editus Papirij Massoni beneficio atque opera.*

Ad Antiſtites & Clerum Galliæ.

*Hac editione locis innumeris correcta ex collatione cum M.S. Reuerendi D. Philippi Huralti Episcopi Carnotensis.*

---

*Antiſtitibus & Clero Galliæ Lutetiæ congregatis.*

VIX vnquam maior pietas in Epiſcopis & Clero Galliæ enituit, quàm hiſce calamitoſiſſimis Regni & Reipubl. temporibus, cùm Eccleſiæ fundos, prædiaque, & annuos redditus quamquam inuiti, vltro tamen propter maiorum religionem defendendam, diſtrahi vendíque ſinitis: vt ſit Chriſtianiſſimo Regi Henrico, vnde bellicos ſumptus aduerſus indomitam rebellium vim & contrariam pietati factionem ferre poſſit. Et hæc quidem veſtra plane admirabilis virtus erit olim multo apertior ac notior quàm nunc ſit, æſtimabitúrque à poſteris, & maturos fructus percipiet ſolidæ laudis & gloriæ, præſentia enim more humano à mortalibus deſpici potius aut contemni ſolent, quàm arbitrio recti ſanique iudicij & ponderis æſtimari, qualia & quanta ſint. Cuius rei teſtimonio vobis hunc libellum dicare ſtatui nondum in lucem editum, & præbiturum materiam laudandi ſuſpiciendique præteriti temporis ex narratione rerum quæ Carolo Caluo, & Lupo Abbate monaſterij Ferrarienſis olim contigerunt, ſimilitudinem enim quandam cum noſtris calamitatibus & ærumnis habuiſſe videbuntur.

---

## PRÆFATIO PAPIRII MASSONI.

*FErraria antiquum nomen adhuc retinet, eſtque monaſterium Galliæ in diœceſi Senonum, quod Betlehemiticum etiam appellatur, quatuor tantum millibus à Montargi oppido diſtans, in Lugdunenſi vsa ad Lupam amnem ſito, qui in Sequanam influit. Eius monaſterij Abba. fuiſſe Lupum, & ex Synodo Suesſionenſi habita Caroli Calui temporibus anno 843. & ex hoc epiſtolarum libro ſatis apparet, quin & Sancti Iudoci monaſterio vel Cellæ maritimæ ad oſtium Cantij, inter Stapulas & Montrolium vrbes poſita, etiam præerat, quam ſibi ereptam & Odulfo Comiti attributam à Rege, poſteáque redditam pluribus epiſtolis nunc queritur, nunc lætatur. Sunt autem hæ non contemnendæ, propter rerum, & eorum ad quos ſcribuntur dignitatem. Nam ad Dominum Apoſtolicum Benedictum tertium ſcribit, & Leonis deceſſoris eius epiſtola ad Nomenonium mentionem facit: ad maximos principes Lotharium Cæſarem, Carolum Galliæ, & Edilulphum Angliæ Reges: ſed ad Carolum multo plures leguntur, quod Senonibus & Francorum genti in Gallia imperaret: ad doctos quoque ſuæ ætatis viros Einhartum & Rabanum quos præceptores ſuos honorificè vocat: Ionam Aurelianenſem Epiſcopum, cuius extant libri de cultu imaginum eidem Carolo dicati, Hincmarum doctiſſimum Rhemorum Metropolitanum, & Hilduidum à quo ſcripta ſunt Areopagitica, vt alios præteream, excepto Marcuuado Prumienſi. Prumia vulgò Prom, monaſterium eſt in finibus Treuirorum, & virum illum magni feciſſe Lupus videtur, ac ipſe quidem ab Aldrico deceſſore Guenilonis Epiſcopi Senonum, in Germaniam ſtudiorum cauſa miſſus eſt, quod in ea prouincia tunc florerent literæ: fuitque deinceps curioſus optimorum librorum, & quos è Germania, Italia Anglia; Galliáque ſibi ad exſcribendum mitti petijt, vt ex pluribus locis apparebit. Cæterum quia vnicum exemplar harum epiſtolarum in veteribus membranis à Petro Daniele ex ipſo monaſterio Ferrariæ allatum penes me habui, idque propter vetuſtatem multis locis corruptum quibuſdam lacerum & mutilum, fieri non poterit vt hic liber integer & incorruptus doctis hominibus videatur, maluimus tamen vtcumque affectum legi, quàm omnino non eſſe: inuenientur enim fortaſſe alia, quamquam hoc ſcio in tota Senonum prouincia non reperiri, vbi & multa monaſteria & frequentes Eccleſiæ ſunt, & Lupus honeſtiſſimis parentibus natus eſt. Vtilitatem verò magnam afferet ijs, qui volent illius temporis calamitates noſſe, quæ noſtris nihilo minores fuere.*

LIBER

# LIBER EPISTOLARVM LVPI APVD FERRARIAM SENONVM ABBATIS.

## *Charissimo nostro Einhardo Lupus S.*

### EPISTOLA I.

DIV eunctatus sum, desiderantissime homioum, auderem uecne excellentiæ vestræ scribere. Et cùm me ab hoc officio aliæ rationabiles causæ, tum etiam ea maxime deterrebat, quod posse id contingere videbatur, vt dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem. Scilices qood præpropero & inusitato prorsus ordine, ab ipso familiaritatis munere inchoaoetim, qui nec primordia ootitiæ contigissem. Ita vehemeuter æstuanti, facilis, & modesta, & quæ sane philosophiam deceat animi vestri natura tantæ rei obtinendæ spem rribuit. Verum vt aliquid rationis afferre videar, taceo quidē sæcularium literarum de amicitia sententiar, oe quouiam eis adprime incubuistis, Horatianum illud doctissimorum ore tritum meritò accipiā: In siluam ne ligna feras. Dominus certe noster ne dum aliquam aspemandi amicos occasionē relinqueret, diligendos omnes inimicos præscripsit. Itaque parienter quæso & benigne aduertite animum, dum altius meas repeto cogitationes, vt nosse possitis quàm hoc nō perperā nec iuueuili moliar leuitate. Amor literarū ab ipso fere initio pueritiæ mihi est innatus, nec earum vt nōc à plerisque vocātur superstitiosa otia fastidio sunt. Et nisi intercessisset inopia præceptorum, & lōgo situ collapsa priorum studia pene interissent, largiēte Domino, meæ auiditati satisfacere forsitan potuissem. Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Carolū, cui literæ eo vsque deferre debent, vt æternam ei parēt memoriam, cœpta reuocari, aliquantum quidem eatulere caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum Ciceronis dictum; Honos alit artes, & accenduntur omnes ad studia gloriæ. nunc oneri sunt qui aliquid discere affectant, & velut in edito sitos loco studiosos quosque imperite vulgo aspectantes, siquid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Ita dum alii dignam Sapientiæ palmā non capiuut, alii famam vetentur indignam, à tam præclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet propter seipsam appetenda Sapientia. Cui indagandæ à sancto Metropolitano episcopo Aldrico delegatus, doctorem Grāmaticæ sortitus sum, præceptáque ab eo artis accepi, sic quidem à Grammatica ad Rhetoricā, & deinceps ordine ad cæteras liberales disciplinas transire hoc tēpore fabula tantum est. Cum deinde autorum voluminibus spatiari aliquantulum cœpissem, & dictatus nostra ætate confecti displicerent, propterea quod ab illa Tulliana cæterorúmque grauitate, quam insignes quoq; Christianæ religionis viri æmulati sunt, oberrarent, venit in manus meas opus vestrum quo memorati Imperatoris clarissima gesta (liceat mihi absque suspicione adulationis dicere) elarissimè literis allegastis, ibi elegātiā seusuom, ibi raritatem cōiunctionum, quam in autoribus notaueram, ibidémq; non longissimis periodis impeditas & implicitas ac modicis absolutas spaciis sententias inueniēs amplexus sum. Quare cum & ante propter opinionem vestram, quā sapiēte viro dignam imbiberam, tum præcipuè propter expertam mihi illius libri facundiā, desideraui deinceps aliquā nancisci opor-



A tunitatem vt vos præsentes alloqui possem, vt quemadmodum vos meæ paruitati vestra tum probitas, tum sapientia fecerat claros, ita me vestræ sublimitati meus etiam erga vos amor, & erga disciplinas studiom commendaret. Neq; vero id optare desistam quamdiu ipse incolumis in hac vita vos esse cognouero, quod posse contingere hoc magis in spem ducor quo ex Gallia huc in trans Rhenanam cōcedens regionem, vobis vicinior factus sum. Nam à præfato Episcopo ad venerabilē Rabanū directus sum, vti ab eo ingressum caperem diuinarum scripturarum. Ergo cum ad vos iturum hinc eius nuncium comperissem, primo quasdam verborum obscuritates à vobis vti elucidarentur, mittēdas proposui, deinde præstare visum est, vt etiam hanc epistolam dirigere deboissem, quæ si à vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor. Sed semel B pudoris trāsgressus limitem, etiam boc postulo, vt quosdam librorum vestrorum mihi hic posito commodetis, quamquam molto sit mious libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi, Tullii de Rhetorica liber, quem quidem habeo, sed in plerisque mendosum: quare cum Codice istic repesto illum contuli, & quem certiorem putabam, mendosiorem inueni Item eiusdem autoris de Rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo de Oratore, quos vos habere arbitror, propterea quod in breui voluminum vestrorum post commemorationē librī ad Herēnium interpositis quibusdam aliis scriptum reperi: Ciceronis de Rhetorica. Item, explanatio in libros C Ciceronis, præterea Auli Gellii noctium Atticarum, sed & alii plures io prædicto breui, quos si Deus apud vos mihi gratiam dederit, istis remissis, accipiens describendos mihi dum hic sum auidissimè curare cupio. Exonerate quæso verecundiam meam quæ supplico facientes, méque rimantem amarar literarum radices, earum iam iocundissimis expleti fructibus, illo vestro facūdissimo eloquio incitate, quæ si meruero, tantorum beneficiorum gratia quoad vixero semper mihi habebitur. Nam quæ vos eorum à merito sit remuneratio secutura, non opus est dicere. Plurima scribenda in alia mens suggessit, sed vestrum ingenium meis ineptiis vltra remorari non debui, quod scio vel exterioribus occupatum vtilitatibus, vel circa intimas & abditas philosophiæ rationes iotentum.

D

#### *Ad eundem.*

### EPIST. II.

DEsiderātissimo præceptori Einhardo, Lupus. Molestissimo nuncio de excessu venerabilis vestræ coniugis æstuanti, plusquam vnquam vobis nunc optarem adesse, vt vestram mœstitiam vel mea cōpassione leuarem, vel concepto sensu ex diuinis eloquiis assiduo sermone solarer. Verum donec id Deus præstet etiam possibile suggero, vt memores humanæ cōditionis, quā merito peccati contraximus, modice sapientérque feraris quod accidit, Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta lætioris fortunæ forti semper animo deuicistis. Inuocato itaque Domino nunc illas tolerantiç vires expromite, ad quas charissimum quemlibet casu simili deprehensum probabiliter vocaretis, Opto vos valere fœliciter.

*Enchir diat Lupo suo Sal.*

EPIST. III.

OMnia mihi studia omnésque curas tam ad meas quam amicotum causas pertinentes eaemit & excussit dolos, quem ex morte olim fidissimæ cōiugis iam nunc chatissimæ sororis sociæ grauissimum cepi. Nee finiri posse videtut, qaoniam eatinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet vt inde penitus nō possit auelli. Huc accedit quod ipsum dolorem identidem accumulat, & vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt: Ac spes quas in martyrum meritis atque interuētione collocauimus, eapactationem nostram ex asse frustrata est. Inde euenit vt solantium verba, quæ aliorum mœstitiæ mederi solēt. plagam cordis nostri recrudesceta potius faciant atque rescindaut, cum me æquanimiter ferre iubent insottunii molestias, quas ipsi non sentiunt. Atque in eo censent mihi gratulandum in quo nullum gaudii vel lætitiæ valent demonstrare vestigium: quis ēst enim mortalium cui mens constet, quique sanum sapiat, quī sortem suam non defleat: & qui se infœlicem ac misertimum non iudicet cum in afflictione positus eum quē votis suis fauturum fore crediderat, auersum atque inexorabilem eaperitur? hæccine talia tibi vidétur vt suspiria, vt lachrymas homuncioni tantillo commouere, vt ipsum ad gemitum & planctum concitare: vt etiam in desperationis baratrum deiicere potuissent? Et vtiq; deiecissent nisi diuinæ miserationis ope suffultus, quid in huiusmodi causis aut casibus maiores ac meliores nostri tenendum seruandúmque sanxisseor, ad inquirendū subito me cōuertissem. Erant ad manū doctores egregii, nedum non spernendi, verùm omnimodis audiendi atque sequendi: gloriosus videlicet martyr Cyprianus, & illustrissimi diuinarum literarum expositores Augustinus atque Hieronymus. quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus, depressū graui mœrore cor sursum leuare conatus sum, cœpique mecum sedulo reputare, quid super excessu charissimæ contubernalis sentire deberem. Cuius mortalitatem magis quam vitam videbam esse finitam. Tentaui etiam si possem à memetipso eaigere, vt id ratione apud me fieret, quòd lōga dies solet efficere, scilicet vt vulnus quod animo nostro nondum sperata morte repentinus casus inflixit, cicatricem ducere, ac spontaneæ consolationis medicamanto sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit, & licet saluberrima sint quæ à memoratis doctoribus ad mitigandum grauem dolorem velut à peritissimis iisdémque mitissimis medicis offeruntur, plaga quæ adhuc sanguinem trahit sanandi maturitatem nondum admittit. Hic fortasse miraris ac dicis ea huiusmodi occasione natum dolorem tam longū ac diuturnum esse non debuisse, quasi in dolentis sit potestate quando id finiatur quod ille quando inciperet, neque in potestate habuit, neque præsciuit. Metiri tamē posse videtur doloris ac mœroris magnitudo siue diuturnitatis dictorū quæ acciderunt dānorum quāli[illegible]te, quæ ego cum quotidie in omni actione, in omni negotio, in tota domus ac familiæ administratione, in cūctis quæ ad diuinum vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis, immaniter sentiā, qui fieri potest vt vulnus quod tot ac tanta incōmoda intulit, cum crebrò tangitur, non recrudescat potius & renouetur, quàm sanescat aut solidetur? Arbitror enim nec vereor quod hæc opinio falsum me habeat hunc dolorem atque anxietatem quæ, mihi de charissimæ contubernalis occasione exorta est, perenniter mecum perseueraturam, donec id ipsum temporis spacium quod Dominus mihi ad hanc miseram & temporalem vitam concedere voluerit, debito sibi termino finiatur, quam tamen proficuam potius mihi quam noxiā hactenus experior,

A cum animum ad læta & prospera festinantem velut quibusdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentémque ad reuocationem pietatis reuocet, quā ad spem & amorem longæuitatis odium atque obliuio senectutis illeaerat. Video mihi non multum superesse temporis ad viuendum, licet quantum id esse debeat, mihi penitus ignoretur, sed hoc certissimum teneo, & recens natum citò posse mori, & senem diu non posse viuere. Ac proinde longe vtilius ac beatius fore censeo ipsam temporis incerti breuitatem cum luctu quam lætitia ducere, quia si secundum Dominicam vocem beati ac fœlices erunt qui lamentantur & lugent, Econtrario infœlices ac miseri fient qui dies suos in iugi & continua lætitia finire non metuunt: Gratias ago atque habeo B charitati tuæ, quod me per literas tuas consolati dignatus es, neque enim maius aut certius tuæ erga me dilectionis indicium dare potuisti quam ægro atque iacenti manum exhortationis porrigendo, monendóque vt surgerem, quem mente prostratum ac mœtore depressum ignorare non poteras. Bene vale charissime ac desiderantissime fili.

*Ad Einhardum.*

EPIST. IV.

EPistolam vestræ dignationis calamitatem quæ dudum vobis contigit grauiter querentem, haudquaquam C mediocriter cōmotamente perlegi, confectumque vēstrum animum tam diuturni mœroris anxietate vehementer indolui: & quamuis qui me longè præstent, amicorum solatia tentauerint, hunc tantum leuare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint vt literis vestris satis eminet quod ipsi casus vestri considerationem non satis ad se admiserunt, eo vsque vt eorum quidam super excéssu gratissimæ quondam vxoris gratulandum monerent, quod vt opinor nihil ad consolationem pertinet non tam ætatis leuitate & ingenii quod exiguum sentio confidentia, quam pro erga vos amoris magnitudine hæc rursum qualiacumque sint in vestri solatium non sum veritus cudere. Siquidem conscius mihi sum intimum me nobilissimæ illius fœminæ morte cum vestra, tum etiam ipsius vice traxisse dolorem, quem atrociter exaspetantē vestræ literæ fateor recrudescere coēD gerunt: vnda nequaquam desperauerim quod alius necdum sit datū mihi vt aliquod solatium vobis persuadere possim à Domino reseruatum. Vilibus plerumque remedium queritur quod preciosissimis & artis vigilātissima cōpositis diligentia frustra diu tentatum est: itaque firmamentū iusti vt vobis videtur doloris vestri duas in partes epistolas mihi reddēdo diuisistis, earū prima quæ & vel maxima illa est, quod vota vestra & spes quam in Sanctorū martyrum intercessione locaueratis, vos velut irrita resellerunt. Altera quæ proaimè primā accedit, quod sinistar ille casus quantum vobis importauerit incommodi quotidianis metiri negotiis cogimini, dum vos onus domesticarū diuinarūq; rerū quod illius memorabilis fœminæ fide societas leue fecerat, vestris ex toto impositū ac relictū ceruicibus obruit. Reuera valiE da vtraq; res, & quæ prætes sapientem qui aduarsa quoque modice ferre didicerit, facile quēlibet sua mole possit opprimere. Ac primo quidē quam proposui pariter conabor nō subuertere ac penitus auferre quod prorsus impossibila perfectis etiā oratoribus si essét video, multo magis mihi, sed tenuare imbecillémq; inspectu rationis efficere. Certè hinc mouemini, certè hinc afficimini quod vos cassa vota frustrata sint, at spes in martyribus immo in Domino sita illuserit, quasi verò id vobis omnimodo cōstet quod tātopere popóscistis vestræ vxorisque saluti cōducere: quod sanè si vobis satis exploratū fuisset, acrioris iustiq; doloris ingēs esse videbatur fomes dū nos non quasi filiū corriperet, sed veluti in aduersarium diuina censura dasæuisset, attamen sic quoque non desperationis

desperarionis baratrum subeundum, sed diuinitatis infensa precibus assiduis ac summissa fuerat flectenda patientia Nunc autem cum Deus omnes homines saluos velit fieri, ac in nomine ipsius qui Saluator dicitur, nemo postulet nisi qui propriæ saluti proficua flagitarit, cumque vos in nomine Saluatoris plena fide petieritis, quis non opinetur non exauditos quidem vos ad temporale votum, exauditos autem ad perpetuam salutem? ego planè firmissimè crediderim & vobis, & vxori eius etiam immaturo excessu cõsultum. quæritis quemadmodum, nempe quod coniuges ex duobus corporibus in vnam redacti compagem licet concordissimè vixerint, nõ vno leto resoluuntur, & quantum ad vsitatum naturæ pertinet ordinem, necesse est vnum alteri superesse. Hinc iã vestra prudentia intelligit quando sententia in hominẽ diuinitus emissa, terra es & in terram ibis; differri B aliquantulum potest, in perpetuum autem vitari non potest fidis optandum coniugibus, cùm vter eorum remansurus sit eum fore superstitem qui sit & ad calamitatem ferendã robustior, & ad iusta de more Christiano curanda magis idoneus: non enim sexu differentia virtutis, sed animo capienda est: alioqui non video religiosi coniuges, quemadmodum sibi sincero amore deuincti sint, cum hæc ita se habere indubitata ratio persuadeat. planum igitur est verisimile esse non illi fœminæ venerabili solum, sed etiam vobis à Deo magnum quiddam præstitum, dum quod vobis eligendũ fuerat, ipse vltro ingesserit, quamquam occulto minimè tamẽ iniusto iudicio. Certè illa etsi ex vestro consortio multa didicerat, ita vt non sui sexus modo, verumetiam turbã virorum sua insigni prudentia, grauitate, atque hone- C state, quæ res magnam vitæ humanæ tribuunt dignitatem, longè superaret. ac corpore fœmina, animo in virum profecerat. ad sapientiæ vestræ fastigium nunquam penitus aspirasset, nunquam tantum robur sempérque similem quam in vobis singulariter omnes mirantur constantiam vllis vnquam profectibus æquauisset, nunquam si superuixisset, tantum vestræ quantum vos & illius & vestræ perpetuæ saluti procurare potuisset. Ac per hoc quoniam dum in hoc fragili versamur corpore omni perturbationis ita vacare non possumus, quin aliquando aliqua ægritudinis molestia quatiamur, quod posse sapienti contingere philosophi putauerunt, hoc vobis euenire optẽ, vt casus aduersos vt primo aspectu apparet quibus vulgo inculta mortaliũ multitudo sub- D ruitur vestræ mentis sapientia sensim emolliat, immo diuinæ voluntati vestram contemperet. Deinde quia vitæ huius obscurissimas tenebras sermo diuinus irradiat, iuxta illud. Lucerna pedibus meis verbuum tuum, & lumen semitis meis, quomodo ipse formet eãdem vitam penitus intuendum est, nimirum in Dominica oratione quotidie dicimus Fiat voluntas tua, scilicet non nostra, quæ ignara rerũ sibi salubrium falli consuescit, sed tua quæ vt pote Dei futura prænoscit. Saluator quoque noster passione impendẽte cum dixisset, Pater si fieri potest trãseat à me calix iste asũpti hominis infirmitatem, immo membrorum suorum propter quod ad has preces descenderat imbecillitatem, sic diuina virtute consolidat, verumtamen nõ sicut ego volo sed sicut tu, scilicet fallere fallique nescius magister, quod Deus suo nos exemplo instituit vt cũ aduersa vrgerent, sic ea depellere precibus conatemur, vt in his etiam cõtra nostrum votum eius fieri voluntatem salubriter amplecteremur. Recolite quæso Paulum cuius tanta erat eminẽtia vt in tertiũ raptus cœlũ audierit arcana verba sanctæ Trinitatis, quæ non licet homini loqui, tamen Dominũ orasse quo ad se angelum Satanæ à quo tribulatur summoueret, nec obtinuisse quod voluit, sed quod profuit. Reuocate in memoriam Dauidem quatenus se pro impetranda filio vita macerarit, & certe cum tantus esset propheta ne responsum quidem diuinum tam immani confectus mœrore promeruit, quæcũque autem scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patien-



A tiam & consolationem scripturarũ spem habeamus. Ergo perpendite qualiter Dauid cassam precum suarum expertus instantiam consolationem ratione perceperit, ac iustitiæ Dei subiectus humiliter adquieuerit. Non estis tam fundatæ fortitudinis quod præfato dictum est Apostolo vobis responsum accipite: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Siquidẽ & ipse mœrorem scriptæ orationis, si quis ei subortus fuerat, hoc admonitus oraculo aliud oportere deposuit, huiusmodi præceptis & exemplis sacræ scripturæ cãpus exuberat; quæ quoniã vt insignis ait poeta: *Nõ canimus surdis*, epistolarisq; coartat angustia præteriens vobis cõsideranda relinquo. Suffecerit hæc tantum tetigisse, quæ sola recepta vulneris huius tumorem, quãtum mea fert opinio, mulcere atq; lenire, largiente Domino, poterũt, B Quamquam mihi multa voluenti aliud etiam occurrat quod hoc Dei iudicium clementiæ quam iracundiæ videri possit certissimũ documentũ. Namq; flagellat omnem filiũ quem recipit. Affectum vestrum in vxoris amore fortitan subdiuisum non passus, putari potest ad se solum amandum reuocauisse, ac si quid eius corpori intemperanter diligendo plus iusto à vobis indultũ fuerat, eiusdẽ corporis subtractione punisse. Cumque per Prophetã loquitur, Non consurget duplex tribulatio, quod lxx. interpretum sic expressit trãslatio, Non iudicet Dominus bis in idipsũ: hic emendare dignatus est, quod vt homo excessistis, nemo. n. mundus à sorde, ne quid grauius in vos quandoq; decerneret. Quare Dei amplecti debetis immensam pietatem qui vos sua dignos iudicauerit correctione, quã offensam metuere disciplinæ il- C lius verbera sustinentes, fili, inquit, Salomõ noli deficere à disciplina Domini, & ne fatigeris cum ab eo argueris: quẽ. n. Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Denique quorum istic peccata non visitat, quósq; florere pro voto permittit, in hos post mortẽ idẽtidem desæuit. De talibus in psalmis legimus, In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabũtur. Et in Iob: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Præterea hoc mihi subiicit mens voluisse Dominum rebus ipsis vos experiri quàm sit infœlia, qui in perpetuũ abiungatur ab ipso, in quo est perpetua & vera delectatio, si tam immaniter afficiat licet fidissimi atque charissimi tamen hominis momentanea separatio. cum hæc verisimilia esse videantur, abolete D quæso quantũ potestis de qua sermo habetur mœrorẽ, & cum Iob dicite: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum, & cum Apostolo: In Dei spatiamini laudibus dicentes, Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Restat pars altera suscepti negotii, quæ stringenda breuiter est, ne forte plura dicẽs, sim oneri qui gestiã esse solatio Hinc instaurari immo perseuerare doloris vulnus asseruistis quod duplicatus quotidie dispositionis labor quid boni perdideritis admoneat, ac propterea nec finiri posse videatur: Id esse verissimũ ipse concesserim, E illúdq; quod inter alia posuistis, non posse pro voluntate hominẽ dolori finem imponereq;, quẽ nec præsciat, nec imminentẽ queat effugere, vehemẽter approbo satisq; catholicè dictũ intueor. Non est. n in potestate hominũ via eius, sed à Domino gressus hominum diriguntur, & humani libertas arbitrii eget omnimodo auxilio gratiæ Dei, sed planè quæ facta sunt, infecta esse non possunt, nec dolor reuocare valet semel præterita, nec est in homine vnde à seipso petat auxilium. Quocirca deprehẽsi quibuslibet angustiis, quo verius nos sentimus fragiliores, hoc oportet celeriꝰ ad diuinæ miserationis subsidiũ velut ad portũ tutissimũ confugiamus, elegantérq; illud dictũ est: Necesse est adesse diuinũ, vbi humanum cessat auxiliũ, nec lõgus dũ modo conemus terẽdus est labor: nã qui ad se hoc modo vocat, Venite ad me qui laboratis, nitẽtes adiuuat, ad se peruenientes informat, in se per-

manẽtes proculdubio coronat. Quare quod dixistis memoratum dolorem quo ad viueretis mansurum vobiscum, expressit hoc à vobis sentio coocreta longo vsu magnitudo amoris, sed in ea vos obstinatione animum relinquere quantum audeo dehortor, siquidem & illi *deberter.* cuius causa emersit, nihil immoderarum proderit, & vobis multum nisi deponatur, officiet: quinimmo totum vos curandum sanandúmque Domino permittite, cui est perfacile, quod nostra natura difficillimum iudicat; nam quis sperauit in Domino & deceptus est? obsecro totum cor vestrum ad rogandum Domioum effundite, præstare vult qui se vt rogetur, admonuit, petite & accipietis. Petite vt ipse vobis affectum iospiret rogandi, & effectum ipse rribuat impetrandi. Dicite quod clarissimus idémque suauissimus auctor August. Da quod iubes, & iube quod vis, siquidem sua nos Deus graria vt velle ac posse aliquid boni queamus, & præuenit & subsequitur. Quod euideoter in Psalmis didicimus vbi scriptum est: Deus meus, misericordia eius præueniet me vtique, & misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Adquiescire spiritui sancto per Dauid moniti: Iacta in Domino curam tuam & ipse te eńutriet, ac Domino fiducialiter dicite: Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me; & cum Apostolo iam exultantes in Domini laudibus ingeminare poteritis; Omnia possum in eo qui me confortat. Tsistitia enim sæculi mortem operatur, haud dubium quin spiritualem, sed & corporalem, vt optimè nostis, sæpe consciscit: quamobtem ærumnis vitiorum, quibus premimur contristemur, & ab eorum falsa dulcedine, quãta possumus amaritudiue separari nitamur, ac huius incolatum vitæ, in qua sine querela non viuitur, modestè feramus, cæterum veoiam à Deo eapectantes, in eo plena fide lætemur. Denique illud quod in Euangelio promittitur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, non de iis qui lugent de amissione charorum & tẽposalium commodorum, verùm de illis qui mœrent initio feiúcti à mortifera vitiorum delectatione, donec virtutibus spiritus sancti gratia cõsolationem recipiant, vel de his, qui propter sua proximorum-ve peccata, salubriter affliguntur, propter quod illius fœlicis vitæ dilationem, cui votis omnibus suspiramus, rectissimè intelligitur. Proinde petentes quondam vaoti refrigeriũ sempiternum, quæ mortem, vt credimus, non incurrit, sed cauit: vobis patientiam, & in bonis actibus perseuerantiam atque profectum postulate à Domino Deo vestro, & dicto citius coosolationem vestro infundet pectori. Ita vt audiatis Apostolum cohortantem: Gaudete io Domino semper, iterum dico gaudete. Ego sane quod dignati estis vestros æstus mecum communicare attentius, & pro illa & pro vobis supplicare conabor. Credo quamuis oon meo merito, vestra tamen Dominum humilitate placandum, qui absque respectu vestræ magnitudinis, cum mea paruitate conferre tam seria nõ horruistis. Ostendi, vt potui, & humana ratiocinatione, & diuinis auctoritatibus, noo vos exauditos ad votum patienter fereodom, dolorisque vulnus, quod irremediabile videbatur, quemadmodum mitigari posset, vestræ prudentiæ ac solitæ dignationis erit, quæ pia iotẽtione non docendi, sed commemorandi causa profusa suot, æque pia meote lectitare, & si qua in his capi possit vtilitas, pro iure amicitiæ vestram deputare. Libellum de adoranda cruce meo iudicio vtilissimum quẽ meo oomini dedicastis, vt par fuit, amplexus sum. Atque vtinam morem mihi gerentes, sic omnia quæcumque ab initio enodanda vobis misi, vel hoc anno reliqui, aperire non grauaremini, profectò oon mihi solũ, sed multis videtur hic labor prodesse. Tamen & pro hoc quod nunc mihi nec opinanti misistis, & pro aliis quibus à vobis institutus iam antea sum maximas agens habénsque gratias, quid Deus vestræ indulgentissimæ dignetur inspirare pietati sollicitus præstolabor. Medio Maio vita comite hinc recedere decreui, quo tempore, Domioo volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, & aliquot apud vos dies facturus, vt & libros vestros vobis restituam, & quibus indiguero discam, fruárque aliquãdiu vestro suauissimo alloquio, atque informer mihi gratissimo vestræ grauitatis & honestatis eaẽplo: nam me hoc tempore discessurum inanis vobis fama mentita est, quod etsi, quod penitus nolo, contingeret, sic quoque ad vos sine dubio properarem. Tantus enim mihi vestri amor incumbit, vt nullatenus vobis iosalutatis, sanctorumque martyrum neglecto patrocinio ad patriam remearẽ. Cupio te mei memorem bene valere in Domino, prosperisque pollere successibus, Domine desiderantissime pater & de me optime per omnia merite.

*Ad eundem.*

## EPIST. V.

Fidissimo patri Eiohardo Lupus salutem dicit. Memoriam vos habere mei quam gratum habeam, nequaquam facilè dictu est, præsertim cùm emineotiæ vestræ sublimitas eousque se submiserit, vt vltroneæ salutationis muous ac vitæ meruerim, quamuis optauessim vestris refici litteris, quantumque iam æstus rei notæ deferbuerit discere, atque si vobis hinc à paruitate mea quicquam persuaderi potuerit. Ego certè quemadmodum pollicitus sum, & pro illius charissimæ sempiterno refrigerio specialiter ac quotidie Dominum supplico; & quod vobis vel in præseoti, vel futura vita conducibile credo, vigilanti perseuerantia postulare non desino. Proficiam ne aliquid vos forsitan sentiatis, haud quaquam tantum dubitauerim harum fructum petitionum io diuina miseratione reponere, ac licet serum, quantum ad voti spectat impatientiam, maturum tamen propter illius Iustitiæ pondus sine dubio præstolari. Obsecro autem legite libri Sancti Augustini de ciuitate Dei 21. Titulum 27. & videte si non his quæ scripsi patia de eadẽ calamitate, vir ille diuini ingenii seoserit, quæ planè nunquam ante legeram, sed cùm postea ea percurrissem, admodum miratus sum mea tam similia seosu fuisse, vt ab his colorem traxisse penitus viderentur. Cæterum profectionis in patriam, ac per hoc ad vos tempus aliquantum producere coactus sum. *Marcuuardo.* Namque venerabili viro Marcuuado, per quem mea reuersio administranda est, cum in Italiam legatus mitteretur, ac me prius ad suum colloquium vt amicissimũ euocauisset, mihi constat, vt hinc die qua significaueram vobis recedens sanctitatem vestram petere debuissem. Verùm illustris Abbas Rhabanos postmodum regressus à palatio foret, necne per id temporis istic propter legationem sibi commissam ad liquidum scire non potuit, atque ob eam rem hortatus est, vt reditum meum ad Nou. Iun. differrem, quando solemnitas sancti Bonifacii se abesse minime sineret, nisi fortè ipsi quoque Imperialis iussionis, & ea quam grauissima præiudicaret auctoritas. Itaque, cùm suam post regressionem, Marcuuadus ea me quæsitum, quando potissimum reuerti *Marcuuardum.* vellem misisset memoratæ rei causa equos, huc adducendos vt pridie Non. Iun. curaret petii; quo Christo propitio 8. Idus eiusdem mensis iter ad vos possem arripere, quod ille si vita comes fuerit indubitáter implebit; quare certum diem quidem quo ad vos venturus sim eaprimere non audeo, sed intra eam hebdomadam quæ oon. Iun. cœperit omnino me venturum, Deo volente coofirmo. Atque vtinã eaoneratum omni curarum molestia vestrum reperire tunc merear animum, vt non vacet modo pro solita dignatione quæcumque amicalia videbuntur mecum cõferere, verum etiam vbi vel meum vel aliorum me deficit, vestrum adsit consultum ingenium, *assit.* cui quantum assurgam, quantumque deferam, quantum denique eo me vel adiutum, vel adiuuandum credam, vt adulationis morsum effugiam,

nolo

nolo amplius dicere, Deus viderit cuius idipsum gratiâ procurauit. Interim hæc quæ subieci, paterna qua me semper fouetis pietate, cõsiderase dignemini, vt ea præuisa mihi facilius, expediatis. In priori libro Arithmeticæ Boëtius, quarto capitulo, sic ponit: Quod autem dictum est secundum duorum generum contrarias passiones huiusmodi est, ab eo loco vsque ad hæc verba, quæ paucis interiectis subiiciuntur, Spatio est maxima paruissima quantitate, minus mihi quam velim clarum est in eodem libro 31. capitulo negat esse difficile diligẽtibus, præter quas ipse expresserit partes, multiplices super partientis secundùm mõstratum à se modum cæteras reperiri, quod si per vos plenè quod paolo præmisit superius intellexero, vbi ait: vocabunturque hi secũdum proprias partes duplex super bipartiens, & sequentia nimirum mihi non erit difficile. Idem autor eximius secundo eiusdem operis libro, Itemque secundo capitè, & vt ait, inquit Nicomachis inusitatum, siue, vt alibi reperi, Inusitatum theorema, proficiens &c. quæ verba Græca, quam habeant proprietatem nescio, si rectè acceperim. In eodem libro cap. 30. ab eo loco vbi scriptum est. Omnis quoque cubus qui ex tetragonorum superficie in profunditatem corporis creuit, vsque ad eum, Angulos vero 8. quorum singulis sub tribus eiusmodi continetur qualiter priorem fuere tetragoni vnde cubus ipse productus est, vt verbo ipsius loquar, figuram rei subtilis non assequor, & vt per vos eius intellectum capiam vehementer indigeo. In Victorij quoque calculum præuia Dei gratia, vestraque doctrina ingredi cupio, quinetiã in huiusmodi dictionibus, vt est asatrum, salubris, & similia quæ non modo positione, sed etiam natura penultimam videntur habere productam. Magna hæsitatio est in qua me adhuc laborare profiteor, vtrum nam naturæ seruiendum sit vt penultima vt est longa pronuntietur an propter illud quod Donatus ait, si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, vt Catulus, ita tamen si positione longa, non ex muta & liquida fuerit, nam mutabit accentum, vt pharetra in natura simul & tali positione productis, communis syllaba naturæ præiudicet, & accentus in antepenultimam transferatur. Namque nihil in auctoribus solidum adhuc reperire potui. vnde vter eorum sensus aut astrui aut abdicari mihi posse videatur. Erit igitur vestræ prudentiæ hanc ambiguitatem dirimere, & vtrum eorum aliquo documento fortissimo roborare, si quidem ad difficultatem quod certam hinc nullus reperio regulam, accedit etiam hoc quod in metro eiusmodi; vt est asatrum semper productam inuenio penultimam, cùm si in naturaliter quoque longis communis syllaba valeat, manifestum sit aratra nominatiuo, accusatiuo & vocatiuo pluralibus, per dactylum poni potuisse. Sunt & alia complura interroganda, quæ notata teneo, quæque commodius, si Deus, vosque permiseritis præsens disquiram, & obsecro per quam mihi pietatem gratuito semper exhibuistis, vt quoad veniam ad vos, quæ necessaria mihi scitis me vnde discam, nisi ex vobis restare, ex abditis vestræ memoriæ diligentius eruere, ac mihi iure charitatis & amicitiæ vltro aperire dignemini, vt semina in me vestri fingẽtes ingenii, frugẽ illius ad plusimos trãsmittatis. Præterea scriptor regius Bertcaudus, dicitur antiquarum literarum, dumtaxat earum quæ maximæ sunt & vnciales, à quibusdam vocari existimantur habere mensuram descriptam, itaque si penes vos est, mittite mihi eam per hunc quæso pictorem, cum redierit, scedula tamen diligentissime, sigillo munita. A. Gellium misissem, nisi rursus illum Abbas renuisset, questus necdum sibi eum esse descriptum, scriptorum se tamen vobis dixit, quod præfatum librum vt mihi extorserit. Verum & illum & omnes cæteros, quibus vestra liberalitate fruor, per me, si Deus vult, vobis ipse restituet. Abdita in lege & maxime Græca nomina, & alia ex Seruio item Græca, quæ initio vobis direxi, saltem nunc etiam ne grauemini explanare. Valeas charissime præceptor & pater dulcissime, prosperisquè perpetuo successibus polleas.

*multiplicem* *singulas* *eiusmodi* *Grinam*



*Ad Reginbertum.*

## EPIST. VI.

CHarissimo & desiderantissimo Reginberto Lupus & Adalgus æternam Salutem. Grauiter in me Lupum, literæ tuæ inuectæ sunt. quod videlicet omni germanitate atque natura eousque mentem exuerim, vt infœlicitatem tuam saltem consolatoriis apicibus fastidissem leuire, quando alterius subsidii conferendi nulla copia prouenisset, vnde collegi literas meas nequaquã tibi redditas, per quas per Marcuuadum Abbatem à trans Rhenanis partibus ante hoc ferme trienniũ direxi, nec tamen illius incoria. Nam quod ipse cùm te minimè inuenisset, Gentili nostro Boduni, quem nobis fidum credebat, monstratas literas tibi tradendas reliquit, quod ille si compleuisset, cognouisses me fraterna pietate non tua modo penitus miseratum incommoda, sed etiam recuperandæ fortunæ iã tum consilium cogitasse. Verum omittamus ista quibus aut fraus, aut negligentia detraxit effectum, præsentia magis vrgent hilarioris fortunæ faciem tibi aliquantulum aperiri vtcumque gratulamur, nec eius indulgentia te abuti volumus, sed omnem illios fructum in tua tuorumque vtilitate collocare. Id quemadmodum facere debes, melius intelliges, si tibi quæ nostra sunt innotescaot, Superiore anno annitentibus amicis in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab eo atque Regina benignè omnino exceptus, & nunc hoc est 10. Kal. Octubr. Indictione prima ad Palatium Regina quàm plurimum valet euocante promoueo, multique existimant fore vt citò mihi gradus dignitatis aliquis conferatur. Quod si diuina exuberante gratia euenerit, non dubites illico te accersendum, vt vna permissu Imperatoris degentes, communiom studiorum exercitatione iucũdissima perfruamur. Sin autem spes nostras euentus eluserit, rescribe, an velis me per amicos vt ab Imperatore locus tibi quidem reddatur in monasterio tuo, apud me autem studendi gratia quatenus vterque nostrum voluerit conferatur. Cùm hæc ita se habeãt, hortor ne diuinæ scripturæ nulla tibi fuerit cura, cuius & vsus frequens est & cognitio salutaris, atque illud quæso præcipue vt in mẽte habeas, firmaque semper memoria complectaris, Memẽto creatoris tui in diebus iuuentutis tuę, & sequẽtia. Librum quem flagitasti, misissem, nisi lator defuisset idoneus, verùm & illum & omnes quotquot diuinitus accepero, tecum si vita comes fuerit, communicase desidero, tuaque non minus quam mea commoda indesinẽter curabo, siquidem puerilia iam deposui, tenet animũ causarum amor vtilium. Ad quæ deprehendenda plurimum me adiuuat optime de nobis meriti Adalgi germani nostri confiteor instantia, cuius nomine huius etiam epistolæ vestibulum illustraui.

*marcuuardum,* *agitasse* *innotescant.*

*Ad Eundem.*

## EPIST. VII.

AEquum ne fuisse putas cùm te mearum rerum fidissimum fecissem custodem, si me tuarum exortem diu manere parerer? cæterùm quanta me tui cura possideat, nedum tu, nemo dubitauerit, si sospitatem nobis & quam animo præcipio facultatẽ Deus suffecerit, namque quod scripsi non eo te modo quo disposueras apud me nunc posse studere, cùm ad me veneris & nostra quæ literis comprehendi nõ possunt cognoueris, tui comprobabit prudentia, quamquam si nulla mei status peruenerit satius est, vt apprimè sis & in Virgiliana lectione, vt optime potes, proficias. Abundabis enim otio, meâque prona in te diligentia quàm temetipso vt

vis magistro non tam fructuose quàm laboriose proficias, Domino enim largiente, & possum & adesse tibi incredibiliter cupio, feci autē literas ad Auduinū & Ebrorum de tua reuersione, quàm visitationis adumbraui vocabulo, verum deliberatio nostra postquam veneris, manendum sedeundum ne tibi sit, facile inueniet: præsentiam tamen tuam kalendis Iulij, absque vlla retractatione mihi exhibe, quàm differri maximum non sinit quod impendet negotium. Bene Vale.

*Ad Adalgardum.*

## EPIST. VIII.

Singulariter vniceque dilecto Adalgardo Lupus in Domino salutem. Obsequutus voluntati tuæ, quáquam grauatè, literas has ipse formaui, quæ si breuiores quam voluisses vt erunt fuerint, tibi debebis imputare, quia me inextricabiliter implicitum, duo vno tempore eodemque angustissimo munera extorsisti. Sed nediu te morer in talibus, intelligendum reor quod Priscianus ait in aliis non rarissime, non absolute quibuslibet verbis scilicet vnde illi sermo erat anomalis: namque quod alia penultimam primæ & secundæ personæ producant, Seruius auctor est, qui in eo versu vbi Virgilius sistolen fecit his verbis: *Egerimus nosti & nimium meminisse necesse* est. r. inquit metri necessitate corripuit. Item Iuuencus. *Nesciatis cambus dederitis néue velitis*, licet quidam præteritum perfectum subiunctiui & futurum differre scribant. Rarissime autem id fieri in aliis anomalis, propter voluerimus, ritis, ædderimus, ritis, & si qua sút cætera huiusmodi, vt mea fert opinio, expressit; quorum penultimas incunctanter producimus. Doceberis per e. penultimam dicendum ipse Priscianus astruit, qui si cum in actiuo, sic etiam in passiuo præsentis temporis declinationem dicitur docere, aliorum temporum declinationem absque perfecto, & his qui ea eo nascuntur quæ fit, inquit, secundum vnamquamque ex tribus coniugationibus. Ergo sicut præsens tertiæ coniugationis passiuum ab actiuo fit, interposita, r, tantum vt ipse vigilanter admonuit in, e, mutata, hoc est legeris, non legeris, eo modo, quia docebo seruat deductionem tertiæ coniugationis doceberis, actiui conuertit in e. Multa ex hac & priore quæstione dici posse intelligo, sed epistolaris breuitas, ea me reticere compellit. Habeo verò tibi plurimas gratias quod in Macrobio corrigendo fraternum adhibuisti laborem, quanquam librum cuius mihi eainde folium duexisti, præoptarem videre, est enim reuera venerabilis & exactissimæ diligentiæ. Nec minus tibi gratulor pro commento Boetii, nescio tamen adhuc an totum hic contineatur, aut si tuum sit, aut si cum alio id contuleris: hunc autem recastigatum in perpetuum velim vt nihil mihi vnquam aut scribas, aut dicas ambiguum, quod tamen ipse compertum habeas, & in morem oraculorum Apollinis sententiam tuam aliqua obliquitate cófundas? siquidem neque vtrum liber Tusculanarum nobis esset scriptus, neque quid Agio ageret, neque quos libros inuenesis, neque quod me satis sollicitat, vtrum hoc secessu emolumentum sis aliquod assecutus, expressisti. Cæterum exercitus, & alii more tuo agunt, ne his noui aliquid accidit, nisi quod interuentu Bosonii & Frusm. & librum recepi, & in societatem obnitentibus omnibus sum admissus. Bene Vale.

*Ad Leotericum.*

## EPIST. IX.

Lupus Abbas dilecto suo Leoterico salutem. Moliminia hostium nostrorum, quæ literis nostris ex integro cognoscere concupisti, tam numero tam callida támque tumentia extiterunt, vt si plene exponerentur, libri magnitudinem vindicarent. Vnde factum est vt hac vice scriptori parcerem, tibi autem & quibusque beneuolis beneficii diuini seriem non quidem denegarem, sed in aliud tempus cómodius vt credo differrem; exitum tamen non tacui propter quem & mihi & omnibus mei studiosis ingentes Deo sunt gratiæ, & habendæ & referendæ. Gulchardo si cognoscendæ veritatis desiderio opus nostrum expetit arbitror non negandum, cauendum tamen prudenter nedum prætendit discendi desiderium, nocendi aditum subdola mente rimetur. Bene Vale.

*Ad Marcuuadum Abbatem Prumiensem.*

## EPIST. X.

Literarum vestrarum non aliam quàm fuit esse decebat sententiam, cum olim tantus nos charitatis feruor affecerit, vt eius refrigerandi ne parua quidé remanere posset suspicio. Res quá secreto paruitati meæ significastis, quam grata sit, æquis oculis, vt puto, Deus aspicit, & vobis ab eo qui pertulit fideliter exponetur. Gratias liberalitati vestræ super muneribus mihi & fratribus missis artificiose non ego referre cùm pro comperto teneatis, quod sicut vestram beneuolentiam in nos singulariter experti sumus, ita priuatam quandam eius dignitaté animo speculemus. Cæterum vt ea quæ monuistis in me Deus operetur, vestrum erit assiduis orationibus impetrare, scilicet vt qui nostri vobis infudit curam, profectus concedat audire lætitiam. Quid super Suetonio Tranquillo, & Iosepho à vobis fieri optem, demonstrabit Eigil nostrarum rerum fidus interpres. Salutate omnes fratres ex nostra paruitate, specialiterque Gerungum, Falcoldum, & Ausboldum & vt nostri benigne meminerint dignamini postulare.

*Ad Lotharium Regem pro Cella Sancti Iudoci.*

## EPIST. XI.

Domine præcellentissime Auguste, nos fratres ex cœnobio Ferrariensi, multis & maximis hoc anno pressi angustiis, erubescimus quòd totiens celsitudinis vestræ maiestatem inquietare compellimur: Tamen recordantes quod pro vobis fideliter orauimus & oramus, & promissionem adiutorii vestri tenentes, non desperamus nos impetraturos quod petimus. Cellam sancti Iudoci, quam magnus Carolus quoodam Alcuino ad eleemosyná exhibédam peregrinis commiserat, beatæ memoriæ pater vester, nobis ea ratione concessit, sicut edictú illius attestatur, vt quod eleemosynæ superesset in nostrum vsum cederet, hác per surreptionem Rhuodingus à vobis obtinuit, nobisque legitimam donationé patris vestri repetentibus imposterú crimen inurit, vnde petimus vt inspecto edicto patris vestri, pro reuerentia beati Petri & beatæ Mariæ & Pauli, apud quos communem Dominum pro vobis exoramus, sic hoc negotium terminare dignemini, vt non solum inuasor cellæ illius in præsenti iuste redarguatur, verum etiam posteris calumniandi nobis occasio auferatur. Nam & si Dominus noster pater quondam vester hoc nobis munus non concessisset, tam intente pro vobis & laborauimus & laboramus, vt si eandem cellam aut amplius quid à vestra excellentia peteremus, non esse nobis negandum vnanimiter confidamus, Ipse autem Deus inspiret prudentiæ vestræ, vt sicut hoc scandalum vestro tempore cœpit, ita etiam per vos firmissimum finem accipiat, vt hoc beneficio & nos & posteri nostri pro vobis, & filiis vestris nitamur eum attentius implorare, vosque sic tribuat imperare in terris, vt æternum regnum possideatis in cœlis.

Ad

*Ad Pardulum Episcopum Laudunensem.*

## EPIST. XII.

CLarissimo præsuli Pardulo Lupus plurimam salutem. Cùm repeto memoria intimos vos esse regi, nihil miror quando ad fidei vestræ meritum & sine inuidia sapientiæ metior priuilegium, immò gaudeo plarimum, quod iacentes res Ecclesiasticas, credo vestra industria subleuandas. Proinde fiducia familiaritatis hortor & moneo, ne præceptam à Deo gratiam negligatis. Talentum enim vt optime nostis cum vsura restitaendum à Domino accepistis. Ecce quanta vobis lucrandi vltro coufertur occasio. Monachi sanctæ Columbæ, priuilegio & antiquorum & præsentium muniti episcoporum, Regumque & Imperatorum, & priscis & recentibus instructi edictis, spem recuperationis aliqaam nacti pietatis regiæ portum petuut, vbi tutum perfugium vestra intercessione cupiunt inuenire. Dignamini quæso legere quæ ferunt, & vt à rege clementer audiantur efficere, & prudentiæ vestræ laudabili acumine ne grauemini aperire; ii qui ante eum fœliciter regnauerunt, quam proficuum sibi & patriæ iudicaueruut si Dei seruis postulata concederent; ferte opem Iodigentibas, præstate refrigerium laborantibus, fit vestrum memoriale saltem aliquorum Dei seruorum instaurata libertas. Occupationum vestrarum ioruitu parcius rem fuggero, quam vestra mirabilis eapacitas effectu tanti boni sufficienter intellectam desiderantibus parefaciat. Benigne mei memores cupio vos valere fœliciter.

*Ad Ædilulfum Regem Anglorum.*

## EPIST. XIII.

AD laudem & gloriam Dei magnis laudibus efferendo Ædilulfo Regi, omnium seruorum Dei vltimus Lupus Abbas ex monasterio sancti Iudoci, præsentis temporis fœlicitatem & beatitudinis æternæ salutem. Qaoniam regiminis vestri opinionem bonam cognouimus, & vires vobis à Deo collatas contra inimicos Christi audiuimus: omnipotentem Deum, qui easdem vires tribuit precamur, vt contra omnes Christiani nominis hostes, vos insuperabiles faciat, qui potestate sua incomprehensibili, sed tamen iusta omnia semper dispensat. Verùm, qaia meam paruitatē vestra excellētia separat cōtinens, obsequēdo notus vobis fieri cupio, maxime postquā vestrū in Dei cultu feruorē ea Fœlice didici, qui epistolarum vestrarum officio fangebatur. Præcipite igitur quicquid possibile mihi creditis, & me in omnibus ad famulandum paratum inuenietis, sed vt vos ad promerendum Dominum excitemus, certandi vobis prioribus materiam ostendimas & in præsenti speciale & in futuro sæculo mercedē procuIdubio præbituram Ecclesiam in monasterio nostro, quod est à mari flaminibusve remotum, ac Bethlebem à conditore impositum nomen possidet, operire plumbo molimar post Dominum in honorē beati Petri, & omnium cæterorum Apostolorum consectatam. Caius operis si dignamini vos esse participes, precamur. Estote igitur in Dei honorem ad hoc perficiendum adiutores, non meriti nostri, sed respectu diuinæ mercedis, quia qui sine vestra largitione pro vobis intercessores sumus, alacriores erimus si vobis & nobis profuturum, ad animæ tantummodo remedium, munus acceperimus. Erimus tamen sicut ante significauimus in omne, quicquid nobis possibile iniunxeritis, parati. Omnipotens Deus ad propagationem, & conseruationem suæ fidei, vos & posteritatem vestram diutissime regionis vestræ faciat esse participes, & quandoqae sempiternæ beatitudinis hæredes.

*Ad Felicem Regium scribam.*

## EPIST. XIV.

DIlectissimo amico Felici Lupus abbas monasterii Ferrariensis, atque sancti Iudoci salutem. Licet aliquot anni fluxerint, ex quo nos inuicem, largiente Dei gratia, in monasterio Ferrariensi primo cognouimus, nec postea euenerit opportunitas, quod optaui vt familiariter loqueremur, tamē quia in neutro nostrum feruor charitatis tepuit, precor vt apud laudabilē vestrum Ædilulfum mea petitio, vestra. nostra diligentia sortiatur effectum: siquidem recordatur quantæ illum liberalitatis prædicaueritis, per literas flagito vt quoniam statui ecclesiam beati Petri principis Apostolorum in monasterio Ferrariensi tegere plumbo, ad diuturnitatem contignationis vt ad augmentā bonorū suorum, ex eodem plūbi metallo ad memoratū opus quātum ei Deus inspirauerit, nobis dignetur largiri. Quod si exuberante Dei clementia, & vestra cooperāte industria obtinuero, vestræ rursum erit sollicitudinis, vt munificētiæ illius beneficium ad villam Stapulas prouehatur. Nos autem sicut & in literis præfato regi directis expressimus, & pro illo semper orare parati sumus & si quid possibile nobis iniunxerit, celeriter exequi. Cupio vos valere feliciter.

*Ad Leotaldum.*

## EPIST. XV.

LVpus Abbas Leotaldo suo salutem. Non eram nescius te id animo continere, quod literis expressisti, quoniam pæne omnia sunt mihi ac frequenter in oculis quibus modis beneuolētiæ germanus animus sit solitus respondere, vnde autem te certiorem fieri poposcisti indulgentia Dei, scias me pro tempore bene valere, meisque dispositionibus, quas iustitia semper condire cupio, nihil quod sciam obsistere: Quamobrem bono animo esto, & pro nostra communi salute hoc sancto tempore Instantius deprecare. Patrem patratum nomen esse gradus sacerdotalis existimo, cùm is qui eo fangeretur tantum venerationis a ciuibus mereretur, vt eorum pater factus diceretur, per quem ea fiebant, quæ in Seruio legis, vt hostes quos viribus superare moliebantur, prius religione terrerent.

*Ad Orsmarum Metropol. Turonum.*

## EPISTOL. XVI.

REuerendissimo Otmaro Metrop. Lupus in Domino salutem. Germani mei vestrique fidissimi relatione postquam mihi vestra opinio innotuit, miro semper ardeo desiderio experiri, quod illius diligentia delectabiliter prælibaui, maximasque sanctitati vestræ ago & habeo gratias, quod vltro certare beneficiis nō fastidistis, memoratum fratrem, episcopaliter excipiēdo, & benigne fouendo: paruitatem vero meam ad vestrum amorem sincerissimo affectu inuitando, quod an pura mente depromam facile vestra prudentia colliget, si facultatem demonstrandi diuina vnquam gratia, nactus fuero. Interim quod iam dicimus, quantum de vobis præsumere debeamus impendio supplicamus, vt commentarios Boëtii in topica Ciceronis, quos in chartario codice, siue vt emendatius aliis dicendum videtur, chartinatio, Amalricus in armario sācti Martini habet, obtentos ab eo nobis per hūc quem ob hoc direximus, nuntium dirigatis. Monemusqae vt cùm quilibet quæsierit cuinam præfatum codicem commodaturi sitis, nostra nomina supprimentes, quod quibusdam propinquis vestris id magnopere flagitantibus velitis eum mittere respondeatis, Si autem per vos illum accipere meruerimus

mus, optime tractabimus & tempore oportuno remittemus, super vestra incolumitate, nobisque gratissima prosperitate literis nos certiores facere dignemini, & ne aliqua exparte ad vos frustra miserimus pariter procurare.

*Ad Iunctum.*

EPIST. XVII.

QVamquam vasta terrarum amplitudo diuersos nos secernat locis, tamen quia charitas illius, qui per fidem facit vnanimes habitare in domo Ecclesiæ, nos concordi sociat religione, æquum est, vt quæ dictante vtilitate vicissim vobis scribimus, germana reuerentia complectamur. Itaque frater vester post longos errores ad nos deuenit, delictique sui qualitatē simpliciter exposuit, quam literis cōprehendere otiosum iudicauimus, quando & rebus & verbis illius scire volentibus absque difficultate constabit. Cuius condolentes calamitati, & congratulantes conuersioni, sanctitati vestræ has tenuitatis nostræ literas destinandas decreuimus, quibus imploramus vt excessus illius vindictam nostræ deprecationi remittere non dedignemini, siquidem temeritatis suæ adeo dignom refert pretiū, vt si qui forte sint eius inimici, tantæ tam molestæ, tam denique infructuosæ peregrinationis illius exsaturari possint iniuria. Perdoctorum hominum adquiescens circumuentioni pene vsque ad vltimas Galliæ partes adductus est, omnique ope nudatus, inde ad vos magno cum rubore, vt videtis, reuertitur. Quocirca vestra clementia nostris flexa precibus, & culpam dignanter indulgeas, & pietatis gremium ei citius pœnitenti aperiat.

diuersos.]

*Quibusdam Fratribus ex monasterio sancti Amandi.*

EPIST. XVIII.

CHarissimis fratribus Lupus in Domino salutem. Curam vestri nec me cupide appetisse, nec insolenter excepisse vidistis, quod paruitatem meam duplici onere grauari, non prouehi facile sentiebam, & nunc eandem curam in promptu est conijcere, me libenter deponere, nec alicui eam gerenti aliquatenus inuidere: siquidem & sine dolore amittuntur, quæ absque delectationis illecebra possidentur, & iuxta beatum Apostolum siue ex veritate, siue ex occasione Christus annuntietur & in hoc sane prouide videtur mihi obediendum vobis esse cui præcipitur, & ad generale placitum occurrendum quod in prædio quodam Parisiorum cui Bonogilo nomen est incipiet Kal. Iulii celebrari, sacris enim regis edictis obniti præsertim, hoc tempore periculosum existimo, e aiguitatē vero meam si vita comes fuerit, absque difficultate in conuentu reperietis: quod si tardius quam voluissetis præsentes vobis redditæ fuerint literæ, noueritis vestras 9. kal. Iul. mihi fuisse allatas, & meas postridie eius diei traditas. Mei benigne memores cupio vos valere fœlicites.

*Ad Heriboldum Episcopum Antissiodori.*

EPIST. XIX.

EXcellentissimo præsoli Heriboldo Lupus. Quidam vestrum monachus, cui Ioanni nomen est, nobiscum in monasterio nostro versatur, propter quandam necessitatem à quodam fratre nostro vocatus, à me autem postea retentus, quod & nobis prodest, & in cœnobio eius, vt audiuimus, indigentia laboratur: quo congregari vndique fratres vos præcepisse comperiens, celsitudini vestræ hos direxi apices, postulans vt & hunc mihi aliquandiu concedatis, & quantum audeo suppliciter implorās, vt secundum ingenitam vobis benignitatem, & impositam officii diligentiam, loco illi consulatis, ne forte fratrum penuria, non solū bona vestra obscuret, verum etiam Dei nostri, ad cuius quotidie iudicium properamus, prouocet offensam, & irreuocabilem acceleret vindictam. Res ecclesiasticæ & animarum cura quanta cautela tractanda sint nec admonita vestra videt prudentia. Proinde & vobis, & illis fratribus consulite, vt & de vestra indulgentia, & de illorum subleuatione glorificetur Deus, qui singulis citò retribuet, quod merentur. Valeas Domine charissime, meique præcipue in sacris orationibus meminisse digneris.

*Ad Altuinum.*

EPIST. XX.

CHarissimo fratri Altuino Lupus plurimam salutē. Literæ sanctitatis tuæ 4. Kal. Maii mihi redditæ sunt, quarum sententia pronum in me tuum declarauit affectum, haud quaquam sane aliter, quam perceperam animo ac firmissime retinebam, namque cūm tam concorditer, tamque iucunde, ac forsan tam proficue aliquandiu peregre vixerimus, qui poterat amor tam longo vsu concretus labefactari? Infirmitatem verò quam contigisse mihi audisti, cognoscas exuberante circa me vt semper & in omnibus diuina gratia detrimenti nihil, at emolumenti plurimum addidisse, quippe nihil incōmodi propter formidinē solam tulit, orta enim in dextro inguine pustula, impendentem solùm minata est mortem. Tantam autem orationum peperit copiam, quacumque meum fama casum dissipauerat, vt opinari audeam cum diuino mihi beneficio procuratam. Regressus à trans Rhenanis partibus, vbi statim loci nostri deprehendi, morem gerere statui quibus debebam, & fauente Dei clementia, firmissima fruor quiete, otiumque meū est mihi pergratum conducibili lectionis negotio. Vides igitur nullos me itus moliri, ac reditus. Quo circa si tibi necessarium ducis meum colloquium, adultam æstatem propter pabuli penuriam præstoleris oportet, quando non impediente cura equorum facere nobiscum dies aliquot valeas. Interim quę ea me quæsisti, ea duntaxat quorum videor mihi attigisse notitiam, quàm possum breuiter absoluo. Communem syllabam ex muta & liquida fieri in eis solum, quæ per naturam breuia sunt, nequaquam dubitauerim. Primo quod natura pœne semper arti præiudicat. Deinde quod vt sentiam huiusmodi suadent pronunciationes, peccator creat ex se fœmininum peccatrix: amator amatrix: venator venatrix; multaque similia, in quibus penultima syllaba nullus vnquam dubitauit ponendum accētum. Nam si positionem sequeremur, fœmininum genus acuta antepenultima proferremus, quod quam sit absurdum, immo barbarum, quis non intelligat? Postremò quamquam natura produxerit, nullius poëtæ testimonio vsquam correpta reperio, quamquam diu sit quod id vigilanter quæsierim. Videtur ergo mihi & quibusdam doctis, eisdemque studiosissimis viris, qui mecum talia pensitarunt salubris, aratrum, & similia accentu penultimo indubitanter moderanda Bibliothecam, quemadmodum enuntiare debeamus, Martialis versu ostenditur.

cum procurat. tum statum;

quecunque.

*Quem mea non totum Bibliotheca capit.*

In versibus moralibus quos Alcuinus dicitur edidisse, statera sic posita est:

*Non tibi sit modius duplex, nec statera duplex.*

Blasphemus Græcum esse non dubitabit, nisi qui id per P & H. scribi parum attendit. Itaque Græcus quidam Græcos blasphemus dicere correpta penultima mihi constanter asseruit, & ipsum Einhardus noster astruxit. Tamen Aurelius Prudentius, qui apud plerosque vehementissime celebratur, id nomen sic posuit.

*--- Dimissor blasphemi Domini.*

Hinc

Hinc igitur longe lateque manauit vt blasphemos, & blasphemo accentum in penultima syllaba sortirentur. A Nundinas in Teodulfi carmine legi producta penultima, quod vtrum eius, an præceptorum auctoritate penes illum fides habeatur, loquelam & quetelam per vnum L. Capri orthographiam sequentes proferimus. Medelam vero sicus suadelā, absque retractatione diceremus, ni coniugationis similitudinem confunderet diuersitas generis, & omnium pene exemplarium non contemnenda repugnaret concordia. Quamobrem in medio relinquamus, nec temere nostrum permutemus vsum, quod si non sufficiunt quæ dixi, vel à nobis vel ab obnitentibus aliquid robustius inueniatur. Sistrum, musicum est instrumentum, quod Isis, vt scripsisti, manu gestare fingebatur, accessus & recessus Nili fluminis, eo significans, vnde Cleopatram Virgilius vt commentitiam eius potestatem sibi arrogasse solita subtilitate B aperiret,

*Patrio*, inquit *vocat agmina Sistro.*

Fialos correpta penultima ea causa dicimus quod fialæ dicuntur quia fiunt ex vitro, quod Græci Hialim appellant, Hialim autem habes in Virgilio:

*Carpebant Hialem saturo fucata colore.*

Item apud Martialem.

*Quid tibi cum fiala ligulam committere posses.*

De Cometis, qui visi sunt, timendum potius quàm disserendum videtur. Et quia de his nil vsquam diuina loquitur auctoritas, id opinari, immo metuere possumus, quod Gentiles illis apparentibus vsu deprehenderunt. Hi portendere Cometas pestilentiam, & famem, & bella tradiderunt. Hinc Mantuanus vates morte Cæsaris, C ac bellis ciuilibus imminentibus inter alia quæ ponit monstra:

*Nec diri* inquit, *toties arsere Cometæ.*

Iosephus quoque quod priusquam euerteretur Hierusalem, fuisse stellam in morem gladij per totum annum super eandem vrbem. Sed vt in spem aliquam adducamur, clementiora experiendi, refert Pompeius Trogus, Mithridatis regis futuram excellentiam cometâ præmonstratam: his verbis: Nam & eo quo genitus est anno, & eo quo regnare primùm cœpit, stella Cometes per vtrumque tempus septuaginta diebus ita eluxit, vt cœlum omne flagrare videretur, quartam cœli partem lonit occupauerat, & fulgoris sui radiis, nitorem solis vicerat, & cùm oreretur occumberetque, quatuor horarum spatium consumebat. Vidi ego prætetea hoc Aprili, D post mediam ferme noctem, stellam quandam sub obscuram, quæ sub Leone posita, radium ad spicam virginis vsque porrexerit, quam rem aliquot dies scrupulose obseruans, stellam eandem contemplatus sum: sed radium deinceps nō vidi: deinde ipsa quoque stella sublata est. Librum quem petisti, multi quibus non erat commodandus meum post reditum flagitarunt, quare ablegandum illum aliquo, ne perire contingeret; pæne statui, hunc à me cùm veneris forsitan impetrabis. Nam huic clerico etsi quòd tibi fidus est, hunc committi posse videbam, tamen non satis tuto quòd pedes erat, te ob aduertisse miratus sum. Cæterum vt me super episcopo nostro plenè certum non redderis, vali moleste, quoniam nullius me causæ quantum illius fatigant Iam vero pene stomachor, quoniam non scripsisti quid Probus E noster exerceat, scilicet vtrum in saltu Germanoræ, disciplinas liberales, vt serio dicere solitus erat, ordine curat. An certe inchoatam Satyram, quod magis existimo struans, Ciceronem & Virgilium, cæterosque opinione eius probatissimos viros, in electorum collegium admirat, ne frustra Dominus sanguinem suderit, & in inferno onum triuerit, si verum sit illud Propheticum; Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne. Vale charissime, & in amore nostro benigne perseuera: ex paruitate mea digneris salutare Præpositum, & congregationem vestram, & precari vt pro me, & patre meo, atque matre Dominum exorare dignentur.

*Ad Ionam Episcopum Aurelia.*

EPIST. XXI.

MOleste vos tulisse mearum literarum sententiam, non mediocriter mirari soleo, cum si ea paulo diligentius consideretur, non modò dignitati vestræ nihil derogaueris detogaueris, verum etiam demiseris plurimum, quando demiseris id quod nos magna cogebat facere necessitas, vt vestra pace posset fieri, exorauit. Tantum enim abest me vestram cogitasse iniuriā, vt sincera charitate optem gradum vestrum prædicationemque vos integritate vitæ semper æquare, nihilque mea prorsus apparere quod sanctitatis vestræ opinionē fuscare præualeat; hinc fuit quod propinqui vestri Agij vobis exposui, quæ à multis culpaterur immodicam rapacitatem, vtque vestra id fecisse iactabatur voluntate, cùm à vobis deinceps compesceretur extra illam ea omnia gessisse inspicere volētibus emineret, & quāquam frustra prioris iacturæ querelam omiserim, & de illa quam postmodum intulit impellentibus his qui maximo affecti fuerāt damno questus fuerim Domino nostro, atque ille vt ea in re lex cōseruaretur, se velle respondere persequi negotium, reuerentiæ vestræ consideratione destiti, hortantibus id clarissimo viro Eriboldo, & venerabili Fulcone, qui mallent me maximarum rerum quam amicitiæ vestræ dispendia sustinere: vt autem verè vobis confitear quòd cupiò vos episcopaliter accipere in vrbe vestra, & in villulis quas extrinsecus habebamus. Nec tantum quidem nobis relictum est vnde familia viueret atque fœnus acciperent; fuit autem nobis ibi non contemnenda vini & annonæ copia, salis quoque aliquantulum: quæ vendita & vestimentorum nobis præbitura erant solatia, & in expeditionibus, quæ hoc reipublicæ turbulento tempore exiguntur, quantulamcumque facultatem argenti, quarum rerum tantam nunc patior anxietatem, vt illud mihi solum occurrat dicendum: Tu es refugium meum à tribolatione quæ circundedit me. Hinc enim me fratrum vexat inopia, hinc impendendæ itineribus vehementer affligunt pecuniæ, & pæne omnibus rebus nostris impendendo vndique aut sublatis aut deuastatis, nusquam nisi in Dei affligit amicorumque suffragio auxilium valeo reperire. Ceterum de Abbate quondam nostro, falsa nescio quæ vobis relata esse audio, & ne apud vos ea vlterius præualeant, quæ super ea gesta sunt, quam verissime sanctitati vestræ significo, Dominus noster ne in monasterio nostro esse permitteretur iussit: Præfatus de eo talia quæ melius reticentur, id reuersus ad monasterium quam mollissime eidem abbati edixi, atque illi hominibus qui eum deducerent deputatis, equis, & vestimentis, & argento ad viaticum concessis, cum iussu Domini Regis secundo Kalendas Decembris promouerem constitui, vt intra 5. Non memorati mensis monasterio decederet, quod eo die ante Dominum Regem me venturum sperarem. Quod cum iuxta meam opinionem fecissem per solemnem exceptionem, quæsiuit quidnam de præfato abbate fecissem. Ego qui crederem sic eundem abbatem gessisse, vt nobis conuenerat, præceptum eius me super eo compleuisse respondi. Accepta igitur licentia cum pridie Idus Decembres monasterio propinquassem, cōperi sæpe dictum abbatem ibi adhuc morari. Hinc vehementer anxius quod aliter Domino nostro dixeram; aliter inueniebam, præmisi nocte qui ei honeste diceret, vt primo diluculo egrederetur, non esse honestum vt aut ego meum differrem ingressum, aut illum ibi contra Domini nostri præceptum inuenirem. Cumque ille mandasset se in crastinum exire disposuisse, ne aliquam inimicis calumniandi ansam relinquerem, remandaui me non ante ingressurum, quam ipse egrederetur. Ita ille cœnobium egressus est, permissis sibi omnibus, quæ illi ante largitus fuerā & nonnullis insuper attributis: quam rē aulicis familiaribus meis continuo significaui,

& oportunæ egomet Domino nostro exposui, & mendacia quæ inde fererentur declaraui, non aliter me facere debuisse eis concorditer visum est. Viderint qui alia inde sparserant, an perperam fecerint, ego certe simplicem in hac parte oculum habens, lucidum fore corpus meum diuina auctoritate confido. Opto vos valere fœliciter, & bonis omnibus abundare.

*Ad Lodouicum virum Clarissimum.*

## EPIST. XXII.

QVantum cum gaudeam successibus vestris prosperioribus, etiam si non scriberem facile possetis ex antiquo nostro amote colligere, illud forsitan iuste flagitauerim vt vestra celsitudo paruitatem meam non aspernetur, sed olim concessam notitiam condescensionemque retinete dignetur. Me vero nouerit in sui obsequium fideliter præparatum. Cæterum vestram opinantissimam flagito liberalitatem, vt duos nostros famulos à vestris fabris quos peritissimos vos habere longe lateque fama vulgauit, auri & argenti operibus erudiri iubeatis, vestro beneficio nobis & vicinis nostris plurimum profuturos, vnde ne nostra vota nimium differentur, si quod petimus obtinere meruerimus. Vnum eorum quos dirigere cupiunt, ea iam imbuendum arte procurauimus, aurum præterea quod hic frater noster apud vos deposuit, eidem iubete restitui, vt opere inspecto quid nobis agendum sit æstimare valeamus. Opto vos valere fœliciter, & virtutum in dies capere incrementum.

*Ad Eundem ex Odonis parte.*

## EPIST. XXIII.

CLarissimis honoribus merito decorato Ludouico vltimus Abbatum Odo & vniuersa Ferrariẽsis cœnobij vnanimitas plurimam salutem. Quotiens aliqua perturbationis vel necessitatis procella quatimur, ad beneuolentiæ vestræ portum securi confugimus, quæ omnibus ad bene faciendũ exposita, neminem repellit, qui sese opem petendo ingesserit. Verum ne vos in longum ducamus, meministis nobis Zachariam Abbatem hoc anno commissum, quando & vestra prudentia in tantum nobis fauit, vt pene non nobis, sed alijs commendaretur. Nunc idem Abbas Dominum Regem adit, quid ei potissimum agendum sit ab eo quæsiturus. Habeat igitur vestra insignis industria tenuitatis nostræ considerationem, & dignetur elaborare, vt vel ad locum vnde ad nos venit, vel ad alium quemlibet iam dirigatur, quia vt rem vobis vti est simpliciter fateamur, non mediocriter nos grauant expensæ, quæ illius hominibus tribuuntur, vnde per vos subleuari deposcimus vt sit, vnde alijs ad nos confluentibus, Hospitalitatis gratiam impendere valeamus.

*Ad Eundem.*

## EPIST. XXIV.

SVmmis honoribus dignissimo Ludouico, Odo Abbatum vltimus plurimam in Domino salutem Affectum vestræ beneuolentiæ pronum in paruitatem meã luce clarius peruidens, ago multiplices gratias, Dominumque fore pietati vestræ retributorem exopto. Ipse autem paratus sum, si quid iubere vestra dignetur excellentia, fideliter obtemperare. Cæterum impellit me necessitas iterum vestri adiutorij patrocinium suppliciter implorare; namque postquam vobis auxiliantibus impertata licentia ab expeditione Aquitanica grauatus infirmitate, redij, eadem pene semper attritus, necdum reualui, coactus ne cum alijs ad conductum occurrerem

A placitum prohibuit. Misi tamen homines nostros vna cum Comite pagi, qui expeditionis officia more solito exequerentur. Vestram igitur supplicamus pietatem vt nos offensæ metu leuate dignemini, siquidem quamquam ad obsequendũ cum alijs paratissimam haberem voluntatem imbecillitati taman obuiare non potui.

*Ad eundem.*

## EPIST. XXV.

OMni reuerentiæ apice suspiciendo viro clarissimo Ludouico, Lupus omnium Abbatum vltimus, & vniuersa Ferrariensis cœnobij societas in Domino salutem. B Non sumus nescij multarum maximarumque causarum vndique confluentium vos molibus opprimi, eisque componendis vix tempora ipsa sufficere, sed vestræ pietati eousque confidimus, vt apud vos nostris rebus locum semper patere credamus, explicari autem vix potest quam simus parati vestræ voluntati, si quid iubere dignemini obtemperare, & condignis excellentiam vestram obsequiis prosequi, interim quod valemus deuotissimas preces Domino Deo nostro pro vestra salute atque prosperitate quam & nostram dicimus indesinenter dependimus. Vos autem accipite iterum petitionem nostram, & vt effectum obtineat quæsumus dignaretet instare, homines nostri toto hoc fere biennio aut nobiscum aut soli generalis expeditionis difficultatibus fatigati censu rei familiaris, in huiusmodi seruitio C effuso onere paupertatis grauantur. Subueniat itaque illis vestra insignis clementia, & si possit fieri, licentiam domum reuertendi obtineant, vt possint paululum respirare atque futuri seruitij rursus impendia præparare. Cæterum fama versatur inter nos, clericos palatij, diuersorum cœnobiorum sibi dominium optare, atque poscere quibus nulla sit alia cura, nisi vt suæ auaritiæ, oppressione seruorũ Dei satisfaciant, vnde in hac parte supplicamus vestram nobis vigilare prudentiam, vt tenuitas nostra per vos esse valeat tuta. Nãque quia haud procul à nobis educati estis apud nos quoque fuistis, qualitas monasterij nostri vos minime latet, vbi præter studium religionis, quæ sibi nomen inter alia cœnobia vindicauit, non est quod expetendum sit ei qui se magni facit, nisi forte tam sacrilegus quis inueniatur, qui stipe- D dia Domino seruientium, in suos audeat vsus conuertere, & eorum inopiam suam luxuriam facere. Ergo vestra industria hinc quoque nobis prospiciat vt per vos accepta securitate liberius pro vobis Domino supplicemus.

*Marcuuado Abbati & Sichardo Prumiensi.*

## EPIST. XXVI.

REuerentissimis atque charissimis patribus Marcuuado & Sichardo Lupus sempiternam salutẽ. Ho- E minibus vestris qui ad vos proficiscebantur, opportunitatem scribendi nobis vltro ingerentibus, officium nequaquam neglеximus literarum, vestramque sanctitatem precamur, vt vicissim quàm potestis celerius nobis literas dirigatis vestræ sospitatis qualitatem modumque prosperitatis continentes. Nos autem in quodam meditullio positi fluctuamus incerti, dum deprehendere non valemus quinam potissimum regionem nostram sibi debeat vindicare. Namque sicut relatio vestrorum hominum declarauit, varia hinc fertur opinio: Tamen suppliciter vestram poscimus paternitatem, vt si consensus omnium in Lotharium pronior fuerit, & apud eum sicut optamus vt credimus diuina vobis locum ad seruorum Dei vtilitatem concesserit clementia, memores

mores nostri esse non dedignemini, & perversorum improbitatem ne pigeat vos quantum potestis à nostra paruitate, opitulante Dei gratia, propulsare. Optamus vos bene valere, & lætioribus in dies augeri successibus.

*Ad Ionam Episcopum Aurelianensem.*

## EPIST. XXVII.

Reuerendissimo præsuli Ionæ Lupus æternam in Domino salutem. Librum vestrum sicut rogastis excurrimus, sed vt parcissime dicamus, in eo mutare nihil voluimus, vt operis vestri sitis ipsi correctores, cuius estis auctores: siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostræ ratio, & ætatis ac ordinis vestri habenda consideratio, nec facilitatem ac delectationem quandam reprehendendi quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari.

*Ad eundem.*

## EPIST. XXVIII.

Reuerendissimo Ionæ Episcopo opto perpetuam salutem. Pridie, hoc est, iiij. Idus Augustas, post horam nonam homines nostri ab expeditione Aquitanica reuersi, cuncta prospera retulerunt. Namque Aquitaniæ tutela tripartito diuisa est secundum opportunitatem locorum, militarium virorum multitudine distributa, quarum vni parti, quæ apud Clarum montem agit, præest, Modoinus Augustodunensium Episcopus, & Autbertus Auallensium Comes cum aliis quibusdam, alteri quæ Lemouicis versatur præsidet Gerardus princeps quondam & charus Pipini Regis, cum sociis ad idem negotium idoneis. Tertiæ vero prælatus Reindardus Comes Engolismæ constitutus. Dominum autem Regem eodem die, hoc est iiij. Idium Augustarum, ad sanctum Martinum venire nunciauerunt, inde vero eius transitum per vrbem Aurelianensium quod putauerim verisimile, quoniam magnæ indolis Ludouicus Epistolare in palatio gerens officium, mandare mihi studuit vt aut ad vrbem Turonum, aut certe Aurelianensium Domino Regi occurrerem, sic temperans hortamentum, si tamen per vrbem Aurelianensium iter habuerit. Cæterum Gumboldus & Vgo redeunt supplices ad Regem & proprios honores recuperaturi creduntur. Ipse vero Rex 8 Kal. Septembris ad Carisiacum, vita comite, venire deposuit.

*Ad Guenilonem Episcopum Senonum.*

## EPIST. XXIX.

Dum abundante iniquitate charitas iam refrixerit multorum, & plures lætari videmus cum male fecerint, & in rebus pessimis exultare, quando peccatis nostris Republica dissipata impune perversorum grassatur insania, legumque metus aboletur. Maximo debemus affici gaudio, si saltem aliquis inueniatur qui memor futurorum sæculi fugientis contemptum pia mente concipiat. Et operante Dei gratia perfectionis apicem apprehendat. Quod mihi quia moliri visi sunt duo presbyteri nostri, quorum alter Ardegarius, alter Baldricus vocatur, vnum eorum, nam alterum ineuitabilis necessitas retinebat, vestræ reuerentiæ direxi adiuncto militari viro, qui eum in itinere tueretur, vt à presbytero vtriusque desiderium agnosceretis, & nuntii nostri relatione, testatior eorum vita prior & præsens deuotio appareret. Vestra vero prudentia relinquendi suos eis titulos copiam negauit factutam, vt liberius & districtius institutionem B. Benedicti sequantur, nisi forte nostra paruitas, auctoritatem vobis deprompat absque vitio posse fieri. Id tametsi numquam in controuersiam vocatum, vel audierim vmquam, vel magistra lectione comperterim, tamen simpliciter quod sentio vestræ auctoritati aperiam.

A Dominus Iesus diuiti legalium præceptorum sibi obseruantiam arroganti, & audacius quid sibi deesset percontanti: Vade, inquit, & vende omnia quæ habes, & cætera. Vbi aperuit voluntariam paupertatem fore fructuosam, si illud impleatur quod alibi docet: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & reliqua, quod nusquam fieri aut totius aut melius potest, quam in monasterio vbi sic libertas voluntatis propriæ pro Dei amore, quod est laboriosissimum, resecatur, vt ex arbitrio Prioris subiectorum actio cuncta formetur, quamquam quidam nostrorum exuberante Dei gratia ingenti vigore animi consortia humana vitauerint, & præfata Dominica sen-
B tentia iam impleta, solitudines penetrauerint, & constanter in Dei opere pene totam ætatem consumpserint. Ab ea igitur perfectione, quam Deus etiam laicis proposuit, absit vt summoueat sacerdotes. Sed dicat aliquis, quid plebes facient quarum ab eis fuerat canonice cura suscepta: Nimirum qui hos ad implendum illud vocat quod in Psalmo canimus: vacate & videre, quia ego sum Deus, procul abit alios quos animabus gubernandis præficiat. At, inquit, quemadmodum carnalem copulam non licet resoluere, nisi causa fornicationis, ita susceptam semel pastoralem curam nefas est deponere quandiu ouium saluti consuli potest. Concedimus nisi forte coniugium qui constituit ipse dissoluat, & qui regimen imposuit ipse, vt sibi liberius vacetur, id relinquere occulta inspiratione præcipiat. Namque qui iussit vt quod Deus
C coniunxit, homo non separet. Idemque Deus est quotiens libuit coniugia separauit, adeo vt etiam probabiles vtriusque sexus personas optime nouerimus, rescisse carnali commercio, in sacris locis separatim Domino militasse. Iam verò de Presbyteris quid dicam, cum nullum fere Monachorum reperiatur Monasterium, quo non aliqui eorum sæculi tumultus declinantes concesserint, quos si perperam fecisse conemur asserere, obruemur eorundem auctoritate qui nos & sanctitate superant, & sapientia forte præcedunt, neque enim frustra scriptum est: Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere a malo est intelligentia, siquidem vt de coniugiis taceam, quæ ob Dei amorem separata sunt, quorum magna nobis suppetit copia, certe Ferrariensis Monasterij, cui indignus deseruio, quondam nobis Abbas, & Presbyter Sigulfus, qui vsque
D ad senium Canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est Monachicam religionem assumpsit, atque donec diem obiret, suo passus est subiici discipulo, quem ipsius voluntate ac fratrum consensu Imperator Ludouicus memorato loco Abbatem præfecerat, qui etiam decessor vester beatæ memoriæ Aldricus, qui præfati Cæsaris iussu, & mirabili bonorum annisu nobiscum esset Abbas ablatus & Ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est, ad nos immutabiliter proposuerat regredi, Episcopali cura omissa, quando hanc vitam vt credimus fœliciore mutauit. Quis hos viros Canones ignorasse dicat, nisi prius ipse desipiat? profecto primordia fidei Christianæ recolebant, quæ beatus Lucas commendans ostendit tunc illis omnia fuisse communia, quando postquam singuli agrorum & quarumlibet possessionum pretia A-
E postolis, prout cuique opus erat, diuidenda permiserant, ipsi Deo soli vacabant, & erat eis cor vnum & anima vna in Domino. Nec ab hac sancta societate sacerdotes exclusos inuenio, cum præfatus Euangelista hinc etiam nos instruendos prospiciens: Multa, inquit, turba sacerdotum. O. f. siquidem tametsi qua longissime absumus à tam sanctorum virorum perfectione, tamen vestigia, & quædam, vt ita dixerim, lineamenta formæ Apostolicæ retinemus, dum nemo nostrum aliquid sibi vindicat, nec in sæculares curas dissipare animum permittitur, & orationum, abstinentiæ legitimam constitutionem persoluere regulari rigori, cui

nos sponte submisimus coarctamur. Nec mirandum, sed Episcopaliter compatiendum vobis est, si multos monachorum experti sitis à sua professione detestabiliter deuiare, cum & natura humana prona sit ad malum, & hostis noster bono semini superseminare semper gestiat Zizania. Cæterum, vt mea & multorum fert opinio, nullus intra sanctam ecclesiam ordo est, vbi certius promereri Dominum fidelis anima possit, quam si monasticæ disciplinæ studeat propositum integre obseruare. Verum ne nos magnifacere videamur, beatus Gregorius, cuius tanta in Ecclesia resplendet auctoritas, patrem nostrum Benedictum his verbis commendat, scripsit monachorum regulam discretione præcipuam, sermone luculentam. Sanctus autem Benedictus sacerdotes suscipi in monasterium & posse & debere ostendit, cum quamquam non facilem tamen eis promittat ingressum & retinendi officium ex Abbatis iussione præbet auctoritatem, quod nullo modo faceret si soli admittendi essent criminosi. Nam & eos quidem interdum, sed difficillime & vehementer compunctos recipimus: venit enim filios hominum quærere, & saluare quod perierat. igitur Cum autem beatus Gregorius regulam patris nostri Benedicti approbat, eadé autem regula sacerdotes cum officio suscipiendos censet, nisi qui contentioso spiritu laborat, & susceptos iam inde ab initio nostri ordinis, & esse integræ vitæ sacerdotes in Monasterium minime dubitat. Quapropter vestra paternitas dignetur hæc studiosius pertractare, & Presbyteris ad melius de bono sentientibus non cunctetur licentiæ aditum reserare, ne forte, quod nullatenus optamus, videamini ordini nostro prouisa cælitus incrementa derogare, quem summi & optimi Pontifices non solum non infamauerunt, verum etiam, vt par fuit, suis & laudibus ornauerunt & exhortationibus cumularunt. Neque enim sacrorum Canonum suspicienda censura, quantum despicere valuimus, vsquam nostram infirmat sententiam, quam & auctoritate diuina & præclaris exemplis roborandam censuimus, illud potissimum à vestra eximietate obtinuerimus, ne nostram admonitionem grauemini, quam non venditandæ scientiæ studio, sed implendæ charitatis officio assumptam, & rerum pondere & stili lenitate satis, vt opinor, apparet.

*Ad Godescalcum Monachum.*

## EPIST. XXX.

NI veritus fuissem, vt me ab obseruatione charitatis auersum, nullius flecti posse precibus, putando, eandem charitatem offenderes, etiam nunc silentij latebram fouens, nihil ad ea quæ consuluisti respondissem, duabus videlicet ex causis, altera ne ocio tuo materiam exercendi ingenij vel imminuerem vel detraherem, altera vt habita consideratione illorum, quos super eadem quæstione te sollicitasse olim cognoui, mediocritatem meam non præiudicare quorundam excellentiæ æstimatione propria comprobarem, verum autem illorum colloquio & rescripto potitus, quid ego hinc sentiã desideras experiri, quoniam de eisdem quæstionibus diuersa sentire quousque contra fidem non est, aut nulla aut parua culpa est, quid mihi sentire visus sit beatissimus ac doctissimus Augustinus, in eo loco quem enodandum proposui non grauabor exponere, & illa quidem prior quæstio, quam quia nullis diuinarum scripturarum exemplis, aut testimoniis aut ægre, aut nequaquam definiri poterat, in medio reliquit, penitus omittatur, scilicet an in illo cunctis exoptabili fidelibus culmine resurrectionis oculi carnis aliquid sint mentis simile habituri, siquidem futuras earum rerum imagines aliqua nos mentis acrimonia posse apprehendere quæ illius tanti auctoris ingenium sint transgressæ, si vel opinari possemus esset extremæ dementiæ. Nec tamé fœlicitati nostræ in illa resurrectione aliquid derogabitur, si diuinitatis excellentia carnalibus oculis conspicua non fuerit, quando nullum hoc tempore dispendium intelligentiæ nos pati sentimus, si rationem quam mentis acumine contuemur, manu perpetua quod est incorporea, palpare non possumus. Nec indignum aliquid nostra patietur natura, si spiritus longe sublimiori donetur excellentia, qui iã inde ab initio nostræ natiuitatis tantũ excelluit, vt & in eo & si aliquãdiu decolor propter peccatum, semper tamen Dei perseuerauerit imago, & ab eo in vnam eandemque personam redacta gubernata sit caro. Alteram vero quæstionem quib. verbis idem præcellentissimus auctor moderatus sit vigilanter considerantes eorum mentem dispiciamus, aut quod est, inquit, ad intelligendũ facilius, ita nobis erit Deus notus atque conspicuus vt videatur spiritu in singulis nobis, videatur ab altero, videatur in seipso, videatur in cœlo nouo, & terra noua, atque in omni quæ tunc fuerit creatura. Hactenus quid hæc verba obscuritatis pariant non video, quippe clarissimus auctorq; diuinæ auctoritatis obseruantissimus quemadmodum sit futurus Deus omnia in omnibus, copiosius explicat, scilicet quod electis diuina gratia ad angelicam prouectis æquitatem, remoto pristinæ ignorantiæ nubilo, semetipsũ plene manifestet ac sua ineffabili visione in perpetuum beatificet, tantaq; suæ præsentiæ lætificet euidentia, vt vniuscuiusque spiritus dubitare non possit, quin nobis & reliquis sanctis omnibus vt insit Deus, atque cuilibet atque alicui creaturæ ita vt rationabilem tantummodo sui notitia glorificet, irrationabilem vero, hoc est terram & cœlum, præsens vbique totus gubernando contineat. Ac per hoc rationabili aderit per notitiam & præsentiam irrationabili personam præsentiam quæ tamen longe præstantius quã nunc ad electorum notionem deducta vt augmentum scientiæ, ita etiam incrementum fœlicitatis factura est. Nam & nunc præsentia sua regit cœlum & terram, cuius veridica vox est: Cœlum & terram ego impleo, sed ad comprehendendum quemadmodum totus in cœlo, totus in terra sit acies mentis nostræ caligat: quandiu corpus quod corrũpitur adgrauat animã, ne naturæ suæ vim libere queat exercere, quod cum totius corruptionis nõ molestia modo, verum etiam suspicione fuerit liberatum glorificata duntaxat nõ mutata natura. Neque hinc nos errare permisit qui ait: Palpate, & videte quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, tantamque eum spiritu, cui nunc repugnat, habuerit cõcordiam, vt cum eo deinceps nec velit peccare nec possit. Idem spiritus Domino suo tunc vere inhærendo, vnũ cum eo effectus intueri merebitur habitatorem sui, similiumque creaturarum cæterarum vero rectorem. Hæc est visio in qua scilicet constabit, & secura fœlicitas & fœlix securitas, cui videndæ oculos nõ corporis, sed cordis, hoc est, mentis mundare veritas præcipit: Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Huiusmodi vero mundationem, fides hic inchoat, illic charitas consummat. Nã quousque affectus noster dicere Domino possit, Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Hoc est quãdiu in cælestis alicuius creaturæ potentia, vel excellentiæ mundanæ illecebra, & non in Domino à quo sumus conditi, spem nostræ beatitudinis reponimus, crassum glaucoma nostris obductum oculis patimur. At cum salubriter ea sordere cœperint, quæ prius animum nostrum perniciose aut eludebant opinionum falsitate, aut oblectabant fallaci suauitate; paulatim Dei clementia satiscente caligine noster visus recuperatur, ac diuinorum præceptorum in dies exacuitur collyrio, donec deposita mortalitatis sarcina, ad videndũ eum in qua tota fuerat translata intentio, perducatur. Præmonstratis verbis, super quorum sententia, non vt voluimus, sed vt valuimus, res enim quam significant incomprehensibilis est diutule locuti sumus.

viuenda mũdare

Idem

Idem mirabilis auctor subiectum, & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie peruenientε directi, hic vel parum sæculari literatura imbutus, nemo dubitat à communi subaudiendum, & vt videatur spiritu per corpora in omni corpore. Opinionem enim illam, vt videri possit Dominus carnalibus oculis nisi aliquid mentis obtinuerint, ipse manifestissime remouet; quid vero in eo voluerit intelligi, quod ait, Per corpora in omni corpore, scrupulosius quæri posset, nisi eandem rem adhibita quadam similitudine præstruxisset Denique præmisit: vitam quidem suam haud dubium quin spiritus qua nunc viuit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facit quæ viuentia, interiori sensu quisque non per corporeos oculos nouit. Aliorum vero vitas, cum sint inuisibiles, per corpus videt. Nam vnde viuentia discernimus à non viuentibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus: siquidem hac eius tam luculenta sententia colligitur, quod per corpora, hoc est, per corporis oculos in omni corpore, quod idem conspexerint oculi, videndus sit Deus non in sua substantia, quod priuilegium spiritui reseruatur; sed in euidentissima gubernationis præsentia: sic enim per sensus corporeos vitas aliorum in corpore intuemur. Non vitas inuisibiles aspicimus, sed eas tamen inesse viuificationis potentia dubitare non possumus, nec sustinebunt quicquam contumeliæ oculi, si spiritu Deum vbique præsentem comprehendente, illi eum tantummodo in corporibus, quò direxerint aciem, quemadmodum superius ostendi, poterunt intueri: sicutneque nunc patiūtur aliquid ignominiæ, cum sensu aurium dulcissimum quemlibet sonum capiente, ipsi intra metas proprii muneris cohibentur. Hic à me monstratus intellectus capituli, omnibus te quas proposuisti quæstionum angustiis liberabit, inter quæ etiam oculis nihil simile mentis habentibus in quouis corpore, nec proprie, nec figurate Dominum fore conspicuum declarabit. Namque proprietatē eius cognitione spiritus sibi dignitas vindicabit. Quòd autem tam euidenter creaturas suas diuina reget maiestas, vt ne oculos quidem corporeos latere possit: nihil præterquam quod geritur significare, omnis qui sobrie sapit, facile aduertit. Adhuc enim exitum circunstantia sine superstitione peruicacia considerata cautum instructumque lectorem perducunt. Quod adeo mihi constat vt etiam beatissimum Augustinum, si reuiuisceret, aliter quemquam sensisse, credam nonmediocriter miraturum. Proinde semper soluendo, & numquam persoluendo charitatis debito, te suspiciende frater exhortor, vt nequaquam vltra in talibus tuum ingenium conteras, ne his vltra quàm oportet occupatus, ad vtiliora vestiganda, siue docenda minus sufficias, quid tantopere quæramus quod nobis nosse necdum forsitan expedit, certe diuinitus illustrata mens Deo loquitur: Oculus non vidit Dominum absque te, quæ præparasti expectantibus te, & nos illius ineffabilis visionis plenissimam rationem complecti animo, concretis vitiorum sordibus adhuc grauato desideramus? In amplissimo scripturarum sanctarum campo interim spatiemur, earumque meditationi nos penitus totosque dedamus, faciemque Domini humiliter, pie, ac semper quæramus, quoniam inquirentibus Dominum non deficiet omne bonum. Eius erit clementiæ vt dum considerata nostra conditione, altiora nobis non quærimus, nec fortiora scrutamur, nos ad sublimiora & robustiora sustollere, purgatisque nostræ mentis obtutibus, quibus videri se posse reuelauit, semetipsum dignetur ostendere: Cæterum daturus nec ne sit oculum post resurrectionem aliquid simile mentis eius arbitrio relinquamus, cuius iudicio & hæc & alia innumera impune quoad mortaliter viuitur ignoramus. Quaternionem quem reperisti, nescio quis mihi sublegerat. Verborum vero, quorum flagitasti rationem, quia nec plenaria statim omnibus oc-

*superstitionis.*



A currit, & eam indagare maxime causarum moles quibus assidue obruor inhibuerunt, in aliud tempus distuli, quāquam non sim nescius Græcorum sermonum proprietates à Græcis potius expectandas. Sane si quando scribendum paruitati meæ decreueris, obsecro super fluis aut falsis laudib. non oneres, sed magis Domino supplices vt me semper suæ laudis auidum faciat: meæ vero laudis fructum in illud tempus differat quo laus erit vnicuique ab eo.

*Ad Guenilonem.*

## EPIST. XXXI.

SVmma veneratione colendo insigni præsuli Gueniloni, Lupus plurimam salutem. Cum ad regem proB ficiscerer, & præmisissem sciscitari, quid me facere vellet, ipse vero præcepisset, vt festiuitate beati Martini ad monasterium eiusdem præclari confessoris ei occurrerem, cum vero vtilitas publica aliò traxisset, missis iterum nuntiis per amicos obtinui eum gratia licentiam reuertendi. Cur autem sicut constituerat Dominus noster rex, ad sanctum Martinum non accesserit, hæc vt nuntij nostri retulere causa fuit, quod Britanni sibi præter solitum diffidentes, Regem nostrum in Britanniam versus euocauere, vt pars quæ contra Nomenoium sentiebat, ad eum tuto deficeret. De Pipino vnde vestra quæsiuit paternitas, nihil certi in palatio dicebatur, sed iter tantum fama iactabat, eos, qui nuper ab eo desciuissent, in concordiam redituros: quidā vero de Aquitania venientes Nortmannos inter Burdegalam & Santones eC ruptionem his diebus fecisse retulere, & nostros id est Christianos pedestri cum eis prælio congressos, & miserabiliter, nisi quos fuga eripere potuit, peremptos. In quo bello comprehensum ducem Vasconum Siguinum, & peremptum etiam iurando testari sunt: quæ res quam vera sit Dominica sententia ostendit: Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur: & discordiam amplectentibus, qui fructus maneat manifestat. Bene vos valere cupimus.

*Ad Ludouicum.*

## EPIST. XXXII.

DEsiderantissimo suo Ludouico Abbatum summo, Lupus præsentem & futuram salutem. Dici non D potest quanto nuper dolore affectus sim, cū in hac Reip. calamitate, fœliciter fallax fama disperserit, vos quoque inter alios cecidisse: hunc mœrorem nullus vnquam dies, vt vere fatear, nisi eum vltimo mihi spiritu abstulisset. At veritate comperta, vt par fuit inexplicabili gaudio exultaui, quod is viueret, cum quo si possem, & esset necesse, iuxta illud Horatianum;

---*Meos diuiderem libenter annos.*

Immensas itaq; gratias omnipotenti Domino, omnium charissime refero, quod te mihi seruauit, quo seruato ipse quoq; seruatus sum. Præterea Domini nostri Regis aduersitati condolens, & ereptioni supra modū congaudēs instar illius Euangelicæ viduæ duo minuta in gazophylacium misi, quidquid muneris consequi potui per E vos offerendum direxi: quod gratū ei sicut mihi & expedire videtis, quæso dignamini facere. Ideo autem dixi illi me totū quod inuenire valuissem, fideliter misisse, quod propter eius frequens seruitium, quod prius à præcessoribus meis non exigebatur, & propter cellæ nostræ substractionem, & frumenti ante inauditam penuriā, omnia iam exhausta sunt, ita vt emptitio frumento fratres iam inter se integre sustentētur, eodem tanta prolixitate vsque ad nouas fruges victuti, nec suffecere quæ ad communes vsus parata fuerant, sed vrgente ineuitabili necessitate, paucissima vasa, & cætera ornamenta Ecclesiæ nostræ dolentibus omnibus distrahuntur, quæ res quò redundet, & quātum publicā prosperitatē impedire

possit, nec ammonita vestra videt prudentia. Proinde vestram supplex imploro pietatem, vt Regi meas, & fratrum necessitates, imo veras miserias aperiatis: suggerentes vt quod suo maximo periculo in beatum Petrum, & nos fecit, voti memor quo se hoc anno obligauit, tandem aliquando immutare dignetur, vt & principem Apostolorum in suis rebus dubiis adiutorem, & nos omnes ex corde possit habere intercessores; neque enim contemnere debet orationes seruorum Domini, cum de vno quolibet iusto dicitur: Multum valet deprecatio iusti assidua, & de pluribus Domini cultoribus sacer insonet Psalmus; Voluntatē timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Nec de nostri instauratione cœnobij tantum, verum etiam de totius Ecclesiæ statu, sollicite vobis admonendum est, ne forte, quod absit, quam integram accepit scissam nobis flentibus, hostibus autem eius tam occultis quàm manifestis irridentibus, relinquere compellatur. Vtinam ei non contingat, quod Dominus suis contemptoribus comminatur, sola vexatio intellectum dabit auditui. Nec experiatur, quod ait Apostolus: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. In expeditione Aquitanica olim; vt nostis, omnia perdidi, superiore anno missus in Burgundiam, decem equos amisi, nunc nos quam significaui premit inopia, cupio etiam, si Deo placet, quod didici, & semper disco docere, quas res præter vltimam, ea enim velut Reip. inutilis iudicaretur, quæ meo iudicio ceterarum est grauissima, si me euocare voluerit ad Comitatum Regium, quæso suggerite; quoniam nisi spoliem aliquod altare, aut fratres importabili affligam inedia, non habeo vnde octo dies in eius possim versari seruitio, donec nouæ fruges optatam referant facultatem. Nisi autem absque periculo possitis militatium hominum nostrorum, nolo vos otium deprecari, quamquam & illa quam sit necessarium vltro cognoscitis. Congratulationis cartulam, si vtilem futuram ex morum eius qualitate deprehenderitis, hoc est vt ea ad bene agendum aliquo modo incitetur, ei ex paruitatis meæ nomine tradendam curate: sin autem quid animo contineant vos nosse sufficerit. De annuis donis, quæ adhuc penes me habeo, quid mihi agendum sit, per meum nuntium remandate. Munusculi similitudinem, quam nimia verecundia, quod aliud non habui, celsitudini vestræ direxi, memores primæ amicitiæ nostræ, quæso ne dignemini aspernari, exiguitatis meæ benigne memores. Bene vos valere cupio, & ad bonorum emolumentum prosperis semper augeri successibus.

*Exhortato ad Dominum Regem Carolum.*

## EPIST. XXXIII.

PRæcellentissime Domine, etsi dicere audeam amantissime: Audita nuper status vestri aduersitate, ineffabili dolore distabui; namque mecum reputabam vestræ nobilitatis indolem, quam cupio ætatis maturitate, ac sapientiæ grauitate consummari, nimis immature nobis ablatam, id quia irrecuperabile videbatur, quoniam id constanter fallax fama iactaret, totum me cum fratribus, qui mecum Deo seruire satagunt ad impetrandam salutem animæ vestræ contuleram, cui vehementer timebam quorundam non satis Deum timentium persuasiones obesse, verum quoniam sospitate vestra donati sumus incredibili gaudio repleti, sincera fide maiestatem vestræ celsitudinis admonemus, vt omnipotenti Deo nobiscum maximas gratias habeans, & referatis, qui nobis quantum se amare debeatis ostendit, cum, vt pace cunctorum dixerim, humano cessante auxilio, ipse vos potenter, & pie seruauit, & quantum de eo præsumere debeans, manifestare dignatus est. Nolite igitur casu contrario nimium contristari, sed potius credite veridicis verbis eius; Sine me nihil potestis facere; &, Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, &, Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra; &: Omnis voluntas mea fiet; &: Non saluatur Rex per multam virtutem, &; Non est Domino saluare difficile in multitudine, vel in paucis, &: Qui glorificat me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Et spreto carnaliū consilio, de quib. dicitur: Dominus dissipat cōsilia gentium, &c. Consiliū autem Domini in æternum manet: acquiescite consilio, quod per Prophetam ipse dignatur dare mortalibus: Iacta cogitatum tuum in domino & ipse te enutriet, & Sperantes in Domino misericordia circumdabit, &, Cum esses paruus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, &, Immola Deo sacrificium, & inuoca me in, &c. Præterea mementote quod Salomon ad regendum populum Israel, cui diu in maxima pace præsedit, sapientiam potissimum postulauit; nec spernatis etiam eorum hortamenta, qui Deum ignorantes, vtilia non tam sibi, quam nobis videre; In quibus inuenitur quid ante quam aliquid incipiamus, prudenter quid agendum sit debeamus inquirere: & cum inuenerimus, matura festinatione proficere; & quod diu apparandum sit bellum, vt celeriter vincatur. Hæc breuiter Celsitudini vestræ suggessi, vt diuina & humana auctoritate quid vobis agendum sit, indubitanter possetis cognoscere. Det autem ipse Deus vt spiritaliter & corporaliter, quantum cupios valeat.

*Ad Altuinum, Senonensem Monachum.*

## EPIST. XXXIV.

VEnerabili Fratri Altuino Lupus perpetuam salutē. Si tanta facilitate discuti possent à quoquam quāta mouentur quæstiones, olim ad consummatam studiosi quique sapientiam euasissent, nunc literarum studiis bene obsoletis quotus quisque inueniri possit, qui de magistrorum imperitia, librorum penuria, otii denique inopia merito non queratur? Quominus indignari mihi debes, si per exiguum otij quod mihi vix obtingit indagandis quæ nesciam, quam ventilandis quæ iam consecutus sum iudicem expēdendum; Nec, vt opinor erro, si quibus diuino fauore viam intelligentiæ & aperui, & planiorem feci, quam præcessent sequendi necessitatem indicam. Hoc est lectione magistra, vel vtens vt vsus si auditoribus meis aut præsentib. idipsum sermone aut absentib. obstinato imponam silentio. Obtinuit tamen tua instātia, vt quædā ex his quæ studiose quæsiisti enuclearem, Locuples penultimam genitiui producere, sic apud Priscianum probatur in lib. 5. cū de nominibus in es productam desinentibus disputaret, Appellatiua vero, inquit, si sint ad homines pertinentia, quæ apud Græcos cōmunia, & mobilia, apud nos communia sunt, vt hæres, locuples. Item in vij. penultima tertiæ declinationis, quando produci debeat & corripi, mira diligentia ostendēs, Producitur, inquit, in his quorū nominatiuū in longam desinit seu natura, seu positione, vt sol solis, infans infantis: excipiuntur in, on, desinentia Græca; & in o tam Latina quam notha, quæ aliquando corripiunt, aliquando producunt penultimam genitiui. Præterea in m, s, vel b, s, t, per s, vel x, desinentia, quæ penultimam genitiui sæpe corripiunt, Item par, lar, vas, pes, Ceres, compos, bos, sus, grus, quæ producentia nominatiuos, corripiunt penultimam genitiui. Cum igitur producta nominatiuum vt natura & positione penultimas genitiuorum consequenter producant, his sex exceptis nominibus quæ longa obseruantia deprehensa notauit. Quoniam, ipso teste, locuples, in es productam, finitur eodem auctore genitiuo longa penultima profertur, quod possem etiā poëtico testimonio cōfirmare, nisi apud contentiosos quoque tanti viri tātum posset

rel. P. nominatiuo.

posset anctoritas, locupleto autẽ quod penultima producta uequaquam dubito proferendum, sicut quoniã robur roboris corripitur, roboro eadẽ penultima correpta pronuntiatur, actiuũ esse in Cicerone possumus confirmare, qua significatione etiã in Psalmo positum canimus: multiplicasti locupletare eã Apud memoratum auctorem Priscianum, in iam dicto 7. l. quid sentire de pronuntiatione mulieris debeamus deprehẽdi potest in eo enim in ex correpta masculina, fœminina, neutra, & communia inueniri dicit: in er autẽ producta Græca masculina, & vnũ Latinum, & magis notum, atque in seqoentibus corripientia, inquit, nominatiuum, in quibusdam corripiunt penultimã genitiui, in quibusdã producunt. Producũt in al & in el neutra & in ar neutra, deriuatiua. In or quoque desinẽtia alia producunt penultimã genitiui, vt cursor, cursoris; alia corripiunt vt Hector Hectoris, alia vero omnia, quæ nominatiui terminationem corripiunt, similiter penultimam genitiui corripiunt. Excipitur, inquies, quod simplicis declinationem seruauit in composito, quamuis corripiat extremitatem nominatiui; Ergo si mulier desinit in er correptã, vnde nulla dubitatio est, nec inter excepta ab eo est positum secundũ eum correpta penultima genitiuus eius efferetur; Ad hanc rem roborandam nullum adhuc poëticũ habeo testimoniũ & quoniam, vt ipse ait: Nihil ex omni parte perfectum in humanis est inuentionibus, ab eo forsitan est non ignorantia, sed oblinione prætermissum. Quare in vsu mutando auctoritatis meæ periculũ nolo facere, donec aut mea, aut amicorum diligẽtia aliquid hinc si nõ solidius, at euidentius valeat inueniri. Vlciscor & vindico cur dixerit idem autur insignis in vtraque significatione accipiendum, idem explanat subinferens tã pro læso quam contra lædentem accipiendũ, vnde & vindicta non solum pœna, sed etiã liberatio accipiatur: Quãuis & ex Virgilianis versibus sensus eius in promptu sit recte considerãtibus, in eo enim quod posuit; *Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi*. Vlta pro læsa facit, Læsus enim Sicharbas siue vt poëtica licentia ponit Virgilius, Sichæus à Pygmalione fratre Didonis erat, à quo fuerat morte mulctatus, maritum autem postea Dido vlta est, non ei vt pote qui erat extinctus pœnam aliquã inferẽdo, sed Pygmalionem propter quem scelus commiserat pecunia priuando. Itaque supplicium de eo qui læserat pro eo qui læsus erat sumpsit. Ita pro læso idem verbum accipitur, quo sensu acciperetur etiam si metro permittente dicere potuisset, vindicaui virum. Sequens exemplum quod est: *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. Contra lædentem accipitur, cùm Æneas socios ad repugnandum Græcis, qui in suam potestatem vrbem redegerãt animaret vsus est eo verbo, vt fingit Virgilius, quo significauit vindictam & vltionem suorum gentilium qui iam occidissent, & sui antequam occidissent, viriliter à lædentibus exigendam. Illud quod sequitur tangere nolui donec in Liuio vigilantius indagarem, Propitius & per sibilum pronuntiari etiam à non parum doctis semper audiui Et in antiquissimis exemplaribus nunquam nisi per t, scriptum inueni. stupeo, an conuertat in præterito u, præsentis in i. apud Priscianum non discernitur, in veteribus tamen codicibus indifferenter expressum inuenies. Patronum nostrum Episcopum incolumẽ esse vehementer exulto, Probum autem non tam aliquid edidisse admiror, quam non omnibus iam scribendi materiam abstulisse. Bene Vale, & pro me patreque meo, & matre, & per te, & per cæteros amicos Dominum exorate, si me amas quæso ne cesses.

*Ad Ebrardum.*

EPIST. XXXV.

Assiduis vrges me charissime petitionibus, vt antiquitatem nostræ propinquitatis & amicitię singularis literis prosequens, scribã aliquid quod esse tibi possit si non vsui, saltem delectationi; hoc forsitan digne fecissem, si cum opus postulas materiam præbuisses. Verum quia gratum tibi fore dum scribam, quidqoid illud sit, polliceris, in exquirenda materia nolui me operosa torqoere diligentia, multo minus in elegantia solerti verborum, Quod igitur mihi nihil tale molienti occurrit extempoialiter explicando Reminiscentium in his nostris regionibus sapientiam quosdam studiosissime colere, pergratum habeo, sed sane haud quaquam mediocriter moueor, quod quidam nostrum partem illius appetentes insolenter partem repudiant. Omniũ autem consensu nihil in ea est, quod iure excipi aut possit, aut debeat. Quare apparet nos ipsos nobis esse contrarios, dum insipienter sapientiam consequi cogitamus. Etenim plerique ex ea cultum sermonis quærimus, & paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem, quod longe condu ibilius est, proponant addiscere Sic linguæ vitia reformidamus, & purgare contendimus Vitæ vero delicta paruipendimus & augemus: sed cum omnis sapientia à Domino Deo sit, vt literæ diuinæ demonstrant, ordine congruo eã appetamus. & proculdubio cõsequemur. Id autem nobis ex diuina auctoritate depromitur: Fili, inquit, concupisti sapientiam, serua mandata. Et, Dominus præbet eam tibi, vbi etiã quid sit sapientia summe ac pulcherrime definitur. Timor Domini, inquit, est sapientia. & recedere à malo intelligentia Cæterum de his qui perperam viuunt, & integre loqoi cõcupiscunt. & corruptos sermones qoam mores aspernãtur, sic instruuntur. Omnis labor hominis in ore eius, & anima illius non replebitur, quia dignum profecto est, vt qui primas partes eruditioni tribuit non sanctitati, à refectione sapientiæ æternali ieiunio excludatur Quocirca si vigilãter poliendo incumbimus eloquio, multo maxime consequendæ honestati, atque in ritic operam impẽdamus oportet Sed cum variæ sint sectæ philosophorum, suo vnaqoæque genere perfectæ, quarũ nulla alij præiudicat, quominus cultores suos in philosophiæ sacrariũ introducat, & discordi concordia omnes quodãmodo vniantur; palam est propositorom diuersitatẽ qua pacatissimus Dei populus inseparabiliter, vt ita dixerim, separatur, nõ officere ad bene viuẽdum, & vario itinere pie veniẽtibus matris ecclesiæ tẽplum esse apertum, quãdo vnicuiq; ordini sua constet perfectio. Quanquam id postremum hoc sit sincerius quo diuina præstant humanis Itaque hortor indolem tuæ nobilitatis, vti quicunque Religionis Christianæ gradus præ cæteris tibi animo sederit, seruata cæterorum reuerentia in eo cooperante Domino in dies proficias, & integrum te in eo exhibeas, Quod si potes ex bono ad meliorem, atque ab imo ad summum euadere, id te niti summa intẽtione persuadere velim, vt laboriosius auctori militans, ab eo gloriosius coroneris Iacta cogitatum tuum in Domino, vt ab eo inter incerta, perpetuo fœlicia, & fœliciter perpetoa consequaris. Illudque ante omnia semper in oculis habeas, quod ipse te fecerit, quod perditum reformarit, quod tam crebris, tam copiosis, tandẽque proficuis auxerit beneficiis, vt hinc illum laudandi cõcepta materia, dum ei gratias de acceptis & habes & refers muneribus, fias ad accipienda maiora dignior, & fretus humilitate perseuerãtiam in bonis actibus (quod est donum inamissibile) sortiaris. Sane dum his studiis occupatis honestas artes & ingenio dignas, nolim negligenter prætereas; Verum postules earum scientiam ab eo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & iuxta mensuram fidei tuæ tibi haud dubie tribuentur.

Valeas carissime & desideratissime; & longa florens A ætate salutiferis quotidie crescas virtutibus; meique semper benigne memineris.

*Ad Altuinum.*

## EPIST. XXXVI.

SI subitaneam nobis tuam attulisses præsentiã, infertilis profecto laboris retulisses dispendium, nãque ita me variis & ineuitabilibus inuolutũ offendisses negotiis, vt vix intra multos dies vna hora vacuas tibi aures præbere potuissem. Quinetiam Abbatis absentia intentioni tuæ plurimum derogasset. Itaque quod & ego, quemadmodum supra expressi, sum occupatus & Abbas vix Autumno reuersus creditur, si tibi ad nos veniendum existimas, opportunitatis vides expectandũ B commercium. Cæterum germanum tuum, vt supplicasti, orationibus, quod potero, iuuare contendam.

*Ad Heriboldum Antissiodorem Episcopum.*

## EPIST. XXXVII.

SVspectæ mihi amplitudinis vestræ nuper missæ fuerunt litteræ, idcirco temperandum respõsione putaui, quoad per veritatem rescirem. Nunc quoniam cõmunis frater & earumdem litterarum fidem, & vestri status patefecit veritatẽ, bonæ valetudinis nobis recuperationem quam celerrimam exoptans; breuiter litteris respondeo. Si naturæ memores, quæ nos arctissimo necessitudinis vinculo nexuit, pristinique amoris C qui nos vtrice singulariter que deuinxit, quorum vnũ est euentus, alterũ iudicij, sinceram mihi beneuolentiam exhibendam decreuistis, imo quia decreuistis locorum interstitia quæ mihi questi estis detrimento esse non poterunt. si quidem & frequenter inuicem videre nobis facultas est, & si quis casus id impedierit, literale nobis haud quaquam deest commercium, quo, vicissim intentiones nostras (vestra eousque se summittit sublimitas) familiariter possumus reuelare. Cæterum codicem annotationum beati Hieronymi in Prophetas necdum à me lectum vobis, morem gerens, dirigo, quem vestra diligentia cito aut ex scribendum aut legendum procuret nobisque restitui iubeat. Vnde vos monendũ iudicaui, ne forte vobis in multis assiduisque occupatis negotiis, nihil vobis collatura, nobis earumdem rerũ obesset dilatio. Atque vtinam altissimum diuinumque D vestrum ingenium, quantum posset fieri, à cõmunibus auersum negotiis, ad indagãda humanæ vel diuinæ sapientiæ transferretur secreta, profecto vestra nobilitas officiique clarissimi gradus, dignum sua amplitudine cepisset emolumentum. Quod nolim eo dictum à me accipiatis, vt me in hac parte perfectum iactãter existimem, aut vobis in aliquo prorsus conferẽdum, nedum præferendum opiner: sed sicut vos conuenientibus cumulatos cõgratulor honoribus, ita etiam ingeniis, maxime quæ excellẽt artibus, ornatos nosse desidero. Caius Iulius Cæsar historiographus Romanorum nullus est, Commentarij belli Gallici, quorum ad nos manauit opinio tantum extant, nec quantum ad historiam quod compertum habeam quicquam aliud. Nam exteratum eius rerum gestarum postquam idem Iulius totius pene orbis causarum molibus est oppressus, Hir- E tius eius notarius in Commentarios seriem referendã suscepit: Eiusdem itaque Iulij Commentarios, vt primum habere potuero, vobis dirigendos curabo. Cupio vos valere fœliciter.

*Ad Regem Carolum.*

## EPIST. XXXVIII.

EXcellentissimo Domino iudicioque sapientium multis & maximis regnis dignissimo, summa veneratione nominando inclyto regi Carolo, deuotissimus per omnia Lupus. Licet ineuitabilis necessitas me ad tempus vestris aspectibus substrahat, sic tamen animus meus vobis agglutinatus est, vt vos, & vestra semper in oculis habeam, & vt absque adulationis fuco, verum vobis confitear, vix cõprehensibili amore complectar. Nam cur ab omnibus bonis debeatis amari, facile in vobis eminet; vnde quantum capio, quantum sufficio, quantum intelligo vobis fidelis sum. cæterum præsentes meas necessitates per venerabilem Ludouicum, qui B vobis non minus quam decet, fidus, maiestati vestræ notas facere studui, quibus peto, secundum datã diuinitus vobis prudentiam, cui omnes congratulamur, pie consulatis, vt Dei vestrique seruitij talia nunc valeã in primordio ponere fundamenta, quæ futuri obsequij deuotis molitionibus, opitulante eiusdẽ Dei gratia, & vestro fauore respondeant. Me autem noueritis quotiescunque possum Dei clementiam intentis precibus implorare, vt concedat vobis prolixam sospitatem, incruentam victoriam, perpetuam pacem, vitiorum odium, possessionem virtutum, sicque vos faciat regnare in terris, vt regnum non amittatis in cœlis.

*Ad Ebroinum Episcopum.*

## EPIST. XXXIX. C

CLarissimo Ebroino Lupus perpetuam salutem. Causas meas Lodouico nostro significaui, quas his literis repetere superfluum duxi, cùm eas quæ illi redditæ sunt vos lecturos & velim & sciam: Tantum postulo vt in omnibus ita mihi adesse dignemini, sicut me confidere illis etiam literis cognoscetis. Misi vobis eburneum pectinem, quem quæso vt in vestro retineatis vsu, quo inter pectendum arctior vobis memoria imprimatur. Bene vos valere cupio.

*Ad Rabanum Præceptorem suum.*

## EPIST. XL.

D

REuerendissimo patri eximioque præceptori Rabano, Lupus plurimam salutem. Non potui hactenus gratias vobis agere, tamen quantas affectu habuerim occultorum cognitor semper inspexit; Deinceps autem si idem Deus vitam vestram produxerit, optatãque pacem reformauerit, nõ erit impossibile quid animo geram factis ostendere. namque consensu fratrum nostrorum in Kal. Decembr. Cœnobium Ferrariense mihi commissum est, dominusque noster Carolus mira me dignatione fouens gratia sua donauit. Vestra igitur beneuolentia me, vnaque congregationem mihi creditam, sacris orationibus quæso cõmendare dignetur. vt sicut studia mea plurimũ eruditione adiuuisti, sic officiũ eius difficultatem assiduis precibus tempereris. Cæterũ audiui sarcinã administrationis vestræ vos deposuisse, E & rebus diuinis solùmodo nunc esse intentos: Hatoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse. Eius rei ordinem, simulque alia quæcumque videbuntur, beatitudinis vestræ literis expectabo cognoscere. Opto vos bene valere, meique perpetuo dignanter meminisse.

*Ad Immonem.*

EPIST. XLI.

SAnctitatis merito sincerè suspiciendo venerabili Immoni, Lupus æternam salutem, Epistolam vestram me quàm molliter mulcentem, amicitiæ que memoriam suauiter testificantem, vt par fuit, summa delectatione perlegi: eique sensa menti penitus illapsa, diligenti memoriæ commendaui, nam si verè, vt scripsistis, me inter charissimos numeratis, erit fortsitan venerabile quod peregrinationis molestia, præsertim tot quot inueniri facile potuerát neglectis opportunitatibus, epistolari solatio me leuare spreuistis: quanquã tanti contemptus dolorem vehementer exulceret non actum quod sæpe inter nos constitit, vt quotiescúnque nácisci possetis occasionem, quæ cognoscenda mihi essent vos potissimum panderetis Verum hæc aliàs cæterum propitio Domino Deo nostro) sospes regressus sum, prætérque Domini ac nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunij obitũ, & quorundã aliorum amicorum, non est quod mihi extrinsecus accidisse admodum triste crediderim. Cur autem vobis significari petieritis quos libros in Germania vel scripserim vel legerim demiratus sum, nec latis causam comprehendere potui, nisi forte mei experimentum argutè capere voluistis, propositis duabus rebus quarũ altera si cessisset videri poterat ostentationis, altera imprudentiæ puerilis Itaq; simpliciter vobis aperio, principem operã me illic destinasse lectioni, & ad obliuionis remedium, & eruditionis augmentum, libros pauculos parauisse, nec Germanicæ linguæ captum amore, vt ineptissimè quidam iactauerunt laterna subisse tãti, tamque diuturni laboris. Quod autẽ studio humilitatis me inuigilare diuinis auctoritatibus monuistis, pergratum habeo, & velim credatis me hactenus id agere, vt quod Deus me fecit, quodq; suis beneficijs donauit, totum eius gratiæ assignem, & vt eam in me conseruans amplificet, summissis precibus flagitem, siquidem ad ea quæ proposuistis, illud etiã Euangelicum aducio: Habete sal in vobis, & pacem habete in vobis, & quod secretorum cœlestium conscius docet Paulus, Quid habes quod non accepisti? Si autẽ accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? Nec illud me fugit, quaquam omnino me magnum non sentiam, quantò magnus es humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiã; ad quæ tàm multa, tàm fortia, tandémque salubria hinc teneo documenta, vt ne somniare quidem possim diuinorum beneficiorũ mihi aliquid arrogandum, sed planè qui aliqua diuina eminet gratia, non potest effugere varias diuersorum opiniones, quandoquidem de Saluatore nostro, in quem nulla prorsus reprehensionis cadit suspicio, alij dicebant quia bonus est, alij autem non, sed seducit turbas. Quare sapienti firmissimum erit illud ac singulare suffugium, si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Benignè mei memores cupio vos benè valere.

*Ad Hincmarum Episcopum Remensem.*

EPIST. XLII.

NOn sum nescius cùm tãtis diuinæ gratiæ muneribus abundetis, vltro vos cogitare apud principem iuuandi bonos facultatem diuinitus accepisse, vt quod in se non habent in vobis possideat, & remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant. Proinde familiaritatis fiducia moneo, vt dum tempus habetis, vsuram talenti multiplicare curetis, vt instar Solis, beneuolentiæ vestræ splendor cunctos irradiet, nec quẽquam excipiat, nisi qui superba cæcitate lucẽ iustitiæ aspernatur. Nobilitatẽ vestræ generositatis ornat eru-
A ditio salutaris, altitudinem officij, commendat religiõ professionis. Hæc vestræ celsitudini non arrogãtiæ vitio, sed amicitiæ studio scripsi, vt quoniam in vobis & nobilitas & sapientia conuenerunt, quantum hæc societas valeat etiam nolẽtibus emineat, qui ipsa quoque lumina Ecclesiæ obscurare contendunt. Loci nostri iactura vobis nota est, vt scilicet Rex Cellam nobis nulla mea culpa substraxerit, quam pater eius etiam edicto contulerat, quòd cùm comperisset monachicam religionem apud nos durare non posse, nisi facultatũ fulciremur augmento. Itaque ad tantam inopiã deuoluti sumus, vt hoc anno vix duorum mensium frumenti su- *fulci re: tur.*
B stentaculum habeamus, famuli quorum seruitio carere non possumus, pene nudi sunt, nec quid his faciamus habemus. Plerique fratrum nuditatem attritis atque scissis vestimentis vitare coguntur, hospitalitatẽ pauperum compellimur imminuere, & hoc turbulento Reip. tempore, his expensis, quæ maiores nostri congregauerunt à Rege clementiam, à communi Domino patientiam flagitamus. Itaque tædio necessitatũ afflictus, vacationem officij ad quod à fratribus & electus sum subinde cogito. Verùm ab ea, & sæcularium perniciosa voracitate. & impatientiæ crimine, si in tanta perturbatione eosdem fratres relinquã deducor: cùm enim pro viribus imò vltra vires Regi seruierim, & pro eo semper intentè orem, non solùm vt aliquid mediocritati nostri cœnobij conferret non merui, verùm etiã
C hanc notam incurri, vt partem eius optimam sæculari homini traderet, non regendam, sed euertendã. Fecerit hoc mea vilitas, cur tantorum virorum, qui mecum Deo seruiunt, est contẽpta sanctitas; vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos de quibus meritò scriptura testetur: Voluntatem timentium se faciet, & : Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei. Quid ei sæcularis illius excellentia contulit? Nunquid illi postea gentem aliquam barbaram subiugauit? Aut hoc sibi dissidens regnum composuit; At si votum quo vobis credo suggerentibus in Ecclesia beati Dionysij se obligauit, ex integro, absque respectu vllius personæ Deo persoluisset, imò primo consilijs quæ in verno quæsita & inuenta sunt acquieuisset, iam eum in pace regnare fecisset ille, de quo sacræ continent literæ, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum Canones eosdem. siue vt vos vocatis, capitula meo stilo tunc comprehensa vobis
D direxi, de quorum æquitate credo ætas posterior iudicabit, & deuotionis meæ non erit immemor, cordium renùmque scrutator. Vos autem interim mihi quæso, & quibuscumque similia patientibus, Mardochæi cõstantiam, Hester pietatem impendite, vt hostes famulorum Dei vestra diligentia, imò diuina virtute, non vt tempore, cuius mentionem facio ad suam perniciem, sed ad perpetuam salutem vincantur & opprimantur. Deoc vos valere optamus.

*Ad Ludouicum Abbatem.*

EPIST. XLIII.

E PRæcellentissimo Abbati Ludouico, Lupus æternã salutem. Debita dona, quæ per vos rex iussit, dire- *Hlud.*
xi, quæ vt ei grata fiant, vestra beneuolẽtia non asper- *Odul-*
nabitur procurare. Quia verò Edilulphũ cum Regina *ph m*
ad regem venturum audiui, supplico vt memores nostri esse dignemini, scilicet vt Cellam nostram in qua præter solum nihil pene aliud iam relictum est, tãdem aliquando recipiã quia eam nulla culpa mea perdidit nec eas facultates noster habet locus, vt sine præfata Cella in eo durare possit religio, Namq; inde circa Ecclesiæ, fratribus & famulis vestimẽta, pisces, caseus, & legumina ministrabantur, quibus omnibus vtinam nõ ad duplum detrimentum Domus nostræ gementes careremus? Admonete igitur eum sui periculi, vt & sibi

nobis aliisque similiter à se afflictis consulat, nec timeat Dominum nostra consolatione placate, quem non timuit acerba oppressione offendere. Siquidem generalis religiosorum assertio est, præter vindictam vltimam quæ impendeat, nunquam eum fœlicitatis optatæ prosperitatem adepturum, donec redintegret Ecclesiam, quam diuisit, & grauibus ac maturis bonorum, hoc est, Deum timentium consiliis, adquiescat. Bene vos valere cupio.

*Ad Hincmarum Antistitem Remorum.*

EPIST. XLIIII.

SVmma veneratione suspiciendo Hincmaro Antistiti, Lupus omnimodam salutem. Effectum petitionis meæ nuper à Rege vestra digressio impediuit, quam vrgente necessitate his literis retrico, vt mea saltem importunitate, quæ ipsum quoq; ingenuũ pudorẽ excludit, vos ad subueniendũ mihi & aliis eadẽ patientibus impellã. Neque enim congregandi auri, argentique, ac aliarum pretiosarum specierum sublatam nobis dolebamus materiam, sed vnde vitam, mediocriter sustentabamus, hoc est, vnde vestimenta & alimentorum consequebamur omni tempore adiumenta. Cogimur itaq; attrita & resarta ferre vestimenta, & famem penè semper solis oleribus & emptitiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi, apud nos consueta requirunt, nec inueniunt. Hospites præsentia tempora infamant, & Deus ad vindictam sine dubio prouocatur. Verùm quia sicut priori epistolæ non adulatoriè, sed seriò comprehendi, totius Ecclesiæ causa vos dignitate ornatos, & familiaritate principis donatos credimus, idque rebus cupimus approbari, idem adesse dnm Odulphus dicitur, elaborare dignamini, vt se rex tanto peccato exuat, & nos tam ingenti penuria liberet, ne tam eum nostra oratio subleuet, quàm afflictio importabilis deprimit. Siquidem vestra suggestione institutus, magnã potest habere opportunitatẽ, vt quòd perperam fecit, immutet, scilicet si sæcularibus, quibus res Ecclesiasticas impertitus est, enumeret, quæ seipsum & illos post consecuta sint incommoda, & iratum Deum nisi sua ei

omni nisi — restituant esse placandum. Nec aliter eos virtutem & consilium recepturos, nisi ex corde ad ipsum Deum reuersi, rapinis abstineant, & suæ imbecillitatis conscij, eius omnipotentiæ se submittant. Quòd nisi facere Dominus noster Rex accelerauerit, & trepidauerit, vbi nõ est timor, vltra quàm dici potest formido, ne citissimè suis inimicis gaudium pateat exoptatum, nobis autem vnicè se amantibus opprobrium derelinquat. Benè vos valere cupio, & in dies ad meliora proficere; imitatus veteres eruditionis artificio, etiam nunc nostra recuperare molitus essem, nisi hoc frustra tentans experimento proprio compertssem, & iam si Virgilius reuiuisceret, & totas tripertiti operis vires mouendis quorundam cordibus expenderet, nec lectionem quidem præsentium adepturum.

*Ad Dominum Carolum Regem.*

EPIST. LXV.

OMnipotentis Dei quæso recordamini; qui gratis dedit vobis vitam, nobilitatem, pulchritudinem, potentiam, laudabilémque prudentiam: Et quod maius est, omnibus sui cognitionem, Et honorare eum in seruis eius, quia ipsi vt pote habeoti omnia, conferre nihil potestis. Polliceri dignatus ille, Beati misericordes,

dignatur — quoniam ipsi misericordiam consequentur: Estote nobis nimium indigentibus misericordes, vt pro nobis beatitudinem misericordiam ipse vobis restituat: Plus minúsve quadrienniũ est, ex quo 72. monachi, quos ad

quinque — eorum votum electionémque mihi commisistis, qui vobis

A indesinenter vobis in diuersa occupatis pro salute ac prosperitate vestra excubauit, propter abstractas facultates patiuntur incredibilé vestimentorum, leguminum ac piscium indigentiam. Et publica hospitalitas peregrinis, iuxta constitutionem priorum Regum, exhibẽda intermissa est, famuli monasterij squalore torquentur & frigore, nec possunt subueniri miseris, quoniam ab aliis multitudo collecta mihi relicta est, & copia vnde sustentabantur ablata. Siquidem intercedente gloriosa matre vestra serenissi. pater vester Ludouicus Augustus ad remedium animæ suæ, ac salutem posteritatis, supplementum hoc cœnobio nostro contulerat. Nec tamen cùm id haberemus, noxia diffluebamus abundãtia, vt in delitias intemperanter solueremur, quia, quæ

B Regula concedit, integris facultatibus monasterii vix poterant procurari. Nunc autem longè pauciora consecuti, abstinemus inuiti, algemus coacti, pueros, senes atque infirmos propter inopiam non fouemus. In tanta calamitate patri & matri vestræ quotidianas preces & *annuum officium* persoluimus, quasi quod illi contulere possideamus, fecerunt enim illi totum quod potuerunt, & donum suum robustissimè firmauerunt. Tangat itaque vos affectus eorum, per quos esse cepistis, instaurate illorum eleemosynam, ingenti periculo hactenus intermissam, nec obliuiscamini nostri, etenim vos iam eleemosyna indigetis: Tempus est vt Dei timor atque amor vestram compungat mentem, quia iam peruenit corpus ad virilem ætatem, nec differatis quæso vlterius

C bonum, quòd vos velle dicitis, quoniam cum nesciatis quid superuentura pariat dies, tamen quia nobiscum quotidie ad eius iudicium tenditis, cui verissime dicitur, Tu reddes vnicuique secundùm opera sua, dubitare nequaquam potestis: Horribile est autem incidere in manus Dei viuentis, nec verò dicere dignemini vos non posse, siquidem vt ait Apostolus: Deus non irridetur. Scit ille quantum potestatis contulerit, qui non nisi quod iustum est, exigit, nec trepidetis timore, vbi non est timor. Audere potius benefacere, si in hac vita prosperè, & in futura fœliciter desideratis regnare. Cur enim non constanter audeatis immutare, quod nullus iustum esse possit ostendere? Consensu bonorum omnium iustum est quòd poscimus, possibile regali potentiæ, necessarium nobis, vtile non tam nobis quàm vobis, nos enim ex hoc beneficio temporalem consequemur vsum, vos autem accedentibus aliis bonis, præmiũ

D sempiternum. Flectant igitur pietatem vestram iustissimæ supplicationes, humillimæ preces, quas maxima extorquet egestas. Et vt nũc perficere dignamini, quod tunc firmissimè concessistis, cùm vobis Dauidicum illud seruandum proposui fixũ est quod loquutus sum. Namque nec aliter decet vestram nobilitatem atque probitatem, quæ omnibus imitabilis esse debet, nec verò aliter conuenit vestræ saluti atque Reipub. paci: nos autem nec in debito famulatu reddendo inueniemur segnes, & in placanda vobis quorum poterimus diuinitate curabimus esse feruentes.

*Cuidam Necessario.*

EPIST. LXVI.

IVsta copiosáque suppetente materia ne dubitetis eũ & quos fideles iudicasti perfidi commenta subuertere, qui impudentia singulari & beneficiis meis vt in monasterio nostro subsistens vtitur, & lacerare nõ desinit à quo fouetur, atque opertus ignominia, & refertus inuidia, vnde se nõ valet expedire, me conatur propellere. Et quia fugit eum optata victoria, mirabili amẽtia ferere infamiam delectatur: Illi similis qui quod se nequaquam recuperaturum cognoscit, amoliri ab aliis non quiescit. Cur autem eum non constantissimè inuictis & insolubilibus argumentis opprimatis, quẽ iuxtá fidẽ diuini oraculi anima Dei detestetur; quod humana

diuináque

diuináque iura permiſceẽs, ſeminet inter eos diſcordias, quos vel natura protulit, vel religio fratres fecit? Tu verò nullis omnino maleficiis à loco noſtro auellatis, quod ope diuina nec illud continget quod formidas, & eueniet citò quod optas; conſequenterq; ſecuri ſtudebimus, ita mihi iam explorata ſunt omnia. Demoſthenea noſter ipſo interdum caule indiget, & cibario nonnũquam pane altus fert modice, deſperatione quoq; vini ad hoc perductus eſt, vt venali ceruiſia delectetur, & vel in hoc Tullium ſuperat, cùm quod ille dormiens, id iſte vigilãs patitur. Ita nec lateribus robur comparatur, nec vocis conſeruandæ cura laborat, Rhetoricæ magis actionis immemor, retinendæ vitæ facultate contẽtus eſt. Verùm enim verò auctor bonorum omnium noſtrã & veſtram inopiam larga vt credimus opulentia abolebit.

*Eidem.*

## EPIST. XLVII.

NOn eſt quicquã quod metuas. Nam & domeſtici & extranei hoſtes, tametſi plurimũ ſibi, nihil mihi oberũnt quod protegere meam paruitatem dignabitur, qui me ſibi iuſſit & dedit confidere. Proinde irridẽda omnis illorum malitia eſt; qui vel implacabili cruciantur inuidia, vel inexhauſta cupiditate torquentur.

*Sar.*

## EPIST. XLVIII.

COntentionis obſtinatione poſita, & ſuperandi peruicacia æquus æſtimator neceſſitatum, vide vt affluens annonæ copia quam tibi commiſi proſit vtilitatibus noſtris, namque ſationi & animalium pabulo, & cuius ingeniem te habere curam deſidero, iuſtæ hoſpitalitati adhibita diligentia, non dubito ſuperfuturũ quod præſtare non mediocre commodum poſſit.

*Ad Hincmarum Epiſcopum.*

## EPIST. XLIX.

SVſpiciendo Antiſtiti Hincmaro, Lupus omnimodam ſalutem. Angustiam noſtram, quæ temporis cùm prolixitas; tùm etiam aſperitas peperit; nuncius à me directus, vobis expoſuit, nec aliud in paternitate veſtra quam quod de ea præſumebam inuenit. Sæpe priores certauimus officio, nec tantum popoſcimus quantum præſtitimus, ſcilicet implendæ materiã charitatis. Itaque nobis omnium quorum indiget, vſus penuria tamdiu laborantibus, magna properantia ſubuenite, vt promiſſionum beneuolentiam, optatus largitatis conſequatur effectus. Hoſpitamur autem in villa, quæ antiphraſticos Viniacus vocatur, & ab Ariniaco in Africum plus minuſ-ve, vno miliario diſtat, hoc ideo vt etiam de vectura cogitet veſtra inſignis prudẽtia, quod huius quoque rei nulla nobis facultas eſt, quo & quanto, & quando vos ituri ſitis, literis per hunc latorem viciſſim redditis pandere dignemini, vt interim & quando, & quid nobis agendum ſit valeamus proſpicere.

*Cuidam Fido.*

## EPIST. L.

NOn ignoras prolixi temporis laborem, quem recuperandæ cellæ ſtudio aſſumpſi, quo adhuc flagrans iuſſu Regis vita comite ad colloquium proficiſcar quod Reges ad Traiectum habituri ſunt, pecunia nobis iam nulla eſt, quæ tanto ſpatio vix potuit ſufficere; proinde quia non videbatur conſilium imperfectos conatus A relinquere, donec euidenter appareat qui eos conſequatur effectus: Non vſquequaque inhoneſtum credidi, opem ab amicis petere, quorum fides mihi non fluxa in ſimilibus inuenta eſt, itaque maxima ſpe ad Dominum Rhodingum direxi. cui cum noſtro nuntio, aut ſi commodius iudicaueris ſeparatim huius meæ neceſſitatis volo cauſam aperias, eumque quam molliſſimis precibus flectas, vt ſicut ſemper nunc mihi ſubueniat, & continuò per hunc meum nũtium argento quo in hoc vtar itinere iuuet me liberaliter, vt & in Cœnobij noſtri pro qua ſatagimus inſtauratione particeps exiſtat, & me ſibi deuotiorem, ſi id fieri poſſit efficiat, ſi quid etiam ab aliquo tibi datum habes, mihi mittere ingenti neceſſitate Aceutalo ne graueris: Quoniam nihil iam pretioſum B aut paruum dirigere poteris, quod patiamur pro victu expendere.

*Fratribus Ferrarienſibus.*

## EPIST LI.

DIlectis fratribus quod gaudium capiam de R. Si forte veſtrum aliquis ambigit, repetat illud memoria quod auctoritas diuina, neque rapaces regnum Dei poſſeſſuros, affirmat, & vltra dubius eſſe non poterit, præceptor verò eius ne ſe inſolubile argumentum; repetiſſe glorietur, accipiat omnium villarum noſtrarum, & poſſeſſionum regimen & laborem, vſum verò fructuum ipſum etiam ſecundum meam C diſpoſitionem fratrum eſſe communem: ita nec ſæcularem religio minuit poteſtatem, nec poteſtas confundit religionem. Interim proſpicite noſtris equis, ne à magiſtro aut à diſcipulo ſubſtrahantur, & abſque vllo in hac parte meo reſpectu, quidquid ſecundum leges valetis, contra violentiam peruaſoris agere contendite. Induſtriam veſtram hoc mihi gratiorem ſcientes futuram, quo maior & illuſtrior fuerit, mihi potiora molienti quòd opportunitas hinc, imò Deus permiſerit, curæ erit perficere. Ego quoniam cum Rege ad Traiectum, Deo volente, iturus ſum, quo ei ad colloquium fratres occurrent, & recipiendæ Cellæ bona mihi ſpes eſt, nec poſſum adeſſe vobis, vt vnuſquiſque veſtrum agat mecum quod dolet & debet, ſicut ſuperiore anno conuenit nobis, qui poteſt agere ſtudeat, quouſque re- D diens ſi aliquid ſit immutandum cognoſcam. Satio ſtudioſiſſime procuretur, & quod noſtri boues poſt ſolemne debitum non ſuffecerunt, frequentes impleant corrogationes. Bene vos valere cupio, & diligentiſſime orare pro nobis.

*Marginal notes:* meum inquã eſſe rẽgimen. — ſuffecerunt.

*Propoſito Salut.*

## EPIST. LII.

FRater noſter probabilia fecit quæcunque abs te gererentur, quod mihi cordi fuit, moneoque te vt ſicut cœpiſti in officio ſincera fide permaneas, furioſum illum ſuper quo ſcripſiſti, quia etiam pœnitens ſuſpectus mihi eſt, & germana ſanctitate vſque ad faſtidium E ſatiauit vehementer me recuſaturum cognoſce, ac ſi ſe iniecerit ne tridui moras excedat, cæteris perſuade quia quod toleremus, nõ opus eſt nobis extrinſecus quærere.

*Ad Regem Carolum.*

## EPIST. LIII.

PRæcellentiſſime Rex, licèt tacendo, loquendo ac ſcribendo, nihil hactenus profecerim, tamen quia Dei cauſa eſt quam ago, quieſcere non audeo, pro veſtra ſalute ac proſperitate vos admoneo & ſupplex flagito, vt voſmetipſos liberetis periculo, méque deuotiſ-

simum vobis famulum, secundum frequentes vestras promissiones, aspetrimo subleuetis labore, quæ beatæ memoriæ pater vester, intercedente gloriosa matre, peregrinis, & Dei seruis largiti sunt, ob redemptionem animarum suarum; hæc afflicti varijs necessitatibus, quatuor annorum spatio, quia omnes adesse non possunt, per me reposcunt à vobis, vt ipsa etiam eorum verba sciatis: dicunt iniustum esse vt à vobis fame torqueantur, & frigore; cùm assiduè pro vestra temporali & perpetua salute cogantur orare, nec vos omninò consecuturos fœlicitatem quam desideretis, donec cum patruolo nostro sancto Petro in gratiam amicitiæ redeatis. Ac ne putetis eos iocari, serio confirmant senes nostri experimento se proprio comperisse, idque sibi pueris à senibus esse traditum, quod quicunque monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi ertò resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis & vitæ pertulerit dispendium. Ne igitur tali re aut similibus vestram impediatis prosperitatem, nec seruorum Dei penuriam contemnatis, nec salutem vestram dubiã faciatis, reddite potius Deo vota vestra, dum potestis, ad cuius iudicium nimis tremendum quotidiè properatis nobiscum, in quo absque respectu dignitatum, aut personatum, vnusquisque recipiet quod meretur, vita hæc breuis, & incerta est, & iuniores vobis quotidie moriũtur. Ipse verò Deus promittit & minatur, qui glorificat me, glorificabo eum, qui autem contemnũt me, &c. Ad vitilem ætatem perducti estis, ne timeatis iustitiam facere, vt per eam thronus vester firmetur. Domine mi sex considera, quod sicut nuper in exhortatione prudẽter dictum est, iam pater es, & in magnis adhuc versatis laboribus, & talem te omnibus exhibe, vt boni te cupiant & optent videre, fortunatum atque fœlicem auũ, & post huius vitæ transitum, cœlestis patriæ possessorem.

*Necessario.*

## EPIST. LIV.

NOn ignotabam haud alites te quàm volebam, quàm q; oportebat factorũ, & maleficia illius perditissimi maxima ingenti auctoritate præuenturum, vnde & tibi gratulor, & omnipotenti Deo, si non dignas, certe quantas possum & ago & habeo gratias, qui sic me necessarijs aliqua in parte destituit, vt tamen hoc dispendium fidissimi deuotione suppleret. Nec verò ille impudenter inimicus solum cauendus & eludendus est,

hi

verùm & si quos nuper dubitando præfeci, tua semper industria confirmandi, vt dicto audientes existere contendant, nec sibi vllatenos ignoscendum arbitrentur.

venit i tutum

Vultus noster eùm redierit forsitan tibi metum detrahet, interim sine pauere ingratos.

*Ad Marcuuadum Abbatem Prumiensem.*

## EPIST. LV.

Cod. Heral. Marcuuado abbati clarissimo. L. præsentẽ & futuram salutem

DEsiderabili maximãque veneratione suspiciendo Marcuuado, Lupus salutem. Nithadi aduentus ad Syluacum, quò me monasterij necessitas traxerat, vehementer me lætificauit, cuius præsentia factum est, vt hæ litteræ vestræ paternitati redderentur, cum vos esse sospites, & communem filium Eigilem ex validissima infirmitate, opitulante fauore diuino, reualuisse ostendit. Tantam siquidem expertus sum vestram beneuolentiam & liberalitatem, vt nemini, quàm vobis me maiorem debere sentiam deuotionem. Verùm quanquam temporis malitia obstiterit, ne possem hactenus obsequijs pandere quòd meritò concupisco, bonitate vestra præfisus, audeo supplicare, ne ad Regem nostrum venire grauemini, quia & res vestras forsitan recuperare poteritis, & nobis in recipienda Cella sancti Iudoci prodesse plurimum, super qua & vobis iam & mihi sæpissime, & Ludouicu nuperrime tàm seriò promisit, vt si adesse dignemini, dilationis nullum possit inuenire perfugium, ita & rei discrimine terrebitur, quòd & peregrinis nobisque monachis à suo patre & matre relicta stipendia sustulit, & promissatum suarum serie cõstringetur, vt saltem tunc faciat, quòd olim se facturũ spopondit. Pridie kal. Decemb. ad Comitatum accessi, & ingentibus dispendijs atque laboribus cũ Rege versor, assiduè spes meas differente, propter absentiam, vt fatetur, Odulfi qui languere dicitur, nec tàm periculose vt vel admonitus corrigatur, quod optaremus, nec tàm grauiter vt moriatur, quòd propter eius certissimam damnationem doleremus. Properate itaque, vt quoniam propriores aliquantulum facti sumus post tanta spatia desideratis refouear alloquijs, & vestro annisu, auctore diuina gratia liberer angoribus vix ferẽdis. Talea quæso nostris estote poeris, quales non modò nostris, verùm etiam vulgò fuistis, omnibus paternitatem vestram piè quærentibus. Exiguitatis meæ nomine charissimum Eigilẽ, & reliquos omnes fratres dignamini salutare; laboriosissimum difficillimo tempore negotiũ, præsertim nihil meritus vobis imponere haud quaquã præsumpsissem, nisi quòd Rex noster vos ad colloquium inuitaret, comperissem, adeò vt mihi quoque hoc tempore præceperit, vt si fortè ad monasterium nostrum accederetis, ad se vos deducendos curarem, vtque licentiam impetraturi inter alia commode Imperatori suggerere possetis à me fratribúsque nostris, qui pro eo semper oremus, vos precibus fatigari vt quoniã de loco nostro sitis à quo vos corpore duntaxat Ecclesiastica vtilitas abduxerit, isque diminutione facultatũ vehementer attenuetur atque religioni paupertas impedimento sit, intercessionis opem instaurationi eius impensissimo studio conferatis. Vale Domine patérque charissime, Lupi que tui semper benignè memineris.

*Ratberto Abbati.*

## EPIST. LVI.

BOnis omnibus amplectendo Ratberto, Lupus in Domino salutem. Habita diligenter opportunitatis ratione, suggessi Domino Regi, annuente Vulgario nostro super Iuone, id vos postulare, vt quoniam nec ad monasterium remeasset, & verisimile esset eum quæ fuerit solitus iterare, si quando reuerti tentaret, ne in sui aliorúmque perniciem potestatis eius præsidio muniretur, siquidem esset indignum eius maiestate nisi resipiscentibus peruersis aperire accessum, nedum impunitatis indulgere securitatem. Ille quo solet vultu cùm gratiosus apparet, prius quædam alia iure se, ipsi monacho deinceps negaturum auctoritatis aditum respondit, quo hactenus vti contempserit, atque hoc sibi satius videri ne pereat vt constringatur conuenienti custodia, priusquam societatis communionem recuperet, nos verò tamen si offerret quæ sperare vix omnino possemus, idque vt par erat amplecteremur, vos nec citra decretum regulæ subsistere, nec vltra vel progredi constanter astruximus. De liberalitate vestra quid sentiam, nolui præcipiti declarare præconio, donec experirer in copia piscium quæ ventura erat, cum maxima, tum etiam vt opinabar, optima, mei supergrederetur ingenioli facultatem.

*Eidem.*

## EPIST. LVII.

DIlectissimo Abbati Ratberto L. omnimodam salutem. Quod flagitastis exequi absque dilatione contendi, euoluisque ratiocinationibus [illegible], ad hãc virum compuli conditionem, vt non modo noceat [illegible]hil, verùm etiam prosit plurimum, si erga eius propinquum

quum, qui tempore tumultus discessit, & instaurata pace reuerteretur benigni extiteritis. Id vos & libenter facturos, & etiam in omnibus quæ iubere dignaretur obsequuturos, dum eius gratia frueremur fiducialiter spopondi, atque eo vsque institi donec firmissimè promitteret nihil se vobis offecturum, nisi prius mecum causam conferret. Itaque modum petitionis meæ hoc fine terminaui, vt si quãdo rebelles eius fauore suas querelas fulciri deposcerent, non vulgo adquiesceret, verũ res duntaxat dignas vestræ conscientiæ reseruaret. Quædam alia comperi tam cautè reuelanda, vt ea literis cõprehendere tutum non putauerim, támque necessaria cognitu, vt quàm potestis celerius præterita qualibet alia vtilitate, mihi ad colloquium occurrere debeatis. Cæterum nisi iam molestum sit, profecturis mihi cum Rege si Deus vult, ad Syluiacum nuncium dirigite, vt cum gratias agere cœpero, vberius dicendi copia frustra conantem plurima non destituat, vt verò epistolam serio claudam, obsecro ne sim vobis oneri, quod nimiæ familiaritatis fiducia multa postulo, quia si vitam & prosperitatem Deus mihi concesserit, non sum nunc ad accipiendum paratior, quàm quondam ad largiendum esse curabo.

*Eidem.*

### EPIST. LVIII.

QVod petiistis nec dum Regi suggessi, quòd opportunitas defuit, maturabo tamen vobis, cooperante Domino, morem gerere, communi honestate seruata. Benè valete.

*Ad Marcuuadum Abbatem Prumiensem.*

### EPIST. LIX.

NOn ignoratis credo reges nostros apud Traiectum hebdomade secunda quadragesimæ celebraturos colloquium, quò me trahit Ecclesiastica necessitas, qua vrgente, vt vobis iam aliis expressi literis, cum rege quartum ago mensem, ita vt ne die quidem à comitatu abfuerim; præbeat igitur se mihi saltem illic desiderabilis vestra paternitas, vt nostra familiariter viua tandem voce valeamus cognoscere, siquid præterea, vt passim soletis, omnibus nobis quoque facultas fuerit impendere, libenter nos accepturos cognoscite. Debent enim parentes thesaurizare filiis, vt fallere nescia diuini spiritus confirmat auctoritas. Benignè mei memores estote. Cupio vos valere fœliciter.

*Ad eundem.*

### EPIST. LX.

CHarissimo patri Marcuuado Lupus. Officiosa humanitas vestra vicit petitionem meam quæ leuiter tetigit, quod temporis poscebat necessitas, proinde fuit ea gratior, quàm æstimare valeant, ærumnarum expertes. Molestissimè autem fero, quod vobis non visus discedo, quanquam consolatur meam mœstitiam, quòd post Pascha nostram vos visitaturos pollicemini paruitatem. Commodè autem & me præsente id vos facturos puto, si secunda hebdomade mensis Maij iter ad nos arripiatis. Nam quinto decimo die post pascha Synodus magna, vt aiunt, apud Attiniacum celebrabitur, cui me abesse nequaquam, vt credo, nostri præsules patientur. De Cella nostra nihil aliud paternitati vestræ possum exprimere, nisi quod promissionũ vbertas, spes nobis varias penè quotidie pariat, & quod sicut omniũ propter malorum illius quoque rei effectus incertus sit. Abbas monasterij quod Germanicè Saligstat appellatur, cui nomen est Ratlegio, partem quandam cuiusdam libri faciet mihi describi, eámque vestro mihi reddendam nuntio se traditurum promittit, atque obsecrat vt tabulas quas Hilpius pictor, beatis vouit martyribus, hebdomada secunda post Pascha ipsi dirigere dignemini. Quod etiam causa petitionis meæ vos maturare cupio, vt cùm ad nos veneritis, præfatam partem ipsius libri nobis adferendam curetis, in pueris multum nobis præstiteritis, si quod cœpistis paterna pietate, non grauemini consummare. Capitis autem dolorem nepoti meo parcitas potus forsitan detrahet, si eius appetentior fuerit deprehensus, alioqui nostro curandus reseruabitur medico, qui omnes quarum nullam non ignorat depellere se posse confidit infirmitates. Integerrimè vos amans feliciſsime valete desidero, & vt me semper apud Dominum præcipuè iuuare dignemini supplex efflagito.

*Ad Guigmundum Eboracensem Episcopum.*

### EPIST. LXI.

REuerendissimo, magnáque veneratione suspiciendo Guigmundo Eboracẽsis Ecclesiæ Antistiti, cunctísque sub eo Domino Deo famulantibus, Lupus Abbas, & vniuersa Cœnobij Ferrar. congregatio in Domino salutem. Ingens fluxit spatium temporis per quod turbationibus variis erebrescentibus, societas, quæ à præcessoribus nostris, auctore Domino, inita est, nulla præter orationes protulit indicia charitatis. Nunc autẽ aperiente se gratia pacis, & recepta Cella sancti Iudoci vnde & hæc scribimus, curauimus vt par fuit priores certare officio, vosque siue ad repetendã, siue ad declarandam amicitiam prouocare. Ac primùm illud ante omnia suppliciter poscimus, vt & in priuatis & in publicis precibus nostri memores esse dignemini. Deinde volumus vt vicissim nobis præstare studeamus, quidquid gratiosum fore literis vtrinque directis constiterit, & facultas permiserit. Maturate igitur vestram nobis pandere voluntatem, vt & ad morigerandum vobis continuò præparemur, & fructu dilectionis Dominus Deus noster glorificetur ac delectetur. Cupio vos valere fœliciter amantissimi patres.

*Ad Altisigum Abbatem.*

### EPIST. LXII.

VEnerabili Altisigo Abbati, Lupus monasterij Bethlemitici siue Ferrariensis in Domino salutem. Ingenti clementia Dei nostri discordiæ peste mitigata, quæ totas Gallias Germaniámque hactenus vexauit atrociter, inter ipsa pacis exordia fœdus quod inter nostram vestrámque olim fuit Ecclesiam, directis ad reuerendum Guigmundum Episcopum literis studui renouare. Quia verò vos amore sapientiæ, cuius & ego sum auidus, flagrare comperi, vel secundum illud Tullij, Pares cum paribus facilè congregantur. Et iuxta receptæ scripturæ assertionem; Omne animal diligit sibi simile, sic omnis homo; hac epistola meam offero & vestram expeto amicitiam, vt nobis vicissim cum in sacris orationibus, tum etiam in quibuslibet aliis vtilitatibus prodesse curemus, atque vt quod polliceor vos exequamini priores obnixè flagito, vt quæstiones beati Hieronymi, quas teste Cassiodoro in vetus & nouum Testamentum elaborauit, Bedæ quoque vestri similiter quæstiones in vtrumque Testamentum: item memorati Hieronymi libros Explanationum in Hieremiam, præter sex primos, qui apud nos reperiuntur, cæteros qui sequuntur; præterea Quintiliani Institutionum Oratoriarum libros xij. per certissimos nũtios mihi ad Cellam sancti Iudoci quæ tandem aliquando nobis reddita est, dirigatis tradendos Lantrano, qui benè vobis notus est, ibique exscribendos, vobísque quàm potuerit fieri celerius remittendos. Quòd si omnes non potueritis, at aliquos ne grauemini destinare, recepturi à Deo præ-

mium impletæ charitatis: à nobis autem quamcunque possibilem duntaxat iusseritis vicem tanti laboris. Valete, nósque mox vt se opportunitas obtulerit exoptabili responso lætificate.

*Ad Prudentium Episcopum Tricasinum.*

EPIST. LXIII.

CHarissimo suo Prudentio Lupus in Domino salutem. Septimo Idus April. Heriboldus Episcopus paulò ante regressus à Rege, mandauit mihi ex præcepto eiusdem Regis, vt quoniam se ipse legationis functione absoluisset, eandem nos strenue ac celeriter exequeremur, vt in conuentu generali, memoratus Rex de singulis locis posset certior fieri. Itaque quia & tempus B appropinquat, nec sine difficultate maximè propter equorum pabulum colloqui possumus, nec verò ante copiam herbæ quòd iubetur inchoare & valetudinem vestram, & quid super hac re vobis placeat continuò directis literis declarate. Vt autem hinc meam sententiam vobis aperiam superuacuum iudico, locorum statum iam perspeximus iterum adire, quando nulla sit correctio subsecuta, & in Aurelianensi ac Senonico & vestro ac nostro pago restent quædam Cœnobia in quibus tempus interim terere possimus, vt sicut in aliis locis, ita & in his etiam emendanda per nos Rex cognoscat, & ne in legatis eius ipsius iussio contemnatur. Si voluerit sentiat, quanti enim simus habiti, imo ipse qui nos miserat, nobis impensus honor patefecit, & monasteriorum instaurata religio. Proinde antequam legationem adoriamur, Regi, per me de his quę videbũtur suggerere statui, C & tractorias accipere, & tunc fauente Dei gratia proficisci, vicissim ergo sensum vestrum literis exprimite vt optimum factu ex vtriusque ingenio colligatur. Illud autem non vos fugiat quantumcunque in hac legatione laborauerimus, nec nobis, nec hominibus nostris aliquid remittendum, quia agamus quod cæteri, si motus his qui hactenus vexarunt extiterint similes.

possumus

*Exhortatio ad Carolum.*

EPIST. LXIIII.

VT pacificè fœliciterque regnetis, obsecuanda vobis fideli deuotione collegi, creatori vestro Deo D & iudici futuro gratias habete semper & agite, qui vos hactenus malis pluribus liberauit, & bonis multiplicibus exornauit, vtque vobis initium, profectum, atque perseuerantiam in bonis actibus largiatur, quotidianis precibus flagitate. Cùm essetis paruuli loquebamini vt paruuli, sapiebatis vt paruuli, nunc autem ad virilem perducti ætatem, secundum eundem Apostolum, in quo euidenter Dei spiritus loquebatur, euacuate quæ fuerunt paruuli. Scilicet stulta quoque atque inania declinantes rationabilia præsenti & futuræ saluti profutura sectamini, quæ agenda sunt prospicite diligenter, & retractate subtiliter communicato consilio cum Dei vestrísque perfectè fidelibus, quia vt diuinum nos instruit eloquium, qui sibi nequam est, cui bonus erit? nec E vos cuilibet ita subiiciatis, vt ad eius arbitrium omnia faciatis: cur enim regium nomen prætenditis, si regnare nescitis, vt pace cunctorum dixerim, non expedit vobis & populo vt aliquem vobis æquetis, nedum præponatis, quoniã Deus qui scit quid sit in homine, præmonet, ne des potestatem filiis tuis in vita, quia melius est vt illi te deprecentur quam tu illos: si filiis hoc non est concedendum quantò minus aliis? vicem vos gerere Dei quis ignorat? at ipse dicit, gloriam meam alteri non dabo. Non admittantur ergo à vobis monitores quos baiulos vulgus appellat, ne gloriam vestrã inter se ipsi partiãtur, & meliorũ amorẽ alienent à vobis. Imitatione Dei, nolite personaliter iudicare, sed in eadẽ causa diues, mediocris, & pauper eundem vos sentiant, vt sit quod potentes A terreat, & quod mulceat non resistentes. Benè semel gesta, nunquam nisi in melius immutaueritis, vt fidem vestram atque constantiam cuncti mirentur. Fugite leuitatem, morum maturitatem apprehendite, vt vestra probitas cunctis possit prodesse subiectis: Vitate malorum societatem, quoniam vt scriptum recolitis, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Amplectimur bonorum Collegium, quoniam cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris, & cum electo electus eris, & cum p. p. Et apud eundem Regem & Prophetam pulcherrimè dicitur, Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat, &, Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis, & quos cum vultis extenuare potestis. Ne confidatis in Principibus, in filiis hominum in quibus non est salus, sed transferte spem vestram ad Deum, qui fecit cælum & terram, qui custodit veritatem, in sæculum. Concipite honestam veritatem vt quod vos non decet præstare, nemo scienter à vobis audeat postulare. Cogitate multa, nec dicatis omnia, quia vel iuxta diuinam scripturam, qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam, vel iuxta sæcularem litteraturam; Quod occultum velis, nemini dixeris. Quomodo namque poteris ab alio exigere silentium quod tibi ipse non præstas, & non potest vox missa reuerti, communem vtilitatem & oportunitatem omnium charissimam vobis omnes intelligant, vt certatim omnes sibi vos præferre contendant. Diuinas & humanas leges iustas duntaxat nemo sinatur contemnere, quia malorum impunitas, vitiorum semper peperit incrementum, humilitas cuncta opera vestra venustet, quia scriptum est: Quid superbit terra & cinis? Et quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, & ipse Redẽptor noster admonet: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animis vestris Eleemosynis assiduis Deum vobis placate, secundum illud, Miserere animæ tuæ placens Deo, quia vt sacræ continent litteræ, eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Saluator quoque hanc ita cõmendat, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, Glorificate Deum in omnibus, quoniam ipse testatur, qui glorificat me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Rex etiam & Propheta eximius sic sibi Deum præponit: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Hæc studiosè custodientes Deo, & bonis quibusque placebitis, rebelles Deo, vt credimus pro vobis pugnante, comprimetis atque vincetis, & post regnum temporale atque laboriosum consequemini sempiternum & verè quietum.

ſimul

cum

*Fratribus quibus præerat.*

EPIST. LXV.

DIlectis fratribus suis, Lupus Abbas in Domino salutem. Flagrante cupiditate hostes nostri multa quidem conati sunt, sed protegente nos Domino meritisque sanctorum spe sua deiecti sunt: eodémque opitulante nunquam optatum sibi consequentur effectum, quod vobis declarare studui, vt Deo & sanctis eius digne gratiæ referantur, & recepta securitate mentes vestræ quietis gratia perfruantur.

*Ad Reginfridum Episcopum.*

EPIST. LXVI.

REuerentissimo præsuli Reginfrido Lupus in Domino salutem. Profectutis Romam transitum nobis fore haud longè ab vrbe vestra didicimus, vbi vestram humanitatem quam animo percipimus, re ipsa cupimus experiri, maximéque cuius nobis penitus copia deest,

deest, Italieas mooetas argento, quod solum vsui futurum est nobis, permutandt, id concorditer quique cōfirmant. Conspectum quoque vestrum, fauente Domino, nobis exhibebitis, vt officij beneficium hac vt decet gratia cumuletis. Sanè adoeotus nostri certum tempus præfigere non præualeo, tamen hunc futurum aut præcipiti æstate, aut prima suspicor parte Autumni. Bene vos valere cupio.

*Italicæ moneta permutandi id. Interrogans*

*Ad Vv.*

*Venerabili VV. Lupus.*

## EPIST. LXVII.

TAm videndi vos occasio sese obtulit, quàm ab vrbe, quæ in vestra cura & patrocinio requiescit, Romam proficiscentibus, quò ipse tendo, iter patere cognoui: Facite itaque vt positis aliis occupationibus sinceræ charitatis fruamur alloquiis de præsenti vtilitate & futura salute tractemus. Ociosum autem existimo præmonere vt me iuuare his quæ vsus poposcerit, studeatis, cùm nihil derogare debeam vestræ prudentiæ, & liberalitati confidere plurimũ. Peritiam ergo regionis in qua versamini, affectúmque patriæ in qua creti sumus, præstare nobis coocedite. Transibo verò si Deus vult per vos, vt opinor, aut extrema æstate, aut certè primò autumno. Cupio vos valere fœliciter.

*Venerabili V. Lupus. Nec opponentis nobis, optantes tamen videndo quid*

*vero*

*Ad Dominum Marcuuadum Abbatem.*

## EPIST. LXVIII.

CHarissimo ac desiderantissimo patri Marcuuado Lupus, plurimam salutem. Oratioois gratia & quarundam Ecclesiasticarum studio causarum, quas Deo volente, reuersus cum vos videro paternitati vestræ pòst aperiam. Romam proficiscor, & quoniam in conficiendis rebus Apostolici notitia indigebo, ea verò sine munerũ intercessione iniri commodè non potest, velut ad paternum, imo ad maternum gremium, ad vos confugio, supplicans vt sicut nunquam mihi oulla necessitate defuistis, ita nunc adesse dignemini, mihique, si vllo modo potestis, per præsentes nuncios duo saga veneti coloris & totidem lintea, quæ Germanicè glizza vocantur, dirigatis, quæ illi comperi esse charissima, horum si fuerit vobis integritas ardua, oequiequam videbitur nobis ipsa medietas contemnenda; namque ita sæculari eruditione docti simus vt sperantes minora, maiora poscamus. Ac ingenio nostro latiorem defuisse materiam suspicemini, si equo tollutario, vel quolibet alio fortissimo, nostrum iter subleuaueritis, plurimum nobis collatum esse ducemus. Sanè nihil me obtinuisse molestè non feram, si communicatis his literis cum communi filio Eigile, risum vterque vestrum tenuerit. Cupio vos valere fœliciter, meíque benigne memoriam gerere.

*in hac*

*tolutario,*

*Ad Ansbaldum.*

## EPIST. LXIX.

DIlecto suo Ansbaldo Lupus salutem. Molestè tuli quod tanta opportunitate comperta, vt parcissimè dicam, nihil mihi & mandare & scribere voluisti. Iam quanquam curam nostri tam facilè deposueris, quod in te reprehendo, ipse nequaquam imitabor, sed me aspernante pio complectar colloquio. Tulliaoas epistolas, quas misisti cum nostris, conferri faciam, vt ex vtrisque, si possit fieri, veritas exculpatur: cur autem hinc nostro cursori trade, vt ex eo, quem me impetraturum credo suppleantur. Bene vale, & tuis me semper orationibus protege.

*tamen*

*so autē hic credo, quæ deesse illi Egil noster aperuit, suppleantur.*



*Ad Marcuuadum.*

## EPIST. LXX.

DEsiderantissimo & integritate vitæ merito suspiciendo Marcuuado Abbati Lupus perpetuam salutam. Dignas vobis rependere gratias non valemus, sed non idcirco & verbis id tentare non debemus. Siquidem inter alia quæ nobis iam plurima præstitistis, linguæ vestræ pueros nostros fecistis participes, cuius vsum hoc tempore pernecessariũ nemo nisi nimis tardus ignorat. Itaque oon istis gratam rem solum, verum etiam vtilissimam nobis omnibus contulistis. Dilectissimum fratrem Eigilem & ceteros iiij. Non. Septembr. lætus excepi. Sed vt congruum curationi tempus impenderent iusto celerius dimisimus, ea conditiooe obstrictos, vt per nos dum redierint proficiscantur, sumus enim de eorum sanitate & ipsorum & vestri causa vehementer solliciti. Cæterum hunc nouitium cursorem nostrum vestræ sanctitati commendamus, omni genere conuersationis professioni suæ respondentem, nisi quod adhuc credo propter timores nocturnos, solus cubare non potest. Opto vos valere fœliciter, meíque semper paterno affectu meminisse.

*Ad Regem Carolum ante recuperationem Cellæ.*

## EPIST. LXXI.

PRæcellentissime Domine, mi Rex, humiliter supplico, vt suggestiooem tui deuotissimi famuli digneris prudenter cogooscere, & clementer tractare. Religiosissimus nuper Ludouicus vestræ nobilitatis auctor, ad petitionem gloriosissimæ memoriæ Iudich Augustæ matris vestræ, Cellam sancti Iudoci monasterio Ferrariensi contulit, & suum donum præcepto confirmauit, vt & monachi absque inopia in monasterio Domino seruirent, & in præfata Cella hospitalitatem, iuxta Domini timorem peregrinis impenderent, atque pro vtriusque salute & prosperitate Dominum delectabiliter exorarent. Eorum eleemosynam primo benignè concessistis, oouo etiam præcepto firmastis: sed postea ad persuasionem eorum qui cum Dei offensione non timent ditescere, euacuata duplici eleemosyna votum secularium de memorata Cella implere coacti estis. quam ob causam nunc Domini serui qui pro vobis assiduè orant, hoc triennio consueta vestimenta noo accipiunt, & quæ efferre compelluntur ——— & plerumque leguminibus emptitio grano sustentantur. Piscium & casei consolationem ratimissè consequuntur, famuli debita in Dominum tamen accipiuot, quæ omnia nobis ex prædicta Cella ministrabantur. In qua intermissam transmarinorum curam, aliorúmque pauperum & neglectam sui culturam vtinam vobis Deus non imputet, me præter communem necessitatem & singularem laborem grauissime pudor onerat, quia id quod alij Abbates ad stabilitatem religionis munificentia imperiali consecuti sunt, ego quasi omnium vilissimus & inutilissimus, amisi, tamen spem gereos recuperandi meo seruitio quod nulla in vos culpa ooxius, vt Deus testis est, perdidi, maximè cùm vestram promissionem inde teneam, quam fallere nefas est, imploro, quod iustè reposcimus, ne vlterius differatis † fidem enim vobis propitiam & nos vltimos famulos vestros reddetis ad intercedendum pro vobis omni tempore promptiores.

*attri & & plerumque resarta sunt, leguminibus emptitiis sustentantur.*

*grauissimus.*

*reddatis*

† *sed continuo vobis nobisque dignemini consulere, vt & Dominum faciatis vobis propitium.*

*Ad Didonem ex parte Marcuuadi.* — *Expers Marcuu.*

EPIST. LXXII.

REuerentiſſimo & plurimorum præcoiiis celebrãdo Didoni, Abbati, Marcuuadus plurimam ſalutem. Artis veſtræ ſingularis peritia multorum oratione *ore,* per uulgata, fratris Nitchardi potiſſimum relatione nobis innotuit, quo etiam referente comperimus, paſſim vos acceſſum indigentibus aperire, & ſempiternam vſuram temporali ægrotantiũ remedio procurare, vnde tametſi vobis adhuc ſumus ignoti, non dubitauimus propter eiuſdem religionis vnitatem, cuius etiam vos obſeruantiſſimos gratulamur, materiam præſtandi nobis beneficij vltro proponere, parati veſtræ opinatiſſimę liberalitati modis quiboſcnnque poſſumus reſpondere. namque & filij noſtri, qoos & veſtros optamus, *hi* moleſtia corporis laborabant, qnam aliquot adhibiti apud nos medici propulſare nequiuerunt, hos Domino & veſtræ charitati fidentes curãdos vobis offerimus, vt per vos optatæ ſanitatis ſolatia recuperantes, auctori eiuſdem nobiſcnm gratias referant:& veſtro labori illi qaidem deuotionem quam ſolam poſſunt, vtpote monachi repenſent:nos autem dignum omnino ſeruitium perſoluamus, petitionem noſtram diu verbis extendere noluimus, ne fortè de veſtræ caritatis perfectione dubitare videremur, quæ non ſolùm ignotis, verùm etiam inimicis prodeſſe contendit, & ideo vt optimè noſtri oraculi mandatum atteſtatione prophetica confirmatur. Optamus vos valere fœliciter.

*Ad Guenilonem.*

EPIST. LXXIII.

REuerendiſſimo antiſtiti Gueniloni —— cuius lectione veſtro victus amore pœne —— —— per communem propinquum noſtrum ab ra *Era* —— dirigite. Quem quantopere diligantur —— —— quòd eum præter vos nulli vnquam paſſus ſim —— autem Eccleſiæ noſtræ quòd ſannm appr —— æquiſſimum iam decreuiſtis & —— —— quærere ipſi optime intelligitis, quamqnam in proximo conuentu vobis gratias retulerim, putans penitus litem eſſe ſopitam, noueritis nihil eſſe definitum, ſed ad vorum eorum qui etiam iniuſtè noo erubeſcunt, immò appetunt eſſe victores, occaſione dilationis presbytero veſtro præpararum quod quæſiuit emolumentum, ac noſtro quam ſaſtidit iam ſpem inanem relictam boni de veſtra inſigni prudẽtia, quæ didicit ex Euangelio non perſonaliter iudicare, inſtructa eſt, etiam illo veteri præcepto: Iuſtè iudica proximo tuo, iudicij veritatem, vt cœpit conſtanter & citò perficiat, ne quod abſit abotuntur veſtra nobilitate, qui cupiditatis patrocinium ſuſcepere: nam & ipſa illis ad ſubuerſionem Eccleſiæ noſtræ oratorium nouum commenta eſt, & ne veritati acquieſcant, vnanimitatem quo charitatis diſſoluant, adhuc indefeſſa hortatur. Peto etiam vt ad ſupplicationem Gerobaldi presbyteri Laudiaconum eius propinquom, in ipſius titulo digremini ordinare, quoniam difficultate viſus frequenter non ſufficit ſacerdotale munus implere. Cæte —— —— perfectione quæſo me fieri è veſtigio certiorem —— —— digno tamen qualicumque paruitatis meæ diſcedatis —— valere fœliciter ——

*Ad eundem.*

EPIST. LXXIIII.

—— Præſuli, Gneuiloni. L. in Domioo ſ. T. Liuium per honc —— agite, quia illo non

A mediocriter indigemus. Benè —— tamen poſtulauimus dignamini implere —— ſanctos ordines largiemini participem cum —— —— inſenum infirmitas illius promotione —— —— meum quòd elaboraui delibero at —— veritati precij quo redempti ſumus ipſe vobis elegi oſtendere quàm per quemlibet dirigere, vt otio nobis diuinitus collato, tantarum rerum vtilitatem facilius mecum poſſitis aduertere.

*Ad Bertoldum.*

EPIST. LXXV.

DIlecto ſoo Bertoldo, Lupus ſalutem. In hoc, quem nuper habuimua conuentu, quamqnam voluiſB ſem, idque Epiſcopo veſtro dixiſſem, demiror contigiſſe, ne nos inuicem videremus. præter alia verò quæ inter nos familiariter conferrentur, ſtatueram vos precari quòd nunc efflagito, vt in ſaltu apud Mattiniacum veſtram largiamini nobis viginti arbores, earúmque *aliquos* petitos commodetis aliquos cæſores, vt ſumptibus no- *ſcalis* ſtris nauiculam nobis componant meliorem, quàm inuenire poſſimus venalem. Per hunc ergo nuncium quod vobis concedere placuerit remandare.

*Ad Hincmarum.*

EPIST. LXXVI.

C CLariſſimo præſuli Hincmaro, Lupus perpetuam ſalutem. Collectaneum Bedæ in Apoſtolum ex operibus Auguſtini veritus ſum dirigere, propterea quòd tantus eſt liber, vt nec ſinu celari, nec pera poſſet ſatis commodè contineri, quamquam ſi alterutrum fieret formidanda eſſet obuia improborum manus, quã *rapacij tas* profectò pulchritudo ipſius codicis accendiſſet, & ita forſitan & mihi, & vobis periſſet, proinde tuto vobis memoratum volumen ipſe commodaturus ſum cum primo, ſi Deus vult, aliquò nos cootigerit ſoſpites conuenire: Primas autem nuces, qood curſor ferre potuit, *Pineas* hoc eſt, decem, mittendas curaui: reſcripto veſtro no *reſcripto* tan j vt ſcripſiſtis me priuauit impedimentum, curſor *veſtrum* idem noſter ad hoc directus vt à vobis propoſitum eſt, *quo notarij* id accipiat, vt lectione illius & erudiar vel delecter; D Benignè vos mei memores opto valere feliciter.

*Ad Pardulum Laudunenſem.*

EPIST. LXXVII.

CHariſſimo Pardulo Lupus plurimam ſalutem. Secundum quod ſtatuiſtis direxi nuncium, qui ſuper meis recentibus literis quid vobis viſum fuerit, & quæcunque cognito neceſſaria iudicaueritis comprehenſa veſtris apicibus reportaret. Peto itaque ne illum vacuum aut tardiuos remittatis. Cupio vos valere fœliciter.

*Eidem.*

E EPIST. LXXVIII.

VNice, ſingulariterqoe dilecto Pardulo Epiſcopo, Lupus in Domino ſalutem. Sacris Domini Regis non ſum euocatus, propterea ad conuentum non veni, litterarum ipſarum exemplar dirigendum curaui, vt ſi ſortementio de me inciderit, iuſtè me remanſiſſe poſſitis oſtendere Cæterũ quia me intra conſeptũ familiaritatis admiſiſtis, quæſo vt & nunc, & quotieſcumque poſſibilitatem Dominus largitus fuerit, turum veſtra interceſſione reddere curetis, ego vt noſtis hoſtem ferire, ac vitare non didici, nec verò cætera pedeſtris ac equeſtris militiæ officia exequi, nec rex noſter ſolis bellatoribus

latoribus indiget. Admonitu vestro; & si opus fuerit, si expeditio iogruerit obsecto doceatur, vt quoniã studia mea non magnifacit, vel dignetur considerare propositum, & alia mihi iniungere, quæ ab illo penitus non abhorreaot. Id si me siocere amatis, sic potestis efficere, vt non solum offensæ contraham nihil, verùm etiam gratiæ consequar aliquid, ita mihi comperta & probata est vestra prudentia. Itaque quia & locum habetis, & mihi & quibuscumque valetis, quæso succurrite, certi & Dominum iostum retributorem futurum, & nos sincetam beneficiorum memoriam habituros, litteras quæ me lætificent remittite, & mei benignè semper memores bene valete.

*dum ispatio & loci habetis.*

*Clarissimo fra. R. Lup. S.*

*Ad Rotrannum Monachum.*

## EPIST. LXXIX.

QVoniam ad conuentum non euocatus, nolui me vltrò ingerere venerabili Episcopo Hincmaro literas dirigẽs, Epistola alia Hilmeradi nostri causam apud eum studui commendare. Ea eisdem literis verba hic posui, vt eidem Hilmerado possitis ostendere, quàm velim rebus eius fauere. Hilmeradus, inquam, quem Rex Ambianensium esse Episcopum iussit, quadam mihi necessitudine coniunctus est, cui supplico prosit quod apud vos plurimum valeo. Nam licèt desit ei forsitan aliquid eruditionis, tamen poterit esse vtilis, cum & vestræ doctrinæ parebit. Et si plenè non potest docere instituta diuina, poterit tamen facere vnde & ipse & eum sequentes efficiantur salutis æternæ capaces. Hæc ad illum sic scripsi, vos quæso vt in cœpta semper amicitia maneatis, certi me nunquam ab officio recessurum, bene vale.

*inter*

*efficiantur*

*valete.*

*Ad Vsuardum Abbatem.*

## EPIST. LXXX.

DIlecto Vsuardo Abbati, & Archidiacono, Lupus in Domino salutem. Noo estis obliti quemadmodum vobis præsentibus, maioribus Ecclesiæ vestræ constitutum Synodi decretũmque metropolitani Amuli ostenderim super presbytero Gedelgario, terruerimque vos, nisi præceptum Domioi nostri Regis confirmantis quod iaocta Synodus & Metropolitanus iussisset impleretis, futurum vt iacturam grauis exilij pateremini. Verùm quia id hacteous distulistis & memoratus presbyter, tam diuturoam calamitatem cupit effugere, Synodali & Metropolitaoi simulque aoctoritate Regia commoneo, vt quod pro me vobis iniunctum est sine dilatione perficiatis, ne forte pro triplici contemptu, multiplicem vindictam sustinere cogamini: Breues etiã quos de facultate mooasterij vestri mittere debuistis, vt apud Sedelocum mihi reddantur absque vlla excusatione procurate. Bene valete.

*Ad Amulum Episcopum ex parte Guenilonis & Gherrardi.*

## EPIST. LXXXI.

REuerendissimo & clarissimo præsuli Amulo Guenilo Episcopus & Gherrardus Comes plur.s Multa & magna iossu Domini nostri regis, ex eius parte familiarissimè vobis mandata teuelassemus, si quod ipse optauit, quod etiam suis vobis literis significauit, nos quoque plurimum volumus ad Augustumdunensem vrbem vacuum fuisset vobis expectationi nostræ occurrare. Sed quod nuncij vestri certissimas impossibilitatis vestræ causas nobis prodiderunt, quæ copiose multipliciterque dicenda verbis nobis commisit, scosuon veritate seruata, conati sumus vestræ sapientiæ compendiosis literis aperire. Præcepit itaqua vt eius vobis sermonibus diceremus, se fideliter tenere, quod Rex regum idémque sacerdos sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cœlum euexit, semper cum suis futurus diuinitate, potestatem suam ad eaodem gubernandam Ecclesiam, in sacerdotes diuisit, & reges: vt quod sancti docerent pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent deuotissimi Reges. Quamobrem se cupere debitam sanctitati vestræ impeodere reuereotiam; sicut ei quem sciat diuinitatis cultum integrè velle seruare: Atque vicissim postulare, vt cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, vt vbicunque ecclesiasticæ vtilitati in portione regni diuinitus sibi collata, vestræ autoritatis dispositione in re tanta cupit consulere, Vnanimitate vestri consensus cootinuò adiuuetur, & ne vos longis ambagibus diutius fatigemur, recens incommodum Augustudunensis Ecclesiæ, & prolixa perturbatio, flexit eius pietatem, vt sua largitate vestrâque promotione talem ei præficiat, qui ruinas illius & spiritualiter & seculariter strenuè sarcire sufficiat. Est autem quem benignitatis vestræ plurimum commeodat, propinquus eius Bernus, ab ætate memoriæ gloriosæ Imperatoris Ludouici tenere educatus, & claris ornatus honoribus, quem & ipse boe suo tempore multis experimentis iouenit idoneum, & opitulante gratia Dei, tanto negotio credit aptissimum. In hoc probatissimorum eius consiliariorum acquiescit consensus. Idque vestræ prudeotiæ Dominus noster oobis iussit, suggerere non esse nouitium aut reinerarium; quod ex palatio honorabilioribus maxime Ecclesiis prucurat antistites. Nam Pipinus, à quo per maximum Carolum, & religiosissimum Ludouicum Imperatores duxit Rex noster origioem, exposita necessitate huius regni, Zachariæ Romano Papæ in synodo, cui martyr Bonifa. ius interfuit, eius accepit consensum, vt acerbitati temporis industria sibi probatissimorum decedẽtibus episcopis mederetur, ne fortè simplicitate pontificum posset cotingere, quod in hac Heduorum vrbe, cuius nos nunc cura exercet, euenit. proinde se petere vt honorem à Papa Romano maioribus eius, & regibus, & Imperatoribus concessum, & à Lugdunensis Ecclesiæ Metropolitanis, cui auctore Deo præsideris, oonquam hactenus infirmatum, à vobis nulla vestra iniuria consequatur, quòd si in hac parte spretus non fuerit, facturom se vt in regoo eius vestrum ministerium, debitam semper venerationem obtineat, & optatum exitum sortiatur. Cuius petitiooi nostras oos supplices iungimus preces, vt quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat, vt in obsequendo vobis non solum nos, verumetiam illos faciatis, quod optamus, cupidissimos debitores. Idque impetratum à matre fidissima nobis familiaritate volumus, vt quòd vobis Deus inspiraoerit, nobis quàm celerrimè litteris ostendatis, vt per nos citius Dominus noster Rex quod plurimum cupit, beneuolam in se vestram cognoscens voluotatem, dignae Deo referat gratias, & antequam necessitate regni longius abductus, damnosam præsulis dilationem recipiat, vobisque fidissimum adiutorem dirigat ordioandum. Godelsadum etiam quem ex palatio suo more prædecessorum Regũ maiorum suorum, vt antè monstratum est, Cabilonensi præfici Ecclesiæ flagitat idem Rex, in hac quadragesima non grauemini ordinare: quòd si per absentiam Teobaldi Episcopi visum fuerit impossibile, quocumque tempore constitueritis congruum vobis curabimus ex Episcopis nostris facere supplementum, vt quod prosit populo Christiano, absque dilatione per vos Deus implere dignetur.

*perpetuũ s.*

*Augustodunensẽ*

*vestra*

*abducatur, retardet.*

*Cabilonensi præfi in Ecclesia. Flagitat idẽ Rex*

*Ad Guenilonem metropolitanum.*

## EPIST. LXXXII.

*Erlegrandus* / *Erlegrandus*

REuerentissimo præsuli Gueniloni, Lupus salutem. Hic presbyter cui nomen Esterlegandus, ex Ecclesia sancti Petri & nostra queritur pati se calumniam, & de suo gradu periclitari; proinde vestram poscimus paternitatem vt ei iustè ac rationabiliter adesse dignemini, ne quorumlibet insidiis opprimatur, qui forsitan diuini timoris obliti superare innoxiū peruicaciter moliuntur: Prosit itaque huic & illis vestra prudentia, vt & hic si est innoxius liberetur, & illi qui peccare in proximi læsione conantur, non inueniant facultatem, quod donec inspirante Deo perficiatis, & Synodi tempus adueniat, si potest fieri & vestræ prudentiæ videtur, exequendi officij, quæsumus recipiat libertatem, ne secundum inimicorum votum, quorum se testimonio purgare possit, inuenire non valeat. Bene vos valere cupimus. *(marg.: facilitati)*

*Ad Ludouicum, ante recuperationem Cellæ.*

## EPIST. LXXXIII.

EXcellentissimo bonisque omnibus charissimo Ludouico Abbati, Lupus plurimam salutem. Iussu Regis ad palatium dirigens nuncium, ad vos eum iussi accedere, vt quæ mihi agenda sint per vos veraciter atque celeriter possim cognoscere, proinde vestra insignis beneuolentia mihi necessaria cognitu literis comprehendat, quibus certior factus rebus gerendis occurram: Vnum impensè flagitauerim vt bella, quæ occultè inferuntur Britannis, effectum habitura credantur, non aspernemini significare, quod frustra expertum infructuosum periculosumque laborem etiam strenuorum animi valde refugiunt, & compertum atque in literas relatum est, nequaquam inuitos ad bellum esse cogendos. De recuperanda Cella nostra si se locus obtulerit, quemadmodum in omnibus nos iuuare contendite, vt vestra industria, & Rex maximo purgetur peccato, & nos tandem aliquando necessitate nimia liberemur. Ita semper, vt cupio, valeatis.

*(marg.: vt si motiones quæ occultè vt feruntur cū Britānis extremè turbabitura)*

*Ad Nomenoium, Priorem Gentis Britannicæ.*

## EPIST. LXXXIIII.

LAodrannus Turonum Metropolitanus Episcopus, Dodo Andegauorum, Aldricus Cenomanorum Episcopus, Guenilo Senonum Metropolit. Episcopus. Heriboldus Autissiodori Episcopus, Prudentius Tricassinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Parisiorum, Huebertus Meldorum, Helias Carnutum, Hermannus Niuernorum, Hincmarus Remorum Metropolitanus Episcopus, Immo Nouiomagi, Pardulus Lauduni, Rhothadus Suessionum, Gilmeradus Ambianorum, Erpoinus Siluanecti, Ermenfridus Bellouacorum, Paulus Rothomagi Metropolitanus Episcopus, Saxoboldus Saiorum Episcopus, Freculfus Lexouiorum, Valfridus Baiocensium, Nomenoio Priori gentis Britannicæ salutem quæ est in Christo Iesu Domino nostro. *(marg.: Hilmeradus.)*

Diu est quòd Dominus occulto, iusto tamen iudicio, permisit esse te rectorem gentis tuæ, in quo tamen regimine qualem te exhibueris, testis est conscientia tua, & amaræ querimoniæ diuersarum Ecclesiarum & afflictiones nobilium, & ignobilium, diuitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexasti. Sed quia christianum nomen non penitus abiecisti, & nos ea Apostolica successione debitores sumus omnibus, vt bene agentes ad perseuerantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam autoritate diuina prouocemus, vehementissime tuis excessibus, condolemus, & à tuo interitu paterna & Episcopali sollicitudine te cupimus reuocare. [A]

Cupiditate tua vastata est terra christianorum, templa Dei partim destructa, partim incēsa, cum sanctorum ossibus cæterisque reliquijs, possessiones Ecclesiarum, quæ fuerūt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperū illicitè in tuos vsus redacta. Hæreditates nobilium ablatæ, & maxima multitudo hominum & interfecta & seruitute oppressa. Rapinæ crudelissimæ perpetratæ, adulteria & corruptiones virginum passim commissæ, Episcopi legitimi sedibus proprijs expulsi, & vt mitius loquamur, quia dicere nolumus, fures & latrones mercenarij introducti: Patroni nostri beati Martini quōdam diœcesis, ex qua vos esse negare non potestis violata, omnes postremo Ecclesiastici ordines perturbati, quod omnis dolendo & compatiendo dicimus. [B]

Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant, sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum vicarium B. Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti. Cum enim eum postulasses vt in libro suo te scriberet, & pro te Dei clementiam exoraret: & ille directis literis se id facturum promisisset si se monētem obedienter audires: non solum nihil eorum quæ mandauerat, fecisti, sed ne literas quidem ipsas recepisti, & quia nolebas à malo desinere, timuisti bene monentē audire: In eo igitur læsisti Apostolos, quorum est Princeps Petrus. Læsisti Episcopos qui iam cum Deo regnāt in cœlis, & miraculis coruscant in terris; læsisti, & nos qui & si non habeamus eorum meritum, idem tamen diuina gratia possidemus officium. [C] Nuper etiam excipiens Lambertum, quem Ecclesia materna pietate ex aliqua parte receperat, ea scilicet conditione, vt se corrigeret, & mala solita perfectè declinaret: fecisti te participem imo auctorem perturbationis populi christiani, cum enim amator pacis Dominus noster Rex etiam ad tuam suasionem remouerat à finibus tuis, & alijs honoribus decorauerat, & nunc eum rebellare conantem, velut in gremium recepisti, & vt in malo proficiat fauere non desinis. Iube afferri libros tuos, in eis comminantē Dominum audies, Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum, amicitia iungeris, & non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus dignos esse morte inuenies.

[D] Nec ignoras quod certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerint, quos ipsi vindicauerunt sibi, & certi quos petentibus cōcesserunt Britannis. Quomodo ergo despicis legem Dei, quæ præcepit ne transgrediaris terminos, quos posuere patres tui; & terram Francorum iniustè tibi defendere conaris? nec formidas illud; Maledictus qui transgressus fuerit terminos proximi sui? O quid facturus es in die magni iudicij, cum tibi reddenda erit ratio de tuis annis, mensibus, horis, momentis, & hoc erit celeriter? Verùm est enim quod iuuenis possit citò mori, sed senex diu non possit viuere? Ante prolixum fuit sæculum: post te quoque Deo certum est quantum durabit; pro hac vita breuissima noli tibi sempiternam miseriam comparare. *(marg.: præcepit)*

Nisi deponas persuasionem alienorum, oppressiones omnium, societates perditorum, & recipias admonitionem sedis Apostolicæ nostræque vnanimitatis, non tibi prodesset fides, nec quæcunque pietas, aut bona opera: quod Saluator dicit: Nō omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Cogita quid mereatur qui scandalizauerit vnum de pusillis, & ita poteris colligere, quam ingentē sis spectaturus, nisi resipueris, dānationem, qui partem maximam populi Christiani grauissimè perturbasti. Quamobrē monemus, te obsecramus, obtestamurque tuæ salutis cupidi, pone finem malis tuis, conuertere ad Dominum, cuius nemo nostrum potest effugere iudicium. Fac fructus dignos pœnitentiæ, hoc est, quia grāditer deliquisti, grāditer bona exer- [E] *(marg.: p suasionem; putas bona opera;)*

ce:

ce, vt non solùm non torquearis cum diabolo, & reprobis in inferno, verùm etiam gaudeas cum Deo & electis eius in cœlo. Id quoque tibi pollicemur, quia si te Deo restitueris, apud eum intercessores pro peccatis tuis esse cupimus, & apud pium principem nostrum, vt tibi tuæque posteritati benignè consulat, conabimur obtinere. Maximum reatum te contraxisse scimus, quòd Epistolam sedis Apostolicæ respuisti, existimans aliqua in ea tibi noxia contineri, sed quod exemplar eius venerabilis Papa nobis dignatus est dirigere, Notum tibi facimus nihil in ea contineri, quod ad tuam pertineat læsionem, & propterea parati sumus si vis secundò Legatum sedis memoratæ cum scriptis toti mundo venerandis dirigere, quòd si eum non receperis, nos qui monuimus excusabiles erimus: sin autem receperis & auscultaueris, & Dominum & beatum Petrum propitios & nos habebis in fide coniunctos, & intercessione proficuos. Si verò nos benignè monentes contempseris, certum tibi sit nunquam tibi futurum locum in cœlo, & citò non futurum in terra, quòd tua culpa separatus ab Apostolica & nostra Societate, anathematis vltione locum habebis, quod auertat Deus, in tartaro. Hæc etiam per tuum ministerium denunciamus Lamberti hominibus, & quibuslibet gentis tuæ, quod si communicauerint ipsi, & rebellioni eius consenserint, anathemate condemnabuntur, & traditi Sathanæ sine fine peribunt: conuersos autem recipimus, & in pace Christiana permanere optamus, atque pro eis parati sumus Domini nostri Regis clementiam quantum possumus flectere.

*Sim* *Hoc*

*Ad Marcuuadum.*

EPIST. LXXXV.

REuerentissimo & clarissimo patri L. perpetuam salutem. Nuper à magnificentissimis epulis reuersus, hoc est, à Britannica expeditione, vix resumpto spiritu per cursorem hunc prosperitatis vestræ veritatem discere cupio, vt quod propriis angoribus æstuo, saltem vestris secundis successibus requiescam. Dominus meus Rex, vester alumnus; cum me deliciis, quas grauabat liberaret, suo vos nomine salutari præcepit, quod quam libenter faciam æstimare potestis. Charissimum nostrum, hoc est, communem filium Eigilem presbyterum Ausbertum, cæteròsque fratres paruitatis meæ nomine dignamini salutare. Cuppas viatico aptas forma, & qualitate preciosissimas ligneas duntaxat, mihi cum opportunum vobis fuerit curate dirigere, quia dum video preciosiores quas aliis tribuistis, prope modum inuidiæ morbum incurro. Cupio vos valere fœliciter.

*Ad Hattonem.*

EPIST. LXXXVI.

CHarissimo suo Hattoni, Lupus in Domino S. Quamquam occupationes ineuitabiles colloquium nostrum, quod frequens esse debuit, impediant, tamen eis paulumper dilatis nosmetipsos consolari oportet, ne salutaria consilia, quibus inuicem auctore Deo iuuare possumus, ad nostrum detrimentum vlterius negligantur. Curate igitur hoc mense Octobri die quin significaueritis ad Arceias vestras mihi occurrere, vt loco vtrisque medio conuenientes, nppottuniua possimus de rebus necessariis consultare. Noueritis etiam Odacrum Abbatem & consanguineum nostrum, libram auri quam nostis instante Viuiano recepere, cuius humanitas nulla inhumanitate exasperanda est, maturè cursorem hunc remittere vt tempore quo significaueritis valeam vobis ad memoratum locum occurrere. Cùm iam emisissem cursorem superuenit Rath. & causas vestras nuda veritate patefecit, quibus cognitis accelerandum colloquium multo mihi maximè visum est, vt rebus asperis demonstrante Deo per subtilem tractatum prudenter possimus occurrere. Interim quemadmodum idem Rath. qui nihil meritus impetum indignationis excepit restituatur, elaborate, quia vehemens indignitas est, quòd propter rem ad se nihil pertinentem tam diuturni laboris præmio vacuatur.

*opportunè* *consanguineum*

*Ad Hugonem Abbatem.*

EPIST. LXXXVII.

FRatres nostri, qui ad vos directi sunt retulere nobis commotionem vestram, quæ occasione illius hominis accidit, qui cum aliis malefactoribus rapinam sectando, sibi vitam auferri coëgit. Cuius rei nos non fuisse conscios optime nostis, vnde cum id venerabilis filius vester, nobisque familiaris Stephanus, non sicut res erat, sed sicuti falsò relatum fuerat, narrasset, misimus Præpositum nostrum talium peritum, & vt eius ætatem atque nobilitatem decet anxiè religiosum, qui secundum prudentiam quam in sæculo hauserat, causam cum vestro nuncio discerneret, & finiret: verum quid? qui iustitiam quærebat, ipse implere nolebat, exitum res nó potuit inuenire, itaque has literas Celsitudini vestræ dirigendas curauimus, quibus placare cupimus animi vestri motum, quem nequaquam vlla nostra negligentia, aut pertinacia prouocauimus: Potentia enim culminis vestri nequaquam personis, sed iustis causis fauere debet: nec vtilitatem nostram, sed diuinam maiestatem, cuius quamquam indigni serui sumus, & beati Petri reuerentiam attendere, nec nobis aliquid mali comminari aut inferre, qui sic vt iustitiam repetimus sicut reddere parati sumus, hoc etiam prudentiam vestri culminis commonemus, ne propter defensionem perditorum hominum, patrocinium beati Petri, & nostram antiquam familiaritatem aspernemini, sed cogitantes quod scriptum est, Quia sperantes in Domino misericordia circuodabit, & omnis qui se humiliat exaltabitur, ita exortam controuersiam sopire dignemini, vt nec nos grauati patiamini, nec vestros impunè malè agere permittatis, ne fortè quod absit, Dei vindicta in vos propter iniquorum consensum redundet. Optamus vos bene valere, & sicut nobilitatem & sapientiam vestram decet; in omnibus agere.

*sic iustitiam.*

*Ad Hugonem Abbatem.*

EPIST. LXXXVIII.

SVmma veneratione suspiciendo Hugoni Abbatum summo, Lupus præsentem & futuram salutem. Postquam vos nosse cœpi, diu in vestram venire notitiam fateri cupiuimus. Quod tandem vestra dignatione consecutus, plurimùm vobis confidere audeo, dum & singularem in vobis nobilitatem, & conuenientem nobilitati sapientiam, frequenter considero. Qua causa cum mihi quod nec timueram, nec vt opinor merueram, contigisset, vt Dominus Rex Cellam Cœnobij nostri, vnde edictum & ipsius, & patris eius Domini Ludouici Serenissimi Augusti habemus nobis ablatum, Odulfo Comiti daret, eámque, vt eum decebat, Deo inspirante, & amplissimo viro Adalh. cooperante nobis restituisset, vos potissimum hortante ipso Adalh. credidi expetendos, qui & ipsius Odulfi periculosam auiditatem prudenter compesceretis, & nobis benigne memoratam Cellam restitueretis. Vestra igitur longè latéque bonitas peruulgata, nobis vehementer indigentibus pro Dei amore, secundum literas regias, quam celerrime fieri potest subueniat, vt & calamitatis nostræ commiseratio præmium vobis pariat sempiternum, & à nobis & posteris nostris beneficij vestri memoria fideliter celebretur.

*ablatam*

*Ad Pardulum Episcopum Laudunensem ex parte Reginæ.*

EPIST. LXXXIX.

IN nomine Dei solius & omnipotentis Irmingardis diuina ordinante gratia Regina, venerando Pardulo Episcopo. Res nouas super quibus vos nihil posse scribere significastis, nisi quod per Rhorbertum iam mandaueratis, prosperas, exuberante Dei gratia, prouenire cupimus & audire, diem verò vestræ ordinationis, nostris & nostrorum precibus vobis vtinam profuturis solemnem facere studebimus, præterea quæ misistis munera grata nobis fuere, & stolæ cuius imposuistis laborem libenter experiri curabimus, & secundum ve- B stram suggestionem, propitio Deo, qui nos fecit, & tantis bonis cumulauit, noxium studebimus otium euitare, vestris tamen semper efficacibus iuuemur orationibus, quia nihil vmquam nobis præstabitis, quod non de vestra probabili fidelitate præsumpserimus. Hoc à vestra benignitate impetratum volumus, vt pro his qui in defensione patriæ suas posuerunt animas, Dei clementiam suppliciter flagitetis, & superstitibus eorum hominibus auxiliemini quantumcunque vobis possibile fuerit.

*Ad Odacrum Abbatem.*

EPIST. XC.

TErtio Non. Iulij Deo propitio ad monasterium C nostrum reuersus, primum vt potui vestræ prudentiæ has literas dirigendas curaui, quibus totis affectibus vestræ beneuolentiæ gratias refero, quod fratres nostros & cæteros homines tantæ calamitatis angustia deprehensos, aperto caritatis gremio excepistis, & materna pietate fouistis, quorum relatio adeo me lætificauit, vt epistolaris angustia vix valeat indicium meæ in vos voluntatis aperire, cum & Germanos meos singulari dilectione tracteris, & amplissima liberalitate nostris omnibus, quantam vix vnquam sperare potuerant, præbeatis, proinde opto vt diuina gratia, cuius munere tales estis, exiguitati meæ largiri dignetur, vt quantulamcumque vicem rependere sufficiam, integra verò merces ab eo vobis restituatur, qui summam præceptorum suorum in soliditate charitatis constituit. D

*Ad Marcuuadum Abbatem Prumiensem.*

EPIST. XCI.

IN Aquitanica congressione manifesta morte liberatus, post captiuitatis molestias solutus vtroque periculo, ingenti Dei gratia, cui maximè præsidebam, & sanctorum eius beneficio, præterea cuiusdam Turpionis, ereptus integra valetudine ad monasterium in Nonis Iulij remeamus, vbi quod vltrò sciebam, & fratrum meorum Hactonis & Ratbarij relatu, & literarum vestrarum lectione certior factus sum, mea calamitate vos vehementer commoueri; iámque mihi videre E videor vos ingenti gaudio exultare, cum me condolebatis aut captiuum, aut mortuum, accipiatis incolumē in monasterio residere. Ergo vicissim fratrésque omnes de vestra tam fructuosa reuersione maxima lætitia gratulamur, & Domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quod non solum vestram excellentiam nobis restituit, verùm etiam vestro labore duplex patrocíniū sanctorum prouidit, quod vestra quidem incolumitate & regressione quotidie Deo supplicabamus, sanctorum autem per lectionem voto continentes nostris amabilibus Deo studiis vt suspicaremur de vobis talia facile abducebamur. Nunc Deum in commune laudamus qui supra quàm petere audebamus, largitus est. Illud vnum

A ad cumulum gaudiorum restat, vt præsentiam vestram nobis exhibeatis, quod vos haud quaquam posse literæ vestræ professæ sunt. Nos hoc eas promisisse tenebimus, quod si feceritis, cùm paruitati nostræ plurimum, tum etiam vobis aliquid conferetis, siquidem & nobis consolationem & virtutis incitamentum suggeretis, & fratrum qui vestrum post discessum decedentium suppleuere locum notitiam, & firmiorem si possis fieri lucrabimini charitatem: quæso præterea vt ad sanctum Bonifacium, solertem aliquem monachum dirigatis, qui & vestra parte Hattonem Abbatem deposcat, vt vobis Suetonium Tranquillum de vita Cæsaris qui apud eos in duos nec magnos codices diuisus est, ad rescribendum dirigat, mihique eum aut ipsi quod nimium opto afferatis, aut si hæc fœlicitas nostris differetur B peccatis, per certissimum nuncium mittendum curetis. Namque in hac regione nusquam inuenitur, & credimus hoc quoque nos beneficium vestra liberalitate cōsecuturos: Filium Guasonis nepotem meum, vestrúmque propinquum, & cum eo duos alios puerulos nobiles, & quandoque si Deus vult, nostro monasterio, nostro seruitio profuturos, propter Germanicæ linguæ nanciscendam scientiam, vestræ sanctitati mittere cupio, qui tres duobus tantummodo pædagogis contenti sunt. Quod vtrum dignemini præstare vt primum se facultas obtulerit ne grauemini aperire. Sterilitatem victi superiore anno passi sumus, aliis rebus pro tempore abundamus, & largiente Dei gratia aliquantula pace fruimur, nisi quod seculares quidam, qui vellent nostrum inuadere monasterium, nobis moliuntur insidias. C Vnde vobis est studiosè propter charitatis debitum persoluendum, Deus orandus vt quod nobis maximè conducit, in corde Principum operetur.

*Ad Ludouicum.*

EPIST. XCII.

PRæcellentissimo atque clarissimo Abbatum summo, Lupus plurimam salutem. Occupationum vestrarum considerationem habens, paucis vobis aperio magnum Adalch. cùm adhuc proficisceretur mihi sertio promisisse, quod nunc opportunitate se vltrò ingerente Cellam sancti Iudoci nobis recuperaturus esset, & nequis apud Regem nobis aliquid nocere posset in D omnibus prouisurus. Cùm autem ab Aquitania Dei bonitate & clementia reuersus essem, & à tantis calamitatibus quæ pro Regis fidelitate passus fueram, vellem aliquantulum requiescere, fama dispersit datum nostrum monasterium Egilberto. Itaque de vtroque memores amicitiæ nostræ solito more me adiuuare contendite, præsertim cum & meam fidem in Regem & seruitium cognoscatis, & fieri magna indignitate facilè comprehendatis mecum prædicto Egilberto conferri, nedum mihi eum præferri. Quæ proponere in tali negotio debeatis, breuiter amplexus essem, nisi naturali prudentia & eruditionis copia vobis vltro suggererentur. Cupio vos bene valere, & paruitatis meæ memores lætioribus in dies augeri successibus.

*Ad D. R. Carolum.*

EPIST. XCIII.

EXplicari facilè non potest, quam cupiam, Domine mi Rex gloriose Carole, ego vltimus vester famulus in omnibus vestram prosperitatem & spiritalem & secularem; propterea aliquoties & verbis & scriptis vltrò me ingessi, vt mea deuotio, opitulante Dei gratia, vestræ prodesset fœlicitati. Nunc etiam quòd vtilissimū vobis & vestro regno multa meditanti occurrit, paucis aperio. Obseruantia iustitiæ non solùm apud Dominū meritum vobis comparat, verum etiam terrenam

potestatem

potestatem confirmat. Bonorum societas profectum vobis & laudem parit, ad exemplum beati Dauid qui se imitandum proponens, ait: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Segregatio etiam peruersorum æque laudabilis est, vt idem ipse Dauid instituit. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiã, qui loquitur iniqua, nec direxit in conspectu oculorum meorum. Quod autem fidissimus quisq; debeat esse familiarissimus, illa sententia instruimur, quæ pestis ad nocendum efficacior esse potest quã familiaris inimicus? Quorum consilio Respublica, Domino faciẽte, de quo dicitur: Fiat pax in virtute tua, possit esse tuta & quieta, sanctæ literæ his verbis insinuant: Multitudo sapientium sanitas est orbi terrarum. Item, hi enim intelligunt quod non est sapientia, non est prudẽtia, non est consilium contra Dominum: & in Dauidis consiliis: Ab æquitatis tramite non recedunt: vnde & eadem consilia ab ipso Domino ad vtiles diriguntur effectus. Alibi etiã satis hinc aperte docemur vbi legimus consiliũ semper à sapiente perquire. Sapientem hic intelligimus, quem aut experientia docuit, aut lectio erudiuit, aut inspiratio diuina cæteris prætulit magnum aliquid fieri, quæso recolite memoria illud quod prudentissime dictum est, Antequam incipias consulto, & vbi cõsulueris mature facto opus est. Sic enim & præcipitatio vitabitur, & nocitura dilatio. Romani orbis terrarum Domini quibus consiliariis vsi sunt hac vna & breui sententia ad vestrã nostramque vtilitatem considerate dignamini. Fidum erat & altum Reipub. pectus curia, silentique salubritate munitum & vallatum vndique, cuius limen intrãtes abiecta priuata charitate, publicam induebant. Tales quæso, tales quærite qui publicam dilectionem, hoc est totius populi præferant priuatis commodis, & miserante Domino motus isti molestissimi conquiescent. Imperatorum gesta breuissime comprehensa vestræ maiestati offerenda curaui, vt facile in eis inspiciatis, quæ vobis vel imitanda sint, vel cauenda. Maxime autem Traianum & Theodosium suggero contemplandos, quia ex eorum actibus multa vtilissime poteritis ad imitandum assumere. Ita diutissime regnetis vt semper Deus regnet in vobis.

peteretur; substantiæ imminutione vel amissione pulsetur, quomodo non ad affectum gratias agendi pro parenti excitetur: cuius cura se dignũ correptionis priuilegio ipso instituente præsumitor? Futuræ vitæ dulcedo segnius appeteretur, nisi sæpius præsentis amaritudo sentiretur. Multi hac qualis est delectantur, nimirum plures delectarentur si assidua prosperitas vota omniũ sequeretur, proinde quis non videat incomprehensibili Dei pietate per molestam huius vitæ mutabilitatẽ, impelli nos quodam modo ad capessendam alterius vitæ immutabilitatẽ, impelli nos pietate per molestam huius vitæ mutabilitatem? Dominus Iesus qui cum patre & Spiritu sancto, beatitudo nostra erit, eos qui eius magisterio adhærebant ad toleranda aduersa, suo exemplo sic informat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos, ne se diligi desperarent ab eo cum variis quaterentur incommodis, quando dilectissimum patri filium per eadẽ transisse recolerent: Nec quid eis immineret occultans in mundo, in quo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum, scilicet vt superandi vires in illo se habere cognoscerent, qui omnipotens esset. Sanctus Apostolus in quo euidenter Dei spiritus loquebatur, sua te putavidẽs, nostra præuidens, qui piè volunt, ait, viuere, in Christo persecutionem patiuntur, persecutionem autem hanc religiosis intelligimus inferri, vel ab immundis spiritibus, vel à prauis hominibus: verum siue Deus temperet, siue temperari permittat ne muliebriter pauidi succumbamus, alibi nos his verbis confirmat, fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra quàm potestis, sed faciet cum tentatione exitum, vt possitis sustinere. Nihil itaque importabile nobis euenisse causemur, quoniam qui certamen proponit, si postuletur fideliter vincendi copiam subministrat. Benedicamus ergo eum in omni tempore, qui & prosperis nos inuitat, & aduersis castigat, & sit semper laus eius in ore nostro, vt quod ipso largiente in sæcula sæculorum facturi sumus beati, iã nũc meditemur deuoti. Hæc adeo solutionem strictim vitandi fastigij gratia comprehensa sanctitati vestræ dirigere studui, quæ vobis vt credo esse proficua, quia & ex charitatis fõte petita sunt, & ex eodem fonte manarunt. Mei benigne memores cupio vos valere feliciter.

*Ad Marcuuadum,*

### EPIST. XCIV.

Religiosissimo Patri Marcuuado Lupus in Domino salutem. Si prudenter cogitemus quod originalis peccati merito iustissima Dei vindicta exules facti sum⁹, cum aduersa nobis contingunt non mirabimur, repulsi enim à lætitiæ patria, in vallem lachrymarum sumus deiecti. Domini potius ineffabilis clementia suspicienda pieque laudanda est, quæ nos nec in ipsa ira deserit, & tristia blandis plerũque temperat, ne mœrore victi in desperationis baratrũ corruamus. Vnde culpanda quorundã temeritas est, qui gratiæ diuinæ continuis assuefacti beneficiis, dum aliquibus tanguntur incommodis, peccata querelis augent, quorum debita nec admoniti recognoscere debuerant. Credibile tamen est in numero fidelium aliquos esse sanctitate, quam diuinitus acceperit egregios, quorum non tam delicta curẽtur aduersis quam merita augeantur: neque enim soli beato Iob Deus munus hoc contulit; quem ad imitandum seruis suis in arce patientiæ collocauit, qui vicit in illo, vincit in multis, cũm quibus se futurum vsque in finem sæculi pollicetur. Si cuius fœlicitatem nulla vnquam perturbatio interpellet, quam tardus est, nisi metum hinc concipiat ne cum purpurato diuite quõdam audiat: Recepisti bona in vita tua. Et quomodo non eum illa veridica terreat sententia: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Ille vero qui vigili memoria repetat: Flagellat Deus omnem filium quem recipit, si morbo grauetur, excessu necessitudinum teri-

*Ad Heriboldum ex parte Reginæ.*

### EPIST. XCV.

IN nomine Domini solius & omnipotentis Irmingardis ipsius gratia ordinante Regina, Heriboldo Ven. Episcopo. Quoniam diuturna infirmitas gratum nobis vestræ sanctitatis denegat colloquiũ, absenti scribimus quod præsenti libentius diceremus. Germanus noster destitutus honoribus propter homines qui ei famulati sunt, maxime anxius nostræ pietatis opem expetiit, confidens, post Dominum, nostra opera se calamitatis molestiam euasurum; quem solita mansuetudine, miserantes oportunitatem, Domino præbente cupimus adiuuare. Verum vt in palato voluntatis nostræ præstolari possit effectum, suademus ne grauemini eius indigentiam collatis necessariis temperare. Cum enim soleat vestra largitas ministrare postulata, exterius etiam Germano indigenti non sine spe diuinæ retributionis idem valet præstare: quod facile factis monstraremus eloquiis, nisi vitio ea vobis occurrere crederemus, & nostræ vestræque personæ haberemus considerationem. Impendite igitur debitum religioni & necessitudini affectum, & in orationibus nostri assidue memores bene valete.

*Ad Carolum Regem.*

### EPIST. XCVI.

GLorioso Domino præcellentissimo Regi Carolo integre fidelis Lupus. Cum à vestra maiestate di-

grederet, præcepistis vt impēdente quadragesima quidam vobis dirigerem, vnde caperetis fructum aliquem ædificationis. Sermonem itaque beati Augustini, in quo iurandi consuetudinem dissuadet, quamque sit ferale periurium ostendit, vestræ prudentiæ destinaui profuturum vobis plurimum credens, si vobis admonentibus quidam assidue iurare desistant. Et quod recte iuraneriut non contemnant, nō adulandi vitio in gratiam nostram dico, sed desiderio salutis eorum, qui nobiscum in cælum inuocant quicunque fidem vobis iureiurando firmauerunt, si ab ea saltem latenter deficiunt. Iam sibi mortem animæ intulerunt, nec possunt esse filij Dei, qui nolunt esse pacifici. Admoneātur ergo nostra industria sui periculi, & saluberrima institutione tāti doctoris, ad correctionis remedium inuitentur. Misi præterea celsitudini vestræ gemmas, quas dudū opifex noster exsculpendas, & poliendas acceperat, quarum formam atque nitorem, si approbaueritis, memorato artifici gratulabor. Opto & oro vt bene semper agatis, & propitio Deo felici successu diutissime gaudeatis.

*Ad Hilduinum.*

## EPIST. XCVII.

PRæcellentissimo Abbati Hilduino, Lupus temporalem & perpetuā salutem. Recordans nostri conuictus in vestra adolescentia, & initio meæ iuuentutis consuetudinem, & cogitans quod vestra nobilitas morumque probitas blandimentis fortunæ nullatenus valeat immutari, quemadmodū tunc familiariter loquebamur; Ita nunc vobis simpliciter scribo. Omnibus vt pluribus videtur vestri propositi in largiendis opibus omnipotens vos Deus prætulit, & sine dubio cui tantū contulit, plurimum ab eo reposcet. Ipse enim dicit: Qui glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem cōtemnunt me, erunt ignobiles. Itaque non sit vobis oneri quod illaturus sum, honorate illum timore ipsius, & amore qui vos tam sublimiter honorauit, & dum vobis bona suppetunt in hoc sæculo, curate illi qui hæc dedit indesinenter placere, nec vos decipiat transitoria fœlicitas mundi, cui perpetua promittitur beatitudo cæli. Exercete vbicumque potestis iustitiam, & quibuscumque sufficitis impendite misericordiam, quia qui vobis bene agendi facultatem largitus est, quādiu id promissurus sit ignoratis, ipsius vox est: Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Nos etiam qui vos vnice diligimus, & per vos solatium aliquod habituros confidimus, aliquantulū diuturnitatem dignitatis vos possessuros credimus, si vos largitori bonorum omnium deuote summisetitis, donec vos videre merear absque fastidio. Hæc frequenter legite aut recolite, vt sicut de vestra excellētia gloriamur, ita de probitate certius exultemur. Peto etiam vt propinquum meum Abbatem Cellæ vestræ quæ dicitur Cor, qui & Domino vt credimus & bonis omnibus vt palam est pro sua probitate placet, honorifice suscipiatis, benigne tractetis, & quod sufficere credo, sicut vestram decet nobilitatem & honestam eruditionem ac bonæ famæ augmentum: sic dignemini consulere illi semper in omnibus tantum semper, quantum cupiunt qui bene sciunt. In sæculo & in Domino valeas.

*aliquātulam.*

*Ad Guenilonem eiusque suffraganeos.*

## EPIST. XCVIII.

REligiosissimis patribus, & fratribus Guen. Metropolitano Senonicæ sedis Antistiti, & vniuerso clero eius, & cæterarum Ecclesiarum præsentibus, quæ Diœcesi memoratæ sedis censentur cunctis in eis Domino famulantibus clerus matris Ecclesiæ Parisiorum, & fratres cœnobij sancti Dionysii, & sancti Germani, & beatæ Genouefæ, ac Fossatensis diuersorumque monasteriorum vnanimitas, præsentem & futuram salutem. Venerabilem pastorem nostrum Ercantadum nuper decessisse eum longe lateque vulgatum sit: tam sanctitatem vestram latere non potuit, nosque affici mœstitia de vocatione patris defuncti, ac sollicitudine promoueri de electione successuri prudentia vestra intelligit. Cū enim principaliter se futurum Dominus Iesus polliceatur cum his qui principes religionis existunt, non patimur diu carere Antistite, cuius doctrina ad salutem nostram instituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur, eius vt pote bonorum omnium auctoris, nequaquam nos cura destitutos firmissime credimus, dum ipse curas nostras sua clemētia sustulit, & vota vltronea benignitate præuenit. Nāque ipse in cuius manu cor Regis est, gloriosi Domini nostri Caroli, quemadmodum plene confidimus, menti infudit, vt eius nos regimini committeret, quem in diuinis & humanis rebus sui fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes misericordiam, & regis nostri piam suspicientes prouidentiam, Æneam, cuius præconia præmisimus, concorditer omnes elegimus, Æneam patrem, & Æneā pōtificem habere optamus; quamuis etiam tanta prudentis ac probitate præcellentissimus Rex noster polleat, vt solum eius iudicium de viro memorato posset sufficere, tamen conditionis humanæ nescii, futurarumque curiositerum nos ipsi propositum ac mores longe prius inspeximus, & inter graues probabilesque personas & sanctitate feruentes, hunc quem antistitem habere cupimus, quotquot eum nosse potuimus, vt nunc palam est absq; errore annumerauimus. Proinde sancti patres anniti mini ne dilatione diutius, & regii beneficii torqueamur, sed nobis suspensis, nobis desiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna super candelabrum, vt lumen veritatis populus Dei videat, & æmula deuotione præsulis vestigia tenens, sempiternæ beatitudini præparetur. Professionem vero nostri consensus in Æneam Deo annuente per vestrum ministerium nobis futurum Antistitem subscriptionibus nostris certatim roborauimus, vt nostra vnanimitate comperta, votum summa properantia compleatis.

*præsulibus.*

*futurorū curiosi, ambenā nos ipsi.*

*Rescriptum Episcoporum ad ipsos.*

## EPIST. XCIX.

GVenilo sanctæ Senonicæ sedis Metropolitanus Episcopus, Heribertus Antissiodori Episcopus, Agius Aurelianorū, Prudentius Tricassiorum, Her. Niuernensium, Frob. Carnutum: Hildeg. Meldorum: Clero matris Ecclesiæ Parisiorum, & cunctis in diuersis cœnobiis sub ea Domino militantibus salutem. De excessu reuerentissimi coëpiscopi nostri Ercanradi non mediocriter anxii vestrique mœroris participes, tandem iustissima dispositione Dei minores consolationes recipimus dum vos sub pastore bono agentes, qui summe bonus est, vicarium eius scilicet visibilem ministeriique nostri consortem absque dilatione expetere vestris literis timentibus lineas rationis cognouimus. Præparatū enim à Domino ei bonū exitum credimus, cuius munere talem videmus patere ingressum, quamquam nobis futurus nunc socius olim fuit præcognitus, & merito suæ probitatis amabilis. Quis enim velut leuiter tetigit palatium cui labor Æneæ non innotuit & feruor in diuinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem vestram in eo factam Deo propitio libenter sequimur, eum profuturum populo eius, ad dignitatem pontificatus promouendum concorditer decernamus. Sit igitur vobis pastor, qui pro suis in Deum meritis bene complacuit, & sequentes eius veracem doctrinam, & sancta opera imitantes, ad cælestis regni pascua properate fœlices. Ordinationi autem eius subscripsimus concorditer viuer si

*iustissime dispositione Dei minores.*

*sitientibus.*

*velleuiter ou vel vt leuiter.*

nerit, vt secuti ministerio potestatis eius fruamini.

*Admonitio.*

## EPIST. C.

DIuersis malis afflicti, causam eorundem malorum debemus cognoscere, & cognitam, auxiliante Dei misericordia, euitare. Causam prosperitatis & aduersitatis Spiritus sanctus aperte demonstrat his verbis: Iustitia eleuat gentem: miseros facit populos peccatũ, peccatorum quo miseri efficimur hoc esse credibile est quod cum simus fide Christiani sempiternæ fœlicitati præponimus temporalem, & illam nisi resipiscamus perdimus, & hanc quæ quantulacumque posset esse, si recti esse vellemus, non apprehendimus, quia ergo vindicta Dei & in hac vita temporaliter incipit, & vsque ad alteram quæ finem non habet nisi conuersio subueniat, pertendit, & hic sæpe bonos bona temporalia comitantur. Alibi autem eosdem bonos æterna bona coronant, siue prælatos siue subditos. Omnes deponamus excusationem, & cum sibi vnusquisque nostrum sit conscius, in quibus maxime Deum offendit, communiter eum & obedienter audiamus monentẽ, Redite præuaricatores ad cor: Itemque, Lauamini, mundi estote. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: Quiescite agere peruerse, discite benefacere, vt per pœnitentiæ salubrem cursum, perueniamus ad indulgentiæ tutissimũ portum: ita enim valebimus non solum effugere mala præsentia, verum etiam bona sperare ventura: Dediscamus sola carnalia appetere. De cõsequendis spiritualib⁹ aliquando cogitemus, & vt nostræ cupiditates temperentur, & modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum transitus, quos in dignitatibus vidimus, nec obliuiscamur quod eos quotidie sequimur. Ad mortem enim sine intermissione properamus, repetamus mores quibus hoc regnum creuit, & viguit. Nullæ sint factiones, nullæ conspirationes inter nos, qui patrem inuocamus Dominum quibus dicunt pontifices, Pax vobis, & pro quibus omnes concorditer orant sacerdotes: da propitius pacem in diebus nostris, & pax Domini sit semper vobiscũ, & quibus polliceri Dominus dignatur. Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabũtur. Illa comminatio eius non videatur nobis contemptibilis: Væ illi per quem scandalum venit, ne forte quod ipse auertat sola vexatio det aliquando intellectum auditui, vt infœlici experimento, quod nunc non credimus, aut nos nescire fingimus, in tormentis positi sentiamus, prædas & rapinas cõuersationi Christianę nimis contrarias, & à regno Dei miserrimos excludentes, penitus deponamus, cõtra hos enim sic sermo Apostolicus fremit, Neque rapaces regnum possidebunt; pro Dei timore atque amore lucra propria intermittamus, bono cõmuni & publico certatim & vnanimiter consulamus, vt dũ tranquillitatem fidelibus præstare nitimur, & vires resistendi in fidelibus recuperemus, & ab eo qui est omnipotens vtriusque pacis idem & qualis nunc esse potest, & illius consummatæ quæ solis electis dabitur gaudia consequamur. Illud autem neminem nostrum fugiat quibusque doctissimis vsque ad nostrã ætatem probatum & creditum, quia per concordiam paruæ res crescunt, per discordiam vero maximæ dilabuntur, ne forte dum cupimus nostra securius tenere, vel ad maiora capienda fœlicius conscendere, iusto Dei iudicio ruina nos regni, quam nostris dissensionibus præparamus, inuoluat, & in perniciem animæ, & corporis pertrahat.

quòd cum pdesimus Christianam, destruimus fact nostrã professionẽ: & quia beatitudinẽ sempiternã soli catentem propon. temporalem & illam

*Ad Episcopos de Peregrinorũ receptione ex parte Guenilonis.*

## EPIST. CI.

REuerentissimis præsulibus Italiæ & Galliæ, cæterisque Dei fidelibus Guenilo Senonum Metropolitanus Episcopus in Domino salutem. Quotiens, iusta
A extante causa, sanctitatem vestram alloquimur, charitas quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis, id agendi tribuit fiduciam, præsertim cũ gratuito negocio pietatis prouenit incrementũ, monachi prouinciæ ac diœceseos nostrę ex monasterio quod appellatur Bethleẽ siue Ferrarias nomine Ardulphus & Acarius presbyterii gradu ornati, diuino vt credimus instinctu Romã proficisci orãdi studio destinarũt, & nostra Abbatisque sui nobis admodum dilecti Lupi accepta licentia propositum exequuntur, quos vestræ paternitati de more cõmendamus, implorantes vt quia laborẽ peregrinationis pro æterna remuneratione susceperunt, consolationẽ in vobis in eundo ac redeundo eam inueniãt, qua deuoti à religiosis inuentur. Eritis enim mercedis eorum participes, si laboris fueritis beneuoli adiutores. Cupimus vos valere fœliciter.
B

*Item ex Parte Abbatis.*

## EPIST. CII.

PLurima veneratione suspiciendis Episcopis Italiæ ac Galliæ, reliquisque Christiana religione pollentibus, Lupus Abbas ex monasterio quod dicitur Bethleem siue Ferrarias, situm in diœcesi Senonicæ vrbis, cui præest reuerẽtissimus Guenilo, præsentem & futuram. Quamuis vergente in occasum mundo, nõ dubito in electorum corde feruere charitatẽ, quæ merito in sacris eloquiis larum appellatur mandatum. Ac propterea nõ erubesco postulare ab illis aliquid, quibus nihil præstiterim, & quos penitus facie nesciam, ea bonis vsitatissima charitate, Deus qui nos facit vnanimes habitare in
C domo perpetuis bonis transeuntia mutare, luctum esse maximum instruit, proinde suggero sanctæ paternitati vestræ monachos & presbyteros, quorum alter vocatur Aldulfus, alter Acarius ex nostro collegio Romam supplicatum proficisci statuisse, & Antistitis memorati, ac nostro permissu, quos exoptauerant, adimplere. Vestra ergo beneuolentia euntibus illis ac redeuntibus subsidium dignetur impendere, quia & sufficiens viaticum tanto itinere ferre fuit eis impossibile, & mercedis eorũ vos credimus fore consortes, si experti fuerint laboris sui pro Dei nomine cooperatores.

*Ad Dominum Apostolicum Benedictum tertium.*
D

## EPIST. CIII.

DOmino præcellentissimo & omnibus Christianis, vnice singulariter que venerãdo vniuersali Papæ Benedicto vltimus Abbatũ Lupus, ex monasterio Galliæ, quod vocatur Bethleem siue Ferrariæ præsentem prosperitatem, & futuram beatitudinem. Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis, functus legatione Romæ, cui auctore Deo præsidetis, & ab eodem Antistite exceptus benigne atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declarauit, nec tantũ potestatis, beatissimi Petri participes, verum etiam humilitatis quam in allocutione Cornelij vulgauit, hære-
E des; vera multum vestrorum expensio certa ratione perdocuit, ausus sum ego tantillus cognitioni vestræ sublimitatis me scriptis ingerere, meamque exiguitatem & fratrum meorum monachorum vnanimitatem sinceritati vestræ committere vt in vestris sanctis orationibus mereamur à Deo & in præsenti vita consolationem & in futura communionem salutis fœliciter consequi, Fratres præterea & compresbyteros nostros Adulphum & Acarium, qui spontaneam peregrinationem pro nomine Domini susceperunt, & quamquam laboriosissime ad memoriam beatissimorum Apostolorum, cæterorumque sanctorum tandem aliquando peruenerunt, specialiter vestræ mansuetudini commendamus, vt eos pietate expetenti fouere dignemini, & consuetudinibus

vt vestris

Aldulphum

eccleſiaſticis, quæ varie in diuerſis locis tenentur, diligenter inſtruere vt per eos ad nos, & ad cæteros quoq; A talia pie quærentes, inſtitutio Romana perueniat, ſiquidem in quibuſcumque ad religionem & honeſtatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas, vt optima quæque eniteāt, illuc ſollicita inueſtigatione credimus recurrendum, vnde vbique fidei manauit exordium. Cæterum quia parentes theſaurizare debēt filiis, vt doctor Gentium manifeſtat, noſque vobis obſequentiſſimi filij eſſe cupimus, Commentarios beati Hieronymi (in) ad Hieremiam poſt ſextum librum vſque in finem prædicti Prophetæ, per eoſdem fratres nobis mitti depoſcimus in codice reuerendæ veritatis veſtræ ſanctitati, ſi id obtinuerimus, poſtquam celeriter exſcriptus fuerit, ſine dubio remittendam. (remittenda) Nam in noſtris regionibus nuſquā vllus poſt ſextum commētarium potuit inueniri, & optamus in vobis recuperare quicquid paruitati noſtræ B deeſſe ſentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore, & xij. libros Inſtitutionum Oratoriarum Quintiliani, qui vno nec ingenti volumine continentur, quorum vtriuſque auctorum partes habemus, verum plenitudinem per vos deſideramus obtinere. Pari intentione Donati Commentum in Terentium flagitamus, quæ auctorum opera ſi veſtra liberalitas nobis largita fuerit, Deo annuente, cum cōmemorato ſancti Hieronymi codice, (commemorato) fideliter omnino reſtituenda curabimus. Sanctitatem veſtram ad totius Eccleſiæ vtilitatem diuina clementia, diuturnis temporibus conſeruare dignetur.

*Ad Regimb.*

## EPIST. CIIII.

CHariſſimo ſuo Reg. Lupus in Domino ſalutem. Deſideramus quidem aduentum veſtrum, vt dignū eſt, quē iam certæ litteræ ſpoponderunt, ſed ſuademus vigilantiſſima cautione tutum iter eligendum, propterea quod in regno Caroli Regis noſtri nouis exortis rebus, impune latrocinia committuntur, & nihil ſecurius atque conſtantius, quam rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur eſt commeantium quærenda ſocietas quorum numero atque virtute improborū factio euiteior, aut ſi neceſſe fuerit, repellatur. Catilinarium & Iugurthinum Salluſtii libroſque Verrinarum, & ſi aliquos alios vel corruptos nos habere cognoſcitis, (quos) nobis afferre dignemini, vt veſtro beneficio & vitioſi corrigantur, & non habiti nunquamque niſi per vos habendi hoc gratius quo inſperatius acquirantur. Cupio vos valere fœliciter.

*Ad Marcuuadum*

## EPIST CV.

CHariſſimis ſuis Maruouado & Egili, Lupus plurimam ſalutem. Octauo Idus Auguſti literas veſtras accepi, cum eſſem in Farna monaſterio proficiſcens ad generale placitum quod Rex noſter Indixerat futurum, ſexto Idus prædicti menſis: (Fara) quia itaque quatuor mecum tantummodo fratres habebam & cæterorum voluntatem plene ſcire non poteram, & mira nimium res contigerat, quod ſcilicet in monaſterio noſtro educatus, poſtquam diuinam admonitionem aſſidue audierat, nullam perſecutionem paſſus, matura ætate non heremum expetierat: ſed proprio relicto habitu, dignitatem ſæcularem, quod diu meditatus & cōfeſſus plurimis fuerat, lucraturus abierat, ſimilibus paria facturis fœlix iter paraturus, & nunc ad ſuggeſtionē veſtram propoſito mutato, ad Dominum reuerti velle ſcribebatur a vobis, ſanctitati veſtræ notum facio, veræ illius conuerſioni ſi contigerit me valde gratulaturū, & quæconque in me commiſit pœnitenti ex animo dimiſſurum, vos dum à placito regredior, quod propter Dominum cœpiſtis inſtanter elaborate perficere, videlicet vt integre ad domū reuertatur, & ſuam culpām in alium A deinceps transfundere non nitatur. Temperantiæ ſtudeat, conſpirationes non repetat, murmurū auctor nec particeps exiſtat: ſeditiones nec faciat, nec foueat. Sed quietem & ipſe habeat, & alios habere permittat, & generaliter iuxta Dei præceptum, Declinet à malo, & faciat bonum, & in diebus noſtris in loco noſtro nihil patietur vnde iuſte queratur, mox autem vt rediero, fauēte Dei gratia, vt veſtræ ſuggeſtioni fratres pareant elaborare conabor, illorūque conſenſum ſanctitati veſtræ (conten-dam) literis exprimam, & Domino Imperatori, cui propter ſingularem, & vbique diuulgatam pietatem deuotiſſimi ſumus digno reſcripto ſatisfacere curabimus, benigne memorem noſtri ſanctitatem veſtram fœliciſſime optamus vnice ſingulariterque nobis patres dilecti.

B

*De receptione peregrinorum.*

## EPIST. CVI.

OMnibus Dei omnipotentis fidelibus, Guenilo Senonum Metropolitanus Epiſcopus ſalutem Monachus quidam noſtræ Diœceſis nomine D. ex Monaſterio quod appellatur Ferrariēſe, (Dioeceſis) diuino, vt credimus, inſtinctu, eſt enim valde religioſus, laborem peregrinationis aſſumpſit, vt pro ſe fratribuſque ſuis monachis, ac pro nobis apud beatiſſimos Apoſtolos Petrum & Paulum cæteroſque ſanctos, Dei miſericordiam imploraret, & quod ſuis non poſſet, eorum orationibus obtineret. Hunc veſtræ committimus charitati, obſecrantes C vt pro amore Dei, ſicut ſeruum eius excipiatis, tractetis, atque dimittatis ſiue euntem ſiue redeūtem. (eam) Decet enim vt vbicunque religionem ſuam, hoc eſt, Chriſtianam inuenerit, ſuam quoque patriam recognoſcat, & inter cæteros hunc quoque faciatis amicum, qui ſuus in æterna tabernacula recepturus eſt.

*Item vnde ſupra.*

## EPIST. CVII.

DOminus reuerentiſſimis Chriſtiana religione pollentibus, Lupus Abbas ex monaſterio Galliæ, quod appellatur Bethleem ſiue Ferrarienſe, plurimam ſalutē. Monachus noſter, cui nomen eſt Doliuald, magna ſimD plicitate ac laudabili deuotione, vir ſpiritu Dei, vt omnino credimus, accenſus, cum venerabilis Metropolitani Epiſcopi noſtri G. ac noſtra benedictione pro ſe ac pro nobis Deum & ſanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, precaturus Romam proficiſcitur, quo maiorem laborem aſſumpſit, hoc certius ſe exaudiendū confidens, hūc veſtræ ſanctitati probitati eius teſtimonium perhibentes commendamus, nec dubitetis huic impendere quod bono cuique indigenti præbendum eſt, quoniam licet ſit expers literarum, mandata Dei quæ non legit in codice, demonſtrat in opere: omniumque inter quos verſatur non amorem ſolum, verum etiam venerationem breui meretur. Vos itaque ſic eum quæſumus vel euntem vel reuertentem tractate dignemini, vt ab illo, cuius verus eſt cultor, ſecuri perenne præmium expeE ctetis.

*Ad Dominum Lotharium*

## EPIST. CVIII.

PRæcellentiſſimo Domino Luthario glorioſo Auguſto, vltimus Abbatum Lupus & omnis monaſterij Ferrarienſis vnanimitas præſentem fœlicitatem & futuram beatitudinem. Quamquam inter adminiſtrationē terreni regni, de cœleſtis acquiſitione vos cogitare magnam ſpem veſtræ ſalutis tribuat, hiſque qui ſincere vos diligunt quod ſempiternum præmiū bonis operibus cōparatis: Tamen hoc eos maxime lætificat vt abſque fuco adulationis

adulationis quod ſetimus ſimpliciter eloquamur, quod pnteſtatem culminis vr ſtri gratiſſima Deo, & hominibus pietate ornatis, in hac enim perſenerantes inter eos annumerabimini, quibus promittere dignatur Saluator, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Nos deuotiſſimi ſamuli veſtri ſpecialiter maieſtati veſtræ gratias agimus, quia fratrem noſtrum G. ideo fratrem, quia audimus conuerſum à ſuo propoſito deuium & auctoritate reuocaſtis, & mira dignatione, etiam interceſſione, quæ vim iuſſionis merito obtinet, ad noſtrum collegium reduxiſtis. Debemus igitur vobis aſſignare poſt Dominũ nos eius correctionem, ille ſuam ſalutem. Nam quod ſacra veſtra ſignificabant, vt reſumpto habitu in officio condendarum epiſtolarum perſeueraret, nec vos decebat, & nobis conſentire erat impoſſibile, quoniam propoſitum noſtrum vix mediocriter intra clauſtra monaſterij cuſtoditur, ne dum inter tumultus mundanos à quolibet, præſertim ſi non ſatis cautè valeat adimpleri. Dominus & Saluator noſter ad tutelam & pacem populi Chriſtiani, quem remedit diuturna ſoſpitate, in hac vos vita contineat, & in futura gloria ſempiterna coronet.

*præſertim non ſatis cautè.*

*Ad Marcuuadum & Egilem.*

EPIST. CIX.

CHariſſimis ſuis Marcuuado & Egili Lupus omniſque Ferrarienſis Cœnobii ſocietas præſentẽ & futuram ſalutem. Tandem à placito me reuerſo ad monaſterium, fratribuſque veſtra diligentia conueſſione G. expoſita ab omnibus talium capacibus ſanctitati veſtræ relatæ ſunt dignæ gratiæ: illi autẽ congratulatũ quod audiebant depoſitam certæ perditionis temeritatem, & reſumptam obtinendæ ſalutis intentionem. Redeat itaque ſecutus ſi ex animo eſt vt optamus conuerſus, quia vnde Angeli, ocius ex parte ſpectati gaudium habent, crudele eſt nos non exultare, qui in multis offendimus omnes. Siquidem quacumque occaſione quis ad Dominum recurrat, gaudendum eſſe nobis, luxurioſus ille filius miſericordia patris recepẽs informat; cui apud eũdem patrem nõ fuit egeſtas opprobrio, quam gratis reformata dignitas aboleuit. Literas Domino Imperatori vobis legendas ac ſigillo munitas maieſtati eius, per vos honorifice offerendas direximus, vt voluntatem noſtrã etiam in eis rectam inſpiceretis. Folchricum & Mauricium cupimus cum fratre memorato redire, vt pitacio quo vnice delectantur, nã hoc anno penuria vini timetur, nobiſcum fruantur, taritas tamen fructuum idipſũ defuturum vt prũ damno veritatem, minatur, ceruiſiam vero ſterilis annonæ prouẽtus. Tuto igitur naturali potu quo ſalubritas animæ corporiſque nõnunquam acquiritur, omnes vtemur. nõ hauſta lutulenta ciſterna, ſed puteali perſpicuitate aut vitrei riui decurſu. Optamus vos valere fœliciter, & paruitatis noſtræ benigne in omnibus meminiſſe.

*potius.* *prodo- mus.*

*Ad Hilduinum.*

EPIST. CX.

NObilitatis, dignitatis & moderationis apice conſpicuo Hilduino Eccleſiaſticorum magiſtro, Lupus præſentem & futuram proſperitatem. Non eſt mirandum amplitudinem veſtram putaſſe tuto committi nobis theſauri cuſtodiam, propterea quod monaſterij noſtri ſitus nobis non erat compertus, hunc enim ſi cognouiſſetis, non modo diu non conſeruandum, ſed ne tridui quidem ſpatio habendum eum nobis direxiſſetis, namque tametſi piratarum huc difficilis videtur acceſſus, quibus iam peccatis noſtris talia merentibus, nihil longinquum non eſt propinquum, nihil arduum eſt inuium, tamẽ infirmitas noſtri loci & exiguitas hominum, qui ſint idonei reſiſtere, accendit rapaciũ auiditatem, præſertim cum ſiluis tecti poſſunt aduolare nulla munitione, nulla hominum obſtante frequentia, & vicinia ſaltuum recepti, ſic diuerſi diffugere, vt ipſi pecunia ſecuri potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant. Hæc ita eſſe & homines veſtri nuper inſpexerũt, & hic ſuo qui diu nobiſcũ verſatus eſt, poterit approbare. Proinde veſtra merito laudata, & laudanda prudẽtia proſpiciat noſtræ formidini, & ſuæ rei ac precioſa pericula aliò trãſferẽda procuret, ne ſi quid veremur cõtigerit, vos ſera pœnitudine torqueamini; Nos vero quam non meremur incurramus offenſionem. Eximietatem veſtram cupio valere fœliciter.

*Ad Odonem Abbatem.*

EPIST. CXI.

CHariſſimo ſuo Odoni Abbatum clariſſimo, Lupus plurimam S. Magnis & innumeris veſtræ liberalitatis affectus beneficiis, ſi quas animo retineo gratias verbis explicare conarer; non epiſtolæ ſolum, verũ etiã voluminis modum excederem, amplitudo veſtra noſtrã exiguitatem nõ deſpexit, egeſtatem vbertate nimia ſubleuauit, nec tale quid me ſuſpicari audentẽ vtpote lõge imparẽ, fidiſſima ſibi amicitia coæquauit, cuius ego ſuauiſſimis fructibus perfruens, tam & ſi facultate deſtituor, non deſino anxius meditari, ſaltem affectum mei animi declarare. Omnium ſiquidem amicorum, quos ab ineunte ætate diuina mihi pietas contulit, firmiſſime vos teneo principes, nec cuiuſquam alterius vt veſtra dignatione & largiſſima humanitate me ſentio obligatum: adeo vt cum hæc repeto, ruboris moleſtiam haud quaquam valeam euitare; atque vnum ac ſingulare feſſus reperio ſolatium, quod diuina gratia, quæ me nihil huiuſmodi merentem in tantum culmen ſocietatis euexit, collatura ſit, ne in perpetuum erubeſcã delinimentis quæſo ne putetis me fallacibus vobis illudere, quandoquidem tam ſint apud me quæ leuiter tango firma vt in eis digne explicandis quæſita laboret oratio. Cæterum vtinam fallax fama vulgauerit, in procinctu contra barbaros quoſdam veſtrorũ grauiter ſauciatos, in quibus admodum dilectum nobis G. letalibus confoſſum vulneribus vix euaſurũ hinc vehementi dolore afflictus opẽque interceſſionis cum fratribus meis continuans ſuper ſtatu eorũ cupio veſtris literis mature fieri certior. Ingenti quoq; veſtri cura ſollicitor, cum vos inermes incaute in media diſcrimina prorumpere ſolitos recogito, inque iuuenilem agilitatem vincẽdi rapit auiditas, proinde diuina deuotione ſuadeo, vt ſola diſpoſitione contẽti, quæ tantummodo veſtro propoſito cõgruit, armatos exequi permittatis quod inſtrumẽtis bellicis profitentur. denique multum proficit qui prudentibus conſiliis cõpetẽtes ſibi & alus proſpicit. Quaſe ſeruate vos veſtro loco, ſeruate vos amicis, ſeruate bonis omnibus, nec committatis quod mecum plurimi lugeant. emptionem ferri, quod propter meſſem erat difficillima, diſtulimus, paratum nauem quã ędificamus vos recipere, niſi naulum recuſeris auferre. Dirigite impendenti Septembri, ſi prius non fuerit opportunum, quemadmodum nobis conuenit fratres qui ſaltus patrem aſſignent. Infauſtum etiam fauſtum effetant, & reſponſa de omnibus quæ mandaueritis fideliter referans. Perſiea quæ pollicitus ſum per curſorem, quem iam bene cognoſcitis miſi. Ea ſi, vt vereor, vorauerit, vel vt ſibi tempora queſtus fuerit, ex tot quete precibus vt vel oſſa tradat, niſi tamen & ipſa conſumpſerit, vt iucundiſſimorum perſicorum ſitis quandoque participes.

*tametſi.* *anxiè.* *benigna* *efferant*

*Item ad Eundem.*

EPIST. CXII.

CHariſſimo Odoni Lupus perpetuam ſalutem; Nuper mihi literas redditas ſi poſſem diuinare à

vobis ipsis, quam ab alio compositas conueniens forsitan reperissem responsum, nunc ambiguo deterritus, quibus verbis vti valeã, quibusve sententiis, anxiè quæro. Ne apud vos metas moderationis excedam, quando quidem vestræ personæ singulariter mihi consideratio iugiter sit habenda quis enim me ferendum iudicaret, si vos, quibus præter gratias plurima, immo omnia debeo, sinistræ suspicionis arguerem? Nã si alium scirẽ epistolæ auctorem cohibito dolore doceri flagitarem, quibus tantum modis fidei studium aperiri præciperet, qui literas, vt ita dixerim, calamo in veritate tincto, perscriptas, suspectas tam inuerecunde fecisset. Ego enim nihil vnquã de humanis rebus homini locutus sum verius, nihil amico reuelaui purius, nihil retinere decreui constantius. In rebus aliis libenter, exercendi aut delectandi gratia, admitto ridicula. Porro in professione amicitiæ contemplandæ, tanti tãque diuini muneris, feria sola complector. Hinc quiddam acute de persicorũ numero inuentum approbarem, si sic commendaretur sublimitas virginalis, vt non sperneretur humilitas cõiugalis. Denique virginis filius non modo non damnauit coniugium, verum etiã eius initium, nuptias videlicet primo miraculo illustrauit. Placet itaq; ac vehemẽtissime virginalis integritas, sed non despicitur ne ab ipso quidem Domino coniugalis societas, iam illud quam lepidum est quod recipi mecum in nauem imponendæ vobis mercedis taxatione refugitis, sed si vos necessitatis articulus quod futurũ arbitror constrinxerit, quem offerentem tam insolenter repellitis, iuste recusantem prospicite, ne impudenter implorare cogamini, verum vt grauitatem stillans repetat. Strenue profligatos barbaros & ad internecionem cæsos, vestra, immo Dei virtute gaudeo, vosque ipsos & vestros ineffabiliter exulto discrimine liberatos. Nec minus partim admonitos, partim expertos, tandẽ vos credere non temere fortunam, nec sæpe reutandam pro G. reliquisque in defensionem patriæ sauciatis, non cessabimus preces fundere, quousque vestra relatio, paruitatem nostram sanitate illis restituta lætificet. Faustũ dirigi postulaui, non quem refellit Augustinus, sed quem notat in Decretis Gelasius. Vinum vobis mercandi curam deposuetam, propterea quod desperabatis possibile vobis futurũ ad nos destinare: nostrorum discordia & barbarorum impediente audacia. Quoniã vero recenti me sollicitastis admonitione, quãquam vindemiæ apud nos nõ est quantus iactabatur prouentus; Vincere sterilitatẽ anni labore cõtendam, si consiliũ quod vobis nuncius meus exponet, placuerit. Illud autem quod pollicitus sum cum direxero, cognoscetis, quanta proprietate intelligã indulgentiam Apostoli, qua se auidiores vini tuentur: modico vino vtere. Circũsepti enim conditionis necessitate, nõ aliud quam à me missum bibendi modũ dedisse nomine modicis me sentire animi aduertetis, licet minacites epistolam terminauerim. Cupio vos valere fœliciter.

*contemplationi muneris.* — *filius* — *nomen*

*Ad Ludouicum Abbatem.*

EPIT. CXIII.

CLarissimo Abbatum Ludouico præsentem & futuram salutem. Non dubito vbertate diuinæ gratiæ factum, vt vestra sublimitas meæ humilitati dignaretur condescendere, & me in qualicumque amicorum ordine numerare, per vos enim & sæpe alias & proxime intolerabili me incõmodo diuina pietas liberauit, cum molestè nimis & diuturna statio imponeretur. Vestris itaque innumeris & assiduis beneficiis me imparẽ credens, & confitens respondere, omnipotentem imploro cuius munere tantum & in me, & in omnes opis egentes estis beneuolentiam consecuti. Cæterum homines mei frequentibus exhausti expeditionibus, audita profectione Domini Regis, Britanniam versus, & denunciati olim placiti aliquam sperantes dilationem, proposuerunt vt vos consulerem, vbi & quando vobis iungi deberem. Proinde vestra indulgentissima moderatio nostras metuẽs difficultates dignetur nobis litteris exprimere, quãdiu post præstitutũ placiti diem, tuto morari possimus. Ita vt nec desimus placito, & aliquid spatij vestro nos consilio regente lucremur. Illud etiam ne fastidiatis subrogere si absque periculo piratarũ nauis nostra, expensam vehens possit tenere cursũ per Sequanam, & inde per confluentem Isaræ vsque ad Credilion progredi. De vestra exoptabili sospitate super omnia, paruitatem meam lætificate, meique benigne memores, bene semper valete.

*molesta* — *tantum* — *poposcerunt* — *metiens*

*Ad eundem.*

EPIST. CXIIII.

CLarissimo Abbatum Ludouico, Lupus plurimam salutem. Vestris frequentibus, immo assiduis beneficiis obligatus, doleo rebus me non posse rependere gratias, propterea id proxime conatus sum literis agere, nec ruboris mei angustias, amplitudinis vestræ dignatio fastidiuit, vnde quod solum possum ingenue fateor, arctiori paruitatem meam debiti vinculo deuinxistis, hæc tam ingens vestra beneuolentia, & in me & in omnes à quo solet infunditur, ab eo credo remunerabitur, nos qui vestri post Deum indigemus continuis petitionibus, æternæ illius retributionis augmẽta præbemus. Positus in itinere comperi Dominum Regem, ne tunc quidem quando constituerat ad vos reuersum. Proinde dilationem flagitantibus hominibus meis vt soleo ad præsidium consilij vestri confugio, quod sic quæso moderamini, quæ mihi agenda sint præscribentes, vt & ab offensa tutus esse valeam, & si in retundendis aut opprimendis Barbaris, inspirante Deo, efficax molitio statuitur, pro viribus meæ tenuitatis adiutor existam. Quàm perpetuo in perpetuum valeatis.

*quantum cupio in perpetuum*

*Ad Ercanr. &c. Gu. & aliorum personis.*

EPIST. CXV.

REuerentissimo præsuli Erc. H. & Ag. Episcopi & vniuersa Synodus apud Marittum *vel* Muritũ in Dei nomine congregata, perpetuam salutem. Sanctitati vestræ gratias agimus quod quamquam tardiuscule, tamen vestrum vicarium direxistis, qui pondera deliberationum nostrarum nobiscum exciperet, definiendisque rebus necessarium conamen adhiberet, sed persona vestra apud simplices quosque tantũ amplius contulisset auctoritatis, quantũ præcedit apice dignitatis, proinde quia peccatis nostris merentibus turbulentissimũ tempus est & tot sibi succedentibus annis exuberante iniquitate, defuit facultas celebrandi conuentũ, ac Regis cor Deus ita molliuit, vt nobis aliquã correctionis largiatur opportunitatẽ, momenta vero vitæ nostræ nullam sui transitus dilationem recipiunt, causam ipsius Dei nostri haud quaquã segniter debemus curare, nec nos ab executione officij quod indigni suscepimus, vlla nisi impossibilitatis necessitate subtrahere, quoniam vt scriptum est, Homo videt in facie, Deus autẽ in corde, qui redditurus est, vt alibi verissime dicitur, Vnicuique secundum opera sua. Atque vtinam superogaremus aliquid, vt ipse rediens optata mercede cumularet. Charitatis igitur nostra detrimenta, vbi aliquod discipuli bene iam instituti immatura morte decesserunt compensare illorum eruditione, qui vel in profectu positi, suæ profectionis augmenta desiderant, vel eorum qui fœlicibus indiciis spem sui profectus plurimi ad nobis cupientibus iam dederunt, nimirum credentem me totius boni auctorem tam fructuoso promereri labore. Vt ergo particeps efficiatur doctrinæ memoratus puer, cuius iosse consuluistis, si licentiam & literas sui habet Episcopi, perducatur ad nos à dilectissimo Remigio III. Kal. Iol. & gratia Dei opitulante conabitur cum aliis illis quoque prodesse.

*G. H.*

Fratribus

*Fratribus ex Cœnobio sancti Germani Antissiodorensis.*

EPIST. CXVI.

SAnctis patribus in monasterio beati Germani, Domino excellenter militantibus, Lupus socia congregatione Ferratiensi copiosam in Domino salutem. Semper quidem in cœnobiorum nostrorum habitatoribus vera charitas viguit, sed nunquam tamen certis indiciis, vt nostro tempore, sui magnitudinem declarauit, ac in nobis si quid præter solitum exercuisse, supprimendum videretur, ne immemoris beneficii exprobrationem nos formare aliquis æstimaret. De vobis liberum nobis est, præsertim vera narrare, ad diuinæ laudis argumentum, & quoniam cōfidentius experta asserimus, quam audita à memetipso inchoandum decreui, fidē propositioni facturus. Cum proximo autumno insignis Rex noster Carolus Antissiodorum venisset, & comitatus eius proxima loca pene omnia occupasset, egentes hospitij, vos potissimum adeundos credidimus. Nec spe nostra falsi, officiose sumus excepti, & publicum vestrum conuictū segrò famulatu nobis penitus adimēte quæcunque hora elabi potuimus, nequaquam sensimus importunitatem nostram vobis oneri extitisse, postquam per charissimum propinquum Remigium, & gratissimum auditorem meum Frtidilonem, sanctitati vestræ satis fecimus, ostendentes votum nostrum, quibus reniti non valebamus, mandata Regis aliò quā vellemus auertere, discessuri ne gratias quidem in conuentu referendi copiam habuimus, quoniam moras omnes differendæ legationis impossibilitas auferebat, vnde in hac parte memoratos amantissimos fratres, vicem nostram implere obsecrauimus, donec per nos id ipsum exequi diuinitas largiretur. Ad hæc quæ supra retulimus terrente prædonū improbitate, ornamenta ecclesiæ nostræ occultanda curastis, nec ad id præstandū inuēti eis difficiles: quæ secū reputans dilectissimus frater noster si & eū sibi, tum etiā pluribus aliis nostrum multa benigne collata, recensens impendente, vt metuebamus, ruina nostri loci, quam & nostra peccata, & piratarū vicinia minabātur, vos elegit, non apud quos peregrinaretur, sed intra quorum collegium admissus, vicarium nostri loci cōtubernium possideret, verum id etiam alii postulauerunt, optātes licet diuersi in monasteriis consistere, quam cum maiorum suorum parte in villa versari. Quanquam igitur Deus, incertus vtrum sua pietate in perpetuum subuersionem nostri monasterii remouerit, an aliqua latente causa ad tempus distulerit, tamen prædictus frater, quod obtinēdum conceperat, perseuerauit flagitare, quod vtinam vobis annuentibus cōsequatur, ne similiter causs coactus, vlteriora compellatur sectari. Supplicamusque vt eum apud vos consistentem, pie foueatis, quia meorum laborū diu particeps fuit, & pro sua probitate ac strenuitate, semper gratus omnibus & vniuersaliter vtilis est iudicatus. Præterea vestræ sanctitati plurimum cōciliari, ausi sumus fratrem Bernegaudum rudem adhuc monachum, roganti vestræ paternitati obsecuturum, & in suo proposito perfectiorum exemplis, atque doctrina studiosius confirmandum; exiguitatis nostræ benigne memores optans vos valere fœliciter.

*Ad Ansboldum.* EPIST. CXVII

REuerentiss. A. Abbati, & vniuersis fratribus, L. & omnis Ferratiensis Cœnobij societas in Domino salutem. Asperrimis difficultatib. euictis, gaudemus vos tandem aliquādo gratia diuina loco proprio restitutos, nec illud non libenter accipimus quod nostram in vos, pronam voluntatem pio affectu iucundisque sermonibus prosequimini, quamquam longe plura atque maiora vobis præstita cuperemus, tribulationes nostras partim dolenter audistis, partim anxii aspexistis: sed eas temperante, vel penitus auferente Domino Deo nostro, cum vestro commodo vobis vestrisque qui nos adierint desideramus vsui esse ac sincerissimæ voluptati, vt igitur familiaritas olim inita vberiori proficiat incremento, in occidua plaga recuperatæ fa-



A cultates fuerint adiumento, dum excursus & recursus per nos quæ vtrimque gerantur aperiet, cupimus vos nostri benigne memores semper valere fœliciter.

*Ad Herardum Episcopum.* EPIST. CXVIII.

REuerentissimo Turonicæ ecclesiæ Antistiti Herardo Lupus, & Bethlebenutiei. Cœnobii vnanimitas plurimam in Domino salutem. Quemadmodū scribere dignati estis diuinitus cum exiguitate, nostra familiaritatis fœdera sociastis: : Charitas enim, vt scribit Apostolus, à Domino est, quæ maxime in his eminet qui sincera amicitia fœderantur, vtinam autē vel orādo, vel spiritaliter, vel obsequendo sæculariter, aliquid vobis conferre possemus, profecto nostram in vos voluntatē
B fideliter aperiremus, quod in charissimo nobis fratre declaramus, quem secundum petitionem vestram ad regendos monachos in Cella Rocletia concedimus, qui cuius momenti apud nos sit, ex officio quod laboriosissime gessit, facile est æstimare. Supplicamus autem sanctitatem vestram, vt eum assidua pietate foueatis, sentiatque paternum in vobis affectum, cuius dulcedine semper inter mundi amarissimas molestias recreetur.

*Ad Æneam Episcopum.* EPIST. CXIX.

CHarissimo suo Æneæ, Lupus æternam salutem, Doctrinæ studiosissimo Regi nostro, quemadmodum vobis post alia intentionem meam aperui, quod liberalium disciplinarum laborem recolendo, & alios in-
C farciendo, fauēte totius boni auctore Deo, vellem reperere si otium ipse habiturus præmij communionem sua indulgentia concessisset, quod votum meum, sereno vultu, sermonibusque blandis amplexus vt ad effectum valerem perducere se curaturum promisit, id vobis continuo significandum credidi, ne oblata occasione nescire tis ad tantæ rei adnisum quibus esset inuitādus alloquiis, me vero monasterium ingredientem, tristis excepit nūcium si ostendens Hildegarium vestrum qui neptem meam habebat in cōiugium decessisse, vnde proprio affectu, & propinquorum vtriusque lineæ impulsu asserētium, me apud vos plurimum posse sanctitati vestræ, has literas destinaui supplicans, vt filio ipsius super quo postulauit, concedere dignemini beneficium. Tutorem vero qui & moribus vestris congruat, & militare obse-
D quium exigat, laudabili prudentia statuatis relicta memorati viri eiusque propinqui decenter vos si obtinuero venerari studebūt; Deus autem aliis etiam bonis suffragantibus meritis, in eorum collegium aggregabit, quibus pollicetur, beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Cupio vos valete fœliciter.

*Ad Arbricen. Episcopum.* EPIST. CXX.

DEsiderabili Pontifici Lupus & fratres eius monachi sempiternam salutem. Suspensi ad benignissimas promissiones vestras tempus frustra fluere dolemus, cum infestationes prædonū non possumus habere suspectas, proinde vt vestrum acceleretur votum, nostrum-
E que depellatur periculum, suppliciter imploramus vt propter cœlestem retributionem, ipsi dignemini ad aliquem locum fatigari, quo non sit mihi & quibusdam fratribus impossibilis accessus, vt & vos nobis exponentibus nostram necessitatem, & nos vobis aperientibus vestram voluntatem plene valeamus cognoscere. cum loco autem diem mensis exprimite, ne dubietate aliqua confundamur cupimus.

*Ad Vulfadum Abbatem.*

EPIST. CXXI.

VNanimi suo Vulfado Lupus omnimodam salutē. Fama vulgauit aduētum regis aliter futurū, quam

fuerat ab eo dispositum; causas igitur huius immutationis, & quo tandem tempore venturus sit, aut vbi interim moraturus, familiaribus literis aperite, vt ex eis quid mihi agendum sit, inspirante Dei fauore, valeam æstimare; relatio enim cursoris fidem non inuenit, quoniam frequenter euidenti mendacio maculatur. Valete.

*Ad Gerhardum.*

EPIST. CXXII.

(G. B.) PRæcellentissimo Duci B. & clarissimæ coniugi eius Bl. Lupus præsentem & futuram salutem. Semper insignis fama de probitate vestra bonos quosque lætificauit, sed nunc in omnium notitia vberius efflorruit, cum eandem probitatem vestram successu (*profuturo.*) profuturã Christianis omnibus diuinitas comprobauit. Illi laudes, illi gratiæ, illi exquisita præconia, quo auctore hostes molestissimos partim fugastis, cum vero quæ primo polliceri postea promittere dignati estis largiti fueritis, conabimur gratias cumulare, cæterũ quod diligenter scrutamini, noueritis monachum & discipulum meum nonnunquam à nostro monasterio aufugisse, sed ad petitionem beatæ memoriæ Marc. Abbatis, ex Prumia aut perperam à nobis eum honeste directum, & cum illo aliquandiu conuersatum, quorundam inuidiosorum vitasse insidias, & inde discendi studio, & quietis amore in vrbe Lugdunensium constitisse. Reuerendissimis autem viris Remigius memoratæ vrbis Metropolitano & H. Gratiano-politano instanter postulantibus, & conuersationem memorati fratris laudantibus, quamquam olim meam verbis habuisset licentiam, etiam regulares literas accepisse, quæ prolatæ, quid de eo sentiam, fideli relatione fatebuntur. Interas etiam eum Ecclesiasticas habere à venerabili Episcopo nostro G. certissime scio, nec impedire aliquid si Deus eum vocat quo iuste eius infirmari possit electio: bene apud nos conuersatus est, quo plurimum indiget Ecclesia. Idoneus est ad docendum, regularibus & pontificalibus fultus est epistolis, progenitorum nobilitate ornatur. In secũdo propositu iudicio prædictorum antistitũ inter quos elegit, denote perdurat quid restat nisi vt quod secundis præsulibus (*sanctis*) Deus inspirauerit, fiat? quid autem mirum si aliquando asperius aliquid super eo locutus sũ, illud culpa fuit (*falsa allego prim.*) inimicorum eius impudenter falsè vulgantium istud quod nunc litteris colligo. meum est indicium constãter prima visa, & postea comperta narrantis. Cupio vos valere fœliciter.

*Ad Ansboldum.*

EPIST. CXXIIII.

CHarissimo suo Ansboldo Lupus indeficientem salutem. Vehemens ac generalis necessitas, vt cõperistis, abduxerat, ac propterea nequiuimus, quemadmodum vterque nostrum cupiebat, dum teneret te mini fido recreari colloquio, erit autem diuinæ gratiæ istud quandoq; compensare dispendium. Interim sinceritate amoris probabiliter delectemur. Cæterũ redditæ sunt nobis dudum literæ diem ingressus vestri in monasteriũ ostendentes, quibus in conuentu recitatis, & ab omnib merito collaudatis, rescripsimus quæ nobis consequentia videbantur, his autem recentibus inspectis intelleximus illas nec dum vobis fuisse perlatas. nunc vero idem Nonis Martij vos easdem habere opinamur. Atque ideo quæ continentur eisdem otiosum esse repetere. Fratres omnes affabiliter salutate, & vt pro nobis vt pote sibi deuotissimis orare dignentur, suppliciter obtinete. Optime vos valere optamus.

*Ad Gueniloneṁ Episcopum.*

EPISTOL. CXXV.

REuerentissimo Gueniloni pontifici, Lupus præsentem & futuram salutem. Non est mirum si vos tandiu Metropolitanus Episcopus mendacio fefellit, quãdo Dauid nequam seruus verisimili figmento ad horam decepit. Prædiorũ, quibus donatus fuerat, medietate seruus ille multatus est. Episcopo vero timendum est ne promissionum cælestium integritate priuetur, cum teste sapientissimo Salomone eũ detestetur: Anima Dei quæ seminat inter fratres discordias, & hoc & omnia quæ ab imprudentibus velut tædio & impossibilitate contemnenda ducuntur facillime iudicij exitum sortientur, cũ tanta euidentia in memoriam cuncta reuocabuntur, vt nec auctores malorum purgare obiecta, immo declarata conentur, nec vlla rationalis creatura inde dubitare præualeat quæ creatoris æquitas omnibus proposuerit cognoscenda, ibi nisi satisfecerit eum trepidare frustra videbitis, quem vera referre vt homo falsi credidistis, quomodo enim tantæ possem effici prauitatis, vt depositionem eius cuperem cuius acceperam diuinitus consecrationem, testem eum securus facio, cuius experiemur vtrumque iudicium quoniam postquam præesse cœpistis, & dignati estis me in familiaritatem assumere, semper optaui vos, & in sanctitate proficere, & dignitate augeri, & si meis rebus integris sinistrum aliquid, quod Deus auertat, vobis contigisset, paratus fui opem ferre pro viribus, & me amicissimum modis omnibus euidentissime comprobare, quod si me perfidiam incurrisse recolerem, tantum scelus negatione non tegerem, sed confessione supplici veniam obtinere conarer. Nam cui vel parum facias intueri literas non vltro ac sæpissime occurrat: Qui parat foueam proximo suo, incidet in eam. Hæc quam vera sint vtinam aperiat in præsenti qui omni ambiguitate remota, patefaciet in futuro, ac me in hac parte penitus innocentem insolubilem familiaritatem vestram ad vtilitatem vtriusque tribuat obtinere. Quod aliunde compereram, vosque dignati estis mandare, si Deus annuerit, Dominus Rex fiet nobis vicinus, post cuius digressum, si vobis placet, vt primo fieri poterit, desidero in congruo vtrique loco vos adire, & sequestra spiritualiter gratia recuperare amicitiam, quam spiritus maligni maleuolentia aliquantulum perturbauit. Tunc etiam referre potero quid super fratre Bernegando sancti Germani monacho annuerint, quidque solum absque nostro damno præstare valeamus fugitiuo nostro, qui nuper clementiam vestram precibus (*Bernegando monacho*) inquietauit. Exiguitatis meæ memores, semper cupio vos valere fœliciter.

*Ad Folcricum.*

EPIST. CXXVI.

REuerentissimo præsuli Folcrico, Lupus temporalem & æternam salutem. Affluentiam gratiæ diuino munere vobis indultam, literis comprehendere placuit, ad laudem illius qui dedit, & ad condemnationem auaritiæ commendationemque inuictissimæ charitatis. Nam cum aliquam insulam Sequanæ pagani crudelissimi piratæ appulissent, quæsita est sub Meleduni oppido ab aliis recẽs exulto, & eorum viciniam nobis vt erat periculosissimam, nisi Dei miseratio subueniret, duceremus, nec in monasterio consistere audebamus, nec quo migrare possemus depressi ærũmosa tãtæ calamitatis inueniebamus. Inter hæc cum me grauiter ægrotãtem visitatum venissetis, ac nos ingenti exterritos metu offendissetis, illico absque vllo deliberationis tædio nostrum exonerastis pudorem, & præuenientes nostram supplicationem, obtulistis prædium Aquense, dominationis vestræ præcipuum in quo istius maliciam temporis vitaremus, tenendæ nostræ professionis opportuni- (*rutim*) tate non penitus destituti. Præterea largissimam humanitatem vos prebituros vix credibili beniuolentia ostẽdistis, incomparabili consolatione per vos vltro nobis diuinitus oblata, præsertim in tam immani discrimine quid faceremus, conati sumus vt par erat Deo, & vobis saltem gratias referre. Sed succumbente ingenio nequiuimus eas digne mente cõcipere, nedũ

ora

A ore proferre, ergo attoniti abundâte vbique iniquitate, & refrigescente charitate multorum, admirati sumus diebus nostris aliquem repertum, qui cum tanto rei familiaris detrimento, & imminutione indulgentibus subueniret, nimirum hoc fuit à fratribus necessitatem patientibus non claudere viscera, hoc fuit Episcopaliter comparari, hoc postremo charitatem implere. Verum quoniam exuberans Dei nostri clementia, tegens indulgentia innumeras maximasque culpas nostras, minas prædonum, quibus vastatis longe lateque celeberrimis locis etiam sedem Negotiatorum cappas se petiturum iactabant subuertitur, ac eos à nobis; quod vtinam ab omnibus Christianis faciat, auertit, nec hac vice auulsi à nostro cœnobio cogemur peregrinari, optamus omnes quasi concesso nobis vsi beneficio, B vt sit vobis tâ copiosi boni salua merces, repræsentâda adeo cum cæperit electos glorificare, & gratiá pro gratia reddere. Paruitas autê nostrà pene inaudita vestra liberalitate obligata, nunquam erit vobis ingrata ---- ad obsequendum paratissimam quibuscunque valuerit indiciis non ----abit. Sit tamen Aquensis fundos tempore prælationis vestræ, quod Deus diuturnum esse concedat, nostro refugio si infœlicitas similis acciderit destinatus, contineantur ædificia, hortus etiam diligentius excolatur, quod recte facere disposuistis. Agri ad hoc apti vitibus conserantur, acerui frugum iusti laboris industria multiplicentur, vt & vobis sappetat quod de more quotannis domesticis tribuatis, & quod opem quærentibus misericorditer largiamini: Et si illorum nos, quodammodo formidamus, peccatis nostris C id exigêtibus, vltima necessitas traxerit, latibuli nostri asperitas memoratis subsidiis leniatur. Quid autem velimus super his quæ à nobis dignati estis accipere, cur quæritis? Quare non aspicitis quota portio sit nostræ seruitutis: si vestro maximo beneficio conferatur, ac de huiusmodi quam non ferimus dissimolatione nos callide ampliora suspicemini elicere, meditari quæ cogitamos absque obscuritate exprimimus. Comperistis, quamquam locus noster Bethlehem, hoc est, domus panis appellatur: panis nos penuriam cito passuros, nisi vestra aliorumque amicorum benignitas suffragetur. Proinde pollicitationis vestræ memores, potestis nos clientes vestros mense gratis alere dimidio, non sine vsura quasi ex debito sustentare Ac ne nos impudentiæ, immo stultitiæ arguatis, recolite rerboriæ à nobis D non improbari peritiam, quæ instituit vt cum minora impetrare disponimus, maiora poscamus. Cupimus vos valere fœliciter, & vestræ dignitatis eminentiam honestis iugiter moribus & sanctis actibus exornare.

*Ad Guenilonem.*

EPIST. CXXVI.

Reuerentissimo pontifici Guenloni, Lupus præsentem & futurâ salutê. Sanctitatis vestræ literis alacriter paruissem, nisi votû meum molestia corporis impedisset. Nam cum per diuturnas & asperas huius anni ægritudines bene reualescerê, subito tussim incurri, quæ meatus obstruens pene totam mihi spirandi facultatê adimebat. Hinc factum est vt multum sanguinis detraherem, maximamque imbecillitatem contraherem. Proinde nusquã audeo progredi, donec quietis ac medicamentorû, immo diuinitatis ope mihi quantulacûq; sospitas formetur. vnanimis tantum vobis in omnibus supplicabo, & ad idê eundum fratres meos hortabor, B vt Deus inspiret vobis côsilium, quo generaliter prosi-tis omnibus Christianis, ne peccatum iniustitiæ, quæ nos iam miseros fecit, in damnationê pertrahat sempiternam. In die pontificatus vestri ad tantam libertatem vitia proruperunt vt vindicata impunitate apertis quibusq, nec Deus, nec Rex, nec Episcopus timeatur. quid moramini? quid vltra expectatis? aut Deus vestra industria & auctoritate ad æquitatem reducet res humanas, aut hæc malorum incrementa post inauditas contumelias pene omnes, qui pauci remanserunt, opprimêt. Innocentes videris, quia secundum Beatum Esayam, Qui recedit à malo prædæ patuit, nec tutus quisquam côtra violentiam raptorum est, nisi qui viribus prævalet, aut in eorum concessit collegium. Cupio vos valere fœliciter & paruitatis meæ memoriam habere benignam at- C que continuam.

*Ad Odon. Præsulem.*

EPIST. CXXVII.

VNice singulariterq; dilecto præsuli Odoni, Lupus plurimam salutem. Maximis pluribusq; beneficiis adiutus securus ad vos decurro his etiâ vsurus quæ per nuncios meos vos præbiturum esse mandastis. Verum quia non misistis equum, nec idoneum, qui me ex luto inferret, habebam, nam ad vos si Deus vult cursum tenebo. Ergo vestra indulgentissima pietas, quæ me gratis & vltro fouendum recepit omni egressum ne paratur durioris equi succussatura vexari. Locum vbi tendamus nobis vicinum & congrua equis pabula cum ve- D stris, sicut mandare dignati estis, vos procuraturum nô dubito. Cursor noster donec veniamus, quod opinor futurum suffragante Dei clementia, Kal. Iulij, pauperis apud vos locum implebit, & si permissus fuerit, obseruabit fragmenta ne pereant, pocula, etiam ne gratiam amittant humore siccabit.

# EPISTOLÆ GERBERTI PRIMO REMORVM, DEIN RAVENNATVM ARCHIEPISCOPI,

*Postea Romani Pontificis Siluestri Secundi.*

Quibus accessit Decretum Electionis eius, anno Domini 998.

*E Bibliotheca Papirij Massoni, Foresij, in Senatu Parisiensi Aduocati. Anno. 1611. Parisiis primum in lucem edita.*

Auspicijs Antistitum Et Cleri Galliæ.

## ANTISTITIBVS ET CLERO GALLIÆ.

*DIV desiderata Gerberti Epistolæ multis retroactis sæculis reconditæ, nunc sacris vestris auspiciis in lucem prodeunt è Bibliotheca Papirij Massoni fratris mei charissimi: Gerberti, inquam, qui ex Aureliacensium apud Aruernos iugo, vbi natus erat, descendens, peragrauit Galliam, Germaniam, & Italiam, tandemque ad altissimũ Sacerdotij & Apostolatus culmen ex Gallis primus, vt videtur, ascendit, Cæsaris Othonis tertij opera, anno Christiani numeri nongentesimo octauo: seditque quatuor annis, mensibus sex, diebus xij. cuius vitam huic operi subiecimus. Aliud autem subsequitur volumen Epistolarum, Ioannis scilicet Saresberiensis, Diui Thomæ Cantuariensis Clerici, & in exilio socij, eiusque martyrij scriptoris (quem Petrus Blesensis manum & oculum sancti Præsulis appellat) ac postea Carnotensis Episcopi, qui obiit anno 1180. iacetque non longe à ciuitate Carnutum in Abbatia, cui nomen Iosaphat. Tertium vero volumen est Stephani Tornacensis Episcopi ad Ligerim nati, & in Ecclesia sanctæ Crucis Aurelianensis à puero educati, & primo monasterij beati Euurtij Præfecti, postea Sanctæ Genouefæ Parisiensis Abbatis vt ipse ait. Mortuus vero Tornaci iij. Idus Septembris anno millesimo ducentesimo tertio dicitur, sub initium scilicet Pontificatus Innocentij III.*

*Occurrite igitur Siluestro sacro diademate adornato, & duobus Episcopis illum comitantibus, qui Epistolas suas vobis offerunt legendas: gratissimæ enim & fructuosissimæ sunt ob diuersarum rerum notitiam scientiamque. Præterea Siluester scripsit libellum de Numerorum diuisione nondum in lucem editum, cuius MS. habeo. Ioannis autem Saresberiensis Carnutum Episcopi Polycraticus, & Metalogicus pridem in lucem exiere. Et Petrus Blesensis testatur eum condidisse Poema eleganti metro, quod Archieremum inscripsit. Cuius auctoris Tritemius se legisse dicit librum vnum de Pœnitentia, alterum de Commiserationibus Domini. Stephani verò Tornacensis extat volumen sacrarum Concionum, quod in Bibliotheca Regia Gymnasij Nauarrici Parisiis inter captiuos codices asseruatur.*

*Cæterum vos supplex exoro (magna enim à magnis petere vir sanctissimus Gregorius Nazianzenus me docuit) vt preces ad Deum Optimum Maximum fundere velitis pro anima fratris, qui sacris piè sumptis (cum adhuc hæc Opera sub prelo essent) inter homines esse desiit, Dominica infra octauam Epiphaniæ hora fere tertia ante auroram, V. Idus Ianuarij proxime elapsi, ætatis suæ sexagesimo septimo, demptis quatuor mensibus & tribus diebus, scripto ante quinquennium Epitaphio suo paucis verbis concepto. Aequi bonique consulite, ac in Christo valete doctissimi ac reuerendissimi Domini mei. Lutetiæ Parisiorum iij. Non. Februarij, anno à partu Virginis millesimo sexcentesimo vndecimo.*

Amplitudini vestræ addictissimus seruus,

IO. MASSONVS S. BAIOCENSIS
Ecclesiæ Archidiaconus,

*De Cadomo vulgo nuncupatus.*

INDEX

# INDEX EORVM AD QVOS IN EPISTOLIS SCRIBVNT GERBERTVS ET Stephan. Tornacens.


A

ABBATI cuidam Monacho S. Epist. 203
Abbati de Laudo pro quodã conuerso S. 692
Adalberoni Remorum Archiepiscopo G. Ep. 8.61.93.94.162. in eum obiectio G. 57. purgatio. 38.
Adalberoni Episcopo Verdunensi. G. 41.47
Adalberti scholastici epitaphium G. 78
Adelaidi Imperatrici, semper Augustæ. G. 6. 20. 128.157. 159
S. Ædmundi Abbati : vide Edmundi.
Airardo. G. 7
Alberto Bononiensi Legisperito pro Hugone Aurelianensi Clerico. S. 23
Alberto Domini Papæ Cancellario. S. 68.75.150.152
Albino S. R. E. Cardinali Presbytero. S. 123
Aldeberto Mimatensi Episcopo. S. 16
Alto-villaris Abbati S. 182
Ambianensi Episcopo S. 194
S. Ambrosii Bituricensis Abbati S. 144
Amico suo pro quodam Monacho S. 64.71
Aniciensi Episcopo pro Ecclesia S. Euurtii S. 29
Aniciensi Canonico pro eadem Ecclesia S. 30
Archiepiscopo cuidam S. 98
Arnulpho Decano suo Brugensi S. 230. 238
Attrebatensi Episcopo, pro Abbate de Sarneio S. 174.194
Azoni Abbati Deruensi G. 82

B

BAiocensi Episc. & Decano pro negotio Turonensi S. 91
Bartholomæo Turonensi Archiepiscopo S. 47
S. Bartholomæi Nouiom. Abbati S. 553. 555. vide Hugoni &c.
Basilio Imperatori ex persona Hugonis Regis Frãcorum G, 111. 226
S. Bauonis Abbati & Conuentui S. 226
Beatrici Duci ex persona Adalberonis G. 62.63.64
Bellouacensi ex persona Adalberonis Archiepiscopi G. 99
S. Benedicti Abbati pro quadam vidua, & eius filio S. 65
Bernardo Monacho G. 92
Bertero Cameracensi Archidiacono S. 119.142. 215.216
Bertero Abbati S. Euurtii Aurelianensis S. 209.240
S. Bertini Abbati S. 209
Blandiniacensibus fratribus G. 48.96. 105
Bobiensibus fratribus G. 18.83
Bonifilio Gerundensi Episcopo G. 25
Borello Marchioni ex persona Hugonis Regis Franc. G. 112
Bosoni G. 4
Burdegalensi Archidiacono S. 231

C

CAnuto nobili viro de Dacia S. 169
Cunnuto Danorum Regi S. 170
Carnotensi electo S. 136
Caroliloci Abbati S. 95
Carolo Duci, ex persona Diederici Episcopi Metensis, G. 31. 116. 122.
Celestino summo Pontifici S. 202. 205
Charitatis Priori pro quodam Monacho S. 62. 63. 107
Christianæ pro filio suo S. 40
Cisterciensi Abbati S. 153.156. 184
Cisterciensi Abbati & Capitulo, pro G. Clerico S. 223
Clareuallensi Abbati S. 153. 183
Clero & populo G. 118
Clun:acensi Abbati pro priore de Ponte Monachorum remouendo S. 20





Comprouincialibus G. 110
Cononi Italico Marchioni G. 85
Constantino Abbati G. 142
Constantino Scholastico Floriacensi G. 87
Constantino suo G. 160
Constantino Imperatori Orthodoxo ex persona Hugonis Regis Francorum G. 111

D

DEcano Baiocensi S. 91
Decano & Capitulo S. Crucis Aurel. S. 131
Decano S. Martini Tur. pro Ecclesia S. Euurtii S. 18.19
Decano Remensi S. 160
Decano Rothomagensi ex persona Tusculani Episcopi S. 87
Diederico Episcopo Metensi ex persona Caroli G. 32.33.59
S. Dionysii Abbati S. 151

E

ECberto Archiepiscopo Treuirensi G. 13.26. 38. 69. 74. 101. 106. 108. 109.
Ecberto Abbati Turonensi G. 44. 81. 89
Ecclesiæ Vniuersali ex persona Hierusalem deuastatæ G. 28
Ecennanio Palatino Monacho G. 21
Eleemosynario Regis S. 77
Episcopis ex persona Laudunensis Episcopi G. 98
Eraclio Cæsariensi Archiepiscopo S. 82
Eurodeo Abbati & Conuentui S. Bauonis S. 226
S. Euurtii Aureliæ Priori, S. 94

F

FLoriacensib. fratribus ex persona Remensium Abbatum G. 95
Friderici Ducis Epitaphium G. 77
Fulgoni Magistro Scholarum sanctæ Crucis Aurel S. 133
Fulconi Abbati S. Germani Paris. S. 220

G

G. Diuinorum peritissimo atque tribus Philosophiæ partibus laureato G. 153
S. Genouefæ Parisiensis Abbati & conuentui S. 198
Gerardo Abbati Auriliacensi G. 16. 35. 46. 71
Gerberto Papæ ex persona Othonis imperatoris G. 155.158. decretum eius electionis, itemque vita.
Gerberto Episcopo Terdonensi G. 3
S. Germani de Pratis Abbati S. 195
Gisilberto Abbati, G. 6
Godefrido S. Satyri Abbati S. 38.70.71.93.117.161
Gratiano Cardinali sanctæ Romanæ Ecclesiæ S. 43

H

HEnrico Regi Anglorum S. 102
Henrico Aurelianensi Episcopo, ex persona Abbatis S. Euurtii Aurelianensis S. 143
Henrico Syluanectensi Episcopo S. 110. 113
Hermanno G. 47
Hugoni Aurelian. Epis. & toti eius Capitulo S. 239
Hugoni, G. 12
Hugoni Abbati S. Bartholomæi Nouiomensis S. 31.34.38. 76.105.137.
Hugoni Abbati S. Dionysii Parisiens. 204
Hugoni Abbati S. Vincentii Siluan. pro Ioanne Canonico S. 139
Hugoni Canonico S. Genouefæ Paris. S. 196
Hugoni Decano & P. Cantori Parisiensibus S. 217
Hugoni Marchioni G. 84
Hungariæ Regi S. 39

I

IMizæ. G. 22
Ioanni Papæ G. 14. 23
Ioanni Aurelianensi Domini Papæ scriptori S. 84

Ioanni Abbati S. Genouefæ Parisiensis S. 207. 220
Ioanni Monacho de S, Satyro S. 69
Iothoni Turonensi Archiepiscopo. 32
Iudicibus quibusdam pro causa quæ vertebatur inter Senonen. Archiep. & Ecclesiam S. Germani de Pratis S.

L

LAmbino Morinensi Episcopo S. 200
Laudunensi Capitulo pro Magistro Michaele eorum Decano in Parisiensem Decanum electo s. 175
Lidensi Episcopo s. 83
Londensi Archiepiscopo pro Petro s. Genouefæ Canonico s. 96.97.129.153.164.168.
Lothario Regi ex persona Adalberonis G. 53. eius epitaphium. 76
Lucio summo Pontifici pro Cancellario D. Regis Francorum s. 99. pro H. Clementis in Deccanum Parisiensem electo. 100.109.121.125.126. vide, Papæ.
Lucio Cardinali s. Romanæ E. S. 132
Ludouico Domini Philippi secundi Regis Francorum filio s. 237.
Lupito Barchinonensi G. 24

M

MAiolo Cluniacensi Abbati G. 70.88
Manasse Aurelianensi Episcopo s. 120
Mathildi Comitissæ G. 50
Mauricio Parisiensi Episcopo, & Stephano sancti Euurtij Abbati. s. 3
Meliori Cardinali ex persona D. Rhemensis. s. 128

N

NEapolitanio Priori. s. 26
Neueloni Suessionensi Episcopo pro Ecclesia s. Ioannis Suessionensis. s. 147. 171
Nicolao Priori s. Bartholomæi Nouiomensis pro Petro Clerico. s. 66
Nithardo Abbati Medelecensi. G. 65.73
Notegario Episcopo Leodiensi, ex persona Adalberonis. G. 30.39.42.49.66.

O

OCtauiano Hostiensi Episcopo ex persona Philippi Regis Francorum. s. 127. pro F. Abbate s. Germani Paris. 208
Odoni Parisiensi Episcopo S. 225
Othoni Imperatori, G.1.2.10.11.90.154. eius Epitaphium. 79.

P

P Apæ pro G. Abbate s. Victoris Parisiensis S. 48. pro B. Turonensi Archiepiscopo 49. eidem 58. 72.79. 78.80.104.108.112. 114.115. 116.118.159. 162.172.177. 179.197
Parisiensi Episcopo G. 145
Petro Aurelianensi Episcopo. S. 227
Petro Claremontensi Episcopo S. 4. 5
Petro de Dacia, S. Genouefæ Canonico. 157.163
Petro Episcopo Parisiensi G. 5
Petro S. Crysogoni Presbytero Cardinali S. 61
Petro Tusculano Episcopo S. 50.89
Petroaldo Monacho G. 15
Planctus Ecclesiæ Aurelianensis super interfectione Ioannis Decani, quam proposuit Senonis in Concilio Episcoporum Stephanus, tunc temporis S. Euurcij Aureliæ Abbas. S.2
Portuensi Episcopo, pro Decano & succentore Carnotensi. S. 41
Prælato alicui magno S. 12
Prænestino Episcopo Decano & succentore Cantuar. S. 42

R

R. Comiti ex persona Othonis Augusti, G. 156
Raginaldo Aurelianensis Ecclesiæ Archipresbytero S. 141
Raimundo Monacho Auriliacensi. G. 45
Raimundo Auriliacensi Abbati G. 91
Raimundo Priori S. Genouefæ Parisiensis. 90. 122. 130
Rainaudo Monacho. G. 19. 130
Rainero Abbati, B. 68
Remensi Archiepiscopo pro Abbate S. Bartholomæi Nouiomensis S. 36.44. vide Vuillelmo Remen.
Remigio Monacho Treuirensi. G. 134. 148
Remigio fratri G. 152.
Rhotardo Cameracensi ex persona Adalberonis G. 113
M. Roberto S. 35
Roberto Abbati S. Euureii Aurelianensis S. 27
Roberto Aurelianensi Domini Papæ scriptori S. 103
Roberto Fontiniacensium Priori pro quibusdam Nouitiis de Grandimontensi ordine ad Cisterciensem promotis S. 1
Roberto Palatino G, 37
Rollando nobili viro de Dinanno. S. 145
Romulfo Abbati Senonensi G. 116
Rupensi Episcopo S. 167

S

S. Satyri Abbati S. 56. 155
Senonensi Archiepiscopo. vide Vuillelmo &c.
Sigifredo Comitis filio G. 55
Siguino Archiepiscopo Senonensi ex persona Regis Hugonis G. 107
Siluestri secundi Papæ electo G. vide quæ sequuntur epist. 160. vita ibid.
Sofredo Cardinali S. 186
Stephano Romanæ Ecclesiæ Diacono G. 40. 72
Stephano Tornacensi S. 214. 232. 233
Suessionensi Episcopo S. 213
Syluæ Abbati & Capitulo S. 224
Syluanectensi Episcopo pro quodam Clerico in Presbyterum ordinando S. 73. vide, Henrico.

T

THeophaniæ imperatrici G.52.86.90.103,117. 119. 120
Thietmaro Maguntino G. 123
Toletano Archiepiscopo S. 51
Treuerensi Archiepiscopo ex persona Adalberonis. G. 54. 55. 56.121
Turonensi Archiepiscopo S. 181. 189

V

VErdunensi Episcopo. G. 151
in Verdunensium vrbem oratio G. 80
Viuiano sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali S. 81
Vrbano summo Pontifici S. 140
Vrsicampi Abbati S. 180
Vualdemaro Episcopo de Saleuuic. S. 165
Vualoni, eiusque pertinacibus ex persona Adalberonis G. 29
Vuidoni Abbati Anderuensi. G. 36
Vuillermo Aurelianensi D. Papæ scriptori S. 103. 111
Vuillelmo de Bierta S.
Vuillelmo Bononiensi Legisperito, pro Hugone Aurel. Clerico S. 25
Vuillelmo Britoni vide, Guillelmo
Vuillermo Carnotensi electo S. 60
Vuillelmo de Dacia Abbati S. 149. 166
Vuillermo Remensi Archiepiscopo pro Hugone Abbate S. Bartholomæi Nouiomensis S.44. pro Domino Turonensi. 45. 74.79.101,106. 124.134.135. 138. 146. 148. 173. 185. 187. 188.191.192.193.199.201.211.212.219.221
Vuillermo Senonensi Archiep. pro Ecclesia S. Samsonis Aurelianensis S. 21. pro quodam clerico 25.28.52. pro monialib. de S. Cirico 88
Vuillegiso Maguntino Archiepiscopo. G. 27. 34


Epistolæ

# Epistolæ ad innominatos scriptæ.

**APVD GERBERTVM.**

EPistola 48. *Epist.* 60. *Epist.* 114. *Epist.* 124. *Epist.* 125. *Epist.* 126. *Epist.* 127. *Epist.* 129. *Epist.* 131. *Epist.* 132. *Epist.* 133. *Epist.* 135. *Epist.* 136. *Epist.* 137. *Epist.* 138. *Epist.* 139. *Epist.* 140. *Epist.* 141. *Epist.* 143. *Epist.* 144. *Epist.* 146. *Epist.* 147. *Epist.* 149. *Epist.* 150.

**APVD STEPHANVM TORNACENSEM.**

EPistola 6. *Epist* 7. *Epist.* 8. *Epist.* 9. *Epist.* 10. *Epist.* 11. *Epist.* 12. *Epist.* 13. *Epist* 14 *Epist.* 15. *Epist.* 158 *Epist.* 178. *Epist.* 218 *Epist.* 222. *Epist.* 229 *Epist.* 234. *Epist.* 235. *Epist.* 236. *Epist.* 238.

## HANC GERBERTI EPISTOLAM IN BIBLIOTHECA P. MASSONI POST EIVS OBITVM inter Codices repertam hîc inseri visum est, ne pereat.

*Siluester Episcopus seruus seruorum Dei, Azolino* siue Ascelino *Laudunensi.*

SVper salute & Apostolica benedictione, nihil est quod admirari possis, quoniam sub Pontificali nomine homo etiam moribus esse desisti. Si fides mortalem Deo sociat, perfidia nihilominus rationabilem brutis animalibus æquat. Cum hoc totum te sapere constet, vehementer admiramur natiuam te conditionem reliquisse, & noua & inaudita scelera inhumanius perpetrasse. Epistola Regis Roberti & suorum Pontificum, Apostolicis & Imperialibus oblata est manibus, quæ te coram vniuerso Clero ac populo, his publicis accusat criminibus. Ad Synodum habitam Compendio cum à Remensi & Turonensi Archiepiscopis, cæterisque confratribus inuitatus fueris; acceptis à quibusdam eorum & aliorum sacramentis, pro vitæ & membrorum, atque captionis securitate, tandem venisse diceris, Synodalem seueritatem cum tibimet ipsi conscius merito perhorresceres, ad misericordiæ preces eadem Epistola teste venisti, legibus te non posse obiectis respondere manifestasti, Dominum tuum, Regem offendisse te non negasti, indulgentiam tantum modo postulans per vniuersam Synodum, Regis gratiam innouatis periuriis obtinuisti, datis obsidibus, Archidiacono scilicet tuo, & altero milite. Turres Lauduni te redditurum promisisti. Magistrum tuum Remensem Archiepiscopum pro accipiendis Turribus sub Iudæ specie tecum ducens, capere voluisti. Carcer quippe cæterorum fraudis in eum conceptæ detegit dolum. O Iuda magistri proditionem innouans, & Pontificalem gloriam nostris temporibus deturpans! Cum magistrum Archiepiscopum tradere velis, Domino Regi non pareeres, si posses. In carcere tenes traditos milites, & fefellisse non vereris Regem. Ex oratio[illegible]um Epistolis, quoties te monuimus, & ab his periculis eruere te dessudamus. Sed quoniam irruentibus peccatorum cumulis te coercere nequiuimus, in hac proxima Paschali ebdomada Romæ te adesse præcipimus, & generaliter ibi habendæ Synodo repræsentare te monemus. Huius ergo inuitationis nostræ nulla occasione sis transgressor, vel suspensor, quoniam nisi adfueris, Synodicæ authoritati in eodem Concilio subiacebis, & de absentia nihil lucraberis. Viarum excusatio nulla te premat, quoniam in Lothariensi regno nullæ manent insidiæ: Italia vero nullam prætendit formidinem nisi corporis molestia occupatus fueris, aliter excusatio nulla esse poterit: Sed testes mittendi sunt qui & tuum languorem, accusatoribus tuis respondeant, & legibus te expurgent.

# EPISTOLÆ GERBERTI PRIMO REMORVM, DEIN RAVENNATVM ARCHIEPISCOPI, TANDEMQVE ROMANI Pontificis Silueſtri ſecundi.

## OTHONI CÆSARI.

### EPISTOLA I.

DOMINO ſuo Othoni Cæſari A ſemper Auguſto, Gerbertus quondam liber. Dum regnorum publica perpendo negotia, Sereniſſimi Domini mei, aures proprius occupare expaueſco. Loquatur Dominus meus ſeruo ſuo propriis Epiſtolis ſolito more, vt eius ſeruitutis fiat exhibitio, tollatur ambiguitas Epiſtolarum, quæ Cæſaris noſtri grauitatem ſæpe nobis compertam ingentibus, cognitam non repræſentant. Denique ſignũ erit nobis vos velle, aut nolle, ſententia prolata benè aut non benè. Quantum enim in nobis eſt, quod poſſibile eſt eſſe, conſequens eſt nos perficere, ſi veſtrum cognouerimus velle. O! dicat Dominus Gerebertus Epiſcopus ſententiam noſtræ innocentiæ ſuper Brouingo, & Iſimbardo, dicant Litefredus & Gerardus, cur B eorum beneficium perceperit Rodulfus. Non dicatur maieſtatis reus, cui pro Cæſare ſtare ſemper fuit gloria, contra Cæſarem ignominia.

*Ad eundem Cæſarem.*

### EPIST. II.

SEreniſſimis auribus Domini mei mallem referre læta, quàm triſtia: Sed cùm videam monachos meos attenuari fame, premi nuditate, tacere quomodo potero? Tolerabile quidem hoc malum, ſi non etiam ſimul melior ſpes foret allata; neſcio quibus codicibus quos libellos vocant, totum Sanctuarium Domini venundatum eſt, collecta pecunia nuſquam reperitur, apothecæ C & horrea exhauſta, ſed in marſupiis nihil eſt. Quid ergo peccator hic facio? ſi cum gratia Domini mei fieri poſſet, ſatius eſſet me ſolum apud Gallos egere, quàm cum tot egentibus mendicare apud Italos. Rainerius Francigena nobis intimus, veſtrique honoris cupidus, de ſtatu Imperij veſtri, meæ fidei multa commiſit vobis referenda, non autem legato credenda, ſed nec chartis inſerenda, niſi veſtro conſultu.

*Gereberto Epiſcopo Terdonenſi.*

### EPIST. III.

O Noſtri ſpes conſilij! præſentis mali ſtatum ſtultum eſt diſſimulare, loqui inuidioſum, ne odio perſonarum agi videamur. Si licet Abbati, quibuſcumque D perſonis tradere immobilia monaſterij libellario nomine, mobilia obtentu eleemoſynæ, nec relinquere, ſi qua fortè reſidua ſunt, eorum hæredem, fieri monachum, ſpecialiter quò ſpectat noui Abbatis ordinatio? Petroaldi dicuntur fuiſſe omnia, Abbatis nulla, & ita eſſe conſtat, quoniam nihil nobis relictum eſt præter tecta & communem vſum ſimplicium elementorum. Epiſtola Domini mei iubet Petroaldum coli, tenere quod tenuit, duplicatur pondus parentibus poſitis in eadem erumna. Vires negotij perpendite, conſiderate quid amiſerim, quid ſecutus ſim, præter gratiam Domini mei, ſuſcipite omnes amici conſilio & auxilio, & quid ſit faciendum reſcribite.

*Gerbertus Boſoni in Chriſto ſalutem.*

### EPIST. IV.

REcedant multa verba, & ſequamur facta. Sanctuarium Domini mei, nec pecunia nec amicitia nobis demus, nec ſi datum eſt ab aliquo, conſentiamus. Fœnum quod veſtri tulerunt beato Columbano reſtituite, ſi experiri non vultis quid poſſimus cum gratia Domini noſtri Cæſaris, amicorum conſilio & auxilio, his conditionibus leges amicitiæ non refutamus.

*Petro Epiſcopo Pariſienſi.*

### EPIST. V.

QVod Abbatiam ſancti Columbani habere videmur, Italorum nulli gratias agimus, ſi ante Dominum noſtrum à vobis laudati ſumus, non indebitas vobis reddidimus laudes: mutua expoſcitis colloquia, & à rapinis noſtræ Eccleſiæ non ceſſatis. Noſtra velut propria militibus diuiditis, qui diuerſa in integrum reuocare debuiſtis. Rapite, prædamini, viros Italiæ contra nos concutite, opportunum tempus nacti eſtis, Dominus noſter bellorum certamine occupatur, nos nec manus paratas eum vincire detinebimus, nec quod eius officij eſt temerè vſurpabimus. Si pace vti poterimus, ſeruitio noſtri Cæſaris operam dabimus, cùm præſentes tùm abſentes, ſin, eius tantum præſentia noſtram ſolabitur inopiam, & quoniam (vt ait Poëta) nuſquam tuta fides, & quia finguntur nec viſa, nec audita, voluntatem noſtram vobis, non niſi ſcriptis aperiemus, nec veſtram aliter recipiemus.

*Dominæ ſuæ Adelaidi ſemper Auguſtæ, Gerbertus.*

### EPIST. VI.

CVm de beneficiis, & libellariis, ex parte, veſtrum C velle ex voto Domini noſtri Cæſaris executi ſumus, recordetur Domina mea quod inuenit ſeruo ſuo ſe oraturam pro pluribus, aliter quàm fieri poſſit. Ex quo à vobis diſceſſimus nec Epiſtolam, nec eius nuntium vidimus. Terram quam noſtris fidelibus heri conceſſimus, cras auferemus? At ſi omnia quæ omnes iubent fiunt, quid ſic facimus? & ſi totum damus, quid tenebimus? Griphoni vbi poſſumus beneficium nullum concedimus.

*Gerbertus quondam ſcholaſticus, Airardo ſuo ſalutem.*

### EPIST. VII.

PEtitionibus tuis annuimus, noſtra vt exequaris negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, D Eugraphius recipiatur, qui Orbacis & apud ſanctum Baſolum ſunt, perſcribantur. Fac quod oramus, vt faciamus quod oras.

*Ad Adalberonem Remorum Archiepiſcopum.*

### EPIST. VIII.

MAntuæ quid egerim ſuper negotiis veſtris, præſens melius explicabo verbis, quàm abſens ſcri-

ptis. Claues librorum quas mitterem ignorani, propter communem vsum similium earum. Historiam Iulij Cæsaris à Domino Azone Abbate Terdonensi ad rescribendum nobis acquirite, vt quos penes nos habemus habeatis, & quod reperimus speretis, id est octo volumina Boëtij de Astrologia, præclarissima quoque figurarum Geometriæ, alia, quæ non minus admiranda. Fortunam nostram sola vestra conturbat absentia noctesque diesque.

*Gisilberto Abbati.*

## EPIST. IX.

SI bene valetis gaudemus, indigentiam vestram putamus nostram, quam patimur, vt releuetis, rogamus. De morbis ac remediis oculorum Demosthenes Philosophus librum edidit: qui inscribitur ophthalmicus, eius principium si habetis, habemus, simulque finem Ciceronis pro rege Deiotaro. Valete.

*Ad Cæsarem.*

## EPIST. X.

PRincipiani monasterij duo fratres, velut exules & peregrini, à nobis recepti sunt, qui desolationem sui loci à Laudensi Episcopo, Neophitoque Abbate factam, molestissimè ferunt, simulque referunt se alicui Ecclesiæ minimè subiacere debere. Erit ergo vestræ prudentiæ ac pietatis, vt nec Laudensis Ecclesia debito priuetur honore odio pastoris, nec monasterium subiaceat tyrannidi deuastatoris.

*Idem ad eundem.*

## EPIST. XI.

QVid ora, caudæque vulpium blandiuntur hîc Domino meo? aut exeant de palatio, aut suos repræsentent satellites, qui edicta Cæsaris contemnunt, qui legatos eius interficere moliuntur, qui ipsum asino coæquant. Taceo de me quem nouo locutionis genere equum emissarium susurrant, vxorem & filios habentem, propter partem familiæ meæ de Francia recollectam. Dictis abest pudor. O tempora! O mores! vbinam gentium viuo! si patriam sequor, sanctissimam fidem relinquo, si non sequor, exulo. Sed potius liceat cum fide in palatio exulare, quam sine fide in Latio regnare.

*Hugoni suo Gerbertus quondam scholasticus.*

## EPIST. XII.

SEcundum amplitudinem mei animi amplissimis honoribus ditauit me Dominus meus. Namquæ pars Italiæ possessiones beati Columbani non continet; hoc quidem ita ex largitate & beneuolentia nostri Cæsaris, fortuna verò aliter instituit. Secundum amplitudinem quippe animi mei amplissimis me onerauit hostibus: Nam quæ pars Italiæ meos non habet hostes? vires meæ impares sunt viribus Italiæ, conditio pacis hæc est, si spoliatus fuero ferire desinent, vestitum districtis persequentur gladiis, vbi gladio ferire nequibunt, iaculis verborum appetent. Contemnetur imperialis maiestas, cum in me, tum in se ipsam diuisione sanctuarij Domini secundum libellarias leges facta, quia consentire nolo, perfidus, crudelis, tyrannus cognominor. Ipse Cæsar omnium hominum excellentissimus, à furciferis asino coæquatur. O amicorum fidissime! ne deseras amicum consilio & auxilio. Recordare quòd te orauerim me malle esse militem in Cæsarianis Castris, quàm regem in extraneis.

*Ad Ecbertum Archiepiscopum Treuirensem.*

## EPIST. XIII.

VEstrâm fœlicitatem gloriam existimamus esse nostram. Incommoditatem si quam sustinetis simul patimur. Domini nostri Cæsaris magnanimitatē, intentionem, appetitum bonorum virorum supereminentem cognouistis: proinde si deliberatis an scholasticos in Italiam ad nos vsque dirigatis, consilium nostrum in aperto est, quod laudabitis laudabimus, quod feretis feremus.

*Papæ Ioanni.* **EPIST. XIIII.**

BEatissimo Papæ Ioanni Gerbertus solo nomine officij Bobiensis Cœnobij Abbas. Quò me vertam? proh pudor! sedem Apostolicam si appello, irrideor, nec ad vos propter hostes est veniendi facultas, nec de Italia egrediendi libera potestas. Morari difficile, quando nec in monasterio, nec extra, quicquam nobis relictum est, præter virgam pastoralem & Apostolicam benedictionem. Dominam Immizam quia vos diligit diligimus, per eam nobis & nuntiis & Epistolis significabitis, quicquid nos facere voletis, simulque nos per eam vobis quicquid de statu & molimine regnorum cognouerimus, vestra interesse. Valete.

*Petroaldo Monacho.* **EPIST. XV.**

MAgnam intelligentiam tuam, frater, ne turbent fluitantia. Qui te quondam florentem Dominum clamabant & patrem, nunc conseruum habere dedignantur & parem. Sors omnia versat. In dandis & accipiendis, vt monachum decet, & nosti, nostra licentia vtere, ne negligas quod etiam diximus, vt tui memoriam frequentiorem habeamus.

*Geraldo Abbati Aurilitacensi.*

## EPIST. XVI.

OCcidit, occidit, mi pater, status Ecclesiarum Domini, resp. periit, sanctuarium Domini perua ditur, populus præda fit hostium. Consule pater quò me conuertam, milites quidem mei arma sumere, castra munire parati, sed quę spes sine rectore patrię cum fides, mores, animos quorumdam Italorum peroscamus; Cessimus ergo fortunę, studiaque nostra tempore intermissa, animo retenta reperimus, quibus si placet magistrum quōdam nostrum Raimundum interesse cupimus, interim dum Cal. Decembribus Romam iter intendamus,

*Ad eundem.* **EPIST. XVII.**

PAter meus Adalbero Remorum Archiepiscopus vos benevalere cupit, & quia vestram præsentiam non adiit, conturbatio regnorum fecit, specialisque contra suam Ecclesiam commodo Heriberti Tricassini, & Ottonis Comitis filij Theobaldi. Qui status regnorum penes vos sit scire cupit, & an Hugo quem vestra lingua Abbicomitem dicitis, vxorem duxerit. Quæ sua sunt nostra putate, & ne vestra gratis appetat, quid sui vobis placeat significate. Hoc signo, sagum lineum vobis mittit, sicut olim per vestrum Airardum alterum miserat, sed planum. De multiplicatione & diuisione numerorum libellum à Ioseph Hispano editum Abbas Guarnerius penès vos reliquit, eius exemplar in commune sit rogamus. Si diuina beatorum Remigij & Dionysij datur vobis copia videndi, nuntio præmisso vestris alloquiis poterimus condelectari.

*Fratribus Bobiensibus* **EPIST. XVIII.**

SCriptura sancta dicit, Qui fictè dominum quærunt, nunquam inuenire mereantur. Qui regulam sancti Benedicti professi estis, & pastorem deferendum abiecistis, colla tyrannis sponte subdidistis. Non de omnibus dico tyrannis vestris Ducibus. Ante tribunal Christi quomodo apparere vultis? hæc quidē non causa retinendi honoris scribo, sed sequenda loquens, cura pastorali animā meam crimine libero, non audientes impleo, apostolica priuilegia reuoluite, anathemata quæ

mihi ostenditis ad memoriā reducite, insuper intelligite quod sacri Canones dicunt. Qui excommunicatis quolibet modo se iunxerit, excommunicatus sit. Videre in quanto periculo res vestræ sitæ sint. Supremus iudex faciat vos sua præcepta cognoscere, & ea opere implete.

*Rainaudo Monacho.* EPIST. XIX.

REcte quidem frater conquereris super Abbatis tui priuatione. O vos in conuallibus ante ora luporum absque pastore, monachi in monasterio absque Abbate! secundum scire tuum & posse, bene te velle & facere adhortor, & moneo. Vnius anni tria diuersa imperia super te docent quæ vides, fallacia & inconstantia. Futuram desolationem, non tantum parietum quantum animarum, ingemisce, & de Domini misericordia noli desperare.

*Adelaidi Imperatrici.* EPIST. XX.

MVlta quidem peccata mea ante Dominum, sed contra Dominam meam, qui vt à seruitio repellar, fidem promissam nunquam violaui, commissa non perdidi, pietatem sine auaritia exercere non putaui. Si erraui circa voluntatem vestram modicum quid, fecit hoc improuidentia, non deliberatio, sintque vobis satis continuatæ iam in pœnitētia quadragesimæ, quod certe sic confido esse. Præualuit ad tempus quorumdam nobilium pauperum cæca cupiditas, non præualeat vestra quæ semper fuit circa iustitiam pietas, fauet ad hoc diuinitas, regnaque vobis concilians & reges potentes vestro imperio subdens. Mea sententia hæc est, quam fidem filio Dominæ meæ asseruaui, eam matri seruabo, si nequeo præsens, saltem absens bene loquendo, bene optando, bene orando.

*Ecenannio Palatino Monacho.* EPIST. XXI.

BEneuolentiam tuam circa me sentiens mi frater, tāti hominis gratulor amicitiā. Dum verè te constantem in fide cùm in me tùm in his qui se tibi crediderunt liquido deprehensum, † neque enim Dominus admirabilis feminæ te aliter charum haberet. Suscipies igitur onus amici, bona verba suggeres, Epistolas meas benignè interpretaberis, mea negotia, tua putabis.

*Domina Imiza.* EPIST. XXII.

FOelicem me iudico tātæ fœminæ agnitione & amicitia, cuius fidem firmam, constantiam longæuam admirari non sufficiunt Galli mei: & quamuis vestra prudentia non egeat ammonitione, tamen quia vos cōlaborantes & condolentes nostro infortunio, sentimus, Dominum Papam conueniri nuntiis & epistolis vestris volumus, ac nostris: & si quos & specialiter & in communi habemus fautares & adiutores, vt qui simul tristamut propitia diuinitate gaudeamus. Dominam meā Theophaniam Imperatricem nomine meo conuenire. Reges Francorum filio suo fauere dicite, nihilque eos aliud conari, nisi tyrannidem Henrici regem se facere volentis, sub nomine Aduocationis velle destruere.

*D. Ioanni Papa.* EPIST. XXIII.

GRauiter & iniquo animo fero, peruadi sanctuariū Domini creditum mihi à Sancta Romana & Apostolica Ecclesia. Porro quid deinceps stabilietur si id dissoluitur, quod actum est consensu principis, Episcoporum electione, Cleri, & populi voluntate, postremo omnium hominū excellentissimi Papæ consecratione? Si præcepta violantur, priuilegia cōtemnuntur, diuinæ & humanæ leges sustolluntur? Qua spe vos adeundi periculum faciam: ne dedignemini sacris apicibus significare, alioquin ne miremini si his castris me applico, vbi maxima portio legis humanæ, nulla diuinæ: humanitas quippe prima in actiuis, diuinitas secunda in speculatiuis. Fiet hoc mea pusillanimitate, vestra cessante magnanimitate.

*Lupito Barchinonensi.* EPIST. XXIV.

A LIcet apud te nulla mea sint merita, nobilitas tamen ac affabilitas tua me adducit in te confidere, de te præsumere. Itaque librum de Astrologia translatum à te, mihi petenti dirige, & si quid mei voles in recompensationem indubitatè reposce.

*Boni filio Gerundensi Episcopo.*

EPIST. XXV.

MVlta quidem authoritas vestri nominis me mouet, cum ad videndū & alloquendum, tum etiā ab obtemperandum, & hoc diu negatū distulit negata libertas ea cum dolore concessa. Domino meo Ottone Cæsare iam non superstite, fas & amicis loqui & eorum imperiis obsequi. Si qua nobis significare voletis vsque
B ad Calendas Nouembris Remis, viij. Cal. Ianuar. Romæ erimus si pace vti poterimus. De multiplicatione & diuisione numerorum Ioseph sapiens sententias quasdam edidit, eas pater meus Adalbero Remorum Archiepiscopus vestro studio habere cupit.

*Ecberto Archiepiscopo Treuirensi ex persona Adalberonis.*

EPIST. XXVI.

LAbefactati Remp. vestram quorumdam ignauia cū perhorrescimus, tum erubescimus, & priuilegio amoris nostri circa vos, & communi patriæ cognatione. Pauci ne creati sunt reges, qui nouum filio Domini vestri præponere vultis? forte Græcus, vt dicitis, more
C Græcorum conregnantem instituere vultis. Quò recessit sanctissima fides; exciderunt-ne animo beneficia Ottonum vobis conlata? Magnam intelligentiam vestram reuocare, generositatem perpendite, ne perpetuo dedecori generi vestro esse velitis. Si vires vos destituerū acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadiutores in talibus negotiis fore, perpendite. In perturbatione & confusione omnium rerum, quis alterius leuabit onus? postremo si salua dignitate vestri nominis vrbem Treuirorum tutari non valetis, Remorum vtrique nostrum sit satis, ditiorésque erimus quàm Eucharius quondam, & Sixtus in vos rationum ignominiam conferet, † irritum nec liberos efficiet.

*Villegiso Maguntino Archiepiscopo ex persona eiusdem.*

D EPIST. XXVII.

MAgna, Pater, constantia conlaborandum pro habenda ratione pacis atque otij. Regnorum perturbatio aliud quidem est quàm Ecclesiarum desolatio. Nos quidem pietas & multa circa nos Ottonum beneficia filio Cæsaris aduersari non sinunt, denique reges nostros ad auxilium promouimus, vniusque partis pactum, si placet, communi consensu in sempiternum stabiliemus, nihil à vobis nisi salua fidelitate Domini nostri perquiremus. Hæc Domino teste loquimur, & plena fide vestræ prudentiæ committimus, † quod vos Ottones conatus est extinguere cui volet super esse. Mementote illius Tulliani, *Stultum est ab eis fidem exigere à quibus multoties deceptus sis*, simul etiam quod nōsi uitra
E diuinitas contulit vobis nosse ac posse, quid super his apptoberis, & his contraria sentiatis, qui vt faueant & à vobis diffideant tutis significatis rescriptis. Altitudo vestri consibi prouideat rebus beati Remigii vobis vicinis, ne aut prædo rapax eas rapiat, & ne Otto qui debet esse rator, sit deuastator. In his quoque vestrum velle liceat cognoscere.

*Ex persona Hierusalem deuastata, vniuersali Ecclesiæ*

EPIST. XXVIII.

EA quæ est Hierosolymis, vniuersali Ecclesiæ sceptris regnorum imperanti. Cum benè vigeas immaculata sponsa Domini, cuius membrū esse me fateor, spes

mihi

mihi maxima parte caput attollendi iam pene attritum. An quicquam diffiderem de te rerum Domina si me recognoscis tuam? quisquam ne tuorum famosam cladé illatam mihi putare debebit ad se minimè pertinere, vtque rerum infima abhorrere? Et quamuis nunc deiecta, tamen habuit me orbis terrarum optimam sui partem, penes me Prophetarum oracula, Patriarcharum insignia, hinc clara lumina mundi prodierũt Apostoli, hinc Christi fidem reperit orbis terrarum, apud me Redemptorem suum inuenit. Etenim quamuis vbique sit diuinitate, tamen hic humanitate natus, passus, sepultus, hinc ad cœlos elatus. Sed cum propheta dixerit, *Erit sepulchrum eius gloriosum*, paganis loca sancta subuertẽtibus, tentat diabolus reddere inglorium. Enitere ergo miles Christi, esto signifer & compugnator, & quod armis nequis, consilij & opum auxilio subueni. Quid est quod das aut cui das? nempe ex multo modicum, & ei qui omne quod habet gratis dedit, nec tam ingratus recepit, & hic eum multiplicat, & in futuro remunerat, per me benedicit tibi, vt largiendo crescat & peccata relaxet, vt secum regnando viuas.

*Ex persona Adalberonis Archiepiscopi, Vualoni e usque pertinacibus.*

EPIST. XXIX.

HActenus stultitiam vestram patienter tulimus, & quia Synodalia decreta parui penditis, vocati contemnitis, humana diuinis præfertis. Ad conuentum nostrorum fratrum apud Galdonis cortem habendum in Cal. Iuliis, vos iterum audiendos vocamus. Eò autẽ venite, aut sententiam damnationis eadem die, quo animo vultis, vestris consautoribus expectate.

*Ex persona Adalberonis Notegario Episcopo Leodiensi.*

EPIST. XXX.

NE male mereri quæso, mi Pater, de nostra existimetis amicitia fratrem meum G. non ex condicto regem adiisse, & ex condicto quò voluistis non venisse. Bona quippe deliberatio rapuit, sed occasione læsi pedis fortuna retardauit. Sit ergo vestræ prudentiæ amici causam agere, pro se stare, de eo vt nostis & vt æquum est, ex fide promittere. Nos quidem rem herilis vestri pueri iuxta quod statuistis effecimus, & si in melius cõmutaueritis diuinitate propitia in melius compensabimus. Vestra negotia vt nostra compensabimus. Is quem nostis nobis intimus vobisque fidissimus interpres apud Regiam maiestatem vt decuit fuit, quod expetistis firmiter obtentum sine inimicorum respectu, & quia totum non est credendum chartis, indictum Conuentum vos adire voluimus, vestramque præsentiam vsque in iij Idus Iunias eum præstolari faciemus. Opportuno tempori occurrendum, ne cum te subtraxeris fiat inportunum.

*Controuersia Diederici Episcopi Metensis, contra Carolum.*

EPIST. XXXI.

DIedericus, seruus seruorum Domini, Imperatorum amator, prolisque tutissimus tutor, Carolo sanguine nepoti, sed fidei impudentissimo violatori. Fidem à nemine vnquam bonorum violatam vt nosti præsente venerando Notegario Episcopo, teque licet non nobilioribus, tamen virtute excellentioribus præsentibus, ante beati Ioannis aram, in sacra verba datam, leuissime transfuga, nec in hanc, nec in illam partem fidem habens, cæcus te amor regnãdi debilitatum negligere coëgit. Et quid mirum si in nepotem pestem tui sordidissimi cordis euomis, qui cruenta manu & ad omne scelus semper promptissima cum latronum grege & furum manipulo, dum fratri tuo nobili Francorũ regi Laudunum ciuitatem suam, inquam suam, nunquam vtique tuam, dolo malo surriperes, eumque regno fraudares, & Imperatoriam sororem, regnique sui consortem imfamares, tuisque mendaciis commaculares? Nihil vnquam pensi habuistis, dilatate, incrassate, impinguate, qui non secutus patrum tuorum vestigia, dereliquisti Dominum factorem tuum. Recordare, os tuum impudens quotiens digito compescuerim, turpiora in Reginam dementiendo serpẽtino sibilo effudisti. Quid in Laudunensem Episcopum feceris ipse nosti melius, breui tu Lotharienfium regni angulo latitans, vanissimoque supercilio te toti præesse iactitans. Quid neptis vtrisque nostrum femina, te vero melior cum nobilis indolis filio: quid Apostolorum vicarij Ecclesiæ sanctæ ouilis pastores, quos tu canino dente noctu & interdiu rodere conaris: quid alij prætereà Principes qui nihil tuo iuri debent eidem habeant, Dominoque authore possideant reminiscere: & ita tandem inania excutiens somnia, frontemque falsissimo poculo debriatam expurgans poteris metiri nil esse quod agis ad nil Diuino nutu deueniendum. Quid moliris? Quorum ergo haud pro merito ascriptus numero ligandi soluendique donatus honore mihi indigno Pastorali virga commissam deffensurus Ecclesiam, Ecclesiam dico non aliam quàm summi pastoris sanguine redemptam, quam tu diuinum ius contemnens, cum tuis complicibus lacerare, atque dilaniare pro posse tuo contendis, horribilem spernens illam Dominicam vocem qua tonatur, *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, & aliam qua eodem modo dicitur, *qui vos spernit, me spernit*. Tua hactenus vulnera curare studens, infudi oleum & vinum, idem mitia secreto per familiares nostros asperis publicè miscens, abhinc nisi resipiscas Spiritus sancti gladio qui mihi commissus est, cum tibi computribilibus membris abscindam, atque igni tradam inextinguibili, vt sicut fides tua si non contemneres, esset cum superis, ita contemnenti sit perpetuo cum inferis. Quando iam confirmatis vectibus & cælestis Hierusalem clausis portis à virginis filio ipsius ciuitatis sponso dicetur reprobis. *Discedite à me maledicti in ignem æternũ qui præparatus est diabolo & Angelis eius*, sicut scriptum est, *Væ qui prædaris, non ne & ipse prædaberis?* Caue in ea præda inueniaris, in qua qui inuenitur ab æterna hæreditate extorris redditur.

*Infatuauit Dominus Consilium Architofel.*

Gerbertus ex persona Caroli.

EPIST. XXXII.

CArolus sola Dei gratia si quid est, Diederico hypocritarum ideæ, imperatorum infidelissimo, prolisque parricidæ ac in commune hosti Reip. Grauitas siquidẽ nec fuerat maledicta, tua taciturnitate premere, nec pensi habere quod petulãtia magis tyranni, quã iudicium protulit sacerdotis. Sed ne silentium tuis cõiuratis videatur facere confessionem, summam tuorum scelerum paucis attingam, & de maximis minima referam. Consilij quoque nonnulla prætermittam, vt quiuis inanis vter spiritu intumuisti, meo vt desipis incrassatus, impinguatus, dilatatus, pressus pondere detumescas. Cur dominam ducem Beatricem cum filio regnique Primatibus nobis prætendis delusam. Te miser non sentis, nec quemquam pene fore tuæ cõiurationis participem. Non solus nec in angulo fidem integerrimam filio nostri Cæsaris astruo vt tu nocturno meo eructas, adsunt mecum Galliæ Principis reges Francorum, velis nolis præclarissimi Lothariensis fide deuoti, his est curæ filius Cæsaris, hi nec regnum quærunt eripere, vt tu, nec conregnantem instituere Tu diuina & humana confudisti iura, deque legibus oscitans vt limax in suo conclaui, cornupeta tibi videris. Cur pastorali officio minas intendis? quasi vero tu pastor & non lupus rapax, & potius alter Iudas, si Iudas Apostolus, qui Dominum suum xxx. perdidit argenteis, & tu Episcopus qui Dominum tuum regem heredem regni regno priuasti, spe famosissimi quæstus. Patuum tibi hoc, pœnas de eo

quantum ad te fine carentes velut de hoste sumpsisti.
Siccine Ottonum præmeruerunt beneficia? denique
nunquam ad eos fidem habuisse non solius filii causa
conuinceris. An cum Loterium regem Frencorum,
quem gloriosum vocas, cum maximè oderis, hunc in-
quam cùm regno pellebas, meque regnare cogebas, fi-
demne ei & mihi promissam seruabas, mihi promissam
dico ante aram quam impudenter nominas. Profectò
intelligis quid feceris contra fratrem meum, in sororem
Domini tui me arma parare impellebas, vt omne genus
nostrum regium mutuis vulneribus confoderes, tyran-
nos nomine regum substituere, cum quibus contem-
ptos sacerdotio vacuis aulis incubare posses. Lædere me
putas si eos læsisse dicas quorum gloria glorior, auersa
opinione affligor. Verum aliter est, immanitas scelerum
tuorum occultare te propria non patitur flagitia, &
quamuis purgatione vti velis, promotionem in perso-
nam tuam pallor subinde ac subinde rubor, silentium
loquendo subitum, verba subita prioribus nec cohæ-
rentia, etiam nec quærentibus ingens tormentum con-
scientiæ produnt. Erubesce miser, & quod te solum
scire putasti, ad omniom notitiam peruenisse cognosce:
peccatis tuis innoxios noli commaculare, & vita tua
turpissima, aliorum metiri, manibus toties periurio
pollutis. Cessa sacrosancta violare, & qui nobis indicia
prior remedium pœnitentiæ, quare publicum peti in-
rium peregisti, vrbem propriam rapinis exhausisti, de-
populatus es Ecclesiam tibi (vt ais) creditam, acquiesc-
co, redde ergo eo quòd abusus es custodia Dominæ tuæ
quam humiliasti, erepta libertate, imposita seruitute. Et
qui pupilla Domini scriberis, pupilli & viduæ lachrimis
mensam tuam luxu Euangelici diuitiis extruxisti, eius-
modi miseriis montes aureos coaceruasti. Super his in-
fœlix ingemisce priuatim & publicè, alioquin audi quid
tibi intenditur, *Quoniam venient dies in te, & circundabunt
te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent
te, eo quod non cognouisti tempus visitationis tuæ.*

*Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia
eius & arrogantia eius, plusquam fortitudo eius.*

Purgatio Gerberti ob controuersiam à se
descriptam.

EPIST. XXXIII.

DOmino & Reuerendissimo præsuli Diederico G.
fidelium Cæsaris. O decus Romani imperij! tan-
tumne rationis patri quondam Reip. deperisse dicemus,
ve populus cum pastore velut ignauum pecus præda sit
hostium? Generositatem, magnanimitatem, pruden-
tiam vestram, tanquam tres fortissimas Legiones pro
domo Israel opponite, † decem his Diuinitatem perfi-
cite, ne qui fœlicitatem vestram, gloriam existimauim[9],
nostram, si decus imperij amittimus, proinde inglorij
reddamur. Et nos quidem hæc dicimus, vt non admo-
nitione egentes, sed vt † inter nostram pro vobis solli-
citam interpretemur, quo genere interpretationis nu-
per vsi sumus, vt controuersia acerrimi hostis, vestram
maiestatem exacerbantis, vbi culpam infidi interpretis
subisse veremur, dum motibus animotum eius oratio-
nem non æquanimus. At si hæc intentio placet, dein-
ceps elaborabimus, & amicorum atque inimicorum af-
fectus diligentius exprimemus, vt quid sequi, quid vita-
re debeatis, per nos plena fide penoscatis. Qua in re
vobis lucem, hosti tenebras offudisse gaudemus. Valete.

*Vuilligiso Maguntino Archiepiscopo.*

EPIST. XXXIIII.

MVlta chartis non credimus, quæ legatis com-
mittimus, vt huic Abbati Aytardo sibi intimo
Pater meus Adalbero Remorum Archiepiscopus, vo-
bis per omnia fidus, multa commisit, de statu & pace
regnorum vobiscum habenda; insuper ea quæ per Epi-
stolam vobis significauit sic se habere Dominum testẽ
A inuocat, vt sibi sic legato credite, & quæ vobis placeãt
si non est aptum scriptis, ei viuis rependite verbis. Sed
ò mi pater mœrens, simili de causa mœrentem quibus
affabor verbis. Cæsare destituti, præda hostium sumus,
Cæsarem in filio superesse putauimus. O quis perdidit!
quis nobis alteram lucem eripuit! agnum matri, non
lupo committi oportuit. Me quidem doloris imma-
nitas mihi consulere non patitur, nunc fertur animus
præceps in hostes Italos, qui mea funditus diripiunt: nũc
quasi meliora deliberans, terrarum longinqua petit. Sed
dum redit Otto, *dumque hærent infixi pectore vultus*, dũ
Socraticæ disputationes ipsius frequẽtes occurrunt, re-
fringitur impetus, & peregrinationis meę tædium apud
Gallos vtcumque releuatur. Consule pater, etsi erga
maiestatem vestram nulla mea sunt merita, tamen nec
B defuit nec defectus aberit, si fortune vt quõdam riserit,
cùm tempus opportunum nacti eritis, & cum Impera-
tricibus, & cum his ad quos referre putabitis, me seruũ
fidelem Cæsaris ab exilio reuocabitis, qui nihil deliqui
nisi quod Cæsaris fidelis extiti. Vos ergo soli onus meũ
fertis, quod nec amicis Principibus communicare cu-
raui, donec experirer quid per eum quem potissimum
iudico fieri posset.

*Geraldo Abbati Auriliacensi.*

EPIST. XXXV.

QVantis occupationibus Reip. detineatur noster,
vt ita dicamus, fiduciarius Pater Adalbero Remo-
C rum Archiepiscopus, & tarditas huius legati indicat, &
præsens ab vrbe Remensi absentia. Causa negotium
continens status regnorum est. Nam dum à Lotarien-
sis regni Primatibus obsides accipit, dum filio Impera-
toris parere cogit sub regis Francorum clientela, dum-
que Henricum in Gallia regnare prohibet, vestro nomi-
ni conuenientia, quæ mitteret non habuit: At si vobis
gratum fore senserit, vestem auro textam quam vere-
cundè veterem misit, noua immutabit, quod breuitas
temporis non habuit, stola insuper Phrygij operis ad-
iuncta cum cæteris eiusdem generis. Statum regni no-
stri, quidue agat & mollatur ille Hugo Raimundi per
vos scire cupit. In commune hoc sentimus, quod vobis
ratum, nobis præstantissimum.

D *Ex persona Adalberonis Vuidoni Abbati Andernensi,
Gerbertus.*

EPIST. XXXVI.

FRustra sibi arcem Religionis attribuunt, qui præci-
puas religionis partes euertunt. Qui charitatem
non habet, qui fidem promissam negligit, is ne religio-
nem tuetur? si fraterna colloquia nobis exhibuistis, &
qualibuscumque nuntiis lætari fecistis, tanto temporũ
interuallo, conscientia testis est, arctius sua tenẽt quàm
aliena concupiscunt. Ex vestris fratribus quendam ad-
optauimus, sed noster qui redire debuit retentus est.
Rescribite ergo saltem quid ex his animo sedeat, & si
qui nostrorum puerorum penes nos instituti possint, &
si est, quando id fieri debeat.

E *Roberto Palatino.* EPIST. XXXVII.

PLurimum te mei meminisse puto, quem dies noctésque curis priuatis intersero. Itaque & Dominam
meam Theophaniam mei recordari, quam semper cu-
pio bene valere, & cum filio feliciter imperare, cuius
memoriam vt æquum est frequentem habeo, ad cuius
auxilium me quam plurimos Declamatores vt nosti e-
xacuisse Gallia testis est. Ergo tui officij erit rescire &
rescribere an in Francia velut miles succenturiatus pro
Castris Cæsaris remaneam, an paratus omne periculum
subire vos adeam, an potius ad iter quod tu ex Domina
mea bene nouisti, me præparem, vt Papiæ in palatio po-
situm est, simulque non tacebis, vbi & quando, & quid
tu de

tu de hac re ſentias. Hoc quoque te noſſe velim quæcumque in eodē palatio tutis auribus commiſi de fide, pietate, ſtabilitate illius famoſi Adalberonis Archiepiſcopi ērga herilem noſtri Cæſaris filium, & fidenter ſic ſe habere iuxta eius ſcire & poſſe.

*Ecberto Archiepiſcopo Treuirenſi ex perſona Adalberonis.*

EPIST. XXXVIII.

PEriculoſa tempora non omnia committunt chartis quæ fidiſſimis credunt legatis. Ea quæ per noſtrum G. nobis ſignificaſtis lætitiæ & iucunditatis plena fuerunt, de ſtatu Eccleſiarum Domini atque regnorum, & per quem virum hæc fieri poſſent. Quem ſi vt tyrannum tenuimus, ſed nunc plenum fidei & ſapientiæ miramur. Quæ à nobis de eo cura nobis ſpopondiſtis efficite, quæ à nobis de eo ac vobis expoſcitis ſtabilita ſunt, & cum maximo ſilentio veſtrorum ſecretorum, & cum maxima fide noſtrorum factorum.

*Notegario Epiſcopo Leodienſi.*

EPIST. XXXIX.

VIgilas ne PP. famoſiſſimæ quondam fidei pro caſtris Cæſaris, an cæca premente fortuna, & temporis ignorantia, diuina & humana iura peſſundari ſimul non cernis? Ecce palam deſtituet, cui ob paterna merita fidem deuouiſti, deuotam ſeruare debuiſti. Germanum Briſaca Rhenani littoris, Francorū reges clam non adeunt. Henricus Reip. hoſtis dictus Cal. Feb. occurrit. Conſule mi pater modis omnibus reſiſtendum ne conueniant aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtū tuum. Turba regnans, regnorum perturbatio. Si totam difficile eſt excludere partem, delige priorem. Ego quidem cui ob beneficia Ottonis eſt multa fides, circa herilem filium ſic protinus delibero, nominis Henrici altā conſilia, Francorum impetum, ſed quem finem habeat non ignoramus, ne conſortem regni facias, quem ſemel admiſſum repellere nequeas.

*Stephano Romanæ Eccleſiæ Diacono.*

EPIST. XL.

DVbia Reip. tempora, mi frater, Gallias me repetere coēgerunt, tota Italia Roma mihi viſa eſt, Romanorum mores mundus perhorreſcit. In quo nunc ſtatu Roma eſt, qui Pontifices & Domini rerum ſunt: quos exitus habuit ille meus, ſpecialiter, inquam meus, cui te commiſi. Hæc & quæ circa te ſint tibi læta obſtantibus ſignificare ne dubites. Mihi quidem ac noſtro Archiepiſcopo Suetonios Tranquillos, Quintoſque Aurelios cum cæteris quos noſti per Guidonem Sueſſonicum Comitem diſcrete ac ſine lite quis cuius ſit remittes, & quæ nomini tuo conuenientia paremus ediſces. Ea quoque quæ de Græcorum Imperio, Francorum regno, Italorum molimine certa cognoueris, nos tibi amicos celare non debebis. Quot nunc hæc † verborum copia, continent ſententiarum pondera.

*Adalberoni Epiſcopo Verdunenſi.*

EPIST. XLI.

NVmerum Epiſtolæ huius ne ſpectetis, In paucis multa perpendite. Tempora periculoſa libertatem tulerunt dicendi quæ velis dilucide, cumque fortuna Franciæ proficiat actu & opere, rupta occaſione ex tempore fideliſſimis conuenimus legatis, pro parte virorum Godefridi, fœdus quod quondam inter ſe ac inter Ottonem noſtrum Cæſarem conuenerat, vos velle innouare promiſimus, adiuncto in fœdere filio quo vnico gaudet, Hoc ipſum Cæſarem morientem expetiſſe perſuaſimus per dilectiſſimum ſibi filium Godfridi. Hæc itaque res in commune viſa eſt ſolis nobis & filio Cæſaris, quam cœptam ſi prouehere vultis vel deſtituere, ociùs reſcribetis, an ſimus in hoc negotio quamuis alicui periculoſo, & in tuto otio, quæ molimina, quive impetus hac ratione conquieuerint, non facile eſt dictu.

*Ex perſona Adalberonis Notegario Epiſcopo Leodienſi.*

EPIST. XLII.

EX condicto ſiquidem legatum, ſed præſentis negotij omni ſcientia vacuum, frater meus vobis dirigit, ne aut mendacio aut inertia denotetur. xv. Cal. Ianuar. Treuirenſem Archiepiſcopum allocuturi, quod plenius pernoſcemus, plenius prudentiæ veſtræ quamproxime ſignificare curabimus.

*Eidem ex Perſona Godefridi.*

EPIST. LXIII.

SEcundum promiſſa Treuerenſis Archiepiſcopi, ordinationem A. noſtri, iij. Non. Ianuar. inſpecturi vbi adhuc decreuerit Ducem itineris veſtri, V. Cal. promittemus, & quæ certiora cognouerimus denunciabimus, eò fratrem noſtrum venturum dubium habemus.

*Ecberto Abbati Turonenſi.*

EPIST. XLIIII.

CVm mei memoriam frequentem habeatis, inter honeſta vti plurimis accepi legatis, magnamque affinitatis iure amicitiam efferatis, exiſtimatione veſtra beatum me fore puto, ſi ſum is qui iudicio tāti viri inueniar dignus amari. Sed quia non is ſum qui cum Panetio interdum ab vtili ſeiungam honeſtum, ſed potius cum Tullio omni vtili admiſceam, has honeſtiſſimas atque ſanctiſſimas amicitias nulla ex parte ſuo cuique vtili vacare volo, cumque ratio morum dicendique ratio à Philoſophia non ſeparentur, cum ſtudio bene viuendi ſemper coniunxi ſtudium bene dicendi, quamuis non ſolum bene viuere præſtantius ſit eò quod eſt benedicere, curaque regiminis abſoluta, alterum ſatis ſit ſine altero, ac nobis in Rep. occupatis vtraque neceſſaria. Nam & appoſitè dicere ad perſuadendum, & animos furentium ſuaui oratione ab impetu retinere ſumma vtilitas. Cui rei præparandæ Bibliothecam aſſiduè comparo, & ſicut Romæ dudum ac in alijs partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica ſcriptores, authorumque exemplaria multitudine nummorum redemi, adiutus beneuolentia ac ſtudio amicorum comprouincialium, ſic identidem apud vos per vos fieri ſinite, vt exorem; quos ſcribi velimus in fine Epiſtolæ deſignabimus: ſcribenti membranam ſumptuſque neceſſarios ad veſtrum imperium dirigemus, veſtri inſuper beneficij non immemores. Denique ne plura locuti legibus Epiſtolæ abutamur, cauſa tanti laboris contemptus malefidæ fortunæ, quem contemptum nobis non parit ſola natura vt multis, ſed elaborata doctrina, deinde in otio, in negotio edocemus quid ſcimus, & addiſcimus quod neſcimus.

*Raimundo Monacho Aureliacenſi.*

EPIST. XLV.

QVanto amore veſtri teneamur, nouerunt Latini ac barbari, qui ſunt participes fructus noſtri laboris: eorum votum veſtram expetit præſentiam. Quippe cum in propatulo ſit nos curarum plenos, non ob alterius cauſam ſtudij loco immoraturos, his curis ſola Philoſophia vnicum repertum eſt remedium, cuiuſquidem ex ſtudiis multa perſæpè commoda ſuſcepimus, velut hoc turbulento tempore motum fortunæ refregimus, cùm in alios, tum in nos grauiter ſæuientis. Etenim cum is ſtatus Reip. in Italia eſſet, vti ſub iuga tyrannorum turpiter eſſet eundum, ſi profiteremur innocentiam & ſi niti viribus tentaremus, clientelæ va-

diqne forent procurandæ, castra munienda, rapinæ, incēdia, homicidia exercenda. Delegimus certum otium studiorom, quàm incertmm negotium bellorum, & quoniam vestigia Philosophiæ dum sequimur non consequimor, impetus tumultuantis animi oon omnes repressimus, modo recurrimus ad ea quæ reliquimus, nunc Hispaniæ principes adimus familiaris nostri Abbatis Guarini adhortatione commoti, hunc sacris litteris Dominæ nostræ Theophaniæ Imperatricis semper Augustæ, semper amandæ, semper colendæ prioribus diuellemur cœptis, in tanta reium ineonstantia, doloris metus, gaodij appetitus, fidissimi patris Geraldi quem hæc oon tangunt specialiter filius Gerbertus sequendorum deposcit seotentiam. Valeat, valeat frater Aisardns, valeat sanctissimus ordo, meus altor & informator, meique sit memor io sanctis petitionibus, ac Patris A Archiepiscopi Remorum sibi per omnia deuoti.

*Geraldo Abbati.* EPIST. XLVI.

AN quicquam melius amicis Diuinitas mortalibus concesserit nescio, si modo ij sunt qui dignè experiti dignéque videantur habiti. Fœlix dies, fœlix hora, qua licuit nouisse virum, cuius nominis recordatio omnes à nobis molestias derorserit: eius si præseotia vel intardom fruerer, beatiorem me non frustra potarem, quod vt fieret. sedes mihi non ignobiles in Italia collocaueram, sed iouoluit mundum cæca fortuna, quæ premit caligine, an præcipitet, an dirigat me modo tendentem hac, modo illac: Adhærent vultus amici infixi pectore, eum dico qui est Dominus & pater meus Geraldus, cuios deliberatio nostra fiet executio.

*Adalberoni vocato Episcopo Verdunensi, & Hermanno fratribus.*

EPIST. XLVII.

FOelices quibus paterna virtus exemplar sit imitabile, vester genitor hoc petit, repentinus casus ne vos deterreat, filio Cæsaris fidem quam promisistis ioviolatam saruate, omnia castra ab hostibus tuemini, denique nec Scarponnam, nec Haidonis castellum, nec quidlibet eorum quæ vobis reliquit, Francis relinquetis, illecti aut vana spe suæ liberationis, aut terrore sui cruciatus, aut filij Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generosis filiis dedit. Sentiant in vobis hostes non se totum cepisse Godesridum, auxilia vndique comparate, liberatores, 17. Calen. Aprilis me ioterpretem fieri voluit sibi suique fidissimum.

*Innominato.* EPIST. XLVIII.

OBscuram Epistolam & sine nomine paucis absoluimus', Lotharius Rex Franciæ prælatus est solo nomine, Hugo verò oon oomine, sed actu & opere. Eius amicitiam, si in commune expetissetis; filiumqoe ipsius cum filio Cæsaris colligassetis, iandudum reges Francorum hostes oon seotiretis.

*Notegario Episcopo Leodiensi.* EPIST. XLIX.

SPectabile faciunt nomen vestrum præsentia tempora quibus paucorum laodatur probitas, multorum prædicatur improbitas. Speculatur nunc amicus vester Godesridus, qui amicorum se potius quàm sua amauerint, qui vxori ac liberis fidem laturi forent, si se vltima rapuisset dies. Et quia tantus vir de vobis optimè sentit, hoc solum indicio esse potest, quanta in vobis eniteat virtus, qui se amāt, quiq; sui sunt. Hortatur & ammonet vt Dominæ suæ Theophaniæ, filioque eius fidem habeant, minimè viribus hostium sint infracti, nullo terreantur caso, aderit læta dies quæ patriæ proditores & liberatores vere supplicijs & præmiis distinguat, disgreget. Fidissimum vobis Adalberonem Remorum Ar-

A chicpiscopum nullo modo harum rerum conscium facietis, qui quanta prematur tyrannide, testantur Epistolæ ad Archiepiscopos vestros decretæ, in quibus nihil eorum quæ voluerint scripsit, sed quæ tyrannus ēatorserit oscitanti.

*Mathildi Comitissæ.* EPIST. L.

DEpooat Domina mea Mathildis omnem querimoniam, clarissimus vester coniunx Godesridus inter Pares præcipuus, ac ipsis victoribus formidabilis hoc præcepit. sx hilarate mentem, quia spiritus tristis exsiccat ossa, coosilia turbat. Dominæ Teophaniæ Imperatrici semper Augustæ ac filio eius semper Aug. cū filiis vestris fidē purissimam seruate, pactum cum Frācis
B hostibus nullum facite, Francorum reges auersamini, castra omnia sic tenete, sic deffendite, vt nullā in his habeant partem aduersarij vestri, scilicet neque pro spe liberationis mariti, neque pro terrore perēptionis eius, aut filii Friderici. Hæc xi. Cal. Aprilis ad flumen Matronam meæ fidei cōmisit, quæ vobis plena fide retuli.

*Sigifredo Comitis filio. Gerbertus.*

EPIST. LI.

NImium amorem circa parentes vestros, qui nunc exules sunt babentes, eor ad flumen Matronam xi. Cal. Aprilis allocuti sumus. Et quæ Dominam no-
C stram Theophaniam, de sua fidelitate seire voluerunt, per epistolam mandamus. Et quia cum beneuolentia Ottonis & Heriberti, quorum custodia seruantur, eos alloqui valemus, quæcumque & vos & Domina nostra eis mandare volet, litteris nos habere facietis. Hoc insuper vestræ fidei committimus, quia si Hugonem vobis in amicitiam colligaueritis, omnes impetus Francorum facile deuitare valebitis.

*Domina Theophania Imperatrici.*

EPIST. LII.

CVpienti mihi vos adire secundum imperiom vestrum, non frustra renisa est Diuinitas, nam xi. Cal. Aprilis captos Comites allocutus Godesridū, patruúmqoe eius Sigisridum, inter hostium cuneos solos reper-
D tus sum vestrarum partium cui fidenter de statu imperij vestri suas sententias coocrederent. Scripsi itaque eò cohortatorias Epistolas secundum intellectum eorum, coniugibus, liberis, amicis, vt in fide vestra persterit, nullo hostium incursu terreantur, eoromqoe exemplo, si fortuna tulerit, exilium potius eligant pro fide vobis seruanda, quàm patriæ solum cum perfidia. Hos ego viros imprimis carissimos habeo, quibus grauius est quod vestra oegotia non valent exequi, quàm quod captiuitati hostium videntur addicti. Sed quia Principum dissensio rinteritus regnorum est, Principum vestrorum concordia remedium tantorum malorum nobis fore videtur: *funiculus* quippe *triplex difficile rumpi-*
E *tur.* Noueritis etiam reges Francorum nos non æquis oculis intueri, eo quod de vestra fidelitate eis contraria sentiamus, simulque quod multa familiaritate fruamur Adalberonis Archiepiscopi Remorum, quem simili de causa insectantes infidissimum sibi putant. In his omnibus quid oos velitis facere, etsi ioter hostes via patuerit vlla, quo & quando vestram præsentiam possumus adire certiùs significate nobis, paratis per omnia vobis obsemperate. Res eò processit vt iam non de sua expulsione agatur, quod tolerabile esset, sed de vita & sanguine certent. Hoc mihi secum commune est, quasi se contra conatus regios incitanti. Moles denique oppressionis tanta est. vestriq; nominis tāta inuidia, vt suas miserias nollis audeat vobis significare rescriptis, sed hæc tyrannus si inualuerit, locusque ad vos perfugiēdi, sibi nō frustra de vobis meliora senserit, spē

certam

certam habuerit, qui vobis ac filio veſtro in quo valuit ſuffragium meditatus eſt.

*Ex perſona Adalberonis Lothario regi.*

## EPIST. LIII.

EPiſtola veſtri nominis impreſſione ignota, ſignis incognitis, tantummodo per certum nuntium perlata, nobis mœrorem pertulit. Iubet enim ambitum monaſterij ſancti Pauli penitus auelli, quaſi hoſtilis munitionis caſtrum, vnde ſacerdoti iniungendum non eſt, quod cuiuis etiam tyranno formidabile eſſe poteſt, maximéque cùm plurimi ſint qui talibus gaudeant, ſibi id efficiendi tanta ineſt voluptas. Porro hunc locum eſſe aptum hoſtibus ea res probat, quod natura circa vrbem plures fabricauit aptiores, atque ſi ita hoſtibus placuerit ad muniendum expeditiores. Noueritis autem nos veſtræ ſaluti ac fidelitati & ſemper velle proſpicere, & ſemper velle obtemperare, diuino reſpectu ante prælato. Sed quod de vrbium cuſtodia prolonganda imperaſtis, milites audire non ſufferunt, ſuique eos promiſſi pœnitet, egeſtate & inopia omnia conficiente.

*Treuirenſi Archiepiſcopo ex perſona Adalberonis.*

## EPIST. LIV.

PRiorem Epiſtolam pro ſolo imperio Domini mei, me veſtræ paternitati miſiſſe minimè celare volo, qui omnia debeo ei, quoniam quam fidem Domino meo promiſiſtis, eam nepos meus promittere & ſeruare paratus fuit, eam à vobis obtinuit licentiam, quam malorum promulgauit authoritate. Sed quonam pacto eius forduerit fidelitas, veſtram intelligentiā latet. Hunc ergo Adal, quomodo aut vocabimus aut excommunicabimus; aut vt idem faciant alios orabimus? Ergo quia id legibus non valemus, nec ipſi facimus, nec alios vt faciant, hortamur. ne aut nos aut de nobis bene meritos in præcipitium trahere videamur, & quia rex cæleſtis dicit, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, noſtris legibus puram fidem, purum ſeruitutis obſequium ſemper intendemus, in nullo deuiabimus Domini tamen partes priores faciemus. Sed quoniam quæ Domini ſunt hoc tempore pauci prouiderunt, ſi quando legem Domini zelamus, aut perfidia aut alio quolibet vitio denotamur, eoque fit, vt ita dicam, inter malleum & incudem poſitis ſine iactura animæ & corporis ſpes euadendi ſit difficilis. Si qua ergo vobis ſunt viſcera pietatis, ſi ſemper vos vt fratrem, ac potius vt patrem coluimus, ſuſcipite onus amici conſilio & auxilio, vt qui in proſperis de vobis bene ſperauimus, in aduerſis ne deſperemus. At ea quæ dicimus, non homini, ſed fidei magni ſacerdoris cęlanda confitemur, dum teſtem adhibemus, terribilem vltorem dupliciter inclamantes his proditis in noſtri læſionem.

*Idem eidem.* EPIST. LV.

CVm literis veſtris multitudine curarum abſoluamur, aliis rurſus inuoluimur. Ecce enim de conſtantia veſtri amoris, de fide & pietate circa nos gratulamur. Sed quis veſtram intelligentiam eo detorſit, vt quæcumque noſtri affines ſentiunt eadem putares nos ſentire? Dominum Henricum cur oderim neſcio, cur diligam ſcio. Sed eius dilectionis nunc quis fructus exterior? alijs quippe rebus Diuinitas neceſſitatem imponit, aliis cæca fortuna interſtrepit. Denique tanta mole rerum preſſi non poeticè, ſed ſapienter dictum putamus, *leuius fit patientia quicquid corrigere nefas: & ſi fieri quid vis, id ſaltē velis quod poſſis*. In votis hoc habemus, brachia peccatorum conterantur, conſtringat ea Dominus. Vnum eſt enodationis indigens, qui veſtræ matris ac Reginæ olim eram fidiſſimus interpres, cur hoc negotio priuor, potiúſque per alios quàm per vos plurima reſciſco? & quoniā, vt profeſſus ſum ac profiteor, om-

A nia vobis debeo, vt malè ſit vobis timeo. Diuerſo quippe modo in commune nobis dicitur, *qui ſtat videat ne cadat*. in commune itaque conſulendum, quod vt fieri poſſit omnium me participem faciatis, qui veſtrorum conuentus adinueni † eius burcch. Id quoque quod regalis poteſtas Duce Beatrice ac veſtris primatibus exigit ſi veſtrā intelligentiam latet, vt rumor eſt, diligēter inueſtigatū ſignificate, quidue animi vobis vt in eo ſit. Cæterū de vobis vt cepimus optimè ſētimus, & qua fide vobis noſtra committimus, eadem veſtra ſuſcipimus.

*Idem eidem.* EPIST. LVI.

GEreberdum Monachum ſicut nunquàm contrá veſtrum velle, tenere tentauimus, ſic ex noſtrá ſententia prima die Rogationum vſque Moſomum re- B ducemus. Et quia tanto tempore eo vſi ſumus, non erimus apud vos tanti immemores beneficii. Si ergo non placet eum diutius fore nobiſcum, illic à veſtris ſuſcipiatur, quoniam noſtris longiùs progrediendi facultas non datur, tum propter hoſtium copiam, tum propter zelum callidè nobis aduerſantium.

*Obiectio in Adalberonem.* EPIST. LVII.

PErfidiæ ac infidelitatis crimine in regiam Maieſtatē arguor detineri, eo quod nepotem meum Clericum videlicet meæ eccleſiæ, licentia donauerim, quia & palatium adierit & dono alterius regis Epiſcopatum acceperit, eius regni quod Senior Lotharius rex in propriū ius reuocauerat, quodque gradus Eccleſiaſticos ei poſt- C modum contulerim, abſque licentia & authoritate Senioris mei.

*Purgatio.* EPIST. LVIII.

CVm Senior meus rex Lotharius Lotharienſe regnū non haberet, nec reuocaret fratris mei filium, vix tandem ſic obtinui fide interpoſita, vt ſi vſus aliquando expoſceret ſibi ſuiſque abſque pertinacia redderem. At cum ageretur vt Senior meus filio Imperatoris aduocatos foret, eaque de cauſa dati obſides eſſent, fratris mei, crebris legatis filium repetiuit, me ſegniter accipientem, fidei violatorem increpitans, rem ſuam à multis interturbari, eum ſe ſtatum prodere dicit, terribilem D iudicem æterni iudicij vltorem ſpretæ fidei ac cōſanguinitatis proclamat. Ergo quia Senior meus de reuocatione regni mihi dixerit, ſed de ſola aduocatione, nec dandi licentiam Clerico interdixerat, ſed inſuper beneuolè conſenſerat, vt à legatis meis intellexi, ſi ea facere vellet quæ pater ſuis ſpoponderat, & proficiſcentem abſolueret, & vt id pro quo obſides dati erant ſinceriſſimè conſeruaret, fidem exegi, quam & hactenus obtulit, & adhuc vt credimus offert. Gradum Diaconatus ac preſbyteratus ei contuli, ne à nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, & ne Eccleſia noſtra inuidis pateret, Subdiacono ex ſe ad Epiſcopalem apicem aſſumpto, ſimulque quod hi gradus, nec Prouincias, nec Ciuitates, nec villas quæ regnorum ſunt con- E ferunt, ſed quæ potius cœleſtis ſunt regni. Idem aduerſari vitiis, coli virtutes, in quo mihi crimen perfidiæ ac infidelitatis protendebatur. Oſtendi, vt arbitror, & me fidem maxime habuiſſe, & fidelitatem Seniori meo imprimis conſeruaſſe.

*Domino Metenſi Epiſcopo Diederico.*

## EPIST. LIX.

QVi actus & diſpoſitio regia in præſenti ſit, dubitatio legati Henrici Idibus Maii pateſecit, cuius in reditu curioſitas ſciſcitandi, & plurima perquirendi, aliud vultu prætendere, aliud mente gerere ſignificauit. Dux Hugo ad ſexcentos milites collegiſſe dicitur, eā fama Conuentum Francorum Compendiaco palatio habitum. V. Idus Maias ſubito diſſoluit ac liqueſecit. Interfuerunt de veſtris quidem Dux Carolus Comes

Reinharius, de nostris Herbertus Trecassinus; sed Orto acriori cura exclusus, adfuit etiam Gibenuinus Episcopus Laudunensis, Adalbero frater, Gocilo obside pacis, filio fratris Bardæ dato ea conditione euasit, vt quod Sigifridus ac Godefridus facturi sint faciant, quod hoc sit Francis spes mera, nobis res certa. Tantum superest quam patriam in manibus consilio & auxilio & viribus tenetis, hostibus consilio, & auxilio destitutis, tradere ne velitis. Vrbem Virdunensium à paucis prædonibus quietè teneri, inquieto & iniquo animo fero, nisi forte hoc maiori differtur consilio, vt vnde non sperant præcipiti excidio tabescant.

*Gerbertus Innominato.* EPIST. LX.

RES celanda multis committi non vult. Quod diuerso stilo nobis scribitur aduersis tractari non iniuria putatur. Silentiom amici vestri Adalberonis, proprium statum simulque Ecclesiarum Domini, ac palatij Francorum indicat, quod vt potero breuiter accingam. Ergo fidelium Cæsaris non immemor, coniuratio in filium Cæsaris ac in vos & acta est & agitur, non solùm à Principibus, inter quos Carolus Dux iam non in occulto est, sed etiam à militibus, quos spe aut metu allici est possibile. Dux Hugo xiiii. Calendas Iulij Regem ac Reginam osculatus est, tandem astutia quorumdam, vt in coniuratione tanti viri non minos fore putaretur, quod minime est, nec fore putamus hac tempestate. Sigifridus Comes ad sua rediit, Godefridus Comes, si Castri Lucium cum Hain ao Reniero redderet, seque filiumque suum comitatu ac episcopatu priuaret Verdunensi: De reliquo integram fidem Francorum Regibus exhiberet, datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret. Finis Theoderici ducis Hugonem ducem respicit, Ottonem Heribertus. Fidum vobis Adalberonem Archiepiscopum pax sequestra nunc tandem conciliat, eo pacto, vt interim instituatur perpetua, qua in re vestrum, bonorumque, pro quorum nomine antefertis, nec fieri potest vt quicquam instituatur, quod vestræ suorumque saluti obsistere possit. Latens ac furtiua expeditio nescio quibus vestrorum subito intenditur. Quid trans Rhenum gesseritis nos de vestra salute lætantes non celabitis.

*Adalberoni Archiepiscopo Gerbertus.*

EPIST. LXI.

VT voluistis consultum est, mora vestra vsque ad determinatom colloquium in cõmune laudata: Amicitia Hugonis non segniter expetenda, sed omnino conandum ne benè cœpta malè abutamur. Nam quidem intelligentia hæc est, sed nescio quonã pacto frater vester Godefridus atq; Rainherius, Gobthero meo, quem Turonium missetam dixerunt, vos præsto adfore, vt si quem nuncium Odo vobis mitteret, & alloqui possetis, & quæ significaret opere adimpleretis. Cæterum dux Hugo nacta occasione ex dissensione Episcopi Parisiensis & Abbatis Gual. Abbatem nostrum Ayardum inter cæteros ad se venire orat, id vt peragat persoasum liri posse confidimus. Colloquio soluto moras omnes soluite, vrbique ac vitis vos restituite.

*Beatrici Duci ex persona Adalberonis.*

EPIST. LXII.

SVper his quæ certiùs vobis significari quæritis, nil amplius nouimus quàm aut præsentes diximus, aut legatione nostra accepistis. Cæterum vobis liberis amicis ad votum prosperari saluo honore regio & optamus, & sic congratulamus. Nostra negotia vestra putate. Apud ducem Hugonem de vestra mente pura, fide constanti absque hæsitatione præsumite. Deoique quod à vobis exigimus suo tempore vestro obsequio impendimus. Inprimis quoque gratias habemus, quod de plurimis à vobis certiores existimus. Meing. Monachũ expetitione Abbatis Raidio perquisitum Corbeiam liquisse, Rothomagũ adisse audiuimus, in quo si dabitur facultas, nostrum ei vt in omnibus exequi conabimur.

*Eidem.* EPIST. LXIII.

REbus vobis ad votum cedentibus non immeritò congratalamur. Et quia ignorata frequenter per vos addiscimus, vestrumque affectum circa nos sincerum experimur, inter præcipua ponimus. Sed quæ res institut[illegible] colloquium Dominarum sic commutauit vt solus dux venerit Henricus: id an dolo alterius partis agatur, & qui principum eò venturi sint si nouistis, orantibus nobis plena fide perorabitis.

*Idem Duci Beatrici.* EPIST. LXIIII.

EXcellentiam acuminis vestri videor videre, pace inter principes stabilita, repub. benè disposita, ac per vos in melius deputata. Vnum tantum est quod plurimos mouet. Treuerensem Archiepiscopum tanto molimine ordinationem differentem, aut se cum duce & Lothariensi regno manibus Francorum velle tradere, vosque celare quod Colloquium Verduni habendum verisimile facit, aut his maiora velle machinari, iubetur amico vestro A. ordinationem nepotis destruat. Num rex aut Primas est Treuerensium? factionem Archiepiscopi hoc negotium vndecumque continere videtur. Inuigilet ergo vestra prudentia, & quo se tantarum rerum pondera vergant, perquirite, & an Dux Henricus fidem vobis seruaturus sit prouidete.

*Nithardo Abbati Medelecensi.*

EPIST. LXV.

SEmper quidem plurimorum vtilitati prospiciendum, priuatisque commodis publica præferenda. Fratrem Gaot. subito cum re omni familiari parata ac paranda redire cogitis, nulla temporis ratione habita. Soli ne tantos motus ciuilis belli non sensistis? qui Domini rerum ac principes esse videmur, itinere frequenti equis amissis comites rariores habemus. Tædio Monasterij eum nolle redire dixistis, id ne verum sit quoquo modo reducem tenetis. Consequitur ergo vt in hoc experiamur paucorum ne commodum, an multorum, sit vobis pretiosius.

*Ex Persona Adalberonis Notgero Episcopo Leodiensi.*

EPIST. LXVI.

COllectionem Episcoporum propter quæ significatum est, non esse factam, tarditati perlatæ epistolæ imputandum. Dispotabitur autem de his in aduẽtu vestro, & si ita visum fuerit, amplius postmodum priuatim & in commune deliberabitur. Cæterum quia frater meus se suaque ad vos pertinere putat, multumque spei suæ salutis vobis attribuit, Gualterum militem a persuasione Vuazonis cohibere debetis, eoque facto & sinistrum rumorem vitabitis, & proprio officio non defuisse videbimini.

*Eidem ex persona eiusdem.* EPIST. LXVII.

EI qui cum sapiente, actionem instituerit non multa oratione inlaborandum: Quod vestris vi ereptum est restituetur: fidei spondentis amici credite, si id satis non est, obses accipiatur ab his quibus sua rursus institui orauimus, nec differendum propter instantis fori necessitatem, eaque de vobis optimè præsumimus. Dum hæc dictauimus obsides ab obsesso castro vt in crastinum reddendo, nos accepisse significamus. Metis colloquium Dominarum habendum est,

vos

vos quàm plurimum interesse optamus. Si relictum vt institutum est, causam effectricem per vos nosse labora- A mus. Quid priuatim vos scire oportebit, priuata docebunt tempora.

*Abbati Rainero.* EPIST. LXVIII.

QVamuis intelligentiam vestram non lateat artem artium regnum esse animarum: tamen tam occupatis in Rep. suggessisse non inutile visum est. Fratrem Menig. quem suaui eloquio, affabilitate paterna transmarina mutare coegistis, hærentem ac dubium quibus valuimus sententiis vestram in mansuetudinem sibi notam experiri persuasimus. Erit ergo docti viri, more boni medici, mellita proferre, ne primo gustu amaris ingestis antidotis, salutem suam formidabundus incipiat expauescere: Hac conditione si placet suscipite, si displicet, ne forte proditoris fungamur officio, quò velit redire æquo animo ferte.

*Ecberto Archiepiscopo Treuirensi.*

EPIST. LXIX.

NOn executum esse quod ab vrbe Verdunensi de reditu fratris G. mandauimus, actine cura præsentium tempore effecit, dum & quod nolumus necessitas infert, & quod volumus aufert. Nunc tandem ne bene meritis appareamus ingrati, clementiæ vestræ vt possumus remittimus, hoc vnum à solita beneuolentia vestra expetentes, vt experiatur vestram affabilitatem ob nostram commendationem, & si pace vestra fieri potest, ne careat studiis quibus impensiùs operam dare disposuit.

*Abbati Maiolo Cluniacensi.*

EPIST. LXX.

ET si vigilanti cura super vestro grege assiduè occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis Cœnobij propter reuerentiam patris Benedicti summum locum penes Monachos vt aiunt peruasor occupauit. Si vos taceritis quis loquetur? hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit? nos quidem hæc zelo diuini amoris dicimus; & vt vestro examine si probus est recipiatur, improbus omnium Abbatum ac monastici ordinis societate, ad pœnam suæ damnationis priuetur. Quod vobis tantum literis vestris nobis fiet acceptissimum.

*Abbati Geraldo Aureliacensi.*

EPIST. LXXI.

NImium dilecte Deo, stare velut orbem terrarum vides, & ad omnipotentem manus pro statu Ecclesiarum Domini non erigis. Salutiferum quidem iter charitatisque plenum ad limina beati Geraldi nos habere cupitis, cui voto vtinam faueat Diuinitas, sed id quam difficile factu sit facile intelligitur, nisi vestra obtineant merita. De rege Ludouico quis habeatur consulitis, & an exercitus Francorum auxilium Borello laturus sit. Horum primum à nobis minime quæri oportet, quoniam, vt ait Salustius, *omnes homines qui de rebus dubiis consulunt oportet esse remotos ab ira, odio, misericordia.* Alterum suapte natura deesse, & non esse æqualiter vergens, nostra intelligentia magis videtur tendere ad non esse. Organa porro, & quod vobis dirigi præcepistis in Italia conseruantur, pace regnorum facta vestris obtutibus repræsentanda. Quæ vestri iuris sunt, vt vestra exspectate, desiderabilem præsentiam pij patris, & causa beati Remigij Francorum Apostoli desiderantibus filiis exhibere, vt nostrum possibile vestro soluatur possibili.

*Stephano Diacono, VI. Non. Martias.*

EPIST. LXXII.

EXequiis Domini Lotharij Regis occupati, multa tibi quærenti pauca rescripsimus. Lotharienses dudum capti omnes elapsi sunt, præter comitem Gold. de quo in breui meliora sperantur. Quæ penes te tuosque agantur rescribe, atque per hunc legatum libros tua industria nobis rescriptos, consummata charitate remitte.

*Nithardo Abbati Medelacensi.*

EPIST. LXXIII.

QVod vestra præsentia interdum non perfruimur, B turbulentæ reip. imputatur, vos solum grauia pati putatis, quæque asperrima cæteris sint ignoratis, Sed cum agantur homines dubia sorte, mihique, non nostris, incerto certs quæratur sedes, cur tamdiu penes me deposita malefidæ fortunæ thesaurizatis? & quia vt pote fidissimus fidissimo loquor, maturate iter: nam aut imperia Ottonis recolliget aula, aut quantociùs omissa diu repetet Hiberia.

*Ecberto Archiepiscopo ex persona Adalberonis.*

EPIST. LXXIV.

QVamuis sciam ex voto meo nulla beneficia vestris meritis respondere posse, æstuat tamen animus, & quod re nequit, sequitur affectu. Priuilegium vestri C amoris circa nos sæpe numero nuntiis, sæpe numero rebus ipsis experti sumus: & quoniam sanctas petitiones pro nobis Domino obtulistis, quam non inaniter eas effuderitis testis est beneuolentia Dominæ Augustæ nobis reddita vj. Nonas Martias, qua die gloriosissimus rex Lotharius Francorum clarissimum sidus, mundo subtractus est; is quem cauisse regali gratia putastis, nulla familiaritate seclusus est.

*Ex persona Hemmæ reginæ ad matrem.*

EPIST. LXXV.

DOminæ Adelaidi Imperatrici semper Augustæ Hemma quondam regina, nunc lumine Francorum orbata. Elapsa sunt tempora mearum deliciarum, D tempora decoris mei, ô mi Domina, & ô dulcis mater, dum is quo florente florebam, coniugem in perpetuum viduam fecit. O amara dies VI. Nonarum Martiarum quæ mihi virum eripuit! quæ me in has miserias præcipitauit! Intelligat pia mater gemitum & angustias filiæ doloribus plenæ. Non esse me penitus præoptarem, nisi Diuinitas solatio reliquisset mihi matrem. O quando videbo, quando alloquar! Henricus quidem vestræ præsentiæ ac reginæ in curia Romarici montis, vbi confinium regnorum est, xv. Calend. Iunij, me ac filium meum occurrere voluit. Sed hæc mora nulla annorum mihi est. Noueritis interim Francorum principes mihi ac filio simul fidem sacramento firmasse. In hoc & in reliquis quæ sequenda ac vitanda sint vestro iudicio vtemur. Vt non solum H. reginæ, sed omnium E dicamini mater regnorum. Recordamini præterea verborum vestrorum, quod virum meum præ me dilexeritis, quodque ipse pro me vos amauerit. Prosint animæ eius hi dulces affectus, & quod temporaliter exhibere non valetis, spiritualiter recompensetis per Sanctos Patres, id est Episcopos, Abbates, Monachos, ac per seruos Domini quosque religiosissimos.

*Epitaphium regis Francorum Lotharij.*

EPIST. LXXVI.

CVius ab obsequium coiere duces, bonus omnis,
Quem coluit fare Cæsaribus monimenta doloris.

Cæsar Lothari prætendis luee secunda
Tertifici Martis quod eras conspectus in astro

*Epitaphium ducis Friderici.*

EPIST. LXXVII.

FRançorum placito nomen tulit hic Friderichl:
Quem proaui fudere duceà sanguine Regum,
Officio, meritisque Patem sopor vltimus hauiit.
Mercurij quum celsa domus tibi Phœbe pateret.

*Epitaphium Adalberti Scholastici.*

EPIST. LXXVIII.

EDite oobilibus studium rationis adepte,
Dicit Adalberrum te Belgica flore iuuentæ,
Stare diu non passa, tulit fortuna recursus,
Bis fenas Febrũi cùm produxisset Apollo.

*Epitaphium Ottonis Imperatoris.*

EPIST. LXXIX.

CVius ad imperium tremuere duces, tulit hostis:
Quem Dominũ, populique suum oouere parenté
Otto decus Diuum Cæsar clarissime nobis,
Immeritis rapoit te lux septena Decembris.

*Oratio in Verdunensium urbem.*

EPIST. LXXX.

QVod remedium morbis tuis inueniemus Verdunensium execrata ciuitas; vnitatem saoctæ Domini Ecclesiæ scidisti, sanctissimam societatem humani generis abropisti. Quid eoim aliud egeris cum pastorem tuum voluntate hæreditarij regis, consensu & fauore comprouincialium Episcoporum electum, ac insuper Episcopali benedictione dunatum, adhuc pertinax minime recognoscis? téque velut membrum inutile ac deforme, sine vnitate corporis, ex oleo in oleastrũ inserere tentas? Ideo pastorem non recognoscis, quia regem tuum regno priuare moliris. Non est tui iuris creare nouos reges ac principes, id est sub insoluta transire iuga. Grauissimum est peccatum tuum impia ciuitas, non coofregit aries mutos tuos, non fame iotersecti milites, nullo telorum genere pervasi sunt. Sanctuarium oomini corrupisti, Saoctuarium Domini pervasisti, ac possides speluncas latronum, facta es hostis humani generis, amici tui obliti virginum, sanctique thori obliti consanguinitatis & muneris, & iam in sacris diebus & in sacris locis horrendum lupanar fecerunt te. Altaris Domini calcibus allisa ac ligonibus effossa sunt, opes Religiosorum & pauperum, rapinæ & incendiis patuerunt. Reuertere, reuertere ad pacem cem Ecclesiarum & ad vnitatem regnorum, Ciuitas virtutum expoltrix ac vitiorum receptrix, & vos, si qui estis, Domini pars melior, redite & separamini velut oues ab hœdis. Nooimus antesignanos pollutæ ciuitatis, nouimus satellites manipulares, quos diuino gladio feriendos hactenus patientiâ tulimus, nunc cæcitate mentis pressos & caligine mortis consopitos, sententia damnationis ex diuinis legibus promulgata communi omnium bonorum consultu percutimus.

*Ecberto Abbati Turonensi.*

EPIST. LXXXI.

VBi summa religionis norma esse debuit grauissimũ esse illapsis crimen nõ immerito nos promoiit & exterruit. Si quis erit author huius correctionis tacentibus cunctis Primatibus vestri ordinis. Nos quidem venerabili Abbati Maiolo super his pauca præscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere scimus. Huic tanto negotio, & vt verius fateamur, tantæ audaciæ, vlciscendos à nobis dux designatus est, eius sententiam qui prior nostrum nouerit, alteri sine mora significabit.

*Azoni Abbati Deruensi.* EPIST. LXXXII.

RVmpe moras omnes mi pater & M. ij. Cal. Iul. egredere de Vr Caldeorum. Obtemperandum veteranis amicis ac in fide diu probatis. Noster Adalbero pater patriæ quondam nobis fidus, & nunc fidissimus, moratum impatiens, vestram expetit præsentiam, nefas absenti significare ea quæ volumus præsenti dicere. Charissima vobis ac nobis librorum volumina vestrum iter sunt comitata. Hoc tantum dixisse sufficiat.

*Bobiensibus.* EPIST. LXXXIII.

GErbertus gratia Domini siquid est plurimam salutem dicit dilectissimis sibi filiis Bobiensibus vtriusque ordinis. Rem dignam vestroque nomini conuenientem penitus egistis, patrem quærendo, patrem visitando, quia iure vos veros filios esse docuistis. Ergo & pro vestra diligentia, & pro fide constanti circa me, nunc absens grates habeo, & mox propitia diuinitate præsens debitas exhibeo. Ego quidem & si iam propemodum in portu constiti, vos tamen malignis fluctibus iactari iniquo animo fero. Sed scimus Dominum omnia posse, eumque motum prece pauperum confidimus afflictis opem illico laturum fore.

*Hugoni Marchioni.* EPIST. LXXXIV.

NOn immerito vos plurimi facio, & vos & vestra votis & laudibus effero, qui tam occupati mei meminisse dignemini. Inter honesta hoc, itaque inter præcipua ponimus, ac proinde ad vos fidem plurimam habemus: & vt nostri memoria non excidat propensius oramus, & vt fessis iam rebus beati Columbani subueniatis, preces quas valemus absentes effudimus.

*Cononi Italico Marchioni.* EPIST. LXXXV.

QVamuis officiorum meritis vestram promereamur gratiam, virtus tamen ac nobilitas vestri generis ac propria, adducit nos de vobis bene sentire, meliora sperare. Quod si à paruis maxima iuuari possunt, honori vestro studia nostra non deerunt in loco & tempore: consulendo, bona verba suggerendo, vt dum vobis fortuna riserit, sub vestris alis nostra mediocritas requiescere possit.

*Ex persona Adalberonis Theophaniæ Imperatrici.*

EPIST. LXXXVI.

ETsi hactenus vos ob merita vestri viri excellentissimi Augu. semperque memorandi vt Dominam colui, specialia tamen nunc beneficia vestra, vestrique filij, & præteritam continent dilectionem, & fidem nostram ad vos ac vestros plurimam augent: fouet nostra Ecclesia inter præcipuos thesauros pignus vestræ amicitiæ circa nos. Sentiat ergo Beatus Remigius tantæ Dominæ fauorem si fieri potest in recipiendis reb. amissis, cum propter sui merita, tum propter nostra si qua placebunt exhibenda seruitia. Sentiamus & nos gratiam iam bene fundatam, scilicet vt legato & meliùs scriptis, de pace, & pacis conditione cum nostro rege habenda dignemini significare nobis, per omnia paratis, quantum fas est, fidem sincerissimam exhibere: Sicque saluti vestræ ac nostræ in commune melius poterimus consulere.

*Constantino Scholastico Floriacensi.*

EPIST. LXXXVII.

SApienter & peritè ille vir Domini peruasorem improbandum censuit, sed rem ad se minus spectare significauit, ipsum ante insignia honoris infamem, fautores, in religiosos augendam infamiam, si sancto-

tuus

rum priuetur consortio, caute prudenterque disseruit. Matura ergo iter, & xvi. Cal. Sep. nos reuise, vt in his omnibus per te plenius instruamur, simulque læteris animaduersione nostra in peruasorem, & qui te cœnum nostris putauit in naribus, de se dictum existimet, teque tymiama vaporatum redolere perhorrescat. Committentur iter tuum Tulliana opuscula & de Rep. & in Verrem, & quæ pro deffensione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conscripsit.

*Ex persona Adalberonis Archiepiscopi Abbati Maiolo Cluniacensi.*

EPIST. LXXXVIII.

PRæclare quidem exhortatio vestra in peruersorem, sed cum scriptum sit, *quæ cœpit Iesus facere & docere*, cur diuersa imperia, diuersa cœli climata prætenditis, vt eiquem reum statuistis, aliis non communicantibus cõmunicetis? Restiterunt sancti patres hæresibus, nec putauerunt ad se non pertinere, quicquid alicubi male gestum audiere. Vna est quippe Ecclesia Catholica toto terrarum orbe diffusa: Verba vestra sunt, imo per vos sancti Spiritus. Nec erit Christi fidelis cui hæc ambitiosa audacia nõ fiet detestabilis: Detestamini ergo peruasorem, sentiat vos sibi non fauere, non sibi communicare, ac per vos non solum quosque Religiosos vestri ordinis, sed etiam si fieri potest Romani Pontificis se maledictis vrgeri, & quomodo rem vt erat cognouistis, cognitam secundum dignitatem vestri nominis diiudicastis: nos vestrique omnes velut fidissimi comites tantum ducem sequemur, nec vnquam huic peruasori ac tam probo improbo adprobatu, vestro sine iussu communicabimus.

*Idem Abbati Ecberto Turonensi.*

EPIST. LXXXIX.

QVę morum grauitas vobis insit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium, litteræ vestræ palam fecerunt. Itaque studium pietatis ac seueritatis vestræ, monuit nos ire in vestram sententiam, virq; ille Domino plenus, ad quem multam fidem habemus. Summouebimus ergo illum perfidũ à societate nostra nostrorumque iudicio tantorum patrum, isque nobis habebitur hostis, qui in sententiam reuerendi patris Maioli, colendi patris Ecberdi dicere non dicenda attentabit. Quod si diuinitate propitia fauorem Principum obtinebimus, ad hæc vtilia vtiliora iungemus.

*Ad Imperatricem Theophaniam & ad filium Othonem ex persona Adalberonis.*

EPIST. XC.

IN quem cumulum ita furorque regis in nos prorupe-rit, testis est impetus eius repentinus & inopinatus, vixque sine multa cæde partim repulsus; qui fidi inter nuntii erant castra diruere quæ sub vestro regimine nobis sunt, imperabant offerre iusiurandum secundum eorum libidinem, aut vrbe regnoque excedere: interserebant antiquam beneuolentiam Diui Aug. circa nos nostrumque familiare obsequium. Hæc & his similia propriæ saluti in præsentiarum obstitere. Fere ergo certum solatium tempore incerto, non dubia spe eludamur qui in conseruanda vobis fide numquam dubitauimus vi. Cal. Apri. Conuentus Francorum indictus est, ibique crimine infidelitatis pulsabimur quod Episcopum Verdunensem licentia donauerimus, quodque in presbyterii honorem promouerimus, & vt res fiat impossibilis à nobis idem repetendus. Si hæc ita se habuerint, vestri nostrique fidelis Gerbertus ac Renierus, secundũ quod voluistis, Nuiomago vobis minime occurrere poterunt. Sed vestra clementia Coloniæ, quò post venturi sunt quanto ducem aptum itineri eis prouideat. II. Cal. Mart. Ottonem & Heribertum comites alloquemur, iterumque datis obsidibus quos recepimus fratrem meũ vestræ seruituti remittere attentabimus. Quibus angustiis ob fidem vobis seruatam semper seruandam premamur, paucia expressimus. Salutare vestrum auxilium vestra ex parte constanti animo expectamus, & vt hoc ipsum hostes lateat obsecramus, ne acrior eorum in nos exardescat ira.

*Raimundo Aurillacensi Abbati.*

EPIST. XCI.

CLarissimo patre Heraldo orbatus non totus superesse visus sum. Sed te desiderantissimo secũdũ vota mea in patrẽ creato, denuo totus in filium renascor. Nec solus vestro honore, gaudeo, gaudet Pater Adalberto, sesuaque vobis ex animo conferens, tanto arctius, quanto amplius luce religionis ac scientiæ conlucetis, cuius ob meritum amorem, fere continum triennium in Frãcia consumpsi, ibi dum ita regum, tumultus populorum, regnorumque dissidentium æstus perfero, tanto tædio affectus sum, vt curam pastoralitatis suscepisse pene me pœniteret. At quoniam Domina mea Theophania imperatrix semper Augusta, VIII Cal. April. proficisci me secum in Saxoniam iubet, eoque quosdam ex meis monachis & militibus ab Italia cõuenire iussi, nũc non habeam, quod certum scribam super organis in Italia positis ac monacho dirigendo qui ea condiscat, præsertim cum sine præsentia Dominæ meæ Theophaniæ credere me non ausim fidei meorum militum qui Itali sunt, nec satis sciam vtrum exercitum ante autumnum in Italiam deducam, an in Germania demoremur, vt quam plurimas copias contra Ludouicum Regem Francorum nisi quieuerit, comparemus, qui amicis inquietissimis, perniciosissimis hostibus non multum inquietus, qois sit, quidque de eo intelligi oporteat velox exitus comprobabit. Clara indoles diuæ memoriæ Ottonis Cæsaris, pace, inter duces ac principes reducta † grata, proxima æstate legiones militum duxit in Sarmatas quos ea lingua † Guidonos dicunt, ibique vt. & xl. vrbes munitissimas sua præsentia ac militum robore cœpit, diruit, atque vastauit Salutat vos, Airardum, Adalbeto Remorom Archiepiscopus, simulque omne collegium Aurilacensis cœnobij, me adiuncto per omnia vobis deuotissimo Iterum iterumque valete.

*Bernardo Monacho.*

EPIT. XCII.

QVæris dulcissime frater quæ & qualia gerantur à me & an ea sunt commoda & incommoda. Huic petitioni in satis facete paucis possim addubito, quod altius ea rimanti nulla esse videantur, aut si quolibet modo sunt, maximam partem incommodorum secum trahunt. Primum quod in publicis caulis versari nunc temeritatis est, quippe vbi diuina & humana confunduntur iura, propter immensam auaritiam perditissimorum hominum, idque solum ius statuitur fore, quod libido ac vis more ferarum extorserit. Ast in priuatis id primo fero, quod amicos in aduersis nulla oppressus calamitate destitui. Sed an memoria dignum sit aliorum iudicio de relinquo, & quod Italia excessi, mecum hostibus Domini ac filij senioris mei Domini mei Ononis quolibet modo cogeret pacisci, & quod interdum nobilissimis scholasticis; disciplinarum liberalium suaois fructus ad vescendum uffero: Quorum ob amorem & iam exacto autumno quandam figuram edidi artis Rhetoricę depositam in vi. & xx. membranis sibi inuicem connexis & concatenatis in modum † ante longioris numeri, qui fit ex bis xiii. opus sane expertibus mirabile, studiosis vtile, ad res Rhetorum fugaces & caliginosissimas comprehendendas, atque in animo collorandas. Ergo si quisquam vestrum cura talium rerum permouetur & in musicæ perdiscenda & in his quæ fiunt ex organis, quod prius adimplere nequeo: Si cognouero certum velle Domini

Abbatis Raimundi, cui omnia debeo, per Constantium Floriacensem supplere curabo, est enim nobilis, Scholasticus adprime eruditus, mihique in amicitia coniunctissimus, Vale dilectissime frater, meaque semper dilectione mutuo fruere, nostraq; bona putato esse communia.

*Adalberoni Archiepiscopo.*

## EPIST. XCIII.

COrruptissimi temporis est non posse decerni secundum popularem opinionem quid sit magis vtile. Vtile est quod agitis sententia multorum, vtilius eum plures iudicant in vrbe sedere † paucam & ignauissimã prædonum deterrere manum, cum præsentia vestra tum militum numerositate, vestrum fratrem vos debere alloqui censent, audite quæ velint Otto & Heribertus mutuis subito exposcentes colloquia, quibus & si nulla inest fides, tamen pro fortuna eis vtendum, certe eum in metu sunt, periculum ipsorum ab eis exiget, quod propria non exegerit fides.

*Ad eundem.*

## EPIST. CXIV.

OCtauo Cal. Octob. Reniher. à responsis, Rhemos rediit, vestra negotia executurus. Eius sententia hæc est, si de fratris fortuna certum finẽ cognoscere vultis ac nulli mortalium indicanda nisi vobis, IV. Cal. ad Altomillste fratri ac Comitibus occurrere, nepotem vestrum Hecilonem, ac primos vestri generis consanguineos interim nusquam sinatis abire. Magna res serio agitur. Mosomum & Macerias multitudine militum communite. Dux Cono pro suo Ottone insidias molitur, sed facile remedium penes nos reperietur. Laudunensis Episcopus consilio Ottonis, & Heriberti sibi fauentium ducem adiit, eo loci quem dicunt Duddiniguum. Redite, mora sit nulla.

*Ex persona Remensium Abbatum fratribus Floriacensibus.*

## EPIST. CXV.

NOn immerito nos vnius collegij esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem castissimamque amicitiam quorumdã fœdat ambitio lasciua, detestabilis audacia, dum per factionem vobis proficiscitur pater quem verissimi non metuant damnare patres, & quomodo vna est Ecclesia Domini, velut clarissimæ stellæ relucent in perpetuas æternitates. An non lucidissima stella reuerendus Pater Maiolus? an nõ præfulgidum sidus Pater Ecberdus? alter in Epistola quam patri nostro venerabili Adaberoni Archiepiscopo nuper direxit querebatur. Eius sententia de prælatura patris vestri inter cætera sic dicit, Persona quæ vobis iam olim infami conuersatione erat famosa, sed huiusmodi arbitratu præter spem habita. Item in eadem post aliquanta, Quantum ergo nostra interest vicinos & contribules adhortari studuimus, si hoc nefas eliminare nequeunt, sanctorum consortio priuandum infamabunt, nec erit Christi fidelis cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis. Facta laudare non possumus, quid futurum sit nescimus. Clamat alter simulque nos denotãs, inquit. Nec minus nos grauat quod Magistratus ille Cœnobialis quem stare credimus in vertice religionis, dum vobis sobmilitat, à vobis discors, nos erroneos iudicare audet. Et quis enim fraudulenta ambitione elatum audeat adprobare, cum Pater B. dicat, omnem exultationem genus esse superbiæ? Item in fine eiusdem Epistolæ. Etsi vobis non videtur famum æternis elusura eius ad nos damnabimus aditum, faciant, iudicent Primates vt libet, nos pauperes Christi fauor aut timor sæculariũ ab hac sentẽtia nõ flectet. Attendite ad hæc ô socij & Commilitones, decernite vos oues Christi ab eo qui non est pastor, sed lupus ouium depopulator, prætendat sibi reges, duces sæculi, principes qui se fauore solummodo eorum Monachorum principem fecit, nec erubuit se ingerere qui ex humilitate debuerat refugere. Hactenus ignorantia nos deuiasse sufficiat, caret nostro consortio, qui talium partium damnatur iudicio. Tunc nobis tãtum vniatur, cum eorum sententia fuerit reconciliatus, quorum iudicio nostro est nunc consortio priuatus.

*Fratribus Blandiniacensibus.*

## EPIST. XCVI.

QVi me vobis fratrem adoptastis, orbitatem vestram vt sentiremus magnopere effecistis, virque ille venerabilis memoriæ nos sui memores in æternum honestis obtinuit officiis. Ergo agite, patrem vobis dignum citius exquirite, ne grex Dominicus fluctuet sine pastore, nostra ope si indigetis vtimini, & consilio, & auxilio iuxta vires ac scientiam. Libros nostros festinantius remittite, & si is qui per Claudium rescribi debuit, insuper mittetur, erit res dignissima vobis ac vestra charitate.

*Ex persona Hemmæ Reginæ ad matrem.*

## EPIST. XCVII.

AGgrauatus est dolor meus, ô mi Domina & ô dulce matris nomen, dum coniugem perdidi spes in filio fuit, is factus hostis est. A me recesserunt dulcissimi quondam mei amici ad ignominiam meam, ac totius generis mei. Nefandissima in Laudunensem confixerunt Episcopum, persequuntur eum proprioque spoliare contendunt honore, vt inuratur mihi ignominia sempiterna, quæ sit quasi iustissima causa amittendi honoris mei. Adesto pia mater filiæ doloribus plena. Gloriantur hostes mei non superesse mihi fratrem, propinquum, amicum qui auxilium, ferre possit. Intendat ad hæc pia Domina, cedat vestra nurus in gratiam. Sit mihi per vos exorabilis, liceatq; suum mihi diligere filiũ, quem meum patior vt amicum. Astringite mihi Principes vestri regni, proderit eis mea coniunctio. Otto & Heribertus comites potentissimi mecum in vestro consilio erunt. Si fieri potest absoluite nos curis, & mutuis fruamur colloquiis. Sin antiquam sapientiam vestram vndique colligite, Francis vnde non sperant contraria parate, vt in nos grauiter sæuiens eorum refundatur impetus, & interim quid vobis sit faciendum, & scriptis significate, & nuntio fidissimo.

*Ex persona Laudunensis Episcopi ad Episcopos.*

## EPIST. XCVIII.

QVamuis regis potestate per quorundam hominum factionem, à propria sede sum ad præsens exclusus, Episcopali tamen officio minime sum priuatus, nec dãnant crimina falso illata, quem innocens in hac parte non remordet conscientia. Sentiat ergo grex pastoris absentiam, sentiam & ego vos meam dolere vicem. Itaque moneo, rogo, oro, obsecro, ac pro nomine terribilis semper viuentis Domini obtestor, ne Ecclesiæ meæ quolibet modo, per quamlibet personam, sanctum crisma tribuatis, nec Episcopalem benedictionem, & Missarum solemnia in mea parrochia peragatis, quia scriptum est, *quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.* At si diuina & humana contemnitis iura, nec nostris monitis adquiescitis, quamquam diuina vltione sitis feriendi, tamẽ ad maiorem audientiam Ecclesiasticæ legis vos prouocatum iri pernoscatis.

*Ex persona Adalberonis Archiepiscopi ad Bellouacensem.*

## EPIST. XCIX.

REspondere scriptis vestris necessarium ad præsens non duximus, cum ad indictum colloquium de singulo

singulo pro modulo vestro accuratius vobis satisfacere A possimus. Et quoniam nostrum ob amorem priuata posthabetis negotia, nostrisque sedulo operam datis, inter præcipua ponimus, memori animo recondimus, præstitis non minora recompensaturi beneficia, si se infida retorserit fortuna.

*Ecberdo Archiepiscopo Treuerensi.*

EPIST. C.

QVantom vtilitatis Reip. contulerit, quantumne collatura sit pax inter Reges nostros benefundata, testis est ciuitas Verdunensium sine cæde & sanguine, sine obsidibus, sine pecuniis in integrum imperio vestro restituta. Testis erit Colonia rebus sibi diu substractis B in integrum restituendis, quod vtique maturius foret, nisi acrior cura regnorum nuper in conficienda pace lõgius nos detinuisset propter inuersos mores quorundã nostrorum. Nunc itaque tempus opportunum nacti, obsequio nostro adsumus. Monemus vt Dudo ac Gesilbertus comes rerum Ecclesiæ vestræ peruasores sine dilatione excõmunicentur. Moneatur frater ne amicus vester A. Remorum Archiepiscopus super Dudone, Guido Suessonicus Episcopus, super Gesilberto ne filios suæ Ecclesiæ impune vos lædere sinant, sed excommunicatos à vobis excommunicent, donec consequantur à vobis veniam digna satisfactione, qui conati sunt sanctuarium Domini hæreditate possidere. Quid Domina nostra Theophania imperatrix semper August. insequenti tempore rerum publicarum sit actura, quibusue C in locis demoratura, & an Saxonum exercitus victor a consueto hoste redierit, significatũ iri nobis plena fide oramus, vestra vestrorũque auersa tristi vultu accepturi, prospera iucundissimo animo laturi ac perlaturi.

*Ecberdo Archiepiscopo Treuirensi.*

EPIST. CI.

MVltitudine curarum festinatæ legationis, simulque viarum prolixitate pressi desiderabili colloquio vestra magna cum mœstitia priuati sumus. Sed reficit nos præsentia spectabilis viri Folmari, in quo vestra virtus intellecta est dum eo vtimini ministerio, qui voluntatem Domini etiam non monitus laudabiliter ex- D pleat. Addicti ergo sumus vestræ seruituti, cum hac & iam plurima dilectione Senioris nostri Adalberonis circa nos, qui earum rerum quas ferimus participes vos fore per omnia voluit. IV. Cal. Apri. Domina dux Beatrix apud palatium Compendiacum hoc effecerat, Cal. Iunij ad montem Falconis Dominæ imperatrici, duci Carolo Rex Ludouicus, Regina Hemma, dux Henricus causa conficiendæ pacis occurrerunt. Sed quoniam per ignorantiam Dominicæ Theophaniæ Imp. semper Aug. hoc fiebat, dolum subesse intelligentes, vti per se potius pax fieret, cum soluimus, vtque prius per vos quæ conditio pacis foret experirerur: Quod laudatum est, vestrique itineris socij denominati xv. Cal. Iunij Francorum colloquio nobis occurrendum, ibique si pacem cum rege Senior noster confecerit, pro pace regnorum pluri- E mum elaborabit. Magnæ intelligẽtiæ vestræ pauca suggessisse satis est. Cæterum de terra quæ in vestris partibus vi vobis eripitur, monemus ad præsens tacere, postmodum demonstraturi quid exinde facere debeatis.

*Adalberoni Archiepiscopo.*

EPIST. CII.

QVa fiducia quaue cautela colloquia Ottonis & Heriberti expetenda vobis sint prouidete, ne forte propter præsentem obsidionem Caprimontis noua in vos nouis dolis vndecumque compasentur consilia. Mementote fortis Gosfridi Verdunensis Episcopi ob peruasionem castri Lugiliburgi.

A *Dominæ Theophaniæ Imperatrici ex persona Adalberonis Archiepiscopi.*

EPIST. CIII.

XVI. Cal. Iunii fratre meo de inferni tenebris liberato, quædam lux vestri honoris oriri visa est. Sed eam lucem ne cæco igne cupiditatis Otto & Herbertus comites corrumpant, summopere elaborandum. Itaque iustas & honestas petitiones fratris mei clementer audietis, cum pro sui merito, tum pro vestra beneuolentia in me: iniustas autem, & quas tyrannus irrationabiliter extorsit, in destructionem Ecclesiarum Domini, ac in dedecus vestri generis prudenti consilio deulabitis. Num villas Verdunensis Episcopi, quas pro redemptione sua, vna cum filio A. Episcopo inuitus donat B Godefridus comes iureiurando in perpetuum ab Ecclesia alienabitis? num castra in eisdem ad eorum votum extruere patiemini, qui nunc furtiuas delectorum militum contrahunt copias, vt in vos si apud Caprimontem estis, impetum faciant? Nam quia dux Theodoricus Satanacam villam peruasit quasi in vltionem reginæ Iuuenacum oppidum se inuadere simulant, scelus facturi si vobiscum paucam persenserint manum. Hæc dixi mentem pro vobis omnino sollicitam habens, & plena fide executurus quæcunque per G. vobis fidissimum significastis, qui hoc sibi donari petit vt vestræ partis fuerit verissimus interpres.

*Ecberto Archiepiscopo ex persona Adalberonis Archiepiscopi.*

C EPIST. CIV.

DEstinato operi designatas mittimus species, admirabilem formam & quæ mentem & oculos pascat, frater efficiet fratri, soror sorori. Exiguam materiã nostrã, magnũ ac celebre ingeniũ vestrum nobilitabit, cum adiectione vitri, tum compositione artificis elegantis.

*Fratribus Blandiniacensibus ex persona Adalberonis.*

EPIST. CV.

QVousque abutemini patientia fidissimi quõdam, vt putabatur? Charitatem verborum prætenditis, rapinam exercere parati: cur sanctissimam societatem abrumpitis? Quosdam codices nobis vestra sponte ob- D tulistis, sed nostri iuris nostræque Ecclesiæ cõtra diuinas humanasque leges retinetis. Aut librorum restitutione cum adiuncto charitas redintegrabitur, aut depositum male retentum bene merito supplicio condonabitur.

*Ecberdo Archiepiscopo Treuirensi.*

EPIST. CVI.

QVia diu optato consilio non perfruimur, non satis patienti animo toleramus, instamus, casusque inter repentes reuincere laboramus. Synodus in partibus Rheni vt fama est indicta: nostrorumque Episcoporum cum validiores morbi, tum etiam regia negotia quam vnam voluimus interturbant Synodum. Sed E ne interim otio torpeamus, beati Ottonis suffragia ad præsens expetere in animo est, vnde per vos reditũ habere disponimus, vt proliaam disiunctionem nostram ea coniunctione castigemus. Et quoniam per Verdunũ iter nobis est, eo crucẽ vestra scientia vt speramus elaboratam, si fieri potest Cal. Nouembris dirigite, sitque hoc pignus amicitiæ. Ita opus placeos dum oculis crebrius ingeretur, indissolubilis amor in dies augmẽtabitur.

*Ex persona Regis Hugonis Siguino Archiepiscopo Senonensi.*

EPIST. CXVII.

REgali potentia in nullo abuti volentes, omnia negotia Reip. in consultatione & sententia fidelium

nostrorum disponimus, vosque eorum participes fore dignissimos iudicamus. Iraque honeste ac benigno affectu vos monemus, vti ante kalend. Nouembris, eam fidem quam cæteri nobis firmaueront, confirmetis ob pacem & concordiam sanctæ Domini Ecclesiæ, totiusque populi Christiani, ne si foste quod non optamus, persuasione qoorumdam prauorum diligētes vobis exequenda minus, audiatis senteotiam Domini Papæ, cum prouiocialium Episcoporum duriorem perferatis, nostraque omnibus nota mansuetudo, iustissimum correctioois assumat zelum rega i potentia.

*Ecberdo Archiepiscopo Treuirēsi ex persona Adalberonis.*

B

EPIST. CVIII.

ET si beneficiis vestris in animo est suo tempore respondere, tamen vti hæc eadem accumulentur, societas præsumit. Sit ergo nostro obtentu Hidilo, fratris mei presbyrer, nexu excōmunicationis liber, donec in proximo Conuenio causa eius discussa aut iooocentem seddat, aut nos ab iniustā petitione absoluat. Sit etiam is qui relator oostrorum librorum esse debet, sacraméto & auro deceotissime insignitus. Latori quippe nonnulla quæ placuerunt quamcitissimè rescribemus, ac per eundem latorem voluminum † oullo genere iofesius deponemus.

*Eidem.* EPIST. CIX.

OMni difficoltate rerum à cœpto itinere interclusi, expetendum censuimus portum salutis. Nam de pluuia montium torrentes continui intercipiunt, C campestria sic iuges aquæ vestiont, vt villis cum habitatoribus sublatis, armeotis enectis, tersorem ingeraot diluuij renouandi. Spe meiioris auræ à physicis sublata refugimus. Itaque ad vos tanquam ad arcam Noe Treuirimqoe iooisere totis viribus conamur, beati Ott. per vim extorta obsequia, in beati Petri Apostolorum principis deuotionem relaturi.

*Ad Comprouinciales,*

EPIST. CX.

MVlta super statu Ecclesiarum Domini, multa super publicis priuatisque negotiis ratiocinaturi, eum nostræ Dioceseos confrattibus charissimo vos in- D uitamus affectu, non tantum oostri quantum vestri causa honoris ac vtilitatis, locus loquendi mōs sanctæ Mariæ Terdoneosis, tempus III Iduum Decemb. Valete.

*Basilio & Constantino, Imperatoribus Orthodoxis, Hugo gratia Domini rex Francorum.*

EPIST. CXI.

CVm nobilitas vestri generis, tum etiam gloria magnorum actuum, ad clamorem vestrum nos hortatur & cogit. Hi quippe esse videmini, quorom amicitia nihil dignius in humanis rebus possit esistimari. Hanc sanctissimam amicitiam, iustissimamque societatem sic expetimus, vt oec regna nec opes vestrat in ea requiramus. Sed hæc conditio quæ oostri iuris suot vestra efficit, magnoque vsoi si placet hæc nostra coniunctio erit, magnosque fructus efferet. Etenim nobis obstantibus E nec Gallus, nec Germanus fines lacesset Romani Imperij. Ergo vt hæc bona fiant perpetua, quoniam est nobis vnicus filius & ipse rex, oec ei parem in matrimonio aptare possimus, propter affinitatem vicinorum regum, filiam sancti Imperij præcipuo affectu quærimus. Quod si hæc petita serenissimis auribus vestris placuerit, aut sacris impesialibus, aut nonciis fidis nos certos reddite, vt per nostros legatos vestra maiestate dignos quæ sonuerint chartis, compleantur in rebus.

*Ex persona Regis Hugonis Borello Marchioni.*

EPIST. CXII.

QVia misericordia Domini præuenieos, regnum Frācorum quietissimum nobis contulit, vestræ in- A quietudioi quamprimom subuenire statuimos, consilio & auxilio nostrorum omnium fidelium. Si ergo fidem totiens nobis nostrisque aotecessosibus per internūcios oblatam conseruare vultis, ne forte vestras partes adeuntes vana spe nostri solatij deludamus, mox vt exercitum nostrum per Aqoitaniam diffusum cognoueritis, cum paucis ad nos vsque properare, vt & fidem promissam confirmetis, & vias exercitui necessarias doceatis. Qua in parte si fore maultis, nobisque potius obedire delegistis, quam Ismaeliris, legatos ad nos vsque in Pascha dirigite, qui & nos de vestra fidelitate lætificent, & vos de nostro aduentu certissimos reddant.

*Ex persona Adalberonis Archiepiscopi Rhotardo Cameracensi.*

EPIST. CXIII.

HIs litteris acceperis Bal. quem noper excommunicauimus excommunicate, ob suam vxosem male derelictam, & quod negligentia diutius est dilatū, obedientia cosrigatur: nihilque sibi prosuerit Romam adisse, Dominum Papam mendaciis delusisse, cum Paulus dicat, Si quis vobis aliud annunciauerit præterquam accepistis, etiam Angelus, anathema sit. Estote ergo nobiscum diuioatum legum defensores, qui sacerdotalis dignitatis gaudetis esse parricipes.

*Ex persona Adalberonis.*

EPIST. CXIV.

MOlestia vestra deiecti, releuatione releuati sum*, addidimus, & iā ei addemus supplicationes quas poterimus, & si quid ars medicioæ labosi nostso suggeret, qoam prosime dirigemus. Permouemur autem aliqoantulum, quod tam sero qoæ circa vos essent nobis significatis, & maxime super causa frarris ac nepotis nostri. Mox quippe vt vestra legimus, & vestrum legatum à palatio accepimus, qui omnia quæ fecissent, ac filium eius regio dono accepisse firmaret, in quo aliud solatiū non habemus, oisi quod milites plurimum ab eo dissentire scimus. Porro & io hoc elaborabimus, & in quibus vestrum velle cognoscemus.

*Carolo Duci.* EPIST. CXV.

SI quid excellentiæ vestræ nostra seruitus conferre D potest, in hoc plusimum gaudemus. Et quia nunc ad vos secundum imperium vestrum non venimus, militum vestrorum hac illacque discurrentiū terror effecit. Porro autem si de nostra præsentia curatis, eos mittite quorum fidei oos credere audeamus, quosq; duces itineris cum securitate habere possimus. Et vt intelligaris hæc dici cum magna fide, recordamini consilii vestri, & collocutionis io palatio Iogelheim, & videte si quod promisi vobis de pace inter reges diu quæsita peractum est. Interim fideliter ammooeo, vt Reginam ac Episcopum secundum dignitatem vestram leoissime tractetis, & oe vos concludi ioter mœnia vllateoos patiamini.

*Abbati Romulfo Senonensi.*

EPIST. CXVI.

E DIuinitate propitia bene valentes, vt amplius valeatis optamus. Gratia & beneuolentia Principum vti semper vsi sumus, vtimur, spem bonam in rem conuersam iri, suo rempore expectantes. Vbinam potissimū moraturi sequenti tempore iocertum propter incerta tempora. Operi oostro, quod noo paruæ quantitatis fore scripsistis, quia mensuram volumiois ignorauimus, solidos duos per clericum quem misistis misimus, idemque si insinueris faciemus, donec completo opere dicatis, sufficit.

*Dominæ Theophaniæ, mittenda pro Episcopatu.*

EPIST. CXVII.

SEmper quidem vtilitati vestræ prospicere volumus, ac prospicieodo gaudemus. Quippe qui nos oostraque

qoe! omnia vestræ seruituti deuouerimus. Ex tanto ergo affectu, tantoque amore à vestra muoificentia præsumimus petere quod scimur per fidissimos nuntios olim nobir concessum esse, id est si in regnorum confinio quolibet Ecclesia vacaret, pastore, in ea non alium constituendum, nisi qoem vestiæ vtilitati omnimode apiū sano iudicio delegerimus. Er quia omnibus prouincialibus notum Italia expulsum, sed in fide non ficta perstātem habemus Abbatem Getbertum, hunc Ecclesię præfici modis quibus possumus oramus ; qui nobis quidem est verus filius, vobis vero pes omnia obsequentissimus seruus, cuius absentia & si non grauamur, tamen ob cómunia beneficia priuata posthabemur. Super his vestrū velle experiri quantocius sacris rescriptis obnixe efflagitamus,

*Clero & populo mittenda.*

EPIST. CXVIII.

MVltum mœroris multumque anxietatir intulit nobis acerba mors vestri patris, nostriqae dilectissimi fratsis. Nunc itaque totis pulsandum medullis, Deus vobis patrem, ac nobis Idoneum restituat fratrē. Sit interim vestra peruigil cura, vt secundum diuinas, & humanas leges res defūcti Episcopi tam mobiles quam immobiles futuro reseruentur Episcopo, ne siquid absit male cautum fuerit in negligentes, cum regalir censura, tum etiam grauior adhibeatur diuina sententia.

*Hemma quondam regina Domina Augustæ Theophaniæ,*

EPIST. CXIX.

PIetas vestri nominis subueniat afflictæ à prædonibus captiuæ. Et mihi quondam fuit & genus, & dignitas, ac Regum nomē. Nunc quasi sine genere, sine dignitate, omnibus afficior contumelijs, aorilla captiua crudelissimorum hostiū facta. Et quomodo ille impius Carolus vocem meam audiret, qui vestram audire contempsit ? & vos quidem me vestra memoria dignā habuistir, quæ fieri circa me velletis imperastis, hicque segiam vrbem occupauit. Parere alicui non putat suo nomini conuenire, nolo ei spiritum explicare quo sibi regna inanires promittit. Hoc tantum oro ne in me fœmina illidatur, dum in marer retunditur.

*Domina Augusta Theophaniæ. V. I. D. k. V. A. Z.*

EPIST. CXX.

BEneuolentiam ac affabilitatem vestram circā nos sentientes, obsides à Carolo accipere, & obsidionem soluere secundum voluntatem vestram voluimus, fidissimam societatem ac sanctam amicitiam conseruare cupientes. Porro hic Carolus legatos & imperium vestrum contemnens, nec super his acquiescir, nec Reginam relinquit, nec ab Episcopo vllor obsides accipit: Et hic quidem viderit quid sua sibi prosit pertinacia. Vestram autem amicitiam ad nos in perpetuum confirmare cupientes, sociam ac participem nostri regni A. decreuimus vobis occurrere ad villam Satanicam vj. Cal. Sept. Ea quæ inter vos de bono & æquo sanxeritir, inter nos ac filiam vestrum sine dolo & fraude in perpetuum conseruaturi.

*Treuerensi V. V. D. k. A.*

EPIST. CXXI.

NOn temere esse credendum rumoribus cum sæpe sitis experti, nunc experimini. Diuina quippe gratia præueniente, ac precum vestrarum instantia suffragante, omnibus Episcopi rebus potimur, vt ante nec quicquam ea tanta fama aliud fuit, nisi quod per meridiem occupatis militibus regiir vino & somno, oppidani totis viribur eruptionem fecerunt, nostrisque resistētibus ac eos repellentibus, à mendicir cremata sunt castra, quo incendio omnis apparatus obsidionis absumptus est: quæ damna viii. Cal. Sept. multipliciter restaurāda sunt. Immensas porro vobis rependimus grates, quod tam præcipuo affectu nostri geritis curam, quod continuari cum sanctis petitionibus & optamus & oramus, eadem voto ac desiderio vsque in finem protensuri.

*Adalbero Archiepiscopus Rem. Caroli duci.*

EPIST. CXXII.

QVomodo à me consilium quæritis, qui me inter infidissimos hostes deputatis ? quomodo patrem nominatir, cui vitam extorquere vultis ? denique nō sic promerui, sed perditorum hominum dolosa consilia sēper fugi, ac fugio, non de vobir dico: recordamini, quia dicitis vt recorder quid vobiscum contulerim de vestra salute, cum primum nos adistis, quid consilij dederim super adeundis regni primatibus. Nā quis eram vt solus Regem imponerem Francis ? publica sunt hæc negotia, non priuata. Odisse me putatis regium genus? Testor redēptorem meum quod non odi. Quid potissimum vobis sit faciendum quæritis, hoc cum difficile dictu sit nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Amicitiam meam exposcitis ? Vtinam adsit ea dies qua honeste liceat vestris interesse obsequijs. Quamuis enim Sāctuarium Domini peruaseritis, Reginam, cui quæ nouimus iurastis, comprehenderitis, Episcopum Laudunensem carceri mancipaueritis, Episcoporū anathema neglexeritis, taceo de Seniore meo, contra quem vltra vires negotium suscepistis, tamen beneficij quo erga me vsi estir cum robur hostium subduxistis, immemor esse non possum. Plura dicerem, & quod vestri fautores imprimis sint deceptores, sed non est huius temporis. Nam metus est hæc eadem dixisse, ac prioribus scriptis vestris non respondisse. Idem est in causa, quoniam caute tenemus scriptū, *Nusquam tuta fides.* Rationes harū rerum tractare, conferre, cōmunicare quolibet modo liceret, si R. K. I. G. H. H. T. Z. V. datis obsidib. ad nos vsque peruenire posset, cui talia fas esset, sine quo nihil talium agere possumus & debemus.

*Thietmaro Maguntio.*

EPIST. CXXIII.

LAbore obsidionis in Carolum defatigatus, ac vi febrium grauiter exagitatus, sincerum affectum meū circa te dulcissime frater, explicare nō satis valeo. Hoc tantum significo, impera, obsequemur, sitque nostra amicitia eadem velle atque eadem nolle. Et quia inter graues æstus curarum sola Philosophia quasi quoddam remedium esse non potest, vbicumque partes eius imperfectas habemus, impleat industria vestra. Ad præsens autem rescribite tantum quod deest nobis in primo volumine secūdæ editionis Boetij in libro pesi hermenias, hoc est ab eo loco vbi scriptum est. *Non currit vero & non laborat. In verbū dico cum significat quidem tempus,* vsque ad eum locum vbi dicitur. *ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt & significant aliquid hic præceptis*, idem parte deficientis commentarij vestri non immemores, fidem in re conceptam non deseramur, quod voletis pro viribus exequemur.

*A. H. C. H. I. V. B. Z.*

EPIST. CXXIV.

ANtiquis palatijs meis vsque ad fundamēnta dirutis, etiam renascens palatium quod mihi ædificare instituistis, diluuio vestri pene absorptum est. Instamus, ac proprijs sumptibus fabricam tanti operis nouis artificibus insigoimus, ne vestro superuētu ad suburbana cogamur demigrare cubilia. Huis tam ingenti negotio ad-

huc dierum xv. ſpatium attribuite, veſtrumque architectum A. remittite, qui cœpta perficiat non meis ſumptibus, ſicque nos ad perfringendam arcem montemque ab ipſis radicibus conuellendum cum totis copiis, ſi ea voluptas in animo eſt expectate.

*Incerto.* EPIST. CXXV.

CVm multos nobis natura affinitate lungat, multos affectione, nullius amicitiæ fructus ſuauior eſt quã is qui fundamento nititur charitatis. Nam cum obſequia aliquando ſentimus aut elegantiora veſtris aut iucundiora, idemque in tanta perturbatione noſtræ Reip. cum perfidiam militum aſſidue patimur, aſſiduo oculos ad vos reducimus, vt ſpes certa eſt, non fruſtra ſolatium relaturi. Et quoniam vos & grauari & defatigari niſi in ſumma rerum neceſſitudine nolumus, Z. Z. Q. M. B. & ſi ſic iudicatis quemuis alium tantum cum militum robore, ſubſidio & V. Q. O. V. E. X. II. Kal. Octo. & noſtri refugæ perterriti redeant, & hoſtes nouis ac inſperatis copijs intabeſcant.

*Incerto.* EPIST. CXXVI.

QVia amiſſa valetudine releuati eſtis, nõ immerito longum mœrorem nobis diminuiſtis. Gaudemus quippe ſi gaudetis, triſtamur ſi triſtamini. Sic ſancta ſocietas vnum & idem ſentiens manet: nec nos ſoli dulcẽ affectum veſtrum circa nos ſentimus, ſentiunt & illi qui admirabile opus crucis à vobis noſtro nomini elaborarę non ſine magna oblectatione conſpiciunt, in quo pignus amicitiæ æternitatem ſibi affectat.

*Incerto.* EPIST. CXXVII.

MOlimur, conamur, quod volumus, agimus, quod nolumus, nequimus. Ecce Rai. atque G. quos miſſum iri ad vos vſque innuiſtis, alter ſolita valetudine fatigatur, alter inſolita quidem, ſed cum tædio ſui finita imperium veſtrum exequi minime potuerunt. Exequetur autem R. quam proxime in melius commutatus, cuius obſequiis Her. Comitem adfore iamdudum in animo eſt, & quia quanto ſilentio quantaque fide veſtra ſecreta commiſerimus nouiſtis, voces noſtras noſtrique legati apud comitem Heribertum vos agere rogamus, facturi quidquid prudentiori conſilio decernetis, finitoque foro, vti audita, relata, inuenta, conferre nobiſcum dignemini, obſecramus, veſtro per omnia vſuri conſilio ſapienti.

*Adelaidi Matri Regnorum.*

EPIST. CXXVIII.

QVibus anguſtiis Domina Q. H. afficiatur, quantoque prematur angore, teſtis eſt epiſtola ipſius ad D. Q. V. M. H. E. iamdudũ directa, cuius exemplar vobis miſimus, vt & quicquid actum ſit ſciretis, & quam nihil ſibi profuerit, & vt cauſam doli, ſi tamen dolus eſt, inueſtigetis. Certe clariſſimam dominam & matrem regnorum vos hactenus fuiſſe manifeſtum eſt noſtris periculis, ſi qua ingruerint, credidimus velle ſuccurrere, nedum filiæ quondam dilectæ, ſiue poteſtas erepta eſt, ſiue non eſt, filiæ non ſubuenire, in mœſtitia eſt. Hortamur tamen vos explorare apud Carolum per valẽtes legatos, vtrum velit eam vobis reddere, aut creditam cõmodare. Videtur quippe ideo illam ſic obſtinato animo retinere, ne non videatur ſine cauſa cœpiſſe.

*V. V. D. A. H. G. I. D. V. I. D.*

EPIST. CXXIX.

QVamuis vos in propriis cauſis nouerim ſatis occupari, tamen commune periculum magis ſollicitos reddere debet. Scitis quas conuentiones cum O. & H. Comit. habuerimus, & cur fides donauerimus, inſtant, & promiſſam amicitiã requirunt. Itaque nunciis eorum A reſpondere debeo de mea hac veſtra voluntate III. Nõ. Sep. Mores, ſtudia, dolos, fraudes eorum, inter quos habito ſcitis. Redite ergo vſque Bublionem vti vobiſcum loqui poſſim, de his quæ mandare non poſſum. Sunt enim res grandes & ad vos multum pertinentes, & quia ciuitatẽ ſine forti periculo dimittere non poſſum, ſi placet manus Comitis veniet vobis obuiam, quæ vos omni ſecuritate ad nos vſque perducat. Valete, & quæ vobis cordi, velocius remandate.

*Rainaudo Monacho.*

EPIST. CXXX.

NOn exiſtimes, dulciſſime frater, vitio meo fieri, quod tandiu fratrum meorum præſentia careo, B poſt quam à te digreſſus ſum crebris itineribus cauſam patris mei Columbani pro viribus executus ſum. Regnorum ambitio, dira, & miſeranda tempora fas verterunt in nefas, nulli iure rependitur ſua fides. Ego tamen cum ſciam omnia ex Domini pendere ſentẽtia, quæ ſimul corda & regna filiorum hominum permutat, exitũ rerum patienter expecto. Idem quoque facere te & moneo & hortor. Vnum autem interim plurimum, expoſco, quod & ſine periculo ac detrimento tui fiat, & me tibi quam maxime in amicitia conſtringat. Noſti quanto ſtudio librorum exemplaria vndique conquiram, noſti quot ſcriptores in vrbibus aut in agris Italiæ paſſim habeantur. Age ergo, & te ſolo conſcio ex tuis ſumptibus; fac vt mihi ſcribantur M. Manilius de Aſtrologia, Victorinus de Rethorica, Demoſthenes ophtalmicus. C Spondeo tibi frater, & certum teneto, quod obſequium fidele hoc, & hanc laudabilem obedientiam ſub ſancto ſilentio habebo, & quicquid erogaueris cumulatum remittam, ſecundum tua ſcripta, & quo tempore iuſſeris, tantum ſignifica cui & tua munera & noſtra porrigamus ſcripta, frequentiuſque nos tuis literis lætifica. Nec ſit metus ad quorumlibet notitiam peruenire, quæ ſub noſtra depoſueris fide.

EPIST. CXXXI.

QVod beneuolentia veſtra ſecundum dignitatem veſtri nominis aſſidue perfruimur, plurimum congaudemus, cum veſtri vtilitate, tum veſtri honoris pro- D uectione. Lætamur nunc præſentia nepotis A. Verdunenſium Epiſcopi, qui vos habita ratione loci & temporis cum copiis adfore pollicitus eſt. Itaque ei non diſſimilem, quantum ad affectionem animi ſpectat, magnitudinem veſtram vrbi Remorum exhibebitis xii. Cal. Octo. quod & monachum latorem epiſtolæ celabitis, & rem tuto ſilentio tegetis, vti occultus ac improuiſus ad nos poſſit eſſe veſter aduentus.

EPIST. CXXXII.

QVantum conſilii quantumque rationis prouida in mẽte verſetis, cum alijs innotuerit, tum exitus viarum Caroli manifeſtius prodiderunt. Sed ſi eum E à prouincia veſtra velut hoſtem propulſare niſi eſtis, amicorum veſtrorum, Hemmæ reginæ, & Epiſcopi Adalberonis meminiſſe debuiſtis, & ſi velit amicum in regnum ſublimare, nihil omnium eorum obliuiſci oportuit, ſimulque apud infidos maleficia beneficijs nõ ſuperari. Significate ergo ſiquid harum rerum in melius per vos commutari poſſit, & cur indictum colloquium pro pace inter reges neglectum ſit, & ſi ſaltem futura quies inter eos conſtat. Interea ſi quicquam beneuolentia promeruimus, multum petimus multumq; oramus, ne militi noſtro verbis pro rebus præiudicium fiat. Eſt quippe ei commune prædium in lite cum Eccleſia, vultque B. ſibi cedi in partẽ ex noui operis Capella, quod nõ poſſit iure haberi niſi ex æquo facta diuiſione. Bene valete, ac noſtrum codicem, ſi placet, per fidum nuncium reſignate.

Z. B. R.

Z. T. B. R. EPIST. CXXXIII.

ANxie quidem iamdudum vestrâ præsentiâ frustramur, multa vestris consiliis disponenda reseruamus, nostris quam paucorum fidei Reip. negotia sunt committenda. Itaque optamus, monemus, oramus omni affectu charitatis adfore vos Remis x. Cal. Oct. cum pro summis rationibus, quas vobis tantum credere fas est, tum etiam pro habenda ordinatione O. Siluanectensis Episcopi designati.

*Remigio Monacho Treuirensi.*

EPIST. CXXXIV.

BEne quidem intellexistis de numero, quomodo se ipsum metiatur. Semel namque vnus, vnus est, sed non idcirco omnis numerus seipsum metitur, vt scripsisti, qui sibi æquus est. Nam cum semel IIII. sint IIII. non ideo IIII. metiuntur IIII. sed potius duo: bis enim duo, IIII. sunt. Porro in littera quam sub figura x. adnotatam reperisti, x. significat vnitates quæ in sex & IIII. distributæ sesquialteram efficiunt proportionem. Idem quoque in III. & duobus perspici licet, vbi vnitas est differentia. Sphæram tibi nullam misimus, nec ad præsens vllam habemus, nec est res parui laboris iam occupatis in ciuilibus causis. Si ergo te cura tantarum detinet rerum, volumē de Achilleidos statu diligenter compositum nobis dirige, vt Sphæram quam gratis propter difficultatem sui non poteritis habere, tuo munere valeas exorquere.

EPIST. CXXXV.

SIcut audita peregrinatio vestra mœrorem nobis intulit, ita permutatus rumor dilati itineris quasi fructum lætitiæ importauit. Auxiliatur quippe cum vestri absentia, tum quod tantæ personæ meritis non respondebant honores. Elaboramus ergo, & quod breuitas temporis non habuit spacio temporis attribuimus, ac munera iuxta vires paramus, vires dicimus quia nostis inter quos habitemus, quanta perfidia quorumdam exagitemur, quia etiam obsidio Laudunensis vrbis præterita pace sequestra intermissa est Cal. Nouemb. repetenda. Quamobrem sicut monuimus, monemus, & pro solatio militum si indiguerimus, & pro auxilio capiti confratris nostri A. vtque B. & G. vestra exhortatione digniores se repræsentent germanos, in tanto discrimine rerum.

EPIST. CXXXVI.

NE graui & iniquo animo feras iustissimam correctionem Domini, dulcissime frater. Diuinitas quippe non dignatur impios suo flagello æternis cruciatibus reseruans puniendos. Disce constantiam seruare in aduersis. Et si Iob & nostri ordinis antiquos sacerdotes non vales imitari, saltem nostri temporis laicum hominem, tibique affinem, exemplar habeto, Comitem Godefridum. Nos quidem tuæ salutis immemores non erimus, nec quicquam eorum quæ pro te fieri oporteat intentatum relinquemus. Nouerit ergo I. V. Q. omnia quæ circa te sunt, vt legatum nostrum Parisius in festo B. Dionysij certissimum in omnib. reddere possit, vt si obsidio futura est, & non est, alia atque alia refringantur consilia. Vale fœliciter, & hoc vnum attende, ne te præcipitem dederis, vt satius fuerit alio modo periisse, quam per interitum tibi tuisque posteris æternum opprobrium reliquisse. Iterum vale & à I. V. I. Q. Z. H. Z. A. plurimum caue, vt à perfido & impostore.

EPIST. CXXXVII.

ABsentia militum nostrorum res quam petistis plenum non habuit effectum, est tamen in voto, ac in eorum reditu quod poterimus exequemur. Sed si perpetuam pacem rusticis Asineti optatis veniam Com. Cep. & vt ad nos vsque quam proxime, vt & in dudum me-
A rita comparentur consilia, & vestra militaris manus digna nobis conferat solatia, iuxta quod per eum significabimus. Hæc tutis auribus committimus propter hostium multiplices insidias.

EPIST. CXXXVIII.

GRatulamur meliori habitudine corporis instaurata in vobis, simulque quod nostram scire voluistis: Nos quidem Domino propitio & bene valemus, & optima quæque votis optamus, nec cœptam amicitiam scienter violare molimur, nec acceptam à nostris iniuriam propulsare, sed à ij. Cal. Ianu. vsque ad initium Quadragesimæ, in confinio nostræ Franciæ, Burgundiæ ac Lothariensis regni occurrere vobis parati sumus si-
B cut designabitis diem certum, & locum suo nomine descriptum, vt pax & concordia regnorum, & Ecclesiarum Domini nostro vitio non destituatur.

EPIST. CXXXIX.

ERudito homini atque puram fidem quæ hodie paucorum est, constanter tenenti, duo verba Christi & nostrum consilium aperiens, & propositæ quæstioni satisfaciens, dicimus autem, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et sine mortuos sepelire mortuos suos.* His animaduersis legitime iniuncta ab Episcopo honeste prosequimini: contra fas porro à quolibet prolata deuitabitis, non inhoneste vtantur suo tempore filij tenebrarum, *filij Belial*, nos filij lucis, filij pacis, qui spem in homine velut fœnum arescente, non ponimus, cum
C patientia expectemus illud prophetæ, *vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani, transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

EPIST. CXL.

BEneficiis liberatoris nostri grates persoluere dignas non sufficimus; etiam membra nostra quæ infernus absorbuisse in vobis visus est, ab eius faucibus erepta, victore Christo lætamur. Verum quod nunc temporis est monemus, vti nostro colloquio perdiscatis quæ appetenda, quæ vitanda vobis sint, priusquam nostri regni principum conuenientibus misceamini, simul etiam aut literis aut fido nuncio significate vtrum tuta videatur vobis ad præsens profectio A. H. atque Ra. ad comitem Ottonem, & quò conueniant.
D

EPIST. CXLI.

DIutius consulendo nihil tutius in commune repertum est, quam à collegio vestri Senioris ad præsens abstinere, si fieri potest honeste: Si autem non potestis maiorum causarum summas attingere, nihil nisi euidenter vtile definire bonum est. Porro omnium bonorum fideliter Ra. feria V. vestrum legatum Siluanectis præstolabitur, & Carnutum profecturus, si laudabitis, & Compendiacum reuersurus si sic annueris.

*Adalberto Episcopus R. & Scholaris Abbas; Constantino suo.*

EPIST. CXLII.

E COngratulamur tibi dulcissime frater, peruasore atque hoste monasticæ religionis, ad multorum salutem humanis rebus exempto. Iusta ergo & si iam patrum tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus eum & nos præsentem tua opera proxime in festo beati Remigij, vt affectus noster à Floriacensibus te faciente paululum ab alienatus, te faciente sit plurimum reconciliatus. Quod si hæc omnia fieri nunc possint, liceat nobis & tua perfrui præsentia, si quid vnquam præstitimus quod placuerit; & si dignaris præstare quod placere possit.

## EPIST. CLXIII.

SI eam quam in maximis rebus beneuolentiam sine affectu contulistis, nunc in minimis causis præstatis, non paruam laudem nec nouum fructum sperare debetis. Laborastis quippe vt liberaremur ab hoste, sed contempti estis modo, quia liberauit nos Dominus de ore leonis. Solitam operam impendite vt imperio Senioris ac Dominæ vestræ ille violentus prædo saltem supellectilem nostram reddere cogatur. Non aurum quærimus, nec massas argenti, sed quibus carere decus est. Dicimus autem aulæa, tapetia, & iis similia, simulque perimus nostram fidem non ex eius fide perpendi, qui nihil vnquam spopondit, quod ratum fore decreuerit.

## EPIST. CXLIV.

SIcut Epistola regij nominis quam vobis misimus cōtinet, monemus, rogamus, obsecramus, vt exequi curetis, cum pro vestra beneuolentia circa nos, tum propter pacem Ecclesiæ Domini pace principum prouenturam, nisi forte desiderabili præsentia vestra frustramur, apud fidos infidi ac suspecti habemur.

*Parisiensi Episcopo Gerbertus.*

## EPIST. CXLV.

ET si omnis Ecclesia Catholica vna atque eadem est, singulis tamen Sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quo se extendere, vbi terminos debeant collocare. Itaque in causa Roberti Abbatis, ob eam quam seruamus ac semper vobis seruare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus. Primum non esse nostri iuris falcem in aliena messe ponere: in quo multiplices rependimus grates etiam indebito dignari nos honore. Secundum, sancti Dionysij cœnobium eius esse reuerentiæ ac dignitatis, vt nullius ibi magistratus debeat deponi aut imponi sine comprouincialium quorum interest consensu ac fauore solemni. Tertium proponimus si rem in dilatione ponitis, vestræ mansuetudini suggerendum quicquid honestius & vtilius cum religiosissimis & amplissimis viris inueniemus.

## EPIST. CXLVI.

DEcimo Cal. Ianua. à Rege acceptam Epistolam fraternitati vestræ direximus per R. æquiuocum patri, in qua vester ac fratris mei aduentus in vrbe Remorum expetebatur, V. Cal. Ianu. regiis legatis obuiam occursuri, qui ex condicto quidem venerunt, sed vos non inuenerunt. Porro exemplar prioris Epistolæ nostræ nunc mittimus, postulantes datum iri subitum responsum voluntatis propriæ simul & actionis.

*Hemma quondam Regina Francorum.*

## EPIST. CXLVII.

ACerba sunt hæc tempora sacerdos Domini quibus sanctissima fides vsquequaque rarescit, sed memento illius quam semper promisistis, quamque à vobis conseruandam credere malim. Moueat vos mea captiuitas, prædonum manus: apud scientem loquor, ego illa Hemma quondam Francorum Regina, quæ tot millibus imperaui, nūc nec vernaculos comites habeo, quibus saltem stipata conuentus adeam tanti ducis Henrici, nec desiderabili præsentia vestra frui licet causa capiendæ salutis atque consilij. Adsitis ergo nostræ causæ differendæ non determinandæ vsque ad mutua verba, de castro Q. G. R. dicimus, nec patiamini fratrem vestrum dici proditorem, quem hactenus probauimus in fide non ficta permanentem. Interea quoniam rerum nostrarum vt scitis procurator, nec redit, nec quid ei obuenerit audiuimus, ne vacua manu redeatis, diu expectatam pecuniam in loculis vestris referte, mercedem ac gratiam ob merita beneficia relaturi cum ex hoc, tum ex aliis sæpe numero collatis.

*Gerbertus Scholaris Abbas Regio Monacho Treuerensi.*

## EPIST. CXLVIII.

PRægrauat affectus tuus, amantissime frater, opus Achilleidos, quod bene quidem incepisti, sed defecisti dum exemplar defecit: itaque & nos beneficij non immemores, difficillimi operis incepimus Sphæram, quæ & torno iam sit expolita & artificiose equino corio obuoluta, sed si nimia cura fatigaris habendi simplici sine interstinctam, circa Martias Cal. eam expecta, nisi forte cum orizonte ac diuersa cœlorum pulchritudine insignitam præstoleris, annuum perhorrescas laborem. Cæterum de dato & accepto inter nostros clientes sic iure constitit, vt nihil redderet qui nihil deberet.

## EPIST. CXLIX.

SAtis quidem moleste absentiam vestram ferimus, sed maiori cura premimur ob ignorantiam earum rerum quæ circa vos geruntur. Nam cuius affectuum sumus participes, eius certe progressus & exitus viarum ignorare minime debemus. Festinate ergo & litteris planum facere quid communiū negotiorum ac priuatorum postmodum egeritis, agatis, mox agere disponatis, simulque significate quid nos facere velitis. In electione Episcopi Kal. Iduum Feb. habenda, qua die & potius pridie vestra præstolabimur responsa, & quid Ansel. apud Comites egerit, & cur eius nuntium adhuc minime viderimus, & vtrum Regem ac Comites prius conuenire debeamus, & si iter ad iniunctum Colloquium Calæ differre debeamus, & si eò venietis, & cuius fauore hæc & his similia, plenissimam fidem ad vos habentibus plena fide deponite.

## EPIST. CL.

GRatuitæ beneuolentiæ vestræ nullis respondemus meritis, quod enim contulimus aliquando Dignū legatione Roderici, hoc solum superest vt intelligamus quoniam dictum sit, nec cuiuspiam Regis & Episcopi commoda vestris ac Senioris vestri commodis anteferamus. Non satis quippe patet vtrum relictis omnibus quæ possidemus, iubeatis sequi vos ac vestra. An quodam genere loquendi spe consolatoria tantum nos releuare velitis ab impetu sæuientis fortunæ. Rex Hugo Francorum, & qui sedem Remorum ambiunt plurima offerunt, sed nulla à nobis adhuc recepta, nec sine vestro consultu quicquam agere molimur, ea gratia Regem adire distulimus, ne forte ab eo rapti vestra imperia refugisse videremur ob dulcissimum affectum cari patris mei Adalberonis omnibus mortalibus anteponenda, quæ in vobis quodammodo intueri desiderabile est. Cætera quæ in nobis meriti essent, & quæ fieri circa vos vellemus, Roderico diligenter exequenda commisimus.

*Gerbertus salutem sibi scribenti sub nomine Reuerendi patris A. Verdunensis Episcopi.*

## EPIST. CLI.

SI de meo statu quæris bona sententia quicunque familiaritatem prætendis, liceat respondere, tua pace me positum in aduersis, virum fortem sequi, non consequi. Cæterum Reip. causas non significo, quoniam quid scribam nescio. Specialia tamen fratris morbo calculi laborantis plenius exequerer, si inuenta à prioribus intueri liceret, nunc particula antidoti philantropos ac eius scriptura contentus, tuo vicio imputa si quod paratum est ad salutem, non seruando dietam, verteris in perniciem. Nec me auctore quæ medicorum sunt tractare velis, præsertim cum scientiam eorum tantum affectauerim, officium semper fugerim.

Remigio

*Remigio fratri, Gerbertus.*

EPIST. CLII.

ID momentum ac ea vis erat D. M. & patris mei Adalberonis in causis pendentibus ex æterno, vt eo interrum principia resoluto in primordiale chaos putaretur mundus relabi. In tãta igitur perturbatione, & vt ita dicam, cõfusione mortalium officiorum inuenior, quid optares, quid peteres, incautius prospexisti. Num in eius modo discrimine republica derelicta demigrandum fuit ad philosophorum commenta, interdum non necessaria? Taceo de me cui nullæ mortes intendebantur: & quod pater A. me successorem sibi designauerat, cum totius Cleri, & omnium Episcoporum, ac quorũdam militum fauore, & quod tantum omnium rerum quæ displicerent, me auctorem fuisse contenderent. Nã amici qui familiaritate beati Patris A. mecum vsi fuerunt, mecumque laborabant, ob tornatile lignum deferendi erant. Patere ergo patienter moras necessitate impositas, ac meliora tempora especta, quibus valeant resuscitari studia iampridem in nobis emortua.

*G. Diuinorum peritissime atque tribus Philosophiæ partibus laureato.*

EPIST. CLIII.

EO quod amantissimæ vestræ dilectionis, omnibus venerandam nobis adiungi volumus excellentiam, & tãti patroni sempiternam nobiscum stabilitatem adoptamus, quia vestræ doctrinæ disciplinata proceritas nostræ simplicitati semper fuit haud fastidiens auctoritas. Attamen vt omni ambage dimota ad vos nudæ veritatis fruamur loquela, iudicauimus, & firmum disposuimus, vt hoc manifestet vobis hæc nostræ voluntatis epistola, quod in hac re sũma nostræ adoptionis & singularis est petitionis, quatenus nobis indoctis, & male disciplinatis vestra solers prouidentia in scriptis, nec nõ & dictis bonæ præter solitum adhibeat studium correctionis, & in rep. consilium summæ fidelitatis. Huius ergo vestræ voluntatis in nõ neganda insinuatione, volumus vos Saxonicam rusticitatem abhorrere, sed Græciscam nostram subtilitatem ad id studij magis vos prouocare, quoniam si est qui suscitet illam, apud nos inuenietur Grecorũ industriæ aliqua scintilla, cuius rei gratia huic nostro igniculo vestræ scientiæ flamma abundanter apposita, humili prece deposcimus, vt Græcorũ viuax ingenium Domino adiutore suscitetis, & nos Arithmeticæ librum edoceatis, vt pleniter eius instructi documentis aliquid priorum intelligamus subtilitatis. Quid autem de hac re vobis agendum placeat, quidue displiceat, vestra paternitas litteris nobis nũtiare nõ differat. Valete. Versus nunquam composui, nunc in studio habui, dum in vsu habuero, & in eis viguero, quot habet viros Gallia, tot vobis mittam carmina.

*Othoni Imperatori.*

EPIST. CLIIII.

DOmino & gloriosio Othoni semper August. Gerbertus gratia Domini Remorum Episcopus quicquid tanto Imperatore dignum. Superemiuenti beneuolentiæ vestræ qua in sempiteroum digni vestro iudicamur obsequio, fortasse votis, sed respondere non valemus meritis Si quo enim tenuis scientiæ igniculo accendimur, totũ hoc gloria vestra peperit, patris virtus aluit, aui magnificẽtia cõparauit. Thesauris ergo vestris nõ inferimus proprios, sed resignamus acceptos, quos partim assecutos, partim vos quamproxime assecuturos indicio est honesta & vtilitate ac vestra maiestate digna petitio. Nisi enim firmum teneretis ac fixum, vim numerorum & in se omnium rerũ continere primordia, & ex sese profundere, non eorum plenam perfectamque notitiam tãto festinaretis studio: & nisi moralis philosophiæ grauitatem amplecteremini, non ita verbis vestris custos omnium virtutum impressa esset humilitas: non tamen animi sibi bene conscij, tanta est subtilitas, eius vt ita dicam oratoriam facultatem & à se, & à Græcorum fonte profluentem oratorie docuistis: Vbi nescio quid diuinum exprimitur, cum homo genere Græcus, imperio Romanus, quasi hereditario iure thesauros sibi Græcæ, ac Romanæ repetit sapientiæ. Paremus ergo Cæsar, Imperialibus edictis, tum in hoc, tum in omnibus quæcumque diuina maiestas vestra decreuerit. Non enim deesse possumus obsequio, qui nihil inter humanas res dulcius aspicimus vestro Imperio.



*Otho Augustus Imperator reuerentissimo Papa Gerberto.*

EPIST. CLV.

QVia diuinitate propria non solum sanguinis linea, verum etiam inter cunctos mortales quadam sui generis eminentia conuertimus affectum, qualitate circa Domini cultum non dispares esse debemus, ideoque nostro animo nostrum metuentes ingenium, hunc, Abbatem Petrum vestro commendamus Apostolatui, vtque honesta & vtilia circa suum Monasterium fore agenda, & a se & à nostro legato cognoueritis, cum omni diligentia exequi studeatis, vt dum martyrũ memorias in commune honoramus, eorum beneficia in commune sentiamus. Valete.

*Otho gratia Domini Imp. Aug. R Comiti.*

EPIST. CLVI.

DIuersa regni negotia interdum cogunt nos incidere diuersa imperia. Hinc est quod Abbatiã sancti Vincentij Capuæ tam ob quarundam rerum necessitudines, nuper Ioanni Monacho donauimus, Rothfrido Abbate, nec adiudicato, nec deposito. Proinde respecta misericordia eidem Abbati Rothfrido concedimus cellam sanctæ Mariæ cum omnibus ad se pertinentibus in Marsi Comitatu, in eo loco qui dicitur Apimaniei, cum reliquis rebus sancti Vicentij in eodem Comitatu positis. Cellam quoque sanctæ Mariæ in partibus Beneuenti in terra Beneuantana sitis. Vnde tibi & Beneuentano Principi præcipimus, vt sicut res vobis vicinæ sunt, ita ob nostram fidelitatem Rothfridum Abbatem eiusdem res tenere sinatis sine vlla contradictione,

*Domina Adelaidi semper Aug. Otto gratia Domini Imp. Aug*

EPIST. CLVII.

QVia secundum vota & desideria vestra diuinitas vobis iura imperii contulit, felici successu, diuinitatem quidem adoramus, vobis vero grates repẽdimus. Scimus enim & intelligimus maternum affectũ & studia pietatis, quibus rebus obsequio vestro deesse non possumus, proindeque, dum promouemur, vester honor attollitur. Remp. per vos promoueri ac promotam feliciter in suo statu regi multum oramus & optamus. Vale,

*Reuerendissimo Papæ Gerberto Otho gratia Domini semper Imperator Augustus.*

EPIST. CLVIII.

QVia temporis difficultate astrictus vestris votis satisfacere nequeo, vehemẽti mœrore afficior. Moueor enim pietatis affectu circa vos, sed matura necessitas suo iure omnia constringens, qualitates Italici aëris, qualitatib' mei corporis quadam sui generis contrarietate opponit. Mutamur ergo solum corpore, vobiscum mansuri mente, vestroque solatio atque subsidio primores Italiæ relinquimus. Hugonem Tuscum vobis per omnia fidum, S. Comit. Spoletinis & Camerinis præfectum cum octo Comitatib. qui sub lite sunt vestrum ob amorem tulimus, nostrumque legatum eis ad præsens præfecimus, vt populi rectorem habeant, & vobis eius opera debita seruitia adhibeant,

*Adelaidi Reginæ.*

## EPIST. CLIX.

DOminæ & gloriosæ Adelaidi Reginæ semper Augustæ Gerbertus gratia Domini Remorum Episcopus, & omnibus suis confratribus & Coepiscopis Remorum Dioecescos bene valere in Christo. Epistola vestri nominis læta principia pertulit, monita salubria habuit, sed tristi fine conclusa est. Suauem quippe animi vestri affectum circa me ostendit, vt ad propriam sedem reditum maturatem admonuit, sed quid sibi voluit tam acerba conclusio? Ita enim se habet. Cognoscite quia si modo huiusce monitis impenditis, viemur nostrorum & rebus & consiliis absque crimine nostri. Me vrbi Remorum præsidente, quando non licuit, licet, & licebit vobis vti consiliis, & rebus mihi commissis. An melius licuit Arnulfo eam obtinente? Sed ille eam vobis dolore & fraude abstulit, ego cõtra multorum dolos & fraudes vobis eam multis vigiliis multoque labore conseruaui. Mirum nunc est vestrorum hostium vos non sentire insidias. Qui enim auulsum ad vestri regni confusionem suæ sedi restituere quærũt, non sibi hoc tutum fore putant nisi me prius qualibet occasione perdant. Quod multum verisimile esse duplici capimus argumento, quia me Remis nuper posito eum absoluere decreuistis, & quia Robertus Abbas vt absolueretur obtinuit, ob confirmandum Senioris mei regis Roberti nouum coniugium, vt mihi à Remensibus per litteras significatum est. Accedit ad hoc discrimen fides à præsentibus Corte Calmiciaca à Gibuino Gibuini nepote peruasa. Infinitus credo erat villarum numerus, nec ad possidendum sufficere poterant Remenses, nisi ad colonias obtinendas imitarentur Cathalaunenses. LX †. digno si Arnulfus absoluendus est & si Gibuinus, & quilibet alius in sede mea intronizandus, reditum meum sine capitis mei periculo intelligese non est. Quod ita esse, sed vos minus animaduertere dubitare non debeo. Noui enim studia vestra omnibus mortalibus prædicanda, noui animi vestri dulcissimos affectus circa me: Quibus si respondere nequeo meritis, respondebo votis. Quo circa vt mea vobis minime ingeram, deque me omnino taceam quem diuina gratia à periculorum immensitate liberat, & in quantũ ad me solum attinet, in omni felicitate disponit & conseruat, per terribile nomen omnipotentis Domini oro & deprecor Remensi Ecclesiæ desolatæ & attritæ si quolibet modo velitis subueniatis. Quæ quoniam regni Francorum caput est, si deperierit, vt membra sequantur necesse est. At quomodo non deperit, quæ sub nomine duorum quasi inter malleum & incudem, disposita, dum eorum neutrum Rectorem approbat, velut inter vndas maris sine remige fluctuat? Quid porro fieri putatis, si tunc eius sine iudicio Ecclesiæ, ad numerum accesserit? Neque vero hoc loquor, tanquam augur aut diuinus. Memini & iam meos conspirasse non solum milites, sed & clericos, vt nemo mecum comederet, nemo sacris interesset. Taceo de vilitate & contemptu, nihil dico de grauissimis iniuriis, sæpe mihi à pluribus illatis, ad hæc vt redeam prouocatis, & vt grauiora patiar, minas superaddit Epistola.

*Constantino suo Gerbertus Scholasticus.*

## EPIST. CLX.

VIs amicitiæ pœne impossibilia redigit ad possibilia. Nam quomodo rationes numerorũ abaci explicare contenderemus, nisi te adhortante, ô mi dulce solamen laborum Constantine? Itaque quum aliquot lustra iam transierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerum habuerimus, quædam repetita memoria eisdem verbis proferimus, quædam eisdem sententiis. Nec putet Philosophus sine litteris hæc alicui arti vel sibi esse contraria: Quid enim dicet esse digitos, articulos minuta, qui auditor maiorum fore dedignatur? Vult tamẽ videri solus scire, quod mecum ignorat: vt ait Flaccus. Quid cum idem numerus modo simplex, modo cõpositus: nunc digitus, nunc constituatur vt articulus? Habes ergo (talium diligens inuestigator) viam rationis, breuem quidem verbis, sed prolixam sententiis, & ad collectionem interuallorum & distributionem in actualibus geometrici radij secundum inclinationem & erectionem in speculationibus & actualibus simul dimensiones cœli & terræ plena fide comparatam.

*Hac Epistola præficitur libello suo de Numerorum diuisione, cuius initium est.*

## DE SIMPLICI.

SI multiplicaueris singularem numerum per singularem, dabis vnicuique digito singularem, & omni articulo decem, diserte scilicet & conuersim, &c.

*Finis Epistolarum Gerberti.*

DECRETVM

## DECRETVM ELECTIONIS SILVESTRI SECVNDI.

*IN nomine sancta & indiuiduae Trinitatis. Otto seruus Apostolorum, & secundum voluntatem Dei Saluatoris Romanorum Imperator Augustus. Romam caput mundi profitemur, Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur, sed incuria, inscientia Pontificum suæ claritatis titulos obfuscasse. Nam non solum quae extra vrbem esse videbantur vendiderunt, & quibusdam colluuijs à Lare sancti Petri alienauerunt, sed quod absque dolore non dicimus, si quid in hac nostra vrbe regia habuerunt, vt maiori licentia euagarentur, omnibus iudicante pecunia in commune dederunt, & sanctum Petrum & sanctum* Paulum*, ipsa quoque altaria spoliauerunt. Confusis vero Papaticis legibus, & iam abiecta Ecclesia* Romana *intantum quidam Pontificum creuerunt, vt maximam partem imperij nostri Apostolatui suo coniungerent, iam non quaerentes quae & quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt, sed sua propria, vt pote ab illis ipsis dilapidata dimittẽtes, quasi culpam suam in imperium nostrum retorquẽtes, ad aliena, id est ad nostra, & nostri Imperij maxime migrauerunt. Haec enim sunt commenta ab illis ipsis inuenta, quibus Ioannes Diaconus cognomento digitorum mutuis praeceptum aureis literis scripsit, sub titulo magni Constantini, longi mendacij tempora finxit. Haec sunt etiam commenta quib. dicunt quendam Carolum sancto sed Petro nostra publica tribuisse, ad haec respondemus ipsum Carolum nihil dare iure potuisse, vt pote iam à Carolo meliore fugatum, iam imperio priuatum, iam destitutum & annullatum: Ergo quod non habuit dedit, sic dedit, sic nimirum dare potuit, vt pote qui male acquisiuit, & diu se possessurum non sperauit. Spretis ergo commentitijs praeceptis & imaginarijs scriptis ex nostra conferimus: sicut enim pro amore sancti Petri Dominum Siluestrum Magistrum nostrum Papam elegimus, & Deo volente ipsum serenissimum ordinauimus & creauimus, ita pro amore ipsius Domini Siluestri Papae, Sancto Petro de publico nostro dona conferimus, vt habeat Magister quid Principi nostro Petro à parte sui discipuli offerat. Octo igitur* Comitatus *pro amore magistri nostri Domini Siluestri* Papae *Sancto* Petro *offerimus & donamus, vt ad honorem Dei & sancti* Petri *cum sua & nostra salute habeat & teneat, & ad incrementa sui Apostolatus, nostrique* Imperij *ordinet. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus,* Pisaurium, *Fanum,* Senogalliam, *Anconam, Fossabrum, Gallihesi & Ausimum, vt nullus vnquam ei & sancto* Petro *audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare. Quicumque vero praesumpserit, omnia quae habet amittat, & sanctus* Petrus *quae sunt sua recipiat. Vt hoc autem in aeternum ab omnibus conseruetur, hoc praeceptum manu nostra diu Deo adiutore confirmauimus, & nostro Sigillo praecepimus insigniri, vt sibi suisque successoribus valeat.*

### *DE GERARTO. IN VITA IOANNIS 17. vulgo 18. Pontif. Rom.*

ACcersiuit imperator Otho tertius Gerbertum Rauennæ Archiepiscopum, & constituit illum Romanorum Pontificem: isque Gerbertus è Galliis oriundus extitit, maiorum etiam gerens prosapiam virorum, sed tamen ingenio acerrimus, artiumque liberalium studiis plenissime institutus: proinde Remorum etiam primitus à Rege Francorum Hugone fuerat confirmatus Pontifex, sed quoniam vt diximus valde erat acer & prouidus, intelligens, Arnulphum eiusdem vrbis Archiepiscopum, quo viuente ordinatus fuerat, ex consensu eiusdem Regis niti in pristinam reformari sedem, caute iter arripiens ad prædictum deuenit Othonem, qui satis honorifice ab eo susceptus, quem etiam statim Rauennæ, inde vero vt diximus, in Romanæ vrbis sublimauit Pontificem. Antequam autem peruenisset ad hus Magistratuum apices, multi scire cupient quis fuerit Gerbertus: & his quidem respondere possim ex libello Ademari qui Monachus apud Lemouices fuit. Gerbertus, inquit, natione Aquitanus Monachus Auriliacensis Ecclesiæ S. Gerardi ab Imperatore propter doctrinam cognitus, Archiepiscopus Rauennæ efficitur. Sed in eius vita quæ nunc occurrit plura de eo dicemus.

## *VITA SILVESTRI SECVNDI, P. MASSONO authore in Vitis Pontificum Rom.*

HVNC ex Monacho Floriacensi, quod est monasterium ad Ligerim flumeo nō procul ab Aurelia celebri vrbe Galliæ, quis vnquā credidisset ad Remensem Episcopatū, mox ad Rauennatē, denique ad Romanū esse peruenturū? delectū ad dignitatē Episcopi Remorū, Arnulphi odio, & fauore Hugonianæ gentis enm fuisse cōstat, etsi electionis verba aliter sonāt, quæ huiusmodi sunt. Sēper quidem dilectissimi fratres iudicia Dei iusta suot, sed interdū occulta. Ecce enim post dissolutionē beatæ memoriæ patris Adalberonis, quendā ea Regio semine prodeuntē nobis Ecclesiæque Remēsi præfecimus, & clamore multitudinis impulsi, scriptura dicēte, vox populi vox Dei: & Sanctorū canonū institutis, desideriū ac vota cleri ac populi in electione Episcopi perquirentium, caligauit acies mētis nostræ, literam incaute sequēdo, concordem sententiā diuinarum scripturarum parum inuestigādo: nō erat quippe vox Domini, vox clamantis crucifige, crucifige, ergo nō omnis vox populi, vox Domini est nec omnia cleri & populi vota & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt: sed tantū simplicis & incorrupti, & spe quæstus minime illecti. Sententia parū id exponit; Nō liceat, inquit, tibi bis electionē facere eorū, qui ad sacerdotium promoueantur: sed iudicium sit Episcoporum, vt ipsi eum qui ordinandus est probent si in sermone & fide & in Episcopali vita edoctus est. Nos igitur Episcopi Remorum diœceseos secundum has cōstitutiones patrum fauore & cōniuentia vtriusq; principis vestri, Domini videlicet Augusti, & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorū qui Dei sunt in Clero & populo elegimus nobis Archiepiscopū Abbatem Gerbertum, ætate maturum, natura prudētem, docibilem, misericordem. Nec præferimus illi vagā adolescentiam, ambitionē se extollentem, omniaq; temere ministrantem, cuius sapiētia & consilio Ecclesiastica ac ciuilia iura administrari non posse scimus. Cōque in vno quoque Episcopo sit hoc speculandū, maxime tamen in eo qui cæteris præest Metropolitano. Eligimus itaq; hunc Gerbertum. Huius vitā ac mores à puero nouimus, studiū in diuinis ac humanis rebus experti sumus: huius consiliis ac magisterio informari quærimus, eius electionē subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorū consultu. *Verum quā Clerus sibi ipsi repugnet, assequemur ex Verbis electionis Arnulfi quæ huiusmodi sunt.* Sāctæ & vniuersali Ecclesię Catholicæ salutē dicūt filij Remorum Metropolis diœcesis. Patre nostro Adalberone sensus corporeos relinquēte clarum lumē pastoris amisimus, præda hostium facti sumus. Itaque dū molimur, conamur tāti viri resarcire ruinas, elapsa sunt canonica tēpora, violatæ sunt leges, quibus cauetur nullā sedem amplius triginta dierum spatio vacare licere, nunc que tandē pulsantibus diuina lux apparuit, & quid sequeremur ostendit, depulso Antichristo & simoniaca hæresi damnato. Nos qui dicimur Episcopi diœceseos Remorum Metropolis cū omni clero diuersi ordinis, populo acclamante, orthodoxis Regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in Præsulem virum pietate præstantem, fide insignem, constātia mirabilem, in cōsiliis prouidum, rebus gerēdis aptum, in quo hæ virtutes quæ sic relucent in iudicio, abesse nō posse manifestū est. Arnulfum dicimus Regis Lotharii filiū, quem eligimus, hic ortum, hic educatum simoniacæ hæresis expertem, à factione tyrānica remotum, sua cuique iura debita reddentē. Sint procul ab electione nostra dolus & fraus, nec putent eum

A ad se pertinere filij Belial, filij pacis & concordiæ Stabilem & solidam in perpetuum faciant confirmando, corroborando, subscribendo: Gerbertus igitur fauore regiæ gentis, & Arnulfi, vt diximus odio Episcopatum Remorum obtinuit, sed eo deiectus auctoritate Ioannis Romani Pontificis, ad maiores Magistratus dignitatesque peruenit: vt verum sit illud antiqui scriptoris: *Sæpe eueniūt quæ sperare nō audeas.* Quādo enim & quomodo sperare poterat se adepturum Rauennatem Archiepiscopatum, mox summi Pontificis nomen & Episcopi Romani? Quas tamen dignitates fauore Othonis tertii cuius doctor fuisset, obtinuit, ac dignus, profecto fuit, si eruditionem & scientiam æstimare libet, illo præmio virtutis. Nam præter Theologiæ & diuinarum rerum cognitionem Mathematicas quoque artes & Philosophiæ arcana exacte didicerat. Sed plurimum miramur confictam de eo fabulam mortalium aures ita pe-

B netrasse, vt nunc quoque euelli ea plurium mētibus nō possit. Ex Synodo Romæ habita Ruso magno, & Fausto Ameno viris clarissimis Coss. in qua erant Calius Symmachus, & Theodorus serenissimus Rex Gothorū, hæc verba reperio. Dum esset Synodus in Hierusalem, Basilica Sessoriani palatij, quem locum ignoratum esse Gerberto viro doctissimo turpe esset dicere. Ergo verissimile est Romanum Pontificem in loco sibi ignoto Sacra fecisse, & Hierusalem nescisse locum esse Romanum? & ignorasse poëticum illud,

*Aio te Æacida Romanos vincere posse?*

Itaque hæc fabula verisimilitudine caret, præsertim cū tumulus eius ostendatur in Basilica Laterani, & elogium quod Sergius successor locandum curauit, quo Syluestri memoria, resque eius laudabiliter gestæ continen-

C tur.

*Iste locus mundi, Syluestri membra sepulti*
*Venturo Domino conferet ad sonitum:*
*Quem dederat mundo celebrem doctissima virgo,*
*Atque caput mundi culmina Romulea.*
*Primum Gerbertus meruit Francigena sede,*
*Remensis populi Metropolim patriæ,*
*Inde Rauennatis meruit conscendere summum*
*Ecclesiæ regimen nobile, sitque potens.*
*Post annum Romam mutato nomine sumpsit,*
*Vt toto pastor fieret orbe nouus.*
*Cui nimium placuit sociali mente fidelis,*
*Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.*
*Tempus vterque comit clara virtute sophiæ,*
*Gaudet, & omne seclum frangitur omne reum.*
*Clauigeri instar erat cælorum sede potitus*
*Terna suffectus, cui vice pastor erat.*
D *Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit,*
*Lustrali spatio sæcula morte sui.*
*Obriguit mundus discussa pace triumphus,*
*Ecclesiæ mutans dedidicit requiem.*
*Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos*
*Successorque suus compsit amore sui.*
*Quisquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis,*
*Omnipotens Domine, dic, Miserere sui.*

Ergo quis de Syluestro dubitare audeat, & fidem tāto mendacio adhibere? cum legerit hunc locum Ditmari grauissimi optimique scriptoris, qui illis ipsis tēporibus, quibus Gerbertus præerat sedi Romanæ in Germania viuebat. Superius inquit, de vniuersa Papa Brunone disputans, cum successorem eius Gerbertum tātum nominarem, vt de eo aliquid latius scribam, non incongruum est. Erat is natus de occiduis regionibus

,, gionibus, à puero arte liberali nutritus, ad † Vltimum ,, Remensem vrbem ad regẽdum iustè promotus: opti- ,, mè callebat astrorum cursus discernere, & contempla- ,, tores suos variæ artis notitia superare. Hic tandè à fi- ,, nibus suis expulsus, Othonem petiit Imperatorem, & ,, cum eo diu conuersatus, in Magdaburg horologium fecit, illud rectè constituens, considerata per fistulam quadam stella nautarum duce. Hæc quidem Ditmarus histor. lib. 6. atque huius fabulæ inuentorem suspicor Bennonem presbyterum Cardinalem. Is enim odio Hildeprandi multa quoque de prædecessoribus eius fingit, quos ob Mathematicas disciplinas velut maleficos damnat, & hanc de Syluestro fabulam narrat, pontificatum eius breuiorem faciens quàm fuerit. Quinquennio enim, vt Sergius testatur, Episcopatum gessit. Igitur de Syluestro nihil aliud dicam, nisi quod legi codicem Epistolarum eius ad Robertum Regem Francorum, Othonem tertium, & alios illius temporis præstantissimos viros, quæ aliquando erumpent in lucem, eruditæ enim & rerum verborumque elegantia instructæ

A sunt, vt nihil aliud quàm legi & videri velint. Constitutiones quidem eius neque à Gratiano citantur, neque ab vllo illius vel superiorum temporum scriptore præter vnam, quam Ademarus Monachus sancti Martialis Lemouicensis recitat in hunc modum: Vuido vicecomes Lemouicẽsis capto Grimoaldo Episcopo pro ,, Monasterio Branthomiensi: quod ab eo exposcebat, ,, in turre Lemouica eum captiuum tenet. Sed dimissus ,, Iuata conditionem Vuidonis, Romam adiit, & Gerber- ,, tum Papam Syluestrum nũcupatum interpellauit. Ibi ,, Vuido euocatus est ad iudicium corã Papa: causa ipso ,, B die Paschæ vẽtilata, à Papa senatuque iudicatũ est, vt ,, omnis qui Episcopatũ captiuaret, equorum indomi- ,, torum ad colla pedibus ligatus disrumperetur, & de- ,, mum à feris laceraretur. Vuido autem comes Episco- ,, po Grimoaldo traditur ad custodiendum post diem ,, tertium tradendus ad pœnam. sed inter se concordan- ,, tes amici facti sunt, & ante diem condictum clam Ro- ,, ma egressi, reuersi sunt ad propria. ,,

# EPISTOLAE STEPHANI X. NICOLAI II. ET ALEXANDRI II.

## Pontificum Romanorum, ad Geruasium Remensem Archiepiscopum.

*Nunc primum Cleri Galliæ auspicijs editæ.*

E. BIBLIOTHECA PAPIRII MASSONI.

### EPIST. I.

C

STEPHANVS Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Remensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Promotioni nostræ, sicut nobis scripsisti, non ambigimus te congratulari. Amicitiam quoque sinceram & volumus & optamus inter nos fore perpetuam. Porrò obedientiam fidelitatemque quam nobis polliceris te integerrimè seruaturum, si vt debes & vt decet seruaueris, facis quod faciendum optimè scis: quia principalem & communem matrem, non modo nos, reuereris in nobis. D De Concilio autem Remis habendo quid aliud dicendum, nisi quod beatæ memoriæ domnus Victor Dei iudicio hinc est raptus; & quod tu, sicut inter vos conuenit, non remandasti an in hoc esset Regis consensus. Sed & de Bituricensi Archiepiscopo, quia dilectus filius noster Hildebrandus, cui illius causa maxime nota est, abest, hoc tantum respondemus, quod eo reuertente, & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc quàm ex aliis Ecclesiasticis negotiis tuum consilium habebimus. Denique non est nostræ cautelæ de alterius illicita sustentatione, sed diuinæ prouidentiæ. Ne deficias aut frangaris, si aduersarios pro fidelitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, immo pro sanctorum canonum de- E fensione pateris: sciens secundum Apostolum quod in hoc positus sis. Auxilium enim nostrum & consilium tibi pro iustitia agonizanti tempore nostri pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit: & secundo quod oras, orabimus Dominum Iesum, ne à bono proposito aliquando decidas. Cæterum Romæ quintodecimo die post sanctum Pascha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum suffraganeis eius volumus, & auctoritate Apostolica iubemus interesse absque ineuitabili necessitate.

### EPIST. II.

NIcolaus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili Archiepiscopo salutem cum benedictione Apostolica. Licet de vestra fraternitate quædam sinistra, nec sine discussione dimittenda, peruenirent ad Apostolicam sedem: scilicet quod eius inuasoribus fauerit, quod pontificales actus postposuerit: Tamen quia testimonio non leuis personæ defenderis, sed potius de fidelitate sancti Petri laudaris, præmissa transimus, & vt verum sit de vobis testimonium optamus. Vos autem omni conamine studete ita viuere, vt vestri non habeant inimici, vnde nos possint in vos contristare. Scitis enim, quàm benigna vobis fuerit communis mater sancta D Romana Ecclesia; quamque de te magna ei fiducia, vt tua solertia Francorum posset succurrere penè lapsæ Ecclesiæ. Proinde agere stude quod de te sperauit Apostolica sedes: & vestrum Regem gloriosum castiga, precare, ammoue, ne peruertatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant se Apostolicam censuram euadere: caueatque sacris canonibus, immo beato Petro resistere, nosque qui eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se mouere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut est quem voluit ordinari Matisconensis Episcopos, vult Deum & Sanctum Petrum offendere; nostram charitatem atque sinceram dilectionem circa se paruipendere. An putat aliquis membro- E rum Antichristi, quod plus non possit ei prodesse gratia beati Petri, quàm omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus Rex vt liber contra nos, quia nos pro illo eiusque exercitu Deum semper precari parati sumus. De Duce vero Gotifrido nemo vos terreat, cùm fuerit opus vos venire Romam, quia non tantum vobis impedimẽtum non faciet, sed etiam fideliter seruitium impendet. Salutant vos charissimi fratres nostri Cardinales Episcopi, nec non humilitas filij nostri Hildebrandi.

## EPIST. III.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili Archiepiscopo Remensi salutem & Apostolicam benedictionē. Audiuimus relatione multorum, quòd Belnacensis Episcopus contra statuta canonum, sine vobis, & sine vestro assensu fuerit consecratus, immò exsecratus, & quod peius est, ad Episcopatum sublimatus. Accingimini igitur, & fulti hac nostra auctoritate, ea parte omnipotentis Dei, auctoritate beati Apostoli Petri, omne Episcopale officium sibi, vsque dum ad Romanam synodum in tertia septimana post Pascha ante nos discutiendus veniat, interdicite. Si autem in aperto res est, quod pecuniam dederit, omnibus Beluacensibus clericis ac laicis, vt sibi ante prædictum nostrum iudicium non obediant, sub excommunicatione prædicti Apostoli Petri auctoritate interdicite. Non enim ob hoc promotus est, vt sit Episcopus, vt beatus Gregorius dicit, sed vt fiat lupus, & sanctæ Ecclesiæ inuasor & detestandus hæreticus. Siluanectensi enim vestro suffraganeo Episcopo, si eum pecuniam dedisse præsciuit, & vestrum assensum in maledictionis hærede benedicendo non habuit, similiter omne Episcopale officium, vsque dum ad prædictam synodum veniat, & nobis & tibi dignè satisfaciat, beati Apostoli Petri auctoritate interdicite.

## EPIST. IIII.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, Geruasio Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo salutem & C Apostolicam benedictionem. Quoniam nobis commissum est, & auctoritate beati Petri traditum, supra quem fundamentum vniuersalis Ecclesiæ solidatum est, quatenus & errata corrigamus, & membra nostro capiti cohærentia, ne dissonent, studeamus, tibi, vt pote velut de nostris & sanctæ Romanæ Ecclesiæ membris, paternè intimando præcipimus, quatenus per te, quem in gremio matris tuæ, vniuersalis videlicet Ecclesiæ, conclusum esse speramus; ne Virdunensi Ecclesiæ quæ nobis commissa est cum fratribus, quicquam iniuriæ tàm per te quàm per tuos inferre à modo patiaris. Quod autem contra eiusdem Ecclesiæ fratres nunc nuper, & tu, & tui, damni & iniuriæ intulistis, communiter & sanctæ Ecclesiæ Romanæ causa, & nostri amore emendare te, D omni occasione remota, amonendo iubemus, hoc est prædam de Postuiler, quæ potestati tuæ contigit, & de Mecla, quā Engobrandus deprædatus est, prædæ, cuius numerus infrascriptus est, ducenta sexaginta quatuor animalia, Clericos autē de eadem Ecclesia Cannnicos, nulla interueniēte mora, recludi à captura præcipias, vt pro hac & prædictis rebus studiosè peractis, & gratiam Apostolorum principis, & nostram habere promerearis.

## EPIST. V.

Nicolaus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Quia referente filio nostro G. te in fidelitate beati Petri persistere, eiusque auctoritati per omnia reuerētet adsurgere comperimus, paterna charitate sicut charissimum filium amplectimur, & amplectendo toto mentis affectu diligimus. Denique quamdiu te fidelem filium exhibebis, nostra paternitas tibi nusquam deerit, immò debita charitate suffragabitur, nostraque auctoritate incessanter tuebitur. Quòd de Episcopo Siluanectensi nobis per filium nostrum mandasti, quia canonicum est, cum eodem filio nostro tibi concedimus. Neque enim iustitiæ contraire volumus, pro qua mori, si necesse sit, lucrum putamus. Cæterùm de nostro aduentu in Franciam, nullam ad præsens tibi scribimus certitudinem. Cùm autem ad te noster filius venerit, ipse tàm de hoc quàm de omnibus aliis te certificabit. Mandamus autem & præcipimus quatinus cum Duce charissimo filio nostro pacem ineas, vt tui ad nos secu- A re valeant venire, nosque eos possimus audire: nolumus etenim duos tam charissimos filios in discordia manere.

## EPIST. VI.

Alexander seruus seruorum Dei dilectissimo fratri Geruasio Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectionis tuæ literas diligenter accepimus, & gratanter amplectentes, intento mentis intuitu charitatiuè perspeximus. Sed querelis & doloribus plenas cernentes, charitatiuè compatimur, & condolemus; tum quia Ecclesia tua antiquitus inter cæteras Occidentales, Deo propitio, nitore prudentiæ atque religionis resplenduit, ac per Apostolicam, cui Deo au- B tore licet indigni desetuimus, sedem magnificata emicuit; cum eadem, à prioribus patribus & prædecessoribus nostris non discrepans, in sinu suo te retinere, & charitatis dulcedine fouere desiderat. Quæ querelæ, & si inter damna Ecclesiæ quæ referunt, inter dolores & gemitus cordis tui, quos depingere contendunt, salem pectoris tui & fidelitatem, quam nostræ Romanæ adhibes, & vnicam & sinceram dilectionem, quam tuæ Remensi seruas Ecclesiæ, satis vrbanè & honestè monstrauerint: nos tamē vt cumque arguunt, quia vindicem gladium manu Apostolicæ vltionis in aduersarios tuos iam porreximus. Siquidem antiqui hostis inuidia antichristum per iniquitatis conceptionem suorum viscerū egerens de sentina, tantis eo ingruente Romanam Ecclesiam per quinquennium, nunc callida tergiuersatio- C ne, nunc hostili inuasione oppressit periculis, vt intestina nostræ specialis Ecclesiæ negotia via possemus ventilare, nedum longinqua ad plenum extricare. Verùm post longam tempestatem, & crebras procellas sereno, nube expulsa Deo iubente, reddito, forensibus iam occurrere valemus: quia, Deo propitio, vnde ire debeamus, viam videmus. Non tamen iustè, vt vestra diligentia nouit, potest fieri, vt priùs quis à quoquam Prælato excommunicetur, quàm missa Synodica canonicè ad respondendum vocetur. Age modò debitum tentes ordinem, & aduersariis tuis vocatorias literas dirigemus, & tibi, tuæque Ecclesiæ iustitiam exequi proculdubio pollicemur. Quapropter quia, vt aiunt, numquam consequimur victoriam nisi prius præcedat pugna, vt tuæ sicut amantissimus sponsus & egregius D patronus Ecclesiæ viriliter subuenias, & Romanæ per beatum Petrum, velut bonus filius, strenuè adiuuando obedias, & vineæ Domini indefessus collaborator centenum fructum tempore messionis recipias; ad Synodum, Deo annuente, quinto decimo die post proximum Pascha, cum præsentiæ tuæ dilectione celebrandā sanctitatem tuam venire desideramus, ac sancto conuentui interesse Apostolica autoritate inuitamus. Ad hæc si dilectus filius noster Petrus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, & noster Cancellarius, quem pro responsis Ecclesiasticis vestras ad partes misimus, per vos transierit, Ita erga eum se tua fraternitas habeat, vt quemadmodum nos diligat ostendat. Quod autem citius apicibus tuis non respondimus, non nobis, sed tui legati ni- E miæ depotes festinationi.

## EPIST. VII.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Remensi Archiepiscopo fratri charissimo salutem & Apostolicam benedictionem. Si sacerdotale, quod administramus, officium mentis integritate pensemus, sic nos cum filiis nostris indiuiduæ charitatis debet vnire concordia, vt sicut patres in nomine, ita affectu probemur in opere. Ideóque desideramus, vt quos diuersitas volūtatis ab alterutra dilectione facit esse diuisos, eos ad concordiam redeuntes charitas faciat esse in gratia vnitos. Literas itaque sanctitatis vestræ suscipientes

pientes solita diligentia relegimus, in quibus continebatur controuersia, quæ inter vos & clericos vestros M. & A. vertitur, & damna quæ M. & R. Comites Ecclesiæ vestræ atque Canonicis inferunt. Vnde ipse professus es te ante legatos nostros aut satis faciendo corrigere, aut plenissimè purgare, Qua propter dilectionem tuam intentè hortamur, vt ante legatos nostros P. sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarium atque V. Cardinalem presbyterum, si ipsi adesse potuerint, congregatis suffraganeis tuis, admisso etiam Laudunensi, cui instans negotiũ commiseramus, Episcopo, ita æquitatis lance terminetur, vt neutra pars de iustitia amplius causetur. Illi tamen, quia ad beatissimi Petri sacratissimum corpus venerunt, in quo totius Christianitatis est singulare refugium, sibi sentiant adesse præsidium: quo per nos nõ videamini moti ad iracundiam, quia si proximorum necessitatibus benigna mente compatimur, nostris proculdubio petitionibus clementem Dominũ reperimus. Ita ergo frater beatissime stude, quatenus dum ad Synodum, ad quam pro adiutorio sanctæ Ecclesiæ inuitatus es, Deo auxiliante veneris, de his expeditus, solum modo ad Ecclesiastici negotij vaces cõsilium, & sanctæ tuæ vniuersali matri Ecclesiæ, vt prudentissimus consiliator, & fortissimus propugnator, contra hostes suos vltionis atq; defensionis impẽdas auxilium. Comitibus autem illis, qui Ecclesiæ tuæ aduersantur, iterum scripsimus, vt aut ante legatos nostros male, quæ Ecclesiæ tuæ intulerunt, satisfacientes dignè emendando corrigant, aut ad præfatam Synodum omni posthabita occasione ad respondendum de obiectis veniant: Vbi si rebelles fuerint, quod iustum visum fuerit decernemus, & officium nostrum adimplere non omittemus. Præfatos autem legatos vestræ benignitati iterum commendamus, quos tamen à fraternitate tua honestè tractari non dubitamus.

## EPIST. VIII.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili confratri Remorum Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Miramur diligentiam tuam, dilectissime frater, auctoritatem nostram ita parui pendere, vt ea quæ crebris orationibus nostris dignè admoneris atque rogaris, minime videaris perficere. Si enim aliquis in tui auxilij fauore confisus, à partibus nostris ad te veniendi fatigiũ arriperet, & in confidẽtia sua deceptus nihil proficeret, credimus quòd charitas tua non parum doleret. Vt enim de patientia nostra interim taceamus, qua fiducia beatissimum Petrum, cœlestis regni clauigerũm in tuis petitionibus vales inuitare; cùm iam per biennium ij, qui eius patrocinium longis itineribus grauibusque laboribus petierũt; fere nihil, nobis vice sua instantibus, adhuc potuerunt impetrare? Cùm enim in hac petra, in qua Christi Ecclesia ædificata est, singulare sit refugium tribulantibus constitutum, vt qui ad eam confugiunt semper soleant inuenire solatium: huiuscemodi tempore nostro euacuari Romanæ Ecclesiæ priuilegium, dissimulando ferre non possumus. Quapropter fraternitatem tuam his nostris affatibus diligenter admonemus, atque admonentes præcipimus, vt ita te nunc in causa Manasse & Amalrici, Ecclesiæ tuæ clericorum pium reddas, ita benignũ exhibeas, quo vlterius aures nostræ inde querelam non audiant: quatenus sicut in vno cœpisti restaurationem, ita iusta executione perficias in vtroque: quia non incipientibus, sed perseuerãtibus promittitur præmium. Si autẽ in hac re verba nostra tibi leuia fuerint, amicitia inter nos durare non poterit.

## EPIST. IX.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Remensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Licet Carnotensium causam contra præceptum sanctæ Apostolicæ sedis, & pristinæ

rectitudinis tuæ zelum, reprehẽsibiliter neglexisse
A proceris: tamen quia messis multa, & operatij pauci ad definienda Ecclesiastica negotia, quæ nobis deferũtur; prudentiã tuam nobis cooperatricem esse exposcimus. Præsentiũ itaque portitoris lachrymabiles querimonias audientes, compassionem vt oportuit exhibuimus. Deplorauit enim se honore propriæ Abbatiæ, altero simoniacè subrogato, priuatum: seque nullam inde iustitiã consequi potuisse. Literas etiam Blandinensis cœnobij nobis attulit, quòd quidam Euerelmus monasterium illud simoniacè inuaserit, ipsiusque bona eiectis monachis ad nihilũ redegerit, vitamque suam adulterijs varijsq; criminibus vltra humanã consuetudinẽ polluerit. Ammonemus itaque charitatem tuam, vt vtrũq; inuasorem conuenias, & si res ita est, hanc præsũm prionem
B in partibus illis vlterius locis venerabilibus obesse nõ permittas. Quod si præfati inuasores canonicæ rationi acquiescere contempserint, & quibus debentur ipsa monasteria dimittere noluerint, nostra eos Apostolicã autoritate studeas cum omnibus fautoribus suis excommunicare.

## EPIST. X.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo confratri Geruasio Remẽsi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Visis fraternitatis tuæ literis, euidenter intelleximus, eam matri suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinceram compassionem exhibere, ipsamque si facultas daretur, præsentiã
C corporis velle visitare. Et quia sollicitudinem tuam eiusdem prosperitate lætari, quemadmodum de infortunio contristari non dubitamus: annuntiamus tibi, diuina suffragante clementia, Cadoli præsumptionẽ extollentem se aduersus Apostolicam sedem, tanto amplius ad maiorem sui ignominiam deuenisse, quãto ipse sperauerat altioris superbiæ culmen ascendisse. Si quidem proprij nominis etymologiã euidenter intelligẽs, ad reparãdam pecuniam, in periculum capitis sui à fautoribus suis distributam, eiusdem turris præsidio gemebundus seruatur. Vnde per misericordiam Dei speramus nullo modo posse euadere: donec quicquid contra sanctum Petrum nequitia sua præsumpsit, satisfecerit digna emendatione. Quod igitur simoniacæ hæreseos pestem, quæ in partibus illis vires adhuc obtinet
D eius dolis, velle insequi significasti; non parum deuotionis tuæ studio congaudemus. In quo nimirum adeò specialem dilectionem à nobis, & à filiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ promeruisti, vt à nonnullis te odio habentibus odium quoque nobis euidentibus indicijs exhiberi declaretur. Super A. Aurelianensem denique, qui simoniacè Episcopatum obtinuisse, & inde periurium tribus aliis sibi adhibitis incurrisse probatur, sententiam dare Archiepiscopum Senonensem literis nostris ammonuimus. Quem nimirum vt cum ipso conuenias, & negotium illud pariter agas, Apostolica auctoritate hortamur. Abbatem quoque sancti Medardi, iampridem excommunicationis vinculo innodatum, omnimodis operam dare studeas vt de Abbatia, quam
E iniustè tenet, eiciatur, & alter dignè & canonicè substituatur. Cætera verò, quæ in literis tuis continentur, ad præsens distulimus, præsertim cùm in præsentia tui, quam desideramus videre, id melius fieri existimamus. Non enim panis securi, neque arbor cultrò scindi solet. De causa autem Amalrici iterum & iterum te admonemus, vt quod in apertis literis nostris continetur, omni studio, omnique sollicitudine peragas.

## EPIST. XI

ALexander seruus seruorum Dei Geruasio Remensium diligentissimo Archipræsuli, atque in Christo dilectissimo fratri salutem & Apostolicam benedictionem. Visis fraternitatis tuæ literis, Coepiscoporum quoque tuorũ, necnon & clericorum flebilibus auditis

querelis, sensibiliter intelleximus quàm maximis cladibus & ærumnis præter solitum Remensis gloriosissima opprimatur Ecclesia; quamquoque tua religiosa dilectio immerito versetur incommodo. Quapropter vera affecti compassione; tum ea loci, cui immeriti præsidemus, sollicita consideratione; tum etiam ex tuæ prudentiæ necessitudine, quam pio diligimus sinceri cordis amore, graui gemitu detrimento tuæ condolemus Ecclesiæ: nec non fatigio tuo, charissime, proculdubio compatimur præcipue. Auxilij quoque dexteram, quam à nostra tantopere postulare studuisti Apostolica sede integro affectu prompti sumus pro viribus nostris, proque temporis qualitate necessitati tuæ benignè impendere; atque Apostolicæ auctoritatis clypeũ omnibus Remensi Ecclesiæ aduersariis libenter opponere, sed prænuncij tui festinatione, qui se asserebat collegas nullo modo posse relinquere, tuæ causæ habile, vtpote in momento temporum, minimè tunc, absentibus etiam nostris fratribus Cardinalibus, reperire valuimus consilium. Ipsi autem post paululum, tuæ legationis communicata supplicatione, & aptum consilium inuenire, & inuentum vna cum legato, quem à latere nostro poposcisti, auxiliante Deo, quàm citius poterimus curabimus partibus vestris dirigere. Interim vero hanc nostram responsionem suffraganeis tuis Episcopis, qui similiter nostrum per literas implorauerunt suffragium, suæ matri Ecclesiæ Remensi intimare ne negligas, Apostolicæ sedis, nisi morte fuerimus præuenti, certissimè præstolando legatum.

## EPIST. XII.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo fratri Geruasio Remensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionẽ. Proclamatio delata est sanctæ Apostolicæ sedi, quòd abbatissa Laudunensis, monasterij videlicet sancti Ioannis, sine canonica audientia & iudicio Episcopi sui a regimine suo eiciatur. Quod omnino quia canonicis institutionibus omnino videtur esse contrarium, ammonemus confratrem nostrum Elinandum Laudunẽsem Episcopum, vt hanc causam diligenter discutiat, atque canonicè diffiniat. Ita tamen, vt eadem abbatissa, priusquam discussio fiat, regimini suo, sicut sacri canones præcipiunt, restituatur. Inuitamus igitur fraternitatem tuam, vt manu adiutorij tui ad hæc exequenda sibi tribuas, & hoc negotium iuxta tenorem literarum nostrarũ, quas sibi misimus, determinetur, te adiutorem & cooperatorem adhibeas. Quod quidem sollicitudinis studium, etiamsi Apostolatus nostri literis præmonitus nõ esses, oporteret tamen deuotionem tuam impendere; ipsumque Laudunensem Episcopum quia parrochianus tuus est, ad hoc peragendum incitare. Non dubitet igitur prudentia tua hunc laborem arripere, seque pro domo Israël murum opponere. Et quia officij tui est pacem diligere, sicut iam te sæpius ammonuimus; iterum ammonemus, vt pacem cum charissimo nostro Duce Gotefrido studeas componere. Periculosum est enim Ecclesiam tuam tãto discrimine fatigari, & nobis importabile tot accusationibus pulsari.

## EPIST. XIII.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili Remorum Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Pestem simoniacam, quæ hactenus vestris in partibus, quasi timida serpere solebat, nunc caput accepimus extulisse, & gregi Dominico, tam timore quàm pudore remoto, grauissimam iacturã instantissimè inferre. Vnde non mediocri mœrore afficimur: quippe qui nobis creditos, & Christi sanguine redemptos quorumdam peruersitate perire videamus. Quod totum sanè Archiepiscopis imputamus. Nemo enim simoniacus emptionem iniret, si se consecrandum fore desperaret. Sed quia Archiepiscopi sine discretione consecrant, multi indiscretè ad Episcopatus aspirant. Verum cùm tempus acceperimus; adiutore Deo, & de consecratis & de consecratoribus iustitias iudicabimus. At verò audito tuo erga sanctam religionem bono studio, non modicè gaudemus quem strenuum cultorem ita in vinea Domini operari audiuimus, vt nulla Simonis propago in ea, quantum ad te attinet, radicare possit. Et quamquam ammonitione non videaris egere, te tamẽ ammonemus atq; præcipimus, vt Iosselinum Suessionensi Ecclesiæ non consecres Episcopum, qui Archidiaconatum simoniacè obtinuisse non contentus, Episcopari etiam pecunia contendit. Beluacensem autem Episcopum, quem res Ecclesiasticas & populum Dei atrociter disperdentem audiuimus, si verum est, iubemus ita virga sanctæ auctoritatis ferias, vt cæteri, si qui sunt similes, eius exẽplo corrigantur. Porro Ambianensis Episcopus à nobis ammonitus, ab iniuria Corbeiensi Abbati illata, nõ veritus nostram auctoritatem, non modò non desistit, verùm etiam in dies eam multiplicat. Quare vtrumque ad te cùm maturius conuoces, eorum contentioni finẽ canonicè impositurus. Quòd si per te nequiueris, tem totam ad sedem Apostolicam tempestiuiùs per Epistolam referas, vt Apostolica autoritate hæc contentio sopita conquiescat. Hæc agas, & aliis quoque Ecclesiæ vtilitatibus hortamur inseruias, vt laboris tui Dominũ Iesum quandoque habeas largissimum retributorem & nostram erga te beneuolentiam sentias certiorem.

## EPIST. XIV.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei, Fratri Geruasio salutem & Apostolicam benedictionẽ. Priuilegia Cœnobij Corbeiensis ab antecessoribus nostris instituta antiquitus nouerit nos tua dilectio cõfirmasse, & vt in perpetuum rata sint autoritate sanctorũ Petri & Pauli roborasse. Quod nostræ sanctionis edictum te quoque obseruare volumus, & vt per omnia obseruari facias, pia sollicitudine commonemus. Miramur autem tuæ prudentiæ videri prædicta priuilegia dissentiri Ecclesiastico Canoni: cùm constet apud te alias esse leges Ecclesiarum, quæ sunt generales, & alias esse eas, quæ specialiter in priuilegiis quibusdã prærogantur Ecclesiis ad immunitatem; ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines. Causam verò, quæ summa & principalis erat inter Episcopum & Abbatẽ, canonicè in Concilio discussam scias nos penitus terminasse: eundemque Episcopum nobis & sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedi cui Deo autore præsidemus, coram fratribus & Coepiscopis nostris satisfecisse in synodo: ipsumque pro inobedientia sua suspensum fuisse ab officio. Cætera autem, de quibus abbas conqueritur, mandamus fraternitati tuæ vt audias, & secundum quod tibi iustum videbitur, definias. Chrisma verò & ordinationes si Episcopus spiritu superbiæ inflatus dare noluerit, nostra licentia præfato monasterio concedas, & in omnibus negotiis auxilium tuæ protectionis exhibeas.

## EPIST. XV.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo fratri G. Remensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Deuotioni tuę notum fieri volumus, quòd Abbas Monasterij sancti Dionisij martyris apud nostram audientiam super Episcopo Parisiensi semel & secundo fuerit questus. Videlicet quod ipse contra ius priuilegiorum à sanctis & Apostolicis viris salubriter eidem monasterio multotiens cõcessum, contraque Francorum Regum & Episcoporum ipsius patriæ constitutiones, subripere, sibique vendicare iam dicti monasterij potestatem attentauerit. Ad quæ nimirum dirimenda ad sedem Apostolicam vtrũque venire inuitamus; vt ibi congregatis Ecclesiarum iudicibus

iudicibus huius causam litigii canonicè determinaremus: his igitur in sancto Concilio repræsentatis post longam discussionem, post varias vtriusque partis oppositiones, claruit iustitiam præfato Monasterio fauere: nec tot aut tantorum Pontificum auctoritati, absque horrendo anathemate, aliquem posse obuiare, vnde consilio totius sancti conuentus, quæ à sanctis prædecessoribus nostris sanctè sunt instituta, firmauimus atque corroborauimus. Rogando itaque fraternitatem tuam ammonemus, quatinus si inuitatus fueris ab Abbate vel fratribus eiusdem Monasterii, chrisma & oleũ, & cætera quæ eis ex Episcopali officio videntur necessaria, tribuas, ac tuos suffraganeos tribuere præcipias.

## EPIST. XVI.

ALexander seruus seruorum Dei G. Remensi, R. Senonensi, B. Turonensi, M. Bituricensi, T. Burdegalensi Archiepiscopis salutem & Apostolicam benedictionem. Non ignorat sancta vestra fraternitas, dilectissimi, quod ex auctoritate sedis Apostolicæ, cui nos indignos clementia diuina præfecit, totius vniuersalis Ecclesiæ regendus ac disponendus nobis status incumbit. Quoniam igitur pluribus Ecclesiarum negotiis occupati ad vos ipsi venire non possumus, talem vobis virum destinare curauimus: quo nimirum post nos maior in Romana Ecclesia auctoritas non habetur. Petrum videlicet Damianum Ostiensem Episcopum, qui nimirum & noster est oculus, & Apostolicæ sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno iure commisimus: vt quicquid in illis partibus, Deo auxiliante, statuerit, ita ratum teneatur & firmum, ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum. Quapropter venerabilem sanctitatem vestram fraterna charitate monemus, & insuper Apostolica vobis auctoritate præcipimus, vt talem, tantumque virum, tamquam nostram personam, digna studeatis deuotione suscipere, eiusque sententiis, atque iudiciis, propter beati Petri Apostolorum principis reuerentiam, humiliter obedite. Quisquis enim fastu superbiæ, quod absit, inflatus illius iudicio contradictor vel aduersator extiterit, vsque ad dignam satisfactionem nostram vel Romanæ Ecclesiæ gratiam non habebit. Quia vero cùm ad vos Girelmum misimus, adhuc aduentum præfati Domini Petri nos impetrare posse nullatenus speraremus, volumus vt si quid apud vos Girelmus cœpit, ad Domini Petri magisterium veniat, & per eius manum quicquid agendum est fiat.

## EPIST. XVII.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Remensi Archiepiscopo cum suis suffraganeis, si obedierint, salutem & Apostolicam benedictionem. Si quod officii vestri est exequeremini, non Abbatem, sed, maleficum Reginaldum, à Petro Ostiensi Episcopo, & à vobis in conciliis iusta ratione, vt nobis relatum est, condemnatum, ab ipso sancti Medardi, quod simoniacè inuasit, Cœnobio penitus eliminaretis. Quod si causa cupiditatis, aut amore vel timore alicuius potentis personæ, explere renuistis, hæc omnia Dei omnipotentis timori præposuistis; & nullum dispersis monachis solatium regrediendi præbuistis. Quapropter eiusdem Rainaldi malitia magis multiplicatur, & crescit. Hæc vero idcirco mandare curauimus: quia, ex iisdem dispersis monachis quidam ad nos venerunt, flentes & eiulantes; alii literas detulerunt lamentabiles iustitiam sancti Petri, nostramque consolationem pro tali iniustitia requirentes. Vnde supradicti Petri, vestrãque nostra auctoritate corroboramus sententiam; eumdemque Raimldum & consentaneos eius anathematizamus; ipsumque Cœnobium, quamdiu in eo manserit, interdicimus, & vt idem faciatis vobis mandamus.

## EPIST. XVIII.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo fratri Geruasio Remensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Debitas fraternitati tuæ grates rependimus, quod in eiectione Hilarij à nobis damnati, quòd Carnotensem Ecclesiam simoniacè inuaserat, te promptum sollicitumque ostendisti; quodque vt alter dignus & idoneus eidem Ecclesiæ canonicè substitueretur, charissimo filio nostro Philippo Francorum Regi consilium dedisti. Cui nimirum, suisque optimatibus, vt dignas super hoc grates rependas, prudentiam tuam inuitamus. Nouerit etiam fraternitas tua, nos confratrem nostrum Senonensem Archiepiscopum ammonuisse, quatinus Aurelianensis Ecclesiæ inuasorem nostra Apostolica auctoritate excommunicet. Claret enim ipsum simoniacè Episcopatũ obtinere, & ad obtegendam reatus sui improbitatem, periurium in Cabilonensi Synodo incurrisse; suique fraudulentia confratrem nostrum Petrum Ostiensem Episcopum, à quo eadem *Synodus* celebrata est, decepisse. Super hæc etiam ad argumentum criminum suorum literas Apostolatus nostri, quibus ad hæc examinanda vocabatur, omnino refutauit. Quapropter charitatem tuam Apostolica auctoritate ammonemus, vt præfato Senonensi Archiepiscopo in damnatione Aurelianensis inuasoris, contempto timore & gratia, omnium te socium & adiutorem adhibeas.

## EPIST. XIX.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo fratri Geruasio Remensi Archiepiscopo, omnibusque suffraganeis suis; nec non Senonensi Archiepiscopo, suisque suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem. Mulier ista, præsentium literarum portatrix, Apostolorum limina adiens conquesta est quod ei Comes Ra. omnia bona sua abstulerit, eaque dimissa, crimine fornicationis fallaciter obiecto, alteram ducere velit, quod quàm sit diuinis & humanis legibus contrarium, fraternitas vestra perpendit. Quapropter studeat religio vestra ipsum conuenire: & si causa talis est, vt ista asserit, redditis propriis bonis, vt ipsa ab eodem recipiatur satagite. Quod si ipse rationi acquiescere recusauerit, vos super eum canonicum deliberate iudicium, quod nos sequentes sanctorum patrum auctoritatem, vbi sententiam vestram audierimus, confirmabimus.

## EPIST. XX.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei, Geruasio Remensi Episcopo confratri dilectissimo salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam ad vniuersalem sedem, cui diuina prouidentia præsidemus, lacrymabilis & inaudita Ecclesiæ sancti Mennii querimonia est, ablata Sanctissima scilicet eius corporis absentia desolata; domibus quoque & cæteris omnibus bonis impiè & sine more denudata, lacrimas nos & Romanam fundere cogit Ecclesiam. Vnde fraternitati tuæ rogando curauimus mandare, vt corpus sanctissimi viri ab Episcopo Catalaunensium à propria sede deportatum, & quod lacrimabilius est, cruentis armatorum militum manibus velut in partem prædæ discissum, ad propria redire, remota omni excusationis simulatione, facias. Euersionem quoque domorum, & direptionem cæterorum bonorum, sicut iustum est, & officium magisterii tui decet, vt emendare compellas, ex parte beatorum Apostolorum Petri & Pauli præcipiendo mandamus. Quod si sententiæ nostræ, immò tuæ deliberationi parere noluerit, virga magistratus tui, ex auctoritate sancti Petri, ardentissimè feriatur.

EPIST. XXI.

EXcellentissimo patri patrum & Episcoporum Episcopo, Nicolao, Geruasius dictus Episcopus fidele seruitium cum exiguitatis meæ orationibus. Gratias ago diuinæ primum pietati, vestræ etiam, optime pater, mediocritati; quod non tantùm apud vos accusatorum meorum inualuit delatio, vt non veridica legatorũ nostrorum admitteretur excusatio: nec Apostolica censura mihi negaret misericordiam, in quem non sine multorum admiratione tantùm inhorruerat. Gratias nihilominus ago vestræ humilitati; quæ quanta principem & pastorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ decuit benignitate, nostros legatos sanos excepit, infirmos visitauit, mortuos sepeliuit, & si enim vni tantùm apud vos infirmato & mortuo hæc visitationis & sepulturæ solatia impendistis; in vno tamen cæteros visitastis, cæteros sepelistis: Cui non ego, qui nihil sum, sed tota Remensis Ecclesia bonæ conuersationis testimonium perhibet, Cuius obitum, cæterorumque, qui penè omnes obierunt, audiens, incredibili tristitia sum affectus: nec vnquam non odisse valeo illũ, cuius superbia id effecit, vt isti mitterentur, Si enim qualem existimaui legatum misissem, isti nec mitterentur, nec fortasse morerentur: quod vestra prudentia optimè recognoscit. Præterea multo grauior angit me tristitia de obitu domini Regis: quod etiam vestram non latet prudentiam. Scitis enim quantum infrænes & indomiti sunt nostrates, quorum diuisionem timeo Regni nostri fore desolationem, ad quam euitandam vestrum mihi consilium & auxilium flagito, quæ nulli Regno, vt pote pater omnium, negare poteritis, præsertim cum nostro semper debeatis, quod optimi viri patriæ deberi censuerunt. De vestro aduentu in nostram Galliam, quid animi habuerim viuente Domino Rege, licet diffamatus sim id noluisse, satis, vt puto, significaui paternitati vestræ, & nunc in eo is mihi animus est, Deo testante, vt non tantùm eum desiderem, sed etsi etiam, ita vt venientem auctoritatem vestram cum tanto gaudio & honore suscipiam, quanto decet Petri vicarium suscipi, & Apostolicæ censuræ per omnia cooperator existam. Dicant aduersarii quantumlibet me infidelem & rebellẽ magistratui vestro; ego subiectionem meam vobis profiteor: & quicumque vobis illam negauerint, cuiuslibet ordinis sint, mihi communicare non poterunt. Obloquitur etiam aduersariis illa obedientia, quam sine omi respectu su-

A spensionis & interdicti vestri conseruant, non sine magno damno Ecclesiarum nostrarum & nostro. Impediuit quoque meum erga vos famulatum illa suspensio. Ad quod restaurandum sicut recuperate possibile est, si ita ad cætera redintegranda saltim aliqua spes restaret, de tanto dolore quasi de graui somno resurgerem. Est enim mihi animus, nec despero id futurum, cum gaudio atq; reuerentia quandoque Apostolatum vestrum suscipere, tantumque honoris vobis impendere, quantum personæ & officio vestro conuenire manifestum est. Nec nostris temporibus fuisse, vel futurum esse in vestra sede aliquem credo; quem copiosius honorare

B desiderem. Nam qui nos sic honorastis prudentia & sanctitate vestra, vt de Regno nostro Roma eligeret, quem sibi & mundo caput ordinaret: Nos quoque tanto honore vos dignamur, quanto Dominus noster Iesus Christus Petrum decorauit, vbi Ecclesiæ principatu illum sublimauit. Dominus omnipotens sanctitatem vestram ad vtilitatem sanctæ Ecclesiæ diutissimè conseruet, & auertat à prudentia vestra, ne alicuius leuis sermo gratiam vestram mihi, neue seruitutem & fidelitatem meam vobis auferat.

EPIST. XXII.

C DOmino & patri Alexandro sanctæ Apostolicæ sedis Pontifici Geruasius gratia Dei Remorum Archiepiscopus, inter mundi huius fluctus Ecclesiam Dei nauiter gubernare, atque ad portum æternæ beatitudinis feliciter peruenire. Regnum nostrum non mediocriter conturbatum est. Regina enim nostra Comiti Radulpho nupsit, quod factum Rex noster quàm maximè dolet. At custodes ipsius non æquè grauiter ferunt. Qua de causa me quoque mœror non modicus affecit, quippe cùm mihi hac vice complendi facultas non sit, quod ardenti desiderio proposueram. Proposueram enim Petri limina visitare, vestram diu exoptatam faciem videre, sermonem vestrum sanctum, mel-

D litumque ab ore præsentis accipere, vtilitatibus sanctæ sedis Apostolicæ aliquandiu prouitibus deseruire. Quæ quidem si modo facere non licet (Regni enim perturbatio, vt dixi, me retinet) vbi copia dabitur tantò studiosius agam, quanto ea agere diutius desideraui. De vxore vero Comitis Redulfi quæ vestræ conquesta est paternitati, se à viro iniuria esse dimissam; Id vobis notum esse volumus, &c.

RELIQVA DESVNT.

INDICVLVS

# INDICVLVS RERVM ET VERBOrum notabilium quæ in Epistolis Stephani X. Nicolai II. & Alexandri II. summorum Pontificum continentur.


A

*Abbatissa Laudunensis,* 12.
*Alexandri II. Papa,* 6.7. 8.9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 22.
*Amalricus* Clericus *Remensis,* 7. 8. 10
*Ambianensis Episcopus* 13. *& eius controuersia cum Abbate* Corbeiensi, 13. 14
*Aurelianensis Episcopus simoniacus,* 10

B

*Beluacensis Episcopus contra statuta* Canonum *consecratus,* 3. 13
*Beluacenses,* 3
*Blandinense cœnobium,* 6
*Bituricensis Archiepiscopus,* 1

C

*Cabilonensis Synodus,* 18
*Cadolus Antipapa,* 10
*Carnotenses,* 9
*Catalaunensis Episcopus,* 20
*Chrisma,* 14. 15
*Concilium Remis habendum,* 1
*Corbeiense Cœnobium, & eius priuilegia,* 14
*Corbeiensis Abbas,* 13. *& eius controuersia cum Episcopo Ambianensi,* 13. 14

D

*S. Dionysij Abbas de Parisiensi Episcopo apud audientiam Papalem conquestus,* 15

E

*Elinandus Episcopus Laudunensis,* 12
*Engobrandus prædo,* 4
*Euerelmus simoniacus,* 9
*Excommunicari nemo potest, qui non prius ad respondendum vocatus sit ad Synodum.* 6

G

*Geruasius Archiepiscopus Remens,* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.
*Giselmus Alexandri II. Papæ nuntius,* 16
*Gotfridus dux,* 2. 12.

H

*Hilarius Carnotensis Ecclesiæ inuasor depositus,* 18
*Hildebrandus, Cardinalis,* 1. 11

I

*S. Ioannes Laudunensis, abbatia puellarum,* 12
*Iosselinus Suessionensis Episcopus schismaticus,* 13

L

*Laudunensis Episcopus,* 7. 12

M

M*anasses Clericus Remens.* 7. 5. 8
*Matisconensis Episcopus,* 2
*Mecla,* 4
*S.* M*edardi Abbas simoniacus,* 10. 17
*S. Meunij Ecclesia,* 20

N

*Nicolaus II. Papa,* 3. 4. 5. 21

P

*Parisiensis Abbas monasterij S. Dionysij potestatem sibi vendicare attentans causa cadit,* 15
*Petrus Ro. Ecclesiæ subdiaconus &* Cancellarius, 6
*Petrus Damianus Ostiensis Episcopus, Alexandri* Papæ *oculus,* 16. 18
P*ostuiler,* 4

R

*Radulphus Comes,* 19. 22
*Rodulphus, idem,* 22
*Rainaldus,* 17
*Reginaldus Simoniacus à cœnobio Sancti Medardi eliminatus,* 17
*Regis consensus in Concilijs habendis in Gallia, requisitus* 1
*Remensis Ecclesiæ laus,* 6. 11
*Remi.* 1

S

*Senonensis Archiepiscopus,* 10. 19
*Simoniaca hæresis,* 10. *inter Episcopos Franciæ,* 13
*Stephanus* Papa, 1
*Syluanectensis* Episcopus, 3. 5
*Synodus Romæ,* 1. 3

V

*Victoris* P*apæ mors,* 1
*Virdunensis* Ecclesia *sanctæ sedi Apostolicæ commissa.* 4


FINIS.

# EPISTOLÆ STEPHANI SANCTÆ GENOVEFÆ PARISIIS ABBATIS, POSTEA TORNACENSIS EPISCOPI.

*Roberto Pontiniacensium Priori pro quibusdam Nouitijs de Grandimontensi ordine ad Cisterciensem promotis.*

## EPISTOLA. I.

DILECTO Deo & homioibus Roberto Pontiniacensi Monacho genere simul & côuersatione illustri, Stephanus de Sancta Genouefa consolari pusillanimes, & vnanimes in domo Domini cohortari. Cômen dabilem, Roberte, solicitudinem geris, & affectione fraterna nouitiorum tuorum vt nouam moues quæstionem. Mallem quæsisses ab alio qui & peritior esset ad discutiendum, & promptior ad soluandum. Mibi fateor imperioa silẽtium imperat, & ab audaci proposito manum reuocat Grandimontensium grande nomẽ. Si quæstioni tuæ da conscientia mea respondeam, offendentur: si eos offendero, in cômunem opinionem peccaui. Hominibus placent, & serui Christi sunt, Bonihomines appellantur. Nam bonitatis illorum testis est & exclusa cupiditas, & inclusa paupertas. Porro ambitio quæ ferè omnes impugnat, & plures expugnat, tam remota est ab eis, quàm longè est ab hominibus, qui nunquã sese adepturos Cisterium certi sunt. Cumque terram dederit Deus filiis hominum, ipsi funiculum suum & sortem in cœlestibus extenderunt, viros Euangelicos exprimunt, nec solliciti sunt quid manducent & bibant, aut quid induant, quoniam à patre suo qui in cœlis est pascuntur cum volucribus, & cum liliis vestiuntur. Orationes eorum nec balantes gregrs impediunt, nec mugiẽtia turbant armẽta, nec vniuersos familiæ strepitus interrumpit. Fugerunt seculũ, beati si eos seculum non sequatur. Et quoniam radix omnium malorũ cupiditas inter eos ruit, recessit ambitio, litigãdi materia sublata est, solicitudo claudit, paupertas premit, humilitas ligat; qui disciplinam eũ morum ordinata correptione apprehandunt profectò nec irascetur eis Dominus, nec peribũt de via iusta. Viderint ipsi quid intra domesticos parietes agant, & testimonia secretorum intus operum suorum inuicem accusantium aut defendentium ei publicent, cui omne cor patet, & quem nullum latet secretom. Nobis ignorate D liber quibus non licet intrare. Credimus autẽ quia nec labor eorũ sine mercede, nec certamen erit sine victoria, nec exercitiũ sine fructu, cum inter alios consolationis filios habituri sint & ipsi coronã pro cinere, gaudiũ pro luctu, pallium laudis pro Spiritu mœroris. Quæsisti de fratribus qui exierunt ab eis & ad Cistercienses transitũ fecerunt, vtrum obligatione voti quod prius fecerant reuerti debeant ad eos, an Pontiniaci salubrius demorẽtur. Si priori proposito non præposuissent vltimum, nec ego proponerem vt præferrent. I stetissent in finibus prioris voti, starem forsitam & ego, nec ad aliud animarem. Nunc vero quia meliora & viciniora saluti quæsierunt, & de Sylo in Hierusalem ascendentes, transtulerunt tabernaculum suum, quis audeat in ais libertatem Spiritus impedire? Nam reuera vbi Spiritus Domini, ibi libertas. *Spiritum* inquit, *noli extinguere*. Extingunt autẽ quantum in se est, qui eius operibus contradicunt. Certè Spiritus sanctus Columba est, quia in specie Columbæ super Dominum dum baptisaretur visus est descendisse. Inter alias Columbæ proprietates, quas admittit Ecclesia, & mysticè repræsentat, colũba meliora grana eligit, non spernit bona, quoniã si meliora non occurrerẽt, bonis vtique vesceretur. Bonis tameo meliora, melioribus A optima præfert. Imitaotur eam qui ex parte eius sunt. Æmulamini & vos meliora charismata. Beatus n. non tãtũ qui iudicat inter diem & noctẽ, sed qui iudicat inter omnẽ diem. Cisterciensiũ ordinem quasi lucernã supra mõtem positã quis in Ecclesia Dei maximũ & præcipuũ culmen non dicat attingere? Euãgeliũ implentes monasticam regulam, quã supererogauit Benedictus pater fidelis Samaritani stabularius sic obseruant, vt nec vnũ ex eo iota præterita videãtur. Beata paupertas eorũ quæ licet eos fame premat & frigore, nõ tamẽ aut mendicare cõpellit, aut diuitibus adulari. Suis ac suorũ manibus victum exquirunt, & vestitum: non vetiti sequi Paulum, qui cum licitè posset de Euangelio viuere, ac spiritualia B seminans carnalia metere, maluit tamẽ manibus operari, ne, quod offendiculũ daret Euãgelio Christi. Honorari Dominũ de sua, nõ de aliena substãtia, & de primitiis frugum, nõ alterius, sed suarũ dans pauperibus quãquam rectius nõ sua, sed omnium dixerim, quæ vniuersis secundũ gradus ordinatæ charitatis quasi in cõmune deseruiunt. Nec n. buccellã suam comedunt soli, & non comedit eam eis pupillus ex ea, non despiciunt prætereuntẽ, & absq; operimento pauperẽ, sed benedicunt eis latera pauperũ, & de velleribus ouiũ suarũ calefaciũt & eorum quidẽ lateribus pannos circundãt sicut despicabiles pretio, sic inapplicabiles ornamẽto. C Conqueritur ipsa natura quæ modico solet esse contenta, quod tegumẽta eorũ ei non sufficiãt in hyeme, & officiãt in æstate. Ostiũ eorũ viatori patet, nec foris remanet peregrinus. In sudore vultus sui vescũtur pane suo, nec eos lascinire & rixari faciũt onũ & alienus cibus. Tanta in cibo parsimonia, vt duobus tantũ pulmẽtis vtantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert. Ipsis tantò satius vtuntur, quãtò frequentius apud eos audiri solet quàm videri: terrã diripiunt voluntarij, & violẽti diripiunt cœlũ. Si numeres quot ab eis beneficia profluãt in populũ, plura conferunt vniuersitati, quam vniuersitas D ipsis. Parus sunt hæc, & quæ terrenos vel alliciant vel occupẽt appetitus. In eis nec fecunditati Liæ Rachel inuidet, nec Rachel pulchritudinẽ Lia minuit, sed munit. Nõ murmurat Martha de silentio Mariæ, & inuicẽ dicta Maria desedẽs ad pedes Domini Marthã solã ministrare nõ reliquit. Inter eos iuge gaudiũ, cõmunis exultatio, vbi nihil extra disciplinã: nihil cõtra. Mirantur homines, delectãtur Angeli, fugiunt partes aduersæ, quoniã sãcta illa congregatio terribilis est vt castrorũ acies ordinata. E Illic nec bobus præferunt aratrũ, nec à capite deorsum pẽdet Domin⁹, nec idiota docet clericũ, nec laicus imperat sacerdoti. Ibi maiores minoribus, prudẽtiores præsũt indoctis, qui & vitæ sanctitate præminẽt, & intelligentia scripturarũ. In arca illa non est virga sine tabulis testamẽti, quia qui potestatẽ habet corripiẽdi, habet & sciẽtiã corrigẽdi. Diuina officia cũ tãta solẽnitate & deuotione celebrãt, vt in eorũ cõcẽtu voces Angelorũ sonare putes, Psal. Hym & Cãt. spiritualib⁹ ad laudes Dei inuitãt homines, & Angel. imitãtur. In iis qui Clericus fuerit tãtò liberi⁹ delectatur, quãtò remotius est ab eo laicorũ fabulis interesse. Extra oratoriũ aut operi manũ dãt operã, vt semper eos diabol⁹ inueniat occupatos, aut legẽdo cõcipiũt, aut sãctis meditation. cælos penetrãt, vt in paradiso audiãt illa arcana verba quæ nõ licet homini loqui. Regressi

Regressi à fratribus tantam oti suo ponunt custodiam, quantum ostium labiis suis, vt cultum iustitiæ silentiũ ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non sunt aut terni seorsum per angulos claustri fabulis vacãt, qui nec inter se seria serere permittuntur. Tenent memoriter quia in multiloquio non effugerent peccatum, & quasi naturæ bellum indicentes, modicum illud membrum quod magna exaltat non modica disciplina coercent. Attende quisquis es bonæ in dolis adolescẽs, qui cum Isaac in holocaustum Domino super vnum montium offerri desideras, quia tã sancto & cœlis proximo monte isto, montem non inuenies grandiorem. Verè mons iste, mons coagulatus, mons pinguis: coagulatus in vinculo pacis, pinguis per infusionẽ gratiæ cælestis. Quis grandis mons grandior isto monte? Nubes penetrat, cœlos attingit, longè inferius montes alios & colles relinquit, de rore cœli & de pinguedine terræ plenã suscipiens benedictionem. Hic disciplinis regularibus colligatus, impositis tibi lignis Dominicæ crucis, sancti feruoris ac charitatis ardẽtis igne succẽso, quid de hostia sua Dominus facturus sit cum silentio patiẽter expecta. Quid tibi cum rumoribus, qui aut de negotiis principum, aut de promissionibus clericorũ, aut de vanis opinionibus vulgi dicuntur? quid tibi cum otiosis verbis, de quibus rationem reddituri sunt homines in die iudicij? Et hæc si in aliquibus claustris frequentarur tu videris. Viri illi Euangelici & Angelici non sunt filij mortis nec tenebrarum, quoniam sic lucet lux eorum coràm hominibus, vt videntes opera eorum glorificent patrem suum qui in cœlis est. Spectaculum sunt & Angelis & hominibus, vt ex eorum manifesta conuersatione & Angeli congratulationis gaudium, & homines sumant imitationis exemplum. In illo sancto collegio, de fermento Pharisæorum vel simulatio vel dissimulatio nihil penitus intermiscet. Nec enim aut simulare quæ non sunt, aut sunt quæ dissimulare volũt. Sciẽtes quòd simulatores & callidi prouocant iudicium Dei. Intrat quilibet quaslibet eorum officinas, & singulorum officia certis distincta finibus attrectare manibus oculis curiosis inspicere, æstimare animo, lingua diiudicare opus est. Nec enim declinant humanum iudicium, qui solũ timent diuinum. Veritas angulos non habet, sed anguli sordes habent. Memento quisquis es, qui iugum Domini proposuisti portare ab adolescentia tua, quod aliquando de quibusdam quos noueras tu, & socius tuus scripsistis & dixistis: Si quis quod ædificauerit destruere intendit præuaricatorem se constituit. Esto similis negotiatori quærenti bonas Margaritas, bonam inuenisti Margaritam, cui similem non habent vel regum diademata, vel monilia reginarum. Vẽdidisti omnia quæ habueras, & emisti eam: quoniam primò parentes, patriã, reditus Ecclesiasticos, diuitias & delitias, lubricæ adolescentiæ motus, voluptatem pariter & voluntatẽ reliquisti carnalem. Secundò ab us quæ proposueras ad meliora transitum faciens consummatis viribus explebis tempora multa. Vide ne Margaritam quã tanti emisti porcis conculcãdam exponas. Nemo mittens manũ suam ad aratrum & aspiciẽs retro aptus erit regno Dei. Nunquid inquies, hoc est retro aspicere, si ad bonum quod proposueram, & propter aliud forsitã maius bonum interim omiseram, reditum faciam? Noli mihi credere sed sancto Patri Gregorio crede, non te fallet ille Doctor egregius, qui sicut fallere noluit, falli non potuit. Quisquis inquit bonum maius subire proposuit, bonum minus illicitum sibi fecit. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, &c. qui enim fortiori studio intendit, retrorsus respicere conuincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. Hæc ille successor Petri, columna Ecclesiæ, instrumentũ Spiritus sancti. Et tu dubitas vbi tantus vigilator monet, consulit, docet? Audi quid etiã dicat idẽ pater sanctus super Ezechielem. Sunt nonnulli qui bona quæ nouerũt, operãtur, atque hæc operantes meliora deliberant: sed retra-

A ctantes meliora quæ deliberauerant immutant. Et quidem bona agunt quæ cœperant, sed à melioribus quæ deliberauerant succumbunt. Hi nimirum ante humana iudicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. Si adhuc dubitas, adhuc times, arguere. & statue contra faciem tuã. Manifesta sunt hæc, & minus expositore indigẽt, quàm executore. Cœpisti cum pennatis animalibus volare sublimiùs, & ante faciem tuam ambulare. Noli reuerti, noli aspicere retro. Illa enim sancta animalia non reuertebantur cum incederent, sed vnumquodq; eorum ante faciem suam gradiebatur. Et certè oculata erant ante, & retrò, sed retro vt quæ transierant despicerent, ante vt ad ea quæ nondum attigerant peruenirent. Si-

B milis erat eis pennatus, æquè vt ipsa, qui vsque ad tertium cælum volauerat, Paulus. Vnde inquit, *Quæ retro sunt oblitus in ea quæ sunt ante, extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis.* Ecce oculatum habes Paulum ante & retrò: sed ante vt proficiat, retrò ne deficiat. Poeta gentilem instruens viatorem, ait:

*Ne quot transieris, sed quot tibi quære supersint. Millia.*

Et in anteriora extendens sequere ad palmam supernæ vocationis, instruet te Dominus in via hac qua gradieris: & profectò firmabit super te oculos suos. Sed votũ inquies, feci, votum voui Deo Iacob. Nũquid non compellor reddere vota mea, quæ distinxerũt labia mea? & hoc præcipuè me terret, quia terribilis est qui aufert Spiritum principũ. Votũ voui: si non reddidero quod

C voui, timeo ne ille qui aufert Spiritum principũ, auferat & Spiritũ meum. Sed quid vouisti? aut animã tuam vouisti aut aliud: si aliud, commutationem recipit votũ tuum si argentum, si aurum, si vestem, si quodlibet vouisti simile, commutare maximè potes, si vel melius, vel maius soluas quod vouisti. Sola anima, si eam voueris, commutationem non recipit, Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua? Respõde si potes, & cùm non potueris dicas nullam: animã, inquis, meã voui, & in loco certo, sub Magistro certo, sub forma viuendi, certis institutionibus ordinata, stabilitatem loci, obedientiam Prælati, communionem viuendi propter salutem animæ meæ voui. Commutare non licet, non reddere non licet. Attẽde puer timorate, & noli timere vbi non est timor. Votum quod commutationem non recipit, quasi substãtiale est & principale, vouere animã

D suam Deo. Cætera, sicut est locus, Prælatus, habitus, forma viuendi, tanquam accessoria sunt, sed ab hominibus vouentibus apponuntur, non quia hîc saluari nõ possit anima quæ vouetur, sed quia per hoc expeditior sit ad salutẽ via. Quid si locus destruatur, si ab his qui inhabitant vel penitus deseratur, vel transferatur, nũquid nõ alibi saluari potes? si Prælatus moriatur, si recedat, si nolit præesse, quid facturus es? peribis, quia nõ præest cui subesse debueras? Si habitus immutetur, & institutiones aliam formã receperint: si priores nõ obseruaueris, eris reus voti quod feceras? Vides quoniam hæc omnia accessoria sunt, & cõmutationem recipere possunt, sola voti substantia, s. anima, commutationem non recipit, hic non habet locum dispensatio, quia non inuenitur

E recompensatio Eleemosyna, ieiunium, vigiliæ, peregrinatio, magna bona sunt inter filios hominũ. Si quis horũ aliquid vouerit cõmendabile, sed cõmutabile votũ fecit: pro ieiunio Eleemosynã, pro peregrinatione cõuersionem, pro vigiliis ieiunium aut lectionem soluere tibi licet. Vnum duntaxat attende, vt si maius voueris minus non soluas: si minus pro maiori commutaueris, acceptũ erit acceptori. Propheta dicit *Maledictus qui habet in grege suo masculum & votum faciẽs immolat Domino debilem.* Quid si debilẽ vouerit, & fortiorẽ offerat? Audacter dico quia qui post votũ meliorem immolat, nec trãsgressor est, nec dolosus, & ideo nec maledictus. Vouisti prius hostiam, non dico debilẽ, & fortiori minus fortẽ. Ecce nũc pro mediocri quã voueras maximã & fortissimã immolasti. Ouẽ vouisti, & reddidisti

bnuem secutus esto, quia liberatus es Benedicta adolescentia tua à Domino, quæ manum suam misit ad fortia, quæ sic accinxit fortitudine lumbos tuos & roborauit brachium tuum. Lætare iuuenis in adolescentia tua, beatus, quoniam ab ea iugum Domini portare cepisti, sedens amodo solitarius, & tacens, & leuans te super te. Hæc commutatio voti, commutatio dexteræ Excelsi. Certe qui pœnitentialem Canonem didicerût, frequentes votorum commutationes circa pœnitentes suos fieri permittunt. Noui ego sacerdotem, qui cum à quadam nobili muliere secundum sæculum consuleretur, quia votũ fecisset, quod soluere nõ poterat: quid ei factu opus esset, vel quomodo id cõmutare posset? commutationem idoneam permisisse. Vouerat enim mulier illa nescio an propter dolorem dentium, aut ob aliam caosam, sese deinceps in Ecclesiam sputum non emissurã, *Non possum*, inquit, *obseruare quæ voui. Vade*, inquit *& spue in Ecclesia quando tibi necesse est. Sed in ea de cætero ne loquaris. Nõ spuere quidẽ non est peccatũ, sed in multiloquio nõ deest peccatum.* Sana voti commutatio, quę vouentem liberauit, Deum placabilem reddidit. *Sed quid*, inquis *faciam de obedientia quã Prælato promisi?* Si prædicta nõ sufficiunt, accipe & hoc. Parochiales presbyteri obedientiã quam promittũt debent Episcopis suis, & sacramẽtaliter alligati sunt Ecclesiis quas regunt, tanquam vxoribus propriis. Lege autem communi Canonum, sine licentia Episc. suorum quibus obedientes esse debent nec ipsi recedere, nec alii recipere eos debent. Lege autem priuata quæ instinctu Spiritus sancti in corde scribitur, si ad monasterium vel Canonicam regularem transierint tales etiam cõtradicentibus Episcopis recipi possunt. Ait enim Vrbanus Papa, *Si quis in Ecclesia sua sub Episcopo populũ retinet, si afflatus Spiritu sancto, in aliquo Monasterio vel regulari Canonica saluare se voluerit, etiã Episc. suo cõtradicente, eat liber authoritate nostra. Iusto enim non est lex posita. Sed vbi Spiritus Domini, ibi libertas, & si Spiritu ducimini, non estis sub lege:* Ecce quoniam nec obedientia Episcopo promissã, neque Ecclesia cõmissa Presbytero, ad frugẽ melioris vitæ transire volentem potuerunt impedire. Forte obiicies, & dices, de Clericis & Presbyteris sæculariter vouentibus ista dici: De religiosis autẽ & in communi viuentibus secus esse. Certè sacræ virgines in monasterio degentes religiosæ sunt, de his tamen in Concilio Tribunensi sic statutũ, *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ, & propter districtiorem vitã ad aliud Monasterium pergere disposuerint, & ibidem cõmanere decreuerint, Synodus concedit. Si vero fuga disciplinæ aliũ quæsierint, ad locũ redire cogentur.* Ecce in fine Capituli causa exprimitur. *Quia qui de Monasterio ad Monasteriũ transierit, redire cogendus est*, fuga scilicet disciplinæ. Tu videris virũ pro lucro animæ tuæ, & propter districtiorem vitã transitũ istũ feceris, an fuga disciplinæ: sed teste cõscientia tua fugisti disciplinã, vt apprehẽderes disciplinã. Et quoniã pro lucro animæ tuæ & propter districtiorem vitã saltũ cælo proximum fecisti, age quod agis, operare quod operaris. Quod autẽ de Virginibus sacris dictum est, consequenter & de Monachis intelligendũ esse asserit magnus ille canonum interpres Gratianus. Sed aliter dices de Canonicis regularibus obseruari. Nã & Eduense Cõcilium, & idẽ Vrbanus Papa, cuius supra mentio facta est, id affirmare videntur. Sic enim in Concilio Eduensi legitur, *Nullus Abbas, vel Monachus Canonicos Regulares, à proposito professionis Canonicæ reuocare, atque Monasticum habitum suscipere audeat vt Monachi fiant, quamdiu ordinis sui Ecclesiam inuenire queant in qua Canonice viuẽdo Deo seruire, & animã suam saluare possint. Quod si temerario ausu id agere temptauerint anathematis vinculo obligentur:* Idẽ Vrbanus Papa *Mandamus & vniuersaliter interdicimus, ne quis Canonicus regulariter professus, nisi, quod absit, publice lapsus fuerit, Monachus efficiatur. Quod si decreto nostro contraire præsumpserit agere temptauerit, ad ordinẽ Canonicum præcipimus vt redeat, & deinceps memoratẽ cellulã deserat & vltimus in choro sedeat.* Item. *Statuimus ne professionis canonicæ quispiã postquã Dei vice super caput sibi hominẽ imposuit, alicuius leuitatis instinctu vel districtioris religionis obtentu ex eodem claustro audeat sine Patris totius congregationis permissione recedere. Discedentes vero nullus Abbatũ vel Episc. & nullus Monachorum sine cõmuni litterarum cautione suscipiat, ad hæc impetranda venia, salua reuerentia maiorum & gratia.* Respondemus quod Canonicis regularibus & Grãdimontensibus heremitis. Ipsi certè nunc canonici appellantur, nunc canonici volunt appellari, & quomodo cum eis participabunt re, quibus participari dedignantur & nomine? Nec eos canonicos esse crediderim, quorum & plures numero & prælatione maiores non clerici, sed laici, non litterati, sed sine litteris existũt. Nisi forte quis dicat clericos eorum esse canonicos, laicos autem heremitas. Quod si ita est, inuenimus ordinem aut cum Iano bicipitem, aut cum Centauro biformem. Si ab eis quæsieris cuius ordinis sunt? respondent, Peccatores sumus. Si ab aliis, Bonos homines esse dicunt. Nam & in prouincia illa vnde originẽ habent, vbi est caput & sedes eorum, cellulæ ipsorum † bono homine appellantur. Sed & Canonicos regulares nostri temporis sub regula Beati Augustini Christo deseruire scimus, & sub vna in domo Domini vnius moris habitare. Ipsi autem non Augustinum, sed quendam vt dicunt bonum hominem Stephanum de Mureto magistrum suum profitentur. Libellus etiam qui eorum constitutiones continet, non regula appellatur ab eis, sed vita. Inde est quod sicut à regula quam obseruant Canonici nostri dicuntur regulares: Sic etiam ipsi necesse est à vita quam profitentur, dicantur clerici seu laici vitales: Vrbanus Papa de regulariter professis, id est de his qui sub regula beati Augustini militant Deo, sic agit. Nam & Abbati sancti Rufi, vbi proculdubio regulam Beati Augustini sequuntur, ipsis & consimilibus priuilegium hoc indulget. Credimus quia nec dum tradita erat à Domino Stephano de Mureto regula istorum, aut si tradita erat, sanctæ Romanæ Ecclesiæ incognita erat. Et quomodo poterat summus Pontifex priuilegium dare his qui nec dum erant, vel in notitiam suam nondum venerant? quanquam ipsi Canonici regulares si hodie ad celsitudinem Cisterciensis ordinis ascendere vellent, decreta illis Vrbani Papæ non possent forsitan reuocari. Certè ego indignus Canonicis regularibus prælatum, & cum à Domino Papa, non multum temporis transiens priuilegium quærerem, vt canonicos nostros nobis inuitis nullus retinere auderet, addidit in priuilegio, *vbi causa districtioris vitæ ad arctiorem ordinem transierint.* Ecce ne longè exempla petantur, videtur quia priuilegium Vrbani restringitur priuilegio Alexandri, verè si aliquis nostrorum ad Cisterciensem transire vellet, ante transitum dissuaderem, post transitum non reuocarem. Nollem Spiritui Sancto resistere, nollem Spiritum extinguere, nollem libertatem spiritus impedire. Quid peccasti bellator fortis? sicut in plano pugnares, collem ascendisti, vt hostem melius ferires. Non transfuga dicendus es miles Christi, quia ad hostes non fugisti, nec desertor militiæ, quoniam à signis non recessisti. Possunt hæc tibi sufficere, nec est vnde propter votum dubitare debeas aut timere. Sed adhuc obmurmurat cogitatio tua dicens, *Reuertar in domum meam vnde exiui: proposui enim & dixi, hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.* Timeo frater, quia ne sicut serpens decepit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus tui, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Transfigurat se nonnunquam Sathanas in angelum lucis, & vessicam pro laterna simplicioribus vendit. Blanditur tibi memoria prauæ quietis, & loquendi licentia locis & horis indulta, somnus prolixior, vestis mollior, cibus delicatior adolescentiam tuam reuocare contendunt.

Plura

Plura ibi fercula, pocula plura, quæ nonnumquam citra esuriem sitimque capiuntur, & vltra. Ibi fomenta pellium rigorem frigoris expellunt, lini aut canabis occulta blanditiæs lanam temperat superiectam: ibi salutationes principũ, visitationes Regũ, occursus populorũ, dona omnium: Ibi dicitur Aquiloni, Da: & Austro, Noli prohibere: eis conferunt, afferunt, offerũt, inferunt omnes, quique terrigenæ & filij hominum simul in vnum diues, & pauper. Hoc solemne theatrum fortiram erigit tibi cogitatio tua, & quoties hæc recogitas, reliquiæ cogitationis tuæ diem mœstum agunt tibi. Delicatæ tibi sunt, & teneræ iuueniles manus, & laborem refugiunt, vigiliæ prolixiores, & nocturna synaxis in lucem vsque producta matutinũ soporẽ non admittunt. Rusticanus cibus, & saletantum conditus, nobile adolescentis palatium offendunt, & ad singulas oblationes B nauseam mouent. Regulare silentium pruriẽtem incitat linguam, & ad quemlibet sonum patulas aures inquietat auiditas audiendi. Obsecro fili per medicinam vulnerum nostrorum pendentem in cruce Iesum Christum, non te moueant ista, non te turbent, vana sunt hæc & quæ primo quidem assultu currentem impediant, sed ad solum crucis signaculum & inuocationem Domini Iesu citius euanescunt. Et quoniam maior, vt audiui, conflictus est tibi contra voti memoriam, quasi fidem primam irritam feceris, constanter responde: *Non veni votum soluere, sed ad implere.* Coegit me, Roberte carissime, latum Domini mandatum, longam latamque formare Epistolam, & cum tibi scribere incepissem, raptus Nouitiorum tuorum caritate, & timore reditus ipsorum, stylum verti, æstimans, si eos directo vel arguerem vel monerem, fidele propositum meũ meis facilius attineri. Gratius enim metit agricola, quod manu propria serit, quàm quod aliena. Interim tu, carissime, circa Nouitios tuos sollicitus esto, per te & per alios Doctores exhortare, mone, argue, increpa, obsecra, quoniam plantæ de loco ad locum translatæ facillime arescunt nisi sæpiùs irrigentur. Deus autem meus impleat omne desiderium meum, tuumque secundum diuitias gloriæ suæ, in Christo Iesu Domino nostro. Amen.

*Planctus Ecclesiæ Aurelianensis super infectione Ioannis Decani, quam proposuit Senonis in Concilio Episcoporum præfectus Stephanus tunc temporis Sancti Euurtij Aureliæ Abbas.*

## EPIST. II.

Soror vestra sanctæ filia, sedis huius Aurelianensis Ecclesia, torrentes sanguine lachrymas, & aspersas amaritudine preces ministerio nostræ vocis effundit, planctum vnigeniti mouet, filium vteri sui, quem genuerat maternis eiulatibus requirit, & ecce non comparet, & ipsa quò ibit? Posita est quasi signum ad sagittam, facta est opprobrium vicinis suis, & qui eam vident mouent capita sua super eam. Ipsa autem gemens & cõuersa retrorsum clamat in aures Domini Sabbaot, *Vindica Domine sanguinem Leuitæ tui qui effusus est.* Et quis eam, nisi sit demens, in funere nati flere vetet; quis videat lachrymas eius in maxillis eius, & cõtemnat? quis attendat cruentas eius exequias, & lamentabile feretrum siccis oculis prosequatur? Patres mei, factum est verbum in diebus nostris, quod quicumque audierint, tinnient ambæ aures eius. Dixerunt in dolo viri sanguinum & dolosi, & de fruticum latebris fruticosæ mẽtis homines impetum fecerunt vnanimiter in ministrum altaris, fermum simul & filium crucis. In manibus eorum vasa mortis, cùm nihil minus quàm mortem expectabat ab eis. Ipsum ducem scelestæ factionis illius, qui altero sese polluerat homicidio, de mortis faucibus & exilij proscriptione suo redemerat interuẽtu. Non timuit generatio praua atque peruersa semen Chanaam, & non Iuda, progenies viperarum non ti-



A muit signum Dominicæ passionis, quod raso desuper vertice singuli nostrum gerunt, in sacro Dei Leuita profundis arare vulneribus, & faciem ad cælestis pulchritudinis similitudinem figuratam notis turpibus deformare. Virum egregium de grege hominum exemerunt carnifices & sicarij, virum qui in Ecclesia sua dispersa colligens, lapsa erigens, fatigata reparans, possessiones Ecclesiæ sic reuocaret perditas, vt non perderet reuocatas: Ioannem nostrum Martyrem simul causa fecit & pœna. Causa rigor Ecclesiasticę iustitiæ, pœna dolor passionis illatæ, quia dixerat Ioannes, immo Dominus papa per Ioannem. Non licet tibi habere portionem fratris tui clerici. Infremuit Herodes, & factus ipse speculator, in capite Ioannis crudele spectaculum mundo exhibuit. At si quæ in eo terreni contagij maculæ inhæserunt, totum deleuisse credi- B mus, & abstersisse dolores mortis, qui eum circundederunt, Dominici corporis & sanguinis sacramentum quod ea qua potuit reuerentia suscepit inter profundos gemitus, inter alta suspiria contriti cordis, & humiliati spiritus, post susceptam Eucharistiam præsentibus nobis fati munus expleuit, & qui vidit testimonium perhibuit & testimonium eius verum est. Vestra interest speculatores domus Israel, custodes murorum Hierusalem, pastores ouium Christi, vestra interest, & remedium adhibere præteritis, & prouidentiam futuris, & licet sero vobis offeratur illud. *Melius est in tẽpore occurrere quam post exitium vindicari, tamen Deus vltionum Dominus Deus vltionum gemitibus inenarrabilibus interpelletur à vobis, Clamabit vobiscum vox sanguinis* C *fratris vestri Abel de terra, clamabit & commouebit non solum terram, sed etiam cælum.* Profectò enim quis locus tutus, aut quæ causa poterit esse excusata, si venerandi ministri altaris æstimentur sicut oues occisionis? Quem murum integritati aut vallum fidei prouidemus? si ferri rabies execranda penetralia veneranda cruentat? quid denique cautũ aut securum esse poterit, si columnas Ecclesiæ sacrilega manus impunè confringit? habemus & Cæsarem qui cõdolere possit & velit infirmitatibus nostris, cuius longas manus non effugient, qui non solum offenderunt Corneliam de siccariis, sed Iuliam Maiestatis. Eduxit gladium diuinitus sibi commissum, persequetur & comprehendet, & non erit qui eruat eos. Facillimè enim in hoc summi numinis speratur venia, per quod salus & incolumitas multorum procuratur. Insur- D gant simul leges Ecclesiasticæ, armentur iura cœlestia, vt concutientibus duobus gladiis, quos in defensione Christi passuri sufficisse legimus, duplici confusione conterantur. Moueant vos lachrymosa viduatæ crucis suspiria, commune discrimen omnium, causa propria singulorum, & sic remedium conferte nostro dolori, vt honestati vestræ simul prouideatis & saluti.

*Mauricio Parisiensi Episcopo, & Stephano sancti Euurtij Abbati.*

## EPIST. III.

Reuerendis in Christo Dominis & Patribus suis Mauricio Dei gratia Parisiensi Episcopo, & Ste- E phano S. Euurtij Abbati, Petrus eadem gratia Claremontensis Episcopus salutem, & totius dilectionis obsequium. Vobis duobus specialiter fidem nostram ducimus referendam, quos & spiritalis commendat affectus dilectionis, quem erga vos habemus, & specialis intelligentia scripturarum fructuosos reddit, & cõmendabiles apud omnes. Homo iste præsentium lator quãdam olim fœminam amabat, quam quidem desponsauerat, sicut ipse dicit, sed priusquam eam acciperet vxorem, secundauit eam. Cum igitur puer natus esset, nec posset Sacerdos ad baptizandum eum congruè reperiri, pater eius immersit eum aquâ dicens, *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, & hæc est pessima consuetudo in terra nostra, vt in talis necessitatis articulo dicant,

*in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, nec totã exprimant verborum formam quæ debet exprimi in baptismo, quod vndeiare vocant. Quærimus ergo vtrum istud baptismus sit, vel vtrum puer postea debeat baptizari, vtrum etiam homo iste mulierem illam accipere valeat vxorem, quonia nboni satis esse testimonij perhibetur, & rogamus dignationem vestram, vt per litteras vestras de his omnibus certificetis nos. Valete.

*Petro Claremontensi Episcopo.* EPIST. IIII.

REuerendissimo patri & Domino Petro venerabili Claremontensi Episcopo Mauricius Parisiensis Ecclesiæ humilis minister salutem, & obsequij plenitudinem. Super quo celsitudo vestra nostram consuluit paruitatem, breuiter respondemus, quia in quem modũ forma baptismi tradi, vel recipi debeat, scripturarum diuinarum authoritate & sanctorum Patrum testimonio tandem habemus in hunc modum, scilicet. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & tanta est verborum viuacitas vt nihil immutari, nihil innouari oporteat. Nisi verò tota hæc verba simul à quocumque & quacumque lingua proferantur, baptismum esse non credimus. Quia ergo sicut litterarum vestrarum testimonio cognouimus, præsentium lator in submersione filij sui *ego te baptizo* siluit, & tantum *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti* protulit, baptismus non fuit, & ideò puer ille baptizandus est, quia baptismum numquam suscepit. Itaque de reliquo nulla superest quæstio. Vale.

*Eidem Petro Claremontensi Episcopo.*

EPIST. V.

SAnctissimo Patri & Domino Petro Claremontensi Episcopo, frater Stephanus de sancto Euurcio salutem, & cum omni deuotione reuerentiam. Premit fateor, imperitiam meam & quærentis authoritas, & nouitas quæstionis. Accedit moles verecundiæ meæ, Pater, quod in tanta consultatione vestra Domino Parisiensi me iungitis, camelo culicem, Cedro carduum, Hylam Herculi comparantes. Scriba doctus in regno cælorum profert de Thesauro suo noua & vetera, quæstionibus vestris in profunditate sensus & sublimitate scientiæ, respondit, & cæleste oraculum suum facili vobis absoluit epistolâ, felix lingua. Diuinam eius responsionem, vt Thebais Æneida, longè sequor, & vestigia semper adoro; Moueter in contrarium si absque sacris eius apicibus mihi quæstio moueretur. Qui sacramentum instituit baptismi, formam tradidit baptizandi: *ite*, inquit, *docete omnes gẽtes baptizãtes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*. Qui baptizandi sibi potestatem retinuit, in hac forma ministerium aliis concessit. Nemo dixerit quia quod dicitur, *ite docete omnes gẽtes*, vel sacramenti obtineat substantiã, vel exprimat formã. Teneamus quod sequitur: *baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Nondum ibi legi, *baptizantes eos, & dicentes: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti.* Si baptizare intingere &, baptismus intinctio est, quid aliud sunt baptizantes nisi intingentes? intingens ergo cum intentione baptizandi, si proferat quod veritas iubet, id est, *In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti*, baptizasse videtur, & formam à Christo traditam compleuisse. Etiam hæreticos, si hæc tremenda nomina protulerint, Catholicam formam tenuisse dicemus: *Nouatiani* (inquit Innocẽtius) *tremendis nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti baptizãt. Nec apud eos de vnitate potestatis diuinæ, hoc est Patris, & Filij & Spirit⁹ sãcti, aliquãdo quæstio mota est.* Sed & Pater Augustinus de Ecclesiasticis regulis, *si qui*, inquit, *apud illos hæreticos baptizati sint qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniũt ad Catholicam fidem, recipiantur quidẽ vt baptizati, ne sanctæ Trinitatis inuocatio vel cõfessio adnulletur.* Si ab hæreticis baptizati in confessione Trinitatis ab Ecclesia recipiuntur, ne Trinitatis inuocatio vel confessio adnulletur, quare non baptizatus dicetur qui à laico Catholico dicẽte, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, tertiò mersus est? Nam si hoc non admittitur, confessio vel inuocatio, Trinitatis quæ ibi facta est, tanquam quæ nihil contulit adnullatur. Idem ad Orosium, *Idem baptisma est & hæreticorum scilicet qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizant, & Ecclesiæ Catholicæ: ideo eos Ecclesia non rebaptizat, qui in nomine Trinitatis baptizati sũt & ipsa est profecto forma Sacramẽti* Ecce quia formã Sacramẽti hanc esse dicit, immergere scilicet, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti*: nõ additur, *ego te baptizo*, vel immergo. Idem de vnico baptismo, *Nequaquam dubitarem eos habere baptismum, qui vbicũque vel à quibuscunque illud Euãgelicis verbis consecratũ sine simulatione, & cum aliqua fide accepissent.* Vides Pater, quia solis verbis & Euãgelicis consecratur baptismus Nusquam autem in toto Euãgelio lego, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sãcti*, sed tantum: *baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Sed & Zacharias Papa Bonifacio Epis. *In Synodo Anglorum decretum & firmissime præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur quod quicunq; sine inuocatione Trin. mersus fuisset sacramẽtũ regenerationis nõ haberet, quod omnino verũ est, quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine inuocatione Trinit. perfect⁹ Christian⁹ nõ est nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit mersus.* Nõ ait, *nisi qui baptizat dixerit, baptizo te in nomine Patris.* Plura possẽ colligere (Pater) quæ in hac parte me mouent & motæ quæstionis solutionem promouent, Verum quia timeo & prolixitatis argui, & procacitatis notari, parco cartulæ, parco & famæ meæ. Opiniones profundo, non assertiones, paratus, vt dixi, summi & catholici viri Domini Parisiensis sequi vestigia, non tamen addictus in alicuius iurare verba. Clausulã tamen quæ à baptizantibus solet & debet dici, scilicet, *ego te baptizo*, summa reuerentia deosculor, summo studio amplector. Eam mater Ecclesia sic induxit, vt esset de solemnitate ministerij non de substantia Sacramenti. Nã si aliud dixerimus absque medio confitebimur damnatos quos in necessitatis articulo, à laicis nouimus baptizatos? hoc enim solum dicere solent qui litteras ignorantes paruulos vndaizant, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti*, in quibus verbis eandem virtutẽ inesse quàm in Latinis syllabis idẽ significantibus, & credimus & fatemur. Vehementer tamen arguendos & pœnitentia afficiendos dixerim sacerdotes, qui vel per negligẽtiam, vel per imperitiam aliquid omiserint, de verborũ solemni dignitate. Qui præmissis rationibus fidem adhibuerit, baptizatum taliter, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nõ iterum baptizabit. Itaque qui sic eum baptizauit, & spiritalis pueri pater, & matris eius compater effectus est. Vnde & si vxor eius prius non erat, impediente compaternitate, iudicio meo cum ea non contrahet matrimonium, cum qua & si prius contraxisset, secundum quod Deus dedit Papa asserit, nullo modo sese in coniugio cũ ea reciperet. Nec obloquitur quod Ioannes Papa Anselmo episcopo scribit, capitulo *Ad limina B. Petri.* Ibi namque de coniunctis, hic agitur de modo coniungendis. Et certè multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum. Nam & idem Papa in eodem capitulo rationem subdit, quare coniuncti ob talem causam non separentur, quod fieri inquit nullatenus debet, dicente Scriptura à Domino iunctam esse viro vxorem *& quod Deus coniunxit homo nõ separet.* Vbi planè loquitur de coniunctis, qui fortè aliter diceret de coniungendis. Valeat sanctitas vestra.

EPIST. VI.

SAcris auctoritatibus Patrum docemur & recta fide credimus ac tenemus, quod animæ fidelium decessctorum qui in confessione Sanctæ Trinitatis defunrunt, & Ecclesiæ orationibus commendantur Deo, & oblatione Dominici corporis requiem consequuntur æternam.

æternam. Nos autem qui diuina patientia, non meritis nostris in eminentiori gradu positi sumus, quod aliis prædicamus verbo, probare debemus exemplo.

EPIST. VII.

PAulo Apostolo attestante didicimus quia naturali successionis ordine seruato, patres filiis, non filij patribus thesaurizant, id attendens, &c.

EPIST. VIII

INstitutionis Ecclesiasticæ forma, multis excogitata vigiliis, secundum diuersitatem locorum, & temporum, personarumque, & causarum varietatem, diuersis consuetudinibus ordinatur & regitur, disponitur & seruatur: vna tamen est Ecclesia, vna Dei columba, vna fides catholica, vna circundata varietate Religio Christiana. In hoc autem omnes Apostoli & Euangelici patres vnum præbuerunt consensum, vt qui altari seruiunt de altari viuant, qui gregem pascunt, de lacte gregis edant, fructum vineæ colligant, qui vineam plantant & in vinea laborant. Sicut enim non debet alligari os bouis triturantis, & dignus est operarius mercede sua, ita & præcipitur vt qui non laborat, non manducet. Omnia tamen diebus nostris infirma sunt tempora, & homines seipsos amantes & quærentes quæ sua sunt in pluribus Ecclesiis connumerari & intitulari volunt, & in singulis percipere stipendia, quamuis vel tenuiter non deseruiant in vna. Nos multitudini parcentes, & fratrum compatientes infirmitatibus, eos de Collegio nostro qui amodo Canonici instituuntur in Ecclesia nostra, si assidue in ea mansionarij non fuerint, non omnino priuare volumus beneficio, nec plena cum aliis percipere stipendia, qui in vinea Domini pondus diei portant & æstus. Statuimus igitur, &c.

EPIST. IX.

SIcut contra desides & sui iuris contemptores, inductæ sunt præscriptiones, ita & contra imminētia pericula seu damna sagaci occurrendum est prouidentia & cautela. Et quia temporibus nostris dies mali sunt, in quibus, abyssus negotiorum inuocat abyssum expensarum, nos paterna sollicitudine quotidiana fratrum & Canonicorum nostrorum stipendia augeri desideramus potius quam minui, crescere quam perire: Inde est quod communi consilio & assensu Capituli nostri, &c.

EPIST. X.

QVia non solum ignominiosum, sed & periculosum constat esse stipendia Ecclesiastica, quæ sunt tributa egentium animarum, in turpes & detestabiles vsus consummari & consumi, decreuimus communi Concilio Capituli nostri domum mundari à pollutione sordiū & immunditia lupanari. Siquidem concubina eius laqueus & pedica animæ ipsius, luxuriosæ & superfluæ, tam in ornatu vestium, quam in cultu corporis impudici, & amplexibus, vti dicitur, alienis enormiter exponēs, & expendens, & effundens, & auferens Ecclesiasticos redditus, qui ab obsequiis diuinis Deō militantibus deputati sunt, in turpitudinis officio proiicit, deuorat, & absorbet. Proinde fraternitatem vestram rogamus, nec solum fraterne, sed & paterne prohibemus, ne redditus præbendæ suæ alicui ex parte ipsius siue prædictæ quæstuariæ soluatis absque conscientia nostra, quoniam omnia, quæ ad ipsum pertinent volumus, per manus honestarum & venerabilium personarum tractari & disponi, & in vsus hominis corpore & animo languentis salubriter ac rationabiliter expendi.

*Pro Vuillermo iuuene.*

EPIST. XI

IGnorare se dicit Salomon penitus viam viri in adolescentia sua. Facilis est & nunc huc, nunc illuc sese vertens, in biuio Pythagorico seducitur & errat. Verumtamen malis tamen est error iuuenum, qui per increptionem ad correctionem redeunt, & cum prius ambulauerunt vias non bonas, dirigunt gressus suos in semitis iustitiæ peragentes viriliter per pœnitētiam, quod pueriliter admiserunt per culpam. Id attendentes, in Vuillermo bonæ, vt nunc credimus, voluntatis iuuene, qui à vobis incaute recessit, & intente reuerti ad vos desiderat, supplicamus & petimus, vt pro amore Dei & nostro, si compunctum videritis & humilem, salua disciplina ordinis benigne suscipite, beneuole simul & benefice tractate, ne si foris quod absit, crudeles vos & duros inuenerit, calamum quassatum conteratis in eo, & linum fumigans extinguatis.

*Ad Magnum aliquem Prælatum.*

EPIST. XII.

SIcut muros almæ vrbis Iure Ciuili sanctos & inuiolabiles esse didicimus, adeo vt qui eos trāsierint, pœna capitali seueritate Romulea puniri debeant: ita & sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandata intransgressibilia Iure Canonico confitemur esse debere, & eorum contemptum seueritate Apostolica puniendum. Cōfidimus autem de beneuolentia paternitatis vestræ, quod nobis tāquam obedientibus filiis nequaquam impossibilia & intolerabilia mandare intenditis: sed quæ & præsentibus esse debeant accepta, & vtilia, & posteris profutura. Accedunt ad nos frequenter & passim cum diuinis apicibus vestris plures numero, pauci merito, sine omni examinatione, originis, conditionis, delicti, vel criminis, terribili commonitorio vel comminatorio nostram excitātes & tentantes obedientiam, vt quibuscumque à prima tonsura clericali, vsque ad sacros ordines inclusiue manus impositionem ordinatoriam contulimus, vel decessores nostros imposuisse cognouimus, eis interim prouideremus necessaria, quoadusque beneficia cōferamus. Quidam etiam quibus propriæ facultates vt inde viuere possint, ordinari tamen expetunt, vt pro titulo secūdum dispensationem sacrorum Canonum rebus propriis vtātur. nonnulli vt potestatum sæcularium iurisdictionem deuitent, tonsura tantum vel minoribus ordinibus dolo inter Clericos sese simulant aggregari. Salua sancta reuerentia vestra, nobis nouum videtur hoc, & insolitum, cum in sacris & antiquis Canonibus circa Presbyteros tantum & Diaconos præstringatur hæc obseruātia, & in sancto Lateranensi Concilio sub felicis recordationis Beatissimo papa Alexandro, cui plures ex nobis interfuerunt, suffragium suum omnibus qui aderant præstātibus, de Presbyteris tantum & Diaconibus statutum fuerit, & decretum, id libenter amplectimur, fideliter approbamus, obedienter Deo volente seruabimus, & seruamus. Impossibile autem nobis est nomina vel numerum eorum, quos infra Diaconatum ordinauimus memoriter tenere, nec minus impossibile est omnibus eis vel conferre beneficia, vel necessaria prouidere. Satius erit nobis amodo non celebrare ordines, quam hæc importabilia suscipere onera. Quod si forte cessantibus nobis contigerit, quantum periculum futuris temporibus vel personis immineat nemo dubitat vel ignorat. In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantum plerique litteras addiscunt siue paruuli, siue adulti, vt in Ecclesia Dei gradatim per ordines promoti Deo seruiāt & ministrēt. Quod si ordinatores defecerint, deficient ordinandi: & cessabunt mysteria, si ministeria cessare contigerit. Attendat & pius & iustus Pater, quia lex noua in obseruatione sua debet esse possibilis, in constitutione sua non præteritis dare formam negotiis, sed futuris. Pro his omnibus paternitati vestræ supplicamus, & preces fundimus, vt mandatum istud arduum, intolerabile & onerosum, si placet, temperetis, cui nos obtemperare & difficultas prohibet, & impossibilitas non permittit.

*Pro Vuillermo propinquo.*

EPIST. XII.

SI obliuisci potuerit mater filiorum vteri sui, & vester Tornacensis charissimæ matris suę obliuiscetur, cũ hoc & de natura videatur difficile, & de facto iudicetur enorme. Hanc autem enormitatem de visceribus vestris exturbat penitus & extirpat feruor charitatis quam erga vos habuimus hactenus, & habemus: & quamdiu vixerimus habituri sumus, quam per Dei gratiam non turbare dilationes aliquæ, nec extinguere poterunt aquæ multæ. In feruenti proposito habemus, & diutius habuimus visitare vos, sicut illos quos in visceribus nostris semper gestamus, sed huius propositi complementum nobis inuident occupationum fluctus & innumerabiliũ negotiorum occursus. Quam citius poterimus visitabimus vos, Deo volente, & inuicem gratulabimur, inuicẽ consolabimur charitate & deuotione fraterna. Accessit B ad nos frater & filius vester Vuillermus angustia sua nobis proposita & exposita ad miræ compassionis affectum viscera vestra commouit, cum nobis videatur vos eundem secundum iuris & ordinis nostri regulam non tractasse. Rogamus vos sicut Dominos nostros, de quibus plene confidimus, vt eum, qui, sicut nostis, propinquus noster est secundum carnem, & ei compatimur sicut carni nostræ, pro amore Domini & nostro reuocetis, & animam eius ab amaritudine eripientes assignetis ei statum in choro sicut habere solet, sedem in capitulo, locum in refectorio, & nos cũ ad vos venerimus offensam suam & culpam faciemus regulariter emendari.

*De Philippo 2. Francorum Rege.*

EPIST. XIII.

DOmine qui dedisti mihi panem ad comedendum, & vestimentum quo operiar, erue me de manu Principis nostri quia valde eum timeo, potentiâ premit, comminationibus terret, immissiones per Angelos malos intendit, bona altarium nostrorum præcipit occupari. Ego enim Domino Papæ & vobis semper obediens sententiam excommunicationis in eum protuli, & in terram ipsius interdicti. Abbates autem, & Decani & Presbyteri nostri nolunt sententiam obseruare, dicentes se appellasse, cum nos significaremus eis appellationem non tenere, paratus eram ciuitatem exire & exulare; sed conclusit vias meas indignatio Principis, vt nec alicui ex parte mea securus pateat aditus emigrandi. Consulite mihi Pater, plasmati vestro, quia dictus istis non D quod volo illud ago, sed quod nolo illud facio.

EPISTOLA. XIV.

VEnit ad nos miserabilis persona V. nepos vester factus filius alienus, claudicans in semitis suis: miseria sua ad misericordiam nos inuitans, paupertate ad pietatem nos excitans, tribulationibus ad compassionẽ nos trahens. Moueat vos & affectus sanguinis, quo vobis iungitur, & ciuitatis vnitas, quæ nobis & vobis natiuitatis communionem sortitur, & Prælationis vestræ titulus, quæ omnibus afflictis misericordiam impendere tenetur. Ne igitur diutius compellatur, & extra gregem E luporum morsibus patere, porcorum siliquas esuriendus manducare, Rogamus consulimus & monemus, vt qui vos per naturam meruit habere patruum, per industriam & curam mereatur habere patrem & patronum.

EPIST. XV.

QVoties agitur de crimine vsurarum, si creditor soluta sibi sorte exigere voluerit vsuras à debitore, debitor potest per exceptionem criminis tutus esse, & sibi per renunciationem vsurarum consulere, nisi fidem corporaliter præstiterit, aut iuramento firmauerit, quod sortem pariter & vsuras solueret creditori. Nam si ali- A quo casu vsuras soluisset, eas iure canonico repetere posset. Cui autem damus actionem, & exceptionem competere manifestum est.

*Aldeberto Mimatensi Episcopo, in aduersis constantiam, in prosperis æquitatem.*

EPIST. XVI

COmmunis fere Principum & Nobilium morbus est, cito credere & condemnare. Primum leue, secundum crudele est. Vtrumq; vobis alienum faciat qui in aduentu suo fecit vtraque vnum. Quod de me credidistis, non facilitati, sed innocentię, quæ omni verbo credit, vestræ litteræ deputarunt. Propterea qui me vobis detulit, maius peccatum habet. Vestra voluntaria iudicis plenis deosculor labiis, plenis visceribus deamplector. Beneficiorum memor quæ mihi exhibuistis, depono memoriam querelarum, offero me Domino meo & in eius obsequium totus ibo, & quia laboris & studii mei primitias noluistis, decimas vobis reseruo Non dubitet Dominus meus vel iubere quod voluerit, vel quod iusserit obtinere. De reddita mihi gratia vestra gratias ago, si locus & tẽpus occurrit gratiã pro gratia redditurus.

*Godefrido Abbati S. Satyri plenitudinem salutis in obsequio Sanitatis.*

EPIST. XVII.

AVxilium à potente, consilium quæritur à perito. Hæc duo, si voluntas adfuerit spei remedium pollicentur. Posse scire & velle vos credimus quod preces nostræ continent, quod affectus desiderat, quod desiderium expectat. Quemadmodum nobis & vobis filium C ac fratrẽ nostrum G. mittimus, vt in necessitate sua quæ & nostra, patrem vos sentiat & patronũ. Morbo tangitur occulto nobis, cui si nõ occurritur, in primis, metuendũ est in extremis. Excitetur affectus & effectus vester, charitas operetur, & pietas, vt ei pristina salus vestro ministerio restauretur, & quia pusillanimitatem eius scimus, etsi si propere reuerti voluerit rogamus vt eum teneatis vobiscũ, donec aut nos aut nuncium nostrum videatis.

*Decana S. Martini Turonensis pro Ecclesia S. Euurcii.*

EPIST. XVIII.

SOllicitare compellimur amicos nostros, & in preces assurgere necessitas nos compellit. Combustam D patris Euurcij renouamus Ecclesiam: vbi quia nostra non sufficiunt, aliena stipendia mendicamus, eximus in publicum nec sine rubore, ruborem abiecimus, per vicos & plateas deuotionem plebis vt possumus excitantes. Inde est quod hos fratres nostros cum sanctorum pignoribus misimus, quibus obiecto per auctoritatem vestram & operam, detur copia in Ecclesia Sancti Martini Eleemosynas deuoti populi corrogare. Non indignabitur pius & misericors confessor, sacerdoti suo vel præstare obsequium, vel hospitium præparare. Quẽ enim habet in cœlis conciuẽ & sociũ, lætus in terris hospitem suscipiet, & amplexu gratissimo confouebit.

E *Eidem pro eadem Ecclesia S. Euurcij Aurelianensis,*

EPIST. XIX.

INter fumantes Ecclesiæ nostræ cineres & ambusta renascentium parietum ligna flentes & attoniti prodire cogimur in publicum, & attrita fronte stipis exteræ suffragia mendicare. Erigitur noua confessori Euurcio fabrica, quæ sic nostris inchoatur impendiis, vt perfici desideret alienis. Misimus hos fratres nostros cum Sanctorum pignoribus, vt deuotione populi per aliquas Ecclesias vel modica fiat collatio, quæ & offerentibus in meritum, & accipientibus in solatium conualescat.

Grando

Grande est quod petimus, sed hinc nostra nos compellit necessitas, inde vestra benignitas nos inuitat.

*Cluniacensi Abbati pro priore de Ponte Monachorum remouendo.* EPIST. XX.

QVæ præ oculis habemus facilius innotescunt, lõge autẽ positis quia rarius offeruntur, & tepidius mentem mouẽt. Inde est quod in remotis domibus vestris, Pater, quæ minus idonee fieri contingat, tandiu vobis excusationẽ præstant, quandiu nesciatis, rei veritate comperta, num sit locus excusationi, quam excludit cognitio. Est in territorio nostro Monasterium quoddam vestrum, cuius Prior, vt dicitur, non secundum ea quæ conueniunt ambulat, nec restitutioni domus intendens, nec vtilitati fratrũ, aut quieti, crebras à vicinis, & quibus fides haberi debet, conquestiones audiuimus, & ipso gestu suo negotiis perhibent veritatem. Excreuerũt in immensum breui tempore debita, cum nec impleantur redditus, nec augeatur numerus fratrum, nec vetustate consumpta edificia restaurẽtur. Tædet audita referre, quæ vicini, de quorum patrimonio Monasterium sustinetur, miserabiliter nobis replicant, & frequẽtet. Videat paternitas vestra, nisi loco in desolationem vergẽti prouideatis, talem Priorem qui & honorem Dei, & Ordinis diligat, & locum ipsum in meliorem statum formet,

*Vuillermo Senonensi, pro Ecclesia Sancti Sansonis Aurelianensis.* EPIST. XXI.

IN te Pater respiciunt oculi totius Israel, vt eripias pauperem à potẽta, & cornua peccatorum confringas. In huius constantia clamat in aures Domini Sabbaoth filia Sion, Ecclesia Sancti Sansonis, & cõtra mulierem improbam quasi alteram Iesabel sub vmbra alarum vestrarum quærit requiẽ & solamen. Iniuste possessionem Ecclesiæ ciuilem & iustam nõ solum turbat, sed & aufert, cum totius fere ciuitatis testimoniũ eius inueterat improbitatem, eius impudentiam detestetur. Sententiam illam quam Ecclesia Sanctæ Crucis in eam protulit, canonicam credimus, atque iustam, & eam sicut dignum paternitati vestræ viderit, communi cum eis desiderio suppliciter à vobis rogamus & petimus confirmari.

*Alexandro summo Pontifici pro Ioanne, Clerico Aurelianensi.*
EPIST. XXII.

PArata sedes vestra, Pater, vt de plenitudine ei⁹ omnes accipiant. Et profectum paruulis, & statũ pronectioribus pollicetur. Hęc de vestra misericordia pręsumens iuuenis quidã bonæ vt nobis videtur, indolis Ioh. in Aurel. nutritus Ecclesia, & eruditus deuote à vobis & consilium petit, & auxilium expectat. Scimus enim de legitimo patrimonio & honestis parẽtibus natũ, qui & si non sint facultatibus diuites, sed moribus sunt insignes. Credimus eum idoneũ qui vel in Aurelianẽsi, vel in alia Ecclesia stipẽdia Canonica mereatur.

*Vuillermo Senonensi Archiepiscopo pro quodam Clerico.*

EPIST. XXIII.

PRofessioni simul & conditioni præsentium latoris compatiẽs, & reuereor clericum, & pauperem deã plector. Ad bestias depugnat in laicorum foro contra laicum de paterna hæreditate litigans, iudices habens eos, qui & nõ nouerunt litteras, & litteratos oderunt. Vestra Pater, sententia non minus æqua, quã iusta, coram vobis agentem clericum in illius remisit curiã, cuius annua functione ferium possessio profitetur. Eo saluo prolata est definitio vestra, vt causa studiorũ qua contigit eum abfuisse, non debuerit obfuisse. In

A contrarium nititur iudicare turba maledica, ne dicam maledicta, quæ nescit legere. Quarto conuenerũt litigantes corã iudice, & quarto filij hominum qui iudicant terram, vt vulgariter loquitur, iudicium respectarunt. Pro certo didicimus eos non minus impudenter, quam imprudenter, primo consessu iudicaturos, causam studiorum nõ esse iustam absentiæ causam ob quã aut ipso iure non fuerit læsus, aut restitui mereatur, cuius absentis & studentis hæreditas distracta est. Si sic eos proferre contigerit, & iuri communi contrarium, & sententiæ quam dedistis, vt inimicum testagabitur & iniquum. Sed ad consequentiam trahi poterit in causis consimilibus, Pater, vt iam non sit, qui causa scholarum patrios lares excat, ne dum facultates quæsiarit temporales, facultates amittat liberales. Placeat vobis Pater, in hoc articulo con ilium & auxilium dare, non huic tantum clerico, sed omnibus aliis, quo- B niam communis causa est omnium, & propria singulorum. Bene valeat sanctitas vestra.

*Domino Alberico Bononiensi Legisperito pro Hugone Aurelianensi Clerico.*

EPIST. XXIV.

ABsentiam vestram supplet mihi frequẽs nominis vestri memoria, & suauis morum vestrorum recordatio iucundũ animæ meæ plausum excitat, iocundam celebrat Theatralium actionem. Inde est quod amicis & domesticis meis nomen vestrum frequenter insinuo, magnifico & extollo. Hac de causa mihi securius ad vos charissimum amicũ meum harum præsentium latorem, vt eum causa mei beneuole simul & benefice vobiscum habeatis. Dignum enim credimus cui & honorem exhibeatis & fauorem.

*Item Domino Vuillerno Bononiensi pro eodem Clerico.*

C EPIST. XXV.

HIlaris opinio tua reatu commeatium, seipsam in dies excedens, gratum mihi præbet spectaculum, gratam refectionẽ ministrat. Crescat obsecro, & sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, longe lateque diffusa, in adiutorium tuum remotas excitet nationes. Hoc & cõtinuum de te votum meum hæc deprecatio ingis, hæc indefessa voluntas. Interim dilectioni tuæ commendo hunc amicum meum charissimum Hugonem vt eum causa mei benigne suscipias, & ei cõsilium & auxilium tuum libenter impendas.

*Neapolitano Priori, deuotum mutua charitatis obsequiũ.*

EPIST. XXVI.

EA iucunditate simul & lætitia, frater amantissime, nominis tui recordor, quæ animæ veram amicitiã degustanti non minus afferat dilectionis commodum, D quam delectationis condimentum. Inde est quod si quos videro, qui te, aut qui tecum sunt viderint, frequenter interrogo, qui locus habitationis vestr, quis viuẽdi modus, quæ Domini Cardinalis circa vos sollicitudo, quæ denique fratrum nostrorum volũtas, aut ibi commorandi diutius, aut citius reuertẽdi. Hæc autem diligentius inquiro, nõ vt aduersis, quod absit, cõgaudeam, sed vt prosperis condelecter. Inter omnia & super omnia, dilectissime, fratrem nostrum R. tibi cõmendo, gratias agens de præteritis à te ei exhibitis beneficiis, preces porrigens de futuris. Memento Pater & frater illius filii nostri communis, & iuuentutem ipsius salubribus informa monitis, foue consiliis, robora documentis. Quicquid ei boni feceris, mihi collatum, & in plateis & angulis prædicabo.

*Domino Roberto Abbati sancti Euurcij Aurelianensis.*

EPIST. XXVII.

TRinis, Pater, edictis, & eo amplius accingor ad reditum, ne cõtumaciæ pœnas luam; peremptorio demum misso, vnum sofficeret pro omnibus, etiam si nullum aliud præcessisset. Ne ergo idemptitateon ipso tuere non habeam, vel restitutionis auxiliũ non merear, vel expectationis ope non adiuuer, aduoluor pedibus vestris, vt necessitatis inducias quas hactenus obieci cõtumaciæ non adscribatis, ne contrahatur heremoditiũ super me, ne procedat calculus in absentem, cuius absentia nostræ Reip commodis elaborat. Moratoriis exceptionibus abiectis, Domine Pater, id promitto, quoniam in Pascha Deo volente transitum faciã ad vos in grege Domini, & si non agnus, saltẽm vt hœdus pascua B eius humiliter ingessurus. Præmisi puerum hunc ad me cito reuersurum, cui si necesse foerit, obsecro assistatis, ne fratres eius portionem paternæ substãtiæ quæ et cõtigerit vi aut præiudicio sibi vsurpent. Iam maturassem reditum, sed subuectoria non habebam. Prouideat mihi Deus, vt cum libris meis ad vos gemina possim equitatura reuerti. Temeritatis esset Pater, io hoc articulo à vobis aliquid petere, sed pietatis esset, verecundiæ non petentis offerre.

*Vuillermo Senonensi Archiepiscopo.*

EPIST. XXVIII.

DIfficiles, & aut suam, aut Regis Anglorum gloriã quærentes, vt credo Turonensis Prouinciæ Episcopos inuenimus. Primo diei cõgressu vsque ad vesperam C protracto potius quã tractato, sufficere sibi ad satisfactionem putabant, si Canonici sese offendisse dicerent, vt veniam postulantes promitterẽt, se tale aliquid de cætero nõ facturos. Sed quoniam in his paucis verbis magna mali materia latebat, & dignitatẽ regni lædere in posterum posse videbatur, nec nos præbuimus consilium, nec illi præbuerunt assensum. Sequenti die iam nihil proficientes erant, laboribus aut sumptibus suis parcentes, aut personę, vt ipsi dixerunt, deserentes. Vtramque manus impositionem, ordinatoriam, scilicet, & consecratoriam, saluo iure suo, promiserunt.

*Aniciensi Episcopo pro Ecclesia S. Euurcij.*

D EPIST. XXIX.

BEnedictus Deus qui post tempestatem serenum facit, & post lachrymationem & fletum consolationem infundit. Et nunc quoniã reddita vobis trãquillitate & pace, in his quæ ad honorem & augmentũ Ecclesiæ Dei sollicitum vos esse credimus & deuotum, rogamus & petimus vt donum quod in Capitulo nostro, præsentibus quibusdã Clericis nostris, Ecclesiæ nostræ & nobis fecistis, sine dilatione si libet, compleatis. Propterea nisi ad vos Canonicũ nostrum, venturus & ipse si mandaueritis, & obsequium meum vobis & Ecclesiæ vestræ longe ac prope semper exhibiturus. Mandes mihi Dominus meus, si quæ sunt cõtradictiones quæ vel auferre nobis donum vestrum possint, vel differre. Tãtum enim nos laborem frustra suscipere non nobis expedit, nec vos decet. Valete.

E *Item B Anicie & Canonico pro eadem Ecclesia.*

EPIST. XXX.

MEmor antiquæ liberalitatis & amicitiæ vestrę, diem & locum videre desidero, quando & vbi iucũdo aspectu vestro frui merear & affatu. Causa præsto est, si eam promouere volueritis & fouere. Credo vos ab aliquo audisse, quod Dominus Episcopus consensu quorundam Canonicorum nostrorum domum Dõẽ Ecclesiæ nostræ cõcessit, vt in ea regularis ordo ad honorem Dei & profectum loci seruẽtius obseruetur,

A & ego qui vester sum, possim vobiscum...... frequentius conuersari. Proinde precor inclitam benignitatẽ vestram, de qua plene confido, vt sine dilatione rem faciatis ad effectum perduci, & si quæ contradictiones ortæ fuerunt, per vos & per amicos vestros studeatis extingui.

*Hugoni Abbati S. Bartholomæi Nouiomensis.*

EPIST. XXXI.

QVoniam ouis quæ extra gregem est, luporũ morsibus patet nisi citius reducatur ad caulas; & pecudis simul periculũ & pastoris. Ideo attẽdẽtes in præsentium latore I. quondam Canonico & fratre vestro bonam eius reuertendi ad Claustrũ suscepimus & ap-B probauimus voluntatem. Precamur misericordiam vestram, vt aditus supplicandi pandatur, colligatur vagus & profugus super terram, stolam primam & annulum reformet pater, ne diutius aut porcos cogatur pascere, aut eorum siliquas esurire. Mouit nos eius, pro quo supplicamus, supplicatio, qui vt euadat supplicia, supplex desiderio quod opere minus fecit.

*Ioanni Turonensi Archiepiscopo.*

EPIST. XXXII.

NIhil honestius charitate, quæ & incognitos ligat & conciliat separatos. Hæc septentrionem orienti, Gãdes Oceano, Latinis Barbaros, salutis commercio federauit. Huius officio Dominus Consetan. electus nobis accessit, concordiæ filius mansuetudinis heras, C virtutum, vt credo, non inquilinus, sed ciuis, non æstimator, sed iudex, in eo prudentiæ sermo, temperantiæ risus, status fortitudinis, iustitiæ motus quadratũ motiuorum exemplum: non minus religiose quam studiose moram fecit nobiscum, in altero Episcopus, in altero philosophus, in vtroque maturus, in neutro dissolutus. Pro tanto vobis viro preces offerre tum charitati conuenit, tum expedit honestati. Si quid gratiæ Stephanus vester habet in oculis vestris, abũdet in viro præsenti, & oblatas cõmunis amici preces sibi sentiat profuisse, nec solum pro eo de futuris preces porrigimus sed & de præteritis plenas gratiarum referimus actiones.

D *I. Pictauiensi Episcopo salutem, & quam mundus dare non potest pacem.*

EPIST. XXXIII.

PEregrinationem vestram absentia tanti patris mihi fecerat grauem, deuotio sancti Martyris gratiosam. Redeunti summa gratiarũ actione lætus occurro, quẽ summa orationũ instantia tristis fueram prosequutus. Reditum desiderabam communi salute, pro pace principis minus sollicitus, quia minus solitus exorare. Cumulatius accessit votis meis salutationis officiũ, & pacis signum osculo oris sui vobis à Principe datum leui mihi nuntiauit cartula, grauis lingua. Crescat in dies obsecro gratia, quæ tantum granarum non displiceat auctori, nec dulia, quæ in quibosdam nostri temporis sacerdotibus latriam exclusit, vestram audeat opinionem tentare. Communem patronum, & minus sapiẽs E dicam olim Dominum & amicum, Sanctũ Thomam precor, vt sacris sollicitetis precibus, ne post gloriam martyrij sui me tanquã indignum reiiciat, quem ante colloquio simul & consortio suo dignum aliquando iudicabat.

*Abbati Sancti Bartholomæi Salutem, prosperitatem, & pacem.*

EPIST. XXXIV.

VT impleatur quod dicitur. *Qui audit, dicat, venis* & audisse nos dicitis, & vt veniam, ore rogatis.

Votum

Votum peregrinationis nullum feci, quam tamen non differrem si occasio se offerret. Occasionem afferunt (A) occupationes, quarum malicia diei sufficit, quarũ mali strepitus non solum Mariam impediunt, sed & Martham confundunt. Interim horas capto, momenta cõsidero si forte furari possum negotiis otium, quietem labori, faciem amici confabulationibus æmulorum. De Neapolitano nostro, nihil aliud didici, nisi quod inter Abbatem & Priorem nescio quod monstruosum Prælationis genus exprimens sic vtrumque portendit, vt neutrum exhibeat, sic declinat in neutrum, vt alterutro non oneretur. De domo Cardinalis in numero, & pondere, & mensura dispensatur eis, vnde mercenarij potius quam filij, stipendiarij, quam milites, præbendarii, quàm Canonici reputantur fratres. R. quem cum eis misimus, vltimum apud eos diem clausit, & eo nos (B) reddidit tristiores, quo Canticum Domini in terra aliena canians fratrum suorum non obtinuit sepulturam. Cecidit funiculus sortis, immo mortis huius super nos, & super filium nostrum. Videat quid fecerit, qui tantis nos impulsionibus adegit, vt de sinu nostro talem iuuenem eriperet violenter, quem in alieno solo solum præter alios sepeliret. Rogamus Pater, vt animam eius coram Domino Iesu & commendetis orationibus, & oblationibus adiuuetis.

*Magistro Roberto, salutis plenitudinem & gaudij perfectionem,*

## EPIST. XXXV.

IVcũdo fruor spectaculo, quoties tui nominis audio sonum, aut tuæ recordationis ingredior cogitatũ. Facit hoc & prisca studiorum nostrorum cõmunio, & morum tuorum communi gratiæ conueniẽs habitudo, inde est quod in negotio præsentis amici mei secum tibi supplico, confidens vt ei pro amore meo consilium & auxilium impendas, quo & preces meas sibi sentiat profuisse, & in curis Domini mei aliquem me amicum habere cognoscat. Causam habet coram Domino meo, in qua quoniam mei copiam facere nõ possum ad eundem, absentia precor, mea per tui præsentiam suppleatur. Opinantur aliqui de me supra me, & aliorũ æstimatio sic excedit conscientiam meam, vt exosam habeam quandoque confidentiam alienam. Talium est vnus præsentium lator amicus meus, & in Curia Domini mei, in qua negotium habet, me posse aliquid cõfitens, & confidẽs, vt vos & cæteros amicos meos pro ipso sollicitẽ, sollicite me compellit. Dilectioni vestræ preces fundo, vt ei pro amore meo, & in edẽdo dictetis consilium, & in postulando patrocinium præbeatis.

*Remensi Archiepiscopo pro Abbate sancti Bartholomæi Nouiomen.*

## EPIST. XXXVI.

HVmiles vobis, Pater, porrexeram preces pro Abbate sancti Bartholomæi, viro simplici & recto, & timente Dominum, quas, Pater, non vt consueuistis animo, beneuole suscepistis. Homo senex, infirmus ac (E) debilis, & quem multa circumueniunt incommoda, si viam aduersæ peregrinationis fuerit ingressus, viã vniuersæ carnis facile est ingressurus. Parcite obsecro canis eius, & ne homo Dei iniuste vexetur, auctoritatem vestram opponite, molestamenta comprimite, molestias cohibete. Confisus de benignitate vestri responsi virum retinui, viam distuli, securitatem promisi. Agite, Pater, obsecro, vt tantus altaris minister altare, de quo contenditur, quiete possideat. Episcopũ qui contendit pacatũ sentiat, auctori pacis & fundatori quietis suæ gratias agat. Scio enim quia nec tantæ gratiæ vestræ erit ingratus, nec tantis beneficiis indeuotus. Valete.

*Eleemosynario Regis.*

## EPIST. XXXVII.

RAro accidit vt de plebis Incircuncisæ duritia, in nouam Ecclesiæ renatus infantiã fideliter aliquis conuersetur. Quod si præter exempla quæ videmus occurrit, eo carius, quo rarius, amplectendum. Pauper iste de Iudæis ortus parentibus, Iudæorum scandalum crucem Christi non erubuit, & ab Episcopo Legionensi baptizatus, de massa perditionis inter catholicos & Ecclesiæ suæ Canonicos translatus, disciplinis & ministeriis Ecclesiasticis legendi simul & cantandi plurimum edoctus, in scholasticos sudores sese dedit, vbi vestris pariter, quoniam ei Deo volente manum semel aperuistis, (B) & aliorum eleemosynis sustentatur. Precamur, Pater, si placet, vt in numero pauperum illorum qui pro Domino vestro Domini regis nostri filio aluntur, eum cõputari faciatis, quoniam & ipsius verecundia, & paupertatis, ac laborum volũtaria patientia, de ipso præsumimus fidei fructum & salutis, ac laboris. Capicerius sanctæ Crucis cum ad sanctum Iacobum iret, in Capitulo Legionensi conuersationis eius honũ audiuit testimonium, quo & ipse illi benefaceret, & nos ad benefaciẽdum ei deuotius inuitaret.

*Abbati sancti Bartholomæi.*

## EPIST. XXXVIII.

(C) GRata est occasio, quæ ad correctionem vestram dedit mihi materiam rescribendi. Salutationis meæ formam notauit diligentia vestra, litterarũ superficiem attendens, nõ medullam. Profiteor me sanè spiritualibus pauperem, temporalibus abundantem, in vtrisque tamen nihil in nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nunc tandem liber à iugo sollicitudinis & curæ, quæ corruit & sollicitat, oratione delector, & lectione, sciens & ruminans, quia erit tempus quando nihil inuenient omnes viri diuitiarũ in manibus suis. Ego autem videns paupertatem meam cum Paulo dico, quia diuites facti sumus in illo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Nec ætatis nostræ, nec propositi est, vt illas amemus diuitias, quas ærugo (D) & tinea demolitur, quas fures effodiunt, & furantur. Idem & de vobis æstimo, vestram considerans prudentiam & ætatem.

*Illustri R. Hungariæ Regi.*

## EPIST. XXXIX.

MAnifestis ad nos venientium litteris, indies experti sumus, quia iustitiam diligitis, & colitis veritatem. Hæc est sublimitas regni vestri, hæc vestri gloria principatus. Inde est quod excellentiam vestram scire volumus, quia bonæ memoriæ adolescens Bethleem, qui apud nos in Domino requiescit, in sancta cõfessione & fide Catholica, coram omnibus, absque contra- (E) dictione seu querela creditorum aut fide iussorũ, in Ecclesia nostra sepultus est. Sed & cum nuper ob hanc eandem causam nuncij parentum ipsius ad nos venissẽt, diligenter inquiri fecimus an aliquo debito, siue apud Christianum, siue apud Iudæum obligatus Parisiis teneretur, facta circiter decẽ diebus hac inquisitione, non est inuentus, qui vel principaliter, vel secundario prædictum adolescentem sibi diceret obligatum: parati erãt prædicti nuncij soluere si quis sibi pro eo aliquid fateretur deberi. Verũtamen sicut nõ cõparuit creditor, sic & defuit fideiussor. Hic interfuerũt clerici de regnõ vestro Iacobus Michaël, & Adrianus. Valeat sanctitas vestra & regnum vestrũ coram Domino roboretur.

*L. & Christianæ eius vxori, pro filio ipsorum.*

EPIST. XL.

Contristari, sicut & cæteri qui spem non habent, super filio vestro bonæ memoriæ Bethleem non debetis, quoniam in sancta confessione, in fide Catholica, in spe communi, in charitate non ficta, in manu Domini spiritum suũ commendauit, in Ecclesia nostra coram Clericorum & laicorum multitudine fideli, Missis peractis & oblato pro eo vnifico sacrificio sepultus est. Crediti aut debiti nulla mentio, nulla † commemoratio querelarum. Occasione rumorum quorũdam, quos postmodum falsos didicimus, venerunt ad nos nuncij vestri, & sicut diximus, nihil eorum quæ dicta fuerant inuenerunt, diligenter à nobis inquisitione per decem circiter dies, nec Christianus nec Iudæus apparuit, qui sibi prædictum filiũ vestrum aliquo debito diceret obligatum. Hæc vidimus, hæc testamur. De cætero vobis quotidianas & vberes gratias agimus, super beneficiis vestris, qui primis secunda muneribus addidistis. Attulerunt nobis xenia deuotionis vestræ duas casulas sericas, & vnum vexillum, & marcam argenti, cũ nũmo aureo, & V. sol. ad faciendum Calicem, & equum album ad conuehendos lapides in opus edificij nostri liberaliter obtulerunt. Retribuat vobis Deus in vita æterna, & pro tantis beneficiis vestris benefaciat vobis in æternum. Valete.

*Portuensi Episcopo pro Decano & Succentore Carnotensi.*

EPIST. XLI.

Ecclesia Carnotensis inter comprouinciales & longe positas, sicut est auctoritatis præcipuæ, sic & erit opinionis præclaræ. Eam tãto profundius tenemur diligere, quanto profusius ab vberibus cõsolationis eius & blandimenta suscepimus, & fomenta. Collaudantur viscera eius, & in quibusdam filiis suis repetit prauitatem. Huius compassionis zelo permoti Decanus & Succentor Ecclesiæ Carn. Domini Papæ misericordiã & expetunt & expectant. Amici nostri sunt ex diuturno conuictu, & honestæ conuersationis suæ testimoniũ, Pascha nobis eorum societas repræsentat. Sanctæ paternitati vestræ preces fundimus pro vtroque, quorum neutrum iusto desiderio suo fraudari volumus, & alterum in alterutro confidimus adiuuari. Eorũ petitiones sicut nostras suscipite, & in oculis Domini Papæ commendabiles faciet eos gratia vestra, qui de nobis confidentes mendicare suffragia nesciunt aliena.

*Prænestino Episcopo pro eisdem.*

EPIST. XLII.

Carnotensem Ecclesiam in regno Francorum cõmendabilem & communis opinio prædicat, & antiqua dignitas repræsentat. Eius quietem & pacem tãto arctius diligere debemus, quanto altius beneficia ipsius & sensimus & sentimus. Mouentur in ea filij contentionis & rixæ, & minimas occasiones vsque in maxima scandala protendere moliũtur. Compatientes matri suę præ cæteris Decanus & Succentor; ad Dominum Papam supplices accedunt, vt inde iniuriarum puniantur præsumptores, vnde iura sumuntur. Specialiter eos diligimus, & diligimur ab eis, quorum antiquæ societatis & diuturni conuictus reliquias sub honestæ recordationis memoria retinemus. Preces fundimus sanctitati vestræ vt eorum desideria, petitiones, vota, & suscipiatis beniuole, & benefice complectis.

*Domino Gratiano Cardinali sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

EPIST. XLIII.

Reliquiæ cogitationis meæ diem festum agũt mihi, quoties recolo me fuisse socium vestrũ in auditorio vulgari, quem modo lætus suspicio Dominum A meum in ministerio Petri. Et quoniam gratia vestra merita multorum excedit, & vota, quamuis erga vos aliquid † videlicet meruerunt, precor vt quem beniuolum videre merui, beneficum merear inuenire. Quidã dissensionis & scandali filius, olim Canonicus noster, qui propter intolerabiles & enormes excessus suos quinquies de Ecclesia nostra eiectus est, Dominum Papam suo mendacio circumuenire pertentat. Mandato Domini regis, qui peruersa illius hominis opera nouerat, Regni fines abiurauit, verberauit plures è fratribus nostris, & ad vltimum Priorem nostrum virum religiosum & honestum repetitis ictibus pugno impie percussit. Mihi quoque multas & acerbas cõtumelias, postquam à curia reuersus est, irrogauit. Manifestauimus Domino Papæ per litteras capituli nostri, qualitatem hominis, quē B ignorat, vt agnita veritate & ipse mãdet quid voluerit, & nos quod mandauerit faciamus. Malumus enim si Domino Papæ placuerit pestẽ illam cũ periculo nostro suscipere, quã inobedientes apparere. Precor benignitatẽ vestrã, vt pio Dei amore, & Ecclesiæ nostræ conseruanda concordia, à tanto nos incommodo liberetis.

*Vvillermo Remensi Archiepiscopo pro Hugone Abbate sancti Barthol. Nouiomensis.*

EPIST. XLIV.

Conceptum diu renuntiandi desiderium suũ oneri, & labori, honori sibi iniuncto, filius vester Abbas sancti Bartholomæi, ad finem vsque perducere & C expetit & expectat. Propitios in prima sua petitione inuenit filios & fratres suos, qui conuenientem sufficientemque sibi sustentationem benigna pariter ac cõcordi conniuentia concesserũt. Proinde sanctitati vestræ preces fundo, vt quod ei fratres sui concessione beniuola concesserunt, contulerunt, vos ei per gratiam vestram auctoritate benefica confirmetis. Quod superest pater sancte, de subrogando suo successore consilium à vobis & auxilium petit, vt de Ecclesia sua illa quam ope & opera sua prout potuit & extulit & crexit, temporaliter simul ac spiritualiter, prouentum habeat & profectum. Mandet obsecro sancta paternitas vestra Siluanectensi Episcopo vt ad Ecclesiam illam accedat, & ad concordiam fratres monens, auctoritate vestrã eos inducat, vt D personam idoneam & religiosam, & patrem sibi eligãt & pastorem. Ipse namque institutionis ordinis nostri quo magis expertus est, minus expertus est aliarum, & seditionem sedare poterit, & ad conuenientiam conuocare. Valete.

*Vvillermo Remensi Archiepiscopo pro Domino Turonensi.*

EPIST. XLV.

Absentia vestra, Pater, magis interim nobis est lethalis quam læta, grauis quam grata, formidabilis quam formosa. Quod superest, quotidianas precũ pro vobis & sociis immolamus hostias, vt qui de recessu vestro merito tristes fuimus, de reditu vestro vel subito E gaudeamus. Dominum & familiarem vestrũ, & qui vt credimus intimo vos diligit affectu, Turonẽsem Archiepiscopum ad sacrum Concilium euntem Parisiis vidimus, ægritudine cronica plusquam credi possit, afflictum, & quasi in imagine pertranseuntem hominem, sine viribus virum procedere volentem nec valentem. Certabat contra naturam suam homo impotens, certabat contra suorum consilium & voluntatem, vt proficisceretur sine profectu, moreretur sine mora, pareret cum periculo, cum obitu obediret. Huius tam æui dominans incommodum Dominus Rex aspexit nec despexit, & Metropolitano suo compassus infirmitatem eius, iure metiens & non mentiens, eo retento causam absentiæ

absentiæ iustissimam Domino Papæ, sicut debuit, & cũ decuit, intimauit. Mihi quoque paruulo fideli suo Christianissimus Rex noster dedit in mandatis, vt sicut oculata fide perceperam pro prædicto Archiepiscopo Domino Papæ scriberem, quod & feci. Scribo etiam paternitati vestræ fidelis ac deuotus famulus vester, obtu- ac rogans & supplicans, vt in sacro Concilio excusatum habeatis illum amicum vestrum, quem infirmitas retinet, non voluntas. De Dolensium autem causa, quæ auctoritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scripta est, miratur admodum Dominus Rex, & eam moueri sic mouetur, vt non toleret promoueri. Satagat obsecro paternitas vestra, vt Ecclesia Turonensis, quæ vsque ad senectutẽ sanctissimi Regis nostri super hac quæstione, tranquillitatem habuit & quietem, quasi extremis diebus eius nõ amittat, quam hactenus habuit dignitatem. Voluntatem ipsius & mentem noui, quia quicunque in hac causa Turonensi Ecclesiæ aduersarii fuerint, suos æstimabit aduersarios, quicunque pro ea steterint, sibi asseret astitisse. In fine loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis. Sic habeat se precor sancta discretio vestra in negotiis, quæ Dominum Regem contingunt, vt & in Laudunensi vos laudet, & non doleat in Dolensi.

A

*Bartholomæo Turonensi Archiepiscopo.*

EPIST. XLVII.

POst tenues dietas & noctes insomnes, quas in dolorib. meis ægritudo cronica cõcepit & peperit, modicũ quietis & refrigerij minus instantia mea quotidiana sollicitudo Ecclesiæ meę mihi promittit ac permittit. Hipocratis & Galeni discipulos vt mihi consulant consulo, incerta semper ab eis oracula reportans, qui in vase vitreo, coloris & substantiæ peccata discernunt, dum eorum opem & operam expetens expecto, dum artem artis attendo, dum ago vt ægritudinis meæ nodos incidãt, ipsi nodosas incidunt quæstiones, dum mihi quasi sub periculo salutis inhibent studium ac laborem. Hæc sunt quæ impediunt ne impendam supra posse velle, ne si voluero quod non possum, sic in alterutro non proficiam, vt deficiam in vtroque. Hæc sunt quæ in sermonibus conscribendis & desiderio desidiam afferunt, & auferũt voto vocem. Pateat obsecro mihi paternitas vestra, & vsque ad plenitudinem salutis & conualescentiæ perfectæ super iis quæ postulatis inducias indulgete. Valete.

B C D

*Domino Papæ, pro G. Abbate S. Victoris Parisiensis.*

EPIST. XLVIII.

EAm pater ignorantiam facti credimus excusabilem, non quæ supinæ simul & crassæ mentis hominibus accidere solet, sed quam perfectis etiam & vere philosophantibus viris inuidia temporum ingerit, aut locorum huius insidias perpessus innocentiæ filius, & obedientię custos Abbas Sancti Victoris, factum Apostolatus vestri mandatum non curasse credendus est, non elusisse dicendus. Cum enim diuinas illas litteras vestras Calẽdis Ianuarij, vt ex earum subscriptione constat, nuncius susceperit: secunda post Octauas Pentecostes feria præfato eas innocenti & simplici viro detulit ac porrexit: industria an incuria cuiusquam factum fuerit nescimus, factum tamen nullatenus dubitamus. Et quoniam vir ille religiosus timens Deum, ad vnius etiam visionis vestræ vocem paratus est, & in carcerem, & in mortem ire, excusabilem faciat eum apud vos innocentia propria, quem accusabilem forsitan reddit temeritas potius aliena. Clamat interim infirmitas viri, clamat, & virtutis corporeæ defectũ prætendit, vt in hac vocatione vestra si placet, ei parcatis, ne non possit proficere si cœperit proficisci. Quia tamen Idololatriam & inobedientiam æquis passibus ambulare non ambigit, tam deforme simulachrum & enorme abhorrẽs, spiritu quidem prompto quamuis carnę infirma, vt mandatis vestris mereatur obedire, non verebitur obire.

E

*Domino Papæ, pro B. Turonensi Archiepiscopo.*

EPIST. XLIX.

DOmesticum nobis ac cæteris filiis vestris gaudium est, Pater, quia beatæ paternitatis vestræ sinus sic extenditur ad singulos, vt suscipiat vniuersos. Ab vberibus consolationis eius & iuuantur pusillanimes & flebiles refouentur. In huius spei virtute deuotus filius vester B. Turonensis Archiep. licet longa ægritudine afflictus, & supra humanum caracterem extenuatus, ad sacrum Concilium vestrum iter arripuerat, & quæ non poterat corpore, animo satagebat implere. Is cum venisset Parisius locututus in transitu suo cum Domino Rege, recidiua correptus infirmitate sine periculo mortis, vt credimus iter inceptum, & si oportuit, non tamẽ potuit consummare. Infirmus infirmo testimonium perhibeo, de conscientia mea loquens, quia si abiret, obiret, si proficisceretur non proficeret, si non moraretur moreretur. De cætero pater sancte super negotio Turonensis & Dolensis Ecclesiæ, volo vos voluntatem Domini Regis nosse, cuius merita & apud vos efficaciter viuunt, & sui memoriam vestris successoribus perpetuo derelinquunt. Qui læserit Turonensem Ecclesiam, pupillam oculi eius læder, & diminutio eius vel modica, coronæ suæ maximum afferet detrimentum. Dolet admodum de Dolensium dolis, qui litem sopitã suscitare contendunt, & sanctam religionem vestram circumuenire pertentant. Parcite, Pater, obsecro, filio vestro Regi sancto, parcite paci eius & quieti, parcite regno Francorum, quod sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in omni persecutione sua fidele semper extitit ac deuotum.

*Magistro Petro Tusculano Episcopo.*

EPIST. L.

INiunctum à vobis, Pater, obsequiolum prout potui compleui, quasi in syluam ligna ferens, quasi solem certans facibus adiuuare. Rogo vt puerilia mea quãuis digna sint risu, beneuolo tamen suscipiaris aspectu. Iuges orationum hostias offerunt pro vobis in Ecclesia Beatæ Genouefæ filij vestri, tanquam pro salute vestra labiorum vitulos & cordis immolantes. Memor ergo beneficiorum vestrorum, quæ supra omnem mortalem mihi contulit benignitas vestra, memoriam vestri fixam in meis visceribus gesto, cum ea confabulans & colludẽs, cum ea delectationis meæ primitias ac decimas delibans ac degustans, pro Abbate Sancti Bartholomæi viro honesto & iusto, paternitatem vestram deprecor, & vt necessitatibus Ecclesiæ suæ beniuulum ei consilium, & beneficium auxilium præbeatis. Valeat sancta vestra paternitas, & de bono in melius proficiens augeatur.

*Archiepiscopo Toletano.*

EPIST. LI.

EAm Prælatis imminere sollicitudinem decet, vt subditorum errores & doctrinâ corrigant, & corripiãt disciplinâ: nec debet deesse seueritati serenitas, vbi profert sacerdos sententiam, pater pœnam. Temperet in vicario Christi rigorem dispensatio, ius strictum æquitas, potestatem iudicis sinus patris. Sacrificium ex adipe, simila oleo lita, misericordia super exaltans iudicium commendatur. Hæc sunt, Pater, quæ circa pauperem spiritu præsentem filium vestrum nos mouent: & vt ad compassionem vos inuitemus, non inuitos inuitant. Delictum suum cognitum nobis fecit, & in suscipiendis sacris ordinibus, aliquid de labe & nube Simonis, quamuis simpliciter sese bibisse, confessus est.

Munus ab obsequio quod per æque ac munus à manu in hoc sacro contractu reprobatur. Cuidā qui manū fecit ei imponi, & promisit, & exhibuit annuum ei ea pacto seruitium impendens, & quasi non ingratus gratiæ, quæ tamen si gratis non datur gratia nostra non est Fidei cōtrariam pollicitationem implens, errauit ex ignorantia, quæ forte in Philosophum non cecidisset, sed eacusat simplicitas quem ignorātia minus accusat. Preces fundimus pietati vestræ, vequia potestatem super eum ligandi atque soluendi accepistis, suscipiatis infirmum, & ei veniam præstetis, de misericordia, quem fortassis de iustitia damnare potestis. Valete.

*Vuillermo Senonensi Archiepiscopo.*

### EPIST. LVII.

SOlet innocentiam astutia supplantare, & veritati dolus insidians conscientias simplices aggreditur, vt quæ non rapuerint exoluant. Ista, pater, attendit & vindicat veritatis & iustitiæ minister: Quotiens aut condemnat subdolos, aut innocentes absoluit. Hæc me vobis preces fundere pro Cantore, & Archidiacono compellunt, quorum fidem, & veritatem, & integritatem mores prædicant, fama clamat, & sincera religiosorum commendant testimonia, & quod non modicum est, magni Patriarchæ præfert auctoritas, cuius consilus & obsequiis vsque ad exitum vitæ fideliter astiterunt. Pro his toto mentis affectu rogo, & vos pro ipsis, Domino Papæ benigne scribatis, ne aduersus eos præualeat homo, ne mendacium veritati, virtuti vitium, dolus fidei præferatur.

*Domino Papæ.*

### EPIST. LVIII.

INstar sacrilegij credimus esse vestram, Pater, velle fallere sanctitatem. Sed nec impunitam sibi fore mēdacij licentiam nosse debet, qui primus fidei aut integritatis vestræ vallum suo posse credit maculare mēdacio. Quisquis ille est suæ ferat astutiæ pœnas, & qui innocens est absoluatur. Explorate viros, fidei & boni apud nos testimonij, Cantorem & Archidiaconum, non vulgari relatione didicimus, sed sagaci inquisitione percepimus & præsentia corporali. Nam & in ciuitate ipsorū tot accepimus testimonia, pro ipsis, tot indicia virtutis, tot innocentiæ consonas voces vt de fide ipsorum maxime circa pecuniam beatæ memoriæ Petri Patriarchæ sui, vel depositam, vel relictam, quasi nefas sit dubitare. Omnia sub luce fecit ille prudens testamenti sui conditor, & in abscondito loquutus est nihil, per manus Religiosorum, Abbatum, & Clericorum bonæ opinionis, quorum nullus nisi fidelis & prudens circa pecuniā Domini sui: & exclusa sunt omnia, & Ecclesiis, ac Monasteriis & pauperibus, sicut ille magnus sacerdos eorū fidei commiserat erogata. Si quid dolo actum est omnes illos attaminat hæc culpa, nec est qui se abscondat à dolore isto. Sed eos, Pater, sicut tanto scelere inuolui religio prohibet: sic opinio credi vetat. Proinde sanctitati vestræ preces fundimus, vt eorum laboribus & pudori, parcat paternitas vestra, & qui à fraude sunt extranei, à pœna sint alieni. In hoc examine pater nec seueritatem sentiat veritas, nec honestas succumbat oneri, nec ignominiosa suspicio absorbeat bonum nomen.

*Abbati Sancti Satyri.*

### EPIST. LIX.

IMportunus est qui petit, beneficus qui largitur. Primum excusat necessitas, secundum liberalitas commendat. Hanc importunitatem meam vestra quæso supportet amicitia, & præsentem fratrem quem & vos in Christo genuisti, salubri consilio iuuet, opere & opera consoletur. Causam ignoramus morbi, curam nescimus; acutam passus diu decubuit: nec post crisin conualuit quia præualuit ægritudo; lentis adhuc vritur febribus, pulsu veloci & febrili, frequenter surgit, & recidit; facilius tamen ægrotare quàm conualescere videtur. Si quid potes adiuua illum intuitu nostri. Quicquid ei bonum factum fuerit, meum reputabo. Consilium vestrū scribite, & mittite nobis. Ipsum alibi quàm apud nos nec morari volumus, nec mori, morem nobis gerens si moram non fecerit apud vos.

*Vuillermo Carnotensi Electo.*

### EPIST. LX.

SAcris & maioribus † occupatas aures tenere nō multum aut à sacrilegio recedit, aut à crimine maiestatis. Huius culpæ simulacrum timens, Domino meo, precum multitudinem compendio sermonis accingo. Iniunctum est mihi vt nostis, Domine mi, à Domino Archiepiscopo, vt lamentabiles Ecclesiæ Aurelianensis preces, & communem Episcoporum querelam super morte Ioannis Domino regi scriberem, quo & moueretur ad misericordiam, & accenderetur ad vindictam. Scripsi breuiter, & in auribus omnium vestrum litteras transcurri quæ missa sunt regi. Quæsiuimus bona & ecce turbatio. Moleste tulit, & adduci sum me canem mortuum & pulicem viuum commotus est. Cuius indignationem & iram immissiones per Angelos, vel per interpretes malos, nec animæ meæ pusillanimitas, nec Ecclesiæ nostræ paupertas poterit sustinere. Precor ergo, Domine mi, Christe Domini mei, vt quem in litteris illis simplicem oculum habui, apud Dominum meum vestro me excuseris interuentu, & impetretis mihi gratiam quam immensa culpa doleo perdidisse.

*Petro S. Chrisogoni Presbytero Cardinali.*

### EPIST. LXI.

IVcundum mihi fateor spectaculum præbet recordatio vestra, dum quasi per graduum Canticum ascendentem suspicio, dum à minoribus ad maiora Petrum nostrum hinc virtutes sibi rapiunt, hinc honores. Gratia gratiam inuocat, gloria gloriam: vt cortina cortinam trahit, & iam plene licet omnibus qui in domo Domini sunt, quoniam de plenitudine sua vobis gratiam & gloriam dedit Deus. Hæc sunt quæ amicorum vestrorum exhilarent faciem in oleo: corde lætificent & confirment. Huius felicitatis me participem gratulor, huius gloriæ me consortem. Nā & si inter vestros modicum obtineam locum, sed non modicum tantæ dilectionis simul & delectationis vendico mihi fructum. Amplector Scholarem, prosequor Archidiaconum, deosculor Abbatem, assurgo Episcopo, reuereor Cardinalem, his gradatim ascendentibus, & sibi accedentibus potius quam succedentibus articulis, arrident honores moribus, mores honoribus coëxultant. Viuat in aliis illud vulgare prouerbium; Honores mutant mores. In vobis id tantum precor obtineat, vt si mutent aut moueant, eā motus speciem quæ augmentum dicitur, non excludant. Interim, Pater immolo pro vobis quales possum hostias precum, columbas gemituum, vitulos labiorū. Confido, quia quem dilexistis priuatus, nō dediligetis promotus. Meipsum si placet in holocaustum obsequij vestri suscipite, quem ad libitum vestrum fortis vt mors dilectio mactet & flamma charitatis accendat.

*Priori de Charitate pro quodā Monacho pietatis visceribus abundare.*

### EPIST. LXII.

MOuetur vsque ad tempora nostra cribellum Sathanæ, dum expectat & expetit, vt frequenter excutiat filios excussorum. At non deficiet fides Petri, qui in casu suo nostram metiens infirmitatem, conuersus aliquando fratres confirmat, sanat Eneam, Thabitam suscitat, bases & plantas consolidat Eleemosynam postulantis. Hunc imitare qui præes, qui iubes amplectere, vt tu dispersa reuoces, tu colloces reuocata. Exiuit à nobis qui de vobis erat, olim noster charissimus

A. & à tanto separatus collegio, minus probanda missione solutus est, nec tamen secutus est viam Balaam ex Bosor, sed ad gregem albi velleris sese conferens, difficiles & dissimiles vias prioribus obuias expertus est. Laudanda in hoc viri deuotio, qui cum exiisset ab Hierusalem, non descendit in Iericho, sed in Bethleem maluit commorari: Ibi tamen linguam quam non nouerat audiuit, nec diuerterunt ab oneribus dorsum eius. Occurrit ei nouitas ignota, & à primæ contemplationis ocio, insecuti & falce deiecerunt eum, & qui nutritus fuerat in croceis eloquiorum sacrorum, manus eius in cophino seruierunt. Mouet & monet eum conscientia mordax, vt ad sinum redeat charitatis, & satietur ab vberibus eius, qui cum scandalizatis vritur, cum infirmantibus infirmatur. Confitetur errorem, culpam persequitur & abiurat, & purgaturus excessum, trahi desiderat ad victimam disciplinæ. Occurrat Pater, filio reuertenti, deosculetur miserum, stolam primam & annulum reformet, ne si aduersum hominem obdurauerit homo, Dominum sibi sentiat obdurari. Sed nec in fratribus obmurmuret reuertentis ab agro senioris fratris crudelitas, quo minus præueniant in benedictionibus dulcedinis eum qui perierat & est inuentus. Cogit nos in tantas assurgere preces, à primis litterarum rudimentis, prisca viri notitia, municipium commune, quod ambos edidit, & aluit, & quod est maius, magisterium eius, quod inter ipsa artis grammaticæ auspicia sortitus sum. Conciliauit sibi precum instantiam mores hominis suaues, litterarum cumulus, pœnitentia quam prætendit. Si quid sum in oculis vestris, preces meas admitte, vt de collato fratri beneficio vobis in plenam gratiarũ actionem totus assurgam. Impendetur mihi quicquid ei feceritis, cuius & aduersis compatior, & prosperis coexulto.

*A. Superiori de Charitate, pro quodam Monacho qui ab eis exierat.*

## EPIST. LXIII.

IN Prælatis grauitas, in subiectis humilitas commendatur. Primam temperat misericordia, secundã obedientia magnam facit. Vtramque vos amplecti considero, qui grato religionis artificio & præesse nostis, & subesse. Inde est quod tanto confidentius, preces vobis offero, quanto conuenientius intelligo, vos & errores corrigere, & infirmitatem portare. Amicus iste meus, & aliquando magister meus, post exitum suum à vobis dura expertus, & suauium expers, in spiritu humili & animo contrito reuertitur ad matrem Charitatem, quæ nulli reuertenti gremium suum claudere consueuit. Dolet se collegium sacrum dereliquisse & deliquisse, & pœnitentiæ notas indices lachrymas prodit, tam confusio supplicis, quam confessio supplicantis. Precor affectione qua possum, & quanta possum, effundite corda vestra super illum, & à tenebris interioribus inducite eum in candorem lucis æternæ. Sentiat me de vobis, & si non aliquid meruisse: obtinuisse tamen, me suspiciens in illo, cui quidquid impensum fuerit, mihi impensum reputabo.

*Pro eodem Monacho ad amicum suum.*

## EPIST. LXIV.

INtercedere pro amicis & necessitas vrget, & Charitas persuadet. Ipsam autem charitatẽ dixerim necessitatem, quæ quamuis sit patiens & benigna, fortis tamen vt mors, quę difficilia ad facultatẽ reducere consueuit. Inde est quod pro præsentium latore amico quodam & magistro meo supplicare cogor, & scribere, vt qui lapsus & erroris sui veniam postulat, si non sibi sufficit, pro nobis mereatur audiri. Totus in preces assurgo, totus in gratiarum actiones assurgam. State pro me obsecro in hoc conflictu precum, & vt matris reducatur in gremium, mecum obsecro postulate. Meũ æstimo quidquid ei pro me beneficiorum & misericordiæ contuleritis.



*A. Abbati S. Benedicti pro quadam vidua & eius filio.*

## EPIST. LXV.

INstantia & importunitate solita commendo dilectioni vestrę viduam nostram & orphanum, quorum res, tenuis & substantiola modica, de vestro pendet beneficio, de vestro patrimonio sustentatur. Inhiat super eos creditorum voracitas, vt de sinu viduæ pupillum tollant, & absorbeant scintillam eius, cuius vita in amaritudine est, victus in penuria, in frigore & nuditate vestitus. Rogo, Pater, vt de æquitate potius quam de iure stricto iudicium vestrum prodeat, & eius frater, qui pro sororis filio orphano satis dedit, & satisfecit, tanquam potior in pignore auctoritate vestra cæteris creditoribus præferatur. Is enim & per manum vestram naturalem feudi detentionem habet, & sacramentum fidelitatis præstare paratus est vt conuenit.

*Nicolao Priori S. Bartholomæi Nouiomensis pro Petro Clerico.*

## EPIST. LXVI.

AMicitiam nostram quam charitas excitauit, occasio non extinguat. Prudenti loquor, & ei quem licet raro video, cogito tamen frequenter. Vsque ad mortem infirmatus sum, & longo dolore confectus, nec præsentiâ vestrâ, nec litteris, aut nuncio vestro consolationem suscepi. Remittetur negligentia, si diligentia compensetur. Communem patrem nostrum Abbatem dico senem vestrum, & extremis suis, vt timeo, proximum, honora obsecro, vt sis longæuus super terram. Petrum meum si excesserit, corrige, si opus habuerit, deffende, culpas eius non foueo, sed naturæ foueo, quia mihi ligatus est.

*Alexandro summo Pontifici de mandato ipsius in quodam Clerico adimpleto.*

## EPIST. LXVII.

ADuunis iussionis vocem vestræ, Pater, obtemperans filio Laxij de Archerio, sicut præsens coram vobis promiseram, absens exhibere curaui, quanquam sit vobis aliter per eius vicinos intimos intimatum. Frumento & vino stabiliui eum, vt altero confirmaretur cor hominis, altero lætificationem sentiret. Superueniente nuncio mutatum est mandatum, & aggrauatum præcepto, vt quotidianum victum in immensam pecuniæ summam conuerterem, & decem solidos Parisienses per singulos menses puero numerarem. Factum vt imperastis, cum & hæc & alia quæcumque iusseritis, ego & fratres nostri parati simus, & libenter suscipere, & liberaliter adimplere. Sciat interim paternitas vestra, nos in quibusdam Clericis exhibendis, per aliquos Dominos meos Cardinales consimilis onera sustinere.

*Alberto Domini Papæ Cancellario.*

## EPIST. LXVIII.

IN consummandis precibus vestris pro Ærnando clerico vestro mihi quandoque oblatis, nec dissimulatio me fecit desidem, nec simulatio deceptorem. In illa ægritudine mea chronica, quæ plus minus anno dimidio me ferme vsque ad extrema confecit, semel eum vidi, & cum vt reuerteretur ei blando, non blæso, sermone dixissem, vsque ad Pentecostem mihi nec comparere voluit, nec parere. Extunc per initia singulorum mensium intuitu vestro v. solidos Parisienses ei conferri facio, nec differri. Et hæc dixerim, non vt improbus mei cõmendator appaream, sed ne ingratus beneficiorũ acceptor existã. Vnde sciat S. Paternitas vestra, quoniã in petitionibus nostris, quæ nec multæ nec magnæ Dño Papæ offerũtur difficiles expertus sũ tã eos qui petitoria porrigunt, quã eos qui admittere debuissent communes litteras illas, quas de iustitia appellant, in quibus

Græcus & Latinus, & Barbarus & Scytha adiectionem remotæ appellationis sese consequi gratulantur. Nos qui speciales filij Romanæ Ecclesiæ dicimur, non potuimus obtinere. O modica adiectio remota appellatione, quam speciosa facta es, quæ sic es difficilis filiis, sic facilis alienis!

*Fratri Ioanni de Sancto Satyro.*

## EPIST. LXIX.

SI communis peregrinstionis & gratiæ, quam inter eundum & commanendum habuimus, meminisses, certe gratiam pro gratia reddere debueras. At vero cum ingratum te exhibueris, vt pace tua loquar, aut dissimulatio te facit desidem, aut simulatio deceptorem. Nosti quia cum ab vrbe recessérim xl. solidos Parisienses, quos & ego mumo acceeperam, tibi plurimum roganti, & vt dicebas, indigenti, non minus beneuole quam benefice numeraui. Elapsus est annus ex quo pro te creditoribus satisfeci. Si computaueris vsuras, vt de centesimis taceam, etiam quincunces sortem facile consequentur. Nondum super hoc Abbatem tuum conueni, nondum exposui causam, nondum querelam proposui, parcens verecundiæ meæ, parcens famæ. Redde quod debes, vt quia patientiam habui in te, de mea patientia pœnam non patiar, aut iacturam. Vale. Frater Guido repetit à te v. sol. sub quæstione simili, sub indignatione pari.

*Godefredo Sancti Satyri Abbati communes orationes in Domino.*

## EPIST. LXX.

FEstum est mihi quoties festius memoria vestra, vel per nuncium mihi, vel per Epistolam renouatur. Si quis hoc festum turbare voluerit, vel auferre, mihi, fateor, est infestus. Sane quod ad festum martyrum vestrorum me charitate beneuola inuitastis, communé licentiam non recuso, sed absentiam excuso singularem. Illa die Remis coram Domino Archiep. pro negotiis Ecclesiæ nostræ stare me oportet, & contra qoosdam raptores nostros, & aduersarios experiri. Cæterum communis pater & Abbas noster R. me pariter & charissimum senem, bonum Abbatem Sancti Bartholomæi paterno rogauit affectu, vt in octauas Purificationis ei nostram exhibeamus præsentiam. Credo quia & vos tantum filium suum in hac vocatione non omisit. Et qoia tanto patri præsenti, in necessitate sua non obedire nefas est, rogo, consulo, moneo, quatinus eadem die nobis fratribus vestris occurratis, vt funiculo triplici filiorum, qui difficile rumpitur, confirmetur imbecillitas senis patris, & angustia, si qua fuerit, releuetur. Valete.

*Ad amicum quicquid dilectionis & salutis.*

## EPIST. LXXI.

IVcundum eloquium tuũ delitiosas absenti reliquias sui facit. In his diem festum ago mihi, quotiens & gratiosam societatem tuam deoscolor, & fructuosam amicitiam deamplector. Offeret se volente Deo, dies & locus, quibus recidiuis plausibus, & nouos inueniamus confabulandi modos, & veteres innouemus. Et qoia principibus placuisse viris non vltima laus est: rogo interim vt quando & vbi Dominus Remensis cum Comite Flandriæ loquuturus per præsentium latorem non solum mihi verbo denuncies, sed scripto designes. De hospitiolo mihi die coronæ prouidendi, cogitatum meũ in te iacto, ne quasi in incertam curram, ne cum venero, vagari incipiam post greges instabilium, & virginum fatuarum: Super hoc etiam fac mecum signum in bonum, vt certus accedam ad festum, quod sic erit commune omnium, vt sit proprium singulorum. Certifica Stephanum tuum, vt Stephanus tuus quantum potuerit magnificet amicum suum.

*Gaudefrido Abbati Sancti Satyri.*

## EPIST. LXXI.

PRæter alia quæ mihi sæpe Pater, exhibuistis beneficia, annuum & gratissimum in fratre nostro ecclesiæ nostræ solatium contulistis. Condignas in eo vobis offerimus gratias, vt qui forte in postulando fuimus importuni, in obsequendo non inueniamur ingrati. Et quia tempus miserendi eius venit, & lectioni vestræ preces porrigimus vt eum ad commune patris nostri Euurcij domicilium faciatis perduci, quatinus in sacratiõ martyrum transeat ad montem virginis per cameram confessoris. Valete.

*Domino Papæ pro Ecclesia Corbeiensi.*

## EPIST. LXXII.

ZElum domus Domini vos habere, & disciplinam in ecclesia Dei sic obseruari velle credimus, vt tẽperata discretio vestra & superbos humiliet, & humiles amplectatur. Proinde Sanctitati vestræ complaceat, vt contra quosdam rebelles & inobedientes contemptionis & discordiæ filios, qui de Corbeia exierunt, accendatur feruor vester, moueatur indignatio, vltionis gladius educatur, sicut à religiosis, & quibus fides haberi debet, viris audiuimus, & qui præsentes aderant, & rem vt gesta fuerat nobis intimarunt contra sacramentũ de se & à toto Corbeiensi conuentu coram Comite Flandriæ, qui ex parte Domini regis cum octo Abbatibus ibidẽ aderat, super sancta euangelia præstitit, prædicti notabiles, & non audiendi monachi inceotiua schismatis, & litigij seminarium in monasterio Corbeiensi suscitare contendunt tam manifeste per viros & promissæ fidei corruptores, qui in matris suæ iacturam & irreuerentiam patris illicite discurrunt: sacrosancta Romana ecclesia nec in patrocinio debet suscipere, nec in negotio sustinere.

*Syluanectensi Episcopo pro quodam Canonico in Presbyterum ordinando.*

## EPIST. LXXIII.

AD reditum vestrum, Pater, in tripudiis exultant, & lætantur in iubilo filij vestri fratres nostri, assumentes sibi coronam pro cinere, gaudium pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Duplicata consolatio nostra, paracliti consolatoris in festo, & generale gaudium aduentus Spiritus sancti speciali lætitia vestri ad vestros aduentus cumulatius adimpleuit. Interim sãctæ paternitati vestræ mittimus fratrem nostrum Ricardum Diaconum honestate vitæ & integritate famæ apud nos commendabilem, vt eum pro amore Dei & Beatæ Virginis Genitricis ipsius seruilem in presbyterum ordinetis. Valete.

*Vuillermo Remensi Archiep.* EPIST. LXXIV.

FEstum mihi est quotiens sic infestor, vt ad iudicium vestrum compellari compellar, cui tutius ad ipsum appellere, quam appellare ab ipso. Vnus è fratribus de Longo ponte (nec enim secundum illud collegium inde arguo, quasi sub nomine pietatis pugno) impie nos impugnat, & tanquam loco me trahere credens ad iudicẽ, pronethij vulgaris ignarus, securum me reddit, quia visurus sum patrem. Dubium me facit nomen hominis & opus eius, Droconem nescio eum rectius dixerim, an draconem, tanta sese præditum charitate prædicat, vt non sufficiat ei sua pauperibus erogare, nisi & adiiceret aliena. De nostro contendit eleemosynam facere. Fructum cuius sibi nobis ue concessurum dum non concedimos, non credemus. Credo, Pater, quis Cistercienses de numero sunt eorum, qui violenti diripiunt cœlum, sed vtrum violenter eis terram rapere liceat, nondum legi. Die data Remis coram officialibus vestræ responsurus

furus auctori copiam mei feci, sed quia paternam faciem vestram non vidi, timui sub alterius examine iudicari. Gratias ago sanctæ paternitati vestræ, quia qui pro vobis sedebant ad inuocationem nominis vestri, mihi vsque ad octauas natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis inducias indulserút. Rogo, Pater, vt talem mihi puero vestro diem assignetis, qua vos Remis affuturum non dubitetis & sessurum. Si coram alio litigare me contigerit flebiliter dicam metâdem expertem gratiæ vestræ, quã iugiter sum expertus. Valete. Commendabilem vobis faciat obsecro Ioannem nostrum Aurelianensem & ad serulendum idonea persona sua, & ad obsequendum deuota supplicatio nostra.

*Alberto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellario.*

## EPIST. LXXV.

IMportunus est & ab improbo non recedens, qui sermonibus vacuis Dominum suum vel offendit tranquillum, vel impedit occupatum. Id ne mihi accidat oro, & impetrata venia loquar, cum nec oportunitas têporum vices explorare valeam, nec ad explorandum longe positus excubare. Sollicitus erit in hac parte pro nobis clericus vester amicus, inde noster Aluardus, quẽ experti sumus honesto consortio, & moribus grauem, & sumptibus non grauantem. Dignum eum credimus tanto patre vel sanguine iungi, vel familiaritate vinciri. Si quid ei pro vobis contulimus, iocundũ fecit tum accipientis humilitas, tum auctoritas imperantis. Petitiones nostras, obsecro, paterne admittatis, & adiectio remotæ appellationis articulo faciatis eas si placet timentibus Deũ iudicibus demandari. Valeat sãctitas vestra.

*Hugoni Abbati sancti Bartholomæi Nouiomensis.*

## EPIST. LXXVI.

SVmma celeritate accederem ad vos, si desiderio necessitas non obstaret. Retinet me mandatum Apostolicũ, cui non parere, perire est, nõ obedire obire. Hac instante Dominica de mandato ipsius triplicem habeo necessitatem sedendi, & in trium cognitione causarum Iudicis officium exequendi Nõ recipiunt causæ dilationem quæ & per litis contestationem inchoatæ sunt, & ad postulationem partium, & die proxima assignatæ. Expletis negotijs quando vobis placuerit, iam libenter veniam ad vos quam licenter.

*Domino Papæ sub persona Abbatis S. Barth. Nouiomensis.*

## EPIST. LXXVII.

ECclesiam sancti Euurcij Aurelianensis in conspectu Angelorum & hominum commendabilem faciunt & meritum confessoris, & testimonium ciuitatis. His accedunt sancta conuersatio fratrum regulariter inibi Deo seruientium, qui vita sic eminent inter suos, vt famam excitent alienos. Tempore sæcularium canonicorũ, ante aliam annos Canonicus simul & Cantor eiusdem Ecclesiæ fuit, & mutato ipsius statu in regularem formã postmodum & ipse Augustini discipulus, habitum in ea pœnitentiæ suscepit. Scio, Pater, & in veritate testificor, quoniam, quantum extat in memoria hominum adhuc viuentium, hac libertate & immunitate Ecclesia illa, & tres aliæ Clericorum Abbatiæ, quæ in eadem ciuitate sunt, scilicet sancti Petri virorum, sãcti Petri puellarũ, sancti Auiti, vsq. ad diem hanc gauisæ sunt, quod in nulla earum quicumque fuerit Senonensis Archiepiscopus procurationem suscepit. Hoc tota ciuitas nouit, hoc & Clerus simul & populus attestatur. Et quoniam Senonensis Archiepiscopus contra consuetudinem & Ecclesiæ libertatem in exigenda procuratione prædictam Ecclesiam fatigare intendit, sanctæ paternitati vestræ preces fundimus, vt alicui personæ religiosæ & disertæ cognitionem causæ huius committatis, quoniam non est



A facile pauperi Ecclesiæ illi testes suos ante præsentiam vestram ducere, & libertatem suam instrumentorum, & testium approbatione confirmare. Si qua enim sunt onera quæ in exigendis procurationibus suis Senonensis Arch. prædictis tribus Abbatijs velit imponere, Aurelianensis Episcopus de consuetudine multis temporibus approbata, quoniam de mensa ipsius esse dicũtur, debet suscipere & implere. Valete.

*Domino Papæ vt supra pro eadem Ecclesia.*

## EPIST. LXXVIII.

IN Ecclesia sanctæ Crucis Aurelianensis à puero nutritus, & postmodum in ecclesia beati Euurcij
B confessoris sub regulari disciplina religiosam vitam professus, vtriusque Ecclesiæ memoria dignas consuetudines sic recolo, vt in eis nec me falli æstimem, nec alios fallere me proponam. Inde est quod iam secura conscientia in veritate testificor, quoniam quantum extat in memoria, &c.

*Remensi Archiepiscopo.*

## EPIST. LXXIX.

IN oculis vestris, Pater, nec honestas mendicat gloriam, nec veritas interuentum. Ibi virtus est precium sui, & qui sibi merito suo sufficit, suffragio non indiget alieno. Inde est quod magistro Simoni viro inter Scholares cathedras egregio, non necesse est verbosas emendicare preces, aut laudum venalium coram vobis præ-
C conia corrogare. Gratiosum & commendabilem faciunt eum hinc auctoritas morum, hinc peritia litterarum. Tales consueuit illustris clementia vestra vocare, diligere, promouere. Clamat hoc quasi ab ortu ad occasum totus orbis, cum Etruscos, & Ligures suos Italia, Britannia maior Anglicos, vtraque Gallia Belgas & Celticos in curia vestra videant aut onerari diuitijs, aut dignitatibus honorari. Impletur ad cumulum gloriæ vestræ quæ veniunt ab oriente & occidente, & recumbunt in sinum vestrum. Vident & inuident, quibus liberalitas displicet, quibus odio simul & tædio virtus est, quibus & honesti cachinnos prouocant, & nauseam litterati. Sed ne peccatoris oleo caput vestrum videar impinguare, prostratus ad pedes vestros, cum sim puluis
D & cinis, loquor ad Dominum meum pro magistro S. preces fundens & supplicans, vt in negotio quod habet cum Episcopo suo, & cum Canonicis suis, tam beneuole suscipiatis eum, quam benefice sustenteris causam quam promouit. Ita promoueatis si placet, vt si quis promotus est in iniuriam canonum, canonice simul amoueatur, & iure. Cæterum quid de prædicto viro sit agendum, nobis animus vester melius & plenius prouidebit. Valete.

*Domino Papæ pro Hugone Abbate Sancti Ioannis Suessionensis.*

## EPIST. LXXX.

TErribilem, Pater, & compassione dignam, solemnis olim disciplina regularium sui vobis offert imaginem per contradictionis & inobedientiæ filios, affectam
E pariter & afflictam, gloriosam illam & auream regulam quam ab Apostolis Augustinus quasi mutuo acceperat, & vt fidelis dispensator tanquam pecuniam Domini sui alijs ad vsuram dederat, furantur hodie consortes Achor, filij Charmi, & non timentes anathema Iericho, peculiare corrogant aurum vt auram colligant popularem. In Canonicis sancti Ioannis Suessionensis tristi simul & turpi prædicat exemplo, qui contra tanti magistri sui doctrinam, contra sacri Concilij Lateranensis decretum in priuatis sarcinulis & scriniis furtiua congregantes peculia, sic antistiti suo placere & eum placare intendant, vt & Deo obedientes, & Abbati suo inueniantur rebelles. Armat eos & animat ad inobediendum tum pecunia illicitis artibus quæsita, quam copiose effundunt, tum eorum

auctoritas qui ab eis eam studiose suscipiunt. Obuiet huic ignominiosæ pesti, seueritas vestra, Pater, & occasiones amputet ambiendi, vnde sibi materiam præsumunt ambitiosi. Eo vsque morbus inualuit, vt sceleris mereatur pœnam, nisi cælestem inueniat medicinam. Obiecit sese tantis periculis deuotus filius vester, huius prædictæ Abbas Ecclesiæ, vir apud nos boni testimonij, & opinionis sanæ: & dum corripere intendit, quod corrigere nequit, operam perdit & impensam. Eos maxime sic experitur aduersarios, quorum ope & opera deberet comprimere contumeliosos & superbos. Valete.

*Domino Viuiano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali.*

EPIST. LXXXI.

IOcundum mihi theatrum proposuit Epistola vestra, quæ desidiam meam & refecit spectaculo, & excitauit exemplo. Debueram tantum Dominum & amicum meum tum sollicitasse litteris, tum munusculis visitasse. Purgabit diligentia moram, delebit obliuionem memoria, & Domino meo nec ingratus, nec indeuotus existam. Eadem ferme hora qua litteras vestras nuncius porrexit, quasi qui moram fecerat abijt, & recessit, vix licuit mihi vel sub breuitate rescribere, vel ad ea quæ postulauerat à nobis vestra paternitas respondere. Inuidebat angustia temporis, ne recessuri festinantiam nuncij aliquo seruitioli præparatorio retardarem. In proximo (Deo volente) per aliquem de transeuntibus ad nos, nô vacuo salutatorio vestræ supplicabo beneuolentiæ, vestræ gratiæ complacebo. Beneualeat & viuat Dominus meus in annis.

*Eraclio Cæsariensi Archiepiscopo cælestem Hierusalem habitare.*

EPIST. LXXXII.

IOcosas olim confabulationes nostras fructuosis oro sæpius orationibus expiari. Togatorum aduocationes, mercimonia: litigantium conflictus, cæcorum pugnam, Bononiensium auditoria, fabriles diximus officinas. Inter hæc diuersa sequuti studia sumus, ego quod irriseram carpentariam vulgari, vos caluariam crucifixi: beata peregrinatio vestra, quæ & culpas expiat, & ad sublimia vos extollit. Interim pater obsecro mementote Stephani vestri, qui sic memoriam vestram retinet: vt quasi iugi spectaculo vestrâ præsentiam amplectatur. Pro præsentium latore preces vobis offero, qui & sanguine mihi coniunctus, & in multo seruitio non extitit indeuotus. Valete.

*P. Liddensi Episcopo, temporalem salutem & æternam.*

EPIST. LXXXIII.

COnfidentius vobis, Pater, pro præsentium latore scriberem, si de vobis aliquid meruissem. Ast hoc solum superest absenti solatium, quia si repulsam patiatur, incaustum non rubet: si non exaudiatur, Epistola verecundiam non incurrit. Importunus, siue cum muliere interpellante iudicem, siue cum amico tres panes postulante, modicum quid forsitan impetrabo. Præsentium lator sanguine simul & seruitio mihi iunctus se pulchrum Domini gloriosum visitaturus abscessit, rogo vt si necesse fuerit beneuole simul ac benefice vestrum ei consilium & auxilium impendatis.

*Ioanni Aurelianensi Domini Papæ Scriptori.*

EPIST. LXXXIV.

NAtis sub Aurelianensi aere, & Ligeris aqua perfusis æstiuo tempore Romæ morari nihil aliud est quam mori, satius est aurea paupertate frui cum salute, quam periculosam corrogare pecuniam, quæ & sollicitudine pulset animum, & corpus agitet cum labore. In-

A de est quod ad reditum te hortarer, si tua te contentum fortunâ crederem, si ad maiora quam habeas successus pristinos tibi præsumerem non blandiri. Interim dilectionem tuam rogo, vt petitiones nostras ad effectum perduci facias si poteris, & maxime super confirmatione excommunicationis communiæ Meldensis, quoniam Episcopum eorum excommunicationis sententiæ à bonæ memoriæ Ioanne Carnotêsi Episcopo in præfatam communiam latæ, negligentem experti sumus, & mandati Apostolici contemptorem. Quære si potes Domini papæ litteras ad ipsum, vt sicut prædictus Carnotensis Episcopus excommunicauit auctores communiæ, ita & ipse in Ecclesia sua excommunicatos denunciet & faciat ab omnibus deuitari. Pro latore præsentium familiari meo & amico nostro, tibi supplico, vt in
B negotijs suis quantum potueris, eum iuues. Valete.

*Alexandro summo Pontifici pro Ecclesia sanctæ Mariæ Blesensis.*

EPIST. LXXXV.

CHaritati debitum reddit pensum, qui cum scandalizatis vritur, cum infirmantibus infirmatur. Causa, Pater, mouet, & monet exiguitatem nostram, vt fratribus nostris Canonicis sanctæ Mariæ Blesensis, in aduersitatibus suis compassionis exponamus affectum, miserationis expendamus sinum, opis & operæ brachiû extendamus. Et quoniam in hac parte minus sufficiêtes sumus, ad vestram recurrimus plenitudinem, vt filios
C nuper orbatos patre, ab vberibus consolationis vestræ beneuole simul ac benefice satietis. Bonum sui testimonium, his qui eos nouerunt, secundum illud reddit collegiû, vt & amicus inde gaudeat, & inuidus confûdatur. Oritur iuxta eos, & vtinã non contra, quædã plantatio singulariû seu sæcularium Canonicorum, quos vtrû Pater cælestis plantauerit, necdum scimus. Placeat oculis beneuolentiæ vestræ Pater vt iura regularium non minuant sæculares, vt filiorum panes non comedât alieni.

*Ioanni Pictauiensi Episcopo spiritû consilij & fortitudinis.*

EPIST. LXXXVI.

IN afflictione vestra, Pater, cœlum & terrã pariter cômoueri debent, clamantes in auribus Domini Sa-
D baoth, *Redde vltionem hostibus tuis, & his qui te oderunt retribue.* Sed & nos minima portio Ecclesiæ Dei, compassionis vobiscum calicem bibimus & mœroris: in viridi ligno hæc fieri gementes, & timentes in arido deteriora compleri: Nescio Pater, an completi sint illi mille anni quibus solucdus erat Sathanas: eius satellites ita solutos videmus, vt ligare incipiant seruos Dei. At non deficiet fides Petri, cuius in Ecclesia sedetis, cuius sollicitudinem pascendi gregem Domini & officio simul & beneficio tenuistis. Absit vt qui confirmare fratres debuit, quasi ad ancillæ vocem iterum negaturus, ad minas tyrãni iuuenis infirmetur: Absit vt in aduersis amit-
E tat constãtiam, qui in prosperis tenuit æquitatem. Consueuit his attritionibus Ecclesia crescere, & quanto magis ministri mortis in filios vitæ desæuiunt, eo amplius mater Sion filiam Babylonis miseram subijcere didicit, & fugare. Crescat in dies obsecro fortuna vestra, & ab vberibus côsolationis diuinæ non solum lacte quo paruuli egent, sed & solido cibo, pane, qui cor hominis côfirmat, longanimitatis & perseuerantiæ quotidianum sumatis augmentum.

*Decano Rothomagensi ex persona Tusculani Episcopi.*

EPIST. LXXXVII.

REIatum est nobis quod quidam Manerius apud Vilercel. cum sacris virginibus degens, turpi & inhonesta conuersatione sua gregem domini corrumpere & maculare intendit. Et quoniam vitam eius Deo & hominibus

hominibus credimos displicere, Abbatissæ de sancto Cirico dedimus in mandatis, vt prædictom prodigium à prænominata domo & alijs domibus suis amoueat, nec ad aliqoam suarum domorum de cætero regressum habere permittat; ne simplices oues fœtidus hirc⁹ inficiat, & iniquitatis filius sanctuarium Dei sacrilega conoersatione prophanet. Inde est quod sicut dilectissimo filio & amico nostro, tibi mandamus atque præcipimus, vt authoritate oostra per Dominum Archiepiscopom, & per solicitudioem tuam abominabilis ille persecutor virginitatis & hostis, à prædicto collegio sponsarum Christi separetur, & si opus fuerit per excommunicatiooem recedere compellatur.

*G. Senonensi Archiepiscopo pro Sanctimonialibus de S. Cirico.*

## EPIST. LXXXVIII.

VEstra, Pater, interest, ea quæ ad hooorem Dei & religionis augmentum spectant deffendere, & authoritate vestra turpitudinis & ignominiæ scandala de domo Domini pro viribos amouere. Inde est quod Sanctitati vestræ pro virginibus Christi apud Sanctum Ciricum Deo seruientibus inclusis, preces, quas possum, secundum Charitatem quæ est in Christo, fundo, vt honestatis & pudicitiæ ipsarum hostem Manerium non admittatis, oec in aliquo credatis ei qui per Dominum Tusculanom Episcopum Apostolicæ sedis Legatum, propter enormes & intolerabiles suæ turpitudinis excessus, à cõsortio sanctimonialium remotus est, & electus. Credat nobis sanctitas vestra, credat Abbati sancti Victoris, credat fratri B. de Vicena, & alijs vicinis religiosis viris, qui nec discretionem vestram circumuenire, nec vobis falsitatem asserere volumus, aut debemus. Credite testimonio nostro, qui ex vicinitate loci, de inhonesta conuersatione illius sacerdotis Baal esse possimus certiores. Omittat si placet religiosa discretio vestra quæstiooem de illo recipiendo à virginibus Christi, qui si receptus fuerit, immaculatum gregem Domini tanquam hircus fœtidos mortaliter inquinabit. Quod si omnino supersedere nolueritis, & ea mandato vestro necesse fuerit Abbatissam & sorores eius inclusas causem cum prædicto monstro Veneris intrare, placeat obsecro vobis hanc cognitionem committere Domino Parisiensi Episcopo, qui per vicinos clericos, & laicos plenios poterit, rei & inuestigare & quærere veritatem.

*Petro Tusculano Episcopo.*

## EPIST. LXXXIX

RIsum mooet intuentibus, si accesserit ouis ad capram, vt ex ea sibi lanam assumat. Ita, Pater, accidit. Placuit vobis aliquid à me petere qoo plenius abundatis: feci quod potui, ne si nihil fecissem indeuotus existerem, & ingratus. Misi vobis Epistolam nouitijs Pootin. nuper scriptam. Quæsierat à vobis frater R. de Galardum me præsente, quid nouicijs illis faciendum erat, qui timore prioris voti tentabantur ad reditum. Mihi tunc iniunxistis sarcinam respondendi. Memores beneficiorum vestrorum qootidianas pro vobis Deo precum hostias immolamus. Angelus Domini bonus comitetur iter vestrum.

*Raimundo Priori sanctæ Genouefæ Parisiensis.*

## EPIST. XC.

LEuiorem & minos formidabilem facit susceptum laborem timor periculi grauioris, & tameo vnde timere debeam cùm & peregrinatio sit longa, & periculis fluminum, periculis latronũ, periculis ex Coterellis, Basculis, Arragonibus, via suspecta magis sit lethalis, quàm læta? Seqoar Albanum Episcopum, per montes & valles, per vestras solitudioes, per prædonum rabiem, & mortis imaginem, per incendia villarum, & ruinas domorum, vbi nihil totum, nihil quietom, nihil qood non minetur saluti & nõ insidietur vitæ. Inter hæc supplicare supplico cum dilectis fratribus nostris Deo & beatæ Virgini, vt si Ecclesiæ suæ vtilis futurus sum, incolumem me reducat. Vltra Tolosam prope Hispaoos hominem illum inueniã sicut dicunt. Si quid inter vos circa exteriora negotia natum fuerit quæstionis ad B. olim propositum referte, cui Dominus Robertus ex parte Domini regis iniunxit, vt quod in negotijs vestris postulaueritis, ope & opera eius fiat vobis. Quare ad Dominum Legatum vado oescitis, alia causa est quàm ea quam mandaoeram vobis, de illa tamen omnioo silere, ne aliquis in contrarium ioterpretetur.

*Baiocensi Episcopo, & Decano pro negotio Turonensi.*

## EPIST. XCI.

RIsum mouet intuentibus, si accesserit ouis ad capram vt inde sibi lanam assumat. Sub hoc vulgari prouerbio consuluistis hominem peritia modicum, & authoritate non magnum. Sed quoniam vt Hylam Herculi non æquis passibus incedentem, socium me vobis in negotio Turonensi & Dolensi Dominus Papa coniunxit, dicam quæ sentio, & his consentiam quæ dicetis, ne forte alterutra partium de nobis iuste conqueri possit. Loco & tempore condicto debemus, vt æstimo, conuenire, & vtrum in negotio procedendum sit vel cedendum, communi simul consilio conferte. Valete.

*Ioanni Pictauiensi Episcopo,*

## EPIST. XCII.

IVcundom mihi Theatrum proponit recordatio vestra, cuius & reficiar spectaculo, & afficiar blandimento. Concertant in idem caput diuersarum prouinciarum pontificales infulæ, & dum Pictauiensi cathedræ sacerdotem suum Narbooensis conatur eripere, religioso saltu perambula Narbonensem electum prima sedes Galliarum sibi vendicat, Lugdunensis. Admirabilis & amabilis Ecclesiarum ludus iste, vbi superior inferiorem spoliat, & æmulatione sancta voluntate pares apparẽt, quæ sunt impares dignitate. Absit pater à mansuetudine vestra, vt ad Gothorum barbariem, ad leuitatem Vvasconum, ad crudeles & efferos mores Septimaniæ declinetis, vbi supra fidem Infidelitas, supra famam fames, dolus & dolor plusquam valeat æstimari. Vidi nuper in transitu cum Dominus Rex Tholosam me mitteret, frequentem & feruentem in illa terra terribilem mortis imaginem, semirutos Ecclesiarum muros, ambusta sacrorum ædificiorum loca, fundamenta effossa, & vbi fuerant habitacula hominum, inculta domicilia bestiarum. Contremui fateor & expaoi, cum ad ea loca vos inuitari audirem, in quibus & si cõtingeret vos præesse, facile esset non prodesse. Aodito tamen quod Rodanusia Sidonij vos vocaret, gauisus sum gaudio magno, & Primatem nostrum io gloria videre desidero quem prius affectione patrem, liberalitate beneuolum, simul & beneficum sum expertus. Nepoti vestro Archidiacono bonæ indolis adolescenti sicut mihi mãdauistis, paratus sum & consilio & auxilio prouidere.

*Godefrido Abbati Sancti Satyri.*

## EPIST. XCIII.

ACceptum debet esse testimoniom quod proferatur de coosciencia bona, & fide non ficta. Is thesaurus de quo noua profert & vetera, quisquis scriba doctus esse voluerit in regno cælorum. Ex eo bonæ vobis opinionis iuuenem filium vestrum Th. commendamus, qui & si ad tempos à patre recesserit, oon tamen aut pauit porcos, aot ventrem eorum siliquis sub aliquo ciuiom satiauit. Egressus à Hierusalem non descendit in Hierico, sed in Silo figens taberoaculum suum, aut operi manuum operam dedit, aut honestis studiis occupauit animum, quibus decet adoptionis filios edoceri. Demoratus apud nos noo minus hooorificè quàm honestè conscientiam seruauit, & famam: in altero, sibi prouidus: in altero, proximo non molestus. Deuota

vobis & fratribus vestris pro eo preces fundimus, vt sicut patrem decet & filio expedit, beneuolè simul ac beneficè suscipiatis reuertentem, & ei non tam patris verba, quàm matris vbera porrigatis.

*Priori S. Euurcij Aureliæ idem operum & verborum.*

## EPIST. XCIIII.

ODio sum mihi est odisse quos amaueram. Huius culpæ simulachrum ne vel ad horam adorem, rogo filium Dei, qui filios hominum, vt se inuicem diligant, verbo docuit & exemplo. Sed ecce cogor indicere inuitus bellum visceribus meis, & quasi oculorum meorum orbibus iniicere digitos effossores. Si enim pulsatus tacuero, si nô ingemuero læsus, si maximas iniurias minimo quæstu compensem, patiêtiam exhibui, sed non pacem. Æquo animo accipite, si postulo quod est æquum, obsecro per Ecclesiæ vestræ, communis matris nostræ quæ nos lactauerunt vbera, per gloriosam confessoris Euurcij memoriam, per fidem quam verbis & operibus vestris inesse decet, vt confessionem vestram in Capitulo vestro mihi à vobis factam, verbo scripto, & excommunicationis vinculo subnixam, & conseruetis fideliter, & fœliciter consummetis. Quid in promissione vestra tam solemniter & terribiliter mihi facta debeatis agere, sic consulite conscientiam vestram & famam, vt conscientiæ consulatis & famæ. Mallem interim secretius inter nos agi verbum, & quod mihi debetur sine scandalo recipere, quàm in publico coram tribunalibus Legatorum & Præsulum experiri. Et ne forte dicat aliquis, me vel nondum repetiisse, vel vos debitum non negasse, per præsentium latorem mittite mihi portionem prouentuum terræ de Godreuilla, quæ ex promissione vestra me contingit, aut per eundem nuncium quid inde facturi estis, certo significate responso. Mitto vobis rescriptum constitutionis vestræ concessione, conscriptione, consignatione, excommunicatione, per vos in Capitulo vestro confirmatæ, vt si fidem suam aliquis nostrum (quod absit) seruare noluerit, charta muta arguat eum, & statuat contra faciem suam. Vale.

*Abbati Caroli loci pro Tribus ad Tempus impetrandis.*

## EPIST. XCV.

RIsum mouet intuentibus, si ac. o. ad ca. vt ab ea sibi la. assumat. Capella id postulante, lanigeri gregis erit gloria, si exaudierit mendicantem Sub hac forma, verbum humile, rogo porrigens vobis, vt de fecundis ouium vestrarum caulis tres aut quatuor arieres nobis commodari postulo, vel donari. Imminet tempus ascendendi, & balantes ouium voces rude matrimonium in proximo sibi coaptare festinant. Absens scribere malui, quod præsens timui postulare. Scio enim quia si repulsam patiatur incaustum, non rubet, si non exaudiatur Epistola, verecundiam non incurrit. Si de retributione cogitetis nos & nostra vobis offerimus, & cum in simili casu respondere sufficientes non simus, in aliis per Dei gratiam poterimus compensare. Cumulabitur beneficium, si & dator hilaris, & lana mollis, & fortes fuerint ascensores.

*Londensi Archiepiscopo pro Petro S. Genouefæ Canonico.*

## EPIST. XCVI.

PLacet pariter holocaustum, & placat, quod offertur de conscientia bona & fide non ficta. Id in qualibet ætate, conditione, & sexu Deus non respuit, qui in iuuenibus matutinum sacrificium approbat, & in senibus vespertinum. Circa hunc offerendi ritum sollicitus, & sedulus bonæ indolis adolescens, Petrus vester, & amodò noster, super Montem virginis Genouefæ vinculis obedientiæ colligatus, quid de se placabili hostia Dominus facturus sit patienter expectat: Arctius & vt credimus, altius propositum aggressus fuerat. Sed ne labor insolitus, & rigor austerus teneram ætatem reuerberaret, & deiiceret, satius est ei saluari in Segor, quàm periclitari in Excelso. Sine sui ac suorum ignominia, licitè simul & liberè diuertet ab oneribus dorsum suum, & ne manus eius circa hortos & agros in cophino deseruirét, lectioni sæpius vacaturus, factus est nobiscum Clericus, vt clericis conformetur. Gaudeat super eo sancta paternitas vestra, & parentes eius in Domino consolentur, quoniam in Ecclesia Dei ex tali flore fructus vberes expectamus. Ego autem & fratres nostri, quicquid instructionis, dilectionis, & doctrinæ poterimus, parati sumus ei impendere, materna sæpiùs vbera, quàm paterna verbera porrecturi.

*Londensi Archiepiscopo pro Petro Canonico S. Genouefæ.*

## EPIST. XCVII.

HIlarem sui præbet opinionem adolescés, cuius inter ætatis initia, virtutis indicia coalescunt. Respiciunt hæc P. nostrum pariter ac vestrum, qui vobiscum regularis professus obedienter suscepit & doctrinam in studiis, & in moribus disciplinam. Et quoniam in eo spiritus quidem promptus, caro autem infirma, secundum mandatum vestrum vobis commédamus eum & committimus, satius æstimantes & gratius eum apud vos morari, quam apud nos mori. Infestas quartanæ molestias crebro sentit, & illius infestationis reliquiæ diem nostrum agunt sibi. Soli natalis & naturalis aëris beneficio posse iuuari credimus teneros ætatis annos, & humores maternis vberibus infusos paterno simul & materno solatio consoueri. Vnum est quod ei sicut filio charissimo consulimus, mandamus, & præcipimus, vt quandiu in terra illa moram fecerit, vagari non incipiat post greges sodalium suorum sæcularium; Sed aut in claustro regularibus disciplinis intendat, cum fratribus suis sub venerabili fratre nostro Vv. Domino seruientibus, aut quotiens & quando volueritis vobiscum in curia vestra religiosè sicut decet & expedit conuersetur. Quod autem de ipso nobis per litteras vestras intimastis, vel in monte vel in † Parisiensium sæcularium scholas, & venditores velorum mittendo, salua gratia vestra non admittimus, quoniam institutioni nostræ repugnat & consuetudini, sicut per ipsum præsentibus fratribus nouum proponetur spectaculum quod futuris perniciosum trahatur in exemplum. Habet in claustris sapiêtia regulas suas, erigens sibi scholas, inde veritatis, hinc virtutis. Quod si forte consilium vestrum in hoc declinauerit, vt de regulari sæcularem facere contédatis, aliam quàm Parisius ciuitatem, in qua studuerat, eligite, ne in oculis vestris pro matutino & vespertino sacrificio quod nobiscum offerre debuerat, Domino verborum strepitus & disputationum anfractus offerat, & vnde sperauimus fructum, vertatur nobis in opprobrium & contemptum.

*Cuidam Archiepiscopo.*

## EPIST. XCVIII.

PRo latore præsentium Presbytero mihi ignoto, notis meis noto, Dominum meum rogo, vt qui pro ipso me rogauerunt pro ipso me gaudeant rogasse. Cóqueritur de Episcopo suo, qui iniustè, vt asserit, Ecclesiam suam absque ordine iudiciario aufert, & vt inuitus extra Ecclesiam panem alienum mendicare compellatur, qui panes propositionis deberet in Ecclesia manducare. Aperiatur super eum obsecro vestræ pietatis oculus, mitis sinus expandatur, vt qui Episcopum suum, quem non solum mercenarium expertus est, sed & lupû, metropolitanum suum Patrem sentiat & patronum.

*Lucio Summo Pontifici pro Cancellario D. Regis Francorum.*

## EPIST. XCIX.

COmmunis omniû mater Ecclesia Romana potestatis & gratiæ plenitudinem habens à Domino, sic extenditur

extenduur ad ſingulos, vt ſuſcipiat vniuerſos. Vaſa diſcretionis in pōdere,& numero,& menſura,gerens, pro ſingulorum meritis,aliis vinuio ioſundit &oleum,aliis alternatim ab altero ſeparatum: frequentius tamen & libentius in affectum filiorum totam ſe effundens, maternæ pietatis vbera, quàm paternæ verbera ſeueritatis deſidibus ſæpè, deſiderantibus ſemper, .& exprimit & exponit. In huius ſpei reliquiis & odore currentes, ad ſacri Apoſtolatus veſtri genua procidimus, magnæ indolis iuuenem, maioris vt credimus virtutis virū mox futurum, Domini Regis Francorum Cancellarium veſtræ gratiæ commendantes. In loco & gradu poſitus in quo nonnulli magis obeſſe ſoliti ſunt quàm prodeſſe, ſic in negotiis Eccleſiarum ſollicitus exiſtit ac ſtrenuus, vt eis & in palatio conſulat, & eas extra palatium conſoletur. Et quoniam in regno Francorum aliquæ Eccleſiæ quadam ſcrupuloſa nobilitate glorioſam, vt æſtimant, ſibi conſuetudinem aſſumpſerunt, ne aliqui niſi ex licito compleau geniti promoueantur, in eis meritorum & virtutis excellentiam origini poſtponentes, prædicto Cancellario ſuperbè potius quàm supernè titulum natiuitatis obiiciunt, ne vel ad eos accedat, vel inter eos aſcendat. Eorum, Pater, legibus Romana Eccleſia non ſubditur, potent ſi voluerit vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare. Et cum magni proco viri, vt credimus, preces vobis offerant, rogo & ego minima portio gregis Veſtri, vt quod humana conſtitutio contendit auferre, diuina veſtra conſolatio conſerre ſic intendat, ne magis poſſit in eo ſeueritas quàm benignitas, minus gratia quàm natura. Soluatur in eo, ſi placet, Apoſtolica manu vinculum quod excluſa virtute natiuitatem includit, vt in paucis Eccleſiis quæ obſeruant priuilegium mereatur accipere, per quem in palatio Regis multæ Eccleſiæ priuilegia conſequuntur.

*Lucio ſummo Pontifici pro H. Clementis fil. in Diaconum Pariſienſem electo.*

EPIST. C.

VEſtram, Pater, precibus attentare celſitudinem mouet me pariter & monet tā pietas veſtra quàm charitas aliena. Eccleſiam Pariſienſem nobile membrum Regni Francorum in Decanum nundum conueniſſe non conuenit, cum de eligendo eo ſæpè iam conuenerint in vnum potius locum quàm in votum coram Domino Carnotenſi & Abbate Caſtri Nantonis. De mandato veſtro diſſidentium ſinguli partium dederunt nomina ſua, & ſcripſerunt, & aliquando me præſente coram eiſdem iudicibus publicata ſunt & relecta. Iuuenem bonæ opinionis, & quantum ad morum honeſtatē & peritiam litterarum ſpectat, hilaris famæ, Hugonem filium Roberti Clementis magna pars Canonicorum, & præcipuè reſidentium, nec merito, vt creditur, minor quam altera, nec numero, ſibi ſic præeſſe deſiderat, vt conſideret & prodeſſe. Vtilem ipſum Eccleſiæ futurum, & Domini Regis familiaritas intima, & fratrum ac propinquorum, qui plurimum in palatio poſſunt, quotidiana ſedulitas promittit, & qui inde plura ex eo Pariſienſi Clero ac populo, quam in alio, diebus iſtis profutura metitur commoda, profectò non mentitur. In fine loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis, vt tanti viri nuncium, quem nec propria voluntas, ingerere, nec aliena poteſtas intendere contendit, paterno affectu tam ſuſcipiatis beniuolè, quam beneficè remittatis.

*Rhemenſi Archiepiſcopo pro G. Clerico.*

EPIST. CI.

DIfficile pietas expugnatur, quam hinc gratia promouet, hinc natura. Hoc vtroque beneficio iuuatur in vobis, vt nec deficiat cum imploratur ſingulis, & proficiat vniuerſis. Eam mihi ſemper propitiam pro G. paupere clerico latore præſentium ſollicitare præſumo, non timens à vobis vel reprobari vt improbus, vel repelli vt expulſor. Serenitatem veſtram veretur in ſeueritatem ſibi verſam, & quia Dominum ſuum ſequi, & ei in via obſequi obſtante infirmitatis incommodo non eſt auſus, neceſſitatis ſuæ, non voluntatis culpam coram pedibus veſtris timens, & tremens, ſibi ſupplicat non ad ſupplicium imputari. Condonet illi ſancta paternitas veſtra hanc offenſam, vt qui veſtras vlciſci parcè conſueuiſtis iniurias, ex cumulato clementię veſtræ theſauro puniatis parciùs alienas. Beneficium illud, quod idem G. per Laudunenſem Archidiaconum meliorem melioris in proximo ſicut audiuimus fortunæ futurum à Domino Sueſſionenſi Epiſcopo obtinuit: Idem Epiſcopus ex magna parte detrūcat meſſem huius anni auferens, vt qui de altario manducare debuerat, iuxta altarium mendicare compellatur. Rogo, ſi placet, ego minima portio Clericorum veſtrorum, vt it qui per Curiam veſtrā beneficij titulum obtinere meruerit, per curam veſtram menſuram bonam & conſertam & coagitatam & ſuper effluentem meſſis quam poſtular, non minus beniuolè quàm beneficè recipere mereatur.

*Henrico Regi Anglorum cum omni proſperitate gloriam ſempiternam.*

EPIT. CII.

POſt lugubres exequias & lamentabile feretrum, reſiduum lacrimarum noſtrarum coram vobis, inclite Princeps, effundimus, de copioſa clementia veſtra triſtitiæ noſtræ ſolatium expectantes. Sanctæ recordationis A. Papæ nepos idemque clericus veſter gentilis, turbato quoad parentes ſuperſtites ordine mortalitatis diem clauſit extremum: bonæ indolis adoleſcens, laudabilem conuerſationem ſuam fideli fine concludens. Inter extrema ſanctæ confeſſionis Catholica verba, ſanā mente ſanoque cōſilio de rebus ſuis legitimè diſpoſuit, teſtamentum ſolemne condidit, in cauſas pias diſtribuit & legauit. Et quoniam nihil eſt quod magis hominibus debeatur, quàm vt vltimæ voluntatis liber ſit ſtilus, & licitum quod iterum non redit arbitrium: Excellentiæ veſtræ preces effundimus, vt auctoritate veſtra teſtamentum prædicti clerici veſtri confirmetis, & res ipſius quæ in regno veſtro de redditib⁹ ſuis per vos eidē collatis ſuperſunt, fideli diſpēſatori & Magiſtro ſuo Alberto, per cuius manum diſtribuendæ ſunt eleemoſynæ, ſine difficultate & mora faciatis aſſignari: vt ex liberalitate veſtra nomen veſtrum clariùs reſplendeat, & defuncti voluntas effectum obtineat, & tàm vobis quàm ipſi merces æternæ retributionis accreſcat. Refundite tanti patrui memoriam in nepote, & à mortuo ne prohibeatis gratiam, cui viuenti beniuolè ſimul & beneficè regiam contuliſtis & operam & impenſam.

*Vuillermo & Roberto Aurelianenſibus Domini Papæ ſcriptoribus.*

EPIST. CIII.

COmmune vobis commonitorium offero, congaudens peregrè profectis, ſi profectio veſtra profectum vobis pariter pariat & prouectum. Verum quia vobis facile cōparebunt duę diuini palatij virgines, humilitas & honeſtas, ſi vel alter vel vterque veſtrum alterutram excluſerit, quiſquis ille fuerit excludetur. Solent plerique Aurelianenſium aurei inter alienos eſſe, qui nec argenti fuerant inter ſuos. Metalla morum metior, quamuis non mentiar, ſi de pecunia faciam mentionem. Augeat vobis Deus gratiam ſuam, vt qui in curia ſunt gratos nos habeant, & nos de vobis faciant gratulantes. Quaſdam petitiones noſtras Herueo de Rochis commiſimus, Eccleſiæ noſtræ negotia continentes. Rogo vos vt vos & amicos veſtros quanta ſedulitate & ſollicitudine potueritis, opem & operam

impendatis, quatinus petitiones illæ nostræ à Domino Papa & Domino Cancellario & exaudiantur beniuolè, A & beneficè complecantur. Si de retributione cogiteris paratus sum loco & tempore præstito mihi à vobis beneficio respondere.

*Domino Papa pro Sy. Capellano Sancti Benedicti Parisiensis.*

EPIST. CIV.

ANtiquas Ecclesiarum consuetudines, quæ nec rationi nec legi obuiant, Sancta Romana Ecclesia aut approbare consueuit, aut non cēsuit improbare. Ea confidentia ductus ad misericordiæ vestræ sinum recurrit deuotus filius vester Sy. Capellanus Sācti Benedicti, qui à quibusdā eiusdem Ecclesiæ Canonicis inquietatur, vt contra consuetudinem antiquam iamsuis quam B prædecessorum suorum temporibus obseruatam, ab altari, in quo parrochialia diuina hactenus populo celebrata sunt officia, recedat, & altare nouum in aliquo Ecclesiæ ipsius angulo erigere compellatur, Ecclesiæ illius forma dissimilis & dissidens ab aliis Ecclesiis à parte sanctuarij respicit Occidentem, ab introitu Oriétem, nec permittit in alio loco conuenienter officia parrochialia celebrari, quàm in eo quo priscis diebus vsque ad tempora nostra priores celebrarunt. Placeat sanctitati vestræ, si condignum vobis fuerit, vt obseruetur consuetudo quæ hactenus inualuit sacrificia pro populo offerendi, maximè cùm non officiat officiis clericorum, cum aliis horis sua celebrēt diuina officia, aliis Capellanus parrochialia conficiat sacramenta.

*Abbati Sancti Bartholomei Nouiomensis Seniori, iam Senescenti dies bonos & exitum fœlicem.* C

EPIST. CV.

VNus ex eis, quorum infinitus est numerus, Ro. aliquando vester in forma deformi veniés ad nos miserabile simulacrum fratribus nostris exhibuit, cuius & afficeretur spectaculo & eruditetur exemplo. Opertus amiculo vili ac breui, quod nec vestigium vestis intuenti præferret, nec opera aut operam operculi cōferret induenti, errore suo nobis incussit horrorem, fortuna mouit formidinem, miseria misericordiā inuitauit. Animalis homo non percipiés ea quæ Dei sunt, cui nec vexatio dat intellectum, nec labor fingitur in præcepto, hanc solam sibi sufficere credit allegationem, si vel misericordes gratis inuenerit, vel calamitatem suam inspicientibus non occultet. Pro eo vobis, pater optime, D compassionis ardentis preces offerimus, vt miserum istum arborem autumnalem, sal infatuatum, canem mortuum, culicem viuum, leuitatis suæ dolos expertum, nec dolorum expertem beneuole recipiatis ac reficiatis beneficè, ne in eo per vos calamus quassatus cōteratur, aut linum fumigans extinguatur. Molestum vobis me crederem si sensissem vos aliquando molestatum. Confido quia nec huius pro quo supplico demensia vestram clementiam minuat, nec importunitas mea vobis importet offensam.

*Remensi Archiepiscopo pro Ecclesia S. Euurcij Aurelianensis.* E

EPIST. CVI.

MAtrem meam Ecclesiam beati Euurcii quorundam animositate turbatam inueni quando veni, & in eorum motibus motus ego nō minus alterius partis dolui dolos, quàm vtriusque dolores. Rogo vos pater vnicum solatium & subsidium meum, vt Abbati & Conuentui scribatis, ne solitæ religionis suæ formam ad solutæ deformitatis ignominiam deiiciant, & impacientes pacis ad iurgiorum prosiliant arma, qui solis orationibus & lacrimis debuerant animari & armari.

*Priori de Caritate Spiritualem cum exultatione prouentum.*

EPIST. CVII.

IOcundam vestri memoriam dum recolo, fructuosam reporto conscientiam, cùm inter vestros numerari me nouerim, & à vobis meruerim munerari. Addit amplissimus charitatis vestræ sinus confidentiā votis meis, vt à vobis audeam petere, quod & impetrare debet pietas, & charitas non negare. Lator præsentium Canonicus quandoque noster, lubrico consilio ductus, cùm ex nobis esset, à nobis exiit, & post greges sodalium suorum vagari incipiens vt insipiens, post modicum ad se reuersus fœdato † fasciculo venit plorans, veniam implorans. Aliquos ex nostris pietatis expertes expertus, clausum sibi reditum multorum precibus attemptans, reuerti in domum vnde exiuit non potest, & à nobis ad misericordiæ vestræ viscera missus, ab vberibus tantę consolationis sociari & expetit & expectat. Rogo pro eo ego, si recolitis, amicorum vestrorum quædam portio, vt eum qui ad arctiorem & altiorem ordinem vestrum contendit ascendere, pro amore Dei & nostro beniuolè suscipiatis, ac beneficè, ne preces incassum effuderimus, qui de gratia vestra maiora speramus. Ne autem conuersionem eius onerosam vobis & inutilem credatis, diuinis eum instructum cantandi & legendi testamur officiis, & eruditum regularibus disciplinis.

*Domino Papa pro quodam Clerico ab Episcopo Schismatico ordinato.*

EPIST. CVIII.

EXcusabilis est ignorantia quam vel infirmitas ætatis, vel innocentiæ simplicitas induere consueuit. Ea sic à malitia recedit, vt ad mansuetudinem accedat: sic accedit ad veniam, vt seueritatem non accendat. Eā Pater, siue de infirmitate procedat ætatis, siue de innocentiæ simplicitate nascatur, communis mater Ecclesia Romana leuare semper & iuuare studuit, vt & rigorem dispensatione temperet, & dispensationem iustitia non relinquat. Hæc sunt quæ me minimum seruum vestrum mouent & monent, vt pro Odone clerico præsentium latore, cum aliis qui pro ipso vos rogant, sanctæ paternitati vestræ offeram quæ & de charitate prodeunt, & prodesunt charitati. In puerili ætate ab Herberto Bisuntino schismatico gradum acolyti qualitercumq; suscepit, cum prius à Catholico clericus factus fuisset: nesciens miser quantum veneni pestis illa infunderet, quātum periculi manus illa leprosa sibi vel ad præsens, vel imposterum importaret. Aperiatur super eum obsecro paternus Apostolicæ pietatis oculus, maternus Ecclesię Romanæ sinus expandatur, vt qui in suscipiendis ordinibus minoribus deliquit, ad maiores valeat humiliter promoueri. Vale

*Lucio Papa pro Herueo Clerico.*

EPIST. CIX.

FAuorabilis est iuuentus, cui testimonium præbent & honestas morum, & peritia literarum. Hæc in præsentium latore H. subdiacono per Dei gratiam quātum intelligimus sic conueniunt & occurrunt vt ei sufficiant ad meritum, & aliis ad exemplum. Inde est quod pro eo confidentius vobis preces offerimus, vt quia nullum in Ecclesia beneficium habet, beniuolum sinum & beneficum aperiatis ei sinum, & ab vberibus consolationis vestræ desiderato spei suæ solatio satietur. In diuinis officiis idoneum reddit eum vsus quem à puero consuluit, & de sacrario plenè viuere debet, qui plenè nouit sacrario deseruire. Scripsit pro eo fœlicis recordationis pater Alexander Decano, & Canonicis Sācti Aniani Aurelianensis. Scripsistis & vos primò & secundò. Sed neque preces neque præceptum vestrum, quamuis tres præbendæ vacarent, voluerūt audire. Absit,

fit patar, vt inanes sint preces vestræ, contemptibilis autoritas, clusorium præceptum, & nunc demum tanta si placet virtute intonet soper eos maiestas vestra, vt qui blanditiis iuuari non potuerunt, imperio discant vinci. Petitiones nostras quas per eum vobis offerimus & implendas si placet admittue, & remittite perimpletas.

*Henrico Syluanectensi Episcopo.* EPIST. CX.

GRata est occasio, quæ aut præsentiam vestram mihi præstat, aut memoriam repræsentat. Eam semper & oblatam deosculor, & offerendam amplector. Verum quia Capitulum Syluanectense, & Abbas sancti Vincentij nulla vestri mentione facta mihi per Petrum de Valle mandauerunt, vt omni occasione & dilatione postposita, in Octauis Epiphaniæ ad horam Capituli ad ipsos venirem pro quadam compositione, quæ, vt aiunt, inter vos & ipsos ex compromisso ea die fieri debet: miratus sum pariter & moratus. Nec enim sine mandato vestro festinare debui, ne aut inofficiosus appaream, aut ociosus existam. Quotiens autem vestræ paternitati placuerit, paratus sum tam in his quàm aliis negotiis apparere vobis & parere. Si me inuitaueritis, non immuenietis inuitum. Absit enim vt tam charissimus pater meus inuitum inueniat, si quando venire me inuitat. Licentius tamen & libentius in sequentis hebdomadæ quarta vel sexta feria meam vobis si placuerit præsentiam exhibebo.

*Vuillelmo Aurelianensi Domini Papæ scriptori.*
EPIST. CXI.

FOelices adolescentiæ successus, cui laborem indicit necessitas, & fructum educit vtilitas de labore. In his tibi condelector & congaudeo, qui fortes & fortunatos animos sequês & lasciuos ætatis annos ad spectacula nõ proponens, sed exponens ad pericula, qui quasi cum prophetis non acceptus in patria sanctæ sedis Apostolicæ, in sudore vultus tui beneficium & experis & expectas, promoueat Dominus & compleat desiderium tuum, vt in augmento gratiæ tuæ & amici gaudeant, & æmuli confundantur. Secundum mandatum Domini Papæ pro negotio tuo sequutus sum vsque Magdunum Dominum Aurelianensem Episcopum, & ibi coram Canonicis illius Ecclesiæ post sacros apices lectos, reddita prius gratiarum actione Episcopo de promisso tibi ad preces Domini Papæ beneficio subsequenter & constanter autoritate mãdati mihi iniũcti eidem prohibui, ne alij antequam tibi beneficium in Ecclesia Magdunensi conferret, & Canonicis ne alium quàm te in Canonicum reciperent, aut inuestiri permitterent & si quã Episcopus fecisset, vel facturus esset de nondum vacante præbenda promissionem, concessionem, vel inuestituram, totum autoritate Domini Papæ irritum esse & fore denunciaui. Homo ille obedienter vt solet respondit. & mandatum Domini Papæ sese completurum promisit, Canonicis murmurantibus & obiicientibus de quodam pecunioso Archipresbytero, cui vt dicebant xxx solidos quousque præbenda vacaret nomine præbendæ assignauerant. Da operam ne opes illius opus tuum impediant. In petitionibus nostris per te & per amicos tuos si quid potes adiuua nos.

*Domino Papæ pro fratribus de Sal.cosa.*
EPISTOL. CXII.

INconsutilis Christi tunica desuper texta per totum, vniuersa Christi membra sic contegit, vt nec minora reiiciat, & maiora sufficienter admittat. Hoc exultationis & salutis operculo contecti quicumque sub Augustino Regularium patre communem professi sunt vitam, speciali sese charitate tenentur diligere, & in necessitatibus fraternis alter alterius onera supportare. Inde est quod sanctæ paternitati vestræ pro fratribus de Salicosa Deo seruientibus preces quas possumus effudimus, vt eorum nuncium & admittatis beniuolè, & beneficè (A) remittatis. Sanctæ conuersationis eorum hilaris fama testimonium præbet, & integri fructus opinio sic alios inuitat, vt & amicus gaudeat & inuidus torqueatur.

*Henrico Syluanectensi Episcopo pro Huberto eiusdem Episcopi Capellano.*
EPIST. CXIII.

NOn est angustus charitatis sinus, qui sic extenditur ad singulos, vt suscipiat vniuersos. Accuratius sese ad domesticos extendit, quorum compassione & cum scandalizatis vritur & cum infirmantibus infirmatur. Hæc est, Pater, quæ affectum mouet & monet, vt pro fratre nostro Hu. capellano vestro iustæ apud vos excusationis petitorium offeramus. Infirmitatis suæ (B) causa venit ad nos, vt sibi consulens eos consuleret, qui venalibus aphorismis seducunt ægros, & in vase vitrei coloris & substantiæ peccata discernunt. Excusabilis est leuitas, quam iniquitas non induxit. Suscipiat obsecro vestræ lenitatis vsusfructus, quem suæ leuitatis impetus & iustæ necessitatis impulsus ad nos venire coëgit. Absit vt gratiam vestram sibi sentiat imminutam quam tanto tempore beneficam habere meruit & benignam. Si quid culpæ fuerit vel in linguę lubrico, vel negligentiæ scandalo, donate nobis vt gaudeamus de venia, qui meruimus de offensa.

*Domino Papæ pro Hugone S. Ioannis Suessionensis Abbate.*
EPIST. CXIV.

(C) PRæter communes Ecclesiæ Dei pressuras, quibus noua monstra diebus nostris Christum iterum crucifigunt, & de patrimonio ipsius animarum tributa in delicias lasciuientes effundunt, clamat regularium pater, Augustinus, regulam auream quam ab Apostolis mutuò acceperat diripi, frangi & pedibus conculcari. Inter huius corruptionis & insaniæ filias tanquam mortiferæ cohortis duces erigunt capita, & malignandi libertatem sibi miserabiliter vsurpant Canonici sancti Ioannis Suessionensis, regularem in se præferentes habitum, & sæcularem obitum inferentes. In patrem armati, mortali vulnere matrẽ confodiunt, & eum quasi signum ad sagittam exponentes dum famam suam negligunt, etiam in alios eiusdem professionis consocios crudeliores existunt, per obedientias, inobedienter vi-(D)uunt, nec Abbati reuocanti respondere, nec corrigenti volunt acquiescere, nec credere corripienti. Huius nequitiæ suæ velamentum & excusationis opponunt causam autoritatem Episcopi sui, qui contra sacram quam professi sunt disciplinam armat eos & animat, ne Abbati suo reuerentiam exhibeant quam ei inter prima suæ cõuersionis auspicia coram Deo & sanctis eius reliquiis tanquam cælestis Reipublicæ iurati milites promiserũt. Huic morbo sola medicinalis manus vestra remedium afferre potest, & conferre, quoniam inter cedros Libani nec vnam inuenire potest miserabilis Abbas quæ contra quercus Basan ex aduerso velit aut valeat violentos impetus sustinere. Autoritate vestra restitutionem meruerat per Dominum Parisiorum Episcopum & Decanum (E) Sancti Germani, sed nec sententiam eorum, imò vestrã obseruare voluit Episcopus, nec canonici contradictionis filij mandatis iudicum obedire. Insurgat pater, vestra seueritas, imò exerat se veritas contra tantæ insolentiæ bestias contumaces, & eripite pauperem à potente, cui præter sedem Apostolicam non est adiutor, vt exemplo istorum discant alij sub obedientia prælatorũ disciplinam suscipere pariter & doctrinam.

*Domino Papæ pro Clericis Grandimontensibus.*
EPIST. CXV.

MOuetur vsque in tempora nostra cribrum Satanæ, dum expectat & expetit vt per contentionis

filios freqoenter excutiat filios excussorum. At ooo deficiet fides Petri, qui conuersos confirmat fratres, Thabitam suscitat, Eneam sanat, bases & plantas consolidat elcemosynam postulantis. Io huius spiritu & virtute confidimus sanctitatem vestram, Pater, scire, velle, posse, & corripete inquietos, & pusillanimes consolari. Recesseruot à venctando Collegio saocti Satyri exeuntes ab eis, qui non erant ex eis, duo filij nequam, & quibusdam rebus Ecclesiæ furtim sublatis manus impias sacrilegio polloentes, ausi soot, vt aodiuimus, sancto vestro compatuisse conspectui, & religionem vestram circumuenire attétantes labiis iniquis & lingua dolosa, nec falsitatem vobis intimare timidi, nec tacera veriti veritatem. Vtuntur auctore quodam Raimundo excommunicato, & à fratribus ob eoormes excessus & seditiones inobediétiæ filias eiecto, qui vt planè cognouimus sanctam illam Ecclesiam inter filias Syon apud Deum & homines gloriosam, semper pacis impanens turbare consueuit, & vt vulgo dicitur, Serpens inter anguillas, miluus inter columbas, vetius malitiæ & nequitiæ suæ fermento fraternæ sinceritatis & veritatis azyma, quantum in se est, attaminat & attemptat. Vero vobis testimonio Pater, asserimus personam Abbatis religiosam, honestam ac prouidam esse & fuisse, & per xxxv. amplius annos tam in Ecclesia illa, quàm in Ecclesijs sancti Ambrosij & sancti Euurtij, in quarum altera prius Subprior, io altera postmodum Abbas, Deo seruisse fideliter & io oculis hominum, & vt credimus Angelorum. Extuibet & exterreat à conspectu suo sanctæ paternitatis vestræ seueritas prædictos iniquitatis filios, vt non appooant nocere homini innocenti, nec pręualeant sub aliquo mendacij soi velamento aduersus Ecclesiam illã terribilem, vt castrorum aciem ordinatam, quæ vsque ad diem istam præcipuo religionis titulo quasi speculum & exemplar inter consorores suas auituit & diuinis obsequis & regularibus disciplinis.

*Domino Papæ pro Ecclesia Compendiensi.*

## EPIST. CXVI.

AD paternæ sollicitodinis vestrę sinum recurrimus, quotiens aot nostra necessitas vrget, aut fraterna charitas persuadet. Inde est quod ad instantiã Abbatis & Monachorum Compendiensium imprudeonùs forsitan & impudẽtiùs fraternitati vestræ scribere præsumpsi, vt eum merita mea non sufficiant, saltem proficiant aliena. Audiuimus quia per operam & iodustriam Domini Sylnanectensis Episcopi, & Abbatis sancti Germani de Pratis, & da Vrsicampo sibi à vobis iniuoctam prędictum Monasterium in meliorem statum reformari incipiat, & tàm apud Deum quàm apud homines, sicut ex litteris ipsius Episcopi pleoius intelleximus, profectũ sibi pariter pariat & prouectum. Iode est qood ego minima portio gregis vestri, fraternis ex his quæ audio, congaudens meritis, misericordiæ vestræ preces fundo, vt prædictorum fratrum ountios & aodiatis beneuolè, & beneficè remittatis. Si quis autem contra ipsos sanctitatem vestram mouere temptauerit, aut monere, ea quæ contra libertatem Ecclesiæ & Ecclesiasticam disciplinam ex aduersa parte proposita fuerint, vestra, si placet, sicut semper consueuistis, serenitas non admittat.

*Godefrido Abbati Sancti Satyri pro Iohanne Sanctæ Genouefæ Canonico.*

## EPIST. CXVII.

IVconda sunt desideria quibus & egressum deuotio, discretio dat progressum: eorum nec obstãdum principiis, nec detrahendum medijs, nec vltimis inuidendum. Hæc attendenies in charissimo fratre Concanonico nostro Io. bonæ iodolis & fructuosæ, vt credimus, in posterum spei, ---------- commendabilem ipsius voluntatem commorandi apud vos, & exemplo vestro disciplinis regularibus in melius cõformandi, grato assensu suscepimus, & ad tempus eom vestræ mittimus A & committimus sanctitati. Preces pro ao porrigimus, vt eum beniuolè simul & beneficè cum fratribus nostris commorantem paterna nobis sollicitodine conseruetis. Si oportunitas iotetim vobis occurrerit ad Ecclesiam sanctæ Geoouefæ Virginis ad Diaconem ordinandom, Archiepiscopo vestro, vel alij Catholico Episcopo poteritis præsentare. Processu tamporis eum ætas ipsius exigerit, Deo volente per Ecclesiam vestram in gradom superiorem poterit promoueri.

*Domino Papæ pro Ecclesia Sanctæ Mariæ Blesensis.*

## EPIST. CXVIII.

QVotiés vel pro nostris vel pro alienis negotiis vobis audeo scribere, Pater, timet animus, tremit B manus, timor hinc & tremor veniunt super me, & ignorantiæ nescio, Deus scit, an dubietatis tenebræ contegunt me, ne vel offendam qoietum, vel impediam occupatum. Excusabilem oppooo caritatem, quæ sic non quærit quæ sua sunt, vt oon minoris quàm proprium quæstom, æstimet alieoum. Charissimus in Domino frater noster & communem oubiscum ordinem sub Patris Augustini regula professus, Nicolaus Abbas sanctæ Mariæ Blesensis, inter quotidianas angustias ordinis in Ecclesia sua reformandi, & dilapidatæ fermè vsque ad desperationem domus ruinas per eius iodustriã renascentes, noui mœroris calicem & inopinatæ tristitiæ gustum haurire compellitor, & ad mortem vsque animi tota sibi commissa deproperat Ecclesia, nisi sancta sedes Apostolica viuas cœlestis antidoti toto malo repercus- C siones oppooat. Commutauerat dextera Excelsi tempore sanctæ memoriæ Comitis Theobaldi io oppido Blesensi per æternæ recordationis Inoocentium Papam lubricos sæcularium Canonicorum gressus, in regulariom disciplinam, & siogularitatem illam restrinxerat, vt tanqnam Apostolorum discipuli de commoni viuerent in commune. Acutiùs intueotes & intelligentes astutiùs Pootifices & principes temporis oostri, plantationem, quam nescio vtrum pater cælestis approbet, inducunt, & Clericos huius modernæ viæ viros arrogãt, qui domos & vineolas suas ad informem præbendarum formam conferant, qui quasi altare contra altare erigãt, qui Sanctis in via Dei gradientibus obiiciant, & offendiculum in verbo, & laqueum in exemplo. Dissimulari D fortassis hæc poterant, & quoqoomodo tolerari, nisi ad maiora manus extenderent, & in labores aliorum rapaci pariter & voraci violentia non irruerent. Nouum sibi cimiterium, nouos magistratus scholarum, nouas occasiones venandi patrochianos alienos sibi conecdi postulant, vt quod aliis deerit, improbitati suæ gaudeãt accessisse. Prouideat, Pater, sancta sollicitudo vestra, ne quod beati patres & decessores nostri pia religione regularibus concesserunt, sibi subreptiooe aliqua oouiqui soperuenium extorqueant sæculares.

*Magistro Bertero Cameracensi Archidiacono.*

## EPIST. CXIX.

IN auditu auris obediens Domino meo hac die sab- E bati summo mane Parisius veni, Cumque adhuc sufficeret dies militiæ, quia tantũ non sufficiebat dici malitia nostra, fatigato corpore sobstiti, nocturnas vigilias somno recipiens & reficiens, ne deficerem in via, minimum proficiens si plurimum proficiscens. Sequar tantum ne non obsequar Domioo meo, & apud Spinogilum modicum somni capiens, cras Domino volente circa horam tertiam Domino meo comparebo. Renuntiare mihi per præsentiom latorem vbi vos veniens, inueniam, venialem moram meam sub virga Domini mei pugnaturus.

*Manasse*

*Manasse Aurelianensi Episcopo pro B.S.R.E. Acolyto.*

A

## EPIST. CXX.

AD petitionem vestram, quam per Dominum Odonem Clericum vestrum significastis mihi, & eum eldem apud vos ore proptio expressistis; inducias vobis in cau a magistri Benedicti sanctæ Romanæ ecclesiæ acolyti concessimus, sperantes de vobis meliora & viciniora paci. In huius spei confidentiam venit ad vos prædictus B. cui si satisfeceritis in debito suo, & consuletis famæ vestræ, & verecundiæ parcetis. Verbo enim Episcopali credulus sicut sermonem vestrum sacramentum ea stimat, sic & ipsius sermonis contrarium euentum sacrilegium reputat. Satisfacite ei, Pater, vel in totum, vel saltem in partem debiti, ne compellar ad man- B datum Domini Papæ in sententiam vobis molestā procedere, qooniam mandatis Apostolicis nolle acquiescere peccatum ariolandi est, & scelus idololatriæ nolle obedire. Inuitus offendam senectutem vestram, sed à Domino Papa puniri timeo inobedientiam meam. Si enim ad aures Domini Papæ peruenerit, vel vos non soluisse, vel me nihil fecisse, offensus & indignatam supremam manum apponet, & sic vtrum nostrum, quod vereor, percutiet, vt pœna vestra meam negligentiam non excuset.

*Domino Papa L. in persona Domini Philippi Regis Francorum.*

## EPIST. CXXI.

FIdelis semper Ecclesiæ Romanæ deuotio regni nostri & facilem supplicandi coram vobis auditum, & fœlicem à vobis reditum promeretur. Concurrant & respondeant priscis diebus hodierna tempora, Pater, vt nec regnum sacerdotio, nec sacerdotium desit regno. Impugnant adolescentiam nostram & auspicia Regni nostri perturbare contendunt Potentes, & qui multiplici ex causa fidem nobis debuerant, infideles aduersarij quorum improbitate compelluntur & consilia noua quærere, & auxilia corrogare. Adsistit nobis super omnes amicos & fideles nostros charissimus auunculus noster Vuillelmus Remensis Archiepiscopus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextera manus. Cū vel ad tempus recedere à nobis, succedere est hostibus nostris, qui sicut absque armis, ita & absque amicis nos D esse votis infidelibus irreuerenter & capetunt & expectant. Vocastis eum, Pater, sicut audiuimus, & vt præsentiam suam vobis exhibeat, sactis vestris apicibus inuitastis. Paratus erat parere, & apparere vobis, peccato ariolandi simulacrum inobedientiæ comparans, & voluntatem acquiescendi vobis tanquam scelus idololatriæ detestans: in articulo summæ necessitatis nostræ confidentes, de præcipua dilectione vestra retinuimus eum, clauum in oculis hostium nostrorum & in lateribus eorum lanceam, sine ipso fieri nihil æstimantes siue de pace, siue de bello cum hostibus sit agendum. Suscipite, Pater, preces nostras, preces filij vestri, quem à cunabulis semper dilexistis, vt qui ante natiuitatem nostram, nostrum beniuolè desiderastis ortum, authori- E tate vestra beneficè comprimatis nostrum desiderantes occasum. Gratum sit vobis, Pater, quod in tanto discrimine Regni, tantum amicum nostrum retinemus, cuius præsentia nobis est per necessaria, & absentia perdamnosa. Et quoniam magnum & cordi nostro profundè insitum est negotium, mittimus ad vos prædictum & familiarem nostrum Stephanum Abbatem Sanctæ Genouefæ discretum & fidelem Regno, quem loco nostro benignè suscipite, & ei tanquam nobis in his quæ ex parte nostra vobis dixerit, indubitanter fidem habere.

*Raimundo Priori Sanctæ Genouefæ Parisiensis.*

## EPIST. CXXII.

POstiter arreptum sexta feria febrilem tota nocte passus accessionem, summo manè Treras veni. Salutato Domino Archiepiscopo ea die, sabatho, & die Dominica in domo Ioannis nostri quieui. Interim per Dei gratiam accessio non accessit. Reliquiæ tantum caloris & sitis molestant me sperantem in proximo meliora, & viciniora saluti. Secunda feria manè Dominus Archiepiscopus Diuiniouem, ego Abbatiam Ripatoriam adij. Clareuallem vado, morulam aliquam ibi facturus, & per Dei misericordiam & orationes sanctorum plenam recepturus salutem. Salutate omnes fratres nostros, & in vniuersis singulos, & in singulis vniuersos.

*Domino Albino S. R. E. Presbytero Cardinali.*

## EPIST. CXXIII.

PAuca vobiscum, Pater, verba contuli, sed multum retuli fructum, humilitatem didici, combibi mansuetudinem, grauitatis si non meminero leuitatem incurri, verum mihi prætendebant Augustini discipulum & exclusa cupiditas & frugalitas inclusa. Regularem habitum per gratiam Dei sic præfertis exterius, vt interius conseruetis. Huius habitus indicium principale vobis mitto, superpellicium nouum, candidum & talare, qood repræsentet vobis vitæ nouitatem, munditiæ candorem, perseuerantiæ finem. Suscipite, Pater, munusculum filij, minus æstimantes panni pretium, quàm vel mittentis animum, vel muneris sacramentum. Et quo- C niam in festo beatæ virginis Genouefæ mysticam superpellicij confectionem fratribus nostris moraliter exposui, cum materiali superpellicio multo vobis etiam morale, vt ex sermone sit acceptum munus, & sermo ex munere sit acceptus.

*Remensi Archiepiscopo pro Magistro Hugone de Nouaria.*

## EPIST. CXXIV.

QVantum vobis debeam, Pater, & memoria mea testis est, & conscientia iudex. Vsque in secreta consiliorum vestrorum suscepistis me gratis, & paternam sollicitudinem sano mihi exhibuistis & infirmo. Credunt aliqui me in oculis vestris complacere, & preces meas sibi apud vos prodesse, pro voluntate sua mentiuntur, nec mihi mentiuntur. Vnus eorum est magister D H. de Nouaria, non nouus amicus & clericus vester, pro cuius clerico preces vestras Domino G. Archidiacono verbo pariter porrexistis & scripto. Et quoniam nihil vos incepisse memini, quod imperfectum reliquerit manus vestra, rogo ego minima portio clericorum vestrorum, vt quia preces vestræ nondum obtinuerunt effectum, pondus addatis precibus vestris, vt tam fidelis & honestus amicus vester per vos consequatur desiderium, & Clericus Ecclesiam obtineat, quam de liberalitate vestra se obtenturum expectat.

*Domino Papa Lucio, ex persona Philip. secundi, Regis Francorum.*

## EPIST. CXXV.

E SI obliuisci poterit mater filiorum vteri sui, & Ecclesia Romana Regni Francorum obliuionem assumet, cum vtrumque de iure sit impossibile, de natura difficile, de facto enorme. Quid enim vltra facere debuimus matri nostræ, & non fecimus ei? vsque in hodiernos dies in partibus nostris cū gaudente gauisi fumus, cum flente fleuimus, vtrumque calicem passionis & lætitiæ sine simulatis dolo, aut discordiæ combibentes. persequutiones ipsius quæ frequentius acciderunt, patres nostri Reges Francorum & robustis portabant humeris, & catentis brachiis defendebant. Exēpla propooere retractare est beneficia, quorū debetis in quem collata sunt, non qui contulit, meminisse. Et quoniam

hæc omnia melius nostis Pater, & tam persecutionis alienæ quàm vestræ in sanctæ memoriæ patre nostro consolationis particeps fuistis, securiori euidentia vobis exponimus ea quæ ad coronæ nostræ gloriam, vel eius ignominiam & iacturam respiciunt, vt de plenitudine consilij & auxilij vestri solatium reportemus. Turonensem Ecclesiam nostram semper ac patrum nostrorum fuisse, & præsentium memoria tenet, & priscorum annalia profitentur. Totius Britanniæ minoris Metropolitanus hactenus extitit qui Turonensi præfuit Ecclesiæ, & in ipso parte extremæ Regni nostri vsque ad Oceanum requiescunt. Ecce pater, diebus adolescentiæ nostræ nos impugnant non solum qui armatam militiam exercent, sed & qui in sorte Domini vocantur, Clerici Dolenses: forte non sine dolo dolorem nobis inferre conantur, in tenero capite nostro coronam antiquam confringere molientes. Charissimum ac fidelem nostrum Turonensem Archiepiscopum suggestione quorumdam & fauore, vt dicitur, cuiusdã infra breuissimi temporis angustias vocastis, vt de causa quæ magis nostra est quàm sua respondeat, & statum coronæ nostræ in ancipiti statera ponat, periculosum sanè & ignominiosum nobis & posteris qui succedent. Proinde sanctitati vestræ preces ex toto corde prodeũtes fundimus, vt intuitu Dei & pacis Regni Francorum, quæ in hoc articulo si processerit peritura est, à causa illa penitus desistatis. Sed sicut temporibus antecessorum nostrorum Turonensis Ecclesia Metropolitanum suum in tota minori Britannia obtinuit, ita diebus nostris quos perturbare nec debetis nec vultis, obtineat & obseruet. Quòd si fortè, quod non credimus, inexorabilem vos inuenerimus, vsque ad congruum tempus quo Dominus pacem & quieté regno nostro dare voluerit, Archiepiscopo nostro Turonensi dilationes indulgeat benignitas vestra, quoniam propter necessarias regno nostro causas eum retinuimus: Primo propter difficillimam quam cum Comite Flandriæ guerram habemus. Secundo propter motus plusquã ciuiles qui in Prouincia Britanniæ insurgunt inter Principes eiusdem prouinciæ & Regis Anglorum filios. Tertio propter maximum colloquij terminum, quod cum Imperatore post Pascha Deo volente sumus habituri. In quibus omnibus ipsius Archiepiscopi industria, præsentia, consilio & auxilio indigemus. Sciat autem paternitas vestra, quoniã in generali Conuentu nostro quẽ in initio Quadragesimæ propter hanc causam & alias Regni necessitates Parisius conuocauimus, Consilio Archiepiscoporum & Episcoporum ac Baronum nostrorum prædictum Archiepiscopum ab incœpto itinere retinuimus, vt pote necessarium nobis & vtilem rebus incœptis, & per Dei gratiam ad honorem regni nostri peragendis. Fideles nostros præsentium latores Abbatem de Sarquocello, & magistrum P. familiarem & Clericum Parisiensem nostri ac nostrum vobis transmisimus, vt in his quæ ex parte nostra vobis dixerint fidem eis habeatis, & per eosdem voluntatem vestram nobis si placuerit remandetis.

*Lucio Papæ sub persona Philippi Francorum Regis.*

## EPIST. CXXVI.

CLausa nobis & Regno Francorum, quod hactenus Ecclesiæ Romanæ fidelissimum extitit, paterna viscera vestra, saltem in dilatione quam pro Ecclesia Turonensi postulauimus, sentientes, & inexorabilem animum vestrum non sine confusione nostra nunc experti, cœlum & terram in testimonium vocamus, vt si quando regias aures nostras vobis aut fratribus vestris clauserimus, excusabiles valeamus apud Deum & homines apparere. Sustinuimus pacem vestram, & etc perturbatio, & in læsione Turonensis Ecclesiæ quæ tempore patrum nostrorum integram Metropolitani iuris ditionem in tota minori Britannia obtinuit, Regnũ nostrum turpiter imminuere ac mutilare contendit, Ecclesia Romana coronam de capite nostro deiicere, frangere, & pedibus conculcare. Quid enim aliud est Archiepiscopum in eadem prouincia contra Metropolitanum suum & integritatem Regni nostri erigere velle, quàm ab hæreditate patrum nostrorum nos tanquam imbecilles & resistere non valentes, eiicere & fugare? Videat Dominus & iudicet, quòd si processerit factum istud, minus amodò vos æstimabimus patrem quàm vitricum, minus sentietis nos filium quàm priuignum. Vsque ad animam nostram pertinget gladius iste, vt exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti & abiecti à vobis, vltionem quandoque Dei & hominum expectemus. Neque enim solummodo vulnerabit nos plaga ista, sed & omnes totius Regni Barones in compassionem accendet, vt de manu vestra requirat Dominus aliquem sanguinem, qui propterea fundi potest, & inter Regnum, & maiores Regni principes materiam secessionis & guerram perpetuam, quæ accidere poterit, eis imputet qui merentur. Ex præteritorum enim exemplis colligimus materiam futurorum, & sicut antiquis temporibus occasione dissensionis huius, multorum sanguis effusus est: ita & diebus nostris nisi per industriam vestram venienti morbo citius occurratur clades communis, & generalis strages inter Francos & Britones poterit suscitari. Melius est autem in tempore occurrere quàm post exitum vindicari.

*Domino Octauiano, ex persona Philippi Regis Francorum.*

## EPIST. CXXVII.

INuiti compellimur hodie cœlum & terram inuocare, & mouere in testimonium nostrum. Hoc Ecclesiastici partes, inde principes sæculares Ecclesiã Romanam, quod nequaquam sperauimus, aduersariam nobis sentimus, & vsque ad animã descendit gladius iste, cùm in Regiæ Coronæ nostræ confractionem manus extendant, qui eam saltem Petri gladio defendere debuissent. Contra Turonensem Ecclesiam, quæ nostra est, erigere conatur Apostolica sedes in Britannia minore Dolensem Archiepiscopum & integritatem Regni nostri, quæ temporibus patrum nostrorum illæsa perstitit, lædere, minuere, detruncare. Hæc sunt beneficia meritorum regni nostri. Hæ retributiones & gratiarum actiones deuotionis & fidei, quam Ecclesiæ Romanæ patres nostri semper exhibuerant in omni persecutione vestra parati, pro Ecclesia Dei & Imperare fideliter suis, & resistere viriliter alienis. Perpetuæ dissensionis & guerræ materiam suscitare contenditis inter nos & Regni nostri principes occidentales, & vt abiecta reuerentia quam Ecclesiæ Romanæ hactenus exhibuimus, facie vobis respondeamus aduersa. Suscitatis odiorum incendia, quæ si excreuerint in flammam, inextinguibiliter peruenient in fauillam. Exhæredati, spoliati, nudati per Ecclesiam Romanam, quantum in vobis est, aut periculose pugnare compellimur, aut turpiter cedere. Opponat se tantis malis auctoritas vestra, nec recidiua permittat exempla renasci, quibus multus sanguis innoxius effusus est, & iterum effundi poterit, si fauore cuiusdam, vt dicitur, qui non sine dolo Dolensis electus est, regni nostri partes nobis occiduas auferatis.

*Magistro Meliori Cardinali, ex persona Domini Remensis.*

## EPIST. CXXVIII.

QVæ ad vtilitatem & pacem sanctæ Romanæ Ecclesiæ spectant oculo vigilanti tenemur attendere, & primos discordiæ motus tamquam paruulos ad petram allidentes comprimere & necare. Occasione Turonensis & Dolensis discordiæ tantus in animum Domini Regis & Principum eius amaritudinis rancor descendit, vt coram Archiepiscopis, & Episcopis & Baronibus Regni ab Ecclesia Romana se conqueratur exhæredari

exhæredati, & indignitatem Ecclesiæ Turonensis, quæ sua est, aliter quàm temporibus patrum suorum fuerit, imminui, & turpiter mutilari. Ingratam sibi & patribus suis clamat Ecclesiam Romanam, & oblitam beneficiorum, quæ persecutionis & pacis temporibus à Francorum Regibus hactenus percepit: pro matre perhibet se recepisse nouercam. Inde est quod dilectionem tuam, de qua non immerito specialiter confidimus, monemus, rogamus & consulimus, vt quacumque arte potueritis factum istud impedias, nec propter fauorem personæ illius quæ tibi natione coniuncta est, pacem & concordiam, quæ inter Romanam Ecclesiam, & Regnum Francorum hactenus inuiolabilis extitit, turbari permittas. Credimus enim quia si Dominus Papa contra Turonensem Ecclesiam processerit in facto isto Dominus Rex & omnes Barones eius indignatione, ita & odio plus quàm credi potest animati & armati, abiecta paulisper reuerentia quam Ecclesiæ Romanæ debet, noua & periculosa consilia tractare cogentur, & non poterit leuiter extingui quod præcipitanter potuit incitari. Melius est autem in tempore occurrere, quàm post exitum vindicari.

*Londensi Archiepiscopo.* EPIST. CXXIX.

VErecundiam meam tetigit litera vestra, Pater, & castigato rubore frontem perfudit, commemorans pro negotiis vestris apud Dominum Papam me fuisse sollicitum, & in consiliis nuncij vestri magistri Thobiæ minus desidem quàm deuotum. Non modicus est obsequiorum fructus, eos quibus impensa sunt maximè potentes & nobiles vel in modico meminisse. Placet mihi seruitium meum complacuisse vobis, & in vestra gratiarum actione totus accingor & accendor ad maiora, si vel opportunitatem occasio nō deserat, vel opportunitas occasioni concurrat. Petrum vestrum pariter ac nostrum commendabili morum nobilitate inter iuuenes præcipuum sicut mandatis, quantum nobis Dominus permittit, & commonemus patrum verbis, & promouemus fratrū exemplis. Sacræ paginæ studens scholas veritatis in adiutorio, scholas virtutis frequentat in claustro: cum neque hic sine veritate virtutem, neque ibi sine virtute combibat veritatem. Duo sugens vbera cito poterit impinguari, vt tanquam saginatus vitulus, vel fortis aries, aut filius arietum de grege Domini ad altare ipsius & ipse immolari possit, & quandó vobis placuerit pro aliis immolare. Considerans mihi quid vobis Domino meo possem mittere, nihil occurrit quo non abundetis & vos, & ideò inter diuitias & delicias Occidentales, Orientale munusculum mitto vobis, ampullam tyriaca probatissima plenam ab Archiepiscopo Mamertino Antiocheni Patriarchæ suffraganeo concanonico & amico nostro mihi datā. Humile satis, sed vtile xenium, magnis & potentibus viris acceptum: quorum & vitæ status fructuosus est in sæculo, & exitus à sæculo luctuosus. Si quid aliud placuerit vobis quod in Francia, quę monstris caret, inueniri possit, parati sumus sine dissimulatione quærere, sine dilatione transferre.

*Raimundo Priori Sanctæ Genouefæ Parisiensis.*

EPIST. CXXX.

CAsus fortuiti qui præuideri non possunt cum humano iudicio ex insidiis fortunæ pendeant, eorum præscientiam soli sibi Dominus reseruauit. Calore febrium laborans Matisiaci decumbo, timens, ne si duriorem euectionē ascendam, vehiculi motus accedens incommodum periculi vehementius accendat. Oblatos cibos fastidio, eorum oblationes nec appeto nec affecto. Continua tamen nondum immoderata, calor & sitis, somnus inquietus, vrina intensior dolor capitis & membrorum, & alia quædam febrilia symptomata, quæ propriis appellant vocabulis, qui in vase vitreo coloris & substantiæ peccata discernunt. Spero tamen quia si paucis diebus quieti corporeæ indulgeam, per Dei misericordiam succedent meliora & viciniora saluti. Interim charissime, in instaurandi communis capituli conuentu vices nostras suppleas, vt audias & intelligas quid loquatur. Dedit enim tibi Dominus in omnibus his intellectum. Et quoniam absentia mea non ex voluntate, sed ex necessitate procedit, apud Dominos & Coabbates nostros rogo te habe me excusatum. Saluta ex parte nostra charissimos & predilectos fratres nostros omnes, qui soli sunt corona mea & gaudium meum in Domino. Vale, & ora vt valeam.



*Decano & Capitulo sanctæ Crucis Aurelianensis pro Ioanne Clerico.*

EPIST. CXXXI.

PAternas Domini Papæ preces, monitus & mandata, tanta debetis hilaritate ac diligentia suscipere, vt obedientia vestra diuinam vobis gratiam comparet & humanam. Et quoniam pro Ioanne latore præsentium Clerico vestro in Ecclesia vestra enutrito & educato summus Pontifex monendo, rogando, & mandando scripsit vobis, ego quoque sicut clericus & amicus vester, moneo & consulo, vt in petitione prædicti clerici beniuolam simul & beneficam manum vestram aperiatis ei, quoniam tāto patri non parere perire est, non obedire obire. Moueat vos pariter & moueat eiusdem clerici inhonesta paupertas, non ignota natiuitas, non illiterata pubertas. Accedat ad cumulum & stimulum petitionis huius, quod Dominus Papa Domino Remensi Archiepiscopo executionem negotij commisit, paruitatem meam tantæ potestati tanquam Hylam Herculi, & vrticam lilio iungens, qui mandatum apostolicum, si desides appareretis, implebit non minus celeriter, quàm potenter. Nouerit autem prudentia vestra, quoniam acceptius est spontaneum beneficium, quàm inuoluntarium, gratuitum quàm extortum.

*L. Cardinali S. Romanæ Eccles. pro quodam Presbytero.*

EPIST. CXXXII.

IOcundam vestri memoriam dum recolo, Pater, fructuosam reporto conscientiam, quam in breui articulo temporis & lætificastis verbo, & ædificastis exemplo. Curram & proficiam in odore virtutum vestrarum: si autem proficere non inuenero, magis imputandum erit negligentiæ meæ quàm eruditioni vestræ. Interim pro præsentium latore supplico, qui cum me consuluisset ad consilium vestrum missus à me, de sacro oraculo vestro sapientiæ simul ac salutis responsum expectat. Iurisdictionem ciuilem vsque ad rigorem, quam imperium mixtum quidam appellant, sub potestate Comitis Flandrensis procuratorio nomine diu exercuit, vbi ex officio qualitercumque suscepto tenebatur & innocentes absoluere, & noxios condemnare. Neminem tamen, vt ipse confitetur, ad effusionem sanguinis iure proprio condemnauit; sed confessos aut conuictos de crimine, communiæ Ambianensi ad quam iudicium sanguinis spectat, secundum quod meruissent reos, iudicandos exposuit, & plectendos. Inde secuta est capitalis pœna multorum, aliis suspensis, aliis prout exigebat consuetudo taliter damnatorum, aliter interfectis. Nullum tamen odio, siue pecunia, siue aliquo alio contra iustitiam affectu supradictæ communiæ iudicandum exposuit, aut damnandum. Reuersus in se renunciauit his omnibus, & condignos fructus pœnitentiæ concipiens in animo, Deo seruire in sacerdotali ordine desiderat & affectat. Suscipite desiderium eius, & salubriter ei consulite, remperato per dispensationem rigore, ne absorbeatur à tristitia, si ei via diuini mysterij claudatur, qui sic plangit admissa, vt non admittat plangenda.

*Fulconi Magistro Scholarum sanctæ Crucis Aurelianensis.*

## EPIST. CXXXIII.

MOlestum mihi est quotiens aliquem molestare compellor, præsertim Dominos meos, quibus vel ob meritorum gratiam, vel ob reuerentiam dignitatis assurgere teneor & seruire. Vnum ex eis vos æstimo, cuius honorem minus in causis offendere quàm defendere sum paratus. Sed quoniam mandata Apostolica tamquam muri sunt vrbis, quos transilire non licet: eo terrore percussus ne Romulei fratris sortem simul ac mortem capitis amissione saltem ciuiliter incurram; sicut primo vos commonueram, ita & secunda commonitione vobis consulo, vt magistrum G. secundum mandatum Domini Papæ licitè legere permittatis. Quod si forte nolueritis, peremptorio velim nolim vobis edicto denuncio, vt prima die Lunæ instantis Aduentus dominici Parisius eundem G. ad tale regimen scholarum minus idoneum ostendatis.

*Vuillelmo Remensi Archiepiscopo.*

## EPIST. CXXXIV.

ANgustant me ne angusto sermone scribam vobis, hinc necessitas mensis Augusti, inde festiuitas patris Augustini. In primo res familiaris & domestica, in secundo cura pastoralis & canonica nec scribentem recipiunt, nec sciciunt disponentem. Inter hæc malui rudis esse vt indemnis essem, quàm inuocare musas vt eruditus apparerem. Mitto vobis hominem rusticanum de post fœtantes acceptum, in palatiis Regum & præsidum prætorus elinguem ac mutum, cuius causa sine consilio vestro peribit, sine auxilio vestro valido non valebit. Sublimem rapiunt eum & innocentem condemnant ministri Domini Regis, substantiolam eius ac leodis vxori & filiis non sufficientem diripere volentes, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

*Remensi Archiepiscopo pro quodam Hospite Sanctæ Genouefa.*

## EPIST. CXXXV.

PRæpositus Pinciacensis contra propositum quod vobis promiserat, proposita in hac parte memoria vestri, ouem vestram pro dimidia relinquens intonsam, reliquum non solum tondere, sed excoriari contendit. Centum solidos à paupere nostro exigit, quos sub centesimis mutuabitur si propositum præpositi non mutetur. Et quia nihil incepisse vos memini, quod imperfectum reliquerit manus vestra, precor vt hominem innocentem, & vsque ad tempora ista ab exactione regia liberum, beatæ Genouefæ Virginis hospitem & seruum, consilio & auxilio vestro ita faciatis absolui in solidum, ne in centum solidis condemnetur. Plenum erit beneficium, si absolutionem secuta fuerit plenitudo. Cantorem Syluanectensem, qui atroces Canonicis nostris iniurias, contumax & arrogans irrogauit, suæ manumissionis immemor quam ab æcclesia nostra gratis accepit ingratus, si placet certo die citari & loco faciatis, & nobis super tanto respondeat excessu, quoniam die quam nobis in quarta feria assignastis Nouiomi, vos non credimus affuturum. Distentum est marsupium eius, & sicut animal illud plenum est vento, ita & sacculus plenus est argento. Pecuniariter puniri potest, qui criminaliter meruit accusari.

*R. Carnotensi electo, pro Ecclesia de Sosiaco.*

## EPIST. CXXXVI.

INitia sacræ promotionis vestræ, & futuri Deo volente sacerdotij vestri merita Spiritus sanctus disciplinæ suscipiat, qui & fidelem consiliis vestris formam, & fœlicem negotiis finem imponat. Ad huius oblationem voti & desiderij sacrificium nos inuitant & communis quam omnibus Ecclesiarum Prælatis debemus reuerentia, & specialis obedientia pariter & fides, quam Domino magnifico & benefico vobis auunculo nostro Remensi Archiepiscopo à multis retro temporibus exhibere tenemur. Et quoniam his gratiarum vinculis vobis respondere temporibus oportunis parati sumus, & vitium ingratitudinis tàm circa vos quàm circa alios Dominos nostros penitus abhorremus: præcipuam ac præclaram nobilitatem vestram rogamus, vt sicut decessores vestri Carnotenses Episcopi, præcipuè Dominus noster & post eum bonæ memoriæ I. & P. Carnotenses Episcopi nobis beniuolè detulerunt, & vos æquis passibus, & si non maioribus, liberaliter deferatis. Est in Episcopatu vestro ecclesia quædam nostra in villula nostra quæ Sosiacū dicitur, tam obscura nomine quàm tenuis facultate, in qua duo Canonici regulares curam parrochiæ gerentes Deo deseruierunt, quibus Officiales vestri occasione cuiusdam collectæ, quam fecisse vos dicunt, quadraginta solidorum onus imponunt, quod neque nos neque patres nostri suscipere consueuimus aut portare. Remittite nobis hanc angariam, pater, quæ & nobis est oneri, & vobis futura non est honori. In aliis Episcopatibus, Parisiensi scilicet & Suessionensi liberi sunt ab his oneribus fratres nostri, nec à vobis nec volente grauari incipient, qui per vos, sicut confidimus, specialiùs defendi deberent.

*Abbati Sancti Bartholomæi Nouiomensis vitam iustam & exitum beatum.*

## EPIST. CXXXVII.

NEc præteritos annos reuocare possumus, nec futuris casibus imperare. Recedendum est quandoque & naturæ debitum persoluendum, vt ea conditione qua intrauimus exeamus. Hæc ideo dixerim, pater, ne intolerabile sit vobis vel ægritudinis incommodum, vel tædium senectutis. Prælationis cura quam vtiliter & visibiliter hactenus gessistis, & robur corporis desiderat & animi vigilantiam, quorum si alterutro quilibet prælatus priuatus fuerit, in subditorum deliciosis mentibus aut odium suscitat aut contemptum. His interuenientibus perit rei domesticæ cura, disciplina soluitur, confunditur ordo, & incipiunt qui subesse debuerant, præesse. Ne id vobis accidat, pater, prouidete circa dies vltimos Ecclesiæ vestræ, ne vertatur vobis in dispendium mortis vnde vitæ stipendium expectatis. Non minus consulere vobis quam consolari vos desiderans, rogo, moneo, & exhortor, vt honoris onus cui iā minus ætatis defectu sufficitis, per manum Domini Remensis humiliter deponatis, qui consilio vestro & nostro, & personam vobis substituat idoneam, & vitæ vestræ congruum assignet solatium, potestatem & scientiam habens in vtroque horum, & attingendi à fine vsque ad finem fortiter, & omnia suauiter disponendi.

*Vuillelmo Remensium Archiepiscopo pro Th. Monacho.*

## EPIST. CXXXVIII.

CApax est gratiæ vestræ sinus, Pater, & sic patens omnibus, vt non deficiat singulis, & proficiat vniuersis. Erubescant & reuereantur ingrati quos frequentius præueniunt beneficia vestra, quam eorum obsequia subsequantur. De talium indeuoto numero non esse credimus Tho. Monachum vestrum, in tribulatione sua de vestra sperantem beniuolentia, de vestra gratia confidentem. Sicut intelleximus, frater est Draconum, & socius Struthionum, & inter scorpiones habitans, Monachorum simultates & odio eo sentit profundius, quò propinquiùs intuetur. Non est qui consoletur eum nisi à vobis ei crebriùs consulatur. Vir est, qui & si apud vos commendari non egeat emendicatis suffragijs, de me tamen æstimans supra me, iuuari se credit precibus alienis.

alienis. Educite eum, si placet, de Hur Caldeorũ, quod interpretatur inceodium captinantium, vt cum liberatus fuerit à labiis iniquis & à lingua dolosa., immolet pro vobis Deo sacrificium laudis, & reddat Altissimo vota sua.

*Hugoni Abbati sancti Vincentij Syluanectensis pro Ioanne Canonico.*

EPIST. CXXXIX.

MOoit oos senectus & supplicatio I. fratris & cōcanooici nostri, qui sic à vobis postulat veoiam, vt suam ooo diffiteatur culpam Paratus est satisfactioni patere, & misericordiam vestram in coofessioοe reatus sui, oe pereat, præueoire. Preces fudimus & nos pro eo, vt coosideratione ætatis longæuæ, conuersationis antiquæ, miserationis diuinæ, sinum aperiatis patrium reuerteoti, & recipiatis pœniteotem quem exclusistis peccaotem.

*Vrbano summo Pontifici, cum omni subiectione summam obedientiam.*

EPIST. CXL.

INitia sacri Apostolatus vestri, Pater, ea deootione suscipimus, vt ex eo certa cōcipiamus fiducia & homilibus dari gratiam, & confusiooem superbis. Hac iustitiæ libra singulorum merita pensabit tantus vicarius Petri, cui Dominus affluenter contulit scientiam, & cum sciētia potestatem. Nec deesse poterit his duabus gratissima comes, voluntas bona & beneplacens, & perfecta, quo funiculo triplici sancta desideria, recta consilia, & iusta opera cōsummatius astringuotur. Interim glorior inde mecum ego minima filiorũ vestrorum portio, quod Domioum ounc & patrem meum quandoque viderim in scholis, vbi tanquam Hylas mirabar Herculem, magnis virtutum & prudeotiæ passibus incedentem. Exinde vestri oominis reuereotiā cōcepi, vestræ autoritatis cōbibi memoriā, fructoosum mihi proponens exemplar, doctrioam ex verbis, ex moribus disciplioā Ecce ego & Ecclesia mihi indigoo commissa vestri sumus, cum omni hilaritate parati omnia mandata vestra sine dissimulatione suscipere, sine dilatione complere. Preces fundimus Sanctitati vestræ, vt petitiones nostras quas per Dominum B. Acolytum vestrum vobis porrigimus, sicot Ecclesiæ vestræ videritis expedire, & suscipiatis beniuolè & beneficè compleatis.

*Magistro Reginaldo Aurelianensi Ecclesiæ Archipresbytero.* EPIST. CXLI.

SOmnolenta est amicitia quæ in necessitatibus amici tardiùs excitatur. Hoc vitium ne incurras hilarem te precor exhibe in causa Stephani fratris mei, cuius iniuriam qooniam mea est tuam esse debueras æstimare. Et quoniam oondum pleoè satisfactum est Apostolico mandato per Dominum Parisiensem Episcopum prolato, tu penes quem nō minima portio iurisdictionis Ecclesiasticæ, vode gaudeo, coosistit, supple vigilaoter & viriliter quod excusationi deest, vt exinde tibi gratias agam, & ioiuriam passus industria tua recipiat vltionē. Fiat obsecro sine mora, quæ omnino contrahet ad se periculum, si sine periculo malefactor transierit pascha, qood Latinè transitom appellamus.

*Magistro Bertero Cameracensi Archidiacono.*

EPIST. CXLII.

VErecundom nec minus verum est qood loquor: timeo Domioum meum ac vestrum offendere vel improbis questibus vel precibus importunis. Sofficie mihi gratia sua, quam solam omnibus præfero solatiis, omnibus antidotis antepooo. Sed quoniā de plenitudine eius omnes accipiunt, preces qoas ei Parisios obA tuli precor ei porrigite, vt ad cōseqoeodū quod postulo per vestrā inducatur industriam, per vestrum monitum moueatur. Opportunum se tempus obtulit, quo cū electo Aurelianensi & familiariùs loqui possit, & quod voluerit ab eo faciliùs impetrare. Diem festum acturus est Remis vt audiuimus, vbi concurrente temporis & loci occasione, oihil negabit Domino nostro quem non solum beniuolum, sed & maximè beoeficum nuper expertus est in desiderio suo.

*Henrico Aurelianensi Episcopo, ex persona Abbatis sancti Euurtij Aurelianensis.*

EPIST. CXLIII.

B DIes tribulationis & angustiæ dies hæc. Literas Domini Regis sollicitudine oostra impetratas, ministro & exactori Regio porreximus, & in earom oblatione sustinuimus pacem & non venit, quæsiuimus bona & ecce turbatio. Superbè respōdit, & noo est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Dixit sese nec literis obedire nec mādatis, nisi specialia reciperet inter signa sibi & Domioo Regi cognita & comperta. Prædam vestram oon solum ooo restituit, sed quod residuum erat abstulit & abduxit. Moneat paterna viscera vestra dolor noster, & in liberatione nostra promotionis vestræ principia consecrate, ne si Palatini satellites in consimilibus inueneriot vos tepidum, commune sit periculum vestrum pariter ac vestrorum. Oomnium reuerti nec audeo nec præsumo, cum Ecclesia C nostra in quotidianis deficiat lamentis, & adhuc lacrymæ eius in maxillis eios. Parisius cum Abbate S. Genouefæ remansi, expectans ab vberibus consolationis vestræ refici, & in præsenti angustia vestro consilio pariter & auxilio liberari.

*Abbati Sancti Ambrosii Bituricensis.*

EPIST. CLXIV.

IN reuocatione sui, translatione fratris Al. Caoooici vestri verbo vobis Euangelico respondemus, *modicæ fidei quare dubitasti?* fraternam voluit scindere caritatem, qui verbo iniquo & doloso dixit nos recipere nolle tam idoneum & vtilem fratrem, qui filios vestros æquè inteodimus vt nostros honorare, colere, & amaD re. Grata est nobis societas eius, ingrata reuocatio, ingratior dubietas, qua eum à nobis lingua tertia voluit separare. Placeat vobis vt nobiscum maneat, ne si mādato vestro transferatur ad alios, alieno mandato nobis mioimè deseratur.

*Rollando nobili viro de Dinanno.*

EPIST. CXLV.

COpiosus est diuinæ gratiæ sinus qui nec deficit singulis, & sufficis vniuersis. Dispersos colligit, errantes reuocat, redeuntes amplectitur, nolentes trahit, & inuitos compellit intrare. Huius desiderio deootionem vestram gaudemus accendi, quæ terrenæ militiæ labores infructuosos contemnens totam se, vt audiuimus, ad palmam superoæ vocationis extendit, dum ans E in opera misericordiæ libenter erogat sua, aut in exemplum iustitiæ humiliter bona prosequitur aliena. Crescat in dies voluntas hæc bona & beneplacēs & perfecta, vt Ecclesia qoam ædificatis regularibus disciplinis, per industriam vestram possit instrui, per abundantiam suppleri, per prooidentiam gubernari Et quoniam secreto Dei iodicio carnis vestræ noo relinquitis heredes nouellam illam plantationem vestrā in parte bonorum vestrorum heredē constituite, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, ne si forte indigētes & orphanos reliqueritis eos, mēdicare cogantur, & de laboribus vestris alius aliquis consequator gloriā & honorem. Ne autem beneficia vestra transitoria vel illusoria post dormitationem vestram appareār, pro salute

veſtra monemus, cõſulimus, & rogamus, vt ea firmitate conſeruentur Eccleſiæ quam confertis, ne aut alicuius malitia poſſint auferri, aut auaritia minui, aut potentia perturbari. Ita demum fratres quos inibi ad ſeruitium Dei colligitis, menſuram bonam & confertam & coagitatã & ſupere ffluentem dabunt in ſinum veſtrum, ſi paupertas eorum ex abundantia veſtra ſufficiẽter ſuppleta fuerit, & eleemoſynæ veſtræ perſeuerãter aluerint ſeruos Dei. Interim commendamus vobis ſanctæ conuerſationis & indolis in Chriſto præcipuæ fratrem Vv. Caonicum noſtrum pariter ac veſtrum, cuius cõuerſatio inter nos grata Deo & hominibus ſine omni querela communem gratiam meruit, ſingularem opinionem reportauit. Suſcipite in eo partem viſcerũ noſtrorum, cui ſic Eccleſiam noſtrã conceſſimus, vt tanquam vnus ex nobis Epiſcopalia ſimul ac ſpiritualia fraterna communione percipiat, cõmuni fraternitati perſoluat, liberalitatem veſtram plena gratiarum actione proſequimur. qui paleſridum veſtrum hoc merito noſtro nobis miſiſtis, & donantis affectum in tam conuenienti dono familiariter oſtendiſtis.

*Vvillelmo Remenſi Archiepiſcopo.*

## EPIST. CXLVI.

SIcut vobis ſignificaueram, Pater, ad Dominum Regem die mihi aſſignata receſſurus acceſſi: paratus ad viam cuius formidoloſa ſunt initia, periculoſa media, nouiſſima faſtuoſa. Poſt aliquas deliberationes Deus, in cuius manu corda ſunt Regum, conſilium Domini Regis mutauit, & à labore futuri itineris abſoluit me princeps beneuolus, bonam voluntatem meam in negotiis ſuis commendans, & ſi magna minimis comparari debeant, gratiam pro gratia mihi reddens. Vobis iterum, Pater, ex parte famuli veſtri gratiarũ actio vox laudis, qui per litteras veſtras ſuſpiciẽdi laboris exhortationẽ vtilem, conſolationem vberem, compaſſionem humilem mihi ſuprà quam meruerim non negaſtis.

*Neueloni Sueſſionenſi Epiſcopo pro Eccleſia ſancti Ioannis Sueſſionenſis.*

## EPIST. CXLVII.

FRuctuoſa ſunt opera quę & charitas inchoat, & perſeuerantia conſummat. Radicem ſequitur ramus, riuulus fontem ſapit, opus intentionem commendat. Quod ſincetè à vobis & nobis ſuper ordinatione Eccleſiæ ſancti Ioannis de Vineis, autoritate Domini Papæ inchoatum eſt, perfectionem expectat, & languentis Eccleſiæ defectus quotidiano clamore pulſat aures Domini Sabaoth, vt qui habitant terram. Auſtri cum panibus occurrant ſitienti. Quæ vobis imputetur & nobis, ſi non bono peragatur exitu, quod bono inchoatũ eſt principio: Celerem ac celebrem opem date & operam, vt in octauis Aſſumptionis beatæ virginis Pariſius ex parte veſtra mittatis, qui honorificè Canonicos ducãt, deducant & inducant. Quia verò propter dilationem colloquii Regij, Dominum Remenſem Archiepiſcopum affuturum non credimus, diligenter inquirite quando & vbi conueniẽtiùs ei vobiſcum poſſimus occurrere, & de eo quod ſupereſt deliberare & tractare. Super his omnibus ſignificate nobis voluntatem veſtram, ne vel curramus in incertũ, vel pugnantes quaſi aërem verberemus.

*Vvillermo Remenſi Archiepiſcopo.*

## EPIST. CXLVIII.

ORdo iudiciorũ, Pater, multis, excogitatus vigiliis, à quibuſdam hodie Romanæ Eccleſiæ rectoribus turbatur, qui ſacris Canonibus aut nec lectis, aut neglectis, non minus ſunt in ſententia præcipites, quàm in executione crudeles. Sine vocatione ligant, ſine delectu excommunicant, ſine cognitione condemnant. Horum de numero contendit ſe eſſe Siluanectẽſis Epiſcopus, qui ſeruientem noſtrum maiorem de Torret omni ordine iudiciario poſtpoſito non tam excommunicauit, quam illicitam & irregularem qualis qualis excommunicationis ſententiã in eum primo aſpectu iurĩ ſe offerentem euomuit, & villam noſtram ex leuiſſima vel nulla cauſa ſub interdicto concluſit. Et quoniam Domine refugium factus eſtis nobis, paternitati veſtræ quam beniuolã ſimul experti ſumus ac beneficam, preces fundimus, vt ſeruientem noſtrum præſtito ſacramento ſtandi ad mandatum veſtrum ſi placet abſoluatis, & tam ſuper cauſa eius, quàm ſuper interdicto villæ, quando & vbi vobis placuerit, nobis & Epiſcopo diem & locum aſſignetis.

*Abbati Vv. de Dacia, emori conſeneſcent, viuere, & videre dies bonos.*

## EPIST. CXLIX.

DIgna vox eſt beneficium capientis obligatum ad antidora ſe quemlibet profiteri. Alioquin ſi quis egerit, aut indeuoti ſtatuam colet, aut ingrati ſimulacrum adorabit. Infauſta hæc prodigiorũ ſoboles, quarum prima informis, ſecunda infamis, vtraque ſine laude, & neutra eſt ſine ſorde. Indeuotionis obſcuritas, ingratitudinis obſcœnitas, beneficia præterita ſepeliunt, præſentia corrumpunt, futura repellunt. Harum contagia fugimus, harum cõſortia deteſtamur. Donum veſtrum ſic accipimus, vt effectũ dilectionis veneremur in munere, & affectum largitoris in muneris largitore. Æquũ eſt vt pro equo tàm ſolemni ſolemnes referamus gratias, quem ſedere deceret aut Pontifices magnos, aut Principes Palatinos. Aliorum ſeſſores vident, & inuident, nec facile eſt apud nos conſimilẽ aut precio mercari, aut obſequio promereri. Si qua fuit in dando mora, conuenienter purgata eſt, nec aliquod traxit ad ſe periculum quæ tàm plenum muneris exhibuit incrementorum. Ductor eius non ſumptui pepercit in pabulo, nec vehiculum ſibi vſurpauit in equo: quod teſtantur & pili iocunda mollicies, & iubarũ compoſitio directa, collum ſucculentum, clunes pingues & æquales ilia nõ demiſſa, latera plena & plana, color aureus, totus pulcher, & macula non eſt in eo. Quod de ſtatu fratrum noſtrorum quæſiſtis, ſciat ſollicita dilectio veſtra, quoniam de die in diem per Dei miſericordiã & in ſpiritualibus proficiunt, & temporalibus abundãt, nec eſt inter eos occurſus aut ſathan, cum in fraterna concordia & conueniant ſinguli, & congaudeant vniuerſi.

*Alberto Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellario.*

## EPIST. CL.

ROgare, pater, pro aliis cogimur, qui pro nobis non ſufficimus impetrare. Primum charitatis affectus imperat, ſecundũ imperat neceſſitatis defectus. Inter hæc non minus ſequens eam quæ foras mittit timorem, quàm de beniuolentia veſtra præſumens, paternitati veſtræ commendo præſentium latorem A. Subdiaconum, cuius ſi numeremus annorũ tempora, iuuenis eſt: ſenex, ſi morum merita cõputemus. Adoleſcentiam ſuam ſacris expoſuit litteris ſupra coætaneos ſuos, concipiens & combibens & Prophetas in Euangelio & Euangelium in Prophetis. His accedit quod non frequenter accidit, generis claritas, quæ & ſi ſola non ſufficit, cum aliis proficit ad virtutem. Dignus eſt pro quo & in ſacris auribus fundantur preces, & à piis mentibus admittantur. Rogo ego deuotus famulus veſter, vt in curia ſancta per vos ei non ſolum ſupplicandi pandatur aditus, ſed & in negotiis ſuis fœlix ac facilis præbeatur exitus impetrandi.

Abbati

*Abbati sancti Dionysii.*

## EPIST. CLI.

SOlus cui omne secretum patet Deus, & qui iudicabit fines terræ, ipse iudicat fines operũ & terminos voluntatum. Inde est quod desiderium fratris H. canonici nostri cupientis ad monasteriũ vestrum transire, nec commendare volumus, nec reprehendere audemus: illi omnia reseruantes qui tempore retributionis appendet merita singulorum in pondere & statera. Sed vt vestræ petitioni & ardentissimæ fratris satisfaciamus voluntati, liberum & absolutũ vobis eum cõcedimus, salua nobis eleemosyna domus, quam ipse & mater sua Ecclesiæ nostræ contulerunt, vt nobiscum in habitu monastico Deo deseruiat, & ex eo fructum capiat beatus Benedictus, cui sacræ religionis primitias sanctus contulit Augustinus. Testimonium perhibemus ei, quia per biennium & quadrimestre ferme spacium quo nobiscum demoratus est, religiose, mature & honeste sese habuit, & disciplinæ regularibus totus intendens sic omnium fratrũ recepit gratiam, vt nullius mereretur offensam.

*Alberto S. R. E. Cancellario, pro Clericis Grandimontensib.*

## EPIST. CLII.

LVctuosum in Ecclesia Dei spectaculum fideli ac flebili compassione prosequimur, Grandimontenses conuersos miserabilem cœtum Clericorum exultantiũ barbis prolixis tanquã cornibus ventilantes. Prudentiores sunt filii lucis in generatione sua, & simplicitatẽ columbæ serpentis astutia non tam fraudulenter circumuenit, quam violenter absorbet. Ex illo venerabili quõdam collegio ministri altaris positi sunt quasi signũ ad sagittam, & qui eos vident mouẽt capita sua super eos. Mendicant, exultant, vagi & profugi super terrã, saturantur opprobriis, & ecce panem filiorum comedunt canes, & in tabernaculis stultorum vulpes foueas habẽt, & volucres cœli nidos Superbiũt in eos laici, & in corruptela spem ponentes, aurum in quo confidunt homines, sub execrabili sonitu promittunt eis, quorum oculi muneribus excæcantur. Delegati à Domino Papa iudiceaquantum licuit processerunt, sed ad nouum sacri Apostolatus mandatum duobus sibi coniudicibus adiunctis, vt nequaquam nisi sub septenario numero negotium tractaretur maluerunt numiliter sub sistere quam inutiliter laborare. Iã antea subdiderunt excommunicationi Stephao quendam, quem Conuersi irreuerenter & contra sacros canones in locum Prioris, qui nec cesserat nec decesserat, intruserant: Omnes illos qui ei tamquam Priori obedirent sub eadem sententia concludentes. Assignauerunt etiã viginti cellas clericis; in quibus sine inquietatione Conuersorum pacifice Deo seruirent, ex litteris Domini Papæ, intelligentes melius esse vt in propriis domibus viuerent, quam in alienis mendicarent. Omnes etiam de Grandimõtensi ordine, qui hoc totum mandatum impedirent, excommunicationi similiter subdiderunt. Conuersi, & qui eis adhærent, nec timentes Deum, nec hominem reuerentes, vtrumque articulum excommunicationis incurrerunt. Indẽ est. Pater sancte; quod ego minima portio clericorum vestrorum, qui omnibus his interfui, sanctitati vestræ preces fundo, vt zelo iustitiæ quo feruetis, occurratis superbientibus laicis, animo misericordiæ, quo diligitis, oppressis & humilibus Clericis succurratis.

*Cisterciensi Abba. & Claræuallensi pro Clericis Grandimontensibus, in spiritu consilij animari, spiritu fortitudinis & armari.*

## EPIST. CLIII.

DE infimo peraguntur exitu quæ bono à vobis inchoata sunt. Vigilet, obsecro, prudentia vestra vt

A vt sententiam quam cum summa deliberatione tul[is]tis, astuta barbaties non insidiando circumuoluet, non latedo subripiat, non infitiando corrumpat. Prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis, & in errore suo facile habituri sunt consiliarios & fautores, vel eos qui corrumpuntur pecunia, vel qui adulationibus molliuntur. Nec dum executioni mandata est sententia, nec dum transiuit in rem iudicatã, & dilationibus improbis delatores superbiunt, deluduntur iudices, mendicant clerici, Christi pauperes exuliãt, & adhuc in domibus quas eis assignastis, vulpes foueas habent & volucres cœli nidos Feruecat in vobis iudiciarius ordinis vigor, nec minas principum times, nec simulatas hypocrisis latebras admittens, nec prolixis & politis sub specie religionis faucibus desectens, & vt iudex omnium remuneret conscientiam vestram, & fauor hominum commendet famam.

B *Londensi Archiepiscopo pro Petro Canonico sanctæ Genouefæ.*

## EPIST. LXCIV.

IOcundam Petri nostri pariter & vestri conuersationem tanto grauius est nobis vel ad tempus amittere; quanto gratius esset ea perpetuo non carere. Si numeremus annorum tempora iuuenis est, senex si motum merita computemus. Inter scholares subtilis, inter claustrales humilis, ibi verecundus, hic vere mundus: vbique auidè laudabilis, quia nunquã auidus laudis. In Ecclesia vestra simul & sua verbo naturalem, scripto ciuilem, & consensu cum vtraque canonicam, cum beata Virgine, cui assistimus, obligatione contraxit, cuius solutionem nec prælatus debet concedere, nec subditus postulare. Tanta eum diligentia curauimus, tantis impendiis extulimus, tanto fauore fouimus, vt eam solutum ab obediẽtia nostra remittere nihil aliud quàm amittere æstimemus. Absit vt acephalus exeatã nobis, & tan-

C quam ventis expositus, sine titulo clericus, sine stipendio miles, sine solatio togatus discurrat, miraculum sui; spectaculum alienis. Ne tamen vestrã offendamus gratiam, ne vestram incurramus offensam, eum non tamquam apud nos depositum vobis restituimus, sed tamquam nobis depositum eum vobis multum commendamus. Quod si per Dei misericordiam, & opem simul ac operam vestram, ab humiliori ad sublimiorem gradum, à scabello ad cathedram, à puluere subiectionis ad speculam regiminis eum vocare contigerit, in hoc laudabili profectu & prouectu plenam ei absolutionem indulgemus, plenam concedimus libertatem.

*Abbati sancti Satyri, communes orationes in Domino.*

## EPIST. CLV.

D ASperitatis & duritiæ plerique nos arguunt, quotiens paulo acrius aut errãtes corrigimus, aut corripimus inquietos. Quod si lapsum reuelare, poenitentem recipere, mendicantem pro foribus audire negligamus, crudeles nos denunciãt & proximos homicidis. In primo si excessimus, non exigetur vt à nobis subditis veniam postulemus. In secundo considerandum est quanta discretione regi debent qui præsident, vt circa subditos pereuntes misericordia vigilet, excitetur pietas, motum pariter & modũ vindictæ paternæ vincat affectus; Inde est quod pro præsentiũ latore fratre nuper & Canonico nostro preces fundo, vt supplicanti pandatur aditus, colligatur vagus, & profugus super terram, ne in saltu salutem amittat, in excessu decedat, in mora mortem incurrat, breui ad se reuersus paucos dies, quos furis cum carnali matre pueriliter egit, in gremio matris suæ spiritualis multa pœnitentia viriliter redimere contendit.

*Abbati Cisterciensi sub persona Clericorum Grandimontensium.*

## EPIST. CLVI.

ET si non condigna gratiarum actione, pia tamen & humili sollicitudine beneficia vestra prosequimur, illum in vobis flexis genibus adorantes, de cuius plenitudine accepistis, vt & charitas vestra non deficiat singulis, & sufficiat vniuersis. Calamum cassatum contere-bant, alij linum fumigans extinguebant, & ecce à quatuor ventis insufflante super nos spiritu Dei, beneficiis & orationibus vestris ossa nostra arida reuiuiscunt. In falsis fratribus pericula passi, in consilio dolos, præiudicium in causa, violentiam in fuga, eiecti, pulsati, afflicti cõtumeliis, saturati opprobriis, sacerdote & leuita trã-B seuntibus, feminibus à sancto Cisterciensi ordine veri Samaritani discipulo suscepti sumus, & non vsque in stabulum, sed vsque in cubiculum genitricis suæ perducti, panem filiorum copiose cum eis sumpsimus, quibus micæ cadentes de mensa Dominorum nostrorum sufficere debuissent. Collegistis exules, suscepistis eiectos, iuuistis pusillanimes, refouistis flebiles, mendicis stipem quæ sufficeret, imbecillis opem quæ proficeret, simplicibus consilium, supplicibus auxilium impendistis. In his omnibus quid retribuere possumus Dominis nostris pro omnibus quæ retribuerunt nobis; retribuat vobis Deus mercedem iusti, qui nos quamuis iniustos in nomine iusti recepistis. Sed quoniam negotium nostrum tãquam in statera appensũ mouetur adhuc & fluctuat, & summi Pontificis examen expectat, nos in sola Dei misericordia sperantes, sanctæ paternitatis vestræ genibus aduoluti supplicamus, rogamus, & obsecramus in Domino, vt quod in nobis cœpistis fideliter & beniuole, fœliciter ac benefice cõpleatis. Orationibus vestris & consiliis commendamus causam nostram, timentes ex his quæ præcesserunt indignationem & iram, immissiones per Angelos malos, Conuersorum nostrorum astutiam, potentiam, superbiam, fastum, sumptus, ambitum, & alia quæ terrori pauperibus, & diuitibus sunt errori. Valete in Domino sanctissimi ac beatissimi patres.

*Fratri Petro de Dacia, S. Genouefæ Canonico, deposito septentrionis frigore, flamma charitatis ardere.*

## EPIST. CLVII.

SOlitam non solutam fraternitatis & gratiæ tibi reseruamus amicitiam fideli memoria nec tuam compensantes absentiam, nec longa terrarum spatia facili saltu desiderij transeuntes. His affectuum passibus occurrunt sibi cultores & discipuli charitatis, sollicitudinem suam solantur, negligentiam negligunt, tristitiam fugant, & artificioso quodam naturæ colloquio sibi confabulãtur absentes. Currant inter nos hæc religiosa commercia, & quod inuidet commeantium raritas, communio suppleat voluntatum. Congaudemus tibi, quod deposita vetustæ natiuitatis auita barbarie, totus in Christianam morum compositionem mansueueris, & quod Æthiopes mutatione nigellæ pellis facere non possunt, candida glacialis Daciæ Marchiæ progenies in te pariter & de E te sibi gaudet fuisse collatum. His accedunt regularis obseruantiæ disciplina, quâ imbutus es in claustro, sacræ scripturæ doctrina, quã in scholis didicisti. Ex vtroque matutinum & vespertinum sacrificium offerendi Deo voluntas tua bona & beneplacens & perfecta. Hæc in ætate tua tenera tenere te volumus. Iuuentutem tuã iuuat nos in hoc profectu proficisci. Dies extremos tuos si contigerit annis senescere, non contingat animus senescere. Interim de statu tuo solliciti per nuncium vel per Epistolam certificari desideramus quid agas, quid agant tui circa te, quid & nos sperare debeamus vel de reditu ad nos, vel de teditu apud nos. Salutant te omnes fratres nostri communi desiderio, de te sperantes prospera timentes aduersa. Vale vt volumus, velis vt va-A leamus.

† *Hic desunt aliquot Epistolæ, itemque initium sequentis.*

## EPIST. CLVIII.

IVdex Ecclesiasticus sequi debet, & quamuis multa possimus inducere pro reparatione taliter lapsi, tamẽ non disceptantes, sed deprecantes scribimus, vt sicut in capitulo cõmuni permisistis ei suscepti ordinis excusationem, sententiam primam non mutetis, ne absorbeatur pusillanimis à tristitia, ne desperans dispereat, ne inobediens & mœrẽs mereatur obedire. Credimus hãc dispensationem sine dispendio posse fieri, per quam nec confundantur leges, nec canones offendantur. Moueãt sinum paternitatis vestræ fratris afflicti lachrymosa sus-B piria, certa pericula, incerta remedia, cui si excusationẽ officij de rigore tollitis, saltem inter Monachos tãquam clericum in habitu Monachi, quod fecisse potestis facere, donec veniat tempus misericordiæ eius, Deo seruire permittatis.

*Domino Papæ in persona Reginæ Francorum.*

## EPIST. CLIX.

MAterno compellor affectu per succedentes singularum lapsus horarum, in absentia filij mei Regis Francorum noua quædã recentiaque perpeti vulnera, & meam ipsius animam pertranseuntem gladium continuis sentire momentis. Videre mihi videor partẽ vi-C scerum meorum in sacrificio Domini offerri, & vnicum filium meum tãquam colligatum cum Isaac imponi super altare, nec dum tamen patientiam † secundum obedientiam Abrahæ imitari possum vel assequi: quia & maternus excludit animus & sexus in me fœmineus nõ admittit. Inter hos iterati partus dolores & antiqui puerperii renouatas angustias, nihil est quod cõsolationi meæ sufficiat, nisi tantũ crucis & passionis Dominicæ memoria, pro cuius exaltatione & honore tantæ in terris gloriæ filius in hac peregrinatione sese proposuit pati, & si necesse fuerit, cum Domino crucifigi. Peccat in Dei filiũ, peccat in Sa. qui in tam deuota & religiosa eius absentia regnum ipsius in aliquo perturbat, & in alium statum contendit inuoluere, vel permittit, quam in eo, quo pacificum eius egressus sub quodã solatio populum D sibi subditum reddidit minus flentem. Hæc ideo pater vobis scribo, quoniam specialiter cura Regni mihi iniuncta maternum mouet & monet animum meum, vt prouida sollicitudine videam ne vel circa Ecclesias, vel circa principes maiores seu minores, ciuitates, oppida, vel populum immutentur aliqua, quibus deuota peregrinatio filij mei Regis indignari debeat aut turbari. Proinde rogo & obsecro, & tamquam deuota filia Romanæ Ecclesiæ fideliter consulo, vt negotiũ Turonensis & Dolensis Ecclesiæ vsque ad reditum Regis, quem desideramus & speramus in Domino, differatur, & Turonensis Ecclesia, quæ vnum è præcipuis membris Coronæ Regiæ maximum inter alias obtinet locum, de patronatu Regio gaudeat, nec de Dolensium doleat vel impetu vel incursu. Nec enim patienter sustinere pote-E rit peregrinus noster per Dei gratiam fortis adhuc & potens, nec regni principes æquis oculis aspicient sub alio discrimine iura Ecclesiarum suarum currere, quæ tempore bonæ memoriæ patris sui Regis Ludouici vel suo hactenus processerunt, nec aliquo modo permittent Metropolitanum minoris Britanniæ sub quadam prodigiosa facie superbire, vel cum Iano bicipitem, vel cum Centauro bifrontem.

*Magistro R. Remensi Decano.*

## EPIST. CLX.

SVstinete modicum quid insipientiæ meæ, Pater, & sacerdos magnus pusilli hominis commonitorium non

non contemnat. Exiit sermo inter plures, quod antiqua patrum vestigia sacris instituta Conciliis, & à gloriosa hactenus Remensi Ecclesia diutius obseruata quidã ex vobis immutare contẽdũt, laminãq; aureã religiosę cõsuetudinis, quæ in fronte Ecclesiæ Metropoleos apposita lucet omnib. qui in Regno sunt, quadam singularitate studeat delere, deiicere, cõculcare. Singulari quodam priuilegio sedes Remẽsis inter alias Galliarũ Ecclesias eminebat, perseuerans cũ Apostolis in cõmunione panis & orationẽ, & in sociali communione, sacramentalem præferens maioribus erat spectaculum, minoribus documentũ. Ex reliquiis regularium institutionum duo sibi loca detinuerant, cœnaculum refectionis & domum somni, in altero castigatam sequentes abstinentiam, in altero candidatam continentiam obseruantes. Procedentibus vnanimiter de Missa ad Missam, de spirituali refectione ad corporalem præmissa inuocatione Dominica, & signo benedictionis super cibum extenso reficiebant conuiuæ Domini minus vẽtrem quam mẽtem, sonante eis per ministeriũ lectoris diuino eloquio, nunc admonendo præceptis, nunc prohibitionibus coercendo: interdum adigendo minis & terroribus, nonnunquam blandiendo consolationibus & promissis. O fœlices epulæ quæ non crapulam prouocãt, sed sobrietati deseruiunt, & postquam sumptæ fuerint gratiarum actione clauduntur, derelinquentes alimoniam corporalem, & conuiuis suis spiritualem fructum seruantes. In his & aliis obseruantiis regularibus incedebat Remensis Ecclesia, terribilis vt castrorum acies ordinata, amabilis suis, admirabilis alienis. Si hæc immutari cœperint, quid dicet germana eius loco & ordine Germania, quæ inter alias institutiones Ecclesiasticas refectionis adhuc & quietis fraternam communionem sic obseruat, vt modernam dissolutionem non admittat? Clamabit vel compatiens vel insultans. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Clamabunt & Gallicanæ Ecclesiæ, dispensationis leuamen libentius admittentes, quam austeritatis rigorem. Ecce Remensis Ecclesia facta est quasi vna ex nobis, consortio suo verecundiam nostram operiens, auctoritate sua negligentiã nostram defendens. Vtrq; cantus iste Epitaphium potius quam Epitalamium est dicendum. Vsurpabant sibi hactenus, nec immerito, Parisiensis Ciuitas doctrinam, Remensis Ecclesia disciplinam. Illa vtrumque retinet quod incœpit, hæc si declinare cœperit periculo proxima est, & non longe à lapsu. Occurrite pater, expansis brachiis, & apertis visceribus perniciosæ nouitati resistite, & virilem animum, quem de vobis opinio prædicabat communis, erigite in certamen; ne iuuentuti singulariter, vt non dicam sæculariter viuere volẽti, Decanus senescens obediat, ne quod absit alicuius gloriolę fauore vel affectu quispiam conculcet in terra famã vestrã, & gloriã vestrã in puluerẽ deducat. Scio mansuetudinẽ Domini mei Remensis Archiepiscopi tantã esse, vt cum charitate, quæ omnia suffert, omnia sustinet, volũtati filiorum cito cedat, maxime cũ generalis Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo singulares portiones canonicis suis distribuendas concedat, & approbet, & summi Pontificis auctoritas non reclamet. Sed verum scio, tantam ipsius honestatem & prudentiam esse, quod antiquam Remensis Ecclesiæ dignitatem cõseruabit in omnibus, & à concepto, vt aiunt, inceptoque proposito desistet, si hoc ei cũ aliquibus de sacro collegio vestro persuadere volueritis, & ne deformem hanc nouitatis formam induat, vel admonere viriliter, vel humiliter supplicare.

*Godefrido Abbati Sancti Satyri.*

## EPIST. CLXI.

Commonitorium misissem si de contemptorio non timerem. Fraternus tamen vrget affectus, vt non sileam à bonis, & licet non inuitum, inuitem, vt susceptum ministerium potius onus æstimet, quam honorem. In regimine positis mihi tibique frater, nulla toleranda sunt, nulla dissimulanda: pleraq; & vindicanda, sed cum dilectione hominum & odio vitiorum. Quis sapiens, & custodiet hoc? Inter hæc onera, sollicitudines & pericula, necesse est nos & præteritorum habere memoriam, & præsentium gerere curam, & prouidentiam assumere futurorum. In hoc certamine positus ego tecum minus de mea sufficiẽtia confido quam de tua, plus de mea, quam de tua perseuerantia diffido. Oremus interim Altissimum, vt qui nos licet occulto iudicio suo iusto, siue ad coronam, siue, quod absit, ad pœnam in prælationis culmine constituit, nobis præuenientem gratiam suam conferat & sequentem, quâ & commissis fratribus, quibus contigit nos præesse, contingat & prodesse, vt cum ipsis proficientibus, ad vitam proficiscamur æternam. Inter hæc preces tibi & vniuersis fratribus nostris Dominis meis affectuosas fundo, vt fratrem Gislebertum canonicum nostrum, qui beneuolentiam vestram circa se plurimum commendat, pro amore meo & tractetis benignius, & plenius diligatis, paratus ad obsequium vestrum & Ecclesiæ vestræ, sicut totum me offerre, sic exhibeo me deuotum.

*Domino Papæ in persona H S. Dionysii, F. S. Germani, G. Sancti Victoris. S. Sanctæ Genouefæ Abbatum, pro Clericis Grandimontensibus.*

## EPIST. CLXII.

Veterem scissuræ Grandimontensium plagam simulata quadam pace sub vlcerosa cicatrice latentem, Conuersi eorum à veritate quam promiserant reuersi, recidiua litigiorum peste suscitare contendunt, nõ confidentes de iustitia, sed vt ipsi iactitant, in corruptela pecuniæ & effusione munerum spem ponentes. Post diutinos labores, post multos ad Ecclesiam Romanam ingressus, & inde regressus: post publicatum Ordinis eorum, dum per vrbes & oppida litigando discurrerẽt, miserabile spectaculum, post denudatam omnibus secretorum suorum quam appellant custodiam, Dominus Rex Francorum qui se ipsum hodie Deo sacrificium obtulit, conuocatis Baronibus suis & Ecclesiasticis personis, prudentibus & religiosis, partes ad concordiam & pacem commouit & commonuit. Compromissum est vtrinque sub attestatione veritatis, quæ inter religiosos iuramenti vices obtinet, quia formam pacis, quæ coram celsitudine Regia concessa fuisset & conscripta, obseruarent, qui aderant, & ab eis qui aberant instanter obseruari facerent & constanter: concessa est & cõscripta, sigilloque regio consignata, ipso clementissimo Rege fideiussorem sese constituente; quod si aliqui deinceps paci tam solemniter celebratæ contradicere vellent, eis contrarius esset, nec eos in terra sua reciperet: qui vero pacem obseruarent, eos sub protectione sua colligeret, & in terra sua regio patrocinio communiret. Recitata sunt hæc in Capitulo Grandimontensi, & à Priore, qui qualitercumque loco illi hodie præsidet, in manu Bituricensis Archiepiscopi, in verbo veritatis, sub periculo animæ suæ firmata, & ab omnibus tam laicis quam clericis sub attestatione consilij firmantibus hoc promissum. Et ecce subito ventus ab Aquilone veniens concussit angulos domus illius, vt tam Prior ille, quam Cõuersi cũ paucissimis clericis, quos aut blãdiciis, aut timore secũ detinent, à fide promissa nõ minus prudẽter quã impudẽter resiliant, & nõ veriti veritatem corrũpere, sub quodam sacrilegio his quę iurauerant contradicãt, Frater Bernardus vir simplex, & timens Deum, & recedens à malo, quod laici conceperant, fidei suæ secutus integritatem, cum quingentis ferme fratribus, laicorum fraudem nõ sequitur, promissum seruat, astutiam fugit, perfidiã detestatur. Contra ipsum qui fidelis est in promisso, & fratres clericos, qui boni vel singuli per cellulas tamquam captiui detinentur, quidam Cõuersi facta

elati, astu callidi, gloriantes in verbis, confidentes in muneribus, ad Ecclesiam Romanam accesserunt, vt sanctam religionem vestram si possint circumuenisnt, & cedros quæ in Libano sunt, sd voluntatem suam incuruiant & inflectant. Ad commune refugium appellationis, in quo dignitas Ecclesiæ Romanæ consistit, & omnes oppressi refugium inueniunt, clerici pro se & fratre Bernardo ante aliquam sententiæ prolationem canonice conuolarunt, sicut & canonice prouocátes, ita & canonice prosequentes, & canonicam sententiam à vobis vel à delegatis iudicibus secundum sacros canones expectantes. Non moueat vos, Pater sancte, confusus laïcorum clamor contra clericos, inclusos, ne cótra sessorem murmuret asina, ne glorietur serra contra eum qui tenet eam, nec idiota clericum doceat literas, nec clericus imperet sacerdotalia sacerdoti. Clamat pro clericis & pro fratre B. qui pro iustitia indesinenter pugnat in auribus Domini Sabaoth, clamat & in sacris auribus vestris Christianissimus consanguineus vester Rex Francorum, qui sanguinem suum, cuius particeps estis, quotidie pro Christo effundit, vt firmam pacis quæ per ipsum concessa, conscripta & confirmata, & postmodum sacrilegio perfidorum violata est, faciatis obseruari, appellationem per clericos factam, vt pote canonicam, recipi, laïcos seditionarios & contradictionis filios, Philippum de Bellomonte & complices eius non admitti, sententiam à Priore, cuius prauus ingressus & pessima cóuersatio dicitur præpostere & præpropere in clericos latam, irritari, cellas Grandimontéses, quę in terra ipsius sunt ordinationi fratris B. & Episcopi Parisiensis, & aliorum prudétum & religiosorum virorum, committi. Si auctoritate vestra hæc acta fuerint, gaudebit super hoc anima Domini Regis, qui quotidie pro Christo pugnat, & quasi à regno pro cruce Christi exulat, gaudebit & gratias vobis aget, Ecclesiam Romanam & attollés præconiis, & secundum vestigia patrum suorum in necessitatibus eius & recipiens & honorans. Si aliter, quod absit, factum fuerit, timendum ne excitetur indignatio eius, & fidei pro qua militat minus dafferat, minus suam deuotionem Ecclesiæ Romanæ exhibeat, minus obediens existat. Et quoniam tota Gallicana Ecclesia in confusione clericorum Grandimontensium se esse læsam & confusam, in protectione & victoria ipsorum lætam sese profitebitur & iocúdam: rogamus sanctam paternitatem vestram, & quantum licet filiis consulimus patri, vt qui Regnum Francorum & Ecclesias in eo consistentes semper dilexistis, in hac petitione sua & exaudiatis beniuole, & quod petitur benefice compleatis.

*P. de Dacia, S. Genouefæ Canonico, sinceram, velint nolint inuidi, dilectionem.*

## EPIST. CLXIII.

DOleo super te, frater mi, amabilis valde super amorem Ionathæ, quod ad vnius falsi rumusculi sonú turbatus es, & locutus, cum ex ante acta conuersatione tua credamus mentem tuam prudentia discretam, fortitudine constantem, iustitia solidam, temperantia modestam. Super hunc quadratoarium positus tamquam columna immobilis, non tamquam arundo vento agitata, nec adulantium fluctus, nec detrahentium sibilos, nec delatorum commentitia subdolaque verba suscipere debuisti. Sæpenumero psallens & orans in cubiculo cordis tui dixisti Domino, vt liberaret animam tuam à labiis iniquis & à lingua dolosa. Ecce lingua tertia quæ conturbát fratres, pene mouit candelabrum fraternæ concordiæ tuæ de suo loco, & os quod mentitum est nó timens occidere animam suam crimine pessimo detractionis accusauit fratres innocentes & simplices, qui te sine fraude diligunt, sine simultate recolunt, sine inuidia prosequuntur. Quanta potui diligentia & in Capitulo & extra Capitulum sub attestatione obedientiæ quæsiui, frater, de verbo illo malitioso, blasphemo, iniquo & doloso, sed nec auctorem inueni, nec cognitorem aut relatorem: cum omnes & admirantes negarent, & negantes mirarentur. Prohibiti etiam auctoritate, quæ mihi super eos commissa est, ne linguas quæ in vno sút, talibus exponant, ne másuetudinem tuam multiloquio lædant, ne indignationem tuam vaniloquio prouocét, ne spei nostræ pariter & tuæ fructus in flore stultiloquio perimant, aut extinguant. Securus de integritate ipsorum & dilectione, quam erga te sine simulatione retinent, securum te facio quod nec illa quæ tibi malitiose dicta sunt, dixerunt, nec aliqua quæ te offendere debeát facturi sunt aliquando vel dicturi. Rogo ego qualiscúque Prælatus tuus per vbera matris tuę Ecclesiæ, in qua professioné verbo & scripto fecisti, per merita virginis Genouefæ, quam intimè dilexisti & diligis, per fratrum socialem ac sacramentalem communionem, per meam qui te diligo, si aliqua penes te est memoria, vt scrupulus iste sic moueatur à mente tua, à lingua tua, à manu tua, vt nec reliquias eius in te retineas, nec recidiua cósimilis perturbationis incédia falsis persuasionib. admittas. Super muneríb. à te transmissis gratias ago tibi, gratias Fr. singuli, gratias vniuersi. Prospere per Dei gratiá circa nos ac fratres nostros succedút omnia, cum necessariis abundemus, & ex religiosa fratrú sanctaq; cóuersatione spiritualia temporalibus respondeant & occurrant. Augetur fratrum numerus, renouantur ædificia, multiplicantur possessiones, & quod maius est, pax & tranquillitas inter fratres, disciplinę regularis obseruátia, in officiis Ecclesiasticis deuota contentio, & coram Deo cómendat eorum secretam conscientiam, & coram hominibus secretam famam. Sperantes de Dei misericordia, qui facit nos abundare supra id quá petimus & intelligimus, incœpimus renouare sartatecta Ecclesiæ nostræ stillicidio proflua, vento peruia, vetustate consumpta, nouam lignorum materiam comparamus superponendam parietibus, & tecto plumbeo supponendam. Parietes etiam innouamus sectis & politis lapidibus exterius fulcientes. Potens est Deus prouidere operi sumptus necessarios, qui mihi & fratribus nostris propositum contulit operandi.

*A. Londensi Archiepiscopo pro P. S. Genouefæ Parisiensi Canonico per ipsum in Episcopum promoto & consecrato.*

## EPIST. CLXIV.

DOminos & amicos nostros quos videre nó possumus, frequenti cogitatione recolimus, frequenti dilectione complectimur, desiderio prosequimur, obsequio veneramur. Inter alios & supra singulare nobis erigit tentorium auctoritas nominis vestri, cuius & vmbraculo consequimur refrigerium, & spectaculo plausum. Fama personam vestram prædicat, persona famæ res accommodat: illa recto iudicio non mentiente de operibus, ista iusto modio de moribus metiente. Nec hoc dicimus vt oleo peccatoris caput vestrum impinguare velimus sacro chrismate perunctum, qui ex proposito nostro virtutes æmulari debemus, non virtutib. adulari. Pro fratre nostro charissimo clerico, & filio vestro Petro preces aliquando vobis porreximus, quas in gratiarum conuertimus actionem, quoniam, vt audiuimus, eum sic honorastis & onerastis, vt & honor non deficiat ex onere, & onus proficiat ex honore. Augeat & Deus gratiam suam, augeat & gratiam vestram, non gratiam pro gratia consecutus, & Deo seruiat in ministris suis, & vobis placeat in ministeriis vestris. Iocose dixerim quæ sequuntur, & quæ nó indignationem prouocent, sed ad misericordiam vos inuitent. Patres vestri secundú carnem gentili adhuc ritu ac superstitione detenti Gallias inuadentes in fortitudine brachii sui, & in robore virium suarum vrbes, castella, cæterasque munitiones

munitiones ceperunt, vicos, villas & agros vastarunt, homines alios in prædam & captiuitatem abduxerunt, alios in ore gladij percusserūt, loca sancta incēdio & ruina ad solum vsque deiecerunt. Inter alias, quod sine suspirio & singultu referre non possumus, aut debemus, Ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli, in qua beata virgo Genouefa requiescit in corpore, regali ope & opere constructam, intus & extra, sicut reliquiæ adhuc testantur, ornatam & depictam, miserabili concremarunt incendio, nec sacro loco parcentes, nec beatæ Virgini, aliisque sanctis, qui ibi requiescunt, venerantiā exhibentes. Tandem per Dei gratiam barbaries illa antiqua, Christiana māsuetudine mitigata est, & mutata, & septentrionale frigus calore fidei liquefactū, reiectis idolis creatorem suum recognouit, partemque Galliasū, quæ à septentrionis nomine Normānia dicitur, Nortes & Dani renati in Christo sibi & posteris suis retinēt, inhabitant & colunt. In illa persecutione parietes Ecclesiæ nostræ combusti & exesi, vetustate nimia & corruptione minantur ruinam, & suspirant fulcire sustētaculo, & operiuntur operiri tecto. Comparata est lignorū maceries superponenda refectis parietibus, & laminis plumbeis supponenda. Speramus in Domino quia qui cœpit perficiet solidabitque, & sumptus prouidebit necessarios, qui numquam derelinquit in se sperantes seruos suos. Et quoniam in tanto opere, siue onere, stipem mēdicare compellimur alienam, recurrimus ad liberalitatem vestram, vt qui aliquando Romanum consueuistis emere plumbum, in coëmendo plumbo Anglico & beniuolum aperiatis animum, & beneficam nobis extendatis manum. Illo plumbo nudantur Ecclesiæ, teguntur isto. Dissimilis negotiatio, cum in illa sæpe mereat acceptor, in ista semper mereatur largitor. Illud lingioso semper auro redimitur, istud religioso precū precio cōparatur. Fratrem nostrum G. præsentium latorem misimus, qui & prudenter impleat mandatum nostrum, & fideliter nobis reportet beneficium alienum.

*Vvaldemaro Episcopo de Selevvic.*

## EPIST. CLXV.

IVcundam vestri memoriam reliquit nobis absentia vestra, cuius si delectamur reliquiis, ita reficimus blandimentis. Mirabamur senilem maturitatem in iuuene, Episcopalem dignitatem in futuro Antistite, profundam humilitatem in nobili stirpe, magnificentiā liberalem in scholastico, socialē affabilitatem in sanguine Regio, elegantiam in Septentrionali viso. Non credimus in vobis honores mutasse mores, quos per Dei gratiam natura vobis potius contulit, quā fortuna. Ex his confidentiam assumpsimus scribendi vobis, & attrita, vt aiunt, fronte meritis nostris beneficium aliquod postulandi. Id solum in petitione solatium superest, quia si repulsam patiatur incaustum, non rubet, si non exaudiatur Epistola, verecundiam non incurrit. Antiqui parentes vestri cum adhuc errore gentili sub idololatria tenerentur, & iusto Dei iudicio Gallias inuaderent, ciuitates & oppida ceperunt, destruxerunt municipia, Ecclesias subuerterunt. Inter alias Ecclesiam beatæ Genouefæ virginis regali ope & opere constructā miserabili concremarunt incendio, cuius rei testes existūt parietes es tunc combusti & exesi, corruptionem suam calce in cineres putrefacta monstrantes, & ruinam minantes. Eos reficere incepimus comparata iam lignorum macerie, quæ & superponatur innouatis parietibus, & tecto plumbeo supponatur. Sub quodam rubore mendicantes rogamus & petimus, vt aliquid de beniuola ac benefica liberalitate vestra nobis mittatis, quo plumbū emamus, non Romanum sed Anglicum, quoniam Anglico plumbo teguntur Ecclesiæ, nudantur Romano. Viuet iugiter in Ecclesia nostra felix memoria nominis vestri, sub testimonio beneficii à vobis beatæ virgini Genouefæ liberaliter impensi. Fratrem nostrum G. præsentium latorem misimus, qui & prudenter impleat mandatum nostrum, & fideliter nobis reportet beneficium alienum.

*Vvillelmo Abbati de Dacia, in plenitudine plenitudinem gaudiorum.*

## EPIST. CLXVI.

LAudamus veteres, nostris tamē vtimur annis. Poëticum est, non propheticum quod dicimus, verum dicimus tamen. Patres nostri sicut tempore, ita & auctoritate & religione præcesserunt in via Domini. Nam sicut Hylas Herculem, non æquis eos passibus consectamur. Formam viuendi Moyses tradidit Hebræis, Numa Pōpilius Romanis, Phoroneus Græcis, Trismegistus, Ægyptiis, filius Dei Christianis. Huic subseruiens Augustinus tanquam Samaritani stabularius duos denarios, quos ab eo acceperat, verbum scilicet doctrinæ, & exēplum vitæ, in curam nostris fideliter expendit, & prudenter, recepturus mercedem cum Samaritanus redierit. In hoc agone quanquam in diuersis Ecclesiis vobiscum sudauimus, & sudamus, ita pugnantes, non quasi qui aërē verberāt, & currentes, non quasi in incertum. De statu vestro incerti, de nostro vos certificamus, sciētes quia & gaudere cum gaudentibus, & flere cum flētibus parati estis. Prospere per Dei gratiam circa nos & fratres aguntur omnia, & non est occursus, neque Sathan, cū in summa tranquillitate & pace vnanimes habitent in domo Domini, sola contentione seruiēdi Domino sese inuicem præcedere cum humilitate certantes. Spiritualibus occurrunt temporalia peractis ferme spaciosis & speciosis regularibus officinis, & per villas rusticis ædificiis, spacio simul & specie certantibus cum vrbanis. Sollicitudinem curamque nostram conuertimus in renouādis & fulciendis antiquis Ecclesiæ parietibus vetustate & incendio putrefactis, dissolutionem minantibus & ruinam. Comparauimus nouam lignorū maceriem ad sarta tecta reficienda, quæ & superponatur parietibus, & laminis plumbeis supponatur. Hac enim materia si Deus permiserit operimus nos operturos Ecclesiam, non attendentes significationem plumbi Prophetici quod super iniquitatem sedere dicitur, sed basilicæ nostræ vtilitatem & decorem. Huius metalli materiam quærimus, non figuram. Et quoniam tanto oneri siue operi explendo non sufficimus, stipem ab amicis nostris mendicare compellimur alienam, quorū ope & opera insufficientiam nostram suppleamus. Importunus forte & impudens sermone breui prolixitatem Epistolæ redimo. Sed quod potes adiuua nos.

*O. Rupensi Episcopo.*

## EPIST. CLXVII.

QVatuor sunt quæ aut nouas conciliant amicitias, aut veteres colunt, alternæ confabulationes, obsequia mutua, literarum frequens excursus, virtutis fama consentiens veritati. Huius vltimi beneficio faciem vestram quam oculis videre nō meruimus, imaginatione complectimur, applaudentes famæ, quæ & liberalitatem vestram prædicat, & Religionem commendat. In schola veritatem didicistis, in sacerdotio virtutem: sed nec in illis veritatem sine virtute, nec in isto virtutē, sine veritate. Ex hac de beneuolentia vestra potiusquam de nostris meritis confidentes, charissimum fratrem nostrum & Canonicum G. præsentium latorem, quem pro negotiis Ecclesiæ nostræ misimus, vestræ beniuolentiæ commendamus, vt eum in quibus necesse habuerit pro amore Dei & nostro, & firmetis consilio, & patrocinio sustentetis. Retribuet vobis Deus qui recipientibus iustum in nomine iusti mercedē iusti retribuet, & mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem pro misericordiæ sanctis operibus, dabit in sinum vestrum.

*Londensi Archiepiscopo, salutem temporalem pariter & æternam.*

## EPIST. CLXVIII.

FOelix opera & impensa, cuius intentionem fructuosus sinus excipit, desiderium complet exitus, spei fiduciæ necrollitur nec mentitur. Hæc in Salumone vestro vere verbis & operibus pacifico non inuitum vos inoitare debent, vt quod in eo beniuole cœpistis, benefice cõpleatis, prosequentes bonam iuuenis indolem, qui sic litterarum studiis intendit, vt à virtutũ semitis non recedat. Planta est quæ per Dei gratiam & irrigationem vestram fœcundam coalescet in arborem, cuius & folium cito nõ defloet, & fructum suum dabit in tempore suo. Testimonium ei perhibemus commoranti nobiscum in mente, quia in scholis assiduus, honestus in hospitio, nec effusus in superfluis, nec in necessariis est angustus. Sociorum beniuolẽtiam sic meretur vt omnium gratiam non amittat. Gaudeat super eo sancta paternitas vestra, & illustrem vestri sanguinis celsitudinem sic exaltetis in ipso, vt & honor eius tanto respondeat generi, & genus tantum consentaneum sit honori. Sic glorietur patruus in nepote, vt nepos ex patruo sublimetur.

*Canuto nobili Viro de Dacia.*

## EPIST. CLXIX.

VIris Illustribus & qui de sanguine regio ducũt originem proprie conuenit, vt sicut sunt magnifici genere, ita fiot munifici largitate. Quod si largitas vsque ad Ecclesias extendatur, & pro salute propria requieque defunctorum, & maxime parentum ac propinquorum, qui facultatibus abondant, loca religiosa visitent, pauperes alant, eleemosynas distribuant, & coram Deo gratiam, & coram hominibus promerentur fauorem. Frater vester carnalis bonæ indolis iuuenis Vvaledemarus, cuius memoria in benedictione est, regio generi vestro condigna virtute respondens, & apud nos spiritum reddidit Deo, & inter nos corpus commendauit sepulchro. Orationum ac beneficiorum spiritualium, sicut vnus ex nobis, particeps est, & erit in perpetuum, surrecturus in die iudicii cum beata Genouefa, & extremæ benedictionis sententiam cum his qui à dextris erunt, & cum ipsa pariter recepturus. Et quoniã parietes Ecclesiæ in qua requiescit, antiqua parentum vestrorum, adhuc gentilium, concrematos incendio & ruina, ex tunc vetustate consumptos renouare incepimus, & sarta tecta ipsius noua lignorum macerie plumbeisque laminis contegere proposuimus, nobilitati vestræ preces fundimus, vt ad coemendum plumbum per præsentium latorem G. Canonicum nostrum aliquod beneficium nobis mittatis, vnde & è Deo remuneretur liberalitas vestra, & ab hominibus commendetur generis vestri fama, & à nobis celebrior & frequentior habeatur fratris vestri memoria sempiterna.

*Canuto illustri Danorum Regi, salutem, vitam & victoriam.*

## EPIST. CLXX.

GLoriosam ac fœlicem Regni Danorum potentiam & virtutem, qua antiqui parentes vestri pagano errore adhuc detenti in fortitudine brachij sui & in robore virium suarum Gallias inuaserũt, & annales historiarum continent, & communis fama recitat, & vrbium oppidorumque muri semiruti protestantur. Ex eorum vos nobili stirpe descendisse, & gentilem illam tyrannidem in Christianam mansuetudinem mutasse gaudet mater Ecclesia cui assiduum impenditis cultum, denotum exhibitis obsequium, beneficum erogatis augmentum, nec regio fastu per Dei gratiam sacerdotium premitis, nec debitam reuerentiam sacerdotio denegatis. Cumque in aliis quibusdam regnis per tyrannidẽ principum seruituti subiecta sit Ecclesia, in vestro per regalem clementiam vestram libera est & quieta. Supradictæ persecutionis à vestris Potentibus gentilibus tum illatæ calicẽ bibit, & absinthio doloris inebriata est Ecclesia beatæ Virginis Genouefæ, in qua Deo licet indigni deseruimus, fracta, diruta & combusta. Testentur hoc parietes incendio illo consumpti, & calce in cinerem concremata, putrefacti, tremuli & exesi. Eos renouare incepimus, superponenda noua lignorũ macerie, & tecto plumbeo supponenda. Nec hoc dicimus, Princeps victoriosissime, vt querulis, aut mendicis vocibus importune aliquid, vel improbe postulemus à clementia vestra: sed vt misericorditer consanguineum vestrũ nobilem virum Canutum moneatis, ne omnino sit immemor fratris sui Vvaldemari, qui in beato fine suo Canonicus noster factus, in celebri claostri nostri loco sepultus, in omnibus beneficiis & orationibus, quæ in Ecclesia nostra fiunt, particeps, frater & socius, nec in vita partem aliquem, vt dicitur, seu funiculum hæreditatis suæ possedit, nec post mortem siue ipse, siue Ecclesia pro eo aliquid inde percepit. Vox iustitiæ ipsius clamat ad fratrem de terra, *frater da mihi portionem substantiæ paternæ quæ me cõtingit.* Rogamus, supplicamus ac petimus, vt vos qui rouens armis superetis idololatras & iugo subiicitis Christiano, nobilis illius viri pectus [?]et ferreum precibus expugnetis vt mortuo fratri suo gratiam non neget, & in tanta necessitate Ecclesiæ, in qua frater eius & diem clausit vltimum, & diem expectat extremum; pro tota hæreditate quam possidet aliquid mittat, vnde & apud Deum securior sit eius conscientia & apud homines hilarior fama, & circa mortuum liberalitas appareat debita, & beniuolentia manifestetur fraterna. Charissimum fratrem & Canonicum nostrum præsentium latorem G. clementiæ vestræ commendamus, vt eum regali iuuetis patrocinio, & si opus fuerit auxilio protegatis. Valeat & crescat in dies semper magnificentia vestra.

*Neuelons Suessionensi episcopo pro Ecclesia sancti Vedasti de Firmitate Milonis.*

## EPIT. CLXXI.

INter cæteras afflictiones, sub quibus hodie gemit Ecclesia, nouas & indebitas exactiones præstare compellitur: & cum liberi debeant esse filii, tributa soluunt & Decimas, tamquam penitus alieni. Verum facilius toleratur à singulis quod ab omnibus sustinetur; cũ tamen gemitus omnium dolorem non minuat singulorum. Tangit nos hæc plaga, communis Pater, quæ tantum non inuitat, sed etiam inuitum trahit, vt & soluatis decimas, & decimas exigatis. Successores Melchisedech filios Aaron non excusant, nec Leuitarum immunitas portione sibi concessa gaudere permittitur, cũ vniuersos fiscus absorbeat, nec tantum liberetur Christus vnde affligitur Christianus. Inter hos tamen singultus & quotidiana suspiria, sanctæ paternitati vestræ preces fundimus, vt fratribus nostris apud sanctum Vedastum demorantibus in quantum vobis placuerit parcatis, & nobis præsteris hoc beneficium, quibus consueuistis semper exhibere vultum hilarem & iocundum. Tenuis est eorum sacellus, nec distento viuunt marsupio, qui fere per biennium suspensis parrochialibus organis vestro subiacuerunt pro culpa Comitis, interdicto.

*Domino Papæ pro Ecclesia S. Victoris Parisiensis, totius obedientiæ, deuotionis & seruitutis plenitudinem.*

## EPIST. CLXXII.

PRudentes & potentes in generatione sua viri, qui tunc temporis in Ecclesia Parisiensi titulati præerant, Ecclesiam sancti Victoris tanto dilectionis, ac deuotionis

uotionis affectu profecti sunt, vt in ea sacræ religionis odore tacti pariter ac tracti, plerique ipsorum non solum conferrent sua, sed & seipsos offerrent. In hoc glorioso certamine largiendi sua beato Regularium collegio sic & vniuersi prouocabant singulos, & singuli vniuersos, vt ex singulorum facultatibus prædictorum inopiæ fratrum possessiones & pecuniæ prouenirent, & ex vniuersorum beniuola simul ac benefica deuotione suarum annualia præbendarum. Eorum piam libertatem filii qui pro patribus suis in Ecclesia Parisiẽsi nati sunt, eum imitari deberent immutare contendunt, sequentes in hac parte mores quos non coluerunt patres eorum, vt quæ illi contulerunt, isti auferant: quæ extruxerunt, -------- quæ fundauerunt effodiant & effundant Dura filiorum conditio, qui nec eos in opere contrario sequi volunt, qui sepulcra patrum ædificabant, ne memoria eorum, qui Prophetas interfecerant, deleretur. Hi verò qui bonis operibus patrum suorum contradicere volunt, quantum in ipsis est, memoriam æternam in qua iusti permanent, & extenuare tentant, & exterminare contendunt. Nec sunt audiendi, patet, viuendi hac noua voluntate sua, qui patres suos & matrem suam eximiam Parisiensem Ecclesiam fratris sui non honorant, non verentes quod per veritatem dicitur, *Honora patrem tuum & matrem, vt sis longæuus super terram.* Sanè præbendarum Parisiensium annualia, Ecclesiæ sancti Victoris ex integro deberi, & ipsius Ecclesiæ Parisiensis tam Episcopi quàm Capituli authenticum rescriptum testatur, & sanctorum Romanorum Pontificum priuilegia confirmant, & plus quam longissimi tẽporis præscriptio ciuili simul & Canonico iure clamat. Sancta etiam paternitas vestra per discretionem & scientiam vobis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Deo datam, illius verbi quod in priuilegio continetur scilicet, ex integro interpretationem scripsistis & viris prudentibus Attrebatensi, & Ambianensi Episcopis, & Abbati Pruliacensi non cognitionem misistis, sed executionem: quibus sicut nec mandati vestri, vel vnum iota licet prætermittere, sic nec vobis, si dici liceat, in his quæ canonicè statuistis conuenit aliquid limitare. Vt enim verbo principis vtamur, qui longè sacro Apostolatu vestro inferior est, interpretationem inter ius & æquitatem positam vobis solis & oportet & licet inspicere Et quoniam interpretatio vestra generalis est, & necessaria: Rogamos vos pater Sancte, ego minima portio filiorum vestrorum, & omnes quotquot institutiones ordinis sancti Victoris pro posse nostro obseruamus, vt interpretationem à vobis iustè & canonicè prolatam faciatis firmiter obseruari, & religiosissimè ac ordinatissimè Ecclesiæ sancti Victoris iura conseruetis integra, ne fortè, quod absit, dici possit à maliuolis, quia non liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor.

*Domino Remensi pro P. Cantore Parisiensi in Tornacensem Episcopum electo.*

## EPIST. CLXXIII.

COmmune refugium patens omnibus mansuetudo vestra, Pater, sic extendatur ad singulos, vt colligat vniuersos. Veniunt ab Oriente & Occidente, & recumbunt in sinum vestrum, nec facilè semel admissus emittitur nisi contigerit ab eo committi, quod non meteatur remitti Hæc sunt quæ mihi pluribusque aliis fiduciam præstant, vt pro deuoto filio vestro Magistro P. Cantore Parisiensi pandatur vobis aditus supplicandi, ne vobis prouocet indignationem, qui sibi non aduocat dignitatem, ne cui meritum sufficiat proprium, factum officiat alienum. Vir est cuius per omnes Ecclesias famæ suauis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissimè clarens, & doctrinam moribus ornat, & moribus disciplinam. Origeni parem in aliquo sic eum docere credimus, vt viuere, sic viuere vt docere. Tales A in candelabro vestro lucernas, tales in diademate capitis Aaron lapides, tales in sancta Remensi Ecclesia suffraganeos esse decet, vt vicinæ prouinciæ sancta æmulatione moueantur ad promotionem consimilium, & sollicitudo vobis commissa facilius & frequentius iuuetur per religionem & prudentiam ipsorum. Si quid minus ordinatè in electione ipsius à Tornacensibus Clericis factum est, nec absentis ignorantiam tangere, nec innocentiam iusti lædere debet, cùm facillimè, si vobis placet, possit emendari, si quid perperam factum est: commissa vobis à Deo & potestate corripiendi errores, & scientia corrigendi. Vt enim salua gratia vestra, sine præiudicio loquar, concurrunt in electione illa quatuor quæ à Leone primo dicta sunt, vota ciuium, B testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum. His accedit integritas personæ, hilaritas famæ, necessitas simul & vtilitas Ecclesiæ viduatæ Sed & hoc frequenter & solemniter dicitur, quia Dominus Rex, quem Deus seruet ac nobis restituat, personam istam nominatim expressit, nominatim pro ea rogauit, nominatim Ecclesiæ Tornacensi præesse voluit & intendit Si aliter actum fuerit, verendum est & forte verum, ne indignationem & iram & immissiones per Angelos malos concipiat, & aduersus eos, qui promotionem tantæ personæ impedierint, regalem & iuuenilem iracundiam accendat. In his omnibus, Pater sancte, prouidere honori vestro, consulite sanæ opinionis vestræ testimonio, deferre regio mandato, & correpto prius sicut decenet errore eligentium, confir- C mata electione, paterno sinu suscipite electum & dilectum vestrum.

*Domino Atrebatensi pro Abbate de Sarneio.*

## EPIST. CLXXIV.

MAter & fomes detractionis inuidia velato capite solita murmurare, diebus nostris procedit in publicum, vt iam non sagittet in obscuro rectos corde, nec sedens in insidiis interficiat innocentem, sed vibrato in caput iusti coram omnibus gladio, lethale vulnus falsæ delationis infigat. Venerandis etiam sese collegiis immiscens, non solum carduos agri conculcat, sed & cedros Libani, quantum in se est, veneno inficit, incendio cremat, exterminio perdit; Magistram se veritatis & se- D ueritatis ministram promittit, dissimulat iniquitatem, innocentiam simulat, & vt facilius ei credatur, mendacio periurium addit, periurio sacrilegium auget, falsos testes subornat, simplicitatem iudicum circumuenit, quousque damnetur innocens, & viuus absorbeatur, quem mortificare contendit. Huius monstri pestẽ mortiferam sacræ & religiosæ aures & assibilantem non recipiunt, & reiiciunt insistentem. Armatum & animatum contra tantum prodigium, Pater, vos esse confido, vt secundum discretionẽ vestram, nec insidiando circumuolet, nec latendo surripiat, nec inficiando corrumpat. Hæc ideò dixerim, quia quosdam laicos peruersos potius quàm conuersos Lemouicensis montis, secretò didici conflare & machinare dolos contra virum iustum, virum simplicem & rectũ apud homines, & vt credimus E apud Deum, Abbatem scil de Sarneio: quem ex humili loco sublimitas cõscientiæ clarum, & ex vtroq; hilaritas famæ commẽdabilem prædicat & acceptum. Fomitem rancoris & inuidiæ contraxerũt, ex eo quod in causa quã contra clericos suos habuerunt, vir prædictus zelo Dei accensus quantum potuit oppressis Cleris astitit, nec destitit iuuare pusillanimes, afflictis consulere, vagos & profugos consolari. Generatio illa praua atq; peruersa, prudentior filiis lucis in negotiis huius, qui in maligno positus est, mundi, per quosdam Abbates ordinis Cisterciensis fortè nimis credulos, & vt sibi credatur quærentes aut querulos, incrustare contendit sinceritatem prædicti viri famæ, & sacrosanctum collegium Abbatum

vestrorum, ipsis etiam Angelis reuerendum, falsæ corruptela calumniæ contra virum iustum accendere, vt iniquitas opprimat iustitiam, & mendacium absorbeat veritatem. Stet in hoc conflictu, si necesse fuerit, rigor & vigor authoritatis vestræ, pro viro sancto & iusto, immò pro totius Ordinis euitando scandalo. Ij qui dixerunt *linguam nostram magnificabimus*, impiæ voluntatis suæ desideratam reportent victoriam, & ille nullam sustineat iniuriam, qui nullam admisit offensam.

*Laudunensi Capitulo, pro Magistro Michaele eorũ Decano in Parisiensem Decanum electo.*

## EPIST. CLXXV.

ADmirabilis & amabilis est Ecclesiarum ludus, quoniens fraterna charitate supplet altera defectum alterius, non pecuniarum lenocinio, sed commercio personarum. Vna est columba Domini, inconsutilis est tunica eius, & in vno corpore partes ita sibi deseruientes consentiunt, vt quod est commune omnium, proprium æstimetur singulorum. Eodem religionis artificio, eodem spiritu charitatis, eodem studio prouidentiæ, quo Laudunensis Ecclesia Meldensem sibi Decanum assumpserat, Parisiensis festiuo pariter ac festino saltu sibi præripuit eum, non rapinam sese arbitrata facere, si eum quem sibi prius instituerat Canonicum, sibi consequenter instituerct & Decanum. Non moueatur in aliquo sancta æmulatio vestra, quasi Parisiensis Ecclesia iniuriam vobis fecerit, quæ in hoc sibi consuluit aut persona tanquam leuitate, vel ambitione ducta sit, quæ in hac electione secuta est non voluntatem propriam, sed violentiam alienam. Raptus est à concanonicis suis maximè ambiendus, quia minimè ambitiosus. Congaudete personæ, congaudete & Ecclesiæ: quia hic & ibi vester erit vobis deseruiens, vobis obediens, vobis in omnibus ad obsequium vestrum paratus & parens.

*Fratri Vu. de Bieria, Salutem vtriusque ab eo qui in aduentu suo fecit vtrumque vnum.*

## EPIST. CLXXVI.

ARduam frater, ingressus es viam, Paulos, Antonios, Machariosque, & Hilariones æmulatione, qua potes, sequens, & inter Gallicanas delicias austeritatem Thebaidis, Nitriæque rigorem proponens alijs, imponens tibi. Robustos & fortes humeros sarcinaista requirit & expeditos in certamine spiritualium lacertos athletarum desiderat hæc palæstra. Veruntamē qui non consulueram vt inciperes, non consulo vt desistas. Diffidentiam victoriæ murmurabāt mihi frequentes infirmitates tuæ, cerebrum debile, pectus aridum & siccum, stomachus frigidus, & ieiuniorum bello non sufficiens, totum denique corpusculum tuum, licèt laboribus expositum, non tamen dispositum ad labores. Rursum terrori mihi erant pariter & timori insolitæ solitudinis horror, ferarum non hominum inculta domicilia, terra arida, nec herbarum ferax, & humoris abundans, adeo vt aqua ipsa quæ deforis cellam tuam guttatim profluit, nec saporem aptum gustui, nec visui iucundum colorem, vt pote naturæ prorsus aquarum contraria, bibentibus, siue intuentibus conferre valeat, vel offerre. In ipsa autem cellula tua asperitas vestium, ariditas ciborum, lectuli duricies, somnum carptim vix admittens, prohibitus proposito tuo sine grandi causa egressus, latronum timor qui duos decessores tuos interfecerunt, ne te successorem eorum tertium eis adderent, ad dissuadendum tantæ perfectionis initium mouebant me pariter & monebant. Inter hæc mecum recogitans te regularibus disciplinis eruditum, & in sancto fratrum collegio quadraginta ferme annis sub obedientia Prælatorum Domino militasse, tolerasse multa, dissimulasse nonnulla, æquanimiter pertransisse blanda, & aspera in prioratu, & extra prioratum, humiliter & vtiliter, cum his qui vnanimes habitabant in domo Domini vixisse, non leuem concepi fiduciam, te & altiora posse in eremo sustinere. Expertus es in conuentu rigorem ieiuniorum, vigiliarum fastidia, frænum silentij, stabilitatem loci, nonnumquam & duritiam lecti, & ariditatem cibi, diurnum simul & nocturnum pensum obsequij diuini. In his omnibus te cognouimus & expertum regularia, & sæcularium expertem. In illo tyrocinio claustri didiceras qualiter deberes contra communem aduersarium in Eremo militare. Hæc sunt quæ mihi propositum tuum commendabile reddunt vt gratanter suscipiamus quod feceris, & gratulanter amplectamur quod facis. Adquiesco postmodum, placet quod displicuit, approbo quod oderam victus consilio tuo, victus voto. Prædictas occasiones per Dei gratiam fregisti, rupisti, spreuisti, saltum facturus de Eremo in cœlum, de solitudine in ciuitatem habitationis, de deserto & inuio in terram viuentium lacte & melle manantem. Indixisti bellum hostibus tuis, diabolo, carni & mundo, qui attonentes omnium bestiæ sanguinem animæ tuæ quærebant, & conuitati in mortem tuam parati erant rapere pauperem, dum attraherent eum. Obiecisti Diabolo humilitatem quam specialiter timet, corpori tuo cruces & supplicia, mundo, qui in maligno positus est, contemptum & fugam. Ingrediente te Eremum, mihi illa pariter vno ictu cōfussa sunt monstra malitiæ & nequitiæ, laqueus & pedica iuuenum Deo seruire nolentium. Potentissimi duces in exercitu Pharaonis terga verterunt tibi, & non faciem: facti sunt vt stercus terræ, iacent sub pedibus tuis, calca preme, contere, vigila ne resurgant. Monebit hostis insidias, nam ab iniurijs temperabit, sciens patientiam tuam sic contempsisse prospera, vt non timeas aduersa. Insidianti responde: *Vade retro Sathana. Etiam si transfiguraueris te in Angelum lucis, & si dixeris malum bonum, & bonum malũ non decipies seruũ Christi Nō enim ignoramus astutias tuas, ab initio mendaxes, & pater tuus.* Carni murmuranti respōde, *Loquuta es quasi vna de stultis mulieribus. Reuertere Agar ad Dominam tuam, & esto subdita ei menti, rationi pura, & religiosa voluntati.* Quod si adhuc improbè superbire voluerit, & gannire, eleuato signo crucis de victoria securus exclama *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi caro.* Si mundus mouere voluerit blanditijs, & delicias offerre, occurre dicens. *Omnia quæ sunt in mundo reputaui vt stercora: nam & mundus transit & concupiscentia eius. Discipulus eius sum qui dixit, Ego de hoc mundo non sum. Per Dei gratiā non reuertar, vt canis ad vomitum, nec post quā manum misi ad aratrum retro respiciam.* Si hæc tria vicens quæ te vicisse credimus, omnia monstra subiecisti pedibus tuis. Veruntamen non nisi in oratione & ieiunio potest euci triplex istud dæmoniorum genus. Discretè autem potius agendum est quàm districtè, ne aut sine sale sacrificium tuum offeras, aut incautè festinans offendas ad lapidem pedem tuum: aut si cœperis in via deficere dicatur de te. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Orationes sint breues & interceptæ, ne si fortè in nimiam extendantur prolixitatem, aut vertantur in tædium, aut excipiantur, vt quandoque assolet, somno: aut ab his quæ dicuntur longè sit animus orantis, occurrentibus ei phantasticis cogitationum nebulis per memoriam eorum quæ facta sunt quandoque, vel quæ fieri potuerunt, in oratione lachrymæ spontaneæ ne reuciant nisi spontaneè, ne cogantur inuitæ. Complosæ & constrictæ palpebræ, frons in rugam contracta, verba stridentia & anhela in precibus, conuulsa suspiria & exorti gemitus lacrymarum imbrem sic proferunt ingratum, sicut proferunt indeuotum. Placidè & blandè solent infundi, tacitè & cautè effundi volunt sine supplicio plorantis, sine iudicio esplorantis.

Si fuerant

Si fuerint orantis lacrymæ spectacula hominum, erunt ossendicula vel ridicula Angelorum. In illa gratia si te quandoque complacuit, imitare precatione Magdalenam, quæ tribus ex causis, siue pro tribus personis trinas effudit victimas lachrymarum. Fleuit pro se, fleuit pro fratre, fleuit pro Domino Saluatore. Pro se, quoniam pedes Domini Iesu lachrymis suis lauit & capillis suis tersit. Pro fratre, quoniam post mortem Lazari sedens in domo sua, & plorans ad vocem Marthæ venienti Domino occurrit, dicentibus Iudæis, *Quia vadit ad monumentum vt ploret.* Pro Domino, sicut dicitur in Euangelio, *Maria stabat ad monumentum foris plorans.* Sic & tu inter irriguum superius & irriguum inferius quando placuerit Domino dare tibi potum in lachrymis in mensura. Plora pro te ipso, plora pro proximo, plora & pro Domino. Pro te ipso, recogitans annos tuos in amaritudine animæ tuæ. Pro proximo, pro viuis & mortuis cultoribus fidei Christianæ, pro Domino, habens tædium vitæ præsentis, & desiderium æternæ. In primo fletu, vt delicta iuuentutis tuæ & ignorantias tuas ne meminerit Deus. In secundo, vt viui à malis desistant, & in bonis operibus perseuerent, mortui in pace requiescant, & ad vitam æternam peruenient. In tertio, cupio dissolui & esse cum Christo, dicens, *heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Primæ lachrymæ frater, compunctionis & pœnitentiæ: secundæ compassionis & misericordiæ: tertiæ congratulationis & fiduciæ. Ab oratione saltum facias ad lectionem, à lectione ad meditationem, vt quod legeris salubriter concoquas & rumines, traiiciasque quod ruminaueris in memoriæ thesauros. De prolixitate autem legendi aut oculos obtundas caligine, aut vertigine caput graues. Post modicam lectionem deambula per cellulam tuam, aut in hortulum egrediens virentibus herbulis, quæ tamen paucæ sint & raræ, visum refice languentem: aut apud aluearia conspice, quæ tibi & solatio sint, & exemplo. Inter has varietates asperitatem Eremi pro deliciis habiturus es Paradisi. Castiga & ieiuniorum rigorem vt æstiuis diebus modicum cibi post horam tertiam accipias, post nonam refectionem regularem sumas. Si dies æstiuos hybernis volueris comparare, vt quantum in bruma, tantum in ardore canicularium dierum velis abstinere, aut Deum tentare incipies, aut tui ipsius homicida esse. Nec antiquos monachos Nitriæ ieiunando assequi poteris vel consequi, nec Antissiodorensi Germano similem te opponees. Sufficiat tibi mediocritas Augustini, quam si excedere volueris, à carnibus abstine siue solidis, siue vt aiunt, liquefactis. Excessi modum, indulgeat mihi charitas tua, quoniam qui consolaturus adueneram, docentis officium vsurpaui. Participem me fac orationum tuarum, charissime, quoniam in agro regiminis positus: & si quandoque eis qui in mola coniugij laborant, consulentibus me consulo, eorum qui in lecto contemplationis quiescunt indigeo & iuuari suffragiis & admoneri exemplis. Non vt vicem respondens dico, memor tui vbi & filius offertur patri, & peccator Saluatori supplicat in hostia salutari.

*Domino Papæ, pro quodam Clerico iniustè S. crimine accusato.*

EPIST CLXXVII.

IN ea dignitatis eminentia Sanctam Ecclesiam Roman. Saluator instituit, misericordiæ simul ac iudicij sententiam manibus eius committens, vt habita consideratione personarum & temporum, voluntatis & actus, intentionis & operis, nec æquitatem rigore superet, nec rigorem subtemperet æquitate. Hæc sunt verba consolationis eius, vinum & lac manantia. Hæc Samaritani summi Pontificis medicinalia fomenta, quorum distincta infusione agitur, ne vel absorbeatur pusillanimis, vel insolescat superbus. His respirans, & de A misericordia vestra sperans deuotus filius vester præsentium lator, pedibus vestræ Sanctitatis aduoluitur, vt intentionem eius, quæ de zelo iustitiæ processerit, pœna non sequatur, quam timet, ne paterna seueritate super eum accensa conteratur in eo calamus quassatus, aut linum fumigans extinguatur. Ipse est super cuius negotio Sanctitatem vestram paternitas nostra consnluit, & cosulenti dignati estis de lumine prudentiæ vestræ sacrario respondere. Amplectimur responsum, sed misericordiam postulantes dispensationis viscera nobis aperiri quærimus & optamus. Voluntatem, non opus, Dominum attendere, sancti Doctores scripserunt, dicentes peccatum vsque adeò esse voluntarium, vt si non sit voluntarium, non sit peccatum. Exponunt & capitulum B illud, *Dominus iudicat fines terræ*, i. intentiones cuiusque. Vnde prædictus vir, qui neque intentionem lædendi neque nocendi, sed corrigendi potiùs & corripiendi habuit, excusandus est à pœna, quam non præcesserat culpa, maximè cùm mulier contumeliis & conuiciis suis aduersarium suum prouocarit. Remouenda esset & plectenda. Sed nec mulieri credendum est, cuius & procacitatem cupiditas, & cupiditatem prouocabat paupertas. Causa enim pecuniæ à prædicto viro extorquendæ, sicut & factum est, creditur hæc dixisse, cui nec eam prægnantem constaret fuisse, nec abortiuum fecisse. Nam quod ab alio Presbytero & muliere quadam terra egesta quasi infossum introspectum est, omnino informe, & tanquam coagulum carnis & sanguinis est repertum. C Sed hoc dolose causa cupiditatis potuit fieri, & aliundè siue ex aliqua animali, siue ex consueta corruptione muliebri proiici, & terra potuit operiri. In dubiis autem, Pater Sancte, benigniorem & humaniorem sententiam sequi debere proclamant iura, quæ semper ad absoluendum proniora sunt quàm ad condemnandum. De manifestis autem, & non de occultis dubiis solet Ecclesia iudicare. Sed & pro manifesto homicido legimus summos Pontifices ex dispensatione Clericis & Presbyteris in suis ordinibus ministrandi indulgentiam præstitisse.

EPIST. CLXXVIII.

D INgratitudinis adorat simulachrum, qui collati sibi beneficij memoriam vel extinguit improbus, vel negligit indeuotus. Huius imaginem culpę respuimus, exsufflamus inuolucrum, supercilia detestamur, & faciem & totum ipsorum Idolum cum suis cultoribus in perpetuum condemnauimus. Oblata interim à vobis beatæ virgini nostræ Genouefæ munuscula summa gratiarum actione prosequimur, summis deosculamur labiis, summo desiderio tractamus. Affectus vester in montibus nostris desiderabilis est super aurum & lapidem pretiosum multum, cùm hæc vltima duo virgini nostræ miseritis, & non omiseritis illud primum. Ex primo enim duo vltima formam sibi conficiunt, & efficiunt finem, cùm affectus potius æstimetur ex largitore muneris, quàm ex munere largitoris. E Solent virgines sæculi huius in auro & margaritis gloriari, & corruptibilem corporum suorum speciem ex eorum ornatu vel demonstrare venalem, vel vendere demonstratam. At virgo nostra dum adhuc viueret carnales spreuit illecebras, & pro gemmis & auro nummum æreum titulo crucis insignem, quem Dominus Antissiodorensis Germanus in signum sponsalitiarum cum Christo arrharum collo eius suspenderat, omnibus præposuit deliciis, omnibus diuitiis antegessit. Nunc inter choros virginum, & si non forte prima, inter primas tamen summæ Virgini obsequentes præcipua, cultores corporis & sepulchri sui precibus ac meritis remunerat, tegit, & conseruat, & ornatus quos sibi viuens imponi noluit, deuotioni fidelium sepulchro suo imponere permittit, non vt aliquam gloriam inde concipiat, sed vt liberalitas offerentium inde promoueatur & crescat, & qui mirantur oblatiouum spectacula, mereantur

exempla. Hinc est pater, quod deuotionem vestram à A beata virgine nostra certissime remunerandam credimus & speramus, vt aurum quod cum gemma sepulchro eius apponendum misistis, retribuat vobis Deus in vita æterna, & agnum quem ipsa sequitur quocunque ierit, possitis & vos consequi. Pro gratia vobis interim collata, & in posterum cõferenda participem vos faciat omnium timentium se Deus, quem participem orationum vestrarum, qualescunque fuerint, nos vobis promisimus, constituimus & optamus.

*Domino Papæ.*

## EPIST. CLXXIX.

CAnonicus ordo regulariter à sanctis patribus institutus sub vestro regimine, Pater, exultat rogans B Deum & supplicans, vt in diebus vestris dirigatur salus in manu vestra, status Ecclesiæ floreat, superborum cornua confringantur. Et quia cõpassionis affectu fratrem & compresbyterum nostrum Abbatem sancti Ioannis. Suessionensis suscepistis, totus apud nos regularium ordo in plenam vobis gratiarum actionem assurgit. Laborat & murum se opponit contra filios inobedientiæ, qui extra claustrum sub obtentu parrochialium curarum morari desiderant, atque mori: satagentes, ne per Abbatem suum quando excesserint corripi valeant & corrigi, sed ad defensionem Episcopi se vertentes, per pecuniariam pœnam canonicam redimunt disciplinam. Si pestis ista conualuerit, perit ordo canonicus, pereunt & sanctorum patrum regularia instituta, soluuntur fines & funes obedientiç, & erunt collegiis nostris tot Abbates quot Presbyteri Parrochiales. Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio ordinis nostri Parrochiales canonicos nostros in Episcopatibus in quibus sunt, liberè & absque vlla contradictione pro necessitate vel vtilitate Ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum, consueuimus admonere, & in claustrum reducere, & quotiens res vrgebat excommunicare. His tantis malis quę ex radice omnium malorũ cupiditate procedunt, per quæ bursa emungitur nec vita corrigitur, sancta Paternitas vestra remedium afferat. &c.

*Abbati de Vrsi. campo.*

## EPIST. CLXXX.

NOn paucis scripturarum testimoniis edocemur, quam meritorium sit infirmum suscipere, sustentare debilem, pusillanimem consolari. Id cum ad omnes pertineat, qui in talibus habent gratiam, illorum præcipue est officij, qui quibuslibet hominum filiis præponuntur. Ista, Pater, proferens non quasi negotiosus in otio, luci tenebræ, nox diei, sapienti nescius præsumo scientiam indicare: sed ad memoriam vobis reduco, quæ si audistis forte per occupationes, quæ se offerunt plures, estis obliti, vel si non audistis, saltem nunc in notitiam vobis veniant, licet tarde. Intimatum est mihi adolescentem illum Nouiomensem quondam thesaurarium occasione nescio cuius reiturbatum ordinis sui zelo minus feruere quam solet, secus agere quam incepit, conscientia læsum, euersum proposito, voluntate mutatum: quæ mutatio nisi fallor, per Excelsi dexteram non est facta. Nouerunt noti sui qui eo moto non possunt esse non moti, & sicut æstimo, magis dolenti condolent, quam congaudent gaudenti, nec eius amplecterentur prospera tam gaudenter, quam ægre sustinerent aduersa. Cognoscite quæso causam, & curam citius adhibete, ne si in corde ipsius, inimici tentatio inualescat, se extendat ad peius, & ad ollas Ægyptiacas, quas prius euomuerat, reuertatur.

*Turonensi Archiepiscopo.*

## EPIST. CLXXXI.

MVnera mihi, Pater, misistis, quibus decenter ornare possum non solum pedes, sed & manus & caput. Magna sunt pretio, maiora sacramento. Ex primo sufficere possunt concupiscentiæ oculorum: ex secundo proficere mysterio ministrorum. Cõdignas referre gratias si voluero, non affectus sufficiet, nec effectus. Accessit Epistola vestra muneribus, duplicem mihi lætitiam infundens, & multiplicem gratiam manifestans.

*Abbati Alto-villari.*

## EPISTOLA. CLXXXII.

VOcatus occulta Dei permissione ad regimen Ecclesiæ Tornacensis, quamuis minus sufficiens, minus idoneus, minus dignus, totum spiritum meum effudi circa dispositionem Ecclesiæ mihi prius commissę, ne labores quibus in ea sudaueram deperirent, & successoris occasione turbaretur tranquillitas cælesti mihi promissione concessa. Tandem post multos cogitationis æstus, & circumspectos affectus varios, non sine voluntate, vt credimus diuina, sortem & funiculum electionis nostræ coniecimus in carissimum fratrem nostrum Ioannem nepotem vestrum, iuuenem, quantum nobis ex diuina conuersatione eius cognoscere licet, honestum, litterarum disciplinis regularibus eruditum, & cum
C communi fratrum omnium assensu nominauimus Abbatem, & in commissa nobis sollicitudine successorem. Acta sunt hæc die salutationis Angelicæ, conceptionis Virgineæ, incarnationis diuinæ, sequenti Dominica, qua repræsentat Ecclesia Dominicum in Hierosolymis ingressum, & puerorum cantantium, *Osanna*, applausum. Me præsente, & præsentante à Domino. A. S. Meldensi Episcopo munus benedictionis accepit, ad Ecclesiam sibi commissam mecum reuersus, gregem sibi creditum custodire & regere secundum gratiam sibi à Deo collatam humiliter est aggressus, sperans quia Deus qui cœpit, perficiet solidabitque. Et quoniam iuuentutem eius nouitas honoris & oneris sibi impositi sollicitat ac premit, recurrit ipse nobiscum ad prudentiam vestram, vt eum & Ecclesiam sibi commissam Domino Ior. Legato
D carissimo, vt audiuimus, & familiari vestro tanquam viscera vestra commendetis, qui loco vestri eum benignè suscipiat, foueat ac defendat, Dominoque O. Ostiẽsi Episcopo tanquam filium suum proprium committat. Grandis enim via restat ei, & inexhausta cupiditas, facultatibus alienis inhiat, & pusillus animus timet, & sacellus insufficiens desperat.

*Abbati Claraeuallensi.*

## EPIST. CLXXXIII.

PRimo aspectu litterarum vestrarum, Pater, obstupui, vtpote qui sermonis illius detestabilis, cuius mentionem per aliquos vobis mentientes fecistis, neque materiam nouerim, neque formam. Propterea qui sermonem illum vobis retulit, non veritati detulit, ma-
E ius peccatum habet. Virum illum Euangelicum venerabilem quondam Meldensem Archidiaconum, qui nouissima sua memorans, ne in æternum periret, ad Euangelicum ordinem vestrum transitum fecit, non facile crediderim vel incurrisse lepram Giesi, commercium Simonis contraxisse. Nam quomodo credidissem quod non audieram? quisquis ille fuerit qui me vel audisse vel credidisse vobis insonuit, rectè mentitus est in caput suum, non veritus incrustare veritatem labiis iniquis, & lingua dolosa. Quod autem interseruit me audisse per vos vel per fratres vestros, Contractum aliquem illicitum, vel conuentionis initium habuisse, vel consummationis finem, tam alienum est à veritate, quam à vestra seueritate remotum. Interim precor patrem magnum pusillus homuncio, vt prænominatum virum,

qui

qui relictis omnibus secutus est Saluatorem, & in vinea Domini circa nonam operari cœpit prout potuit, ita paterne doceatis, vt materne foueatis, præbentes & consilij lucernam pedibus eius, & auxilium baculo senectutis.

*Abbati Cisterciensi.*

EPIST CLXXXIV.

EO securius impetrata venia vobis loquimur, quo secretius dignitatis nostræ consilium velare vos credimus, & speramus. prodigiosum nobis videtur & ostentui proximum, quod filium vestrum Abbatem de Sarneio de mortis faucibus ereptum, & tam periculis in mari, quam periculis in falsis fratribus afflictum, ad inutilem reditum sub obedientiæ vinculo compellitis, vt quasi in incertum currens, & tamquam aerem verberans pugnet, nihil secum præter laborem & ingratitudinem relaturus. Expertus est professionem suam profectus expertem, & humeros pusilli corporis, pusillæque mentis oneri suscepto minus sufficientes, præsertim cum sæpius id propter quod peregrinationem assumpserat, tentauerit, & sæpius repulsus sit, vt nec proficeret in aliquo, nec sufficeret vel in vno. Parcite verecundiæ viri, parcite dignitati ordinis vestri, ne cum Esaiam non habeatis qui se mitti postulet, vobis etiam Hieremias deficiat, qui se excuset. Opus istud Prophetarum est siue Apostolorum, quibus per gratiam miraculorum sibi collatam hostes fugare, vincere, prosternere, & incredulos ad fidem conuertere concessum est, Domino sermonem confirmante sequentibus signis. Si mittendum duxeritis, probatissimum in ordine vestro mittite, qui gratus sit in oculis nostrorum Principum, terribilis in congressu hostium, officiosus & prudens in forma consiliorum, qui quotiens manus eleuauerit, & Israël triumphet de hostibus, & Amalech conuertatur in fugam. Vereor & verum esse credo, quia si remittatur qui remissus est, conuertatur in ridiculum ipsius redituns, & quibus habebitur ignominiosum nomen eius. Erunt forsitan in exercitu qui cum Heliab maiore fratre Dauid insultando dicent, *Quare venisti, quare dereliquisti pauperculas oues in deserto? Vt videres castra in prælium descendisti?* Re vera si recesserit, credita sibi domus in spiritale discrimen incurret, & dispendium temporale. Nec enim suis, sed alienis stipendiis militabit, quibus sufficere non possit domus exilis, & ære oppressa alieno. Absente vero pastore aut dispergentur oues gregis, aut incipient euagari. Consilium istud Domini Abbatis Sancti Victoris & Cantoris Parisiensis, non meum, hominis exigui singulare.

*Vvillermo Remensi Archiepiscopo.*

EPIST. CLXXXV.

NOmen vestrũ & memoriale vestrum in desideriis animæ meæ, tantum, Pater, obtinet locũ, vt si contigerit aliquem me præsente loqui de vobis, interiora mea, & ex affectu gaudeant, & tripudient ex auditu. Facit hoc beneuolentia vestra, quæ me gratis amplexata est, & in consortio locans, & à concilio non excludens. Seruet mihi Deus hanc gratiam, vt (quod absit) eam non meream, ne dicam merear amittere, quam non meream acquisisse. Interim rogo paternam dilectionem vestram, vt præsentium latorem Dominum R. Canonicum Sancti Victoris, in administrationem Abbatiæ Sancti Vincentii Syluanectensis cócorditer electum pro amore Dei & meo suscipiatis beniuole & benefice sustenteris. Familiaris & amicus est meus ab antiquo, & mutuis obligatus obsequiis, & communi natione coniunctus. Vir est quem & morum grauitas, & litterarum peritia, & honestas commendabilem reddunt: vt eius ministerium & gratum Domino, & hominibus credamus acceptum. Aduersatur ei & Ecclesiæ suæ Syluanectensis Episcopus, & contra priuilegia Romanorum Pontificum & Francorum Regum, subiectionem, vt dicit indebitam ab illa requirit Ecclesia nimis præpropere & præpostere, post appellationem sententia excommunicationis prolata. Suscipite eum, Pater, obsecro, & quantum iustitia permittit, per vos & Dominos meos fratres vestros iuuate patrocinio, fouete solatio, consilio sustinete.

*Sofredo Cardinali.*

EPIST. CLXXXVI.

LVctuosam potius quam fructuosam scribendi materiam præbuerant nobis præsentium temporum lachrymosa discrimina, Cum Ecclesiam Dei videamus & à manifestis hostibus fidei violenter opprimi, & à falsis fratribus fraudulenter seduci, In Oriente moritur, in Occidente occidit, vbique terrarum deficientibus & arescentibus fidelibus, pro dolore & persecutione quæ superuenit vniuerso orbi. Inter angustias istas id solum nobis solatij superesse debet, vt ad communem matrem nostram sanctam Ecclesiam fugiamur, expectantes ab vberibus consolationis eius & consiliũ in præsenti periculo, & auxilium in tempore oportuno. Descendit vnguentum miserationis & prudentiæ à capite summi Pontificis Aaron, non solum in barbam, sed vsque ad extremos totius corporis articulos, vt ex Apostolico thesauro proferantur noua & vetera, quorum collatione qui suspirant respirent, qui deficiunt proficiant, confirmẽtur qui dubitant, doceantur qui errant. Interim ego minima portio clericorum vestrorum pro summa consolatione memoriam vestram teneo, colo, retracto, paratus semper vobis fidelibus votis obsequi, quem operibus non sufficio sequi. De beneuolentia Domini Remensis erga vos certus, rogo & tanquam fidelis vester consulo, vt eum reciproce diligatis, & apertis visceribus occurratis amicis eius: quæ proculdubio procedunt de conscientia bona & fide non ficta. Secretum illud quod mihi Dominus T. nepos vester ex parte vestra dixit, prosecutus sum quantum potui, & apertum ostium inueni, si non defuerit qui velit intrare, sicut R. clericus vester Campellensis Canonicus vobis plenius explicabit.

*Vvillermo Remensi Archiepiscopo.*

EPIST. CLXXXVII.

INter curiæ curas & Sanctuarij Sacramenta, fœlices dierum vestrorum successus occupatos quotidianæ sollicitudini posse sufficere, & vtilitati communi posse proficere præoptamus. Geminati simul honoris & oneris sacerdotium ac regnum vobis sarcinam imponunt; distrahendo potius in diuersa quàm aduersa personam vestram, magis expositam laboribus quam dispositam ad labores. Confluunt ad auxilium consiliumque vestrum & qui opprimuntur iniuste, & qui sese metuunt opprimendos. Inter alios recurrit ad protectionis vestræ sinum T. Abbas Sancti Germani de pratis vt Ecclesiæ sibi commissæ iura, sicut hactenus ipse & decessores sui tenuerunt, & seruetis illæsa & defendatis seruata. per singulos annos in terra sua moderatam Collectam habet & habuit, iure consuetudinis censum sibi debitum & recipit & recepit. Et ecce quodam motu satellites Palatini prohibent hominibus & hospitibus Ecclesiæ prædictæ ne soluant quod ipsi soluerunt & patres eorum. Ex hac causa insolescunt, & quasi gannire incipiunt serui contra Dominos suos, vt Saram contemnat Agar, & fiant filij ancillæ sicut filij liberæ, Supplicat vobis prædictus Abbas cum tota Ecclesia sua, supplico & ego minima portio clericorum vestrorum pro eis & cum eis, vt sicut hactenus in hominibus & hospitibus suis consueuerunt percipere, quiete percipiant, & auctoritate vestra prohibitionem soluendi quod inducitur, si absque vobis facta est, corrigatis potenter, vel si mandastis fieri, misericorditer reuocetis. Senem & crebris infirmitatibus laborantem cópellitis ad peregrinandum, vt tanquam ad bestias depugnem, &

de manibus Grandimontensium tanquam de faucibus vrsorum aut leonum prædam eripiam, & cum ipsi sint viri bellatores ab adolescentia sua, ego autem sum paruulus & oues pauculas custodiens in deserto. Sed quoniam ad mādatum vestrum paratus sum & in carcerem & in mortem ire, proficisci incipiam, sed vtrum proficiam Deus nouit.

*Item eidem Remensi Archiepiscopo.*

EPIST. CLXXXVIII.

IN magnis negotiis quandoque minores vt saltem idiotæ locum impleat admittuntur. Apes mella cōficiunt & in exiguis corporibus laborem proprium redimunt vtilitate communi. Formica vermis inter muscam & reptile mediũ exemplo suo pigros inuitat, vt pensetur æstate quod hyeme dispensetur. Sic & ego minimus inter vestros nunquam merui per gratiam vestram & audire consilia vestra, & in consiliis exaudiri. In articulo dierum præsentium, quibus sufficit malitia sua, diri vulneris nouitate perculsi turbantur & mouentur ministri altaris, & magni sacrilegij magnam à vobis expostulant vltionem. Vtroque gladio accinctus estis, regni pariter & sacerdotij, qui in defensionem Christi vsque hodie patientis, testante ipso Domino, satis esse leguntur. Extendit manus improbas iuuenis Comes Domni-Martini in direptionem Sacerdotalium rerum, & vsque ad sacra vasa altaris acerrimos impietatis vngues raptor auarus impressit, violenter abstulit, impudenter asportauit, irreuerenter dispersit, equos, sarcinulas, necessarios sumptus, & quod nefas dictu & actu fuit, vasa sacris vsibus dicata, viri magni Heliensis Episcopi regis Anglorum Cancellarij. In regno Domini Regis Francorum securum reddiderant, & fraterna duorum regum peregrinantium cōfederatio, & Episcopalis dignitas officij, & vestra denique protectio, quæ pupillis cum ✱oribus communis esse debet, & ad resistendum improbis, & ad humiles consouendos. Quid, pater, tutum aut securum esse poterit, si inter manus vestras opprimantur Ecclesiæ, nudentur pauperes, sacerdotes exponantur iniuriis & rapinis, liceat cuilibet quicquid libet, & sicut populus sic sacerdos? Accendatur in vobis zelus Mathathiæ, cum Sitomaste Phinees armētur iura cælestis, commoueantur & terrena, totaque diuinæ simul & humanæ vltionis spiritu concepto raptori occurrite, prædam eripite de manu eius, qui in tanto flagitio nec Dominum timet, nec hominem reueretur. Elusoria videntur ei mandata vestra, qui & nuncios vestros remisit vacuos, & capellam Episcopi, quam sese promiserat redditurum, non solum retinet inobediens, sed & polluit indeuotus. Videat, pater, & prouideat sibi prouidentia vestra, quid super hoc facinus faciendum sit, vt mansuetudo quæ in vobis induit decorem, induat fortitudinem & præcingat se; & qui de spoliato dolent, de restituto gaudeant, & qui audierunt rapinam, audiāt subsequenter & rapinæ vindictam.

*Turonensi Archiepiscopo.*

EPIST CLXXXIX.

OCculto Domini iudicio vocatus ad Ecclesiam Turonensem vestris orationibus me commendo, vt ad quos non sufficio meritis propriis, proficiam suffragiis alienis. Et quoniam nescio pater, vtrum dignus amore vel odio, ex tanta vocatione supplicium expectare debeam, vel præmium: sic curro adhuc quasi in incertum, Concedat Omnipotens vt non quasi aërem verberans incipiam depugnare. Ad primum huius tumoris sonitum *Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.* Denique tanquam de graui somno euigilans totum negotium commisi Deo, cuius gratia si beneplacitum fuerit in oculis eius, totum perficiet solidabitque. Interim significare volui sanctæ paternitati vestræ, quod accidat, ne in hoc appaream aut beneficiis vestris ingratus, aut A obsequio indeuotus. Circa proximum Pascha Deo volente, vita comite transitum facturus sum ad Ecclesiam quæ me vocat, cum veris Hebræis celebraturus phase, & sicut Dominus Remensis disposuit, in octauis sanctæ Resurrectionis munus consecrationis per Dei gratiam accepturus. Rudis in talibus consilio vestro firmari desidero, & formari, vt expertus instruatis expertem, fidelem Dominus, sacerdos magnus magnis sacerdotibus obsequentem.

*Quibusdam iudicibus pro Causa quæ vertebatur inter Senonens. Archiep. & Eccles. S. G. de Pratis.*

EPIST. CXC.

B ABsurdum & arrogantiæ proximum creditur, si quis ei consulere velit, quem consulere debet, aut in necessitatis articulo, aut in periculo veritatis. Huius culpæ simulachrum fugiens impetrata venia loquar Dominis meis, non vt ex modico sacello meo magnæ sapientiæ vestræ thesauros augeam, sed vt commonitorio tenui parstos præueniam potius quam præcedam. Audiui Dominum Papam prudentiæ vestræ commisisse cognitionem causæ, quæ vertitur inter Dominum Senon. & Ecclesiam Sancti Germani de Pratis, quæ non parum difficultatis, nec minus discriminis importare video & auctoritati iudicum, & partium voluntati. De procurationibus agitur corporum, non de salute animarum, de numero quadrupedum & hominum, non de merito virtutum, aut victoria vitiorum. In hoc tamen conflictu summi Pontifices Alexander, Lucius, Vrba- C nus, Clemens, & qui hodie sedet Celestinus iniecerunt, & diuinis priuilegiis taxantes euectionis numerum, iurgio super procuratione moto, imposuisse creduntur. Vidi & legi priuilegia ista nec facili veritate, nec falsa suggestione impetrata, sed omni solemnitate subnixa, & Cardinalium subscriptionibus roborata. Quid tantum aut tutum esse poterit, si super talibus dubitare, disceptare, aut disputare aliqui voluerint, cum munimenta Apostolica vobis & nobis, immo omnibus Ecclesiis, & possessiones earum seruent, & iura tueantur & defendāt. Parcite Patres auctoritati vestræ, parcite dignitati & prudentiæ, & examen istud reseruate summo Pontifici, qui solus potestatem habet & condendi nouos Canones, & exponendi veteres, & interpretandi priuilegia D sua, & corrigendi aliena.

*Vuillermo Remensi Archiepiscopo.*

EPIST. CXCI.

GRatia vobis Pater, qui inter alia beneficia pro me Clerico vestro litteris vestris capitulo transmissis, & corripuistis incorrigibiles, & indociles docuistis. Quartum illud genus murmurantium super terram, à quo liberari me sæpe deprecor, & defendi, primo aspectu litterarum vestrarum, tulit impatienter & moleste, me vel offerre vobis querimoniam meam, vel eorum contumeliam non sufferre. Inceperunt à murmure, & in iurgio terminarunt. Qui corrigi debuerant, non timuerunt erigi, qui virga digni erant, abstulerunt festucam. Sed E quia cum his qui oderunt pacem pacificus esse volo, & remisi iniuriam, & iniuriantes dimisi. Aderit tempus Deo volente quando in præsentia vestra, vel erubescent de irreuerentia sua, vel de contumelia punientur.

*Item Remensi Archiepiscopo.*

EPIST. CXCII.

PEriculosas & crebras infestationes nobis ac Decanis nostris inferunt quidam verbi Dei venditores, qui in Ecclesiis audacter declamant, in domibus turpiter viuunt, in plateis litigant, in tabernis insaniunt, in confingendo miracula blasphemi, in remittendo pecuniam cupidi & astuti, vbique sacrilegi, nusquam modesti. Ad suggestionem vnius eorum qui Constantius dicitur, qui

qoi & nobis aliqoando verborũm contumelias intulir constanter placuit nobis citare Decanum Grand. virum re vera honestum, grauem moribus, infirmitate grauatum, vt pote qui & calculo & iliaca passione incurabiliter elaborat. Excusabilem faciant eum, si placet, prædicta senis incommoda, opera delatoris in prædicando, conductius, in mendacijs assueta. Querela pro qua citatur nec acceptabilis nec accepta: & si dicere audeamus, nostra pro eo supplicatio porrecta. Liberare nos, Pater, à pestibus istis, ab hominibus iniquis & dolosis, qui fidelium Eleemosynas infideliter corrogantes, obiectu sacri nominis vestri terrent pseudos Decanos nostros, & pusillanimes Presbyteros circumueniunt, interpositis comminationibus eos ad Rem. curiam protrahendi.

*Domino Remensi.* EPIST. CXCIII.

PVder me totiens vexare trãquillitatem vestram, Pater, & sacras occupationes vestras quasi tot obruere fasciculis litterarum. Excusabilem me reddit quandoque necessitas mea, quandoque charitas aliena. Vt autem redimere mihi possim paulisper hoc fastidium vestrum parabolico Salomonis caractere, Aurelianensis nostri Garnandi deliciosas vobis nugas appono. Tria sunt murmurantia super terram, & quartum quod facile non quiescit, Communia rusticorum dominantium, Cœtus fœminarum litigantium, Grex porcorum ad vnius clamorem grunientium, Capitulum diuersa tota sectantium. Cum primo pugnamus, secundum irridemus, tertium contemnimus, quartum sustinemus: è primo & quarto libera nos Domine. Coactus ab vltimo vestræ correctionis manũ vltimã expecto & expeto. Est quidam socius meus in mensa mea simplex & innocens coram Deo & hominibus sine querela, cui Capitulum nostrum vicariam vnam in maiori altari contulerunt, assignato ei beneficio à quodam Burgense, vnde sufficienti mediocritate sacerdotaliter viuere posset. Eum mihi præsentarunt Canonici ad titulum maioris altaris ordinandum, & communem cum aliis participationem refectorij concesserunt. Cum autem à nobis ordinatus per biennium fere & altari ministrasset, & beneficium refectorij cum aliis recepisset, eum neque citatum neque in aliquo conuictum, prætermisso iuris ordine, & altaris ministerio & refectorij beneficio priuauerunt. Burg. autem beneficium quod contulerat, quamuis inuitus in manu sua recepit. Mirantur omnes qui audiunt, sed miraculum eorum Canonici nostri aut negligunt, aut contemnunt. Supplicamus paternitati vestræ, vt pro amore Dei, & humilium precum nostrarum interuentu, Decano & Capitulo nostro scribatis, rogando si placet, vt socium nostrum bonæ opinionis & honestæ vitæ Presbyterum iniustè spoliatũ pro vobis restituant, & si aliquid deliquit vnde damnari meruerit eum ordine iudiciario tractent; ne forte aut de iuris ignorãtia possint argui, aut de crudelitate notari.

*Atrebatensi & Ambianensi Episcopis.*
EPIST. CXCIIII.

FIlij pacis & concordiæ, quibus contentiones & lites odiosæ sunt, quantum in ipsis est, inquirunt pacem, & persequuntur eam: Ea acceptione persequendi quã per præpositio, per compositionem verbis adiuncta aut perfectionem exprimit, aut perseuerantiam demonstrat. Id attendentes, de sancta discretione vestra & prudentia confidentes, in causa quæ vertitur inter vos & Abbatem Sancti Bertini super Ecclesia de Listreuele elegimus vos arbitros quidquid in eadem causa, compositione, vel sententia protuleritis recepturi. Proinde rogamus sanctitatem vestram, vt pro pace inter Ecclesias reformanda laborem istum assumatis, conuenientem locum & diem nobis assignantes, quando & vbi, & desideratam præsentiam vestram fœliciter videre possi- A mus, & debitam causæ nostræ iustitiam vtiliter reportemus.

*Abbati Sancti Germani de Pratis.*

EPIST. CXCV.

VEteres amicitiæ nouis Epistolis reuirescunt. Nos autem, ne dilectio nostra sopiatur aut torpeat, nec calamo parcimus, nec membranæ. Tollatur fastidium legentis, & scribentis officium non cessabit, suscitabo amicum, pungam stimulo Charitatis, aduocabo negotiis sæcularibus, vt recordetur societatis pristinæ, iucunditatis mutuæ, confabulationis alternæ. Currant & vigeant inter nos dilectionis commercia, quæ & sinceritatem inclusam habeant, & suspicionem excludant. In B negotiis fratris mei gratias ago de præteritis, preces offero de futuris. Vnum satis est, vt possessionis commodo fruatur, qui per donationem vestram dominium est adeptus. Sed vobis placeat, & Domino non displiceat legato. Sine iactura Ecclesiæ vestræ sic in aliis solet fieri, & in ista quandoque factum est: rogo vt præsentibus fratribus vestris per Archid. Episcopo præsentetur, Semota interim mentione potus nostri, caseos habemus virides, quorum condimentum nobis suspiciosum est, nec oculis Parisiensium blandiens aut palato.

*Hugoni Canonico Sanctæ Genouefæ Parisiensis.*

EPIST. CXCVI.

SEnex seni, infirmus debili, remotus absenti, consulo, suadeo, suggero, vt sicut habueras consilium in pro- C speris, habeas solatium in aduersis. Obitum nepotuli tui ne plangas, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, quem, vt credimus, immaculatum corpore, sic & immaculatum mente, non tàm à te recessisse, quàm te ad Dominum præcessisse. Lachrymæ quæ super mortuos funduntur, inanes sibi, & quæ officiunt flenti, ei non proficiunt pro quo fletur. Vellem te mecum esse, & ita me tecum, vt communia nobis essent tam prospera quàm aduersa, & vtrique solatio esset senectus similiter alterutri delectabilis alterna, & neutri alterius onerosa. Vtinam quandoque videamus nos inuicem, vt inuideamus nulli, & inuideat nullus nobis,

*Domino Papæ pro Ecclesia Sancti Martini Tornacensis.*

D EPIST. CXXVII.

EXcellentior vis quam demonstrat Apostolus, non gaudet super iniquitate, congaudet veritati. Ea, cui congaudet, sibi sufficiens in conspectu vestro, sancte Pater, nec venalem mendicat gloriam, nec venialem respuit interuentum. In huius fiducia veraciter vobis asserimus, quia Monachus ille Sancti Martini Torn. girouagus & transfuga, qui ad sedem vestram ausu temerario venire, & sanctam religionem vestram mendacio suo tentauit circumuenire, nec de conscientia fratrum ab eis recessit, nec de consilio eorum vt recederet processit. Sigillum quod secum detulit, aut furtim sustulit, aut reus Corneliæ de falsis, pseudo-sigillum sacrilegus transformauit. Hæc diligenter in capitulo à singulis E requisiuimus, & à singulis commune responsum accepimus, quia nec eius nouerant recessum nec eius approbabant excessum. Et quoniam nemini debet patrocinari dolus suus, ne falsitas obruat veritatem, preces fundimus paternitati vestræ, vt damnosum illud chyrographum, quo per falsas litteras & falsum sigillum falsus monachus Ecclesiam obligare voluit, si placet damnetis, ne compellatur reddere quod non accepit, soluere quod non rapuit, approbare quod nesciuit. Ecclesiam illã nobis & loco & affectu proximam, conuersatione & opinione gaudemus, illam esse, nec quasi in incertum currere, nec quasi verberantem aëra pugnare. Si quid in ea perfectioni deest, per Dei gratiam speramus cotidia meliora & viciniora saluti.

*Abbati & Conuentui Sanctæ Genouefæ Parisiensis.*
EPIST. CXCVIII.

ANxiatur in me spiritus meus, quotiens aut tranquillitas vestra concutitur, aut vnanimitas impeditur. Semper enim consueui, nec ab hac consuetudine, Deo volente, desistam, & vobis congaudere gaudentibus, & flere cum flentibus. Quis enim separabit me à charitate vestra, quæ est in Christo Iesu, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? nam si paratus sum mori pro singulis, paratus sum (si necesse fuerit) & mori pro vniuersis. In tribulatione quæ circundedit vos pro capella Beatæ Virginis Genouefæ, pro qua etiam per charissimum fratrem nostrum, ac vestrum R. consuluistis nos, certum dare consilium vobis non audeo, quoniam voluntates fratrum nostrorum semper diuersas intelligo, & exitum rei, qui forte ex insidiis fortunæ pendet, nec vt Propheta prævideo, nec somnio vt poëta. Si flagrante maleficio, quando iuuenis Archidiaconus capellam vestram violenter ingressus est, & fratrem vestrum presbyterum audaci manu & proxima sacrilegio aggressus, post appellationem ad Dominum Papam factam ornamenta sacra diripuit & abstulit, & eundem fratrem de capella violenter expulit, flebilem conquestionem istam ante pedes summi Pontificis aliquis deposuisset, rectè id actum fuisse credidissem. Nec vero quia spatio temporis res obtorpuit, & Archid. in quali quali possessione sese iactitat esse, si vt audiuimus in arbitros compromittere voluerit, quos iuris & æqui amatores credideritis, compromissum suscipite, ita tamen quod in ciuitate Paris. vel in proximo ciuitati loco, negotium non tractetur, ne multitudine molis suæ tam in Aduocatis quã in prudentibus & potẽtibus viris, quibus parum ciuitas abundat, nostra & vestra paruitas opprimatur. Quod si alium locum eligere voluerint, credo melius esse vt totum negotium ad suum Pontificem referatur. Si autem (Deo volente) contigerit vt vos capellam vestram pacificè possitis habere, melius videtur vobis esse, vt per honestos fratres de collegio vestro eam gubernetis, quã aliquam ibi sæcularem personam instituatis.

*Domino Remensi Archiepiscopo pro Ecclesia de Bredenai.*
EPIST. CXCIX.

ACcessimus ad Ecclesiam de Bredenai causa nostræ Synodi celebrandæ, & occurrit prima facie grande miraculum nobis, triste spectaculum nostris, ridiculum alienis. Didicimus à vicinis quòd in Ecclesia solebat Monasticus ordo sub duodenario fratrum numero conuentualiter obseruari, diuinum celebrari regulariter officium: pauperes alimoniam, peregrini hospitium, solatium infirmi reportabant. Et ecce in contrarium versa sunt omnia, diruta sunt edificia, silent officia diuina, dum non sit ibi vel vnus Monachus qui celebret ea. Redactus est locus in solitudinem, factus sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario: possessiones amplæ & decimæ vberes, quibus alebantur Monachi partim distractæ sunt, sub hypotheca dominio premuntur alieno: Veruntamen Presbytero commissa est illa misera & ancillata Ecclesia, cùm ibi deberet Prior esse, & aliis Monachis præesse. Plangunt & dolent Parochiani, de quorum donis & prædecessorum oblationibus Ecclesia illa dotata fuit & ditata, plangunt & clamant in auribus Domini Sabaoth, & vltionem à Deo & correctionem à vobis in suspiriis & singultibus & expetunt & expectant. Hæc attendentes, & tacti dolore cordis intrinsecus, consilio prudentium virorum qui vobiscum aderãt ad correptionem & correctionem zelo domus comedente nos accingemur, sub interdicto concludẽtes illam desolatam & lachrymabilem Ecclesiam, & prohibentes ne diuina ibi celebrentur officia, & ne Parrochiani decimas vel oblationes aut alios aliquos parrochiales prouentus, quousque redd ant, con-A suetus Monachorum numerus deducatur ad locum, &. Prior ibi instituatur qui aliis præesse debeat & prodesse. Veruntamen ad preces Vv. Presbyteri & virorum qui nobiscum aderant sententiam datam vsque ad Octauas Epiphaniæ, suspendimus & distulimus obseruari.

*Domino Lambino Moriensi Episcopo.*
EPIST. CC.

TRansierant dies & menses, ex quo neque verbum propter absentiam, neque scriptum forte propter incuriã. Iocosas confabulationes vestras experti sumus, expertes interim solatij vestri, quãuis soliti, iã soluti. Dolemus & conquerimur aut notarium vestrum chiragrũ, B aut veredum claudum, vtrumque pigrum, neutrum expeditum. Purgabitur hæc mora si morem vobis gerentes & scribitis & venitis. Scire volumus interim dilectionem vestram, quia Monachi vestri de Sancto Bertino insesti festinant ad iurgia, lites excitant, & per vnũ de numero eorum qui claudicat in semitis suis, rectitudinem iustitiæ nostræ, tortuosa appellatione peruertere volunt & inuoluunt. Ecclesiam habent apud Cocleas, in qua per annuos & cõductitios mercenariosque sacerdotes, sæpè & per se ipsos, quod sacris canonibus inhibitũ est, parrochialia ministrant, cũ nos tã ipsis quàm aliis omnibus Monachis in Synodo nostra præsenti Abbate ipsorum & prohibuerimus, & quotidie prohibeamus. Prior ipsius loci quandam parrochiam nostram à vobis excommunicatam sine conscientia nostra absoluit, & C eam nuptui tradens cuidam militi tanquam parrochialiter illicite copulauit. Cum nos etiam per partes illas transitum haberemus, hospitium suum negauit nobis, sumptibus eorum pariter & nobis in omnibus prouidere, obstruxit ostia hostis, hospites non admittens, incluso murmure, exclusa charitate. In his corripite eos, & si corrigere non potestis.

*Vvillermo Remensi Archiepiscopo.*
EPIST. CCI.

ABsit, pater, ab animo meo, vt in aliquo appaream vel beneficijs vestris ingratus, vel beneuolentiæ indeuotus. Hæc sunt duo simulachra quæ abominor duo idola quæ detestor. Si aliqui forte (quod absit) aliud, vobis sibilauerint, aut voluntatis meæ maliuoli sunt in-D terpretes, aut maledici detractores. Quod enim de conferenda vel transferenda donatione præbendæ Torn. à Domino Bonifacio in L. clericum vestrum dubitare visus sum, coegit me authoritas primi mandati vestri, nouitas secundi, reuerentia Domini Bonifacij, reuerentia promissi frangendi. Nunc vero plenius intellecta voluntate vestra paratus sum facere quod mandastis, sine simulatione liberaliter, sine dissimulatione libenter. Veniat prædictus L. quando voluerit, volentes nos inueniet quando venerit.

*Celestino summo Pontifici.*
EPIST. CCII.

INter spem & timorem medius accedo filius ad Patrem, seruus ad Dominum, ad successorem Petri minimus discipulorũ Christi; forte mitigabit iram suã E Pater, remittet indignationem Dominus, Petri successor humilem respiciet sacerdotem. Quis scit si conuertatur & ignoscat & relinquat super me benedictionem? vocatus ad Ecclesiam Tornacensem loco & animo remotus & ignarus, nihilque minus spirans quàm Cathedram: cur excessi si accessi? quid peccaui si non peccaui? an deliqui quia non dereliqui? Diuinare certe non potui, placeret ne an displiceret summo Pontifici, cuius placita sunt iura, in cuius dextera ignea lex, quæ appendit merita singulorum in statera canonum, & apprehendit astutias in perpendiculo legum, & circulo decretorum. Sed quoniam bonarum mentium est ibi culpas cognoscere vbi culpa non est, & periculosum valde est

filio

filio ſeparari diutius à cõſpectu patris, exceptiones omitto, A veniam peto, gratiam quæro, miſericordiam imploro. Aperiatur obſecro mihi ſinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, qui nemini claudi conſueuit, pandatur aditus ſupplicandi, porrigantur vbera materna: cum matre placabilem ſeſe pater exhibeat, vt & ſimplici conſulat, & ſimplicem conſoletur.

*Cuidam Abbati Monacho.*

## EPIST. CCIII.

QVæ ſiſtis à nobis quod à vobis quæri debuerat. Cõſuetudinem ordinis veſtri neſcimus, verb a bati B Benedicti & legimus & tenemus. *Si quis*, inquit, *infra annum probationis exire voluerit, liber exeat cũ rebus ſuis.* Qui ingredientem liberum dixit, egreſſo matrimonium non interdixit. Et quoniam præſentium lator B. ex probatorio tyrocinio pedem traxit, ex probratorio Cantico à Chriſtiana ſocietate ſeparari non meruit. Quantum ad ſolatium infirmitatis humanæ, matrimonium eſt quod contraxit, quantum ad faſtigium ſocietatis veſtræ, à profeſſione deuiauit. Credimus & dicimus in tali coniugali copula matrimonium eſſe. Videritis vos ſi ex tali abſentia res eius debetis ſecura conſcientia tenere.

*Hugoni Abbati Sancti Dionyſii Pariſienſis.*

## EPIST. CCIV.

BEneuolus eſt qui promittit, beneficus qui largitur. Quod ſi donantia hilaritas comitetur vtrumque, totum qui recipit ſeſe debet effundere in gratiarum pleniſſimam actionem. Penſionem annuam, quam fratri noſtro promiſiſtis, rogamus vt ei ſine dilatione ſoluatis, ne ſi contigerit eum in eundo & redeundo laborare, cogatur vel quaſi in incertum currere, vel quaſi aërem verberare.

*Domino Papæ Celeſtino pro G. in Corbeienſ. Abelecto.*

## EPIST. CCV.

QVamquam, Pater, in conſpectu veſtro inter regalium & Pontificalium epularum affluentiam, preces noſtræ tanquam ſtilla ſitulæ modicum obtineant locum, tamen intercedere nos pro aliis & neceſſitas vrget, & charitas perſuadet. Eccleſia Corbienſis multis & magnis attrita & afflicta laboribus, nunc tandem, vt credimus, reſpirare cœpit, ſi ſancta paternitas veſtra ei gratiam ſuam exhibeat, & beneuolentiam impendat. Habent in ea Abbatem Dominum G. qui in ea poſſeſſiones poſſit reuocare perditas, & non perdere reuocatas. Prudens eſt & induſtrius, & qui tanto ſufficiat oneri, ſicut credimus, & honori. Rogamus ſanctam paternitatem veſtram ſi placet, vt prædicto viro bonæ opinionis inter ſuos, & qui vtilis eſt Eccleſiæ ſuæ & fidelis, veſtram pleniùs gratiam impendatis.

*Bituero Abbati ſancti Euurcij Aurelianenſis.*

## EPIST. CCVI.

AVdita grauiori ægritudine veſtra, & cum dolente dolemus, & cõpatimur patienti. Sanet vos ſalutis auctor qui ſanat contritos corde, qui ſaluat ſperantes in ſe, qui operatus eſt ſalutem in medio terræ. Deſiderio deſideraſſemus hoc paſcha manducare vobiſcum, & lactucas agreſtes triſtitiæ noſtræ Paſchalis agni carnibus apud vos temperare & condire. Prohibet hæc neceſſitas tẽporis, cauſa neceſſitatis, importabile iugum, quod impoſitum eſt humeris noſtris. Speramus in Domino, quia citò liberabimur ab hac plaga, quamuis tantorum cicatrices vulnerum non ſubito deleantur. Reddita nobis proſperitate per Dei gratiam, quantocitiùs poterimus, viſitabimus vos & fratres noſtros, vt communi ſimul fruamur colloquio, gaudeamus, ac delectemur conſortio. Salutate fratres noſtros & in vniuerſis ſingulos, & in ſingulis vniuerſos.

*Ioanni Abbati & Cap. Sanctæ Gen. Pariſienſis.*

## EPIST. CCVII.

POſitus in extremis finibus terræ, & extremis finibus vitæ, cum iucunditate recordor honeſtæ conuerſationis veſtræ, ſocietatis indiuiduæ, humilitatis deuotæ. Aliquos ex vobis in Chriſto genui, alios adultos inueni, vtroſque colui & dilexi, neutros ſine neceſſitatis articulo offendi. In ſudore vultus mei & anguſtiæ Spiritus per xv. & eo amplius in Eccleſia noſtra pariter & veſtra annos fideliter laboraui, & ſi dixerim fœliciter non peccaui, per Dei gratiam, neque aëra verberans, neque in incertum currens. Iudicate vos ipſi ne forte aliquis murmurans in angulo dicat mihi, *teſtimonium tuum non eſt verum.* Interim fratres & filij moneo ſenex, & hortor, & ego ſenes, vt præparent ſe ad finem vitæ, iuuenes ad obſeruantiam regularis diſciplinæ, adoleſcentes ad cuſtodiam ſubiectionis & verecundiæ, omnes ad vnitatem dilectionis fraternæ & cariſſimo filio noſtro Abbati veſtro per omnia plenam obedientiam exhibete. Per Dei miſericordiam in omni ſucceſſu temporalibus abundamus, prouectum & fructum ſpiritualium veſtris orationibus expectantes. Salutant vos cariſſimi filij mei fratres veſtri, Marcellus, & Girardus iuuenes honeſtate præcipui, C humilitate præclari, in ſeruitio meo & veſtro ſolliciti & ſtrenui, frequentes in conſiliis noſtris, in negociis, in Sacramentis. paratus eſt animus, ſi parata fuerit manus negotiis Eccleſiæ veſtræ opportuno tempore & loco occurrere, & ſeruire.

*Domino Octauiano Hoſtienſi Epiſcopo pro F. Abbate Sancti Germani Pariſienſ.*

## EPIST. CCVIII.

IN timore & tremore vos & alios Dominos meos recogito & retracto. Tranſlatus à ſubſellio ad cathedram, à puſilli cuſtodia gregis ad populoſæ regimen D Eccleſiæ, ab humili ſtatu ad altiora quam credidi, quàm merui, quàm ſperaui. Et licet pro me rogare non ſufficiam, commendatitias preces vobis porrigo pro Abbate Sancti Germani viro humili & vtili Eccleſiæ ſuæ, cuius opera inter fratres ſuos & præſentibus proficiunt ad vſum, & poſteris ad exemplum. Si quis aduerſus eum in curia Domini Papæ mouerit quæſtionem, maximè ſuper memoria rixæ, quæ hoc anno inter homines Sancti Germani & ſcholares mota eſt, in qua & vnus Scholarium per inſaniam ruſticorum cecidit, excuſabilem habete prædictum virum, qui ſicut immunis eſt à culpa, ita & alienus debet eſſe ab infamia ſiue pœna. Innocentiam ſuam purgauit coram Domino Remenſi ſufficienter & multitudine clericorum, & fugientibus illis qui homicidium perpetrauerant, accenſus in vindictam, do E mos illorum diruit & vaſtauit. Occurrite & ſuccurrite ſi opus fuerit viro innocenti, ne veritatem falſitas abſorbeat, mendacium negotietur ſibi fidem, amor inuidiæ religionem corrumpat.

*Abbati Sancti Bertini.*

## EPIST. CCIX.

AMicitiarum fœdera naſcuntur colloquiis, firmantur conſiliis, beneficiis conualeſcũt. Currant inter nos hæc veneranda commercia, & alterius obſequiis mutuo nutriantur. In huius ſpei reliquiis dilectionẽ veſtram rogamus, vt mittatis nobis paleſtridum vnum, qui viſu non paueat, gradu non cæſpitet, motu non concutiat ſenem, aſpectu delectet amicum, aſcenſu deceat ſacerdotem. Si de retributione cogitetis, occurrent, Deo volente, loca & tempora, quibus hoc beneficium conuenienter poterimus compenſare.

*Fulconi Abbati Sancti Germani Parisiensis.*

## EPIST. CCX.

INuenisse me gaudeo quæ quærunt multi, inueniunt pauci, desiderant vniuersi. Amicum dico in necessitate fidelem, in absentia præsentem, voluntate deuotum, opere efficacem. Horum testes sunt beneuolentia quam fratri meo libenter exhibetis, beneficiũ quod ei liberalius contulistis, labor & sollicitudo quæ pro negotio ipsius iugiter sustinetis. Hæc sunt quæ totum me rapiunt in ardorem dilectionis vestræ, totum excitant ad explorandos..........

*Domino Remensi Archiepiscopo pro Abbate S. Amandi.*

## EPIST. CCXI.

DE mandato vestro, Pater, accessimus ad Sanctum Amandum, vbi inuenimus Monachos non amandos. Seditiosi erant, in seditione morantur, & forte in seditione morientur. Nihil obicere poterant Abbati suo, nisi quia cum litteratus, sobrius, castus, quietus ac frugi, magis parcitati quã prodigalitati sit proximus, in obseruantia Monastici ordinis, vt dicunt, minus sit peritus, tanquam qui in loquela digitorum nesciat exprimere fabam, caseum, vel oua, vel in talibus errantes corripere, vel corrigere, vel negligit, vel contemnat. Quosdam eorum, qui totius erant capita conspirationis, separare volumus à Collegio illo ad tempus, sub excommunicationis cautione prohibentes, ne à Monasterius ad quæ destinauimus eos, sine licentia nostra & Abbatis sui, vel exilire præsumerent, vel exire. Inobedientes extiterunt nobis, sed inobedientiæ eius maculã purgauit interuentus Abbatis Aquiscinn, & Domini Philippi Vice domini vestri, vt absoluantur alieno merito, qui suo meruerant excommunicati delicto. Super his omnibus consideret sancta paternitas vestra, quid expedire debeat sancto Monasterio, quid non sanctos Monachos impedire. Honestum ac literatum, & præter senectutis debilitatisque incommoditatem sicut credimus, irreprehensibilem inuenimus Abbatem non minus malitiæ propriæ expertem, quàm expertum malitiam alienam.

*Domino Remensi pro interdicto in terra Comitis Flandriæ facto.*

## EPIST. CCXII.

INter laicos habitantes clerici, fratres sunt draconum & socij struthionum. Quod si iurisdictione aliqua sæculari liceat eis in Ecclesias sæuire, qui debuerant seruire sub nomine communiæ, inter eos squama squamæ adiungitur, vt nec spiraculum incidat per eas. Hac vertigine rotantes inter nos ciues nostri, cum prius coram Domino Atrebatensi & Castellano Insulæ mandatum Domini Regis in nostris & eorum quæstionibus contempsissent, & post modum ad vos reuertentes communes arbitros sub forma à vobis tradita suscepissent, nec consilio vestro voluerunt acquiescere, nec in arbitrium voluit sese populus obligare. Inde est quòd ad consilium totius Ecclesiæ recurrunt ad vos Canonici nostri clerici vestri, & nos cum ipsis & pro ipsis pedibus vestris aduoluimur, vt in tam periculoso negotio, sicut semper consueuistis, & beneuolum consilium, & beneficum auxilium impendatis. Præterea, quod non sine gemitu & suspirio dicere possumus aut debemus super nouo mandato Domini Cardinalis & legati magistri Melioris de interdicenda terra Comitis Flandriæ consilium à vobis requirimus, & tota Flandriæ Ecclesia gemitibus inenarrabilibus totum cogitatum suum iactat in vobis, vt quos hactenus enutristis, tantis periculis non permittatis exponi. Adhuc recentia prioris interdicti spirant vulnera, nec vulnerati respirant. Et si secundus coogeminetur ictus, mors erit in ianuis, & sub tristi silentio conualescent hæreses, quæ pullulare cœperant: claudentur Ecclesiæ, silebunt Cantica diuina, cogentur mendicare qui panes propositionis in mensa Domini consueuerant manducare. Scimus autem prauum cor hominis illius ita induratum, quod excommunicationem contemnat, interdictum non timeat, sæcularia spiritualibus anteponat. Videtur nobis & multis prudentibus viris, quia & vulneraretur profundiùs, & cõfunderetur apertius, si & ipse, & omnes ei communicantes singulis dominicis diebus excommunicarentur, & loca ad quæ accederet quamdiu ibi moraretur, à diuinis cessarẽt. Cum hæc agerentur in Capitulo nostro præsentibus nuncijs Domini Oxon. qui propter hoc ad nos accesserant, Bernardus de Robais, Bailius totius Flandriæ, ne in terra Comitis poneretur interdictum, per appellationem ad Dominum Papam interdixit, diem appellationis prosequendæ in Octauas beati Ioannis Baptistæ præfigens. Super his omnibus consulite, Pater, consiliis vestris, clericis vestris, Ecclesiis vestris.

*Suession. Episcopo iniustè dãnato ad debita soluenda, damnatus iniustè ad fodienda Metalla, salutem & communem murmuris inclusi patientiam.*

## EPIST. CCXIII.

MIserrimum solatij genus est valde habere socios in pœna, siue pares siue dispares sint in culpa, vt tanquam ex coniunctione alterius, leniorem pœnam sentiat vulneratus. Huius culpæ simulachrum non adorãs, sed abhorrens, sic infortunium meum plango, vt sine ipsius diminutione & vestro dolori condoleam, & vestræ compatiar passioni. Credideram me in locum terribilium iudiciorum posse pontem facere, per quem Pontifices alij transitum solent habere. Sed ecce contra tempestas inualuit, & intumuerunt aquæ, & excreuit torrẽs qui transuadari non potest, vt non occurrat mihi vnde possim dicere, *forsitan pertransisset insufficientia mea aquam intolerabilem.* Secessi interim ad tempus, & in parrochia vestra locum quietis & silentij, moram aliquam facturus, elegi, apud Marisiacum, ibi solitarius & tacens, si forte respirare possim à pusillanimitate spiritus & tempestate. Et quoniam multi parrochianorum vestrorum ad me veniunt, vt eis manum confirmatoriam imponam, de licentia vestra si vobis placet id faciam, in hoc officio vester obediens & famulus & minister. Ruri habitans sæpe retracto illud distichon Sollij Sidonij.

*Sidon. Appol. lib. 7 epist. 17.*

*Angulus iste placet pauperti nusque recessus.*
*Et casa, cui calamo culmina tecta nitent.*

*Epistola Domini Suessionensis ad Dominum Tornacensem missa*

## EPIST. CCXIV.

LIteras benignitatis vestræ gratanter suscepimus, in quibus dulcem bonorum mixturam signauimus, & in verbis lepidam elegantiam, & iucundam in sententiis grauitatem. Porro hinc verba legibus accommoda, hinc sacro eloquio familiaria, hinc Poëtis domestica, ex abundantia cordis ad nostram consolationem vestri gratia transfudistis. Sane non nos adeo perturbat familiare incommodum, quam totius Ecclesiæ scandalum generale. Quis enim sine cordis amaritudine, sine lacrymarum fonte, sine suspiriorum crebra replicatione videat magistrum Ecclesiæ Petri, immo Christi vicarium, à veritatis tramite deuiare, & in ore ipsius est, & non inueniatur? Si percussus fuerit incantor, quis medebitur ei? Iam iudex ille cui sæpè dicitur, *oculi tui videant æquitatem*, terram ingreditur duabus viis, & claudicat in duas partes, & quæ semel de labiis suis processerint, non dubitat irritare. Quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt plorem nõ interfectos populi mei, sed pastores populi mei, sed principem pastorum? Satius autem reputamus suspensionis onus vt à plerisque dicitur, honoratam sustinere quàm

quàm occaſionem ſcandali & perpetuæ confuſionis ſeminarium Gallicanæ Eccleſiæ ſuſcitare. Verum ne nos ipſos tanquam plangere videamur, de corde non ficto vobis compatimur, vobis condolentes vobis cõgaudemus, quoniam inter Syllam & Charybdim neceſſariò nauigantes quoquomodo ad portum ſe gaudêt perueniſſe. Nobis ſanè gratiſſimum eſſe noueritis, vt non ſolum in loco illo ſecretiori, verum etiam in Eccleſia Cathedrali vices Pontificis veſtra ſi placet paternitas exequatur: illud ad vltimum volumus habere vos præ oculis, quòd prælati noſtri non aurũ pedibus ſuis ſubiiciunt, ſed ſuo capiti ſuperponunt.

*Magiſtro Bertero Cameracenſi Archidiacono.*

## EPIST. CXV.

SI vera ſunt quæ dicuntur, abſenti detrahis, innocẽtem accuſas, Epiſcopum nouum eundemque veterem amicum ſine cauſa laceras, reprehendis, condemnas. Dicis me, vt cætera taceam, pontificali Cathedræ neſcire conformare. Doce me obſecro, quæ ſit illa cathedralis forma, quam depingis, vt ei, ſi non inſormis fuerit, me conformem. Ciuitatem raro egredior, regulares horas cum aliis, quantum licet, frequento. Secundum gratiam mihi collatam verbum Dei parrochianis meis annuncio: contra nouam hæreſim, cæteraque monſtra idgenus, pro poſſe meo declamans, tanquam ad beſtias depugno: ſacramẽta quæ gratis accepi, gratis impartior. Prauitatem Simonis, Giezi lepram modis omnibus abhorreo, deteſtor, anathematizo. Manus meas & ſi non ab omni munere, ab illicito ſemper excutio. Venientibus ad me in confeſſione conſilium, in pœnitentia remedium, in tribulatione ſolatium, quantũ Dominus permittit, exhibeo. Horis vacuis & à foro feriatis, in loco ad hæc idoneo ſacræ ſcripturæ intẽdo, legens & ruminans quæ poſt lectionẽ decoquo, & ad memoriæ cellulãrtancio. Honeſtis hoſpitibus libenter occurro, liberaliter accurro. In mẽſa nec ſolitarius eſſe volo, in qua faciliꝰ eſt vt ſuperfluitatẽ accuſet natura, quàm curioſitas eſuriem. Hiſtrionibus & ſcurris patrimonium Chriſti non diſpergo. Hæc exterius. Occultorum autem cognitor eſt, ſcrutans corda & renes Deus, qui actibus noſtris exhibiturus eſt ſe verum iudicem, vindicemque ſeuerum. Rogo ſi hæc ad cathedralem formam pertinent non irrideas. In aliis quæ deſunt potens eſt Deus augere mihi gratiam ſuam, & qui dedit initium, pro beneplacito ſuo daturus eſt incrementum. Si diligeres ſincerius, deberes & monuiſſe ſecretius, & ſuaſiſſe ſuauius, & ſecurius increpaſſe. Nunc autem dilectionis abiecta verecundia, poſuiſti amicum quaſi ſignũ ad ſagittam, diffamans eum in omni loco, in omni aure, & furno, vt aiunt, & molendino, ſpectaculum ſuis, ridiculum alienis. Parce obſecro verecundiæ meæ, parce honeſtati tuæ, parce vtriuſque famæ, vt ſi contigerit nos aliquando inuicem videre & videri, fauorabilius alter alterum vel notabilem condemnet, vel excuſabilem commendet.

*Magiſtro Bertero Cameracenſi Archidiacono.*

## EPIST. CCXVI.

COnſiderans abyſſum concepti debiti, & voraces improbi fœnoris morſus exhorrens, facta collectione binorum redituum non ſufficientium ſolutioni, timore concutior & terrore, ne, quod abſit, obliuioſi noſtri præcipitem ſequar exitum, & relicta ſyndone nudus aufugiam. Rurſus attendens gratuitam benignitatem Domini mei, & beneficiorum ipſius circa me copioſos aggeres ſuſpiciens, leuiorem habeo ſarcinam, quæ importabilis videbatur: paratus ob hoc, ſi neceſſe fuerit, peregrinari, fugere, mendicare. Temperabit hæc omnia per gratiam Dei lignum in aqua miſſum, & Heliſei farina colochintidas ollæ faciet mitiores, quoniam in manu Domini mei Remenſis commendo ne-
A gotium meum, vt qui liberauit me de fornace ferrea, conſulat mihi damnato ad fodienda metalla. Nunc deinde, intelligere cœpi, quoniam abyſſus negotiorum inuocat abyſſum impenſarum, abyſſus expenſarum inuocat abyſſum rapinarum, abyſſus rapinarum inuocat abyſſum infernalium pœnarum. Si diligens calculator ſaturabilium præſciuiſſet puteí Rom. aut quinto coniunxiſſet quartum, aut quarto præpoſuiſſet quintum.

*Hu. Decano, & P. Cantori Pariſienſibus.*

## EPIST. CCXVII.

FAutores iuris, & æquitatis amatores, in Eccleſiã
B Dei eſſe vos & Deus nouit, & homines non ignorãt. Si quod aliud de vobis æſtimauerit, in communẽ peccat opinionem; ſocius eorum factus quibus voluntariè peccantibus non relinquitur hoſtia: In huius ſpei fiducia gaudemus ſuper negotio fratris noſtri pro Eccleſia de Neſ. tales ac tantos promeruiſſe iudices, quos nec aſtutia fallat, nec peruertat malitia, nec cupiditas inquinet. Cõſtat omnibus de facto, ius eſt in expedito. Narrationẽ plenam & planã continet Apoſt. pagina, tamen, vt qui ſedent ſedeant, & ſummi pontificis exequantur mãdatum; pro viſceribus noſtris dicto fratre noſtro ſupplicamus vobis, vt qui in fide & veritate experti ſumus donatores obliquos, in iuſtitia & æquitate nunc tandẽ executores ſtabiles operiamur, & rectos. Securus & confidens tam de iuſtitia ſua, quàm de beniuolentia ve-
C ſtra accedit ad vos prædictus S. Deus autem meus faciat vos ei placabiles, & remittat eum ad nos cum fructuoſo reditu, non cum gemitu luctuoſo. Suſcipite veterem, non inueteratum amicum veſtrum, in precibus ſuis iuſtis, & qui præſentem dilexiſtis, non abiiciatis abſentem.

## EPIST. CCXVIII.

ECcleſia beatæ Genouefæ Pariſienſis ſpecialis filia veſtra, beatorum Dionyſij & Germani ſoror germana, contriti cordis, & humiliati ſpiritus ſacrificium vobis offert. & lachrymæ eius in maxillis eius. Contra libertatem & dignitatem ipſius, quam à ſancta Romana Eccleſia matre ſua, priſcis temporibus obtinuit, nouus Pariſienſis Epiſcopus noua prætentat argumenta
D confiare, grauationes ſcropuloſas intexere, in capite & in membris ſub ſpecie prælationis iuriſdictionem, quã nec oportet, nec licet vſurpare. Propter hæc & alia grauamina multa quæ ſuſtinere nec poteſt, nec debet, deuotus filius veſter eiuſdẽ Eccl Abbas, accedit & procidit ad pedes veſtros, vt priuilegia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ beatæ virgini à deceſſoribus veſtris indulta & conceſſa, & à tantis authoribus vallata & munita, firmiter obſeruari faciatis, ne præualeat homo aduerſus diuinam & Apoſtolicam ſedem, nec per inſolentiam aduerſus filios veſtros gaudeat inimicus. Tres ſpirituales filias veſtras circa & prope Pariſ. vrbem ſacro Trinitatis numero connexas, ſcilicet Eccleſiam S. Dionyſij, S. Germani, Sanctæ Genouefæ, ſuper quas inuocatur ſpiritualiter
E nomen veſtrum, dolentes vident & inuident aduerſarij noſtri, & triplicem funiculũ fraternæ charitatis noſtræ non facile rumpi poſſe ſcientes, conantur imminuere, lædere, conculcare, incruſtare. Suſcipite, Pater, filium veſtrum, & exaudite preces eius ſuſcipite & fouete viſcera noſtra, in eo qui de vobis ex priſtina ſocietate ſcolari & notitia ſpiritualiter confidit: ne ſi forte, quod abſit, aliquam à vobis paſſus fuerit repulſam, dicatur ab inuidis cum cachinno & riſu, *Ecce quomodo amabat eum.* Iuſtum eſt quod poſtulat, tanquam qui pro patria pugnat, pro libertate decertat.

*Domino Remensi pro Decano Tornacensi.*

## EPIST. CCXIX.

RVri habitans inter Faunos ficarios, Panesque syluanos, sepultis paulisper sacramentalibus officiis interdum procidens ad pedes Domini Iesu, peccata mea flebiliter plango, interdum reuolans ad caput eius, beneficia recolo fideliter & retracto. In medio non est locus remedio, quoniam si domesticas sollicitudines attendam, reddunt me confusum, si negligam, desolatum! Interim timens obrui lapidibus increpationis vestræ, si precibus importunis pro alio bestialiter fusis montem celsitudinis vestræ tetigero, verecunda tamen præsumptionis audacia, pro Decano Ecclesiæ nostræ innocente & simplici viro supplico, quem ad sacerdotii gradum commonendo, vt aiunt, & comminando, in arcu supradicto, qui sacris parietibus cohæret, quidam nostrum versiculos depinxerunt, ne transeuntes sordibus inquinent honestum locum, quorum aliquos vobis transmisimus, ne sine risu aut iocoso ludicro claudatur Epistola.

*Sordide qui sentis ventrem contendere ventis,*
*Longius absiste quoniam sacer est locus iste:*
*Cui stomachus turget, quem fœtidus Eolus vrget,*
*Non hic se purget, quia non sine verbere surget,*
*Hac via quà graderis, quicumque domum reuereris,*
*Illicitos tactus, & turpes deuotet actus.*
*Sub fundamentis templi transire memento,*
*Sic sine tormento, ne rumpas carbasa vento.*

*Ioanni Abbati S. Genouefæ Parisiensis.*

## EPIST. CCXX.

INter alia diuinæ gratiæ beneficia nobis à Deo concessa plurimum gloriamur in Domino, quia promotionis tuæ, frater charissime, cooperatores extitimus & ministri, & in recessu nostro talem nobis reliquisse meruimus successorem. Hilarem de te & de fratribus nostris famam frequenter audiuimus succrescere & augeri, referentibus eis qui ad nos transeunt, quia & persona tua sit vtilis Ecclesiæ, & Ecclesia tuæ sit coaptabilis personæ. Gratanter amplectimur hanc pacem, gratulanter ambimus hanc concordiam socialem, commendamus honestatem tuam, laudamus sobrietatem & parsimoniam, approbamus & in exterioribus prudentiam, & in interioribus disciplinam. Et quoniam te nobiscum gaudere volumus, sicut & nos tibi ac fratribus nostris in prosperis congaudemus, rogamus, & exhortamur in Domino, vt in vigilia sanctæ Pentecostes copiam tui nobis Tornaci facias, quoniam, Deo volente, sequenti à festo tertia feria proposuimus dedicare capellam nostram nouam, non minus gloriosam materia quàm gratiosam formâ. Delectabiliter occurrent tibi & aliis tecum intuentibus pari decore & æmulatione sancta contendentes in singulis fenestris vitreis, Euurcius & Genouefa. Duplicare decet nos tecum paraclysim nostram, tum ex solemnitate & gustu Spiritus sancti, tum ex iocunditate & fructu ædificioli nostri. Desideramus te in huius theatri spectaculo habere & sollicitudinis participem, & gaudiorum consortem. Vale, veni, & vide.

*Vuillermo Remensi Archiepiscopo pro quibusdam falsariis.*

## EPIST. CCXXI.

AD vestrum consilium, Pater, in dubiis, ad auxilium recurrimus in aduersis. In primo tertium, in secundo quartum sacri septenarii spiritum postulamus. De mandato vestro falsarios quosdam cautela & arte, non potentia ad confitendum induximus, promissa impunitate, quantum nobis licebit vni eorum, qui adulterinæ bullæ superiorem & inferiorem molam nobis in capitulo restituit. Terribili adiuratione & deuotatione confessus est sese nûquam ea vsum fuisse, sed cuiusdam presbyteri, qui falsas litteras vendebat, socius erat, &

A partem infausti pretii quandóque recipiebat. Volumen etiam pugillare nobis reddidit, in quo plures litteræ sub Apostolico nomine continentur. Presbyter ille beneficium habet à Capitulo annexum seruitio maioris altaris. Quis sit & qualis sit, qualiter etiam se excusare possit, lator præsentium dicere vobis potest. Seruamus vobis incudes adulterinas, quarum adulteria & authoritatis vestræ condemnentur iudicio, & malleo confringantur.

*Abbati de Laude pro quodam Conuerso.*

## EPIST. CCXXI.

COmmendanda est paterna seueritas, quę materno temperatur affectu, & post verbera porrigit vbera: quæ cùm irata fuerit, misericordiæ recordatur. Lu-
B dus est animæ non minus vtilis quàm honestus, cum in Theatro virtutũ sub Angelorum spectaculo duas ipsius potentias, concupiscentiam & iram, media ratio sic recto dirigit cursu, vt nec ira feruescat in immensum, nec desiderium longiùs à pietate recedat. Hæc attendentes, sanctam religionem vestram rogamus, vt fratri Vuillermo, quem vobis & Ecclesiæ vestræ credimus vtilem, paternæ mansuetudinis aperiatis sinum, & ..... ..... in virga spiritum lenitatis nolite extinguere. Paratus est ab iis qui vobis superflua, cessare, declinare ..... ......... promissa sectari, vobis obedire vt Patri, dum tamen in sacro Collegio vestrò liceat ei vobiscum morari, vobiscum mori. Suscipite preces nostras, ne repulsam patiamur in hac petitiuncula nostra, qui vobis semper parati sumus & offerre obsequium, & reueren-
C tiam deferre.

*Desunt hic aliquot Epistolæ, itemque initium sequentis.*

## EPIST. CCXXII.

PRæsumendum, nisi quod primo de sua, secundo sollicitus sit de subditorum salute. Inter curiæ curas, & iocosas post laborem sodalium confabulationes, sic te volo esse medium, vt nec illæ graui onere te deprimant, nec istæ molli ocio te dissoluant. Qui scholaribus amabilis eras, curialibus admirabilis esto. Curiales non à cruore dixerim, sed à curia, nisi nonnumquam nugæ pro seriis, seria pro nugis habentur, nisi raro quispiam vult habere parem, superiorem nunquam. Memento illius distichi, quod poetico potiùs quàm prophetico,
D sed tamen veridico spiritu in recessu tuo Bononiensi dictum est tibi à quodam.

*Pontificum causas Regumque negotia tractas*
*Qui tibi diuitias deliciasque parant.*

Saluta mihi Dominum tuum Episcopum, legatum, cãcellarium, & frequenter admone, vt sub hac promotione trina seruum sese Trinitatis agnoscat, & sic præesse discat hominibus, vt Creatori suo confiteatur subesse. Diligo eum quia diligit te, quamuis propter te diligendum & hilaritas famæ prædicet, & sublimitas vitæ commendet.

*Abbati & Capitulo Cister. pro G. Clerico.*

## EPIST. CCXXIII.

E IN eis quæ honestè petuntur, & turpiter retinentur, iuuanda est inuentio postulantis. Inspecta autem & cognita origine contractus, qui inter Ecclesiam de Claromar & G. Insulen clericum nostrum intercessit, non videtur nobis incurrere crimen vsurarum, cùm etiam inter Ecclesias & honestas personas, sicut sæpè vidimus non fuerit vsurarius. Accedit magis ad emptionem & venditionem tamquam qui iactum retis emerit, quàm ad contagium fœneraticii lucri. quod nos vobiscum pariter detestamur. Proinde sanctam paternitatem vestram rogamus, vt in hac parte prouideatis indemnitati clerici nostri, & tam sacri collegii virorum verecundiæ parcatis ne in hoc facto magis de cupiditate possit argui, quam de charitate laudari.

Abbati

*Abbati & Capitulo de Sylua communes orationes in Domino.*

## EPIST. CCXXIV.

ACcessit ad nos iuuenis quidam ex parte vestra expeditus sermone, & eruditus scientiâ, magister A. rogans ardenti commonitorio precum, vt beato Geraldo confessori & patrono vestro, qui nuper ab Ecclesia Romana in numero sanctorum canonizatus est, aliquos labiorum nostrorum vitulos offeramus, quibus & tanti viri prædicemus gloriam, & ipsius gratiam mereamur. Rem nouam & insolitam nobis iniungitis, quâ si fortè aggressi fuerimus, & legenti erit fastidium, & ridiculum audienti, Senem delirum arguent, Episcopum clamabunt fatuum, qui omissis interim sacramentis Ecclesiasticis, & debita parrochianorum suorum cura, nouis modulis optando verba incomposita, videbitur insanire. Quandoque lusimus metro, forsitan & prosa: nec lusisse pudet, sed non incidere ludum. Verum quoniam charitas omnia vincit, sepositis interim negotiosis occupationibus, aliis simile studium suscitare curabimus, & Deo volente vestris orationibus & prædicti confessoris precibus adiuti, stylo balbutienti tentabimus implere quod petistis. Rideat qui voluerit. Excusabit nos conscientia bona, & fides nos ficta.

*Odoni Parisiensi Episcopo.* EPIST. CCXXV.

COnfidentiam nobis præstat interpellandi beneuolentiam vestram, & nobilitas generis vestri, ac honestas, vel authoritas dignitatis. Fauorem hominum & gratiam Dei conciliant in vobis tria hæc. His tribus compellimur & à vobis quod decet petere, & quod nobis expedit de prudentia vestra & iustitia vestra confidentes, prius voluimus nominare. Assignata die & loco apud Duacum conuenimus, nobiscum adducentes loco arbitri, Cameracensem Decanum. Doluimus de absentia vestra, sperantes in Domino, quia si præsens fuissetis, aut consecuti fuissemus iustitiam nostram, aut cum aduersariis compositionem & pacem. Et quoniam negotium dilatum est vsque ad sextam feriam post Cineres, rogamus vos sicut patrem, Dominum, & amicum, quanto possumus affectu, & annisu, pro amore Dei, & pace inter Ecclesias reformanda, ea die gratam nobis exhibeatis præsentiam vestram apud Duacum, quoniam si præsens fueritis, confidimus in Domino, quod authoritate vestra terminabitur negotium nostrum.

*Eurodeo Abbati & conuentui S. Bauonis.*

## EPIST. CCXXVI.

FAuorabilis est petitio eius, ad promotionem conueniunt hinc petitoris meritum, hinc iustitia petitorum. Hæc attendentes in latore præsentium amico & familiari nostro G. cuius propter honestatem & mansuetudinem quibus præeminet non solum apud nos, sed & in locis publicis & Ecclesiis ex magnificis operibus & insignibus artificiis merita vigent & in perpetuum sui memoriam derelinquunt. Eius fauorem desiderij ab ipso nobis expositi effectuosè suscepimus, vt illud ad effectum perduci cum ipso pariter peroptemus. Exemplo monitus Patriarchæ filium quondam suum super vnum montium quem monstrauit ei Dominus, Ecclesiam sæculi, vestram sanctam præconcordem voluntatem & spiritum, & sanctarum gratiarum abundantiam, verè montem coagulatum & pinguem, desiderat immolari, vt eidem accrescat meritum ex mutatione tanti exempli, & vniuersitas nostra tam ipsius, quàm prædicti filij in quotidiano seruitio fructum colligat holocausti. Audiuimus & probauimus eum tam ex litterarum scientia, quæ eius ætati competit, quàm ex legendi gratia, & cantandi, satis aptum & diuinis officiis, & monachalibus disciplinis pronum. Sanctitatem vestram affectuosè rogamus, vt pro amore Dei, & nostro intuitu, & dilectionis ac deuotionis quam prædictus magister G. ergà vos habet, post fatum filium suum recipiatis in consortium suum, vt tam nos quàm ipse ex admissis precibus vestris, & eius voto completo, in gratiarum actione nos pariter assurgamus.

*Petro Aurelianensi Episcopo.* EPIST. CCXXVII.

QVorundam Monachorum nos infestat improbitas, quibus cum incessanter sufficere debeant sua, irreuerenter inuadere cupiunt aliena. Hi sunt Abbas & Monachi sancti Bertini, qui vnam Ecclesiam de mensa nostra propriam longo tempore captiuitate laïcalis seruitutis detentam & oppressam sine consensu nostro & Ecclesiæ nostræ nobis semper contradicentibus sese asserunt redemisse, & authoritate sua garriunt suam esse. Mota super hæc à nobis aduersus eos quæstione compromisimus in arbitros centum marcharũ, pœna interposita, si quis resilire tentauerit à receptis. Præripuerunt nobis saltu perambulo personam vestram eligentes in arbitrum, quam & nos de prudentia vestra confidentes, prius voluimus nominare. Assignata die & loco apud Duacum conuenimus, nobiscum adducentes loco arbitri Cameracensem Decanum. Doluimus de absentia vestra, sperantes in Domino, quia si præsens fuissetis, aut consecuti fuissemus iustitiam nostram, aut cum aduersariis compositionem & pacem. Et quoniam negotium dilatum est vsque ad sextam feriam post Cineres, rogamus vos sicut Patrem, Dominum & Amicum, quanto possumus affectu, & annisu, vt pro amore Dei & pace inter Ecclesias reformanda; ea die gratam nobis exhibeatis præsentiam vestram apud Duacum, quoniam si præsens fueritis confidimus in Domino, quod authoritate vestra terminabitur negotium nostrum.

*Arnulpho Decano suo Brugensi.*

## EPIST. CCXXVIII.

IMportuni sumus in petendo, sed importabiles esse nolumus in exigendo. Vehiculum ad te mittimus, quod forsitan à quadro, d mutato in r, propter numerum rotarum quartum appellamus. Bigam autem seu birotum mittere noluimus, quia fortassis aut oneri non sufficeret, aut in paludibus cliuosis declinando in alteram partem sese cum sarcina inuersaret. Nam quod de triga tibi iocando diximus, scias quia sicut trigam abominamur in vehiculo, ita etiam abhorremus in opere & in verbo. Volumus autem vt per præsentium latorem mittas nobis caseos nostros, vel partem numero maiorem, & quod de cibo Emmanuel Abbas de Etot, debet nobis. Interim halletia siue gratuita siue emptitia diligenter nobis præparari facias & siccari. Ita vt tempore ieiuniorum non auferant esurientibus appetitum comedendi, & sitientibus non inferant irritamentum bibendi.

## EPIST. CCXXIX.

QVorundam Monachorum nos infestat improbitas, quibus cùm incessanter sufficere debeant sua, irreuerenter inuadere cupiunt aliena: Hi sunt Abbas & Monachi Sancti Bertini, qui vnam Ecclesiam de mensa nostra propriam longo tempore captiuitate laïcalis seruitutis detentam & oppressam sine consensu nostro & Ecclesię nostræ, nobis semper contradicentibus, sese asserunt redemisse, & authoritate sua garriunt suam esse: Mota super hoc à nobis aduersus eos quæstione compromisimus in arbitros, centum marcharum pœna interposita; si quis resilire tentauerit à receptis. Præripuerunt nobis saltu perambulo personam vestram eligentes in arbitrum, quam & nos de prudentia vestra & iustitia vestra confidentes, prius voluimus nominare, &c.

*Arnulpho Decano Brugensi.* EPIST. CCXXX.

SIcut nuper tibi mandauimus, si importuni sumus io petendo, non erimus importabiles in exigendo. Comperenter computabimus tecum, vt si grauamen incurras, nec gratiam nostram admittas. Io proximo est tecum dierum anditas, vigilia naralis Domioi, fena festa protomartyris, sabbatum Ioannis piscatotis, quibus quia terra negabit nobis pecora campi, & act volocres cœli, mendicare compellimur pisces maris. Inde est quod consuetam beneuolentiam tuam rogamus, vt de proptio vestro & pisces oobis emas, & summanum condicas mihi in vigilia natalis Domini, vt pro prandio cœnam possimus ducere, & in festo beati Stephani, & beati Ioannis, de reliquiis, ne dicamur xij. cophinos, saltem xij. catinos implere. Festina, ne tardauens, vt & festinus reuertatur nuocius noster, & natalis cœnam festiuam nobis faciat, noo iofestam. Postulamus nobis diuinæ laudationis Hymnos componi, Autiphooas videlicet & Responsoria, vt io diebus festis eius Domini, & Dominum oostrum io sancto soo prædicare mirabilem, eiusdemque sancti merita solemnioribus magnificare præconiis, atque in suis laodibus nos, & qui eius præsidio specialiter gaudeor, conuenientiùs atque deuotiùs possimus merito delectari. Nostræ verò humilitati à vestra benigoitate petimus indulgeri, ne istod nobis imputetur præsumptioni, qood tam piè & humiliter postulatur, veniam implorantes, quod ocium vestrum sanctum inquietare præsomimus, & sollicitare seosum multa cogitantem.

*Archidiacono Burdegalensi.* EPIST. CCXXXI.

VEnerabilis Abbas Syluæ maioris, aodito qood eum essem Parisios io scholis coostitutus, quando me affabilitate vestra & notitia digoum iudicastis, has supplicationes ad maiestatem vestram impetrauit. Licet autem præsumptuosum, immo ridiculosum videatur, si seruus Domino, Dauus Oedipo, puer elementatius viro sapienti loqui aodeat, postulata tum, atque vtinam impetrata, geniculatiter venia, in pudore & tremore factus sicot motus & non aperieos os suum, in penna & scedula vestræ balbutiens supplico maiestati. Sanè beatus Geraldus de partibus Gallicanis trahens originem, coius vita [illegible] am hominibus laudabilis floruit & speciosa: preciota mors, quæ in conspectu Domini signis attestantibus radiat, & miraculosa refulget, qui ad partes Burdigalenses accedens, monasterium Syluæ maioris & à primo lapide fundauit, & regularibus disciplioix reformauit: hoc anno à Domino Papa Romæ debita Missarum solemoitate autenticatus, & io catalogo Sanctorum meruit ascribi: Qualiter autem, per Dei gratiam io prædicto Mooasterio super communes regulas Mooachorum ordo vigeat, & feruear, præconio famæ fideliùs & efficaciùs, quam styli officio, vestra magnitudo poterit edoceri. Verùm, quia oleum effusum est oomen vestrum, & taleorum scientiæ vestrę abscoodi ooo potest, immò tanquam luminare maius per totum corpus Ecclesiæ diffunditur, & in odore laborum & sermonom vestrorom senes cum iunioribus currunt, postulat Abbas prædam Monasterij, & totius conuentus, proclamat pedibus vestris effusa tota diœcesis Burdegalansis, secundum gratiam eius quæ data est vobis in antiphoois super psalmos, & io responsoriis super lectiones, & in prosa & collecta ad Missam officiari, vt præter suffragia Ecclesiæ quæ vobis perpetuò debebantur, memoria vestra perpetua vigeat & viuat benedictione. Quamuis autem in publica commoda videantur peccare, qui manus vestras tot actionibus implicitas, aures tot debitas & obligatas negotiis auocare contendunt: Incuruamini tamen, pie Pater, sumpto atramento & calamo in laudibus & canticis beati Geraldi, & in obsequium illius modicum tempus iodulgete, vt si quid maculæ in sæcularibus carminibus quan-
A doque lodendo contraxistis, nuoc opportunitate vobis oblata, laborum vestrorum oomino & beato Geraldo offerentes deuotius emendetis. Beoè valeat semper & vbique reuerenda paternitas vestra.

*Domino Tornacensi, Abbas de Sylua maiori, & totius conuentus.*

EPIST. CCXXXII.

IGnitum eloquium vestrum, Domine, vehementer, cùm serui vestri, quorum inflammauit corda, diligunt illud. Auditui quippe nostro dedit gaudium, & lætitiam affereotibus illud nuper seruis .......

*Hæc desunt nonnulla.*

B

*Abbas & conuentus Syluæ Maioris Domino Tornacen.*

EPIST. CCXXXIII.

AD enarrandam gratiam & misericordiam vestram super nos, qoàm sit, inquam, magna dulcedinis vestræ, Domine, qoam reuelastis paruulis vestris, & perfecistis eam sperantibos in vobis, quaoiasque debeamus ei gratiarum actiones, lingua soccumbit, & ratio, & ad tantam muoificeotiam vestram obstupescit alta coosideratio nostra: quæ tamen non licet taceri, etiam si nequeant explicari. Gratias igitur agentes vestræ dignationi, per quam meruimus suscipere quæcumque in laudes & præconia sancti Geraldi petierat à vobis, & de-
C siderauerat anima oostra, composita verbis potentibus, & ad Deum deuote precandum decentissimè compositis, atque ad vestiendas seoteotias facilè occurrentibus, exultamus non immeritò lætitia inenarrabili in tanta materia gaudiorum, reficimur & delectamur in Domino, super dulcibus linguæ vestræ modulis & præconiorum rubilis, vbi tam cito fuit sermo sapientiæ io tam breui temporis spatio, & Deus ipse tam cito Magister, & tam lingua quam manus & grana mittens promissa, factæ sunt calamus scribæ velociter scribeotis. Quæ res, quæ magnificeotia, quæ magnitudo dignationis oos effecit seruos vestros, & constituit perpetuos per omnia deuotissimos, supplicaturos ampliùs pro vobis immensam clementiam. Omnipotentis, vt vobis retribuat hæc omoia io retributione iustorum, quibus in generali Ca-
D pitulo coocessimus fraternitatem plenariam Monasterij nostri, quia aliud oon possumus dignum, coostituentes vos participes omnium beneficiorum Ecclesiæ nostræ tam in vita quàm io morte, quibus omnipotens Deus bonam & loogæuam concedat vitam ad salutem & honorem Ecclesiæ suæ, io qua vos coofirmauit columnam permaximam. Mittimus autem vestræ charissimæ paternitati, in signum deuotionis, & pignoris perpetoæ seruitutis, munusculum iodignum dignitate vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cipressinom, attendeotes non quantum, sed ex quaoto proferatur, præsumentes de illius exemplo, qui plus respexit ad Abel quam ad munera eius. Quod si ne aliquo scrupuloso respectu recipere poteritis oblatom, ad exemplom illius sancti viri, cuios sanctitatis
E fama celebris habetur in vitis Patrum, qui pellem ignotæ bestiæ recipere non recusauit à bestia quam ei pro munere obtulit, sicot melius nostis, de veneratione sua, pro illuminatione catulorum suorum. Nomen verò vestrum, quod quidem prohibuistis fieri, attollere decreuimus & prædicare per omnia iuxta illud Euaogelicum. *Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, dicentes: Benè omnia fecit.* Indignum namqoe censemus tanto verborum cultui authoritatem deesse, & authentica recitare tanquam apocrypha, quę plus fauoris debent obtinere, ad quod vos specialiter legimus, de nomine auctoris: vobis enim secretum hoc seruabitur quantum ad conscieotiam, intus quãtum ad Deum; foris

fotia verò publicum erit ad famã quo ad proximum. Benè valeat semper in omnibus vestra sancta & nobis charissima paternitas in longitudinem dierum, A

## EPIST. CCXXXIIII.

SOnuit in auribus nostris iocundus sermo, & omni acceptione dignus, verbum breue magnam nobis infudit lætitiam. Decanus electus est in Episcopum. Duodecim cellæ sunt, Apostolico clauduntur numero, sacerdotem nostrum computandum significant inter Apostolicos sacerdotes. Gaudeat Aurel. Ecclesia, quam personarum penuria non coëgit vt ab aliis Ecclesiis emendicatum mutuaret Antistitem. Quem nutriuerat à puero, quem produxerat in viam perfectam, quem disciplinis erudierat Ecclesiasticis, assumpsit sibi sufficiens in gremio proprio, & capiti suo superponens, de filio fecit patrem, non ignorum moribus, non alienum prouincia, non degenerem natalibus, & iustas ex B pertum sollicitudines & iniustæ dissolutionis expertem. Reuera non militauit alienis stipendiis dignus, vt in Ecclesia illa præesse debeat, in qua consueuerat illi prodesse. Gaudeat & electus ipse, cui congaudeamus & nos, & gaudium nostrum nemo tollat à nobis, vel Inuidia murmurans, vel malitiâ persequens, vel detractione mordens. Annexum est onus honori, sicut graue laboribus, sic & grauidum sacramentis. Intelligat Dominus & amicus noster quod dicimus: dabit enim ei Dominus in omnibus intellectum. Commendabilem protestamur Episcopum temporibus nostris, qui & ab illicito contractu sese seruauerit alienum. Augeat vobis Deus gratiam suam, & attollat virtutibus quem extulit dignitate. Interim Pater optime, beatum decessorem vestrum sanctum Euurcium, & ipsius Ecclesiam felix successor, honorate, diligite, & colite; frequenter cogitantes quia vnde assumptus estis ad Cathedram, illic assumendus eritis in sepulchro. Munusculum vobis mittimus de remotis partibus nobis missum baculum pastoralem Cypressinum, officio vestro & qualitate mysterij congruum & quantitate ministerij condignum.

## EPIST. CCXXXV.

DIu languens inter morientem si quid medium est mortuum, Tornacensis Ecclesia sancti Martini, tamquam ad vnicum refugium pauperum sinum vestrum recurrit, vt ei in desolatione sua & apetiatis paterna viscera, & materna vbera porrigatis. Diu plorans plorauit in morte, & adhuc lachrymæ eius in maxillis eius. Caput eius languidum, & cor eius mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in ea sanitas. Monasterium illud & exteriùs est redundans ignominia, & interius vacuum disciplinâ. Qui præsidet magis timet subditos quam à subditis timeatur. Eos & desidioso souet otio, & pernicioso corrumpit exemplo. Nihil in eo virtute solidum, nihil honestate conspicuum, nihil eius ab inguine tutum. Sæpenumerò corripui eum, nec correxi, quoniam insanabilis est plaga eius. Iurauit in manu mea se parere mandato Domini Attrebatensis; & nostro. Mandatum Dominus Attrebatensis expressit, ille nec paruit, pejerauit, & facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Per falsas lineras Tornacii fabricatas, quarum copiam vobis misimus, ministerio Abbatis† Aquicinti, se fecit absolui, cum falsitatem litterarum illarum puer elementarius intelligere potuisset. Timens sibi per quendam monachum iuuenem ignominiosæ famæ, quem præpositum monasterij fecerat, appellauit, & sub obtentu huius appellationis omnia dissipat & peruertit. Moueant vos Pater, lacrymosa suspiria tam enormiter ancillæ monasterij, & à prædicto monstro gregem Monachorum pauperum liberate.



## EPIST. CCXXXVI.

SErio loquimur qui quandoque vobiscum iocosè loqui solemus. Ecclesia Sancti Martini Tornacensis, & exteriùs redundat ignominiâ, & interiùs indiget disciplinâ. Oppressa est debitis, compressa delictis. Abbas vltra quàm credi possit, sæculariter viuit, omnia vastat, omnia dissipat, timet subditos, & à subditis non timetur. Sæpè corripui eum, nec correxi, quoniam insanabilis est plaga eius. Timens amoueri mouet tumultum cum quibusdam iuuenibus fratribus suis. Seniores & saniores contrarij sunt operibus eius. Appellatum est hinc indè, & meipsum inuoluit in appellatione sua, quasi ad curiam me tracturus. Rogo vos sicut charissimum, vt pro amore Dei & zelo iustitiæ scribatis nobiscum pro Monachis contra monstrum nulla virtute redemptum, in quo nihil est solidum, nihil ordinatũ, & vt dicitur, nihil eius ab inguine tutum.

*Ludouico Domini Philippi Secundi Regis Francorum filio.*

## EPIST. CCXXXVII.

ILlustri & charissimo Domino suo, & si audeamus dicere, de sancto fonte suscepto filiolo, Domini regis primogenito Stephanus suus diuina permissione Tornacensis Ecclesiæ humilis minister, salutem & incrementum sapientiæ, ætatis & gratiæ apud Deum & apud homines. Gratanter & lætè suscepimus literas vestras, per quas significastis nobis voluntatem vestram de palefrido vobis mittendo idoneo & honesto. Placet nobis quod mandastis, & Deo volente mittemus vobis in proximo per proprium nuncium vestrum talem qui vobis placere debeat, & secundum moderna tem-
C pora tanto sessore dignus existat. Conterat Dominus Sathanam sub pedibus vestris, quo nomine intelligimus aduersarios Domini nostri Regis, & vestros. Domine mi charissime rogamus, monemus, consulimus in fide quam debemus vobis, vt per omnia post dilectionem Dei & Domini Regis nostri patris, intendatis litteris discendis, quia vobis & regno vestro vtiles erunt & necessariæ in consiliis palatij, & negotiis regni, & concordiâ pacis, & in victoria belli.

## EPIST. CCXXXVIII.

ACcessit ouis ad captam sibi postulans commodati expao. cap. matrem gregis lanigeri. vnde villosis velleribus abundaret. Apologus est lippis & tonsoribus patens.
D Poteritis eius velamento insufficientiam nostram vestris consolationibus vel suspendere, vel differre. Et quoniam in proximo, Deo volente, desideratam faciem vestram speramus videre, in colloquio ad quod vos & nos Dominus noster Remensis nuntiauit apud sanctum Quintinum, si placet quæstiones & responsiones multas interim differamus† impliciter. Est negotium de quo quæsistis pleniùs exponendum. Vt autem seria claudamus ioco, neque quæstiones mouendæ, neque aliqua negotia tractanda sunt, nec Ecclesiæ diuidendæ sunt vsque ad mensem Augusti, quando omnia consummabuntur, & consummentur, secundum quod quidam Hugo qui à mortuis resurrexisse dicitur, apud vos prophetat, sicut baiulus litte-
E rarum vestrarum nobis mirabiliter & terribiliter nunciauit.

*Hugoni Aurelianensi Episcopo & toti eius capitulo,*

## EPIST. CCXXXIX.

SPecialis filia sanctæ sedis Ecclesia sancti Euurcij, & antiqua & approbata consuetudine meruit hactenus per vos decessoresque vestros, & temporalibus foueri beneficiis, & spiritualibus refici sacramentis. Tenetur & ipsa vobis tanquam in quadam spiritali ratione dati & accepti, & infirmantibus exhibere solatium,

& decedentibus præstare sepulchrum. Rependite vices
ternæ consolationis infirmanti, quoniam fortissimus
est languor eius, & inualuit morbus eius vsque ad de-
sperationem & exitum, nunc festino consilio vestro
& auxio sibleuetur. Vestra est Ecclesia, vobis mo-
rietur & viuet, vestra interest, eius consilijs interes-
se, caput eius languidum, cor eius mærens, mem-
bra stupida & infirma potius ad defectum quàm ad
profectum consueta, regularem disciplinam impru-
denter abijciunt, impudenter contemnunt. Inter eos
senes excluduntur & exulant, iuuenes dominantur &
impetant, indocti magistri vsurpant substantiam, &
oleum Ecclesiæ, quibus dispensatio credita est, inutili-
ter infundunt, & hominibus potius quàm Deo placere
contendentes, venalem maiorum gratiam ambitiosis
sumptibus acquirunt. Tolerabile illud esset, si regula-
rem obseruantiam professionis & ordinis sui † condi-
rent, si grauitatem morum, maturitatem operum, ho-
nestatem personarum, sicut decet sanctos, in sacrificio
Dei consecrarent & offerrent. Nunc autem & famæ
suæ prodigi, & de conscientia non securi, intus & fo-
ris, nec Dominum videntur timere, nèc homines re-
uereri. Non de omnibus dico, nouit Dominus quos
elegit, merita singulorum probant opera eorum. Oc-
currere patet tantis malis, & totis viribus corripire in-
quietos, comprimite superbos, restringite dissolutos.
Tibi Pater Hugo, coniuncto pastoris officio sollicitudo
hæc & labor incumbit, preces affectuosas in suspirio &
singultu fundo, vt assumas zelum Mathathiæ & Phi-
nees, & abiecto fauore humanæ contradictionis & in-
obedientiæ filios ad obseruantiam ordinis sui velint no-
lint, compellas. A te enim requiretur, vt euellas, &
destruas, & ædifices, & plantes: argue, increpa, cum
omni imperio: non moueant te ea quæ excæcant ocu-
los prudentum, ne confidant in corruptela pecuniæ cor-
ruptores ordinis & amatores sui ipsius, carnis curam in
desiderijs facientes. Visita sepulchrum paterni tui & in
collegio illo tibi commisso tenta putridas carnes vrere
correctionis cauterio, quas sanare non potueris exhor-
tationis fomento. Rogo vos, vt litteras, quas frat. H.
neg. mitto, Abbati & capitulo suo exhibere faciatis per
duos de Canonicis vestris, ne forte aliqui eas sepeliant,
aut supprimant, vt ab aliis indui possint.

*B. Abbati Beati Euurcij & toti eius Capitulo.*

## EPIST. CCXL.

DVo mihi fateor esse credebam solatia, memoriam
Genouefæ virginis, & B. Euurcij confessoris, quo-
A rum alterno delectabar spectaculo, & incitabar exem-
plo. Iucundis cogitationum gradibus deambulabam,
& in virginis monte, & in confessoris planitie, cùm in
vtroque occurreret mihi sacrum collegium, genus de-
lectabile, casta generatio cum charitate, terribilis vt
castrorum acies ordinata. Nunc autem famosus & la-
tronibus impulsus, quasi fracto pede, altero lumine ef-
fosso claudicans, & cæcutiens à vineis Engaddi retrahor
ad montem coagulatum & pinguem, vbi quies tran-
quilla & tranquillitas est quieta. Væ mihi in extremis
diebus meis, cùm audiam turbari in vobis viscera mea,
æmulari inuicem, rixari, consurgere ad oppressiones, fu-
B gere veritatem spiritus & vinculum pacis! Quis enim
non doleat inter vos exulare senes, regnare iuuenculos,
elementarios vsurpare doctrinam, molles disciplinam?
Penè dixerim quod per Prophetam dicitur, *Et erunt per-
uersi principes eorũ, & effrenati dominabuntur eis.* Tua est
culpa, hæc sunt Abba, qui cum Heli sacerdote filios
tuos indisciplinatos aut corripere non audeas, aut corri-
gere nescis, aut negligas emendare. Nomen tuum, quod
interpretatur filius tonitrui, non sonat inter eos, sed aut
eneruat blandiendo, aut palpando emollit, aut consen-
tiendo corrumpit. Memento illud Salomonis, *filia
tua frater noli faciem tuã hilarem ostendere, adeas accingere
gladio tuo super femur tuum potentissime*, vt timeant te, nõ
C contemnant, quos exemplo tuo ducere debueras & do-
cere. O gloriosa enim & religiosa Ecclesia Beati Euur-
cij, quæ à tanto culmine decidisti! cedros nutrieras, &
nunc vsque ad carduos redacta es. Væ gremio tuo, as-
sumpserunt sancti Patres & Pastores Ambrosius Bituri-
censis, Satyrus † Lancienf. Bartholomeus Nouiomens.
& vt minus sapiens dicã, Genouefa Parisiensis verè di-
cere possint, væ. Abba, super domo tibi commissa, quia
*per agrum hominis transiui pigri, & ecce totum repleuerunt
spina & vrtica.* Vtere consilio meliorum, & maiorum,
ne sequaris vestigia Roboam, remotis à familiaritate
tua, quorum contubernio & fama nominis tui, & Ec-
D clesiæ dignitas vulneratur. Ego etiam qui ad huc noui-
cius & frater existens, Ecclesiæ minister, alienus esse
debeo à consiliis vestris, moneo, consulo & exhor-
tor, vt taliter ordines domum tuam, & de scabello no-
uo assumas magistros ordinis, quos non deceat sede-
re cum senioribus & magistris. Illud vobis quoque
ignominiosum est, quod vitia vestra modum excreue-
runt in immensum, cum vos non excuset manifesta cau-
sa, sed potiùs accuset fertilitas copiosa frugum.

*Finis Epistolarum Stephani Tornacensis.*

# BARLAAMI DE SEMINARIA

## EPISCOPI GYRACENSIS, EPISTOLÆ AD GRÆCOS.

## DE VNIONE CVM ROMANA ECCLESIA, ET PROCESSIONE S. SPIRITVS.

Nunc primum in lucem editæ.

*Ex codice Manuscripto Bibliothecae Bauaricae Serenißimi Principis, &c. MAXIMILIANI.*

---

### De Barlaamo harum Epistolarum Auctore.

*DIV quæsiuimus, quisnam Barlaam iste fuerit, quando vixerit, & cuius ciuitatis Episcopatum administrarit, licet enim & in Codice Bauarico nominetur Episcopus* Gyracensis, *à qua tamē vrbe appellatio hæc desumpta esset, nobis minimè liquebat. Confugimus tandem more nostro, ad clarissimum dignitate iuxta ac eruditione MARCVM VELSERVM II. Virum* Augustanum, *ad quem ex Italia hæc perscripta sunt, & quidem petita ex elogijs Octauiani Pascha Genuensis, Episcopi Hieracensis, duos fuisse Hieracis Episcopos, Barlaami nomine insignitos,* Alterum Anno *Christi* 1303. *tenuisseque sedem illam annos nouem sub Bonifacio octauo, Benedicto vndecimo & Clemente quinto, Secundum* Anno *Christi* 1342. *creatum à Clemente sexto, rexisse Ecclesiam illam annos octo, patria Neapolitanum, ex Peloponeso. addytur & hoc, prioris Barlaami patriam ab Octauiano non annotari; quod fortè reperiri non potuerit. Vter auctor harum Epistolarum, &* Ethices, *quam Epistolis subiungimus? Equidem non dubito, priori illi has lucubrationes tanquam parenti adscribendas esse; vel ea de caussa, quod singulæ Epistolæ scriptæ sunt ad amicos in Græcia, & Peloponeso: quorum salutem & cum Romana Ecclesia concordiam toto pectore expetebat.*

Sed si Barlaamus ex Peloponeso est, *inquit Velserus*, vnde cognomen Seminariæ adhæsit? Añ suspicabimur de Semineria dictum, quod mansio ante Episcopatum Seminaria aliquandiu fuerit? neque enim id absurdum videatur. *Forsan & hoc dici posses, natum esse in Peloponeso parentibus ex Italia oriundis, quibus à* Seminaria *cognomentum fuerit. Notum enim est integras Italorum familias nō raro sedem suam in Græciam transtulisse; cuius multæ vrbes imo & Prouinciæ Italorum imperio parebant. Caeterum Cod. Bauaricus nominat Episcopum* Gyracensem. *Corrige,* Hieracensem. *De tempore, quo floruit, ipse satis certus index est in prima Epistola. Omnia in priorem Barlaamum vtcunque conueniunt. Mortuus est enim Basilius Macedo* Anno *Domini* 886. *inde vsque ad annū* 1342. *paulò plures sunt, quàm quadringenti anni. Sed quid mirum, si Barlaamus Chronologiam acu non tetigerit. Et quamuis quispiam Epistolas has ad primum Barlaamum referre nollet, tamen tempora ad amussim non concordabunt. Nam ab obitu Basilij vsque ad annum Domini* 1303. *plures etiam sunt quam quadringenti anni.*

*Porro quod ad ipsas* Epistolas *attinet, pereruditae prorsus sunt, dignaeque lectu, & de Romani Pontificis potestate & auctoritate, deque* Azymis *& processione sancti spiritus egregiè disserunt. Si minus cultè, quid tum? Ignoscendum est homini Graecae fortasse quàm Latinae linguae peritiori: Potest Barlaamus noster in Peloponeso natus vti defensione S. Irenaei, qui haec pro se in praefatione sui operis.* Non artem requires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerunque auocamur, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptoris, quam non affectauimus, neque ornamentum verborum, neque suadelam, quam nescimus; sed simpliciter, & verè & idioticè ea, quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cùm dilectione percipies, & ipse augeas ea penes te, vt magis idoneus quàm nos, quasi semen & initia accipiens à nobis: & in altitudine sensus tui in multum fructificabis ea, quæ in paucis à nobis dicta sunt, & potenter asseres iis, qui tecum sunt ea, quæ inualidè à nobis relata sunt. *Haec S. Irenaeus pro se & Barlaamo.*

# EPISTOLAE DOMINI BARLAAMI EPISCOPI GYRACENSIS.

## DE VNIONE ROMANÆ ECCLESIÆ, ET PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI.

### *Epistola prima D. BARLAAMI Episcopi ad amicos suos in GRÆCIA constitutos, de vnione sacro sancta Ecclesia.*

QVIA, ô amici & fratres, nihil est propter quod magis nos communiter contestari oportet, quam propter hanc diuisionem Ecclesiæ, & pro quo magis Deum deprecari, quàm vt ipsi finem imponens, fines orbis sibi coniungat: sermone ad hæc persuadenda minimè mihi iudigere videtur. Nullum enim eorum qui mentem habent, æstimo, non ita de his sapere. Quoniam verò, & à Deo huius mali solutionem postulare oportet, & ea, quæ ex nobis sunt conferre; Lex enim hæc est diuinæ prouidentiæ, nullum eorum bonorum, quæ in nobis sunt, perfici posse, nisi concurrat simul cum diuino beneplacito, etiam nostræ electiuæ voluntatis assensus: necessarium est omnes quidem mentis indagatione, huius schismatis causas, & prima principia inquirere; & virum solius communis inimici malitiæ, hoc est, malum, an etiam ambæ diuisæ partes culpandæ sunt, an altera tantùm in causa est: singulum verò credentem, se huius mali causam inuenisse, non pigere suā partem ad curationem conferre, dictando, disputando, consulendo, impellendo, & pro vt vnusquisque adeptus est, ordinem vel facultatem. Si enim & communiter pro hoc Deum orabimus, & singulariter quilibet, quod ex se est, conferre studebit: spes non parua erit, horum malorum liberationis.

Ego itaque quemadmodum facta hæc examinando, quam schismatis causam inueni, & ad quam perueni conclusionem, communicare vobis amicabili modo, quoniam cuilibet ad verba venire nequeo, nulla pigritia recusabo. Deprecans vnumquemque vestrum, vt propter commune bonum, & communiter expediens; non pigeat eum, si potest, idipsum facere. Et mihi sic volenti spiritualis gratiæ, vtilitatis, rem communicare.

Itaque si schismate mox inchoato, quæ ex tunc subsequuta sunt, accidentia vtrique parti; quæcunque diuini beneplaciti, & quæcunque permissionis Dei, & indignationis manifestissimæ esse videntur; consilia viderem, vel parùm dissonantia: certè aut ambas partes differentiæ huius caussatem æqualiter, aut neutram. Nunc autem cùm maxima sit accidentium differentia; cogor vnam partem innocentem dimittens, ad alteram tantùm, totam culpam transferre.

Duabus enim existentibus partibus: vna quæ sub Ecclesia Romana constituta est: altera verò, quæ ab illa diuisa est: quatuor maxima signa Dei beneplaciti, in illis possunt videri, penè voce magna clamantia, illi Ecclesiæ Deum acquiescere: opposita verò illis, æqualia numero diuinæ permissionis & indignationis, & quasi vltionis euidentissima signa existentia, in reliqua parte videntur.

Et vt à minimo quatuor exordiar. Primùm vniuersa illa gens legibus, quibus etiam tenuissima accidentium hominum communitati distincta sunt, regitur & administratur. Nihil indeterminatum apud eos est. Nihil in A ordinatum; sed qualiter oportet se gerere, & dominantes inter se, & cum suo principio, & cum his, qui tantummodo subditi sunt, atque commune principium cum omnibus inferioribus, in quolibet accidentium; & ipsos subditos inter se, & cum maioribus; & quid à quolibet exigendum est, quomodo delicta punienda sunt, & benefacta præmianda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia & quæcumque alia, hominum inter se societatem & communitatem in pace maximè conseruare valent, legibus apud singulos membratim instituta & custodita sunt. Ex qua legum æquitate, etiam secundum Deum velle viuere, & Euangelica seruare mandata, facilius à pluribus fit.

Hic autem totum contrarium. Et ne singula dicam, B Lex est in singulis, potentiorum licentia & voluntas. Vt enim quilibet dominantium, ad prudentiam se habet & bonitatem: ita & facta subditorum contingunt. Ex quo, quot aduersa subsequuntur, non tantùm Rempublicam subuertentia, & ciuilem vitam lædentia, verum etiam Euangelicam, quid opus est apud scientes recitare? Vnum quidem hoc tale est.

Secundum verò, quod & maius, quòd in illis quidem Euangelica doctrina vbique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus diuinus sermo prædicatur: non solum, quòd quàm plurimi omnia secunda reputant erga sacrā scripturam studij & meditationis & disciplinæ; sed quod & vbique multitudinibus per ciuitates, villas, oppida & castella, & in sacris templis, & vbicumque inueniuntur simul multi aggregati, & præsertim festiuis diebus, qui C sciunt diuina eloquia, prędicant congruenter, audientiū habitui & loquelæ, aperientes eis per totum annum & historiale, & narratiuū, & sentētiale, & morale diuinæ scripturæ veteris pariter & nouæ. Et quis erat ante incarnationem Domini, hominum status, quæ verò huius sacramenta, & quid boni ex ea nobis effectum est? Quæ præcepta & quæ consilia: & cum his sanctorum vitas in natalitiis, & si quod alterū ad pietatē & virtutē spectat, & ad nostram salutem: ita quod illorum illiterati, mares simul & fœminæ, nihil minùs ab his, qui in litteris studēt, habent: certè in his, quæ in promptu sunt, & ad salutem necessaria, nostræ religionis & fidei; sed verbo studiosis in superfluis, non in necessarijs à reliquis differunt. Ex quo cōtingit vt gens illa moribus, vt plurimum, sit simplex & aperta, veritatis amica, fraudis inimica, constans, in suis iudiciis stabilis, in conuentis inter se fidelis, non vertibilis & facilè mutabilis, ad periurium tardissima, & fide, quæ in Christum est firmissima & feruentissima. Et pro hac etiam ipsam vitam, si hoc opus fuerit, pendere paratissima. Hic autē quid? studiosi quidem discendi nimis pauci sunt. Horū adhuc pauciores, qui sacrā scripturam pluris faciunt, plurimis paganorum scientiis, libentius operam dantibus. Turba verò illiterata, omnis in communi propositæ salutaris sermonis doctrinæ, inexpers remanet. Quare pro vno qui sciat substantialiora secūdum nos pietatis: multa millia reperiri possunt, eorum, qui penitus ignorant Christianismi virtutē. Ex quo

contingit

contiogit contrario more illis hanc gentem affectam esse.

Tertium autem post hæc, nihilò minus prædictis, illud considero. quòd cum diuina prouidentia, nihil eorum, quæ secundum beneplacitum illius in vniuerso efficiuntur, inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducatur ad vnum principium. Pluralitas enim principiorum & carentia principij, similis sunt inordinationis. Huius quidem gentis, vniuersa multitudo sub vno est ordinata principio, Ecclesia videlicet Romana & eius præsule, quem omnes honorant & metuunt: non tanquam armis & vi dominantem, nec tãquam humana lege vel generis successione, vel multitudinis rumore dominium sumentem; sed tãquam ab ipso Domino Christo ordinatum, & in terris vices gerere ab eo constitutum. Itaque illius mandata, cum omni reuerentia, omnes non tanquam Apostolica tantùm, verum etiam Dominica scripta recipiunt & adorant: & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quietè parati sint ad implendum, & omnes ab illo corrigi sua, & retractari suscipiunt, omniumque Sacerdotium ab eo dependet. Et ipse cum circa se synodo, cum grandi authoritate & potestate, nullo prohibituro existente; corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, statuit, inhibet; mittit ad vniuersas partes Doctores, visitaturos singulas prouincias, & eos qui in eis animabus præsunt, & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quomodo sacra tractant mysteria; quomodo se gerunt cum grege Domini, quomodo secundum se viuunt: vt horum relatione facta, & quod deficit, ab illa Sede suppleatur, & quod peccatur, corrigatur. Et horum quodlibet facillimè fit. Nemo enim est, qui non putet Ecclesiæ illi aduersari, periculum inferre animæ saluti. Ita quidem facta illorum ordinata sunt.

In altera vero parte, non singularitas principij; sed pluralitas principiorum, & carentia principij honorata est. Quinque enim existentibus patriarchis, Bulgarensi connumerato, & adhuc Triballensi Archiepiscopo: sub quibus penè omnes huius partis sunt: nullus horum sex, vel de iure, vel de facto talis est, vt reliqui quinque, ipsum, vt suum caput habere velint, & ab ipso & eius synodo corrigi, & retractari patiantur: & ad omnia eius iussa ita obedientes sint, vt tanquam diuinas voces, illius recipiant mandata: & periculum salutis credant, illum resistendo offendere. Et quid dico de aliis? sed neque quicunque, sub quolibet sunt horum sex, ita deuotè se habent ad suum caput, vt metu non corporalis damni; sed animæ perditionis illius mandata velint implere.

Pontificatus verò cuiuslibet, quomodo Bulgarensis, dependet à principe illius gentis. Et Triballensis similiter à suo principe. Antiocheni verò Patriarchæ, Armeniorum Rex dominatur. Hierosolymitani autem & Alexandrini, Ægyptiorum impiissimus princeps. Nullus enim horum pontificatum recipit, non probante & decernente & consentiente suo sæculari principe. Magis autem, vt plurimum, & omnibus, ad quæ spectat electio, voluntate renuentibus, & cum principe discordantibus: necessarium est finaliter, eum, quem vult princeps, pontificem effici.

Itaque, cùm sit impossibile, longi temporis progressu, praua consuetudine paulatim multa protrahente; non multa contingere, quæ desiderent generalem correctionem, generaliterque aliquid corrigi sine generali concilio difficillimum sit; hæc quidem pars posse communem aggregare synodum, principalioribus eius partibus, ad vnum conuenientibus, penitus amisit: cùm non sit videlicet in ea caput tale, quod posset necessitate alios compellere, conuenire. Latinis verò neque hoc difficile est. De Tertio quidem hæc dicta sint.

Venio autem ad Quartum, quod & stupesco considerans. Cùm enim Dominus noster Iesus Christus prædixisset afflictionem habituros suos fideles, & odium ab omnibus & persecutionem passuros: Christianorum genus ex tunc, vsque ad imperium Constantini Magni, affligebatur quidem vt plurimum, & odio habebatur, & persequutionem patiebatur. Sed quod erat maximũ miraculum: ipsi qui odio & persecutionibus affligebantur, de ipsis affligentibus & persequentibus & odientibus multiplicabantur: ipsis affligentibus continuè sese ad afflictos conuertentibus. Nam etsi aliqui, metu tormentorum recedebant à fide; sed tamen è conuerso multò plures ad fidem omnibus sententiis conuertebantur.

Præsentia verò quomodo? quam miserabilissimè. Vt enim antiquiora omittam, ex quo factæ vnioni sub primo Palæologorum, acquiescere huius partis noluerũt: innumerabiles ex ea multitudines ad detestabilissimam Mahometicam sectam conuersæ sunt: non solum his qui teneræ ætatis erant, necessitate ad captiuantium & ementium superstitionem conuersis: verum etiam perfectioris ætatis per animi mollitiem fidem aspernatis. Quamuis si affligeretur hæc gens & non minueretur: sed per mortem, & non ad impietatem se conuertendo: posset vtique hoc paternæ castigationis esse putari. Tot verò multitudines permitti, ita subito ad captiuantium impietatem mutari: hoc non paternæ disciplinæ, sed omnimodæ desertionis manifestissimũ signum est.

Facta verò Latinorum è contrario ex tunc non modicum creuerunt: non solùm quod Armenii relictis paternis erroribus illis se addiderunt, & alij Orientalium gentium, qui per horum prædicationem similiter his semper consentiunt: sed & copiosissimæ in Occidente ciuitates Mahometicæ sectæ, per Regem Hispaniæ captæ sunt: ex quibus non paruæ multitudines, fide in Christum suscepta, Latinæ additæ sunt. Et Græcorum adhuc non pauca millia ad illos adducta, illorum fidem spontè receperunt: vt etiam & hi, qui ad Persas conuersi sunt.

Hæc igitur ego in me ipso vertens animo, minimè credere valeo, hos ab illis, rationabili aliqua causa diuisos esse; tanquam illis in aliqua hæresi & mala fide existentibus. Si enim pars illa Christianorum, quæ concorditer ad constitutum Dei decreto ab initio totius Ecclesiæ principium ordinata est, quæ legibus regitur & Euangelico sermone, & multitudine semper crescit, hæc quidem est in hæresi: Quæ verò pars ab hac iustè diuisa est, per omnia sana est: hæc neque legibus viuit, neque ad vnum ordinata est principium, & semper secundum multitudines, ad alienissimam Dei gentem cõuertitur, & in ipsa prorsus, quantum ad illiteratos, Euangelicus extinctus est sermo: deseruit ergo Deus omnimodè Christianismum, sed nullo pacto hoc fieri potest. Verax enim est promissio dicentis, *nobiscum fore vsque ad consummationem sæculi: & portas inferni minimè præualituras aduersus Ecclesiam esse; Et Petri fidẽ nunquam deficere:* quod etiam de omnibus Petri successoribus in consequentibus temporibus, intelligi dignum est dominica oratione. Siquidem oportet credere magnum aliquid esse, quod ea ea effectum est.

Ex his igitur & huiusmodi rationibus, non possum æstimare, quod Latinis in hæresi non existentibus; rationabiliter hi illorum deuitant communionẽ. Si enim hoc esset, iusta itaque diuina prouidentia existente, oportet prædicta quatuor, vel principaliora eorum è conuerso contingere. Et cum caput totius Ecclesiæ ab initio constitutum cecidisset, oporteret vtique Dominum, alterum caput suscitare sanæ parti Ecclesiæ: ne sine capite & inusitatum, & deordinatum & deforme magnum & mysticum corpus Christi remaneret; sed venio ad specialiora.

Hæc gens, propter duo, vt iradicatur, Latinos accusãs, æstimat oportere ab eis se diuidi. Vnum & principalius, quod aiunt, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum, quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam.

*incolligere licet quo tempore vixerit Barlaam* *† i. hostia* *† massam*

Ego autem tempora examinans, video quòd schisma quidem nondum quadringentorum est annorum. Sub Basilio enim Macedone, & Fotino† Patriarcha, vt aiunt, incepit; à quibus nondum prædictorum annorum numerus est completus. Ecclesia verò Romana ante inchoatum schisma, pluribus quàm septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam† ? *eletam*. Alexander enim Romanus Pontifex, qui sub Adriano glorioso Martyrio vitam finiuit, hostiam de azymo Ecclesiæ Romanæ statuit. Post quem non paucos Romanos Pontifices, Deus virtute & martyrio, & miraculis glorificauit: vt etiam vtræque partes in sanctis eos connumerarent. Similiter Spiritum sanctum ex Patre Filioq; tanquam ex vno principio procedere, videtur Ecclesia Romana tenere, ante inchoatú schisma, pluribus quàm quadringentis annis. Beati enim illi viri, diuinus Augustinus, Ambrosius Mediolanensis, & Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodosij Magni; ex quo præterierunt vsque nunc plures quàm octingenti anni; quos Latinorum Ecclesia doctores & regulas, pietatis duces habuit. Hi diuinam aperientes scripturam, multis locis suorum operum manifestè notant, quod Spiritus sanctus ex Patre, Filioque, tanquam ex vno principio procedit.

At verò Romanus Pontifex Beatus Gregorius, qui dicitur fuisse sub Iustiniano, ante schisma, plusibus quàm trecentis annis, superiores suos & ipse sequens, eandem de Spiritu sancto tradit sententiam. Quare si rationabile esset, propter has causas à Latinis diuidi: oporteret vtique ab initio hoc facere; & neque sanctos hoc sapientes & azyma immolantes putare, neque communia concilia cum eis patefacere. Nunc autem post vnà cum eis celebrata septem concilia generalia, & multos azyma sacrificantes, & prædictam de Spiritu sancto sententiam in suis scriptis manifestè prædicátes, sanctos & ab ipsis Græcis reputatos, propter eadem ipsa, post multos annos, velle ab eis diuidi, quomodo non caret omni ratione? quamquam de Spiritu sancto, si soli illius linguæ patres hoc traderent, nolle credere, nondum tantum esset malum.

*† ἀντιῤῥητικοῖς.* *† Nysseno.*

Nunc autem & Græcæ linguæ patribus, idipsum prædicantibus: scilicet Magno Basilio in † Antiteticis, sancto Athanasio, multis locis; sancto Cyrillo, sancto Gregorio † Nyceno; quomodo non absurdum est, eos, qui eadem nunc illis sapiunt hæreticos reputare? Ego quippe non habens huius rei demonstrationem: tanquam existentis super demonstrationem; & videns tantum caeterum Patrum hoc sapientium, atque decreto Dei matrem Ecclesiarum idipsum determinantem; non tutum esse, cognosco aliter sapere. Quamquam si contrarij demonstratio haberetur, & res huius esset perceptiua: neque sic oporteret piam cósiderationem, tantorum patrum, ac Sedis Beati Petri sententiæ humanam demonstrationem anteponere. Multa enim demonstrationibus † dissonantium nostra docet religio.

*† Fortè dissonantiam.*

At verò & de Azymis cum manifestum sit, quòd in sacra scriptura panis nominetur, siue fermentatus sit, siue azymus, & quod serò illius sacræ cœnæ, prima, vt aiunt tres Euangelistæ, azymorum erat: in qua non tantùm comedi panem fermentatum à quoquam Iudæo, non licebat, sed neque omnino in domo Iudæi inueniri. Et quod duo discipuli missi sunt ad præparandum in cœnaculo, legale & assuetum pascha, & quòd, vt aiunt Euangeliorum expositores, omnibus, quæ secundum legem erant, consummatis: Saluator pane accepto, cœlestia tradidit sacramenta; qui panis intelligitur esse ex illo, qui túc propter legale pascha præparatus erat in mensa, & diuino Chrysostomo dicente, in octogesima homilia super Matthæum: nihil cótrarium legi serò illo saluatorem fecisse. Et quòd si esset panis ille fermentatus, manifestè vtique hoc contrarium esset legi. Ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem A azymum, sua tradidisse domiciorum mysteria.

Quoniam rursus Apostoli, eadem nobis tradentes mysteria, non distinxerunt, siue fermentatum, siue azymum; Sed Orientalis Ecclesia, continuò incepit *fermentatum*. Occidentalis verò azymum; eò quòd gerit imaginem puritatis & sinceritatis & veritatis. Vtraque ego quidem similiter adoro & colo. Latinos verò, in tantum prudantiores æstimo, quòd illi quidem minimè hostiam de fermentato vituperant; sed similiter venerantur. Horum autem multi non timent in sancta blasphemantes.

Adhuc autem multi dicunt se scandalizari, quia multa contra Apostolorum canones & septem generalium Conciliorum, vident in Latinorum Ecclesia fieri. Me B autem neque hoc scandalizare valet. Quare? quia primum quidem discurrens & ipse eosdem canones, & ad præsentia respiciens; multa inuenio, & in hac gente cótrario modo, quàm vt canones iubent facta: & plura & maiora, quàm illa quæ aiunt Latinos transgredi. vt non sint secundum hoc ipsi meliores illis.

Deinde & hoc considero, quòd omnium quæ in canonibus comprehenduntur, aliis existentibus dogmaticis, & de quibus oportet credere: aliis verò in actione, quæ agendum, & non distinguunt: & horum rursus aliis dependentibus à Dominico & Euangelico mandato; aliis verò non: quæ singula à studiosis notata sunt; Canonum verò de fide, & quorum est dominicum mandatum, nullum vnquam Ecclesia Romana mutauit, neque potest hoc ostendi. Quos verò mutauit vel reuo C cauit: hi sunt illorum canonum, qui neque de fide sunt, neque à Dominico pendent mandato. Hoc autem nullum est inconueniens. Quæ enim ita se habent, etiam si sint per generale Concilium determinata; sed rebus consequentibus temporibus cadentibus & humanis dispositionibus mutatis, potest Ecclesia ipsa, gratia melioris mutare. Vt multa talia repetiuntur, etiam in ipsis Concilijs posterioribus multa priorum Conciliorum decreta, cum eodem spiritu, vel omninò irritantibus, vel omnino ad melius conuertentibus.

Sed quia illa, quæ huiusmodi sunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt: in quolibet verò non est possibile, vel non est facile generale aggregare Concilium: Sed neq; est quod D libet tantæ difficultatis, vt generali deliberatione indigeat: non oportet turbari, si mater Ecclesiarum, cum sola circa se synodo, quæ huiusmodi sunt, suis temporibus Apostolica authoritate corrigit & mutat vel irritat. Non enim eò quod sit maioris authoritatis, & magis possit generale Concilium, quàm Apostolica Sedes, generalia aggregantur Concilia; sed quia incidentes Quæstiones difficiliores sint, & maiore indigeant discussione.

Ex his igitur omnibus, nouissima mea conclusio est illa; Quod Ecclesia Romana est summè Orthodoxa, & nullam vnquá causam alicui dedit, vt rationabiliter ab ea diuidatur. Et quod qui ei sunt vniti & obedientes, & mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque & quicunque spretis his, quibus placet in schis E mate perseuerare, ad ipsam toto animo accedunt: hoc salubriter de sei, & deliberare, & agere puto.

*Eiusdé Domini Barlaami Episcopi ad eosdem amicos suos Græcos, & de primatu Ecclesiæ Romanæ, & de processione Spiritus Sancti.*

QVod in primo ad vos misso sermone, ô amici & fratres, sine aliqua probatione tanquam manifestum sumptum est: Ecclesiam videlicet Romanam principali Dei voluntate, matrem esse Catholicæ Ecclesiæ: proprio sermone nunc tentabo vobis demonstrare. Deprecans vos, vt sicubi me videritis cogitationibus deceptum; non pigeat vos verbo vel scripto, errantem ad rectam reuocare viam. 11.

Incipiam

Incipiam igitur inde. Deus nullam multitudinem in entibus, dimittit inexpertem virtutis vnius: per quod infinitum multitudinis & indeterminatum, termino & ordine formari valeat; sed semper multis super statuit vnum commune principium, non solùm longinquum, & alterius generis, & multa alia non eiusdem generis comprehendens; sed etiam propinquum, & cum multis eiusdem generis. Et hoc si quis incipiendo à Deo, qui est commune omnium principium, voluerit mente transire; per supercœlestes, & cœlestes & inferiores naturas; & cum his videre veteris testamenti facta, & quæcumque alia prouidentiæ acceptanitis sunt in vniuerso opera: indubitabiliter ita se habere in omnibus inueniet. Et conuenienter. Vt enim ait Theologus in primo de filio Sermone; pluralitas principiorum, & carentia principij, initia sunt inordinationis. Ex hoc autem oritur solutio. Solutio verò omnino est Dei alienum. Quapropter & factus propter nos homo, & duodecim eligens viros; quos sapientia decorans, missurus erat ad nostri generis reconciliationem: his principem & caput superstituit Petrum, primum aliorum eum constituens: per ea, quamuis communiter omnibus data, singulariter ipsi & manifestius tradita. Ligandi enim & absoluendi potestatem, atque pastorale ministerium; quæ & ante resurrectionem & post, per communia, & alia verba omnibus dederat, specialiter & expressius Petro dat, ipsi date pollicens claues regni cœlorum, & super eum Ecclesiam suam firmissimè ædificare, & eius fidem nunquam deficere, & suos ipsum fratres confirmare, & adhuc pascere totam Ecclesiam ter ei præcipiens. Quia enim per hæc, caput ipsum aliorum Apostolorum constituebat Dominus, & hoc intendebat; multa huius argumenta esse possunt.

Primum enim: si nihil differentius ab aliis, per ea Petrus accipiebat; non facilè inuenietur alia causa, ob quam, nihil frustra faciens Sapientia, hæc singulariter Petro loquebatur. Deinde & Euangelistæ & in Euangeliis & in actis, vbicumque commemorant Petrum cum aliis, vel omnibus, vel aliquibus: semper & vbique ipsum aliis præordinant. Quod non vtique obseruantes facerent, nisi scirent eum primum aliorum à Domino constitutum. Inuenio etiam Apostolos, illi, vt suo primatui semper cedentes. In actibus enim, aliis Apostolis pariter cum eo existentibus, ipsum video semper sermonem inchoantem, alios verò sequentes. Deinde & illud considero, quod cum ea quæ sacramenti Incarnationis magis sunt necessaria; sicuti est crux, passio, mors, resurrectio, & per quatuor Euangelistas plenius scribantur: ea verò quæ in tantum non sunt necessaria, ab aliis omittatur, & ab aliis dicatur: Illa per quæ Petri primatus ostenditur: tanquam existentia illorum, quæ magis sunt necessaria, & à quatuor conscripta sunt, tanquam valde necessarium sit, omnes scire, cui Ecclesiæ principatus à Domino creditus est.

At verò & diuinus Dionysius in tertio de diuinis nominibus *verticalem Theologorum summitatem*, Magnum Petrum nominat: & ex tunc vniuersa Ecclesia, addito ipsi diuino Paulo, summos Apostolorum Petrum & Paulum nominat, illum similiter præordinans. Quare vndique manifestum est, ab ipso Domino Christo, ipsum accepisse aliorum principatum. Et hoc valde decéter. Quoniam enim oportebat eum, qui erat propriè & verè aliorum Apostolorum princeps, non semper eis corporaliter adesse; sed secundum corporalem præsentiam relinquere eos: vnum de duodecim vice sua principem aliorum præponit, hominem hominum; vt facta dispensationis, neque in hoc aliis prouidentiæ operibus appretianda sunt. Sed videamus reliqua.

Multi nostrorum doctorum † Pontifices quidem locum obtinere duodecim Apostolorum: Presbyteros verò, septuaginta. Ergo primi Pontificum Apostoli sunt. His adhuc prior quidem primitus, Christus. Secundo verò, & ab omnium primò constitutus, ad habendam principandi rationem ad alios, Beatus Petrus. Quid igitur? oportet ne, pontificale quidem ministerium, non ipsis Apostolis circumscribi; sed etiam successoribus ipsum tradi, vsque ad fines sæculorum, vt semper in mundo sint Pontifices successores eorum; Pontificatus verò primatum in ipsis oportebat finiri, vt quemadmodum in illis factus est aliquis decreto Dei primus, quem alij pro capite suo ducebant; hoc nequaquam ad reliquos transeat, vt alij aliquem vnum suum principem putent; sed omnes per omnia coæquales sint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, vt Póticale quidem ministerium transeat ad successores: principandi vero officium, secundum Pontificatum minimè, cum vtraque similiter essent à Domino ostensa, & similiter multitudini fidelium necessaria existant? Vel quomodo totaliter prouidentiæ opus esset, omnia sapienter administrantis, Apostolis quidem prouidere, vt habeant primatem: quos ita gratia erat perfectura, vt non indigeant in multis ducem hominem habere: post illos verò multitudines fidelium inprincipatas, & inordinatas desetere ferre? Ego enim contrarium credo: iuxo Petrum principem aliorum constitutum fuisse, vt secundum eandem formam semper in Ecclesia ad vnum reducantur omnes principium. Sed quoniam Pontificatum quidem ad multos transire impossibile erat; ideò licet multi in diuersis locis, & orbis partibus Episcopi à Beato Petro creati fuerunt, vt de eo Chronica indicat: & omnes possibile est nominari successores eius, secundum Pontificalem dignitatem; sed tamen secundum vtraque, Pontificatum aio, & primatum solus Beatus Clemens successor eius ab ipso substituitur.

Ipse enim in quadam ad Iacobum Epistola ita narrat: quod Diuinus Petrus ante paucos dies sui corporalis finis, conuocata tota Romana Ecclesia, constituit eum coram omnibus vice sua illis Episcopum, dicens ad illum quidem. Tibi do omnem traditam mihi à Domino potestatem: ad plebem verò, vt in omnibus illi tanquam sibi attendant. Itaque ex tunc aliarum quidem ciuitatum Pontifices, inuenies, nihil vt plurimùm æstimantes oportere curiosius agere, vltra illa quæ ad suam Diœcesem pertinebant. Romanos verò Pontifices à Beato Clemente incipiendo; tanquam totius orbis prælaturam & curam habentes, vniuersaria administrare mox ordientes, ad vniuersas partes † regulares Epistolas mittentes, & quæ vbique peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus statuentes: vt potest hoc sciri, si quis regulares Epistolas Romanorum Pontificum à Beato Clemente vsque ad Sanctum Syluestrum discurrere voluerit: in quibus non pauca inueniet contenta, etiam eorum, quæ nunc Ecclesia Græcorum facit ab illis Pontificibus instituta & originem habentia. Vnde quod in machina vniuersi contingit, quòd quæ longinquius à Deo distant, procliuiora sunt ad peccandum, & minùs determinata & mutabiliora: quæ verò propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata: Idem etiam in Ecclesia profectò contingit. Plurimæ enim & deterrimæ hæreses in partibus magis à Romana distantibus ortæ sunt: Romæ verò vel prope authores hæresum facti non sunt. Matre enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios enitente, perfectò contingebat propinquiores magis, quàm longinquiores, clarius illuminari: Cùm autem diuina prouidentia, respublica ad Christianos venisset, piorum Imperatorum legislatores, Constantinus & post eum Iustinianus, consequenter superiori traditioni & possessioni legibus & decretis eiusdem Ecclesiæ primatum statuunt, in parte pietatis hoc facientes: manifestè determinantes Romanam Ecclesiam oportere habere rationem ad reliquas omnes; & ipsi conuenire omnium dominari: & omnia retractare; & quæ vbique de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipsam referri, & ibi conuenientem examinationem & definitionem consequi-

† Videtur deesse dicunt, scribūt, vel simile quid.

† Canones decretales.

atque Sardicensis Concilij Canones omnium aliorum A Pontificum sententias iudiciales, si quis ad ipsam appellauerit: ipsam oportere retractare, & confirmare vel irritare similiter statuunt. Et generalis quædam Concilia nouæ Romæ Episcopum honorare volentia, oportere ipsum habere decreuerunt primatum post Episcopum antiquæ Romæ. Et quod omnium maximum est, quod & in canonibus & legibus, nullius Ecclesiæ Sedes Apostolica nominatur, nisi tantum Romanæ. Vnde multi magni viri de Orientali Ecclesia arbitrantes, se iniuriam esse passos, ad Sedem illam refugerunt: Magnus Athanasius, sanctus Maximus; sed neque Beatus Chrysostomus suum ignorauit caput. Passus enim maximas iniurias, ad tunc sanctissimum Papam omnia referet. Qui quantum in se erat manum auxiliatricem dare iniuriam passo, nullo modo neglexit. Sed & Agapetus sanctissimus Papa, cùm aduenisset nouam Romam tem- B pore Iustiniani Imperatoris: quoniam vidit Anthimum Patriarcham, quandam hæresim defendentem: illum quidem deponit de Sede; Menam vero virum Orthodoxum in Patriarcham erexit. Et cùm aliquando quatuor Patriarchæ cum Imperatore aduersus venerabiles imagines impiè gessissent, non paucisque annis huic hæresi perseuerassent, atque ad delendas honorabiles figuras communia quædam Concilia, quæ generalis esse & nominari probabant, celebrassent; & suis decretis Beatum Stephanum se subscribere cogere voluissent: repudiit eos ille sanctus; non ex alio nisi quod non habebant consentientem Romanum Pontificem, dicens; huiusmodi synodum non debere generalem nominari, illo absente: quo sine non licet fieri generale Concilium; & C si fiat, robur non habere. Quanquam Ephesinum Concilium nihil impediuit generale & esse & nominari, neque Antiocheno Patriarcha præsente, neque Constantinopolitano assentiente. Et Chalcedonense similiter Alexandrino Patriarcha non assentiente.

Neque igitur generale Concilium, neque aliud quidquam ad vniuersi vtilitatem, vnquam celebratum est, sine illa Sede. Et ex illa quidem Ecclesia, nulla hæresis superioribus temporibus ortum habuit: nulla verò aliundè ortarum occidit, sine illius prouidentia. Omnibus quidem modis, quibus iustè aliquid possideatur, totius Ecclesiæ illa primatum obtinuit Sedes; scilicet diuina sententia, Apostolorum institutionibus, synodorum canonibus, sanctorum decretis, multitudinis assensu, temporis præscriptione, ab omnibus consensu: & quod om- D nibus superioribus temporibus piè & rebus communibus vtiliter dominium exercuit. Nam etsi aliquis semel illorum Pontificum alicui hæresi assensus est; sed non in longum, aut de longo huius remedium. Statim enim eadem Ecclesia, aduersata ei, illorum oratione, sede simul & vita priuatur. Quid autem si decus ipsum & vtilitatem quæramus? nonnè videbitur decentius esse, & per omnia, vt ita dicatur, vtilius, & Dei erga nos pietate dignius, vt illi generi totius orbis prælatura atque cura credatur; quæ legibus & ciuili doctrina maximè omnium gaudet: quæ omnem infinitatem, & inordinationem, & inæqualitatem, & violentiam, & iniuriam & destructionem de Republica, ab initio consueuit extirpare, quam alteri cuicumque?

Quæ enim alia causa inueniri potest, ob quam tertiam E ante Incarnationem Verbi, quatuor secundum Danielem, magnorum illorum regnorum, soli nouissimo & Romanorum, totius orbis à prouidentia Dei commissus esset; nisi quod Romani humanius & ciuilius, & legalius, & æqualius subditis vtebantur.

Quia vero Romanorum Ecclesiam, principem esse aliarum Ecclesiarum, opus est omnia decorantis & vtiliter disponentis prouidentiæ, certum est ex illo. Si quia enim considerando hominum dispositiones & voluntates, & naturales eorum passiones, quæcumque communiter omnibus accidunt, & quæcumque aliis aliter contingere possunt; atque humanarum rerum, siue illarum quæ in nobis sunt, siue quæ in nobis non sunt, velocem mutationem: & cum his olim ortas hæreses atque temporalis dominij in tot serationem, animo velit videre; quænam terra subsequuta essent; si omnes Ecclesiæ ita prorsus diuisæ essent, vt altera alterius non dominaretur: inueniet, procertò infinities melius esse, & ad decus & ad vtilitatem, alias sub aliis ordinatas esse, postremò omnes sub vna, quàm si aliter se haberent. Ego enim arbitror, quòd cum multis aliis aduersis, quæ possent contingere, illud certissimè contigisset; quòd neque accensæ hæreses extinctæ essent, & aliæ tot hæreses & errores vigerent, vt diuisis ita ab inuicem Ecclesiis; coæquales essent, qualibet videlicet ex multa potestate suam defendente. Quo nihil esset Ecclesiis fœdius, & perniciosius. Ergo si qua nunc est Ecclesia habens & faciens quæcumque oporteret & habere & facere; eam quæ ea Deo esset aliarum dominatura: hæc est quæ diuinitus dominium habet, & cui ritè conuenit dominari, atque alias ei credere.

At verò Ecclesia Romana videtur in integrum & habere & facere, quæcumque oporteret eam quæ ex Deo esset aliarum dominatura, & habere & facere.

Primum enim oporteret dignè omnium dominaturam ex viris collectam esse, qui quantum dominio, tantum sapientia & morum virtute excellerent alios. Hoc verò abundanter illa habet, si quis enim voluerit videre sacrum illum circa Papam Senatum, & eos qui circa illum sunt: inueniet Ecclesiam illam non solum ad vnam, quamque aliarum comparando; sed simul ad multas & multitudine elegantium virorum, & scientiæ specie omni, & morum benignitate & honestate, quàm plurimum aliis præeminentem.

Item oportet benè omnium dominaturam, nullo modo subditam esse temporali dominio. Quoniam enim facta Ecclesiæ correspondent animæ; temporale verò dominium corpori: & est condecentius animam dominari corpori, quàm è conuerso. Congruum vtique est, & conueniens Ecclesiarum dominium, nullo modo subditum esse principum huius mundi dominio.

Etiam vtile, vt neque metu vllius dominij aliquid minus rectum facere vel concedere; neque aliquis contra voluntatem de iure electorum insiliat Sedi. At verò Romana Ecclesia, olim hoc bono ditata est, & ipsa liberata omni mundana tyrannide, & suis membris omnibus eandem impartita est libertatem.

Tertium verò & maximum, oporteret immortalis Ecclesiæ principatum in aliquo incorruptibili suum robur & firmitatē habere, & non corruptibili; ne hoc corrupto res Ecclesiasticæ labantur. Quod vt plurimum Regibus contingit; quibus in pecuniis & exercitibus & virorum consiliis, & humanis legibus, & aliis ciuili virtute suam virtutem habentibus: subditæ eis ciuitates, rebus mutatis, cùm vident & possibile sibi, & sine periculo, & suis rebus expediens, seruitutis iugum excutere, non verentur hoc facere. At vero illa, in quibus firmitas Romanæ Ecclesiæ consistit, cœlo & terra sunt permanentiora. Virtute enim verborum Domini ad Petrum, subditę ei gentes contremiscunt eam & metuunt, & ab ipsa discedere, à Deo discedere esse, virtute illorum verborum omnes putant.

Item si perquiratur, quænam sint congrua opera diuinitus omnium dominantis Ecclesiæ: inueniet eadem ipsa & Romanæ. Oportet enim primo eum diuino omnium dominantem plurimùm esse sollicitam, vt vbique & omnibus & semper Euangelicus prædicetur sermo, vt & si non aliud; sed ea quæ in promptu sunt, & efferri possunt Sacramenti nostræ religionis & salutaria Domini præcepta & consilia, & quid à quolibet exigēdum est: nullus qui magno nomine censetur & diuina luce signatus est ignoret. Item schismaticos, & per Epistolas & per nuncios, niti ad se reuocare, redarguendo, increpando, ammonendo, hortando, vel rogando, afflictis Christianis proposse auxiliari pecunia, si habet, & per se

petentes

petentes adiuuare hortando & iniuriam passos & ad eam refugientes defendere, omnium peccata quoquo modo A corrigere conari.

At hæc omnia, & si quod alterum legaliter principaoti congruit, summè Romana Ecclesia facere videtur. Alia verò urbis Ecclesiarum nulla est, quæ habeat & faciat, quæcunque oporteret, diuinitus dominaturam habere & facere.

Quoniam ergo mouens meas cogitationes, vndique inuenio per omnia melius esse, vt sit aliqua Ecclesia, sub qua aliæ ordinatæ sint, & has perquirens, solam video Romanorum, & habentem & facientem, quæcumque oporteret diuino beneplacito, omnium dominaturam & habere & facere; non possum prouidentiam esse credens, Romanæ Ecclesiæ maiestatem, & sublimitatem fortunæ & casui dare, & non id maximis prouidentiæ B operibus, & solemnissimis, & hoc computare.

Ea his igitur primatum illius Ecclesiæ sufficienter demonstratum esse puto. Venio rursus ad Paracleti processionem.

*De processione Spiritus sancti*

QVoniam multis annis post septem generalia Concilia; vidit eadem Ecclesia, aliquos eorum, qui denuò consueuerant, in hæreses frequentius delabi, asserentes Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, & minimè ex Filio, & sermonibus persuasibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes: propinquiorem verò sibi multitudinem, & ad hæreses semper tardiorem à principio sapientem Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: quid eam quæ semper consueuerat, huiusmodi controuersiis finem congruum imponere, & C vnitatem omnibus monstrare, oportuit facere? silentionem præterire, & ordinem suum deserere? Sed non erat hoc eius. An ad Aristotelicas methodos, & Platonicas diuisiones, & Mathematicas demonstrationes, & cogitationes humanas recurrere, & ea illis quæsuorum veritatem perquirere; sed neque hoc decreuit facere; sciens profectò hanc rem transcendere omnem humanam & mentem, & methodum, & demonstrationem. Quid igitur fecit; ad suos doctores, quos longis sursum temporibus pro sanctis habuit, recurrit, beatos, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, & Gregorium: & horum scripta perscrutata, vidit eos tanquam ex vno ore, multis locis & frequentius Spiritũ sanctum ex Patre & Filio procedere asserentes. Et neque vsque D ad hoc stat. Sed & Orientalis Ecclesiæ Patres perquirit, & videt horum similiter plures & principaliores, id ipsum sapientes: reliquos verò minimè omnium dicentes: præter vnum scilicet Damascenum, qui videtur contrarium dicere. Quamquam non dicit ipse, quod Spiritus sanctus non est ex Filio, sed quia non dicitur ex Filio. Ac si diceret: quod in diuina scriptura non inuenitur verbo dictum, quia ex Filio. At verò videtur & ipse dicere Spiritum sanctum à Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filij Spiritum. Et ad Patrem ita se habere Filium & Spiritum: quemadmodum ad Solem se habent radius & illuminatio? quæ vtraque ex Sole quidem sunt; sed per radium ait illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium te- E nere. Ipsum enim illuminationem, & ex Sole per radium esse dicere: & rursus ex Sole & radio, verum est: quemadmodum & in Trinitate. Quantum enim est communiter author Pater & Filius: hæc & vtroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium, & ex Patre, & ex Filio.

Tantorum itaque Patrum concordiam cùm vidisset, & propter rei magnitudinem adhuc his non contenta, conuocat ad se vniuersos Ecclesiarum prælatos, ad inquisitionem communicandam. Vno itaque verbo his, qui voluerunt interesse simul congregatis, & omnibus post factam rei congruam inquisitionem, ad idem consentientibus denique, Apostolica authoritate, hoc esse quod oportet credi, declarando determinat, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum decernit.

Quæ igitur erit nunc mea excusatio, si noluero quietè obedire. Sed tantorum Patrum & Matris Ecclesiarum sententiæ, de re vincente vires naturalis cogitationis præposuero meam cogitationem? neque illud valens considerare, quod indignum erat penitus diuinæ prouidentiæ, non solùm illam Ecclesiam sublimare, & caput Catholicæ Ecclesiæ à principio facere, quam nouit insanabiliter casuram, & infinitas multitudines secum dimissuram, sed & cum à rectis cecidit dogmatibus, adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare. Eam verò quæ rectè ei à principio restitit, contrarium pati permittere?

Ego verò & aliud cogito, quod portas inferi nunquam aduersus Ecclesiam præualituras esse, cùm sit verissimum, olim portæ inferi aduersus Ecclesiam Dei præualuerunt, siquidem Romana Ecclesia cecidit. Nam si Ecclesia soli quidem huius partis sunt, vt secundum multitudines eos ad se conuertant, nullo penitus existẽte, qui publicè prædicando populum confortaret, in fide perseuerare, & Persæ ita adhuc se habent, vt in primo misso ad vos sermone recitaui, iam aduersus Ecclesiam *portæ inferi* præualuerunt. Sed hoc falso existente, cogor Romanam Ecclesiam Orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse cum sibi subiecta multitudine; *Vnam, sanctam, Catholicam*, & *Apostolicam* ecclesiam; in quam credere iubemur, & aduersus quam *portæ inferi*, neque præualuerunt, neque vnquam Deo, ipsam tanquam nouum Israëlem, regente præualebunt.

*Epistola Alexij Calochetti ad Dominum Barlaamum Episcopum Gyracensem, petens ab eo quorundam librorum Latinorum translationem, propter bonum vnionis.* III.

TVas communiter ad amicos missas Epistolas, cùm vidissemus; ego & nostræ ciuitatis tui amici: horum quibus rectè contradici possit, nihil in eis inuenimus. Ignota verò penitus a nobis multa vidimus. Ais enim in secunda Epistola, signum esse eius, quod Romana Ecclesia à Principio omnium dominabatur: quia Romani Pontifices, à beato Clemente incipiendo, tanquam totius orbis curam gerere debentes; vniuersalia administrare mox ceperunt: ad vniuersos *regulares* Epistolas mittentes, & vbique peccata corrigere nitentes & agendum statuentes. Ex quibus Epistolis, multa eorum quæ nunc etiam in Ecclesia Græcorum fiunt, principium habuerunt.

Nos verò neque has Epistolas vidimus, neque putauimus in Græca lingua ipsas nunc esse. Item ais beatum Ambrosium, Gregorium, & Hieronymum dicere in suis scriptis, Spiritum sanctum & ex Filio procedere: quæ scripta nos similiter non vidimus. Item ais, quod Romana Ecclesia, de eodem ipsa conuocauit vniuersos Ecclesiarum Prælatos, ad communicandam huius inquisitionem: & his qui voluerunt interesse simul aggregatis, & omnibus post conuenientem factam inquisitionem, ad idem consentientibus: ipsa postremò declarat ad ipsum oportere credi, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum ordinari decreuit: In his quasi generale Concilium ais factum esse de proposito; quod nondum vsque nunc audiuimus. Rogamus itaque te communiter omnes, per Deum ipsum, vt siquidem tibi possibile est, & prædictas sanctorum illorum Pontificum Epistolas, & sermones dictorum trium beatorum virorum, in quibus proposita quæstio continetur, & adhuc acta prædictæ communis congregationis, conuertens ad linguam Græcam, transmittas nobis ipsa. Nam si his visis, de quibus dicis, informabimur, benè scito, quod controuersiæ nostræ cum Latinis, ex maxima parte solutæ erunt.

*Epistola sapientissimi & doctissimi Viri Demetrij Thessalonicensis ad eundem Dominum Barlaamum Episcopum Gyratensem: in qua ponens omnia dubia sua de processione Spiritus sancti, petit ab eo doceri, quibus modis adductus sit credere Spiritum S. & ex Filio procedere.*

CVm olim tu, partibus nostris dimissis, ad Occidentem abiisses, ibique de cætero commorari voluisses: nos qui radiis tuæ sapientiæ illustrati, multis ignorantiæ tenebris liberatos nos esse putabamus: rursus tuæ absentiæ tenebris incidentes, tanquam in nocte vitam ducebamus, sicut solis occidentis, & amplius non orituri sperati, priuationem lugentes. Sed nuper fama quadam subitò audita, & vbique circumeunte, & splendidè clamante, te non post multum ad nouam Romam aduenturum, conuersis nos; quis dignè explicabit, quanta lætitia repleti fuimus? Quoniam verò non in longum quidem venientes ad nos de Byzantio, applicuisse te iam illuc pro certo annunciabant: non amplius sobriis hominibus similes esse ex gaudio videbamur: ita furentes erga te amor nos effecit. Verè enim matutina lætitia videbatur, ad vesperam demorato fletui, successisse rursus in Oriente, tanquam splendido Sole relucente, & iucundissimum manè nobis efficiente.

Itaque præparabamus nos quotquot amici tui, quàm velocissimè ad te venire. Sed omnibus ad iter necessariis præparatis, & nobis proponentibus immediatè inde recedere: veniunt quidam rursum illinc recessisse te de ciuitate, & ad nigrum † Pontem abiisse nunciantes. Quo auditu perculsi nos, & ad profundum tristitiæ demersi, vix potuimus nosmet resumere Philosophia mutabilitatem rerum humanarum considerantes, & nosmetipsos consolantes. Verùm dicebant se à te audisse talia, quod omnis necessitas sit confiteri Spiritum sanctum, ex Patre Filioque procedere. Quod qui negant, necessariò sunt hæretici, & schismatici. De his itaque præ omnibus æstimarem ipsum te audire, & tecum de omnibus perquirere: non propter aliquam contentionem, vt aliquis putaret: sed quoniam non est verisimile te, quem differenter nouimus virtutem & veritatem per vitam colentem, & de nulla re, litigiosis verbis gaudentem, neque victoriæ auidum, cuiquam vnquam disputantem irrationabiliter, sic opinando ex solo Patre procedere Spiritum sanctum: conuersum esse ad prædicandum, quod etiam ex Filio: nisi aliqua idonea necessitas ad hoc te impulisset, quæ philosophanti animæ satisfacere posset, vt amplius alio non indigeret. Libenter vellem tuo conuentu à te discere, quidnam fuit illud, quod te ad hoc necessitas perduxit. Quod ego semper plurimi faciens, ad aliquid certum de his, venirem. Et multa à multis audiens, & his, qui ad solum Patrem Spiritum sanctum referunt; & his, qui ad Patrem & Filium: nondum vsque ad hodiernum diem de verbis illorum intelligere valui aliquam necessitatem; qua altera dictarum opinionum stabilisset mihi sufficienter mentis motum. Ergo si quod te ad hoc coëgit, est aliquid eorum quæ scriptura tradi possunt: precor te per amicitiæ custodem, vt quoniam ad verba tibi venire Deus non dedit; hoc mihi per scripturam significare nullo modo neglexeris. Si verò diuinitus tibi ad hoc facta est aliqua occulta illuminatio: primum quidem rogo, vt sanctis pro amicis orationibus, idipsum nobis à Deo petas. Deinde vt etiam per scripturam nos admoneas; quibus exercitiis principale nostrum purgantes, talis illuminationis capaces efficiamur.

† Pontū

Vt igitur magis valeas scire, quomodo nos curare te oporteat; necessarium mihi videtur, & particulariter exponere; quomodo vsque nunc neutrorum, verba potuerint me cogere eis assentiri. Et primum dicendum est de Latinorum opinione.

Quatuor sunt genera argumentorum, per quæ illi A semper conantur suam fortificare conclusionem.

Quorum primum est, quod per substantialem & naturalem Patris & Filij identitatem argumento communem facit. Supponatur enim, tanquam ab omnibus concessum, Patrem & Filium, vnum esse Deum, & vnam substantiam, siue naturam, siue essentiam; ex hoc syllogisticè ad propositum veniunt.

Secundum est, quod ex personali Filij & Spiritus S. differentia, quæsitum inuenire tentant. Aut enim quærentes quomodo possit personaliter Spiritus à Filio distingui: aut duarum emanationum distinctè expressam supponentes; & ordine per media procedentes suam assequuntur conclusionem.

Tertium est quod ex dictis diuinæ scripturæ, idipsum conantur colligere.

B Quartum est, quòd per naturæ nobis insitas notiones, demonstrare propositum putant.

Primi quidem generis argumenta, non cogunt me ad hanc causam. Duos esse modos accepimus, eorum, quæ de Deo prædicantur. Alia enim eorum sunt naturæ & substantiæ, & quasi substantialia: quæ videlicet & diuisim, de qualibet trium personarum prædicantur, & simul de tribus singulariter, vt *Bonum, Sapiens, Omnipotens, Veritas*, & alia. Non enim dicimus Filium, & Spiritum sanctum tres esse sapientes, vel bonos, vel omnipotentes, vel alia: sed tres vnum esse *sapientem*, & *omnipotentem*, & *bonum*, quemadmodum & vnum Deum. Alia verò sunt personalia & significatiua personarum inter se relationis; quæ videlicet nullo modo possunt singulariter de tribus simul prædicari. Non enim tres vnus C est Pater, vel vnus Filius, vel vnus Ingenitus. Talium igitur est, & spirare Spiritum & principium esse huius. Non enim tres personæ vnus spirator est. Quare hoc suppositum esse in sola ingenita persona, non faciet differentiam substantialem eius & Filij, nec corrumpet eorum secundum substantiam identitatem. Nam cùm ingenita persona habeat æqualiter & *generare* & *spirare*, & non magis alterum quam alterum: licet ab altero tanquam à magis noto nominetur, Pater: quemadmodum substantialis identitas eius & Spiritus sancti; non cogit spiritum, vt & ipse generet, sed etiam non generante ipso, saluatur eius secundum substantiam ad ingenitam personam identitas: ita certè substantialis identitas eius Patris & Filij, non coget & Filium spirare Spiritum; sed etiam, ipso D non spirante ipsum, saluabitur vtique eius ad Patrem substantialis identitas. Quapropter nihil magis moueri possum per huiusmodi argumenta.

Sed venio ad secunda, quæ videlicet ex personali differentia Filij ad spiritum faciunt syllogismum. Certum est quod ex re penitus ignota, & neque intelligi, neque dici potente nihil syllogisticè concludi & inueniri potest. At verò præclari nostrorum sanctorum Doctorum testimonio, quamquam personaliter differre Filium à Spiritu confitentes: tamen interdixerunt nobis inuestigare huius differentiæ modum: dicentes, penitus impossibile esse, à quoquam in carne viuentium, huiusmodi differentiam distinctè intelligi & exprimi. Quare quid ex ea concludi possit?

Video rursus nonnullos Latinorum, ita apertè & di- E stinctè exprimentes differentiam, qua differt Spiritus sanctus à Filio, vt etiam per quoscunque homines, si solum quantulacumque ea parte mente vtuntur, possit intelligi. Ergo cùm nihil videatur, propter quod hi fide digniores & maioris authoritatis illis in tantis rebus æstimentur: nequeo magis his quàm illis credens, quæ ex inde concludunt recipere. Et ideo neque per huiusmodi argumenta persuaderi mihi potest.

Eundum igitur sit & ad illa, quæ ex diuina Scriptura argumentantur. Primum quippe de his illud communiter considero, quod si esset impossibile cuilibet propositorum per eos dictorum sensum alium pium & sufficienter se habentem coaptare: ita solum necessarium esset,

esset, quod ipsi ex eis concludunt. Quoniam verò non magis, vt ipsi intelligunt, quàm vt alij, possunt eadem intelligi, neutrorum sermones cogere me valent. Nam hoc ipsum quod Spiritus sanctus, multis locis scripturæ dicitur esse Filij, propter solam quam habet cum eo secundum substantiam vnitatem: quia vna est eorum substantia, virtus, volūtas, sapientia & actus: & propter hæc sola dicitur esse hic eius. Quēadmodum è conuerso Dei Verbum, *gladius* dicitur secundum Apostolum *Spiritus*.

Alius rursus dicat; quia non solum propter quæ tu dicis; verum etiam vt ex hoc intelligamus Spiritum sanctum, & ex ipso Filio procedere: ego cogitans, quod etiam secundum illum sensum tantum sufficienter posset Spiritus sanctus Filij esse, hæsito & non habeo, cui magis assentiar.

Similiter mittitur multis locis scripturæ Spiritus à Filio. Ergo si vnus dicat, quod quemadmodum Filius, propter in carne ad nos manifestationem & aduentum dicitur mitti, etiam à Spiritu sancto: vt in Esaia scriptum est: ita & Spiritus sanctus: quoniam in aliquibus signis nobis manifestatus est, & ad nos venisse temporaliter dicitur: quæ signa significabant quidem solummodo ipsum Spiritum: facta verò erant à tota Trinitate; propter hoc tantum, & non propter aliud, dicitur & à Filio mitti.

Alius item dicat, quòd non solùm propter hoc; sed vt cum his adhuc & illud intelligamus, quia Spiritus & ex Filio procedit: Perpendens ego rursus, quod etiā si non procedat Spiritus & ex Filio; tamen & secundum illum sensum tantum sufficienter vtiq; diceretur ab ipso mitti: eadem similiter detentus sum dubitatione.

Rursus in sacra scriptura, ex Filio accipere dicitur Spiritus, & ab ipso *insufflante* dari. Ergo si vnus dicat, quoniam ipse Dei Filius magna quædam dixerat de Spiritu sancto: quia aduersus eum blasphemia irremissibilis est, & quia ipse omnia docebit, & annunciabit & diriget ad omnem veritatem, & simpliciter charismatum distributionem ipsi attribuerat: vt non æstiment Apostoli vel post eos fideles, maioris dignitatis ac potentiæ esse Spiritum quàm Filium: ideò solum & non propter aliud dixit quod Spiritus sāctus ex eo accipiet, quę annūciabit, & insufflando ipsum dare ostendebat, vt neq; maiorem eo Spiritum putemus, & nos deificantia charismata communia esse Filij & Spiritus sancti credamus.

Alius rursus dicat, quia & propter hoc, & adhuc vt intelligamus, & ex ipso Filio processionē Spiritus: Cogitans ego, quod & secundum illum sensum tantum sufficienter se posset habere scriptura, non video causam ob quam magis Latino credam.

Item Patrem & Filium vnum esse in scriptura scriptum est, & omnia quæ sunt Patris, etiam & Filij esse. Et ex hoc concludunt illi suum dogma. At verò si quis dicat: ô Latini, nihil magis ex his necessarium est Filium principium esse Spiritus: quia etiam ex persona Spiritus sancti dici posset; Ego & Spirator vnum sumus, & omnia quæcumque habet Spirator mea sunt. Sed nihilo magis ex his Pater esset Spiritus sanctus. Ergo si quis hæc dicat, quid magis Latini persuasibilior a dicent? ego enim non perspicio.

Item vbi dicit Apostolus: Dominus Iesus interficiet Antichristum Spiritu oris sui: Illi ipsi Spiritum sanctum dictum esse ibi credentes, id ipsum cōcludunt. At etiam hîc potest dici: quoniā nos nihil ita facilè efficimus, quā illa quæ insufflando solum facimus; volens Apostolus ex nostra translatione ostendere, quàm facillimum est Christo interficere Antichristum, & nullam habens ei difficultatem, Spiritu oris eius dixit apostatam interficiendum, minimè ibi Spiritum sanctum intelligi volēs.

Hæc ergo si quis dixerit, hæsitandum mihi videtur omnino, cui magis concedendum sit.

Item vbi scriptum est, Deum charitatem esse, & charitatem ex Deo: illi charitatem dici Spiritum sanctū accipientes; illam videlicet, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem, concludunt: alia quædam per medium addentes, ex vtroque ipsum procedere: mihi nihilo magis ex his persuadentes. Quare? primū, quia non nimis certum est, vtrum Spiritum sanctum ibi intendebat Beatus Ioannes: nihil enim impedit, & ita exponere dicentem, vbi dictum est. Deus charitas est, ibi de ipso Trino Deo ipsam charitatem prædicari, illo modo, quo ait S. Dionysius: etiam omnium entium nomina posse de Deo secundum caussam prædicari, & maximè nobilissima & diuinissima, sicuti est; *Bonitas, Vita, Pulchritudo, Lex*, & similia. Vbi verò dicitur charitas ex Deo est; ibi ipsum charitatis affectum, quo Deo & nobis inuicē vnimur, ex ipso Trino Deo nobis dici adesse illo modo, quo & omne bonum & honestum ex Deo nobis esse dicimus.

Deinde si quàm maximè ipsum Spiritum sanctum in illis nominat charitatem Apostolus. Vnde patet, vtrum illam charitatem, † ipsum intelligit, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem: sed non magis indifferenti modo, & simili, ipsum charitatem nominauit: sicut etiam Filius vel Pater, vel tota simul Trinitas, charitas nominatur: quemadmodum & alia charismata attribuuntur singulariter Spiritui sancto: quæ nihil minus & toti Trinitati, eodem modo congruunt. Cæterum & Filius sapientia quidem Patris nominatur, sed non ita illa sapiētia est, qua Pater intelligit Spiritum sanctum, & hic Patrem: vt ex hoc concludatur ipsum Filium ex Patre simul & Spiritu sancto generatum esse.

Ego itaque, vt ad te explicem passionem animi mei, multo difficilius habeo ad recipiendum, quod Patre & Filio diligentibus inuicem eorum dilectio constituit alteram personam ipsum Spiritum sanctum; quàm ad recipiendum, quod Spiritus sanctus & ex Filio procedit. De hoc enim eius veritatis cupiditate cogitanti, nullæ mihi suspiciones instant, ne fortè sit verum illud Aristotelis: quanto magis perquiro & cogitatione voluo, tanto incredibilius mihi videtur: nam de diuina scriptura non ita pater, vt animam perseueranter quærentem, ab omni remoueat ambiguitate. Si verò à sacra scriptura, & fide nobis traditis, penitus recedentes ad naturalem rationem recurrere velimus; miror si vnum Deum simplicissimum in tribus perfectis personis, per solam naturalem rationem tanquam aliquid eorum, quę mathematicè demonstrantur, inuenire poterimus.

Age ergo fidei ratione complectentes videamus quæ necessitas sit, vt Patris & Filij charitas, sit illo modo Spiritus sanctus. Itaque si idem simpliciter est Patri generare Filium, & diligere Filium; & generatio ergo est idem simpliciter quod charitas, qua Pater diligit Filiū, & per consequens, ipsa Filij generatio, Spiritus sanctus est: quod non modicum mirandum est. Et maximè si genitum, principium est suæ generationis. Si verò aliud est Patri generare Filium, & diligere vel intelligere ipsum, adhuc magis est mirandum. quomodo generatio quidē qua Pater generat Filium, non constituit aliam personam: neque intellectio, qua Pater intelligit Filium. Diligere verò ipsum non potest, nisi dilectio illa tertiam constituat personam: & maximè cùm sit possibile dicere, quòd Spirator diligit & intelligit Spiritum, & Spiritus diligit & intelligit Patrem & Filium. Ex qua dilectione vel intellectione, nulla alia constituitur persona.

Item vnitatem & annexum Patris & Filij dicere Spiritum, ita vt ex vtroque esse concludatur: neq; ipsa scriptura cogit me, & naturalis ratio mihi magis persuadet recipere, principiata vniri per principium: quam principia per principiatum. A quo enim multa habent esse, ab eodem etiam habere vnum, rationabile mihi videtur. Dicere verò, quod principiata habent ex principiis esse: principia verò habent ex principiatis vnum esse, omninò mihi videtur carere ratione. Si vero est alia ratio de his mea verior, quam ego nunc non intelligo; tamen quamdiu illam non intelligo; necesse est me teneri ab hac, quam nunc intelligo. Dicta quidem Scripturæ, quæ allegant, penè prædicta sunt. Ego verò

neque ex his, neque ex alijs quibuscumque possum ad hoc intelligere indubitabilem omnino necessitatem, & penitus stabilientem meam mentem eorum adesse conclusionem.

Restat ergo quartum genus videre, quod ex communibus notionibus argumentationem propositi facit. Hę quæ dicuntur communes notiones, siue, vt Aristoteli videtur, de sensibilibus per sensus imprimuntur animo, siue, vt Platoni videtur, ipsæ sunt substãtia intellectualis animæ: vtroque modo de his rebus sunt, quarum intelligendo dominati apprehendimus eas & tangimus, & quas intelligentes ipsa intellectione comprehendimus & circumplectimur. Proinde & illa, quæ ex eis ostenduntur, indubitabiliter demonstrata esse putamus. At vero quæ de Deo sunt, ea super substantialia, & super intelligentiam, & incomprehensibilia esse dicimus: & maximè ea, quæ de trino personatim dicuntur, credita quidem sacræ scripturæ traditione: naturales verò nostras intelligentias fugientia, eò quod nullus videatur in his, quæ à nobis intelliguntur, modus Trinitatis: indifferenter per omnia se habens, illi super intellectum Trinitati.

Quis ergo est ita tardus mente, vt putet, huiusmodi communes notiones, quæ correspondent his, quæ à nobis perfectè intelliguntur, rebus, omnes simpliciter etiam illis, quæ super nostram intelligentiam sunt, congruere? vbi neq; quod sunt in naturalibus verè, tam etiã Mathematicis conueniunt, vel è conuerso; neque quod Arithmeticis vel Musicis rebus correspondent, iam etiã Geometricas, vel perspectiuas attingunt. Multò ergo minus putandum est super substantialia eisdem necessitatibus seruire cum his, quæ sub intelligẽtia nostra sunt. Non ergo necessarium est, omne quod prædicatur affirmatiuè vel negatiuè de illa re, quæ nostra intelligentia comprehenditur: hoc etiam de illa re quæ transcendit nostram intelligentiam similiter prædicari.

Ergo aut nulla huiusmodi communium notionũm & vsque ad illam supersubstantialem & incomprehensibilem essentiam peruenit: aut aliquæ ita, & aliquæ nõ. Sed sufficit. Ergo & hoc concesso, quoniam aliquã discretione necessaria non habeo conspicere, quæ earum, quę in entibus veræ sunt notiones, & ad superficiale, & superintelligentiam transferendæ sunt, & quæ non, cum audio Latini ex huiusmodi propositionibus, de proposita quæstione syllogismum; etiamsi sint in omnibus entibus propositiones veræ, attamen nequiens satis discernere cuiusgeneris sunt: vtrum illius quod ex entibus ad superessentiale conscendere valeat, an non. penitus ambigo & dubito, conclusioni huiusmodi syllogismi assentiri. Generaliter quidem, ita à me ostensum sit, ob quam causam per eorum verba nondum mihi persuasum eis credere Non erit peius fortè & aliquos particulares syllogismos eorum commemorare.

Audiui aliquando quosdam Latinos ita syllogisantes. Supponentes enim tamquam minorem propositionem, quod spiritus sanctus realiter differt à Filio; & addentes tanquã maiorem, quod omnia quæ sine materia ab inuicem differunt, aut sicut contraria differunt, aut sicut habitus & priuatio, aut sicut affirmatio & negatio, aut sicut relatiua. Deinde ostendẽtes quod horum tres precedentes modi, illis diuinis personis minimè congruere valent: Concludebant ergo, quod secundũ relatiua tantum Spiritus sanctus potest distingui à Filio, & ita per ordinem procedentes, veniebant ad finalem conclusionem sed me minimè per hoc mouerunt. Veniens enim ad angelos & animas, & mathematica & mathematicos numeros, & horũ maximè superficiales & solidos, multa vidi & sine materia plura intellecta, & nullo prædictorũ quatuor modorum ab inuicem discreta. Quamuis & si in omnibus entibus videtur maior propositio: adhuc restaret ambigere, vtrum illarum est propositionum, quæ & in entibus & in superessentiali verificari possunt, an non. sed differt quidem spiritus personaliter à Filio, nõ

A tamen secundum aliquem à nobis cognitorum in entibus modorum. Et estne vera illa Patrum sententia, quod in hac vita impossibile est distinctè & expressè cognosci illud, quo spiritus differt à Filio? non enim illud erit ausus aliquis dicere, quod necessarium est, aut sciri huiusmodi differentiam, & ad aliquam à nobis notarum reduci aut nequaquam esse.

Item & talem audiui syllogismum: in quo tanquam minor propositio supponebatur. Quia sicut se habet spirare ad procedere; ita se habet generare ad generari. tãquam verò maior assumebatur, quia generaliter in omnibus entibus, si sicut primum ad secundum: ita tertium ad quartum: & permutatim sumptis, est sicut primũ ad tertium, ita secundũ ad quartũ. Et ex his concludebatur, quod sicut se habet spirare ad generare: ita se debet habere & procedere ad generari. Et quia dicebãt spirare

B & generare concurrẽtia simul in vna persona scil. Patre, non faciunt differentiam personalem. Nõ ergo procedere & generari ipsa per se differẽtes efficient personas. Et ita aliam aliquam personalem differentiã Spiritus ad Filium quærẽtes postremo veniebant ad concludendũ, & ex Filio, ergo Spiritum procedere. Me neq; hos sequi valentes; perquirentes enim in me ipso entia inueniebam in multis, maiorem propositionẽ falsam multis visis; & in substantiis & in quantitatibus, & in relatiuis Sed primam positionem primi ad secundum, secundũ verò primi ad tertium, & secundi ad quartum, non saluantibus proportionalitatem: quamuis vt paulo ante dixi, & si in omnibus quæ infra mẽtem nostram sunt, videretur huiusmodi esse verum: incertum adhuc esset, vtrum & in

C illa re quæ omnem mentem excellit, verum sit.

Item & sic quidam argumentantur. Omnia sunt communia Patris & Filij, præter illa quibus aduersatur eorum inter se relatio. At verò spirantem potentem, non aduersatur Patris ad Filium, vel Filij ad Patrem relatio: spiratiua ergo potentia Patris & Filij. Ego vero neque huic syllogismo assentior; propter quod vtique habet vitium: quod enim quæritur, sumitur vt manifestum: in maiore enim propositione per communia & alia verba latenter petit principium.

Nullus enim eorum qui de conclusione ambigunt; maiorem concedet propositionem. Cum enim illa persona, quæ ita est vt à nullo sit, æqualiter habeat & generare & spirare: quæritur verum ex vtraque hæc propria sunt eius simpliciter: neque Filio, neque Spiritu, ea ha-

D bentibus. An ad Spiritum quidem propria sunt eius, ad Filium vero non ambo; sed solum generare, spirare vero commune habet cum eo.

Hoc itaque cum quæratur sumere simpliciter, quod Pater generare quidem habet solus, spirare vero cum Filio: quid aliud est quàm petitio principij, etiam si nõ apertè ponat qui sumit, sed per communiora verba eundem occultet sensum,

Cæterum quid prohibet supponentem similiter quod omnia sint communia spirantis & Spiritus, præter illa quibus aduersatur eorum inter se relatio, per similia media concludere quod & Spiritus sanctus genitor est: ergo sicut hoc ita etiam illud paralogismus est.

Item aliàs cum audiuissem sumentem quendam, vt manifestum Deum Patrem intelligere & velle, & ex in-

E telligẽdo producentem Filium; de volendo autem Spiritum, & per quædam media alia, quæstionem concludentem: initio quidem penè credidi, tanquam benè esset dictum: paulo vero post animaduertens, quia, quomodo intelligit & vult Pater, eodem indifferenter & Filius, & Spiritus sanctus, & tota Trinitas intelligit & vult, & nihilo magis ex eis alter Filius, vel alter Spiritus emanet: nihil necessarium illum dixisse putaui, sed potius multa incõuenientia perspexi de huiusmodi sermone orientia.

Causæ quidem per quas non mihi videtur necessarium esse per verba eorum sciri vel credi Spiritum sanctum & ex Filio procedere hæ sunt,

Volo

Volo autem tibi ostendere, & qualiter me habeo erga dicta sanctorũ nostrorum Patrũ, qui idipsum quod aiunt Latini in suis scriptis dicunt. Ego quidem inueni multos, qui hoc sapiunt, scilicet sanctum Augustinum, sanctum Gregorium † Nicenum, sanctum Cyrillum in dictis suis thesauris & in aliis suis dialogis; sanctum Athanasium & quosdã alios. Sed illud arbitror me rectè cogitare; quod omnium quæ hi docent illa tantum necessitate habemus recipere: quæ vel ex ipsa sacra scriptura, apertissimè & indubitabilissimè ostendũtur: vel per Cõcilium generale expressè examinata & determinata adepta sunt sententiam, vt debeant omnes ea admittere; vel etiam per nostram naturalem rationem, satis demonstrari valent. Quæ verò non talia sunt, non mihi videtur debitum esse ea admittere: neque periculum non credita & spreta nobis inferre. Non enim penitus illius authoritatis æstimamus illos esse, cuius Prophetas & Apostolos, vt simpliciter quemadmodum illis, ita & his per omnia debeamus parere. Argumentum autẽ est quod Prophetæ quidem & Apostoli de nulla re sibi secundum rem ipsam contraria dicũt. Post hos verò Doctores omnis in multis & non paruis, & exponẽdo scripturam, & dogmatisando contraria sibi inuicẽ, secundum rem ipsam dicunt: vt sine periculo nobis iam fiat, cui volumus assentiri. At verò Spiritum sanctũ & ex Filio procedere, neque per naturalem nostrã rationem comprehensibile mihi esse videtur; neque ea ipsa sacra scriptura, sine omni ambiguitate certissimè ostendi, neque adhuc per generale Concilium, quod sciam, ratificatum est. Ergo etiamsi à multis sanctis id ipsum dicitur, nolle assentiri, nullum periculum mihi videtur esse. Restat ergo considerare authoritatem Romanæ Ecclesiæ, ne necessarium sit, quoniam mater est, & prima omnium Ecclesiarum credere simpliciter, quodcumque ipsa semper de Deo dogmatisat.

† Nyssenum.

Sed ad hoc euenit mihi rursus hæsitare, ne fortè in dogmatibus fidei, quibus fidelis ab infideli distinguitur, non idonea sit illius Ecclesiæ authoritas, sed requirenda etiam vniuersalis Ecclesiæ. Hoc autem dubito ex multis.

Primum, quòd in symbolo fidei non dicimus credere in Romanam Ecclesiam; sed in Catholicã. Quamquam quid prohibeat etiam illud nos dicere, si sanis esset.

Deinde olim in diuersis orbis partibus, cùm multæ ortæ fuissẽt hæreses & quæstiones, & de Filio, & de Spiritu sancto, & de incarnatione: nõ referebantur quæsita ad Romanam Ecclesiam, vt ibi examinata & determinata omnibus tradantur: neq; alij ad hoc solum respiciebant, quidnam illa Ecclesia de eis determinauerit; sed generalia aggregabantur Concilia & totius Ecclesiæ cognitio & sententia, de dubitatis vocabatur: cùm hoc esset multò difficilius quàm illud. Et quod magis est: neq; iussu Papæ illa Concilia aggregabãtur, sed pro vt apparet, & per chronicas & imperiales epistolas, & per allocutiones ipsorum Imperatorum ad eos qui in illis Conciliis erant, imperialibus celebrabantur iussis. In quibus Conciliis, licet primum locum Papa obtinebat vel eius legati; tamen Canones & determinata dogmata, non sunt exposita singulariter ex persona Papæ; sed ex persona totius Concilij.

Ad hæc igitur mihi respicienti, nimis necessarium videtur, & in præsenti quæstione, vt concurrat simul cũ Romana Ecclesia, etiam totius Ecclesiæ authoritas, atque cognitio. Siquidem & hoc ex debito necessitatis erit credendum. Quid igitur: ad credendum ne ex Filio procedere Spiritum sanctum dico me hæsitare, ex solo verò Patre ipsum procedere, quod multi dicũt, arbitror rectè dictum: Multum deficio. Sed si potest dici, multò adhuc dubitabilius & incredibilius ad hoc me habeo.

Primùm enim per communes & naturales notiones ipsum demonstrari, per easdem vtique, quas & prius dixi caussas, impossibile mihi videtur. Deinde & in tota sacra & diuina scriptura nullum inuenitur dictum tale, per quod non dico apertè demonstrari; sed vel coniectura & suspicione percipi possit, quod ex solo Patre Spiritus sanctus procedit. Neque enim quoniam dixit Dominus qui à Patre procedit; ideò statim putari debet quia non ex ipso quoque procedit. Assuetum enim est ipsi saluatori, sua & Patris communia, Patri vt plurimum attribuere, non addentem verbo & se. Vt in illis: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis eradicabitur, &, nemo potest venire ad me nisi Pater meus attrahat ipsum. Quáuis, quis negare præsumpserit, & ipsum Filium non plantare in pietate fidelium mentes, & ad salutem attrahere eas: Quare restat & de proposito ambigere, ne fortè simile sit illis; quæ Patri attribuuntur quidem, sunt aliis communia. Multa enim talia in Euangeliis repetiuntur: vbi etsi distinguẽdo dixisset, qui à solo Patre procedit: neq; sic tolleretur omninò quærere, nè & ex eo procedat. Nam alio loco ait: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verũ Deũ; quamuis & ipse verus Deus existẽs. Et illud: Nemo cognoscit Filium nisi Pater: & Patrem nemo cognoscit, nisi Filius: quamuis & Spiritu sancto similiter cognoscente, & Patrem, & Filium. Quare si & in illo similiter dictum fuisset, posset vtique ambigi, nè forte ipsum tale esset, soli quidem Patri attributum, nihilominus autem & Filij existens. Adhuc autẽ etsi apertè fuisset dictum: Qui non à me; sed à Patre procedit; & ita nil minus ambigi posset. Multa enim communium dixit, neq; se habere, neque facere Mea doctrina, ait, non est mea, sed Patris: &; non veni facere voluntatem meam; sed voluntatem eius qui misit me. Et, sedere à dextris, & à sinistris meis, non est meum dare vobis, sed his quibus paratum est à Patre meo: & horam illam, neque Filius nouit, nisi solus Pater. Quare si & illud similiter fuisset dictum, esset adhuc locus ambigendi; ne fortè cum his sensu dictum fuisset, quamuis commune.

Vbi igitur & assuetum est Christo communia Patri attribuere, & neque distinguendo dixit, qui à solo Patre procedit: neque; Quod non à me: dubitabile prorsus & ambiguum efficitur, quomodo dixit hoc Saluator: vtrum vt intelligatur id solius Patris proprium esse, an volens cõmune, id est, sibi & Patris intelligi; quemadmodum & alia quæ similiter ab eo dicta sunt. Similiter & in symbolo fidei, quod Nicænum Concilium inchoauit, & Constantinopolitanum consummauit: legitur quidem ita simpliciter: Qui ex Patre procedit: Sed vtrum ideò non addiderunt, & ex Filio, quoniã neque sapiebant hoc ipsi synodorum illarum Patrès, nullatenus mihi certum patet.

Primum enim præter ea dogmata, quæ in symbolo sunt, multa sunt & alia nimis necessaria ad fidem dogmata, & de Deo, & de prouidentia, de duabus naturis & voluntatibus & operationibus: de vna persona, de pœnitentia, de sacramento Eucharistiæ, de non esse præ existentium animarum, vel principium substantiale malorum, & de multis aliis.

Circa quæ illos quidem Patres, verisimile erat rectè sapere, in symbolo tamen ipsa non posuerunt. Quare restat ambigere, ne forte & hoc illorum sit, quæ in symbolo quidem non dicuntur, aliter verò ab his creduntur. Quamquam sanctus Athanasius, & magnus Basilius, & frater eius; qui dicuntur interfuisse prædictis Conciliis, manifestè videntur, idipsum quod Latini dicunt sapientes. An dicet aliquis corrupta esse horum scripta: sed ego & hoc incerto existente, merito vtique ambigo.

Deinde neque hoc seruauerunt omnino in symbolo vt communia trium personarum vel duarum, assignẽt vt communia: propria verò sola vnicuique attribuant; sed è cõtrario in multis propter compendium, vt æstimo, fecerunt. Nam Omnipotens cum esset commune, Patrem Omnipotentem dicentes, Filio vel Spiritui hoc non dederunt. E conuerso verò de Domino fecerunt, Filium & Spiritum Dominum dicentes: item

*Factor* quidem omnium Spiritus sanctus est, sed hoc Patri & Filio tribuentes, de Spiritu nihil horum dixerunt. A Econtra eum verò viuificantem esse, & locutum esse per Prophetas, cùm essent communia, non Patri vel Filio; sed Spiritui reddiderunt. Rursus esse lumen de lumine, & Deum verum de Deo vero; communia sunt Filij & Spiritus: illi verò de Filio, non de Spiritu hæc dixerût. Quis igitur nouit, quod non similiter commune Patris & Filij sapientes esse, quod ex eis Spiritus sanctus procedit, satis putauerunt hoc ponere in Patre. Ego enim ex hoc neutrum concludi considero, neque quod ex solo Patre, neque quod ex Filio procedit. Sicut neque de illo superius commemorato Euangelico dicto.

Sed & nimis miror de illis, qui certum aliquid putant se ex his habere; de scriptis verò sanctorum nostrorum Patrum, quæ ad meas manus peruenerunt, trium vidi B dicta, quæ videntur præbere ad propositum aliquam difficultatem: sancti Dionysii Areopagitæ, & sancti Gregorii Theologi, & sancti Ioannis Damasceni. Vbi sanctus quidem Dionysius ait solum esse fontem supersubstantialis Deitatis patrem. Theologus verò geminum radium Patris, nominat Filium & Spiritum sanctum.

Damascenus verò dicit, quòd Spiritus non dicitur ex Filio. De quibus illud primum considero, quod etsi apertissimum esset, ipsos per hæc dicta sapere, quòd Spiritus sanctus ex solo Patre procedit, & non ex Filio; nondum hoc per Concilium generale expressè examinatu & confirmato: nullum esset propter eandem vtique, quam & prius dixi, causam; nolle credere periculum: & cum his pluribus sanctis contrarium dicentibus, & explicantibus, & latius problema discutientibus: sicut sanctus Augustinus, & sanctus Cyrillus, multaque habentibus de sancta scriptura dicta, non minimâ suspicionem præbentia huius dogmatis. Et adhuc matre omnium Ecclesiarum, quæ nunquam superioribus têporibus deprehésa est aliquam hæresim defendere, idipsum affirmante. Quid potius his tribus credendum erit, semel hoc dicentibus & scripturarum testimonia huius ipsius minimè habentibus?

Deinde huiusmodi dicta penitus sunt ambigua. Et vt primum de primo dicam, quoniam si Spiritus sanctus procedit & ex Filio, Filius hoc habet ex Patre, & Pater est Fons, qui non ex alio habeat, vt sit Fons, vel ex alio emanat: Filius verò sit veluti fons de fonte, quemadmodum & principium de principio dicitur, incertum prorsus fit, quo sensu hoc dixit ille Sanctus, vtrum sapiens, quia ex solo Patre procedit Spiritus, an & ex Filio quidem ipsum sapiens. Dicens verò illud Verbum, ac si diceret, solus fons supersubstantialis Deitatis, qui non emanat ex alio fonte, & ex quo alius habet, vt sit Fons, Pater est, apud quem est Fons Filius, vitæ, scilicet Spiritus. Ad vtrumque enim sensum satis se potest habere illud verbum.

Rursus de gemino radio. Primo quidem dubitatur ille sermo, in quo hoc scriptû est, vtrum sit Theologi, multum enim distat ab eius stilo. deinde nihil prohibet & vtraque intelligi, & geminum radium esse Patris Filium & Spiritum, in quantû perfectè & ambo ex Patre habent *Esse*. Et rursus Spiritum & ex Filio procedere, E eadem vna & simplici processione, qua & ex Patre procedit, vna existente in Patre & Filio spiratiua potêtia; nullo mirando, si in visibilibus radiis huius exemplum non videtur. Incertum ergo fit ex hoc verbo, quidnam qui hoc dixit, de proposito sentiebat. Et maximè quod ipse Theologus dicens de Filio, quòd solus de solo; de quo nemo erat suspicaturus, nè forte secundum Deitatem, non ex solo sit Patre. De Spiritu sancto nusquam ait; solum de solo. Ex quo non paruam suspicionem præstat, ne forte & ex Filio sentit ipsum.

Damascenus verò penè videtur sola voce discrepare ab his, qui dicunt ex Filio spiritum sanctû procedere, non tamen & re. Ita se habere ad Patrem, & Filium, & spiritum, quemadmodum ad solem se habet radius & A illuminatio: quæ vtraque quidem sunt ex sole. Per radium vero nobis illuminationem tradi ait. At vero idipsum penè est, & quod sentiunt, qui & ex Filio spiritum sanctum esse dicunt. sicut enim radius simul procedit de sole, & accipit ex eo, vt emitteret illuminationê. ita & Filius, vt aiunt, simul natus est ex Patre, & accipit ab eo spirare spiritum. Et sicut sine dicatur illuminatio ipsa & ex sole esse, & ex radio, siue ex sole per radium, non tanquam ex duobus principiis sole & radio, illuminatio esse dicitur: ita & ipsi minimè aiunt tanquâ ex duobus principiis spiritum sanctum procedere, ex Patre Filioq; sed tanquâ ex vno. Quare & eadem penè videtur sentire his & Damascenus.

At sine hoc radij & illuminationis exemplo, dictum illud per se, quo dicit: spiritus non dicitur ex Filio, am- B biguum est. Non enim idem est dicere; hoc non dicitur, & hoc non est: in multis enim dissonat, cùm sint multa quæ non dicuntur, & sunt. Velut si quis dixerit, spiritum sanctum non dici in scriptura, *Deum verum de Deo vero*. Ergo quoniam Damascenus non dixit, quod spiritus sanctus non est *ex Filio*; sed quod non dicitur *ex Filio*: incertum vtique est quid de hoc sentiebat: vtrum tantum neque ente, neque dicto; an tanquam non dicto, & ente, sed de his satis sit.

Videamus ergo & fortissimos ad hoc eorum syllogismos. Exponam autem eos non mea eruditione; sed vt de verbo ad verbum eos exponit quidam nostratum sapientium, in suo contra Latinos tractatu. Ait enim sic. Si spiritus sanctus procedit & ex Filio, vt aiunt La- C tini; contingit necessario aut duo principia esse in Deitate; aut Patrem & Filium vnam esse respectu spiritus personam. Duas enim scimus differentias eorum, quæ de Deo dicuntur.

Alia enim sunt eorum substantialia & naturalia, quæcumque & diuisim de qualibet persona prædicantur, & singulariter simul de tribus; vt *Bonum sapiens* & similia. Alia sunt personalia, quorum singulum, aut de vna sola persona prædicatur: aut si prædicatur diuisim de pluribus; impossibile tamen est, simul singulariter de eisdem prædicari. Vt emanare ex alio cum sit personale, prædicatur & de Filio, & de spiritu: & est, & Filius emanâs, & spiritus emanans; non tamen hi duo vnus emanans est; sed duo emanantes. Vere enim impossibile est, vnâ personalem proprietatem de duabus personis, etiamsi sint D eiusdem substantiæ, singulariter prædicari.

Quamuis enim aliqui duo idem audiunt, vel vident, vel intelligunt, vel volunt, vel quodcumque agunt: non tamen possumus dicere, quod vnus audians, vel vidês, vel intelligens, vel volens est; sed duo. Ergo quoniam esse principium spiritus, & spirare spiritum, nô est substantialium proprietatum; sed personalium: non enim prædicatur de spiritu, siquidem, vt ipsi aiunt, & de Filio prædicatur: necessarium est dicere Patrem & Filium duos spiratores, & duo principia esse spiritus sancti. Quod pro certo inconueniens est.

Si vero dicit aliquis, quoniam vno & simplici & eodem modo ex vtroque procedit, ideo vnus est simpliciter spirator Spiritus sancti Pater & Filius: ille necessario E incidit in alterum inconueniens. De quibus enim vna numero personalis proprietas seu differentia singulariter prædicatur: illa vtique secundum vnâ numero prædicationem eadem numero sunt. Quare? quia spiratorê esse personalis est proprietas seu differentia, aggregantur Pater & Filius secundum id ipsum quod sunt vnus Spirator ad vnam personam. Pater ergo & Filius in quârum ad inuicem referuntur, duæ personæ sunt. Per id vero quod vnus spirator sunt, vna persona sunt.

Si vero dicit aliquis quod sicut Pater & Filius vnus Deus est & vnus æternus, ita & vnus est spirator spiritus sancti: Respondebitur: quod sicut Deum esse, & æternum esse, & alia substantialia singulariter de Patre & Filio prædicata, repræsentât eorum vnâ substantiam & essentiam;

essentiam: Magis autem per id quod eorum est simpli-
citer. & summe vna substantia: cõtingit & hæc substã-
tialia singulariter de eis prædicari, ita & esse spiratorẽ;
cùm sit personalis proprietas seu differentia & singula-
riter prædicetur de Patre & Filio, assignabit eorũ vnam
esse secundum hoc personam. Magis autem ex eo, quod
esset secundum spirare eorum vna persona; cõtingeret
hoc singulariter de eis prædicari. Si verò hoc impossi-
bile est, & illud ex quo ortum hoc est impossibile.

Hoc est illius argumentum, quod multi aiunt in nul-
lo deficere † ad necessitatem à Geometrica demonstra-
tione. Totum vero robur eius pendet ex duabus cómu-
nibus notionibus; vna quæ ponit impossibile esse, vnã
personalem proprietatem, de duabus personis singula-
riter prędicari Altera vero quę sumit de quibus vna nu
mero personalis proprietas singulariter prædicatur: illa
secundum idem eadem esse numero. Et verè si scirem
pro certo has notiones communes, veras esse, & in su-
persubstantiali essentia: reciperem vtique & conclusio-
nẽ. Sed ego hoc nimis ignoro. Et eadem mihi eueniunt
hæsitare, quæ & ad Latinorũ syllogismos superius du-
bitabam. Nam etsi concedatur in his rebus, quæ sub
mente nostra sunt, quarum videlicet intelligẽdo domi-
namur, & quas tangimus & comprehẽdimus veras es-
se dictas communes notiones, quod etiam ipsum mul-
tas potest habere contradictiones, quæ necessitas est, vt
etiam in dissimilibus & aliter se habẽtibus rebus & no-
stras infimas intelligentias infinities infinitè fugienti-
bus, & ideo cõprehẽsibilibus, & super intelligibilibus
eædem sit veræ? Si enim verè superius dicebamus, non
omnes in entibus veras communes notiones, & vsque
ad supersubstantiale posse conscendere: vnde pro certo
sciemus, hæc quarum sunt, vtrum earum, quæ vsq; il-
luc extenduntur, an non? Neque enim in notis rebus à
nobis reperiuntur alia duo, quæ per omnia ita se habẽt
inter se, sicut Pater & Filius, inter se se habent. For-
tasse enim & vnus est spirator Spiritus sancti Pater & Fi-
lius, & Deitate transcendẽre, etiam duas dictas cómu-
nes notiones, nullo modo cõtingit vnam personam es-
se Patrem & Filium respectu Spiritus. Et qualiter non
contingit hoc, nullum miraculum est nos ignorare: qui
& confitemur nos penitus ignorare illud quo processio
à generatione distinguitur. Itèm cùm necessarium sit,
aut credentem & in diuinis veras esse prædictas com-
munes notiones, deceptos putare, & S. Augustinum, &
S. Cyrillum, & alios, qui manifestè dicunt Spiritũ san-
ctum, & ex Filio procedere, aut his assentientem crede-
re Deum superiorem etiam esse prædictis duabus com-
munibus notionibus. Hoc mihi multo tutius & religio-
sius videtur.

Videamus si placet & aliud eiusdem argumentum;
quoniam ait: Pater & Filius, sunt & vnum, sunt & duo.
Aut procedit Spiritus ex Patre & Filio, in quantũ vnũ
sunt, aut in quantum duo sunt. Sed si in quantum duo
sunt; erunt duæ processiones & duo principia: si verò
in quantum vnum sunt: quoniam hoc vnum est substã-
tia & natura & Deitas; Pater ergo & Filius, per id quod
vna sunt substantia & natura & Deitas, spirant Spiritũ.
At vero secundum id quod spirant Spiritum, & diffe-
runt ab eo, Pater ergo & Filius secundum vnam, quam
habent substantiam & naturam & Deitatem, differunt
à Spiritu, Non ergo Spiritus eiusdem est omnino cum
Patre & Filio substantiæ & naturæ & Deitatis: quod
contra fidem nostram est. Est autem hic paralogismus,
per id quod sumit *simpliciter* quod *secundum quid* cõce-
ditur. Latini enim neque per id quod duo sunt, Pater &
Filius, aiunt ex ipsis procedere Spiritum. Neque secũ-
dum quod simpliciter vnum sunt; sed secundũ id quod
aliquid vnum sunt. Scilicet secundum vnam, quam ha-
bent spiratiuam potentiam. Quid igitur? illi secundum
aliquid concedunt: iste simpliciter sumens *paralogismũ*
fecit. Est autem eiusdem & tale argumentum.

Nos, ait, Filium & Spiritum à solo Patre dicentes ha-
bere essentiam, quod per omnia entia conuincitur verũ
A esse dicimus. In omnibus enim vnitas, dualitatis est
principium. Illi vero Spiritum ex Patre & Filio esse dicẽ-
tes, omnia entia contradicentia habent Nusquam enim
dualitas est principium vnitatis. In his primum quidẽ
videtur numeri superficialis ab vnitate progressum cõ-
spicere, nontamen & linealis numeri progressum. In il-
lo enim duo immediate ex vno progrediuntur: in hoc
vero & duo ex vno procedunt: & tertia vnitas ex pri-
ma & secunda procedit.

Sed ego neque propter fantasmata superficialis nu-
meri, ex solo Patre dicam spiritum sanctum procedere;
neque propter fantasmata linealis numeri, & ex Filio
affirmabo. Neque enim tutum neque religiosum puto,
huiusmodi nostris imaginationibus tanquam regulis in
B supersubstantialibus vti.

Deinde Latini non aiunt dualitatem principium esse
vnitatis; sed Patrem & Filium, per id quod aliquid v-
num habent, vnum esse principium, nõ duo vnius. De
syllogismis quidẽ illorum hæc dicta sufficiant. Hi enim
sunt eorum quos vidi, qui vidẽtur esse fortissimi. Cogi-
to autem & ita. Quoniam spiritum à solo Patre proce-
dere. neque sensibile est, vt possit per sensum percipi,
neque naturale, vel aliquid contingentium, vt possit ea
quæ propriè dicitur opinione & imaginatione cognos-
ci; sed est super sensum & sempiternum: necessariũ est,
vt sit rectè ei assentiendum, aut scientia aut fide hoc fa-
cere. Sed ego putare hoc esse scibile & demonstrabile &
communibus nostris notionibus comprehensibile; ca-
rentis scientia arbitror esse. Restat itaque fides.

C At vero illa talium dogmatum dicimus nos rectè cre-
dere, quæ dicente aliquo ingentem authoritatẽ haben-
te, & cui credere quidem est salutare; non credere verò
periculosum, nos recipimus. Cui igitur tali ego credẽs
non temerè mihi videbor hoc facere? sacrænè scriptu-
ræ? at nihil tale ipsa loquitur. An generalibus Conciliis
hoc determinantibus & dogmatisantibus? sed neq; hoc.
An multis sanctis exponendo sacram scripturam hoc a-
pertè & per multa tradentibus, & ex illa hoc habere as-
serentibus? & quomodo hoc possit dici? an postremo
matri Ecclesiarum? at vero hæc contrarium dicit. Non-
nè ergo summæ erit dementiæ, dicere quidem credere
aliquid de Deo, non habere autem assignare, cui credẽs
rectè hoc admittit. An dicet aliquis, quod reliquum est,
illuminatione quadam occulta & diuina se hoc sensisse?
D sed ego nondum hanc adeptus sum.

Habes & causas, per quas neque necessarium, neque
tutum, neque alicuius prudentiæ æstimo esse, & huius-
modi assentiri dogmati. Quoniam verò superius dixi:
adhuc incredibilius me ad hoc habere, quam ad illud
quod Latini dicunt: volo tibi & hanc compassionem
ostendere.

Primum quidem video maioris esse audaciæ, negare
non procedere & ex Filio spiritum, quàm oppositum.
sancto enim Dionysio dicente, in ipso de diuinis nomi-
nibus: non audendum totaliter de sancta Trinitate in-
telligere aliquid vel dicere, præter ea, quæ diuinitus
nobis per ipsa expressa sunt per sacratissima eloquia. Illi
qui dicunt à solo Patre procedere spiritum sanctum,
audaciæ huius vtique rei sunt. Quod enim per sacratis-
E sima eloquia ostendi minimè potest, hoc ausi sunt ipsi
de Deo intelligere.

Latini vero multis in sacra scriptura dictis non par-
uam suspicionem præstantibus: & ex Filio spiritum san-
ctum procedere, ipsi vt credo, putantes, ex illis hoc si-
gnificari, erga sacram scripturam, reuerentia & religio-
ne, & volendo ad ipsam obedienter se habere, hoc re-
cipiunt. Quare multum differt hoc ab illo. Nullius e-
nim, vel minimæ audaciæ videtur esse.

Item non mediocris & audaciæ & præsumptionis
procul dubio est, in dogmatibus de summa Trinitate,
suam cognitionem sanctorum & magnorum Doctorũ
cognitioni præponentem. At vero qui dicit ex solo

Patre procedere Spiritum sanctum, multis & magnis sanctis & præcipuè S. Augustino, & S. Cyrillo, qui latius & apertius oppositum docent, seipsum necessariò putat sapientiorem & religiosiorem. A Latinis verò nihil huiusmodi peccatur, nullo sanctorum à solo Patre procedere apertè & indubitabiliter tradente.

Deinde supponens in parte vtrumque falsum esse, & perquirens, vtrum falsum existens, maioris sit periculi, inuenio dogma Latinorum multo tutius. Hoc enim etiamsi sit falsum, tamen addit ibi aliquid velut Deo dignum, nihil adimendo. Spiritui enim nihil detrahit. Nō enim ex hoc minoris dignitatis, quàm Filius sit, Filio vero nihil auferens, † de his quæ habet, detrahens, addit, quod non solùm ipse perfectè est Spirator, verum etiam spiratorem genuit. Illud vero, quod Græci dicūt, siquidem falsum est, papé, quam magna blasphemia est? B addens quidem nihil, detrahens vero, Filio quidem spirare Spiritum, Patri verò generare spiratorem. Et est simile, vt si quidam Scriptura tradentes erga quatriduanum Lazarum Domini miraculum vnus diceret, non obiisse illum; sed passionem quandam circa cor ei accidisse, & visum esse mori. Dominū vero quarto die, passione illa ipsum liberasse. Alius rursus diceret 40. dierū mortuum, vel adhuc vltra resuscitatum fuisse à Domino. Vtraque enim falsa essent. Sed vnum detrahit, aliud addit illi miraculo, vt non sit æquale peccatum.

Consequenter rursus perquirens, vtrum falsum existens rationabiliores possit habere in iudicio excusationes, inuenio multum interesse. Latinus verò, siquidem falsum dicit, reddendo huius rationem, multa poterit habere bona refugia. Quod in diuina scriptura multa C fuissent, quæ videbātur hoc concludere, & ipsi voluissent reuerenter ad ipsam se habere: quòd ex fide, zelo, deuotione, amore ad ipsum Dominū credebat, aduersus eum se blasphemare, nisi crederet ex ipso Spiritum sanctum procedere. Quod multi sanctorum, qui in ipso iudici placuerūt, hoc apertè & per multa tradidissent, quod mater Ecclesiarum semper hoc docuisset. Et vero qui alterius partis est, si quidē errat, neque aliquid horum conuenire ad excusationem in iudicio inuenio: neque aliud, vt ita dicatur, quicquam ratione dignum.

Item quoniam homines multa contra ea, quæ opinātur ex aliqua contētione, vel sui amore, vel alia quadā passione dicunt, perquirens ego, quos magis verisimile est à principio ex aliqua tali passione commotos dicere: vtrum Latinos, quod ex Filio, an Græcos, quòd D hæresis & error hoc est, inuenio rursus eandem differētiam. In multis enim his nostris subditis illi Ecclesiæ, & multis hic æstimando se è † matribus iniuriam pati ad ipsam refugientibus, illaque excōmunicatione & aliis iussis & omni modo coërcere, hic maiores ab iniurie conante: & hoc, vt verisimile est, his non parū displicente, istis quidē ex diffamando illam Ecclesiā in dogmatibus peccare, suæque hoc persuadendo, videbatur aduenire magna malorum liberatio: & videlicet omnia secundum beneplacitum suum facientibus: nullus de cætero illuc recurrere velit, atque illi rationabiliter videantur, iussis Papæ nolle obedire.

† Maioribus.

Itaque Imperatori hoc prouenit, quod prius non habebat, Patriarchas confirmare & proponere, & nullam relinqui Ecclesiam, quæ valeat ipsi in aliquo resistere. E Ipsi vero Patriarchæ nouæ Romæ, vt vniuersalis nominaretur, & non secundus post primum, sed ipse primus in Ecclesia à consecratoribus æstimetur. Neutrū enim horum ante schisma erat. Latinis verò dicendo, ex Filio Spiritum sanctum procedere: neque aliquorum malorum liberatio; neque non præsentium bonorum acquisitio accedebat. Quare ex passione à principio commotos dicere magis Græcis quàm Latinis videtur posse contingere.

Ex his igitur & talibus, licet nondum visum est mihi fidem adhibere Latinorum dogmati, tamen multo videtur mihi rationabilius esse, non credi, quod Græci dicunt, quam illud. Tuum de cætero sit, quod & in A principio precatus sum, te nobis in scriptis, reuelare & significare velle, quidnam est illud, quod tibi persuasit, & ex Filio Spiritum sanctum procedere, pro certo credere. & ex hoc hæreticos & schismaticos eos, qui non hoc sapiunt, nec confitentur putare. Amici omnes salutant te. Et epistola hac lecta coram eis, eadem & ipsi hæsitare, & à te petere se dicunt.

*Epistola Domini Barlaami Episcopi Gyracensis ad eundem Demetrium Thessalonicensem, respondens ad petita; hortatur eum ad vnionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

CVm accepissem, ô amicum mihi caput, tuam in- B genuam & admirandam & disertissimam Epistolam; legissemque & intellexissem, vt arbitror, quæ in ea sunt: ita tibi ad interrogata respondeo.

Ego neque prius sciebam, vtrum à solo, an non à solo Patre procedit Spiritus sanctus, neque nunc arbitror me scire. Puto enim huiusmodi probleme & nunc & tunc, quemadmodum & tu in epistola optimè dicere mihi videris, super omnem esse humanam & scientiam & mentem, & methodum & demonstrationem. Sed & prius credebam quod à solo Patre, & nunc rursus credo, quod etiam ex Filio. Recessi vero ex illa credulitate per easdem causas & easdem cogitationes, per quas & tu per multa ostendisti in eadem epistola, non debere te credere putasti his, qui à solo Patre dicunt; sed multo incredibiliores hos aliis esse debere discernis.

C Quæ autem me ad firmiter credendum & ex Filio procedere Spiritum sanctū duxerunt, tria maximè sunt. Quorum duo & in tua Epistola continentur: scil. quod multi nostrorum Patrum, & magnam opinionem habentium, sacram & diuinam exponendo Scripturā, ex ipsa aiunt se intellexisse, & ex Filio Spiritum sanctum procedere. Et ideò apertissimè & per multa in suis scriptis hoc docent. Sicuti S. Augustinus, S. Cyrillus. Et secundum quod etiam Romana Ecclesia, quæ & dignitate & dominio erga Scripturam diligenti studio superat omnes, quæ semper recta defēdit dogmata: idipsum à principio docet & tenet. His enim duobus, ô amice, tertium addatem, quod tu videris adhuc ignorare; quia etiam generale Concilium, de eodem ipso celebratum est in Lugdunis: quod hoc affirmans, contradicē- D tes omnes pro hæreticis haberi statuit. Hoc inquam ab omni ambiguitate remanēs, totum facit huius dogmatis. Ab hac enim synodo & habente & faciente, quæcūq; oporteret habere & facere generalē synodū; examinato & determinato, & ex Filio procedere Spiritum S. Qui hoc non recipit, tanquam iam Catholicæ Ecclesiæ authoritatem & dogma contemnens; iustè vtiq; & merito schismaticus & hæreticus habebitur. Et credo quod si fuisses de hac synodo informatus, nō adhuc videretur tibi non necessarium esse, hoc recipere dogma. Et nunc quidem transmitto tibi, determinationē huius synodi, in fine Epistolæ scriptam. Postmodum vero si Deus voluerit, mittam tibi & huius acta: ex quibus scire poteris, & quod generalis fuerit, & quod nihil eorum, quæ debeat habere & facere omisit.

E De expositione vero nonnullorum dictorū scripturæ, ex quibus Latini suum concludunt dogma, de quibus dixisti, propter quod possunt habere duplam expositionem, te ambigere & non habere cui magis assentiaris: potes vtique & illud cogitare, quod illi quidem, qui exponunt ipsa, ita vt concludāt & ex Filio Spiritū procedere, diuini viri sunt: sanctus videlicet inter alios Augustinus, & S. Cyrillus. Alios enim Latinorum Sanctorum, qui similiter eadem exposuerunt, omitto. Videns enim eos minime inuenisse. Illi vero qui eadem ipsa aliter exponunt, addentes idipsum minime posse esse, aliū eorundem præter hunc intellectū, Græci sunt: qui post schisma Latinis contradicunt. Quoniam antiquiores

Græci, qui similiter modernis Græcis eadem exponunt, nullo modo addunt, impossibile eorundem, & alium esse sensum. Scis quippe quod nimis in multis potest fieri, eorundem diuersos esse intellectus, non repugnantes sibi, & non omnes ab omnibus aperiri; sed alios ab aliis. Quales sunt repugnantes intellectus, & tu ostendisti in pluribus dictis & magis ad concludendã necessitatis ex eis Latinorum conclusionem. Admittentes enim Latini integrè, & illum, quem dixisti, eorundem posse fieri alium sensum; ita suum habuerunt. Quare cum sancti & beati viri: qui vtroque modo huiusmodi dicta intelligunt, & ex Filio procedere Spiritum sanctum ex ipsis concludunt, non tales verò sint illi, qui prout volunt, eadem intelligentes, illum sensum per quem processio Spiritus sancti, & ex Filio concluditur, negant: non debemus æqualem vtrisque fidem adhibere. Quamquam illam per insufflationem Spiritus donationem, si parum diligentius considerabis; inuenies secundum Latinos sensum solum & minimè alium posse habere: nisi quis omnino coactè & sophisticè idipsum exponere voluerit.

Attende enim ita. Dixisti, aliter exponentes dicere velle ex hoc scripturam nos intelligere, quòd Spiritus non est maior Filio, & quod deificantia charismata, cõmunia sunt & Filij & Spiritus. At vero ad hæc intelligenda vel credenda, sufficiebat tantum dicere: Accipite Spiritum sanctum: insufflare verò nihil ad huiusmodi sensum confert. Neque enim ipsa Spiritus substantia, neq; eius ipsa gratia erat ille corporaliter de sancto ore exiens flatus, neque Apostoli absorbentes illum, gratiã acceperunt, cùm aliter non possent. Quid igitur volebat sibi insufflatio illa? si quidem & dicente ipso tantum: *accipite*, vel, *do vobis Spiritum sanctum*, habet quod Græcorum vult expositio? an certè, vt ait S. Augustinus, quemadmodum in multis scriptura de sensibiliter, & in tempore vel factis vel dictis, reducit nos ad intelligibilium & sempiternorum contemplationem, ita & signum hic aliquod hoc præbuit Saluator, reducens nos ex ipso ad intelligendam vel credendam intelligibilem, magis autem superintelligantiam, & ex sesui consubstantialis Spiritus processionem? Ergo si hoc solummodo rationabile est intelligi, rationabile certè quoque credere est.

De syllogismis verò ipsorum & argumentis, quæ ais, non de necessitate cõcludere propositum, neque posse animæ *inquisitiuæ* ad plenum satisfacere: non enim hoc mirandum. Scis quippe quod in multis, vera conclusione existente, nimis prauè ad eam sermones fiant, non semper ex imperitia dicentium hoc contingente; sed aliquando ex ipsa propositæ rei natura: non abundãte melioribus atque fortioribus sermonibus. Aliquando verò arbitrante ipso dicente per huiusmodi sermones audiẽtibus maximè persuaderi posse. Sæpè enim contingit ea per quæ aliis persuadetur, apud alios ridicula putari. Itẽ neque per quæ cuiquam est persuasum aliquid, per eadem semper aliis, semper persuaderi nititur; sed quia sequi eos æstimat, hac & ducere tentat. Ita igitur & Latinos noli putare his syllogismis & argumentis credentes tenere, quod dicunt: Ipsi enim hoc credunt ex tribus illis, quibus dixi & me ad id ipsum credere: re verò existente super rationem, & multis nolentibus ex dictis tribus similiter hoc credere, sed potius argumentis & syllogismis humanis & Deo condignis, oppositum ostendere conantibus: ipsi cupientes ad se hos conuertere, quæ vtique cogitant semper de proposito accommodata esse, ad refellendos eorum syllogismos, & ipsis fortasse persuadendum recipere, quod quæritur: hæc & dicunt, minimè, vt dixi, per eadem ipsi idem credentes; sed propter aliorum incredulitatem, ac per similes syllogismos contradictionem, huiusmodi coguntur vti sermonibus: per quos non est incredibile & multis persuaderi.

Caussa est igitur eius, quod ad acutum & inuestigatiuum tuæ *Desformis* animæ defectuosi videntur eorum
A syllogismi, sublimitas propositæ quæstionis, efficaciores non suscipiens syllogismos: & quod eos faciunt ad habitum, vt coniectant, non credentium, & per similes syllogismos oppositum defendentium: vt etiamsi non ad plenum eis persuadetur; attamen multum confidere suis syllogismis, eis auferatur: & his qui sunt adhuc ad fidem infirmiores, auxiliũ quoddam præstetur, ne moueantur per similes syllogismos. Cæterum si omnes sentirent, ita dispositos, vt ego te ex tua epistola video, non vtique talibus vterentur sermonibus. Attende autem & sic.

Ecce humana mente ratiocinari de illa re, de qua ait sanctus Dionysius, magis verificari omnium quæ dicimus, quæque intelligimus, & negationes quàm affirmationes: commune iam est & Latinorum oppositum de-
B fendentium Græcorum. Fides verò nequaquam communis est; sed Latini quidem habent assignare quæ dixi tria, maximam habentia auctoritatem & dignitatem & magnitudinem ad fidem: quibus vtique religiosè credentes aiunt Spiritum sanctum & ex Filio procedere. Illi verò qui dicunt ex Patre tantum procedere Spiritum sanctum, ad nihil tale se reducere valent. Quare syllogismis omnibus circumscriptis, Latinis quidem remanet fides; his verò & fides & obligatio ablata est. Neque putes Latinos credentes Spiritum & ex Filio procedere, eiusdem Spiritus processionem vel similem putare Filij generationi; vel differentem quidem: aliqua verò penitus nota differentia, differre à generatione Filij. Et in hoc enim idipsum cum sanctis nostris Patribus,
C & ipsi credunt: vt quo differunt ibi generatio & processio, non omnimodo notum esse hominibus. Si verò in disputationibus ad Græcos, vt tu ais in Epistola, non videntur hoc seruare: scito hoc eos facere, sicut & ipsi Patres vestri faciunt: qui dicentes multis locis, nullum esse exemplum, vel in sensibilibus, vel in intelligibilibus summæ Trinitatis; tamen propter eos, qui nequeũt fide percipere Trinitatis Sacramentum: ad multa condescendunt exempla. Ita & hos aliorum incredulitas & infirmitas euocat, ad condescendendum ad aliquas notas similitudines, propter quas videntur discernere processionem à generatione: vt ex his ad conclusionem, quam fide oportet teneri, perueniatur; non putantes absurdum, si eos, qui per simpliciter sanatiua curari non valent: per aliis nociua ipsos ad sanitatem possint reuo-
D care. Sed de his quidem satis.

Necessarium autem arbitror adhuc & illud tibi ostendere: quod licet tria dixi superius esse, quæ coegerunt me credere & ex Filio Spiritum sanctum procedere, hoc est, multos magnorum Sanctorum hoc apertissimè tradere, matrem Ecclesiarum hoc semper dicere: per generale etiam Concilium hoc fuisse affirmatum: tamen quodlibet horum, sine aliis per se visum non habens, reliqua duo opposita satis se habere considero, vt idipsum credatur. Et tu qui adhuc videris ignorare, Vtrum de hoc factum fuisset generale Concilium, si volueris tuas in epistola cogitationes, inter se cõiungens aduertere, quid ex ipsis necessariò contingit, inuenies valde necessarium, & ex sola auctoritate Sanctorum, quos dixisti: vel ex sola Ecclesiæ Romanæ te credere, quod etiã
E ex Filio Spiritus sanctus procedit. Aduerte autem sic.

Dixisti te scire multos magnorum sanctorum exponendo diuinam scripturam tradidisse per multa, quod etiam ex Filio. Item dixisti, quod huius oppositum, scilicet ex solo Patre, neque ratione potes intelligere, neque de sacra Scriptura concludere: & quod nescis vllos sanctos hoc apertè tradidisse, vel generale Concilium hoc determinasse, & quod scis matrem Ecclesiarum minimè hoc dicere.

At verò si quid de Deo multi & magni Sancti, exponendo diuinam Scripturã dicunt: cuius oppositũ neque ex ipsa Scriptura ostenditur; neq; per rationẽ demõstratur, neq; per sanctos apertè tradatur, neque per generale

Concilium determinatur, neque per matrem Ecclesiarum docetur: hoc credi nimis necessarium est. Si verò hoc ambigis & dubitas, vtrum sit necessarium: sed illud minimè dubitabis, sine periculo penitus quod tale est, posse credi. Si quidem non dubitas in sanctis esse eos, qui hoc crediderunt, docuerunt, & scriptura tradiderunt; ergo cum hoc sit sine periculo; vide quale sit dicere, quod ex solo Patre procedit. Ais enim quod hoc neque auctoritas, neque demonstratio compellit te recipere. Et multi magnorum Sanctorum cum matre Ecclesiarum apertè oppositum docent. Ergo ex volendo hoc tenere suspicio non aliqua periculi conflatur. Ergo cùm hoc sit pro certo periculosum, illud verò omnino sine periculo: duæq; sint solæ partes Ecclesiæ: vna quę tenet, quod penitus est sine periculo; alia verò quod manifestè periculosum est: atque alia Ecclesia non sit collecta ex talibus hominibus, qualem tu adhuc ais te esse, neutrum extremorum tenens; in omnibusque, cæteris paribus, eligendum sit magis, quod sine periculo est, quam quod periculosum: nonne iam ex tuis cogitationibus vides concludi, nimis necessarium esse, Latinis eadem velle de proposito sapere: eodem verò modo; visa similiter Romanæ Ecclesiæ auctoritate per similia media transiens, peruenias necessario ad eandem conclusionē? Quare etiamsi nondum fuisset factum de hoc generale Concilium, tamen necessarium est recipere, quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit: & hoc negantes, nequaquam tanquam partem Ecclesiæ; sed tanquam omnino abscisos ab Ecclesia, & ad rationem schismatici cadentes putare. Quid autem si ostendatur, quod primi illorum Græcorum, qui se separauerunt à Latinorum communione, non ratione; sed quadam irrationabili passione hoc passi sunt, nonne & ita patefactum erit, hos esse schismaticos? at verò nihil ita apertum fieri potest. Considerare enim ita oportet, ad euitandum rationabiliter matris Ecclesiarum communionem, duo oportebat necessario occurrere. Vnum, tunc primitus incepisse Romanā Ecclesiam aliquid de dogmatibus fidei sapere & dogmatisare; quod prius neque docebat, neque sentiebat. Secundum est illud, nouiter dogmatisatum ita se habere oppositè & repugnanter aliquid eorum, quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expressè determinata sunt, vt cum hoc sit, nullo modo possit illud esse: & cùm illud sit, minimè hoc locum habeat. Rationabilissimum enim esset à talia dogmatisantibus diuidi. † Neutrum enim horum contingente, irrationabile velle omninò diuidi relinquitur. At verò neutrum horum in exordio schismatis Ecclesiæ Romanæ contingit. Nā de processione, & ex Filio Spiritus sancti, sancti illi, quibus Ecclesia Romana mox credens, hoc tenet, facti sunt ante inchoatum schisma, alij tricentis, alij quadringentis, alij verò & quingentis annis. Et vt vnum præ omnibus dicam; qui non transitoriè, sed de eodem ipso principaliter loquens, apertissimè id docet: magnum, loquam, Augustinum. Hic circa tempora Theodosij Magni, claruit, annos videlicet ante schisma & vltra quingentos: cuius ex tunc Ecclesia vtique Romana scripta habuit, cùm esset eiusdem linguæ, & dogmata veneratur.

† Neutro.

At verò dicere & ex Filio, nihil oppositum est, ad dicendum ex Patre. Non enim si procedit & ex Filio, tollitur procedere & ex Patre; sed potius illo prius concesso, & ex Patre procedere necessariò sequitur. Quæ verò ita se habent inter se, repugnantia non sunt. Ergo & diuina Scriptura prius dicente, ex Patre procedere Spiritum sanctum; & postmodum Conciliis idipsum dicentibus, Ecclesia Romana dicens & ex Filio, non dogmatisat aliquid illis repugnans, & dicta illorum interimens; sed potius tale: quo concesso, illud necessariò confertur. Nam sicubi adhuc dictum non fuisset, quod Spiritus procedit ex Patre, & crederetur Ecclesiæ Romanæ, quod ex Filio procedit: ex hoc vtique concluderetur necessariò illud. Nam si procedit ex Filio, qui omnia quæ habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Quare non tolluntur ex hoc, quæ prius credebantur; sed adhuc magis roborantur. Ergo si in principio schismatis, nihil nouum vel repugnans alicui eorum, quæ à tota Ecclesia credebantur, dogmatisare cœpit Ecclesia Romana: quomodo non omnino extra rationem eius illi refutarunt communionem, vel quomodo nō aliqua elatione & superbia, vel ambitione & auaritia, vel tali aliqua passione ipsi hoc passi sunt? neque enim illud, quod multorum est, dici potest, quod synodico canone prohibente, adimere aliquid vel addere fidei symbolo; illi ab ausa aliquid addere meritò discesserunt.

Primum enim nullus talis Canon in Conciliis inuenitur. Deinde non ante schisma, non in huius principio, non paulo post, sed multis post hoc annis, Ecclesia Romana, cùm per multas prius legationes, de eodem Græcos admonuisset & hortata fuisset à deterrimo schismate discedere, vt non habuit obedientes, denique Concilium super hoc sibi obedientibus celebrari faciens, hoc in symbolo non immeritò addidit. Quoniam si similiter tanta Christianorum gens negasset non esse Filium omnipotentem, vel viuificantem: & multæ adderentur quotidie huic hæresi; certè non careret ratione, si de hoc sani Christiani ad refellendam hæresim in symbolo id ponerent. Nulla itaque præcedente rationali caussa, ob quam primi illi à matre Ecclesiarum se segregauerunt; certum est, quod & illi & omnes qui illos sequuti sunt, proculdubio schismatici sunt. Nullos enim alios appellamus schismaticos, nisi illos, qui principalioribus & dignioribus in Ecclesia dogmatizantibus † oppositè se habens, ad aliquid eorum, quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expressè determinata sunt, vel à tota Ecclesia communiter creduntur, à debita illis credentia & communione, propter quandam aliam passionem discedunt: siue multi siue pauci sint: nihil enim interest, quoniam non multitudine & paucitate; sed prædicta ratione schismaticus notatur, quoniam & hi complentes iote, & hoc nomine digni habiti erunt. Aut igitur ostendant, quid Latinis dicentibus contingit ex sermone ipsorum, necessariò Spiritum sanctum non procedere ex Patre, vt ita tollatur, & quod in symbolo, & quod in Euangelio dicitur, & à tota Ecclesia creditur; aut si hoc impossibile est, sciant se extra Catholicam Ecclesiam esse, & nullo à schismaticis differre.

† oppositè se habentes.

Quoniam verò ipsi vndique coarctati, postremò ad Euangelium & ad septem generalia Concilia refugientes, putant ex illis excusationē schismatis sibi inuenire; dicendū est ad eos: quod si quidem, ô amici, matre Ecclesiarum peccante vel in Euangelium, vel in Concilia, ipsi ab ea receditis, rectè facitis: si verò illa nihil peccante, vel in Euangelium, vel in Concilia; ipsi nihilominus eius recusatis communionem, nullum certè vobis vel ex Euangelio, vel ex Conciliis suffragium penitus est. Ergo perquirendum est diligenter, quid est in Euangelium, vel in Concilia peccare? quod si putabitis, peccare in hęc, esse simpliciter dicere aliquid & dogmatizare de Deo, quod vtrumque non inuenitur vel in Euangelio, vel in Conciliis, siue contrarium est alicui eorum, quæ ibi manifestè feruntur, siue non; hoc modo etiam omnes qui de Deo scribunt sancti in eadem peccant. Non solùm enim innumerabilia de Deo dicunt & dogmatizant, quæ verbo in Euangelio, vel in Conciliis non inueniuntur: verum etiam multa dicunt, quæ neque per sensum eorum, quæ ibi sunt, concludi valent. Non ergo peccare est in illa simpliciter dicere, quæ ibi qualitercumque non inueniuntur; sed addendum est si sint & repugnantia illis. Quare peccare in illa est dicere aliquid oppositè se habens alicui eorum quæ ab illis dicuntur, vt alterum per alterum necessariò tollatur. Et hoc solum est, quod paradogmatizare appellamus. Ita enim solummodo peccare in dogmata, & paradogmatizare

tizare definito', omnes qui vnquam aliquid de Deo dixerunt, inculpabiles dimittemus.

At verò Romana Ecclesia, & ex Filio procedere Spiritum sanctū dicente, nihil penitus per hoc tollitur, vel eorum quæ in Euangelio continentur, vel eorum quæ in toto symbolo dicuntur, vel eorum, quæ per aliquid septem Conciliorum expressè determinata sunt. Quare & quomodo idipsum non concluderetur per aliqua sacræ Scripturæ dicta, neque per Sanctos aliquos traderetur: sed quoniam eorum quæ in Euangelio vel in Conciliis sunt, non destruit quidquam hoc dogma: certè Romana Ecclesia hoc dicens, neque in Euangelium, neque in Concilia peccat. His ergò qui à communione eius Matris existentis discedunt, nulla vel ex Euangelio, vel ex Conciliis excusatio huius acquiritur. Neque ergo aliunde proueniente eis alia excusatione: necessarium est schismaticos ipsos esse, & à Catholica cecidisse Ecclesia. Sed vt apertissimum id fiat, ponendæ sunt iuxta se cogitationes, & sermo ita sit concludendus.

Peccans est circa pietatis dogmata, quem & paradogmatistam & hæreticum vocamus: qui sapit & docet aliquid ita oppositè se habens, ad aliquid eorum quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel per aliquod generaliū Conciliorum expressè determinata sunt, vt cum hoc sit, illud tollatur: & illud cùm sit, hoc non possit esse. At verò Ecclesia Romana, nihil huiusmodi sapit vel docet. Non ergo circa pietatis dogmata peccat. Quare neque paradogmatizat, neque aliquam hæresim incurrit, & dignissimum & dominantissimum & principalissimum & summum & primum locum in tota Ecclesia habente: nunc Orientales minoris & humilioris existentes in tota Ecclesia & dignitatis & gradus & ordinis, à debito illi honore & obedientia, & communione discedunt. At verò omnes quicumque in Ecclesia minoris & humilioris existentes dignitatis, gradus & ordinis: dignioribus, dominantioribus, principalioribus, prioribus, superioribus in Ecclesia; nihil in pietatis dogmatibus peccantibus, nullam hæresim incurrentibus, à debita illis reuerentia, obedientia, & communione discedunt: proculdubio schismatici sunt. Contingit ergo hos necessariò schismaticos nunc esse, quod est, separatos esse à Catholica Ecclesia.

Sed fortasse dicet aliquis ambigens: si amisit suam integritatem & perfectionem Ecclesia, & hoc non ex minima parte: Siquidem quinque eius principaliorum partium, à quibus tanquam sensibus quibusdam, vniuersum eius corpus completum erat; quatuor lapsæ sunt: prima verò tantum remansit; quomodo de cætero non existens integra, catholica est: vel cuius amplius corporis Ecclesia Romana caput est, ex quo illud quod initio vnitum erat ei, discessit ab ea, vel quomodo totaliter viua esse potest?

Ad hæc primum quidem oportet considerare, quod si quis eadem ipsa obiiceret ad ipsos Græcos, qui dicunt se solos in fide viuere, & ex se solis completam esse Catholicam Ecclesiam, capite perdito, quæ vtique ipsi ad similiter eos obiecta respondissent: hæc nobis multò rationabilius ad hæc dicere conueniet.

Deinde siquidem animalis exemplum sequi voluerimus, non vtique verum est, propter horum schisma vniuersum Ecclesiæ corpus à capite dicere discessisse. Caput enim Ecclesiæ est, non totus Occidens & Septentrio; sed solius vrbis Romanæ Ecclesia, hanc habet dignitatem. Tot verò & tantæ aliæ Ecclesiæ Occidentales & Septentrionales, & alia genera purorum Christianorum terræ firmæ & insularium cum ea remanserunt: vt hi quidem omnes correspondere valeant reliquo animalis corpori, & continuo capiti vnito. Hi verò Patriarchę, qui eam reliquerunt, manuum vel pedum proportionem habeant: quæ abscisa à corpore, ipsa quidem ne necessitate mortua sunt: corpori verò non semper interitum ferunt. Item, neque sicut in animalibus, loco corruptorum membrorum, caput alia condere ne-

A quit: ita quoque in Ecclesia est; sed semper capiti loco labentium, licet alia condere, vt semper ipsum sit cum integro corpore. Scimus enim quod Papa quidem potest creare Patriarchas. Patriarchæ verò Papam creare non possunt. Et ideò hi quidem nunquam hoc tentauerunt: Romani vero Pontifices ante schisma videntur & deponentes & promouentes Patriarchas.

Ergo quoniam nihil oppositè se habens Euangelio, vel Conciliis sapit vel docet, prout ostensum est, non amisit vtique creandi Patriarchas potestatem & virtutem.

Ergo cum hi Patriarchæ absque vlla ratione discessissent ab illo, & in eorum diœcesibus habitarent multi Christiani vniti illi, illo singulis horum à principio ha-

B bendo huius iustam potestatem constituendi congruū Patriarcham, Ecclesia quidem Romana capitis rationē habens, & loco labentium membrorum alia semper condens; & viua vtique est, & integrum reliquum corpus vnitum sibi habet: eos vero, qui eam deseruerunt, sine capite de cætero & mortuos esse necesse est. Quare si putas necessarium esse generalibus Conciliis ad totius complementum, & quatuor interesse Patriarchas, & audias post schisma generalia aliqua Concilia per Papam esse facta: noli quærere, vtrum & schismatici Patriarchæ illis interfuerunt: sed si eorundem Patriarcharum fide viuentes & vniti suo capiti Patriarchæ interfuerunt. Non oportet plus hoc quæri. Generalia enim Concilia non ex hæreticis & schismaticis; sed ex orthodoxis & Ecclesiæ vnitis colligi debent. Hæc tibi, ô ami-

C cum mihi caput, respondere Deus dedit. Det autem ipse tibi reliqua.

*Epistola eiusdem Domini Barlaami ad Alexium Calochetum, in qua ostendit Græcos non obedientes Romanæ Ecclesiæ esse non solum schismaticos, verum etiam hæreticos.*

AVdiui te admirari de me, quoniam eos, qui non communicant Ecclesiæ Romanæ schismaticos appello. Ego vero puto me rationabilius admirari de te, quoniam admirandum putas, si qui illo nomine vocantur, cuius definitionem perfectè suscipiunt. Nam si volueris videre, quæ est schismatici ratio, inuenies hanc iis qui à me schismatici vocantur, nihilo minùs quam

D hominis rationem congruere. Ergo hoc sit ostendendum.

Cùm itaque in Ecclesia alij aliis sint dominantiores, principaliores, & superiores: illi, qui minoris & humilioris existentes ordinis, & quibus cōuenit sub dominio aliorum esse, & sequi alios, de nulla hæresi habentes iustè accusare maiores: diuidunt se ab illorum in religione societate; mox in se ipsis schismatici condunt rationem. Nam & ipsi ad nullam aliam, quàm hanc definitionem aspicientes, eos qui euitant apud se maiorem communionem, schismaticos appellant; quales & tu non paucos scis in regnante ciuitate, eodem nomine propter nunc assignatam rationem, ab aliis vocati. At verò Romana Ecclesia *senissimum*, principalissimum, &

E summum in Catholica Ecclesia habente gradum; hi minoris existentes & inferioris ordinis: in tantum fugiunt illius communionem, quod neque eius sacerdotium putant verum esse sacerdotium, neque in Ecclesiasticis Sacramentis, volunt illi communicare: atque plures eorum etiam simul comedere simpliciter cibum cum quoquam latinorum verentur: ergo si Ecclesia illa incidente, quod absit, in hæretici rationem, hi ab ea abstinent; irreprehensibilis est separatio, & schismaticorum ratio imperceptibilis. Si vero illa nulla hæresi coniuncta hi fugiunt eius communionem, pure in rationem schismatici incidunt. Ergo quærendum est, quem nominamus hæreticum, cui communicare in aliquo delictum est: in nullo vero communicare, non solum ire-

prehensibile est, verũ etiam necessarium: & quem post primam & secundam admonitionem oportet, secundũ Apostolum ad Titum, nos euitare. Illius igitur, qui ita dicitur hæreticus, quærenda sit ratio, vt sciamus, vtrũ conuenit aliquid eius Romanæ Ecclesiæ. Cùm verò idẽ sit hæreticum esse & paradogmatistam, & peccare circa pietatis dogmata: quærendum est, quis est paradogmatista? & quis peccat circa pietatis dogmata?

Itaque cùm tria sint, à quibus habemus huiusmodi dogmata, vnum, diuina Scriptura, secundum, vniuersalia Concilia, tertium, Sancti nostri Doctores, qui post Apostolos sacram nobis exposuerunt Scripturam: si illũ vocabimus hæreticum, qui quodcumque vel de Deo, vel de alio quouis sapit & dicit: quod neque in sacra Scriptura, neq; in Conciliis, neque in doctorũ scriptis totaliter inuenitur: non benè nominabimus; quia per hanc rationem etiam multi nostrorum sanctorum Doctorum hæretici essent: Areopagita, Theologus, Nyssenus, sanctus Augustinus: qui non solùm talia dicunt, quæ neque per sensũ aliis conueniunt: alia penitus existentia, licet non opposita. Non ergo hac ratione hæreticum cognoscimus, cuius communionem fugiemus: sed eum, qui alia, præter omnes alios, de quauis re dicit, dum contraria & opposita suppositis non dicit, nondũ tanquã hæreticum admonebimus. Neque enim peccat in manifesta dogmata, qui ea non tollit. At verò & si quis nihil penitus eorum, quæ in sacra Scriptura vel in Conciliis sunt, commouens, tamen alicui sanctorum Doctorum de quouis dissonat, hunc audacem quendã & præsumptuosum, & elatum & talia nominabimus; hæreticum minimè. Quoniam per hanc quoque rationem, multi Sanctorum essent hæretici, qui in multis & magnis sibi inuicem contraria dicunt. Nam de ipsa processione Spiritus sancti. ipsi aiunt, quod Damascenus, vbi dicit, ex Filio Spiritus procedere non dicitur, sapit, quod nullo modo ipse est ex Filio.

Sanctus verò Cyrillus qui multis annis ante eum fuit, in sermone de Spiritu, in dictis suis thesauris septies ait Spiritum sanctũ ex Filio & esse & existere, & prodire: assignans & dicta Scripturæ, ex quibus id ipsum intellexerat. Sanctus verò Augustinus adhuc antiquior hoc existens in suo de Trinitate negotio, & nimis longũ de hoc protendit sermonem, & in quarto, & in quinto, & in quintodecimo libro eiusdem negotij. Quid igitur? hæreticum nominabunt Damascenũ, illis superioribus se secundum ipsos contradicentem: vel potius & seipsos iisdem sanctis tantis rebus contradicentes, an minimè? potest ergò fieri, quod is qui sanctis de Deo dissonat, nondum sit hæreticus.

Quis ergo hæreticus est & paradogmatista? quem post binam admonitionem fugiemus? an certè ille, qui sapit & dicit aliquid in dogmatibus, ita oppositum alicui eorum, quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expressè determinata sunt: vt cùm hoc sit, tollatur illud: & cùm illud sit, non possit hoc esse: atque talis ad illa repugnantia, est ex ea, quæ vituperatur hæresis. Ille verò, qui tale aliquid, neque loquitur, neque sapit, in alio verò quouis peccat, admonendus est quidem, alio nomine nominatus, non tamen tanquam hæreticus fugiendus.

Igitur cùm hæc sit illa ratio qua hæreticus notatur, videamus qualiter se habet ad eam Romana Ecclesia.

Duo sunt, quæ eius accusantes iuste aiunt se ab ea diuidi. Vnum quod dicit Spiritum sanctum procedere & ex Filio. Aliud quod per azyma conficit. At per primum nihil eorum, quæ in Scriptura vel in Conciliis sunt, tollit. Dicente enim sacra Scriptura, quod ex Patre procedit Spiritus sanctus, & Conciliis omnibus id ipsum dicentibus, Romana Ecclesia dicens & ex Filio, non oppositum aliquid illi dicit, neque eiicit illud. Non enim si procedit & ex Filio, cõtingit necessariò, minimè procedere ex Patre; sed potius necessariò confertur. Nam si procedit & ex Filio, qui omnia quæcumque habet, ex

A Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Non ergo tollitur, quod simul trahitur.

At verò neque aliud eorum, quæ in sacra Scriptura vel in Conciliis sunt tollitur, ex eo, quod dicitur, & ex Filio procedere Spiritum sanctum Non ergo secundum hoc incidit in hæreticorum rationem illa Ecclesia. A neque per azymum.

Primum enim nulli Concilio per hoc aduersatur, quoniam nullum de hoc aliquid determinauit Deinde neque sacræ Scripturæ per hoc repugnat. Et non hoc nunc dico, quia panis ille, quem sacrificauit Dominus, azymus erat; & azymum in Scriptura gerit imaginem sinceritatis & veritatis, sed illud sufficit nunc, quod diuina Scriptura panem nominante & azymum & fermentatum, & nusquam iubet hoc vel illud distinctè: certè
B neuter Scripturæ pugnat, neq; *azymita*, neque *fermentarius*. Non enim, quod nonnullorum est stultorum, dicemus: quod ille est animatus, & ille inanimatus. Omnis enim panis sua ratione inanimatus est, & nullus animatus: diuina verò virtute conuersus nequaquam inanimatus, vel totaliter substantia panis; sed viua caro viuentis Christi: qui carnem & animam rationalem & intellectualem ex nobis pro nobis assumpsit. Neque ergo per processionem Spiritus, neque per azymum illa Ecclesia cadit in schismatici rationem: quoniam per neutrum tollit quidquam manifestorum. At verò propter hæc sola, & non propter aliud aiunt se diuidi ab illa. Nõ ergo illa Ecclesia hæretica est per illa, propter quę ipsi dicunt se diuisos esse: quia secundum ea in definitionem hæretici non cadit. Restat ergo hos schismaticos esse
C necessariò, quoniam definitionis schismaticorum nihil omittunt. Quapropter hoc, vt puto, non amplius mitaberis.

Vt autem neque si audietis me hæreticum vocare eum, qui ex solo Patre asserit procedere Spiritum sanctum, admireris; volo tibi & huius rationem assignare.

Dicebamus superius, hæreticum esse eum, qui in dogmatibus pietatis sapit aliquid & dicit, oppositè se habens, vel ad diuinam scripturam, vel ad generale Concilium. At verò sacræ Scripturæ pugnari dupliciter est: vel cum aliquis rectè intelligit, quod ait Scriptura, & id ipsum proponit contraria illi dicere, æstimans illam mentiri; quod minime est Christiani. Vel asserens Scripturam omninò se venerari, dicta eius, quibus contra
D dicit, aliter quàm veritas se habet, intelligit & exponit, quod solum est hæretici. Ergo cùm inueniamus aliquem talem, pugnantem quidem diuinæ Scripturæ, nõ pugnare verò asserentem, ad quod nos iudicium referentes, indubitanter sciemus, quod pugnatur & iustè post binam admonitionem ipsum deuitabimus? An ad plures? Sed qui melius & diligentius intelligunt sacram Scripturam, pauciores sunt. An ad hos, qui in diuinis sapientiores & magis eruditi sunt? sed fortasse ille vnus est omnium sapientissimus: & potest fieri vt id ipsum verissimè omnium ipse intelligat. An ad digniores & dominantiores & principaliores? sed ait Scriptura; si fuerit reuelatum nouissimo, sileat primus. Vnde non semper necessarium est verius intelligere eum, qui primus est. An ad eos, qui nunquam aliàs hæresim aliquam
E inciderunt? Sed vnaquæque Ecclesia, quæ primitus in aliquam hæresim incidit, superioribus temporibus Catholica semper erat. Quare potest fieri eam, quæ prius semper orthodoxa erat, postmodum in hæresim cadere.

An ad sanctos nonnullos, qui prout nos dicimus, Scripturas exponunt? Sed fortasse & hic cui contradicimus, Sanctus est. Et quemadmodum in illis alij aliis contradicentes, tamen hæretici non sunt, ita & hic. Restat ergo ad iudicium generalis Concilij recurrere. At si viderimus illum ipsum sensum determinans quorundam dictorum Scripturæ, cui repugnantem sensum hic dogmatizat & tenet, indubitabile omninò fit ipsum hæreticum esse. Ergo si quis tale in dogmatibus dicit, vt non

vnum

vnum vel duo, sed omnia supra dicta, & generale Concilium in contrarium concurrant, ac in præiudicium simul omnium appareat ipsum sacræ Scripturæ pugnare: hic est omnium manifestissimus hæreticus. Sed qui dicit ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, talis est.

Et vt per prædicta omnia transeamus: Primò si quis quærit & proponit plurium iudicium, siquidem plures dicit, non rudes & illiteratos, sed legentes sacram Scripturam & intellectum lectorum vtcumque sequentes, non vtique inueniet hic tot tales, quot centenæ talium in illis inueniri possunt.

Si verò sapientiorum in diuinis & magis eruditorum iudicium præfers, in illis quidem infiniti inuenientur, ita in fine exercitati erga sacram Scripturam, vt audito aliquo ex ea dicto, habeat quilibet eorum statim assignare, & ex quo libro & capitulo est, & quis huius dicti sensus, & adhuc promptius sit, ad omnia dubitanda, probabiliter respondere. His cùm locutus fuissem sæpè sapientissimis eorum, nondum aliquem talem inueni. Puto autem neq; esse eorum talem aliquem. Si verò digniores & principaliores & dominantiores quæris? Ecclesia Romana est, quæ habet in vniuersali Ecclesia summum & dignissimum locum. Si verò eos, qui nondum aliâs in hæresim ceciderunt? ipsa sola est, de quinque Ecclesijs, quæ iure potest hoc gloriari. Si verò Sanctos? inuenies sanctum Cyrillum & sanctum Augustinum, dicta scripturæ exponendo, planissimè tradentes, & ex Filio Spiritum esse. Si verò generale Concilium? & hoc. Quia enim hi Patriarchæ Apostolicam deseruerunt Sedem, & imperialibus propositionibus se ipsos potius dederunt, & in schismaticirationem, vt ostensum est, ceciderunt: primum quidem Ecclesiarum mater, ne huiusmodi Sedes vacent, legitimis Pontificibus & canonicè sacerdotium habentibus; constituit & ordinat, cuilibet earum suum Patriarcham. Deinde post multos annos generale Concilium celebrans, de eodem ipso omnium assensu declarat, hoc per Scripturam concludi, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque, tanquam ex vno principio, procedere. Quapropter, quisquis negat, & contrarium sapit, generalis iam Concilij iudicio sacræ Scripturæ pugnat. Et propterea in hæretici definitionem, manifestè incidens, purus hæreticus est.

Hæc autem & ad te scribo, & ad alios dico, non maleuolentia aliqua, & contumeliosè, sed cupiditate, vt Ecclesia Christi vniatur, & ad seipsam redeat, & omnes Christiani in fide & veritate idipsum sapiant, & charitatis vinculo sibi inuicem copulentur, quod vt puto non in longum eueniret si hæc sola, quæ tibi scribo, in mentem omnibus venirent. Nam si persuasum fuisset eis in quo malo sunt, facilè vtique & huius liberationem quærerent. Quare nihil, vt æstimo, beneuolentius pro omnibus communiter fieri potest, quàm si talia ad eos dicantur & scribantur.

*Eiusdem Domini Barlaami Episcopi Gyracensis probatio per sacram Scripturam, quod Spiritus sanctus, & ex Filio est, quemadmodum & ex Patre.*

DOmino nostro Iesu Christo iubente nobis, perscrutari Scripturas, duo hinc intelligimus. Vnum, quod pietatis dogmata non sola sunt illa, quæ ex verbis ipsis immediatè à Scriptura traduntur: Verum etiam sunt alia, quæ per sensum dictorum perscrutantibus nobis elucescunt. Aliud est, quod debitores sumus, non sola quæ verbis promptè significantur tenere, verùm etiam illa, quæ per sensum eorum emergunt. Nam si præter ea, quæ verbo significantur, non apparent & alia ex dictorum sensu similiter illis existentia ad fidem necessaria non vtique dixisset; perscrutamini scripturas. Ad facienda enim ea, quæ verbo immediatè significantur, illaque sola tenenda; non perscrutatione, sed lectione sola opus esset. Quare dixisset, *legite scripturas*. Idipsum intelligimus, & Apostolo ad Corinthios dicente: *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.* Litteram

A dicente id, quod promptè in Scriptura per vocem significatur: Spiritum verò id, quod per debitam *scrutationem* in Scriptura per sensum conflatur. Ergo si quid eorum, quæ de Deo intelliguntur, ita se habet in Scriptura, vt id quidem recta facta inuestigatione per omnem appareat Scripturam: Eius verò oppositum neque ex voce, neque ex sensu Scripturæ necessariò concludatur, & adhuc sanctorum nostrorum Doctorum sint nonnulli, qui exponendo diuinam Scripturam idipsum manifestè concludant & tradant; manifestum, quod necessarium est hoc admitti & credi: vt, inquam, in diuina Scriptura Spiritus sanctus neque quod substantia est, neque quod accidens est, scriptum est; sed esse illum substantiam ex omnibus de eo dictis in Scriptura concluditur: Esse verò illum accidens, nullatenus concludi potest.

B Præterea sacri nostri Doctores, exponentes sacram Scripturam aiunt concludi ex ea, non tantùm ipsum substantiam esse, verùm etiam increatam substantiam, & consubstantialem Patri. Ergo necessarium est, & nobis hoc credere & confiteri. Simile igitur huic est, & quod Spiritus sanctus habet esse ex Filio, sicut ex Patre. Hoc enim per sacram Scripturam legitimè inuestigantibus eam, apparet: & multi sacrorum nostrorum doctorum exponentes Scripturam, manifestè id ipsum enunciant: sicuti sanctus Augustinus in multis suis scriptis, & sanctus Cyrillus in dictis suis Thesauris, prout potest quicumque vult inspectis eorum operibus videre quod dico. Huius verò oppositum, quod ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, & non ex Filio, nullatenus per scripturam concludi potest.

C Illi enim qui hanc defendunt opinionem, credunt se habere potissimum illud quod Dominus ait. Qui à Patre procedit, minimè verò per hoc concluditur, quod ex solo Patre; nimium enim interest dicere aliquid simpliciter, & dicere, idipsum distinguendo, *quod solum*. In multis enim vnum est verum, aliud falsum, vt pote si dicatur Filium esse Deum verum de Deo vero, verum est. Si verò dicatur solum Filium esse Deum verum, de Deo vero, falsum est. Idipsum & in alijs plurimis inuenies. Non ergo dicto, quod ex Patre procedit Spiritus, continuò per hoc necessariò concluditur, quod ex *solo*: sed quantum per hoc reliquum incertum est. Neque igitur ex dicto verbo, neque ex alio sacræ Scripturæ concluditur; quod ex solo. Quia verò & ex Filio est Spiritus, omnis diuinitus inspirata scriptura testatur.

D Incipiendum autem sit inde.

*Argumentum primum.*

DE ingenita persona, duabus personis habentibus esse, quæri potest: quidnam causæ est, quod ipsa principalis persona, in quantum est auctrix vnius principatuum personatum, adepta est proprium nomen, & vocatur ad eam Pater, in quantum est verò principium alterius personæ nullum nomen consequuta est, quemadmodum postmodum expositores nominauerunt Patrem Spiratorem sancti spiritus. Ipsa verò sacra Scriptura nullum nomen exposuit, quo oporteat Patrem respectu Spiritus appellari. Et non hoc quæro, vtrum alio modo habeat verbum esse de ingenita persona, alio verò Spiritus: nam & differentem esse modum, per

E quem vterque habet esse ex communi principio credo. Et quid interest inter duos hos modos, ignotum esse hominibus minimè dubito. Sed illud quære: cur vnus modus habet speciale nomen, & vocatur secundùm ipsum principalis persona Pater: secundùm verò alium modum, quo est eadem persona principium Spiritus, nomen in Scriptura non est? hoc autem arbitror me non irrationabiliter quærere. Sed ad illud aspiciendo, quod apud nos pater, Filius, generatio generatum & huiusmodi nomina propriè quidem de animalibus dicuntur & maximè de hominibus: ego verò vocibus prætermissis, ipsas res secundum ea quæ nobis tradita sunt, contemplans, ac modum illum, quo Dei verbum habet esse

ex Patre, comparans filiorum apud nos generationi: video illum plurimum ei dissimilem: Quam verò similitudinem apprehendo illius ad hanc, eandem indifferenter video esse & modi: quo Pater principium est Spiritus. Attende enim. Vt primum de dissimilitudine eorum dicam.

Seth non ex solo est Adam; sed ex & Eua: & non simul, neque per eundem modum. Verbum verò illic ex solo Patre est. Et Seth non est totus ex toto Adã, sed id quod emissum est primitus ex Adam, neque homo neque animal est, sed semen per quod in vulua matris Seth conditus est, neque ex toto Adam prodiens. Illic verò totus Filius ex Patre toto.

Et hic natus Seth de temporali Adam, non est sibi contemporalis. Ille enim præcessit, hic superuixit. Illic verò natum verbum de sempiterno Patre, coæternum est ei. Et hic is, qui natus est, non est in generante: neque qui genuit in generato; neque duo vnus homo est, neque voluntas eorum semper vna; neque virtus & actio vna; neque eadem scientia. Illic verò Filius in Patre, & Pater in Filio, & duo vnus Deus est, & vna eorum & voluntas & virtus, & scientia & extrinseca actio. In quo ergo diuina illa generatio similis est huic humanæ; an certè sicut hic est homo de homine, & consubstantialis de consubstantiali: ita illic verbum ex Patre est consubstantiale de consubstantiali, & Deus de Deo; At verò & Spiritus sanctus id ipsum Deus de Deo est, & consubstantialis de consubstantiali. Ergo in quo Filij generatio similis est hominum generationi, in eodem & Spiritus processio similis est eidem. Magis autem in quo Spiritus processio dissimilis est hominum generationi, in eodem & Filij generatio dissimilis est eidem: quanquam inter se differre credantur. Cur ergo illius dicitur Pater, istius verò nihil; an certè quoniam ingenua persona duarum personarum existens principium, vnius est sola, alterius verò non sola; ideo cuius quidem sola ipsa est principium, ad illam habet specificatum nomen, per quod maximè consubstantialitas eorum intelligatur, & vocata est eius Pater: cuius verò non sola est principium, ad illam nomen non habet, ne commune proprium putetur. Et contingit secundum nomina è conuerso se habere in Deo quàm in Adam, & Eua, & Seth. In his enim Adam, cuius personæ solus causa est, ad illam nomẽ non habet, quo eius principium est, scilicet, Euæ. Cuius verò non solus; sed cũ Eua auctor est, illius nominatur Pater: Spiritu sancto huiusmodi permutationem nominum dispensante nobis prouidendo, ne carnales copulas, & fluxus, & abscissiones, & partus imperfectos, & huiusmodi passiones in Trinitate imaginemur.

Propterea ergo & ne commune proprium putetur ingenita persona, habẽtis quidem personæ ex ea sola esse, nominata est Pater, ad illam verò personam, quæ non ex ea sola habet esse, nomen non habet. Ergo quidẽ hoc credo, qui verò nititur contradicere his, dum non ostẽdit aliam rationabiliorem caussam, propter quam vnum est nominatum & aliud innominatum; arbitror eum nihil ad rem dicere.

*Secundum Argumentum.*

IN Omnib. entibus, de quib. propriè dicimus imaginem & exẽplar, cum semper imago inferioris rationem habeat ad exemplar, & in nullo æqualiter exẽplari veniat: in Patre verò & Filio illic per omnia existat æqualitas & substantialis identitas quid vult Scriptura diuina, quod filium quidem nominat imaginem Patris, Patrem verò minimè imaginem Filij? an certè propter principij rationem? quoniam Filius ex Patre est, non Pater ex Filio. Quemadmodum & omne exemplar principium est suæ imaginis. Imaginem itaque diuina Scriptura nominans Filium inuisibilis Dei, simul ostendit, & quod ex eo est, & quod similis ei est: minoritate videlicet prætermissa, tanquam minimè conueniente. At verò, quemadmodum Filius dicitur imago Patris, non Pater imago Filij: ita Spiritus sanctus in eadem Scriptura dicitur imago Filij: non Filius imago Spiritus. Dicit enim Apostolus ad Romanos: *quos enim præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis Filij sui.* (Rom. 8.) Et ad Corinthios: *sicut portauimus imaginem terrestris: portemus & imaginem cælestis*, (1. Cor. 15) cælestem dicens Filium. Et iterum; *nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eadem imagine transformamur de gloria in gloriam sicut à Domini Spiritu.* (2. Cor. 3) Quod autem imago Filij dicitur in his Spiritus ipse sanctus, habemus per sanctũ Cyrillum in thesauris: in quibus ex eisdem verbis concludit ipse, quod Spiritus est & ex Filio. Ergo & nos id ipsum per eadem concludentes, & ex eo quod dicitur, Spiritus imago Filij: ex ipso etiam secundum superius assignatam rationem intelligentes, rectissimè & intelligimus, & concludimus, & dicimus.

*Tertium Argumentum.*

ITem cùm Deus sit incorporeus, & membra corporalia non habeat, quid est, quod Spiritus sanctus, spiritus oris eius dicitur? ait enim: *verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* (Psal. 32) An certè, vt ex hoc intelligamus Spiritũ sanctum ex eo tanquam ex principio esse? sed sicut dicitur; Spiritus oris Spiritus Patris; ita idem ipse in eadem Scriptura dicitur Spiritus oris Filij. Ait enim Esaias de Filio: *& percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* (Isai. 11.) Et Paulus ad Thessalonicenses; *quem interficiet Dominus Iesus Spiritu oris sui.* (2. Thess. 2.) Ioannes verò in Apocalypsi propter occidendi rationem tanquam gladium ancipitem eundem vidit. Ait enim de Filio: *& ex ore eius procedebat gladius anceps, vt in eo percutiat gentes.* (Apo. 19.) Et post pauca: *& reliqui interfecti sunt in gladio sedentis super equum procedente ex ore eius.* (ibid.) Ergo diuina Scriptura nominans Spiritum sanctum, Spiritum oris Filij & gladium procedentem ex ore eius: quid aliud nos docet per huiusmodi signa; nisi quod Spiritus sanctus ex Filio est, sicut ex Patre?

*Quartum argumentum.*

ITem Filius secundum Esaiam *brachium* Patris dicitur: Spiritus sanctus in Euangelijs *digitus Dei*. (Isa. 53.) Nam beatus Matthæus narrat dixisse Christum: *si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, vtique peruenit ad vos regnum cœlorum.* (Matth. 12.) Sanctus verò Lucas in eodem ait *si verò in digito Dei eiicio dæmonia, vtique peruenit ad vos regnum cœlorum.* Ergo digitus Dei Spiritus sanctus dictus est. Prætermissis igitur his quæ Trinitati ex his congruere non possunt: scilicet, quod aliud est totum, aliud pars: & aliud propinquius, aliud longius à communi principio: quid reliquum est intelligendum per has nominationes, nisi quod Filius quidem tanquàm brachium est ex solo Patre: Spiritus verò sanctus tanquam digitus est ex Patre, Filióque?

*Quintum Argumentum.*

ITem in Iordane Pater desuper testabatur Filio: ipse verò Filius subtus baptizabatur, Spiritus autem sanctus desuper descendens in specie columbæ, non oblique de latere Christi stetit: quod esset vtique signum Filium & Spiritum ex solo Patre habere esse, tanquam æque diuisos: sed super eum stetit in medio videlicet duorum; quod est signum, communem ipsum eorum esse. Communis autem non vtique esset, nisi tanquam ex ambobus procedens, & id quod videbatur desuper columba à Patre descendens ad Filium, signum faciens: quod licet ab æterno Spiritus est ex Filio sicut ex Patre: tamen Filius hoc habet ex Patre, non Pater ex Filio. Nihil autem obstat huic speculationi quod dictum est, columbam manere super Filium. Nam manere in eo, & esse ex eo contraria non sunt. sicut enim simul & in Patre est, & ex Patre: ita simul & in Filio & ex Filio.

*Sextum*

*Sextum Argumentum.*

CVm sit vna substantia, virtus & actio Patris & Filij, & omnia quæ fiunt non magis à Patre quàm à Filio sint: quidnam caussæ est quod Pater in diuina Scriptura dicitur facere res Filio, & per Filium: Filius verò nihil dicitur facere Patre vel per Patrē? *Verbo.* n. *Domini,* Psal. 32. ait Psalmista, *cæli firmati sunt.* Et Euangelista: *omnia* Ioan. 1. *per ipsum facta sunt.* Et Apostolus: 1.Cor. 8 *Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* Hebr. 1. Et alibi, *in nouissimis autē his diebus locutus est nobis in Filio, quē posuit heredem omnium, per quem etiam sæcula fecit* Quia verò è conuerso fecit Filius aliquid per Patrem, vel Patre; nusquam scriptum est. Quamquam neque instrumentum Patris Filius est, vt dicatur Pater tanquā per instrumētū facere aliquid per ipsum & ipso. Neque rursus quæ fiunt immediatè & propinquè fiunt à Filio: mediatè verò & longius à Patre; vt secundum hunc sensum dicatur Pater facere per Filium: nam immediatè à Patre & Filio, tanquam ab vno conditore, vno & simplici actu omnia fiunt. cur ergo illo modo scriptura de eis disputat? an vt intelligamus principium & quod ex eo est, quia esse eorum vnam simplicem substātiam, virtutem & actionem & omnia esse communia: ex Patre tanquam ex proprio principio, adest Filio, sed non ex Filio Patri. sed ad huius speculationis intellectum, Pater dicitur in Scriptura facere Filio & per Filium; huic verò è conuerso nusquam Scripturæ scriptum est. Similiter autem cùm sit Patris & Spiritus sancti vna simplex substantia, virtus & actio, & neque instrumentum Patris sit Spiritus: neque illa quæ fiunt, propinquius à Spiritu quàm à Patre fiunt: ipsum quidem Spiritum S. facere aliquid Patre vel per Patrem, nusquā Scripturæ scriptū est. Quia verò Pater facit res Spiritu & per Spiritū, per omnem fertur scripturam. Spiritu enim Deus secundum Psalmistam cœlos Rom. 5. fortificat, & animas nostras confirmat. Et Apostolus ad Rom. 8 Romanos: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis:* & iterum: *qui suscitauit Iesum Christū de mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, per Spiritum sāctum qui habitat in nobis* Et ad 1.Cor. 2. Corinthios: *nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suū,* Tit. 3. Et ad Titum: *sed secundum misericordiā, saluos nos fecit* Hebr. 2. *per lauacrū regenerationis Spiritus sancti:* Et ad Hebræos: *Contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti diuisionibus.* Act. 4. Et beatus Lucas in Actibus: *Domine qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri* Act. 10. *tui dixisti* Et rursus *quomodo vnxit eum Dominus Spiritu sancto & virtute.* Et multa talia inuenies in Scriptura quærendo: huius verò è conuerso minimè. Et est certum quod est eadē caussa, vt ita de eis Scriptura disputet, quod esse communes & easdem ad creaturas actiones Patris & sancti Spiritus Ex Patre tanquam ex principio adest Spiritui sancto, & nō Patri ex Spiritu sancto.

Vt enim hoc intelligamus, Patrem ait Spiritu & per Spiritum facere, Spiritum verò nunquā ait Patre vel per Patrem facere aliquid. At verò secundum eundem modum, quod Filius facit aliquid per Spiritum & Spiritu, omnis diuina Scriptura plena est: quod verò Spiritus aliquid facit Filio vel per Filium, nusquam Scripturæ dicitur. In Euangelijs enim Spiritu sancto dicitur Christus baptizare, & dæmonia eiicere: & Apostolus ad Rom. 15. Romanos: *non enim ausus sum dicere aliquid eorum, quæ per me non fecit Christus in obedientiam gētium in verbo & operibus, in virtute signorum & miraculorum, in virtute* 2.Thes. 2. *Spiritus sancti,* Et ad Tessalonicenses: *qui interficiet Do-* Hebr. 9. *minus Iesus Spiritu oris sui.* Et ad Hebræos: *quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctū se ipsum obtulit immaculatum Deo.* Act. 1. Et in Actibus: *vsque ad illum diem, in quo præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est* Et Esaias: *& Spiritu labiorum suorum interfi-* Isai. 11. *ciet impium.* Itaque quoniam Spiritus sanctus nō est instrumentum Filij, vt per hoc dicatur Filius facere, eo & per eum; neque rursus quæ fiunt propinquius à Spiritu quàm à Filio fiunt. Vno enim simplici actu, & imme- A diate à Filio & Spiritu sancto: magis autem à tota Trinitate omnia fiunt. Quid vult Scriptura, quod Filium quidem dicit facere Spiritu & per Spiritū: Spiritū verò Filio vel per Filium facere aliquid nusquam dicit? an certum est, quod secundùm superius assignatam rationem consona sibi existente Scriptura causa est vt hęc ita scripta sint? Quoniam esse communes & easdem ad creaturas Filij & Spiritus Sancti operationes: ex Filio tanquam ex principio adest Spiritui: sicut & ex Patre, & non Filio ex Spiritu: aut ergo est Spiritus & ex Filio; aut minimè seipsam Scriptura sequitur.

*Septimum Argumentum.*

B ITem Filius dicitur Verbum Patris, & ex hac nominatione, intelligimus eum, & coæternum Patri, & ex eo habere esse. Sicut autem Filius dicitur Verbum Patris, ita Spiritus sanctus dicitur Rema Filij. Ait enim Hebr. 1. Apostolus ad Hebræos de Filio: *qui cum esset splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia Remate virtutis suæ* Quod autem in his Rema virtutis Filij ipsū Spiritum sanctum nominat patet ex alijs partibus Scripturæ. Certè enim quo Filius purgat animas, eiicit dæmonia, signa & portenta facit; eodem & portat omnia. At verò scriptum est, illa facere Spiritu sancto: ergo & Spiritu sācto & omnia portat. Dicitur autē in proposito dicto Remate suæ virtutis portare omnia, Spiritus ergo sanctus & Rema virtutis Filij idem est. Pater autem id ipsum & inde. Cui trium personarum vt plurimum in Scriptura viuificare attribuitur? sancto Spiritui. Ait C enim Dominus: *Spiritus est qui viuificat* Et Apostolus Ioan. 6. ad Romanos: *qui suscitauit Iesum Christū ex mortuis vi-* Rom. 8. *uificabit & mortalia nostra corpora per Spiritum suum qui* Ibidem. *habitat in nobis* Iterum: *si Spiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis.* Quis autem de tribus procedere dicitur? certè Spiritus. Quis adhuc dicitur esse os Patris? Spiritus. At verò ipse Dominus comprehendens simul viui- Matt. 4. ficationem, processionem & os, ait: *non in solo pane viuit homo: sed in omni Remate procedēte per os Dei.* Ergo omne Rema procedens per os Dei in quo viuimus, ipse Spiritus sanctus est. Manifestissimum autem hoc fecit Apo- Ephes. 6. stolus ad Ephesios dicens: *& galeam salutis accipite, gladium Spiritus, quod est Rema Dei* Nā cùm in lingua Græca gladius esset fœminini generis, & Spiritus neutri: non dixit *quæ est Rema Dei,* vt intelligatur gladius. Sed *quod* D *est Rema Dei,* vt exinde intelligatur Spiritus: ac si diceretur in lingua Latina: *qui Spiritus Rema Dei est.* Rema ergo virtutis Filii, quo omnia portat, ipse Spiritus est. Et sicut vbi Filius dicitur, splendor gloriæ Patris, circumlocutiuè dictum est pro eo quod dicatur, splendor Patris: ita & Spiritus sanctus dicitur esse Rema virtutis Filij pro eo quod dicatur Rema Filij. Ergo ex hac nominatione quid aliud potest intelligi nisi quod Spiritus ex Filio est? quoniam & omne Rema ex illo est, cuius esse dicitur.

Notandum verò est, & illud: quod cum logos dicatū in lingua Græca, & in voce & in corde, rema tantum in voce & ore: Spiritus quidem sanctus dicitur Rema per os Dei procedens, & Spiritus oris Dei: Filius verò Psal. 44. logos quidem cordis Dei dicitur *Eructauit enim,* ait, E *cor meum logon bonum,* quod ex persona Patris dictū esse sanctus Dionysius testatur: logos autem oris Dei non dicitur. De quibus vocibus tanquam mysticis quibusdam notis illud intelligimus, quod sicut cordis logos est, ex sola mente: Rema verò vocis est ex mente & logo, qui in corde est: Ita Filius quidem ex solo Patre est: Spiritus verò sanctus ex Patre Filioque,

*Octauum Argumentum.*

SPiritus sanctus dicitur in scriptura esse & Patris, & Filij Ait enim Apostolus ad Romanos: *si quis Spiri-* Rom. 8. *tum Christi non habet, hic non est eius* Et ad Galatas: *misit* Gal. 4. *Deus Spiritum Filij sui.* At verò, quæ sūt cōmunia Patris

& Filij, non aliter sunt Patris & aliter Filij, sed similiter & eodem modo: quod Dominus ostendit in aliquibus. Ioan. 5. Ibid. Ait enim: *quaecumque Pater facit, eadem & filius similiter facit*. Et iterum, *sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: ita & Filius quos vult viuificat:* Sicut ergo facere & viuificare commune existens Patris & Filij, similiter est amborum: ita & si quid aliud commune est Patris & Filij eadẽ ratione & modo duorum est: salua videlicet illa distinctione qua intelligimus communia duorum ex Patre adesse Filio, non ex alio Patri: & idipsum significat Dominus dicens: Ibid. *sicut Pater habet vitã in semetipso; ita dedit & Filio vitam habere in semetipso*. Ergo habere vitam in semet ipso commune existens similiter amborum: tamẽ ex Patre ab æterno Filius hoc habet. Qua propter quia Spiritus sanctus & Patris est, & Filij, illo videlicet distincto tantum, quod Filius hoc habet ab æterno ex Patre vt eius dicatur Spiritus.

At verò ideo dicitur Spiritus sanctus, Spiritus Patris, quoniam ex eo. Si enim alius existens quàm Pater, non esset ex eo, non vtique diceretur eius esse. Significant autem & hoc Euangelistæ. Illi enim qui dicunt Spiritum Patris, non dicunt Spiritum ex Patre: Ioannes verò solus, qui post omnes Euangelium scripsit, Spiritum à Patre procedentem dicens, spiritum Patris in suo Euangelio minimè dicit. Putasne ignorabant vel illi, vtrum ex Patre est Spiritus: vel hic, vtrum Patris est? minime Sed certum est, quod & illi dicentes esse Patris Spiritum, per hoc significare volebant, quod ex Patre est: & hic dicẽs ipsum à Patre, eodem ipso & quod Patris est significat. Ergo si necessarium est Spiritum sanctum ita esse Filij, sicut est Patris: est autem Patris tanquam existens ex eo, est ergo & Filij tanquam existens ex eo. Est autem idipsum manifestũ, & quia non conuertitur: multis enim in Scriptura nominibus Filius, cùm esset nominatus, in nullo eorum dicitur esse Spiritus, sicut ipse Spiritus di- Ephes. 6 citur esse Filij. Non enim vbi ait Apostolus *gladiũ Spiritus*, Filium nominat gladium; vt quidam intelligunt. Patet autem, ex superioribus. Cùm enim dixisset: *induimini & sumite armaturam Dei*, ac per hoc Patrẽ significasset; descendẽs infert: *& galeam salutaris accipite*, salu- Ioan. 5. Luc. 2. Ephes. 6. tare nominans ipsum incarnatum Filiũ. *Videbit enim*, ait, *omnis caro salutare Dei. Et quia viderũt oculi mei, salutare tuum* Deinde consequẽter dicit *Et gladiũ Spiritus*. Per hæc duo nomina, ipsum Spiritũ significans. Meritò autem armaturam quidem attribuit Patri, Galeam verò & gladium Filio & Spiritui. Quoniam enim armatura est genus vel totum, galea verò & gladius, sunt species vel partes: & semper totum & genus principij rationem habet ad partes & species. Est autem & Pater principiũ Filij & Spiritus sancti. Iure armaturam quidem habentem principij rationem attribuit principalissimæ Patris personæ: galeam verò & gladium, quorum est armatura principium, Filio & Spiritui, quorum est Pater & principium. Non quia ibi genus & species & totum & partes sunt; sed solummodo secundum rationem principij, & eorum quæ ex eo sunt. Et quoniam caput principij habet rationem ad manum: capitis quidẽ arma attribuit Filio, manus verò Spiritui: vt exinde intelligamus Filiũ principium esse Spiritus. Sed quod sermo cœpit dicere, illud est, quod Filius secundũ nullum suorum nominũ dicitur Spiritus, sicut ipse Spirit⁹ dicitur esse Filij Ergo vt verba non conuertãtur, causa est, quod res non conuertuntur. Si quidem in Scriptura consona rebus verba redduntur. Non autem conuertentur, si Spiritus est, & ex Filio. Manifestum enim est, quod Filius non est ex Spiritu: Re mate autem secundum hunc modum non conuertente, meritò neque verba in Scriptura conuertuntur. Sed Spiritus dicitur esse Filij, Filius verò non dicitur esse Spiritus.

*Nonum Argumentum.*

Mittit in Scriptura Pater Spiritum sanctum. Hic autem Patrem non mittit. Vnde quæri potest, quomodo qui vbiq; est, & omnia implet, mittitur alio;

A Vbi enim nõ est, vt illic mittatur? vel quomodo cui inseparabiliter est vnitus, ab eo aliò mittitur; vel qui penitus immutabilis est, & inalterabilis, quomodo in tẽpore aliquid patitur? Si verò dicet aliquis quod ipsa quidẽ Spiritus persona non mittitur; sed gratia eius missa ipse dicitur mitti? primum quidem dubitandum est, vtrum gratia Spiritus sancti ita mittitur, sicut ea quæ de loco in locum mouentur; deinde si alia dona gratia Spiritus quàm Patris? vna enim trium personarũ est simpliciter gratia: & nullã habet Spiritus gratiam quæ Patris similiter non est. Quid familiarius & congruentius, cõmuni gratia missa, Spiritus dicetur mitti à Patre, quàm Pater à Spiritu? nam si scriptum fuisset quod Spiritus misit Patrem, possemus similiter dicere, quod ipse quidẽ non mittitur? gratia verò eius missa dicitur ipse mitti.

B Quid ergo vult Scriptura, vt introducat Patrem mittentem Spiritum; missum verò à Spiritu, minimè? an quia ille qui mittit ad illum qui mittitur, in quantum mittit, principij habet rationem? est autem & Pater principium Spiritus, mitti quidem Patrem à Spiritu incongruentissimè diceretur. Spiritum vero à Patre mitti, cõgruentissimè dictum est: vt per hoc Pater Principium esse Spiritus significetur, Et est vtique Patrem ad nos mittere Spiritum, nihil aliud, quàm certum nobis facere, quod ex ipso intẽporaliter est Spiritus: quia est quidem Spiritus intemporaliter à Patre. Nos autem hoc nõ intemporaliter cognoscimus, vel credimus, sed in tempore. Igitur quoniam in tempore hoc nobis manifestatur; scriptum est, ipsum Spiritum à Patre mitti ad nos, quod est manifestum nobis fieri ab eo, quod ex eo est.

C At verò similiter Patri & Filius mittit Spiritum, & non mittitur ab ipso. Licet enim dicat Esaias ex persona Filij: *Misit me Dominus & Spirit⁹ eius*. Et iterũ, *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, Euãgelizare pauperib⁹* Isai. 48. *misit me*: tamen qua natura conuenit Filio vocare Patrẽ Isai. 61. Dominum, illa vtique & mitti à Spiritu se ait: Non enim dixit Spiritus Dei, vel Patris *sed Spiritus Domini misit me*, Dominum verò Patrem, non secũdum suam deitatem, sed humanitatem. Secũdum ergo humanitatem in propositis dictis intelligitur mitti à Spiritu, & non secundũ deitatem, quia humanitas eius est, quæ Deum Patrem Dominum suum vocat, & non deitas, Ergo quoniam commune est Patris & Filij mittere spiritũ, & non mitti ab eo: qua vtique ratione mittit Pater Spiritum, eadẽ & Filius mittit ipsum. Mittit autem Pater Spiritum, ostẽ-

D dens nobis quia ex eo est. Mittit ergo & Filius Spiritum significans nobis, quia ex ipso Filio ipse est. Aspice autem & Apostoli de hoc capitulo alibi diligentiam. Quia enim sciuit Filium quidem ex solo Patre, Spiritum verò ex Patre Filioque: ideo de Filio quidẽ dicit ad Galatas: *misit Deus Filium suum*; de Spiritu verò post pauca non Gal. 4. ita dixit; *misit Deus Spiritum suum*, ne ex ipso solo significetur. Sed quomodo? *misit Deus Spiritum Filij sui*. Per vtrumque ambo significans; nam & dicendo, *misit Pater Spiritum*, significat, quod & eius est; & ex eo: dicendo, *Spiritum Filij sui* significat: quod & ex Filio est, & ab eo mittitur.

*Decimum Argumentum.*

E Dat hominibus Deus Pater Spiritum. At enim Dominus in Lucæ Euangelio: *quanto magis Pater ve-* Luc. 11. *ster cœlestis dabit Spiritũ bonum petentibus se?* Et Aposto- Act. 5. li in Actibus: *nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus quem dedit Dominus omnibus obedientibus ipsi.* Act. 11. Et iterum. *quis ego sum, vt impediam Deum dare Spiri-* 1. Ioan. 4 *tum sanctum, credentibus in nomine Iesu?* & Ioannes in prima: *in hoc cognoscimus, quia in eo manemus, ipse in nobis, quod ex Spiritu suo dedit nobis.* Et Apostol⁹ ad Ga- Gal. 3. latas: *qui igitur dedit vobis Spiritum & operatur virtutes* Ephes. 1. *in vobis.* Et ad Ephesios: *Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis.* Et ad Tessalonicenses: *sed* 1. Thes. 4. *Deum, qui & dedit Spiritum sanctũ suum in vobis.* Quia verò Spiritus sanctus dat Patrem nusquam scriptum est

ergo

ergo inseparabilis & indiuisibilis cum esset trinitas, dubitabile profectò efficitur, quomodo vna persona aliā dat, vel quomodo possibile est à nobis accipi Spiritum sanctum; nō accipientibus simul & Patrem? si vero nihilominus Patrem, quàm Spiritum accipimus: quādo Spiritum accipimus quæ ratio est, vt non similiter & Patrem à Spiritu dari scribatur? si verò dicet aliquis quod accipere Spiritum sanctum eum nos ab eo accipimus, & aliquam spiritualem operationē patimur ab eo, & spirituale aliquod donum ab eo accipimus, vel sapientiā, vel linguam, vel prophetiam, vel potestatem soluēdi & ligandi, vel aliquid tale: & hoc est quod nos accipimus ipsum; quia è conuerso accipimur & bene patimur ab ipso inalterabili & immutabili eo manente.

Est quidem, pro vt credo, Spiritus acceptio bene expressa, quod verò quæritur, nihilo magis inuentum est, vel dubium solutū. Nam si nihilo magis à Spiritu sancto accipimur, & beneficium patimur, & dona accipimus, quam à Patre: æqualiter enim & similiter à tribus personis huiusmodi beneficia nobis eueniunt: Quæ causa est, vt cum huiusmodi beneficia æqualiter à Patre & Spiritu accipimus, Pater quidē dicatur dare nobis Spiritum sanctum, huic verò è conuerso minimè scribatur? an certè, quoniam semper ille, qui dat aliquid, in quantum dat principij rationem habet id quod datur? Est autem & Pater principium Spiritus sancti. Dici quidē Patrem dari à Spiritu sancto; absurdissime diceretur. Quia verò Pater dat Spiritum, cōgruentissime dicitur, vt exinde intelligamus, illum quidem tāquam principium; hunc autem tanquam ex eo; & ita dicta in tempore datio Spiritus sancti, reducit nos ad sempiternam eius ex eodem processionem. At verò & Filius dat in Scriptura Spiritum sanctum. Insufflauit enim, & dixit discipulis: *accipite Spiritum sanctū*. Et in prima Catholica Epistola ait beatus Ioānes de Christo *in hoc cognoscimus, quia manet in nobis de Spiritu quē nobis dedit*. Quia verò Spiritus sanctus dat Filium, nusquam scriptum est. Quoniā ergo dare Spiritum & non dari ab eo, commune est Patris & Filij: Communia verò indifferenter sunt communia; Similiter vtique intellecta datione & acceptione in Filio & Spiritu, sicut in Patre & Spiritu; necesse est ex eo ipso intelligere nos, quod Filius principiū est spiritus, & spiritus in temporaliter est ex ipso.

Ioan. 20.

1. Ioan. 3.

*Vndecimum Argumentum.*

EFfundit in Scriptura sacra Pater Spiritum sanctum. Ait enim: *Effundam à Spiritu meo super omnem carnem*. De quo quis meritò dubitabit, quomodo effunditur, quod non est humidæ naturæ vel defluētis? vel quomodo patitur aliquid, quod penitus est impassibile? ac si vera est Patris & Spiritus sancti operatio: & est effundere operatio quædam: & ipse ergo se ipsum effundit. Sed quomodo cùm esset simplicissimus ipse ad seipsum facit, & à seipso patitur? si verò dicet aliquis, quod effūdi ipse dicitur: eo quod eius gratia effunditur, vt scriptū est in actibus, *quod & in gentibus gratia Spiritus sancti effusa est*: hoc autem propter copiosam & abandantem donorum distributionem ad multos subitò transeuntem: sed cùm eadem sit gratia Patris & Spiritus sancti: quid magis communi gratia effusa, Pater dicitur effundere Spiritum, quàm Spiritus Patrem? huius autem solutio eadem vtique est, quæ & priorum. Quoniam enim ille qui effundit ad id quod effunditur, in quantum effundit, principij habet rationem: Est autem & Pater quidem dicitur effundere spiritum, spiritus verò Patrem non, vt ex huiusmodi vocibus dirigamur ad intelligendum quod Pater principium est spiritus. Necesse enim est, vt sempiterna per ea quæ tēporaliter in scripturis dicuntur, tanquam per quædam signa, secundum aliquam similitudinem significentur. At verò & Filius dicitur in scriptura effundere spiritum. Ait enim Apostolus ad Titum: *secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrū regenerationis & renouationis spiri-*

Iohel. 2.

Actor. 10.

Tit. 3.



A *tus sancti, quem effudit ad nos copiose per Iesum Christum saluatorem nostrum*. Effundi enim ait spiritum per Filium, quoniam id ipsum vt effundat spiritum habet Filius ex Patre, quod significatur ex alia Scriptura. Scriptū enim est in actibus, *promissione spiritus sancti accepta à Patre: effudit hoc quod nunc videtis & auditis*. Quod verò Spiritus effundat Filium, scriptum non est. Quare & ex hoc Filium principium esse Spiritus concluditur.

Act. 2.

*Duodecimum Argumentum.*

ACcepta ait *à Patre promissione spiritus sancti, effudit hoc quod nunc videtis & auditis*. Hoc autem ait, non quia habet aliquid Pater, quod Filius non semper habet, & postmodum idipsum accipit à Patre. Nam in temporaliter cùm esset à patre natus, hoc ipso quod in temporaliter ex eo natus est, ab æterno habens ex Patre omnia quæcumque habet, dicitur accipere à Patre; non quæ prius non habebat, sed æternaliter quæ ex eo existēs habet. Quare quod scriptum est, recipere ipsum à Patre significatum est æternaliter ex Patre ipsum esse, & habere quæcūque habet. At verò sicut Filius dicitur accipere à Patre, & effundere Apostolis; ita Spiritus sanctus dicitur accipere ex Filio & annūciare eisdem. Ait enim: *De meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quare & hoc similiter significatum erit, quod ipse Spiritus sanctus ex Filio æternaliter est, & habet quæcumque habet: sicut & ex Patre. Hoc autē patet & per præcedētia verba: dixit enim, *cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatē*. Deinde quoniam per hoc quædā diminutio posset putari eius Filio: siquidem docere Apostolos omnem veritatem, rem tantam ipse quidem non fecit: Spiritum verò sanctum hoc ait facturum fore. Infert: *non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis*. Ac si diceret, quod ille vos ducat ad omnem veritatem, & annunciet vobis ventura: gloria mea est. Quoniam sicut ego accipiens à Patre effundam vobis; ita ille accipiens ex meo anuūciabit vobis. Hoc est, sicut ego intemporaliter existens ex Patre in eo intemporaliter habeo quæcūque habeo & facio: ita Spiritus de me intemporaliter existēs, de meo habet omnia quæcumque habet & facit. Quare ducere vos in omnem veritatem, de meo acceptum intemporaliter habet. Quoniam in his quidem verbis ostenditur Spiritum sanctum esse ex ipso. Superius verò dixerat esse illū ex Patre, vbi ait: *qui à Patre procedit*. volēs adhuc manifestius ostendere, quod commune est Patris & ipsius esse videlicet ex ambobus Spiritū inducit. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Ideo dixit: quia de meo accipiet*, vt superius dixerat; sed permutans tēpus verbi, ait: *quia de meo accipiet*: vt id ipsū quod accipit Spiritus ex Filio, nihil aliud significet, quam esse intemporaliter ex ipso. Et aspice Scripturam scripturæ coaptando, admirādam analogiam. Filius accipiens à Patre, effundit Apostolis: Spiritus sanctus accipiēs de Filio, annunciat Apostolis. Item Apostoli accipientes à Spiritu sancto annunciant mūdo. Ait enim alia Scriptura: *accipietis virtutem ex alto superuenientis spiritus sancti super vos: & eritis mihi testes in Ierusalem & vniuersa Iudæa & Samaria, & vsque ad terminos terræ*. Id verò quod dictum est *de meo accipiet*, pro eo dictū est, quod dicat *de me, vel ex me*. Vt per hoc intelligatur ipsa Filij persona, pro vt testantur Euangeliorum expositores, sanctus Ioannes Chrysostomus, & beatus Cyrillus.

Act. 2. — Ioan. 16. — Ibid. — Ibid. — Ioan. 15. — Ioan. 16. — Ibid. — Act. 1. — Ioan. 16.

(Section letters in the margin: B, C, D, E.)

*Tertium decimum Argumentum.*

AIt Ioannes in Apocalypsi: *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ clarum tanquam Crystallum procedentē de Sede Dei & agni*. In his fluuium aquæ viuæ Spiritum sanctum est nominari, agnum verò Filiū Dei, quoniam verò procedit Spiritus sanctus & ex Filio, non in quantum homo est Filius; sed in quantum Deus est, & eiusdē sedis Patri; Ideò ait procedere fluuium de Sede Dei &

Apoc. 22.

agni: quod est de natura illa, quæ est agnus, syotheonus Patri, vt per hoc significetur agnum auctorem esse in A quantum ipse agnus Deus est.

*Decimumquartum Argumentum.*

ITem ait Ioannes in euangelio de Christo: *insufflauit & dixit discipulis: accipite Spiritum sanctum.* Sed quomodo datur vel accipitur Spiritus sanctus vel eius dona? & quid est eum dari & accipi? & ad quales Deo decentes intelligentias per huiusmodi voces, oportet nos reduci, superius apertum est. Nunc autem insufflatum tantum examinandum sit. Certum est enim, quod dicens Dominus, *accipite Spiritum sanctum*, non iubet Apostolis accipere illum corporeum & humanè de pretioso ore eius prodeuntem Spiritum, vt illum absorbêtes possint dimittere, & tenere peccata. Ergo si sine insufflādia ctu, dictis solummodo reliquis verbis, eandem Apostoli B reciperêt gratiam: quid volebat sibi insufflare? an ille quidem incorporeus Spiritus sumptus extitit tanquam signum spiritus sancti, sicut prius columba? Domini verò corpus tanquam symbolum deitatis, cui personaliter vnitum erat: temporalis verò & corporalis de ore eius flatus illius motus tanquam signum seu figura intemporalis & incorporeæ, & inseparabilis processionis spiritus sancti, ex deitate Filij, vt per hoc intelligamus spiritum à Patre procedentem etiam ex Filio similiter procedere? Huius autem duæ sunt probationes. Vna, quod etiam sanctus Augustinus ita explanat & reducit istum locum scripturæ. Alia verò, quod nisi ita aperiatur ille insufflatus, relinquitur absque ratione factus; quod est C impossibile. Procedit ergo & ex Filio Spiritus sanctus: ideò enim prius insufflauit, deinde dixit: *accipite:* vt ostêderet, quod temporaliter hominibus dare spiritū sanctum habet ipse ex eo quod æternaliter ex ipso procedit: quoniam illius est dare ipsum: qui quidem est principium eius substantiæ.

*Decimumquintum Argumentum.*

OPortet autem post hæc comparare huic factæ per nos demōstrationi, de processione spiritus sancti, & ex Filio, sermones eorum, qui opposituum ostendere nituntur, & videre quantum intersit. Illi enim aut contumeliis, & blasphemiis nos percutientes, & tali specie sermonum vtentes, aut supponentes verba nostra, vel D quorundam dictorum expositionem, vel argumenta nō sicut nos intelligimus & dicim⁹, & exponimus: sed sicut ipsi dicere nos & intelligere putant: aut etiam fingêtes ipsi nostra verba, prout eis facile sit destruere, ita aduersus nos sermocinantur.

Dictorum autem sacræ Scripturæ, per quæ nihil cōmiscentes eis nihil forinsecæ sciêtiæ possent ostendere, ex solo Patre esse Spiritum sanctum, nullam consequūtur facultatem. Nos autem in exposito hoc sermone contumelia omni abstinentes, & nihil calumniosè supponentes, per ipsa sacra eloquia nihil vanæ sciêtiæ assumentes: ostendimus, quod ex Filio procedit Spiritus sanctus. Quare si quis non sufficere putat hanc nostram demonstrationem: sed adhuc dubitat & veretur cōclusioni assêtiri: multo magis talis debet dubitare & timere E recipere, quod ex solo Patre Spiritus est, cùm huius nulla talis possit esse demonstratio. Nam timêtem admittere, id quod per multa ostenditur: audacter affirmare, quod per nullum dictum sacræ Scripturæ appatet: passio est ratione penitus carens.

*Decimumsextum Argumentum.*

QVia verò, sicut potest aliquid ostendi per diuinam Scripturam eorum quæ verbis ipsis non dicuntur: per sensum verò diuersimodè dictorum concluduntur: & præsens quæstio benè & sufficienter ostensa est: inde manifestum Spiritus sanctus increatus & consubstantialis Patri & Filio esse creditur. Hoc non verbis ipsis diuina Scriptura dicente: sed per multa alia diligenter eam legentibus idipsum significante. At verò si quis voluerit illis demonstrationibus per quas ostenditur de Scriptura, increatum & consubstantialem Patri & Filio esse Spiritum sanctum, comparare has, per quas ostendimus Spiritum ex Patre, Filióque procedere: inueniet in nullo illis inferiores, sed ferè fortiores: diuina Scriptura maiorem facultatem ad has, quam ad illas, præbente: vt demonstrabo.

Omnium dictorum diuinæ Scripturæ per quæ Patres ostendunt increatum Deum esse Spiritum sanctum: hæretici adinueniebāt aliam expositionem, licet non veram: sed ita persuasibilē, & tantam apparentiam habentem, vt eos qui non perscrutabāmt Scripturas, neque ab ipso Spiritu iuuabantur: satis decipiant blasphemiæ consentire. Sed horum per quæ nos ostendimus Spiritum sanctum, & ex Filio esse, nulla alia expositio potest inueniri ita opposita aduersus nostram, vt illa credita, hæc necessariò excludatur. Habet enim se res ita, in quibus diuina Scriptura de Filio & Spiritu disputat, quæ inter ipsos sunt tradens. Decem quædam ponit non conuertentia, vt ostensum est: quæ per hoc nihil aliud significant, quàm Filium principium esse Spiritus. Vt pote. Nihil enim prohibet ea resumēdo iuxta inuicē ponere.

Scriptū est, quod Filius brachium est Dei, & Spiritus digitus est Dei. Cumque omnis digitus depêdet de brachio, huius è conuerso scriptum non est.

Item, scriptum est quod Spiritus sanctus est oris Filij & remæ eius. Sed Filius quia logos est Patris scriptum est: quia verò rema Spiritus, vel oris Spiritus, nusquam scriptum est.

Item dicitur in Scriptura Spiritus sanctus esse Filij & imago eius, sed Filius quia Patris est, & imago eius scriptum est: quod verò spiritus vel simpliciter vel imago, minimè scriptum est.

Item in scriptura mittit & dat, & effundit Filius spiritum: mitti verò vel dari vel effundi à Spiritu non dicitur Filius. Quamquam in scriptura missus & datur à Patre dicatur.

Item spiritu & per spiritum facere Filius dicitur Deo decentia opera. Filio verò & per Filium, quia Pater facit scriptum est: quia verò Spiritus minimè.

Item accipit in Scriptura spiritus sanctus de Filio. Sed Filius ex Patre quidem accipere dicitur: ex spiritu verò non scribitur.

D Ergo vt hæc non conuertentia videantur in scripturis, si quis non dicat causam esse, quod Filius principium est spiritus, nullam aliam causam inueniet: quærens & cūm his processionem fluuij aquæ viuæ, de sede Dei & agni & post resurrectionem insufflatus: nihil aliud significare possibile est, quàm Spiritum ex Filio esse.

Item contemplor etiam aliud, quod qui olim cōtra pugnatores Spiritus certabant, nō poterant reducere se ad seniores Doctores: qui communiter per ambas partes pro Sanctis haberentur, & Deum increatū esse spiritum sanctum in suis scriptis aperte traderent, vt illorū testimonio hæreticos cōpellat à blasphemia discedere. Nos autem nunc habemus sanctum Augustinum, beatum Cyrillum, sanctum Athanasium & plures alios: qui & primis honoribus ab his qui nobis cōtradicunt ducun- E tur, & Spiritum sanctum & ex Filio esse apertè testantur. Quare multis modis nobis facilius est ostendere, quod ex Filio spiritus sanctus est: quam antiquis Patribus ostendere, quod Deus increatus Spiritus est.

Potest autem id ipsum ostendi & inde. Certū est enim, quod semper incertiora & obscuriora quærēdorum per certiora & clariora nata sunt ostendi, Beatus verò Cyrillus in thesauris aduersos hæreticos disputando prius per scripturam ostêdit, & concludit, & ex Filio esse spiritum sanctum. Deinde per hoc concludit cōsubstantialem ipsum esse Patri & Filio. Quare in ipsa diuina scriptura hoc est apertius & clarius illo.

Certum autem idipsum est, & per opposita. Nam & ostensiones eorum, qui conantur ostendere ex solo

Patre

Patre esse Spiritum, multo sunt infirmiores illis quibus pugnatores Spiritus vtebantur.

Illi enim non pauca verba habebant de Scriptura, quæ non debitè lecta, intellecta, videbantur blasphemiæ eorũ suffragari, Sicuti illa quod spiritus sanctus mittitur, datur, effunditur, & à seipso non loquitur, sed quæ cũque audit, & desiderat: & pro sanctis inenarrabilibus gemitibus interpellat: & talia quæ non debitè, exami- A nata, seruilis videntur esse naturæ. Hi autem qui ex solo Patre affirmant, nullum penitus de scriptura subsidium habent: non dictionem, non dictum, non symbolum seu figuram, non aliud, per quod, vel per quæ, eorum opinio stare posset. Quare nullum dubium est, quod nostra sententia bene per scripturam demonstratur, & hi, qui ea non credunt, hæretici sunt & à Catholica fide aleni.

*Finis Epistolarum* D. BARLAAMI *Episcopi Gyracensis de vnione Romana Ecclesia, & processione Spiritus sancti; contra* GRÆCOS.

# ETHICA SECVNDVM STOICOS.

## COMPOSITA PER D. BARLAAMVM DE SEMINARIA EPISCOPVM GYRACENSEM EX PLVRIBVS VOLVMINIBVS EORVNDEM STOICORVM SVB COMPENDIO.

## *PARS PRIMA.*

### *Beatitudo quid dicatur.* CAP. I.

HOminum, alium alio, secundum quod Homo est, melius viuere putamus. Et statuum hominum, alium eligibiliorem, alium minus eligendum arbitramur. Ergo cum natura nostra sit finita, & non sit infinitæ bonitatis capax; aliam alia meliorẽ vitam ratione sumentes, non ad infinitum procedemus, sed perueniemus postremo ad aliquem terminum bene viuendi: quem iam transcendere natura nostra de sui conditione minimè valeat. Quamuis enim non habeamus, quem assignabimus, purè ad eum peruenisse: tamen quia substantiam & vitam natura limitatam habemus, necesse est etiam, summum gradum nostræ perfectionis, & optimum statum viuendi, secundum quod proportionalitas nostra exigit: eadem natura præfixum & notum esse. Nam opinari finitam naturam ad infinitum proficere, & perfici suos non excedendo limites, posse non solum est C contra communes notiones; sed etiam tollit omnem appetitum. Si quidem expetendorum extremum non est, vbi se appetitus nouissimè figat. Hunc igitur terminum, & hanc optimam, pro vt possibile est, hominis vitam, vno verbo, sicut & alij, beatitudinem appellantes, quæramus quid sit, & in quibus consistat. Inde autem suscipiamus exordium.

### *Vera Beatitudo Hominis, vt Homo est.* CAP. II.

VEram hominis beatitudinem quærimus, talis autem non potest esse, nisi sit hominis vt homo est. Nam si assignabimus hominis beatitudinem, quæ non erit hominis, vt homo est; nõ erit vera. Ergo oportet vt constet ex omnibus illis bonis, quæ sunt hominis, in quantum homo est. Quia si ex alijs, & non ex talibus; non habebimus quod quærimus. Etenim si non ex omnibus huiusmodi bonis constabit, nõ erit summum bo- D num. Quia si qua est beatitudo, cui desunt aliqua hominis in quantum homo est manifestum est, quod illis additis augebitur. Sed, quod augeri potest, summum non est: Beatitudinem verò, quam quærimus, summum hominis bonum esse volumus.

Igitur ex omnibus dictis bonis constabit, ac verò ex solis. Quia si qua sunt alia bona hominis: non tamẽ vt homo est: manifestum est, quod illa addita illi beatitu- B dini, quæ cõstat ex bonis hominis, vt homo est; nõ augebunt eam, vt propterea sit magis beatitudo hominis, vt homo est: quia in tali etiam compositione tota ex vtriusque generis bonis complexio non diceretur, nec intelligeretur, nec esset beatitudo hominis, vt homo est, nisi ex parte illorum bonorum hominis, quæ essent bona hominis, inquantum homo est.

### *Vera beatitudo augeri non potest.* CAP. III.

VEra ergo beatitudo, additis illis augeri nõ potest. Et merito: nulla enim aggregatio augeri potest, additione aliarũ rerum genere diuersarum. Nec enim lineæ additis punctis, nec superficies additis lineis; nec solida additis superficiebus: nec diuersorum humidorũ commixtio additis coloribus vel saporibus augentur.

### *Beatitudo hominis, vt Homo est, ex quibus potissimum constet.* CAP. IV.

ERgo si bona hominis, vt Homo est, genere diuersa sunt, ab illis, quæ non sunt hominis, vt Homo est; manifestum est, quod beatitudo, quæ constat ex bonis hominis, vt Homo est, nõ augebitur adiectione illorum bonorum, quæ non sunt hominis, in quantũ homo est. Itaque perfecta & summa hominis beatitudo, ex illis solis constabit; vt iam possimus formam huius beatitudinis breuissimè comprehendentes, talem eius definitionem, ad quærenda & demonstrãda supponere.

### *Quid est Beatitudo hominis vera, & quid eius Miseria?* CAP. V.

VEram Beatitudinem hominis esse cumulatam cõplexionem omnium bonorum hominis, vt homo est: ac per consequens summam miseriam hominis esse cumulatam complexionem omniũ malorum hominis, vt homo est: vt cui hoc inest miserrimus homo dicatur D Est autẽ beatitudo per se expetẽda, & miseria fugiẽda.

### *Virtus quid.* CAP. VI.

SVpponatur etiam & Virtutis definitio, quæ talis secundum omnes philosophantes est.

Virtutem esse optimam affectionem animi, ex qua proficiscuntur bonæ laudabiles voluntates, sententiæ, actiones: quarum qualibet suo loco optima est; quæ & nos, in quibus est, bonos & laudabiles efficit.

*A Beatitudine hominis, vt Homo est, omnes artes excluduntur.*

CAP. VII.

His præmissis, patet quod omnes & vniuersæ opificum artes excluduntur ab illis bonis quæ ad formam beatitudinis pertinent. Sicut enim in omnibus aliis illa bona intelligimus, vniuscuiuscumque rei, vt illa res est; quæ ipsam rem bonam & laudabilem faciunt, & à quibus ipsa res iure laudatur, & bona appellatur. Ita & hominis bona, vt Homo est, illa tãtum intelligimus, quæ ipsum hominem bonum, & laudabilem faciunt, & à quibus iure laudatur, & bonus appellatur.

*Vera beatitudo Hominis vt Homo est, in quibus potissimum sita.*

CAP. VIII.

Sed beatitudo hominis sita est in illis bonis tantum, quæ sunt hominis, vt Homo est; sola ergo illa formaliter perficiunt beatam vitam, quæ hominem verè bonum & laudabilẽ faciunt: & propter quæ iure laudatur, & bonus appellatur. Sed ex nulla opificum arte hæc homo meretur. Quantumcumque enim est Homo faber bonus, aut cerdo, aut scriptor: non tamen ratione huius artis bonus appellatur: velut sapiens homo, aut prudens, aut intelligens simpliciter laudatus. Ergo ad formam beatitudinis opificum artes minimè sunt vocandæ.

*Scientia in bonis Hominis minime locanda.*

CAP. IX.

Similiterque scientiarum, quarũ finis est non extrinsecus effectus: sed intrinsecus visio veritatis: licet in bonis ipsius mentis, vt mens est, omnis scientia computetur: tamen quæcumque tales sunt, vt ab eis non possit homo simpliciter bonus appellari; vel vt Homo sapiens & intelligens, aut prudens iure laudari: non sunt in illis bonis habendæ, quæ beatitudinem ipsius hominis, in quantum homo est, constituunt. Hominem enim non ipsam mentem aut rationem appellamus: sed, animal rationis & mentis particeps: cuius nunc beatitudinem quærimus: rem videlicet, qua optimè, dum viuitur, vita eius ducatur.

*Quæ Hominibus & bestiis communia, non in bonis hominis, vt Homo est, collocanda.*

CAP. X.

At vero, nec quæcumque sunt, aut esse possunt, cõmunia hominis & bestiarum: in illis bonis sunt habenda, ex quibus hominis beatitudo constat. Illa enim omnia, vt prædefinitum est, sunt bona hominis, vt homo est. Sed illa quæ sunt, aut esse possunt communia hominis, & bestiarum; & per consequens quæ gratia istorum requiruntur, vt effectiua, aut conseruatiua, & si quæ eorundem virtutes esse dicuntur, non sunt bona hominis vt homo est, & ideo nec in illis bonis sunt habenda, quæ ad beatitudinem pertinent.

*Miserrimi definitio, aut quis vere Miser dicatur.*

CAP. XI.

Item quia miserrimus Homo nec ille est, qui nusquã est; nec ille, qui homo non est: Equus enim non dicitur homo miserrimus: manifestũ est, quod sunt aliqua communia hominis beati & miserrimi. Cum vero miserrimus dicatur, qui habet omnia mala hominis, vt Homo est, ita vt nihil boni hominis, vt homo est, ei relinquatur: sequitur nihil eorum quæ sunt, aut esse possunt communia Beati & miserrimi, quæque gratia eorum requiruntur, bonum esse hominis, vt Homo est. Quare nec in illis huiusmodi sunt habenda, quæ definitione beatitudinis comprehenduntur.

*Quare in bonis Hominis iure habenda censeantur.*

CAP. XII.

Item, si illa bona tantum faciant per se hominem beatum, quæ ipsum hominem, vt ostensum est, bonũ simpliciter & laudabilem faciũt, & propter quæ iure laudatur, & homo bonus appellatur: Omnia verò huiusmodi sunt voluntaria, & in potestate hominis iacentia, & amitti inuitis nequeuntia. Nullum ergo fragile, & caducum, & extraneum, in nostra potestate non existẽs, & extingui, & amitti potens inuitis, habendum est in eo genere, quod vita beata complectitur.

*Bona corporea externa, ad beatitudinem hominis, vt Homo est, non pertinent.*

CAP. XIII.

Patet igitur ex conclusis, quod nec indolentia, nec corporea voluptas, nec omnino aliquid eorum, quę dicuntur corporea bona & externa; ad beatitudinem, quam quærimus pertinet. Horum enim alia sunt communia hominis & bestiarum: alia, beati hominis, & miserrimi. Et omnia communiter sunt extra nostram potestatem, & fragilia, & caduca, & extingui & amitti inuitis possunt. Et nec omnia simul, nec aliqua illorum sua præsentia hominem bonum faciũt, vel ab eis homo iure laudatur, & bonus appellatur. Ergo cum huiusmodi omnia exclusa essent à beatitudine: & ipsa corporea, & externa necessario excluduntur.

*Quæ forma beatitudinis includantur.*

CAP. XIV.

Itaque circumscriptis omnibus aliis, de quibus dubitari possit, ne in forma beatitudinis includantur; relictie vero solis animi virtutibus; & eorũ laudabilibus actionibus, quæ videlicet nec hominis, & belluarum; nec beati & miserrimi communes esse possunt: & amitti inuitis nobis non possunt, quæque verò hominem bonum & laudabilem faciunt, & à quibus homo iure laudatur, & bonus appellatur: manifestũ est, quod in sola vita virtuosa beatitudo consistit; & virtus se ipsa est contenta, ad benè, beatèque viuendum.

Reliquorum vero, nihil ad verã beatitudinẽ pertinet: sed dum homo virtutibus est imbutus, & omnes suas cogitationes, & actiones, & vitã virtutibus regulariter & moderatur, & dirigit: omnibus aliis rebus nascẽtibus & cadentibus, & quoquo modo se habentibus: nil adimitur aut additur ei, quo magis, minusue sit beatus.

*Secunda & tertia, quæ vocantur, num forma quærendæ beatitudinis includi debeant.*

CAP. XV.

De scientiis quidem & artibus, nulli Philosophorũ dubitant, vtrum necessarium sit aut omnes scientias, aut aliquas artes, in forma quærendæ beatitudinis includi. De dictis vero corporeis bonis & externis; quæ secunda & tertia vocantur magna est quæstio.

Quidam enim nil præter virtutes, hominis bonũ esse, in quantum homo est, non dubitant, sed adimẽtes prædictæ definitioni, postremam additionẽ, & simpliciter ponentes beatitudinem; complexionem esse omnium bonorum hominis: nituntur aggregare ad beatam vitã explendam; & corporea omnia, & externa: quasi sine istis nequaquam illa integra valeat esse. Qui vehementer errare conuincuntur, ex his quæ communiter & naturaliter de beata vita sentimus. Beatitudinem enim tãquam summum bonum omnes intelligimus: quo ipsa res summè bona suo genere efficitur. Ergo & summum hominis bonum intelligendum est, cuius præsentia homo summè bonus efficitur. Porro virtutum præsentia, nullo adiuncto alio summè bonus homo efficitur. Solæ ergo virtutes Beatitudinis obtinent principatum.

Beatus

*Beatus qualis esse debeat.* CAP. XVI.

ITem volumus illum, quem perfectè beatum intelligimus, tutum esse, inexpugnabilem, septum, munitum, suis bonis inerrabiliter confidentem, semper habere quod vult, & nunquam, quod non vult: nunquā dubitare, vtrum adest sibi integrè beatitudo, an non: nunquam timere, ne inuitus amittat eam: forti, & robusto, & excelso, & magno animo esse, semperque in animo trāquillitatem, & securitatem, & placidissimam pacem, & constantem hilaritatem habere, & terroribus & angoribus, & mœstitia vacuum esse.

*Quid in se contineat Beatitudo.* CAP. XVII.

HÆc autē omnia contionet sententia confectæ conclusionis. Nam si quis, cùm sit virtuosus, ita conclusam de beatitudine sententiam, viuam & efficacem habet, & totum animum per omnes partes penetrantem, vt & omnis appetitus sit consonus illi, & aliqua repugnans opinio non sit in animo latens: quæ possit aliquando ad contrarium appetitum animum distrahere: Hic cùm nihil habeat in bonis nisi virtutem, & quod ea agatur, reliquarum verò rerum, nihil sibi bonum, vel malum reputet: videatque quod solum bonum nouit semper sibi totum præsens, & amitti inuito non patiens: necesse est vt omnia illa ei contingant: quæ exposuimus communiter, verè de beato intelligi. Talis enim tutus est, inexpugnabilis, inerrabiliter illis quæ sua bona scit, confidens: semper habet quod vult, & nunquam, quod non vult. Vacat enim vitiis, quæ non vult habere, & si terrores, & mœstitiæ, & angores, & aliæ perturbationes, quæ contingunt hominibus, propter corporeas & externas res: quia putant eas malas vel bonas esse, & pertinere ad suum bonum vel malum statum: manifestum est, quod si quis huiusmodi opinionem & appetitū ab iisdē rebus penitus remouerit; nihil quoquo modo acciderit, terrere & perturbare eum valebit, aut angi, & à constantia egredi, & mœrere faciet. Et ideo semper erit tranquillus sibique placatus. Propterea fortis magnanimusque, semper inuictus, à nullo frangi, & demitti animo patiens. Maximè enim scit humanas res contemnere, & ab eis non efferri, nec frangi: qui eas nec bonas, nec malas sui gratia iudicat. Similiter & quæcumque alia de beato intelligentes, prædictæ conclusioni plenè concurrunt.

*Ad perfectam beatitudinem num secunda & tertia, sint necessaria.*

CAP. XVIII.

SI verò supponamus aliquem cum bonis animi etiam quæ dicuntur bona corporis, & externa omnia habere, & sit sibi illa in animo sententia insita, & appetitus sententiæ congruus, quod ista secunda & tertia ad perficiendam plenam beatitudinem sunt necessaria: impossibile est ei omnia illa concurrere, quæ de beato intelligimus. Et ideò per consequens, cum credat habere se omnia quæ suppetant ad beatam vitam, non erit tamen beatus. Nam cum sciat vires, valetudinem, sanitatem, velocitatem, venustatem, integritatem sensuum, vacuitatem doloris, denique vitam ipsam: Præterea regna, imperia, magistratus, dignitates, honores, facultates, copias, opes, potentias, diuitias, subditorum beneuolentiam, optimorum amicorum, & consanguineorum societatem: hæc omnia caduca natura sua esse: & simul inuito amitti posse, & eorum contraria euenire: quo modo beatus erit, si tot bonis, sine quibus non reputat integram beatitudinem sibi posse adesse, non confidit? Et tot quæ reputat esse mala, & beatitudinē violantia sibi impendere videt? Ita enim sapiens & intelligens, & illa bona permanere sibi, & non delabi appetens, cum vult esse semper beatus: quomodo non semper terrorum, & angorum, & sollicitudinis plenum animum habebit? At verò nec contemnere, & despicere res humanas facilè poterit: qui ad beatitudinem vel

A miseriam aliquod pondus eas habere crediderit. Sed sine despicientia rerum humanarum fortitudo & magnanimitas & excelsitas, non videntur posse in animo generari quibus virtutibus instructus virtuosus in omni fortuna æquabilitatem conseruat. Carebit igitur qui beatum se esse putat, istis virtutibus.

Ac etiam potest contingere casus: in quo, quum salua sint sibi omnia bona externa, tamen ipse ignoret, vtrum salua sint nécne: dubitabit ergo vtrum adest sibi integra beatitudo. Ergo non habebit quod vult: vellet enim nō dubitare. Concutietur ergo tranquillitas & pax animi istius à constantia sua. Non ergo tutus, vt Dominus bonorum suorum, non inexpugnabilis, non quietus; nec beatus, ergo. Sententia ergo illa, quæ corporea & externa aggregat ad beatitudinem, quem supponimus esse

B beatum; facit non esse beatum: falsa ergo est: nihil enim verum est, ex quo impossibile oritur. Magis autem dignitas & splendor sententiæ, quam defendimus, inde apparebit.

*Collatio duorum non Beatorum.* CAP. XIX.

SVponantur duo non Beati, similem defectum in animo, in corpore, & in externis patientes: & illa quæ videntur esse excellentiora corporis, & externorum, nequaquam habentes, & aliquorum ex eis, quæ desunt, desperata sit acquisitio, & ita omnibus quæ mentis, quæ naturæ, quæ fortunæ sunt, per omnia adæquatis. sit vni illorum persuasum, quod tota beatitudo in virtutibus animi vertitur: Alij verò tripartita illa sententia, & habeant parem appetitum beatitudinis: manifestum igi-

C tur est, quod primus minus ægrè, & minus anxiè, & iucundius, & tranquillius ducet suam vitam, quam secundus: tribus ex causis: quod minora sibi videt deesse ad plenam beatitudinem: & quod non est desperata sibi illorum acquisitio: & quod eorum quæ habet, tanquam pertinentia ad beatitudinem, non existimat aliqua esse in potestate fortunæ: quibus delapsis miserior ipse sit. Ille verò non modo plura deesse sibi ad explendam beatitudinem videt, & de illis, quæ habet, aliqua sentit posse delabi, quo ipse sit miserior, sed etiam ad integram prouenire aliquando beatitudinem, desperatum est penitus sibi.

*Virtutum acquisitio vtri difficilior.*

D CAP. XX.

AT verò & acquisitio virtutum plures habet in isto difficultates, quam in illo. Prima enim difficultas est, posse cognoscere, quantum bona animi, ad complendam beatitudinem, excellunt bona corporis, & ista externa, & proportionaliter dispartiri, & compensare istis appetitum beatitudinis. Ille verò noster, cum beatitudinis sententiam, & totum appetitum ad solas virtutes mittat: nil ei huiusmodi difficultatis est: quin etiā vehementiorem appetitum ad virtutes habet: quàm ille qui aliquas partes, paris appetitus, corporeis tribuit & externis. At & hoc manifestum est, quòd quanto amplius diliguntur corporea & externa: tantò magis impeditur ad acquirendas virtutes. Facilior est ergo nostro

E virtutum acquisitio.

*In virtutum acquisitione vter fortior.*

CAP. XXI.

NEc illud dubium est, quin ille affectus animi, qui ita sit constructus & firmus, vt possit in omni casu & fortuna, æquabilitatem conseruare: ita quod nec aduersitatibus frangatur: vel molle aliquid & abiectū, & effœminatum & anxium patiatur: nec secundis rebus effusa lætitia gestiat, leuitateque ad arrogantiam & superbiam se efferat: Ille, inquam, affectus melior & beatior sit, quàm illa, qui non tantæ constantiæ est. Sed manifestum est, quod duorum suppositorum virorum nostro facillimum est, exercitatione & consuetudine ad-

sinnda, peruenire ad eiusmodi affectum. Illi verò tripartito aut, impossibile, aut difficillimum est. Ergo si nostra ista sententia in meliore nmnimndè conditinne facit esse bominem: quàm illa tripartita; nnn dubium est, quæ magis est apprnbanda.

*Virtutum actio in quibus potissimum bonis consistat.*

EPIST. XXII.

AT verò, nec illum errorem oportet incurrere, quod actinnes virtotum, in snlis bonis cnrporis, & externis versantur: in contrarius verò nnn: vt si beatè viuere est virtuosè agere: boc autem non potest esse, nisi in bonis corporis & externis, necessariò concludatur, quantò ista dilabuntur, tantn vitam beatam defici. Nam non est casus in vita, nec fortuna, nec tempus, in qoo non possit vir bonus virtuosè agera. Decenter enim & rationabiliter cngitare, iacere, sedere, stare, ambulare, tacere, loqui, tribuere cnt pnri necessaria, videre vel audire aliquid, membra corporis mouere, alicui assentire & patere; vel pen conseruanda constantia, & fide dnloret & damna nnn recusare: qoibos non potast virtuosus vlln tempore nmnino carere: actiones virtutum sunt, & à virtate proficiscuntur. Omitto dicera qund fnrtitndn, & magnitudn, & axcelsitas animi, in aduersis rebus tntam suam vim habent, scireque benè aduersitaribus vti; summæ prudentiæ est. Nec non multa, quæ videntur essa negatinnis, lncum babent summarum actionum. Cùm enim virtuosus, pauper & ignnbilis, deformis, & claudus & infirmus; nobiles & diuites admiretur, potentesque & sanos: & se miserum, & illos beatos, & fœlices taputet, & ideo ndin eos habeat, & inuideat iis, cupiditateque immensa ardeat, & angore, & tristiria, & mœrore tabescat, & deprimatur, diuinamque prouidentiam npininnis errore; aut nullam, ant iniustam esse existimet: vir bonut & totus nostræ sententiæ, cum in simili casu est, nil istnrom patitur, necreputat illos, in meliori esse conditione, quàm se. Et ideò tranquillo viuit animo, & minimè turbnlento, & ad interiores actinnes, & si quæ sunt exteriores, maximè expedito. Tali igitur firmitati, & constantię, animique actiones, quas possint agere virtuosi diuites, & potentes: non sunt postponendæ. Dum ergo bonus vir viuit & ast, nnn vacat virtuosis actionibus. Quare nec istn modo cnrporis quæ dicuntur & externa bona, veræ beatitudinis partes erunt.

*Diuisio bonorum & corporis, & quæ externa vocantur.*

EPIST. XXIII.

VT autem non videamur de nomine tantum laborare velle cnmmoda nominantes, qoæ omnes bona appellant: vt vocabuli mutatione à beatitudine videantur segregari; ita sit procedendum.

Omnium, quæ bnna corpntis, & externa dicuntur, alia referuntur ad nostram ipsam substantiam Quæ quidem ita se habant, vt sine illis esse & viuere non valeamus.

Alia verò ad boc habent suam vim, vt miaut molestè & delectabilius vitam ducamus. Quæ quidem ad indolentiam vltimò & voluptatem, quæ per corporeos sensus percipitur, referuntur.

*De membro primo.* CAP. XXIV.

ERgn de primo membro prius dicatur; quia substantia nostra, & ipsum esse nostrum bonum quidem nnbis est: Tale verò bonum, vt non sit aliqua pars fnrmæ beatitudinis; sed vt communiter, tam summæ miseriæ, quàm beatitudini subiiciatur. Differt anim hominem esse, & beatum hominem esse, & miserum hominem esse: vt ipse homo vtrique subiici valeat: sequitur necessariò, qund & ipsa bnna corporea & externa; quæ, vt simpliciter simus & viuamus, requiruntur: similiter sint & nominentur bona. Vt videlicet, nnn in A forma beatitudinis ponantur, sed tanquam cnmmunia miseriæ beatitudini subrnittantur. Itaquè sicut nostrum esse refertor quidem ad beatitudinem, non tamen vt pars; sed vt subiectū, sine quo forma non existit: simili mndn, & illa bona, quæ ad ipsum nostrum esse referuntur, mediante ipso nnstro esse, ad beatitudinem referenda sunt. Igitur sicut qui est, inquantum est, non est beatior illo, qui non est: na & qui habet plura, de huiusmodi bona, non ideò magis beatus homn efficitur, additione & substractione illnrum bnnorum: quæ sunt partes formę beatitudinis. Nnstrum verò Esse, & bona, quę ad ipsum referuntur, non sunt partes formæ beatitudinis, pro vt ostensum est. Sed videatur, si placet, reliquum membrum præmissæ diuisionis.

B

*Secundum membrum. Indolentia & Voluptas, non Beatitudo.*

CAP. XXV.

ET primum ostendendum sit, quod Indolentia & Volupras corporis in fnrma beatitudinis, poni minimè possunt. Nec enim cum virtutibus beatam vitam explere possunt: nec sine virtutibus. Qood si sine virtutibus, in summa sade ponerentur: contingeret vitinsissimum hnminem & penitus deprauatum & corrupruna animum habentem atque impium & inconstantem; beatum esse: qund est contra cnmmunes nntiones. Ac verò nec cum virtutibus beantudinem efficere pnssunt, cum enim beatirudn sit optimus tntius vitæ status: C oportet, vt cnnstar, nnn ex discrepantibos interdum, & rapugnantibus: sed ex concotdibus semper & consnnis. Bnna enim omnia amicitia & cnncordia semper gaudent. Sed inter Indolentiam & Voluptatem, & virtutes magna repugnantia, vt plorimom est. In plerisqua anim impossibile est Indolentiam & Voluptatem consequi: nisi omittamos bonestum & decnrum, & cnmmittamus turpe & indecorum. Nam si vbique valimus, quæ ratio Fortitudinis, Iustitiæ, Temperantiæ, & nmninò natura honesti existit, cnnsequi necessarium est non snlum vnluptates postponere: sed etiam magnos subire labores, & acerbos sustinere dnlores. Et è contrarin, si hoc statuetemus in nnbis, vt nmnibot modis voluptatem corporis, & indnlentiam sequeremur, nullum scelos esset, nullum facinus, nullum denique malum, ad qund sus-D cipiendum licentia proposita, non impelleremur. nec ergo cum virtutibus, nec sine, Voluptas & Indolentia in forma beatitudinis valent connumerari. Et ideò omnia corporaa bona, & externa in quantum referuntur ad ipsam Indolentiam & Vnluptatem, segreganda sunt à forma beatitudinis Ostensum est autem esse hnc idem etiam, in quantum referuntur ad ipsam assentiam Penitus argn segregantur ab illis bonis, quæ formam beatitudinis cnnstituunt.

*De bonis & commodis quæ tripliciter eueniunt.*

CAP. XXVI.

E ISta itaque, quæ præter virtutes vulgò bona dicuntur, & à Stoicis commoda appellantur: & contraria, incommoda triplici modo eueniunt. Ex virtute, ex culpa, ex neotrn.

Ex virtute (vt à commodis incipiam) vt quæcumque homini ab hominibus propter virtutem tribuuntur. Vel, si quis nptimum filium habet. Cùm ipse eom benè educauisset. Vel, res familiaris ex prudentia, sine iniuria acquisita & amplificata. Vel, sanitatis & virium ex abstinentia & diligenti regimine cnnseruatio, & si qua similia.

Ex culpa, vt si quis ex adultarin bonum genuerit Filium. Aut detrahendn iniuria suas res augeat, & si qua huiusmodi.

Ex neutro, vt quæcumque natura, forma, casu, successione,

cessione, diuinitus: vel quoquo modo alicui sine opera sua eueniunt.

*Incommodorum diuisio.* CAP. XXVII.

ITem de incommodis, eadē diuisio est. Nam ex virtute cōtingunt; vtquæcumque damna, doloresque alicui inserūtur, propter iustitiæ iostantiā: vel, si quis pauper est, cum suas facultates ad opera iustitiæ, & pietatis, & liberalitatis transtulisset, vel delabi eas studio meliorum rerum dimisisset.

Ex culpa contingunt, vt quæcumque alicui incommoda iuferuntur, propter ab eo anteactas iniurias: & si ipse aliqua perturbarione coucitatus: aut non propulsauit interitum à charissimis cum posset: aut ipse intulit eis interitū. Aut rei familiaris, pigritia, inertia, ignauia de- B lapsus: & corporia commodorum voluptate deuicto, ex prauo regimiœ amissio, & multa talia.

Neutro. Quæ nec virtute, nec vitio nec penitus ex aliqua opera contingunt: vt corporeorum naturales defectus, & quæcumque incommoda, caso, fortuoa, vel ab hominibus iniuria commotis ioferuntur.

*Commodum ex virtute veniens, expetendum est. & quare?*

CAP. XXVIII.

EX tribus igitur modis, primus, quo virtute commoda, vel incommoda, cum euenerint, sua præsentia augent per se beatitudinem; sed propter eorum circa eorum sumptionem virtuosam dispositionem & actionem.

Secundus modus, quo ex culpa commoda, vel incommoda sumuntur: fugiendus & miserabilis est: propter similiter, circa eadem vitiosam dispositionem & actionem.

Tertius modus, quo nec virtute, nec culpa, eadem contiugunt, nec ad beatitudinem, oec ad miseriam aliquid ponderis habet: sed cum sint sumpta, quoquo modo commoda vel incommoda, qualiter est eis vtendum, dicetur, vbi de virtutibus tractabitur.

*Non commoda: sed affectus erga ea faciant ad beatitudinem, vel miseriam.*

CAP. XXIX.

NVoc autem illud manifestum, quod nec commoda beatitodinis, nec incommoda miseriæ partes sint: sed affectus, & actus, & vsus virtuosus vel vitiosus, circa vtraque acquirenda, sumeoda, tueoda, ferenda, vtenda, & amittēda ad beatitudinem vel miseriam pertinet.

Sunt itaque commoda acquirenda, & tuenda, & vtenda, dum licet rectè hæc fieri: & minimè reiicienda: nisi aut ad comparandas, vel gerendas res meliores: aut ad seruiendum hominum, quorum decet, vtilitati. Econtra verò incommoda aut sont reiicienda, aut æquo animo ferenda oisi ani ad declināda incommodiora & peiora: aut ad consulendum decenter hominum vtilitati: sed ad reliqua pergamus.

*Honestum quid.* CAP. XXX.

POsitum est in principio quod beatitudo per se expetenda. Et est ostensum quod vita beata, idē est, quod virtuosa: vita ergo virtuosa per se est expetenda. Est autem & laudabilis, vt situm est in definitione virtutis. Sed quod est ita bonum, vt detracto omni emolumento, iure laudari & caperi per se ipsum possit: illud est, quod honestum sentimus. Vita ergo virtuosa, eadem est honesta. Et quia vita bona & beata, eadem est virtuosa: Vita ergo booa & beata, eadem est honesta. Et quia quod honestū est ideo esse bonum nemo dubitat: concluditur è conuerso, quod quæ honesta vita est, eadem est bona, & beata, & virtuosa.

Ac etiam, si decorum est, quod consentaneum est hominis excellentiæ, in eo in quo natura eius à reliquis A animantibus differt: & ipsum decorum, & quod decet, idem virtuti & honestati efficitur.

*Vtile, & Inutile quid.*

CAP. XXXI.

DEinde de Vtili & Inutili dicendum sit. Duplici igitur modo vtrumque dicitur. Vno, ipsa commoda, vel incommoda, vt domus, equus, seruus, vires & similia: quæ videlicet ad idem cum honestis, vel inhonestis non veniunt. Nullum enim commodorum, aut incommodorum honestum vel turpe, quod ad hominis beatitudinem est.

Alio modo. Vtilia & Inutilia, dicuntur ipsæ hominis B actiones, quæ sunt circa cōmoda vel incommoda sumēda, vtenda, disponēda seruoda, vel reiicienda. Quæ vtilia vel inutilia, eadem sont quæ honesta & turpia. Nam si omnis turpis actio à defectu virtutis proficiscitur: defectus verò virtutis lædit beatitudinem: ac nemini vtile potest esse quod sit contra suam beatitudinem: nemini ergo turpis actio vtilis est. Porrò quod sine turpitudine vtiliter fit: idem rationabiliter & rectè fit. Sed quod rationabiliter & rectè fit, etiam honestè fit. Ex quibus concluditur, quod omnis vtilis actio, honesta est. Ac etiā si illud, quod honestum factu est, ad beatitudinem pertinet: summæ vtilitatis est: conficitur quod omnis honesta actio vtilis est. Sola ergo honesta & virtuosa vita, vtilis vita est. Et sola inhonesta & vitiosa inutilis. Igitur sex hæc. Bonum, Beatum, Virtute confectum, Honestum; C Decorum & Vtile: Adde si vis Rectum, Rationabile; ad idem veniuot, & idem ferè sonaot. Et ideo opposita eorum, scilicet, malum, miserum, vitiosum, inhonestum; indecorum, turpe, inutile, peccatum, irrationabile: Adde si vis, prauum, flagitiosum, fœdum, tetrum, detestabile: omnia hæc eiusdem sunt calamitatis. Ex omnibus itaque superioribus sit denique finalis conclusio, pro qua omnia in hac ratione præcesserunt, hæc:

CONCLVSIO.

QVod si quis vitam dicit virtuosam, & honestam, quomodocumque commoda, & incommoda huic contingunt, modo non sua culpa: nihil deest illi ad veram beatitudinem, & per consequens, si quis est D ita deprauatus, & corruptus, vt nec vestigium aliquod virtutis & honestatis in eo existat: huic quamquam omnibus abundet commodis, nihil deest ad summam miseriam.

*Beatum nullum in hac vita, secundum Platonicos.*

CAP. XXXII.

HIc quidam Platonici, immortalitati animorum operam dantes, & eorum quandam excellentem fœlicitatem imaginantes, eique vitam hanc comparantes: impossibile asserunt in hac vita, beatum hominem esse. Quibus multi assensum præbentes, nos à veritate reputant deuiare. Est autem inter nos & ipsos non in re E controuersia: sed in nomine tantum. Non enim eandem rem vtrique beatitudinem appellamus, vt de eodē negatio & affirmatio sit. Namque nos optimam vitam, quæ maximè composito competit, secundum quod hominis natura capax est, beatitudinem appellantes, & nil alienum vel incongruum ei addentes: hanc homines consequi posse asserimus.

Illi vero separatorum animorum beatitudinem considerantes: merito ad illum hominē in hac vita existentem, negant peruenire posse. Ergo vtrumque verum est. Nec enim nos illa beatitudine beati effici, vi naturali, dum viuimus, possumus. Nec illis illis nostra congruit vel sufficit beatitudo.

Ac etiam iidem Platonici, multa bona naturam, & artem, & consuetudinem excellentia, homines diuinitus consequi posse affirmant: sicut ipse Plato de Poetica

&Diuinatione,& Amore in Phædro tradit. Non tamen ideò prohibitum erit, vltimum terminum, ad quem ascendere potest vis naturalis, beatitudinem appellari: præsertim cum ita sit hoc vocabulum apud plures visitatum,& non natura oomina rebus posita; sed vtentiũ beneplacito.

*Beatitudinis diuisio.*

### CAP. XXXIII.

ITaque prima sit Beatitudo, ipse optimus vitæ status; quem vltimò ascendere possumus, transcẽdere verò vi naturali non valemus, de qua beatitudine io his libris tractatur.

Secuoda sit, quæ prima supposita adhuc comprehendit: quæcumque excellentia bona acquirere bomo etiã in hac vita, diuina aspiratione potest, vt Plato in Phædro docet.

Tertia sit, quæ suscipit post mortem sapientes, vt idẽ Plato in Phædone tradit.

Igitur quis illi secundam & tertiam merentur, qui A primæ participes extiterunt; meritò de prima tantum hunc laborem duximus suscipiendum.

*Naturalia bona, quomodo in nobis perficiantur.*

### CAP. XXXIV.

NOtandum verò sit & illud, quod secundum eundem Platonem, nec ipsa naturalia bona perfici in nobis possuot, sine diuino auxilio. Nam ex quo omnia habent esse, ex eodem & suam perfectionem habere necesse est. Omoia verò secuodum Platoněm ex Deo habent Esse. Item in Timæo, eum proposuerat de natura mundi, & ortu, & coonexione omnium à primo principio dicere: orauit, diuinum ad propositũ implorauit B adiutorium: quamquam io illis, nil excellens naturale nostrum ingenium dicturus erat; sed non putat se illa consequi posse diuinitus non adiutum. At si secundum eundem in Illo summo bonu, totius bonitatis, perfectionis, & beatitudinis instar est, ita nostra substantia perficitur, ita beatificatur, si ad illud tendit, illud respicit, & illud imitetur.

*PARTIS PRIMÆ FINIS.*

# ETHICÆ
## SECVNDVM STOICOS,
## DOMINI BARLAAMI DE SEMINARIA, Episcopi Gyracensis.

## *PARS SECVNDA.*

*Animi vis quotuplex.* CAP. I.

DVPLEX est vis animi nostri, Vna qua intelligimus & verum inquirimus, & à falso discernimus, & à dubiis ad manifesta transimus: & in eis quid consequens, quid repugnans conspicimus. Et in agendis, quid vtile, quid inutile; quid bonum, & quid malum; & cui, & quantum; & quale inquirimus & iudicamus. Quæ vis cum sit intellectiua, Mens appellari solet.

Alia est, qua bona vel mala io agendis iudicata placent, vel displicent nobis. Et illa quidem acceptamus, amplexamur & amplectimur. Contraria verò aspernamur & fugim⁹, quæ vis, Appetitiua appellari solet. Huius autem motus vel actus in animo & benè & malè potest contingere. Quod vt discernatur, distinguenda sunt prius aliqua, quæ ad istum locum pertineot.

*De vera & falsa opinione Boni & Mali.*

CAP. II.

FAlsa opinio in agendis bonis vel malis, multis modis accidit. Nam si quis opinatur, non bonum, bonum esse, vel è conuerso. Aut an sit bonum, minus tamen vel maius, quàm est illud, esse existimat. Aut per se bonum cum sit, ad aliud tantum, & hoc fortasse minùs bonum valere illud reputat. Aut cui bonum est, igoorat.

Similiter & de malo falsa est opinio eius. Vera autem sententia, & verum iudicium, circa idem est; cum in nullo prædictorum peccatur. Nam si & quod est bonum, bonum existimat; & quantum, & quale, & cui; non ignorat, similiter & malum, verum, & sanum esse huiusmodi iudicium omnes concedunt. Est itaque fal- C sum de quolibet iudicium simpliciter malum & vituperandum. Verũ autẽ simpliciter bonum & laudãdum.

Item sicut in corporeis oculis interdum contingit aliquid tale, vt acies videndi obtundatur; & ex aliquo motu quædam obumbratio, seu caliginatio, & obscuratio oculo accidat; ita quod, aut non possit, aut minus clarè, obscuriusque & deterius possit visibilia videre & discernere. Et hoc cũ contingit huic sensui pro malo ipsi reputatur. Bonum enim eius est, semper manere in suo vigore, & aciem videndi inuiolatam & expeditam conseruari. Alioquin conditio visus deterioratur. Ita menti hominis accidit nonnunquam aliquid tale. Ex quo quandam obumbrationem & obscurationem ipsa mens incurrit, & acies intelligendi ita obtunditur, vt munus intelligendi & iudicandi, aut minus, aut obscurius tardiusque consequi possit: & à re gerenda, aut omnino abducatur: aut in iubendo & monendo hominem ad exteriores actiones, decus & honestatem in eis aut nõ possit, aut difficilius & molestius conseruare possit. Quod acci- D dens malum esse menti, quis mentem habens non intelligit? Ex similitudine igitur oculorum, docẽdi causa appelletur huiusmodi accidens Obumbratio mentis, seu Caliginatio, vel potius Obscuratio.

Cùm autem mens ita stabiliter suum conseruat rigorem; vt nihil de prædictis ei contingat, ex quo acies intelligẽdi deteriorari quoquo modo possit: huiusmodi status, causa similiter docendi, appelletur Æqualitas.

Est itaque manifestum, quod obscuratio mentis est malum menti & vituperandũ: Æquabilitas verò est bonum & laudandum.

Item cum animus noster habet appetitum, vel committendi quod nõ decet; vel omittendi quod decet, appelletur Malefica voluntas. Cum autem appetitus tendit

dit ad agendum quod decet, & reliquendum quod non decet; appelletur Benefica voluntas. A

Et itaque manifestum, quod Malefica voluntas est simpliciter malum & vituperandum: Benefica autem voluntas, est simpliciter bonum & laudandum. Ex tribus tamen segregatis malis, si oporter vnum sine duobus esse in animo; minimum malum est Mentis obscuratio. Quamquam enim ipsi menti, vt mens est, malum est, tamen associata cum vera in agendis sententia & benefica voluntate, quoad exteriores actiones, & maximè, in quibus continetur hominum societas; si tantum adsit eis Mediocritas, non modo non malum: sed magnum bonum est.

Maius verò malum est opinionis in agendis error. Hoc enim non tantùm ipsi animo per se malum est: sed etiam sine obscuratione mentis & malefica voluntate; teterrimas exteriùs actiones, & maximè in puniendo B gignere potest.

De notatis verò tribus, pessimum est, separatum ab aliis Malefica voluntas. Quæ enim ira malefica est, vt inhæreat animo, etiam sine repentino, & turbido motu mentis, atque falsa opinione, vt allegare ignorantiam nequeat: omnium malorum est pessimum, minus aliis sanabile.

*Malefica Voluntas, quotuplex.* CAP. III.

DVplex quidem est Malefica Voluntas, Aut enim causatur à repentina obscuratione mentis Qua cessante, recedit & illa, sicut in ira sæpe contingit. Aut insita est in animo, & sine repentina mentis caligatione, quæ multò tetrior est: quàm illa, quæ simul obscuratione mentis oritur, & interit. Quare si oportet de malis C minima eligere: multo eligibilior est Obscuratio mentis, cum Benefica voluntate: quàm Malefica voluntas sine Obscuratione mentis.

De notatis autem bonis, vnum comparãdo sine aliis: minimum bonum est, mentis æqualitas. Hæc enim licet per se bonum sit menti, vt mens est: tamen separata à vera de agendis sententia & benefica voluntate, quo ad exteriores actiones, nullum bonum est.

Verum autem iudicium de bonis & malis, aliquantulum maius bonum est, separatum à reliquis duobus bonis. Nam etiam exterius aliquid boni, interdum per accidens efficit. Omnium verò optimum est Benefica voluntas. Et per se enim bonum est animo, & separata à reliquis duobus bonis: multas tamen bonas actiones exterius gignere potest. D

*Benefica Voluntas, quotuplex.* CAP. IV.

EST autem duplex Benefica voluntas. Vna quæ causatur ab aliquo repentino, caliginosoue animi motu: quæ similiter oritur & occidit, sicut in lætitiis misericordiisque sæpè accidit. Alia est animo insita & permanens, & à viua atque efficaci ratione pendẽs: quæ de tribus propositis optima est.

*Num tria predicta, Verum iudicium, Aequabilitas mentis, & Benefica voluntas simul in animo, aut appetitiua vi concurrere possint?*

CAP. V.

CVM itaque ex superioribus diuisionibus tria sint notata simpliciter bona, & laudanda in animo nostro: scilicet Verum iudicium bonorum & malorum, & Æquabilitas mẽtis, & Benefica voluntas: potest fieri, vt cùm appetitiua vis sit in agendo; simul prædicta tria bona in animo concurrant: vt quod placet vel displicet, & verè iudicatum sit, & mens aliquam Caligationem non incurrat, & Benefica voluntas in animo sit. Quod cùm fit, Constantia apellatur. Potest autem fieri, vt opposita istis contingant: vt & malè de obiectis sentiat, & acies mentis obumbratione obtundatur, & voluntas malefica insit. Potest vero fieri, quod duo sint ex malis & vnum ex bonis: quod tripliciter variari potest, ve & conuerso: duo ex bonis, vnum ex malis: quod similiter tripliciter fit.

*Prædictorum septem Complexiones.* CAP. VI.

PRæter igitur Constantiam septem horum fiunt complexiones. Constantia nempè, quia æquabilitas mẽtis in actu appetitiuæ, cum vera obiecti sententia, & benefica voluntate, non dubium est, quin simpliciter bonum & laudabile sit. Et quia sicut in prima parte prædefinitum est, beatitudo est cumulata complexio omnium bonorum hominis, vt homo est: Est autem & ipsa constantia, secundum assignatum sensum, bonum hominis, vt homo est: Ille ergo quem quærimus, quem perfectè beatum intelligimus, nequaquam carebit constantiæ bono. Semper igitur constans erit.

*De perturbationibus: & quæ perturbationes appellentur?*

CAP. VII.

DE septem complexionibus; illæ, quibus comprehenditur obscuratio mentis, quod quadrupliciter contingit, perturbationes appellantur. Quarum quidem pessima est, cùm ira placet, aut displicet nobis aliquid vt cum obscuratione mentis, sit in animo & falsa opinio obiecti, & malefica ad agendum voluntas. Minus verò mala est, quando cum obscuratione mentis vnum reliquorum malorum inest & alio animus vacat: Quod dupliciter fit; Illa verò perturbatio, minimum malum est, in qua obscuratio mentis cum vera sententia illius, quod placet vel offendit, & benefica ad actionem voluntate coniuncta est. Quare si quis, cum esset ita dispositus, vt incurreret illam pessimam perturbationem, mutauit suam eiusmodi dispositionem ad hanc perturbationem: quam minimum malum esse dixi: non parùm meliorauit suum animum.

*Tres Complexiones reliquæ ad quid vtiles?*

CAP. VIII.

REstant tres complexiones, præter constantiam & quadripartitam perturbationem.

Vna, cum æquabilitas mentis sit associata, cum falsa opinione, & malefica voluntate, quæ appellatur Clychiotes.

Secunda, cum æquabilitas mẽtis falsa opinione caret; malefica vero voluntate non: quæ appellatur Malitia.

Tertia est, cum æquabilitas mentis caret malefica voluntate: habet tamen de obiecto falsam opinionem; quæ dicitur Afelia.

*Perturbationum diuisio.* CAP. IX.

DE perturbationibus autem, quoniam quadrupliciter variantur, vt dictum est: prima sit, quæ est obscuratio mentis, cum vero iudicio obiecti boni, vel mali; & benefica voluntate. Quæ quantum ad exteriores actiones: si modò in eis conseruet mediocritatem, magnum bonum est.

Secunda sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & benefica voluntate.

Tertia sit, quæ est obscuratio mentis cum vero iudicio, & malefica voluntate.

Quarta sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & malefica voluntate. Quæ omnium perturbationum est pessima, sicut supra notatum est.

*Earundem diuisio altera.* CAP. X.

ITem secundum aliam diuisionem, quatuor genera perturbationum sunt. Quia enim omnis perturbatio est obscuritas mentis, suscepta ex opinione boni placentis, vel mali offendentis: Bona verò vel mala, quæ homini eueniunt, aut sunt iam præterita, aut præsentia,

aut futura. Illa quidem perturbatio, qua percutit & caliginat animum ex opinione præteriti: vel præsentis mali, dicitur Ægritudo. Quæ si nimia est, dicitur Angor: si vero ex opinione suscipiatur futuri; dicitur Metus vel Timor.

Item, si opinione præteriti vel præsentis boni contingit: multa quidem nomina, parùm differentia, vt Lætitia, Iucũditas, Delectatio, & alia, sed sumatur Lætitia: si verò ex opinione futuri boni, dicitur Cupiditas & Libido vel Desiderium. Vertitur etiam in opinatis bonis Dilectio & Amor.

*Perturbationum definitio.* EPIST. XI.

DEfiniantur igitur ista quatuor genera sic: Ægritudo est perturbatio animi, ex opinione præsentis vel præteriti mali: mordens animum & demittens. Metus, est perturbatio animi ex opinione impendentis mali; humilians atque frangens animũ, & recessum quendam & fugam animi efficiens, & ad declinandum illud quod meruitur, hominem impellens. Lætitia est perturbatio animi ex opinione præteriti vel præsentis boni, quasi cum animus effusè exultat, quædam voluptas gestiens & elata, per fusam hilaritatem efficiens. Libido est perturbatio animi, ex opinione futuri boni, cum ad id, quod videtur bonum, inflãmata rapiatur. Sunt igitur singulorum generum multæ & variæ species quas non est necessarium præsenti opere discutere; sed tantum in eis notandum sit, quod sunt quædam quæ non possunt variari, per quatuor gradus superius assignatos, sed in vnum tantum cadunt, in quo obscuratio mentis est associata, cum falsa opinione, & malefica voluntate, qui modus omnium erat pessimus. Tales perturbationes itaque sunt, vt in genere Ægritudinis, Inuidẽtia, & Obtrectatio: & in genere Lætitiæ, Mahnolentia, Iactatio, & Superbia. In genere Libidinis, inimicitia, Discordia. Hæ enim ex opinionis errore, semper & malefica voluntate animum perturbant.

Sunt item aliæ, quæ per omnes variantur gradus: vt Misericordia, Pœnitentia, Ira, Amor. & innumerabiles aliæ. Nam, vt pro omnibus de vna dicam, cum sit Misericordia ægritudo animi ex opinione miseriæ alterius iniuria laborantis, potest fieri, vt qui perturbatur, nec verè opinatus sit de malo alterius, nec beneficam ad adiuuandum, cum possit, voluntatem habeat. Potest autem fieri, vt in opinione illius quidem quod perturbat, non fallatur in opinando, habeat tamen ad adiuuandũ beneficam voluntatem. Potest verò fieri, vt obscuratio mentis, in hoc accidenti, & ex vero iudicio pendeat, & bonæ voluntati coniuncta sit. Quod si in actione valeat mediocritatem conseruare: magnum bonum est. Idem de Ira, de Pœnitentia, de Amore, & de aliis intelligendum est. Nam quælibet, si obscuratio mentis, nec ex erroris opinione concitatur, & malefica vacat voluntate, & in actione mediocritatem consequitur: magnum bonum est. Habet enim in animo duo bona, scilicet veritatem de obiecta re, & ad actionem beneficam voluntatem, gignit que extra optimam actionem. Cur verò non dixi maximum esse bonum, sed magnum, apparebit cum de constantiis dixero.

*Constantia quid.* EPIST. XII.

COnstantia itaque, quia est tranquillitas & æquabilitas mentis in eo quod iudicata bona vel mala acceptantur, & placent, vel displicent cum vera sententia, & benefica voluntate: varias & ipsa secundum temporalem varietatem bonorum & malorum, & nonnullas alias eorundem differentias partes habet. Non tamẽ propriis nominibus omnes assignantur, sed vt plurimũ eisdem cum perturbationibus. Nam si mala, quæ constanter displicent, præterita sunt, & à se commissa, dicitur similiter Pœnitentia: si ab alio, dicitur Ira: si verò mala præterita vel præsentia aliis euenerunt, & passi fuerunt, vel patiuntur: dicitur Misericordia. Si ipse passus est, vel patitur mala, si animi; dicitur similiter Pœnitentia vel Misericordia: si corporis, & externa; dicitur Patientia. Si verò futura & impendentia sunt, dicitur Cautio vel Metus & Timor æquiuocè. Non autem differt, si in istis, quæ incommoda Stoici dicunt, mala vsu communi appellantur: nihil enim ista distinctio interest propositæ quæstionis.

Item, cum animus noster sentit se constanter frui tum vel fruẽtem aliquo bono, vel vehementer acceptat aliorum bonum: dicitur Contentio, Placabilitas, Gaudium; ac etiam æquiuocè dici possunt, quæ in tertio genere perturbationum dicebantur. Si autem constanter appetitus tendit ad futurum bonum, dicitur Voluntas, vel Desiderium æquiuocè, in quibus est & Spes. Est autem in bonis similiter Dilectio & Amor, Charitas verò species est voluntatis.

*Perturbationum & Constantiarum differentia.*

EPIST. XIII.

VT autem pateat, quid intersit inter constantias & perturbationes æquiuocas; sumatur vnum pro omnibus, vt Amor. Ametur igitur primò aliquid; ita vt verè iudicatum sit bonum, & acies mentis ad intelligendum non obtundatur, & benefica voluntas sit in animo; quam dicebamus esse appetitum faciẽdi quod decet, & non cõmittendi quod non decet. Et iste amor dicatur primi gradus desuper incipientibus; postmodum relictis in animo vera sententia & benefica voluntate caliginationem quandam, & obscurationem mentis in amando incurrat: & hic amor secundi sit gradus.

Item, relicta in amando benefica voluntate, insit in animo, cum turbido motu mentis, etiam falsum iudiciũ; de eo, quod amatur: & sit huiusmodi amor tertij gradus. Si verò in amando iudicium quidem sanum est, de illo quod amatur, sed cum obscuratione mentis, etiam inest ad agendum malefica voluntas: quæ erat appetitus amittendi quod decet, & committendi quod non decet: dicatur huiusmodi amor quarti gradus. Si verò & in tribus animus amando deficit, cum est in animo obscuratio mentis, & malefica ad agendum voluntas, & falsum iudicium de eo quod amatur: sit huiusmodi amor quinti gradus. Manifestum itaque est, quod primi gradus amor, est simpliciter bonus & omnium optimus, & cadit in assignatam superius constantiæ definitionem. Reliqui verò quatuor graduum, quoniam in quolibet ponitur obscuratio mentis, comprehenduntur in genere perturbationum, secundum quod perturbatio superius definita est.

Est igitur omnium perturbationum optima, quæ secundo gradu posita est deficit tamen à constantia in tribus; vno quod non conseruat claritatem mentis, in suo rigore, sicut constantia.

Secundo, quod constantiæ quidem facile est propter mentis claritatem imponere exteriori actioni mediocritatem: ipsi verò perturbationi, propter mẽtis turbidam commotionem, idipsum ita facile non est.

Ternò superat constantia, quod in ea benefica voluntas, cum à claritate mentis & viua ratione pendeat, est in animo insita & permanens, & ideò efficacior: & quod ab ea pendenter proficiscitur, nunquam ad pœnitentiam adducit: illa verò benefica voluntas, quæ est in perturbatione, cum à repentino & turbulento motu causetur, sedata mente sæpe cessat & ipsa. Non enim insita est, nec vinculis rationis constringitur. Et ideò sæpè contingit, vt quod rectè & laudabiliter factum fuerit, cum nubes recesserit, pœniteat hominem hoc idem fecisse sicut in misericordiis nonnunquam accidit.

Quintus verò, qui positus fuit gradus, est simpliciter malus, & omnium pessimus. Nihil enim in eo boni est,

Terius

Tertius & quartus secundum quod participes sunt boni vel mali, sunt laudādi vel vituperandi: Si vero oportet à pessimo expositorum graduū perturbationis, gradatim & non repente ad constantiam ascēdere: primo subtrahatur malefica volūtas, vel falsa opinio: & istis prius detractis, postremo subtrahatur mentis obscuratio: & immediate hac subtracta, eluceat in animo constantia, in qua cum æquabilitate mentis, & vera est sententia, & benefica voluntas. Nam si à pessimo gradu perturbationis, primo subtracta obscuratione mentis, dimittantur in animo falsum iudicium, & malefica voluntas: augetur potius malum, quam diminuitur, & animus deterior fit. Exit enim à genere perturbationū, & incedit in malitiam Elyebiotem & Apheliā, quæ in augendis malis multo excellunt perturbationes, & minus sanabiles sunt.

Quinque igitur graduum assignatorum, primus gradus, qui solus erat constantiæ, est summum bonum: secundus, magnum bonum, latet enim quod habet malum: tertius & quartus, sensibilem iam mixturam patiuntur. Quintus totaliter opponitur primo, & est simpliciter malum. Itaque cum & ira, & Misericordia, & Desiderium, & Metus, & reliqua, quæ æquiuoce in genere constantiarum, & in genere perturbationum dici possunt, vt superius ostensum est, per quinque quodlibet simpliciter gradus, possit variari: vt primus sit constantiæ, quatuor vero perturbationis: manifestum est ex supra dictis, quantū melius & præstantius est quodlibet istorum, cum constanter contingit, quam id ipsū si fieret turbulenter. Quod tamē cū ita contingit, quādo magnum bonum est, quo ad actionem: & quando sensibiliter commixtū, & quando pessimum malum: satis & hoc, vt arbitror, superius est explicatū. Sed quia sicut prædefinitum est in primo libro: Virtus est optima affectio animi, optime animum ad agendū disponens: Nullam ergo virtus ad hoc habet suam vim, vt faciat aliquid mali animo contingere. At ostensum est, quod obscuratio mentis, malū est ipsi menti: nulla ergo virtus, ad hoc habet suam vim, vt obscurationē & tenebras inferat vnquā menti, & obtundat eius aciē intelligendi. Sed nulla perturbatio est, sine mētis obscuratione, segregandæ ergo sunt perturbationes à choro virtutum. Quod & ita ostendi potest.

Demonstratum est superius, quod beatus, quem intelligimus, semper est cōstans, sed perturbationes omnes aduersantur constātiæ: vacabit ergo beatus perturbationibus: sed virtute aliqua non caret: nullius ergo virtutis perturbatio est.

Item, si constanter misereri multo melius est, quam si idipsum turbulenter fieret, vt ostensum est: illud vero, quod à virtute proficiscitur suo loco & casu, optimum esse volumus: Virtus est ergo quærenda, quæ stabilitam conseruet constantiam: non perturbationis infirmitas: separantes tamen à choro virtutum perturbationes, nō illud volumus vt ad Aphelism & Elychrotem, & malitiā incidat animus, sed vt bonum constantiæ consequatur. Illis enim qui claram & viuam, & expeditam, & efficacem rationem expetendarum atque fugiendarū rerum, non habent, nō penitus inutiles sunt perturbationes: aliarum enim rerum cupiditate, vel metu, lætitia, vel ægritudine commoti, multa bona in vita cōsequuntur, & mala euitāt: sed ita dispositi simulacra virtutum, non ipsas veras virtutes æstimandi sunt habere. Itaque si nomine passionis velimus nominare, tam cōstantias, quam perturbationes, manifestum, quod dicimus, passionum alias esse simpliciter bonas, alias simpliciter malas: alias magis bonas quam malas, & è conuerso alias æqualiter commixtas, consequenter quadripartitæ diuisioni, non generum, sed graduū perturbationis. Si autem passionem in animo velimus nominare: nihil aliud nisi mētis ipsius obscurationē, & turbidam motionem, & obtusionem: cum semper sit bonum menti tranquilla claritas, & vigēs acies intelligē-



di: non dubitabimus dicere, omnes passiones esse animo extirpandas, & penitus euellēdas: A dumtaxat ne, insita malefica voluntas, vel ad necessarias & honestas actiones, tarditas in animo remaneat, nec opinionum temeritas, vt ad constantiam pure perueniatur.

Theophrasto quidem, post Aristotelem Peripateticorum principi, non videtur omnem perturbationem aduersam esse constantiæ. Sed sicut fames & sitis, & huiusmodi naturales contingūt homini sine falsa opinione, sine malefica voluntate, sine mētis obscuratione: & simpliciter minime mentis constantia læsa: Ita ait, & in animo secundum infimas eius partes cōtingit nōnunquam ex aliquo casu turbida commotio, nec à falsa opinione pendens, nec maleficam voluntatem excitans, nec menti obscurationem inferens. Cuius cōmotionis signa, etiam in ore, in vultu, in oculis, interdum apparent. B Hæc cum sit perturbatio, minime tamen constantiæ aduersatur.

Ad quæ respondendum est, quod ista non aduersantur secundum rem superioribus nostris de perturbatione rationibus. Nā si constantia vna definitione cōprehensa est, si definitio eius per non æquiuoca verba est assignata: manifestum est, quod perturbatio quæ constantiæ aduersatur, de qua superius tractabamus, per quatuor gradus eam variantes, atque in quatuor genera diuidentes: & illa perturbatio Theophrasti, quæ constantiæ mentis non aduersatur, æquiuoce perturbationis nomine fruuntur: ac etiam superior quadripartita perturbatio, quæ obscurationem menti infert, prædicatur de mente. Est enim verum dicere, in illa passione mentem hominis esse perturbatam. C Perturbatio vero Theophrasti, quia descriptam superius æquabilitatem mentis non lædit: non potest vere de mente prædicari. Dum enim æquabilitas mentis manet illæsa, non est dicendum mentem hominis esse perturbatam. Ergo & ex hoc patet earum æquiuocatio. Itaque terrestris canis definitione assignata, potest dici audacter omnem canē esse animal mortale, vel animal quadrupes: ita quadripartita perturbationis descripta definitione, per quā necessario distinguitur à quacūque alia æquiuoca perturbatione, veraciter potest dici nullam perturbationem sine mentis obscuratione esse, omnemque constantiæ aduersari, & simpliciter esse animo euellendam. Si qua enim est animi commotio, de qua hæc dici nō possunt: illa in his libris non appellatur perturbatio.

D

## CAPVT XIV.

*De perturbatione Theophrasti, Quæstio duplex.*

NEmpe de perturbatione Theophrasti, quæ nō aduersatur constantiæ, duo sunt quærenda. Vnum: Vtrum contingit homini aliquando, an numquam? aliud. Vtrum cadit in beatum, an non? nam cum definitiones obscurationis, & æquabilitatis mentis superius sint descriptæ: iure dubitabit aliquis, vtrum potest contingere in animo turbida commotio: quæ nec definitioni obscurationis mentis in aliquo communicet, nec definitionem æquabilitatis mētis in aliquo non lædat. An impossibile hoc est: Cuius quæstionis veritatem magis E arbitror posse intelligi, si quis passiones animi sui respiciat: quam si per demonstrationis verba sequatur.

Ad secundum vero manifestum est procul dubio, quod si qua est commotio animi constantiæ mentis non repugnans: siue passionem, siue perturbationem, velis quis eam appellare: nullo modo beatitudinē lædit. Sed si voluntaria non est, sicut fames & sitis, secundum Theophrastum: nec ad virtutes, nec ad vitia penitus pertinet. Quasi dicatur: si nimia est vitio danda est, si mediocris, virtuti: cuius enim voluntas nostra domina non est, illud qualitercumquè contingit, nec beatum, nec miserum facit, vt in primo libro ostēsum est. Si vero voluntaria est, & contingit in eo, quod aliquid

placet vel displicet, pendetque à vera obiecti sententia & benefica voluntate, atque acumen mentis in aliquo non deteriorat: nec tranquillitatem concutit, etiam sic Theophrastus nomine tantum discrepat à Stoicis: illã enim rem, quam nos laudabilem putamus, & pertinere ad beatitudinem arbitramur, & constantiam appellamus, eandem ille perturbationẽ abusiue appellat. Nam sæpe contingit, quod, cum differentes aliqua de aliquo vniuersaliter prædicant, affirmatiue, vel negatiue, auditores si viderint prædicata, non omnibus, quæ sub nomine subiecti sunt, congruere: putant illos mentiri, ipsi magis decepti: ignorantes vsum verborum differentium. Nam si disputantes, ad illas tantum res, nomen subiecti extendunt, quibus prædicata conueniunt, veram esse eorum sententiam, necesse est.

Vt igitur talem deceptionem, in istis nostris legendis, aliquis non incurrat, danda sit talis regula. In quacunque vniuersali propositione videbitur alicui, non omnibus, quæ nomine subiecti significantur, prædicatum congruere: scias nos more Stoicorum in illis tantum rebus vti nomine subiecti: quibus prædicatum fere coaptatur: Si plures vero res, eodem nomine, secundum alios significantur: quibus prædicatum inesse non potest: nihil ad Stoicos, sicut nec ad Geometras est aliquid, si alia res, præter ab eis definitum circulus appellatur.

### Capvt XV.

*Perturbatio an omnino euellenda?*

Resumentes igitur, de perturbationibus, dicimus quoniam illam commotioné perturbationum in his appellamus, in qua mens à constantia egreditur, & obscuratur, & acumen intelligendi obtunditur: manifestum est: quod non est resecanda vel moderanda: sed penitus euellenda. Nam in illis recte mediocritas quæritur, in quibus vtrumque vituperandum est, & nimis abundare, & penitus carere. Sed perturbatione vacare, & minime à constantia egredi, & acumen mentis illæsum conseruare: magnæ laudi dandum est. Conatus ergo noster, nõ ad amputandam perturbationem: sed omnino extirpandam dirigendus est.

### Cap. XVI.

*Perturbationes num extirpari possint.*

Quia vero possibile est, deinde ostendendum sic. Duplex est opinio, quæ perturbat animum. Vna qua opinatur aliquis transeuntium, & nouiter imaginationi incidentium, bonum vel malum esse, cum suis circumstantiis: quæ vt plurimum falsa est: aut enim non bona, bona: aut, quæ parua sunt, magna æstimantes. Similiter & de malis vt plurimum perturbantur. Alia est, qua videtur rectum esse, vt perturbetur, quæ nunquam vera esse potest. Siue enim bonum est, siue malum quod incidit: nulla ratio est, vt ideo rursum malum menti inferatur neque rectum vllo pacto esse potest, vt propter alia quæcumque mala vel bona, turpificetur, quod in nobis præstantissimũ est. Bonis enim custodiam, malis, remedia non mala: & præcipue quibus mens læditur, admouendum est. Igitur quoniam falsæ opiniones sunt, quæ animos solent perturbare: de quibuscumque vero falso opinamur, impossibile est rectum & verum habere iudicium. Manifestum est quod deletis animo illis opinionibus, & sententia totaliter mutata, nihil relinquitur, quod animum valeat perturbare. Possibile ergo est perturbationibus vacare.

# D. POLYCARPI MARTYRIS.

## SMYRNÆORVM EPISCOPI ET DISCIPVLI IOANNIS EVANGELISTÆ, AD PHILIPPENSES EPISTOLA

*Indicem auctorum fide præstantium, qui de S. Polycarpo perscripserunt, suppeditant notæ ad Romanum Martyrologium 26. Ianuarij, & Tom. 11. annal. Eccles. Huius autẽ Epistolæ ad Philippenses meminit S. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis hisce verbis: Scripsit ad Philippenses valde vtilem epistolam, quæ vsque hodie in Asiæ conuentibus legitur, de ea Epistola hæc obseruauit Baronius in notis. Extat insignis Epistola Polycarpi ad Philippenses cuius meminit S. Hieronymus, quam piæ memoriæ vir doctissimus pariter ac religiosissimus Franciscus Turrianus Societatis Iesu longe prolixiorem illa, quæ habetur typis excussa, apud se esse Græcè scriptam cum viueret, testatus est. Speramus eam vna cum cæteris egregiis vetustatis monumentis, quæ summo labore collegit, propediem esse edendam. Tantum Baronius: in Indice Græcorum codicum bibliotheca Turriana, quam texuit nuper Possevinus, nullum verbum de Græca Epistola Polycarpi.*

*Ioannes Scotus, Operum S. Dionysij Areopagitæ primus Latinus Interpres; in Epistola suæ illius interpretationis dedicatoria,* Dionysij meminit, *inquit*, Lucas in Actibus Apostolorum, & Dionysius Episcopus Corinthi; Beatus quoque Polycarpus in Epistola ad Ecclesiam Athenarum, &c.

*Polycarpus & qui cum eo sunt presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ est Philippis; misericordia vobis & pax à Deo omnipotente & Iesu Christo Saluatore nostro abundet.*

Congratulatus sum vobis magnifice in Domino nostro Iesu Christo, suscipiens inimitabilia verba dilectionis quam ostendistis in illis qui præmissi sunt viris sanctis, decoris vinculis cõnexis, quæ sunt coronæ electæ Deo illius veri regni per Dominum nostrum Iesum Christum; & quia firmitas fidei vestræ, à principio vsque nunc permanet, & sanctificatur in Domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris vsque ad mortem; quem resuscitauit Deus dissoluens dolores inferni; *quem cum videritis nunc diligitis, in quem nunc non aspicientes, creditis; credentes autem gaudetis gaudio inenarrabili & glorificato*, in quod multi desiderant introire scientes, quia grati facti estis non ex operibus, sed ex voluntate Dei per Iesum Christum. Propter quod succincti lumbos vestros, seruite Domino cum timore & in veritate, dimisso inani vaniloquio & multo errore. Credite ergo in illum qui resuscitauit Dominum nostrum Iesum Christum ex mortuis, & dedit gloriam & sedem in dextera sua. Huic subiecta sunt omnia, cœlestia, & terrestria, & subterranea; cui omnis spiritus seruit, qui venturus est iudicare viuos & mortuos.

Huius sanguinem requirit Deus ab eis qui non crediderunt in eum; qui & resuscitauit eum à mortuis, qui & nos resuscitaturus est ad vitam, si fecerimus voluntatem eius, & ambulauerimus in mandatis ipsius, & dilexerimus quæ & ipse dilexit, auocantes nos ab omni iniustitia; hoc est à concupiscentia, ab auaritia, à detractione, à falso testimonio, non red[illegible]ntes malum pro malo, aut iniuriam pro iniuria, aut contomeliam pro contomelia, aut malitiam pro maledicto. Mementote quod Dominus docens dixit, *Nolite iudicare, ne iudicemini*; Et *Dimittite, & dimittetur vobis: miseremini, & Dominus miserebitur vestri, Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur eadem & vobis.* Mementote & illius quod dictum est: *Beati pauperes Spiritu, & qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc autem fratres mei non à meipso imperans scribo vobis de iustitia, sed quoniam vos prouocastis. Propterea quia neque ego, neque similis alius mei, potest sequi sapientiam beati & gloriosi Pauli, qui fuit apud vos, & visus est secundum faciem illis qui tunc erant hominibus, qui docuit certissime atque firmissime verbum veritatis, & qui absens scripsit vobis Epistolas; ad quas deflectimini vt possitis ædificari in fide quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum, subsequente spe, præcedente dilectione quæ est in Deo & in Christo, & in proximo. Si enim quis horum intrinsecus repletus fuerit mandatis iustitiæ, & habuerit dilectionem, longe est ab omni peccato. Principium omnium malorum est auaritia. *Scitote* autem *quia nihil intulimus in hunc mundum, neque auferre possumus.* Armemus armis iustitiæ, & doceamus nosmetipsos primum ambulare in mandatis Domini, & post hæc mulieres vestras in fide quæ data est eis & dilectione, & castitate; amantes suos viros in omni veritate & charitate, diligentes omnes æqualiter in omni continentia. Et filios erudire in omni disciplina, & timore Dei. Viduæ vero pudicæ circa Dei fidem interpellent incessanter pro omnibus, elongantes se ab omnibus diabolicis detractionibus, & falso testimonio; & ab omni malo, cognoscentes seipsas, quia sunt sacrarium Dei, quoniam omnia Deus prospicit, nihil eum latet, neque cogitatio, neque conscientia, neque aliquod abditum cordis. Scientes autem quia *Deus non irridetur*, debemus digne in mandatis eius & gloria ambulare. Similiter Diaconi inculpabiles sint in conspectu eius, sicut Dei & Christi ministri, & non hominum, non criminatores, neque detractores, neque auari; sed omnia tolerantes, in omnibus misericordes, diligentes, in omnibus ambulantes in veritate Domini qui factus est minister omnium. Huic si placeamus in hoc seculo, percipiemus ea quæ futura sunt secundum quod repromisit resuscitare nos à mortuis. Et si digne in eo conuersati fuerimus, & si crediderimus, conregnabimus cum eo. Iuuenes similiter inculpabiles sint in omnibus, omnẽ ignorantiam præuidentes, refrænantes ab omni malo. Bonum est enim abscindi ab omnibus concupiscentiis, quoniam omnis concupiscentia aduersus spiritum militat; *quia neque fornicarij, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*, neque illicita facientes. Propter quod abstinere oportet ab omnibus his. Subiecti estote Presbyteris & Diaconis, sicut Deo & Christo Virgines, casta conscientia audiente. Presbyteri simplices sint, in omnibus misericordes, omnes ab errore conuertentes, omnes infirmos visitantes, viduas, pupillos, & pauperes non negligẽtes, sed semper prouidentes bona coram Deo & hominibus. Abstinete vos ab omni iracundia & iudicio iniusto. Lõge ab omni auaritia estote, non cito consentiatis aduersus aliquem, ne præoccupemur in iudicio, scientes quia debitores sumus peccati. Si ergo deprecamur Dominum vt nobis dimittat, debemus etiam nos dimittere. Ante conspectum oculorum Domini sumus, & omnes oportet nos astare ante tribunal Christi, & vnumquemque pro se rationem reddere. Seruiamus ergo ei cum timore & reuerentia, secundum quod euãgelizauerunt nobis Apostoli Domini, & Prophetæ annunciauerunt aduentum Domini nostri Iesu Christi. Zelantes bona abstinere à scandalis, & falsis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui oberrare faciunt inanes homines. *Omnis enim qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est.* Et qui non confitetur mysterium Crucis, è Diabolo est. Et qui deriuauerit eloquia Domini ad propria desideria, & dixerit neque resurrectionem, neque iudicium esse; hic primogenitus Satanæ est. Propter quod relinquentes vanitates multorum, & falsas doctrinas, ad illud quod traditum nobis à principio verbum, reuertamur. Sobrij simus in orationibus, ieiunia tolerantes, & supplicationibus petentes omnium prospectorem Dominum, ne nos inducat in tentationem, secundum quod dicit Dominus: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Indeficienter autem toleremus propter spem nostram & pignus iustitiæ quod est Christus, qui sustulit peccata nostra in corpore super lignum; *qui peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*; sed propter nos omnia sustinuit, vt viuamus in ipso. Imitatores ergo efficiamur tolerantiæ eius; & si passi fuerimus pro nomine eius, glorificemus eum, hoc enim iudicium posuit de seipso, & nos hoc credimus. Rogo igitur omnes vos insistere verbo iustitiæ & patientiæ, quam oculata fide vidistis, non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet & Zozymo & Rufo, sed in aliis qui ex vobis sunt, & in Paulo & in cæteris Apostolis; confidentes, quia hi omnes non in vacuum cucurrerunt, sed in fide & iustitia; & ad debitum sibi locum cum Domino, cui & compassi sunt, abierunt, quia non hoc sæculum dilexerunt, sed eum qui pro ipsis & pro nobis mortuus est, & à Deo resuscitatus. In his ergo state, & Domini exemplar sequimini, firmi in fide & immutabiles; fraternitatis amatores, diligentes inuicem, in veritate sociati, mãsuetudinem Domini alterutri præstantes, nullum despicientes. Quum potestis benefacere, nolite differre, quia *eleemosyna de morte liberat.* Omnes vobis inuicem subiecti estote, conuersationem vestram considerantes irreprehensibilem in Gentibus, vt ex bonis operibus vestris & vos laudem accipiatis, & Dominus in vobis non blasphemetur. Væ autem illi per quem nomen Domini blasphematur. Sobrietatem ergo docete omnes, in qua & vos conuersamini. Nimis contristatus sum pro Valente qui Presbyter factus est aliquando apud vos, quod sic ignoretis locũ qui datus est ei. Moneo itaque vos vt abstineatis ab auaritia, & sitis casti & veraces. Abstinete ab omni malo. Qui autem in his non potest se gubernare, quomodo aliis pronunciet hoc? Si quis non abstinuerit ab auaritia, ab idololatria coinquinabitur, & tanquam inter gentes iudicabitur. Quis ignorat iudicium Domini? *An nescimus quia sancti mundum iudicabunt*, sicut Paulus docet? Ego autem nihil tale sensi de vobis vel audiui, in quibus laborauit beatus Paulus, qui estis in principio epistolæ eius. De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis quæ Deum solę tunc cognouerant; nos autem nondum noueramus. Valde ergo, fratres contristor pro illo & coniuge eius, quibus det Dominus pœnitentiam veram. Sobrij estote & vos in hoc, & *non sicut inimicos tales existimetis*, sed sicut passibilia membra & errantia, eos reuocate, vt omnium vestrum corpus saluetis; hoc enim agentes, vosipsos ædificatis. Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris literis, & nihil vos latet; mihi autem non est concessum modo, vt his scripturis dictum est: *Irascimini & nolite peccare.*

*Matth. 7. a. Luc. 6. c. Mat. 7. a. Mat. 5. D. Pauli epistolæ ad Phil. 1. Tim. 6. b. Mulierũ officium. Viduarũ officium. Gal. 6. b. Diaconi non hominum, sed Christi ministri. Iuuentutis officia. 1. Cor. 6. b. Presbyteri honorandi & eorũ officia. 1. Ioh. 4. a. Deus arte eloquia Dei. Mat. 26. d. Mat. 14. d. 1. Pet. 2. d. Fraternitas. To. 12. b. 1. Cor. 6. b. Psal. 4.*

*Ephes. 4 f.* Et; *Sol non occidat supra iracundiam vestram.* Beatus A qui meminerit, quod ego credo esse in vobis. Deus autem & Pater Domini nostri Iesu Christi, ipse sempiternus pontifex Dei filius Christus Iesus ædificet vos in fide & veritate & omni mansuetudine, & sine iracundia; in patientia & longanimitate, & tolerãtia, & castitate, & det vobis sortem & partem inter sanctos suos, & nobis vobiscum, & cum omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Iesum Christum, & in ipsius Patrem, qui resuscitauit eum à mortuis. Pro omnibus sanctis orate. *Orandū pro Regibus.* Orate etiam pro Regibus & potestatibus & Principibus, atque pro persequentibus & odientibus vos, & pro inimicis Crucis, vt fructus vester manifestus sit in omnibus, vt sitis in illo perfecti. (Scripsistis mihi, *b* & vos & Ignatius, vt siquis vadit ad [a]Syriam, deferat literas meas, † quas & dedero ad vos, si habuerimus tempus opportunum, siue ego seu legatus quem misero pro vobis. Epistolas sane Ignatij, quæ transmissæ sunt vobis; habeo; & alias quantascunque apud nos habuimus, transmittimus vobis, secundum quod mandastis; quæ sunt subiectæ huic Epistolæ ex B omnibus enim vobis magnus erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.) Et de ipso Ignatio & de ipsis qui cum eo sunt, quod certius agnoueritis, significate. Hæc vobis scripsi per Crescẽtem, quem in præsentem diem commendaui vobis, & nunc commendo. Conuersatus est nobiscum inculpabiliter, credo quia vobiscum similiter. Sororem autem eius habebitis commendatam cum venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Iesu Christo in gratia, cum omnibus vestris, Amen.

*† Videtur ad habere Epistola S. Ignatij 22. ad Polycarpum D. Ignatij Epistola.*

a Rogo igitur omnes *Polycarpus qui Smyrnensi Ecclesiæ præerat, & cum Ignatio ventitabat ad Ioannem Euangelistam & Theologum, &c. hæc alicubi scribit in suis Epistolis. Rogo vos, fratres; vt obediatis & omnem exerceatis tolerantiam quam vidistis oculis, non solum in beatis Ignatio, Ruffino, & Zozimo, sed etiam in multis aliis ex vobis, &c. Simeon Metaphrastes in Historia S. Ignatij locum hunc ita expressit.*

b Scripsistis mihi. *Hæc citat Eusebius Ecclesiastica Historia, Libri 3. cap. 36.*

# FINIS TOM. III.